HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE. CONN.

M. Th. VII-C-9

THEOLOGIA

MORALIS

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

VOL. II.



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/theologiamoralis02ligu

THEOLOGIA

MORALIS

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM

FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

ET

UNIVERSALIS ECCLESIAE DOCTORIS

ACCEDIT

DISSERTATIO P. ZACHARIAE

ET DECRETA ROMANORUM PONTIFICUM MORUM MATERIAM RESPICIENTIA

VOL. II.

EDITIO OMNIUM ACCURATIOR

CONTINENS QUIDQUID AUCTOR IN CAETERIS ADDIDIT

REFORMAVIT VEL EXPLICAVIT

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXXIX

250
A

BX1757
L6
1879x
vol. 2

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER QUINTUS

DE RATIONE COGNOSCENDI ET DISCERNENDI PECCATA

TRACTATUS PRAEAMBULUS

DE ACTIBUS HUMANIS IN GENERE

Mens mihi non est, benevole lector, scribens de morali theologia, quae tota ad praxim est dirigenda, tractatum de actibus humanis tibi exhibere scholasticis quaestionibus refertum; sed potius tuae animarumque saluti consulere cupiens, ea tantum seligere cogito, quae in hac materia magis utilia, quaeque scitu necessaria ad praxim existimantur. Nonne, si secus facerem, et ego oleum operamque in elucubrando perderem, et tu frustra tempus tereres in huiusmodi inutilia legendo? Ne igitur, quaeso, tractatum hunc omnibus pene numeris absolutum a me expectes, quem utiliora et adhuc satis implicata manent. Hanc tamen maximam adhibui diligentiam, ut doctrinas seligerem, quibus prodesse, non obesse valeam animarum profectui. Hinc est quod non recedendum puto a sana doctoris angelici doctrina, ubi haberi potest; ipso enim duce, in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur. Sit igitur

ART. I. De natura ac multiplici actuum humanorum divisione.

I. Actus humanus strictissima acceptione sumptus definiri potest: *Actus deliberate procedens ab hominis voluntate. Etenim illae solae actiones vocantur proprie humanae* (inquit s. Th. [1]), *quarum homo est dominus: est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt.* Ut enim actio sit humana et moralis, necesse est ut intelligatur et ut libere agatur; alterum ubi deest vel propter ignorantiam involuntariam, vel propter coactionem, potius mechanica quam moralis dicenda est.

II. Hinc infertur, actiones omnes quae non procedunt a voluntate hominis deliberata communiter appellari actiones hominis non humanas.

III. Actus humani multipliciter dividuntur. Alii enim dicuntur actus eliciti, alii imperati: ex his quidam dicuntur boni, quidam vero mali. Ex bonis alii sunt naturales, alii supernaturales: ex supernaturalibus vero, alii sunt meritorii de condigno, alii de congruo. Tandem alii actus humani sunt interiores, alii vero exteriores. De quibus singillatim.

IV. Actus humanus dicitur *elicitus*, qui immediate a voluntate procedit; cuiusmodi est amor et odium. Dicitur *imperatus* ille actus qui ab ipsa voluntate proficiscitur mediate, ut ambulare, loqui, scribere etc. quae procedunt a voluntate imperante alias potentias nempe motrices ad huiusmodi actus eliciendos. Hi actus sive eliciti sive imperati eo ipso quod libere procedunt a voluntate, dicuntur actus morales, seu boni vel mali. Ii dicuntur *boni* qui sunt consentanei ad rectam rationem: qui vero dissentanei appellantur mali. Actus boni *naturales* sunt qui solis naturae viribus fieri possunt: *supernaturales* vero nonnisi auxilio gratiae elici possunt; ut actus fidei, spei, amoris etc. Meritorii de condigno sunt quibus ex iustitia merces debetur: de congruo vero sunt ii qui tantum ex decentia mercedem merentur. Postremo actus interiores nullo sensibili signo pate-

(1) 1. 2. q. 1. a. 1.

APR 15 1982

Gunt: exteriores vero patent exterius.

V. His praenotatis, dicendum nunc est de principiis intrinsecis actuum humanorum. Tria sunt haec principia, nempe intellectus, voluntas et libertas. Intellectus influit in actionem moralem per conscientiam, sive cognitionem actionis et legis: ideoque in tractatu de conscientia plura de intellectu dicuntur. Nunc igitur dicendum superest de voluntario et involuntario, deinde de libero, quae sunt actuum humanorum potiora principia. Hinc

ART. II. De voluntario et involuntario eiusque causis.

§. 1. *Quid et quotuplex sit voluntarium.*

VI. Praenotandum quod hoc vocabulum *voluntarium*, aliquando accipitur in eodem sensu ac *spontaneum*, quod nempe fit sponte et ex voluntatis inclinatione, nullo cogente praecepto vel metu, vi aut dolo. Sed revera aliud est voluntarium, aliud vero spontaneum. Etenim omne voluntarium est spontaneum, sed non e contrario omne spontaneum est voluntarium. Aliquando accipitur voluntarium pro libero; quamquam non omne voluntarium sit liberum, licet omne liberum sit voluntarium. Tandem accipitur hoc alio sensu in quo a nobis definitur et disseritur.

VII. Voluntarium sic definiri potest: *Actus procedens a principio intrinseco, seu a voluntate cum cognitione finis.* Ita s. Thom. [1] post Gregorium Nyssenum, Damasc., quos ipse laudat, Gonet [2] Sylv. Salmantic. Concina Cont. Tourn. et alii communiter. Duo igitur sunt necessaria ad constituendam rationem voluntarii, nempe quod sit et a *principio intrinseco, et cum aliqua cognitione finis.*

VIII. Hinc infertur primo, quod illae actiones quae fiunt ex principio tantum extrinseco, ut sunt quae vi et coacte fiunt, non dicuntur voluntariae. 2. Similiter omnes actiones quae quidem procedunt a principio intrinseco, sed sine ulla cognitione intellectus, neque voluntariae dici possunt. 3. Ad hoc ut aliqua actio dicatur tota voluntaria necesse est ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias, quarum aliqua si ignoretur, actio non dicitur voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam. Sic qui accedit ad mulierem quam nescit esse nuptam, non committit peccatum adulterii, sed simplicis fornicationis; cum involuntarie se habeat quoad circumstantiam matrimonii quam ignorat. 4. Infertur quod ubi nulla est advertentia, nullum est voluntarium et peccatum; ut accidit in actionibus dormientium quae sunt simpliciter involuntariae. Ubi vero est semiplena advertentia, ibi est semivoluntarium et dumtaxat veniale peccatum, ut contingit semidormientibus.

IX. Voluntarium multipliciter dividitur a theologis: 1. In voluntarium *simpliciter* et voluntarium *secundum quid.* Illud procedit ex plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia. Hoc vero procedit quidem ex voluntatis consensu, sed cum repugnantia. Huiusmodi est proiectio mercium in mare facta metu naufragii.

Dividitur 2. in *liberum* seu contingens, et *necessarium.* Primum fit a voluntate quae operatur cum indifferentia ad volendum et nolendum. Talis est amor viatoris in Deum. Secundum a voluntate determinata ad unum, ut est amor beatorum in patria. Gonet [3] docet, contra Vasquesium, quod ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam liberis. Ratio est quia quo maior est amor, eo maius est voluntarium id est maior voluntatis propensio et maior cognitio intellectus. Talis est amor necessarius Dei erga seipsum, vel amor beatorum, quo toto conatu feruntur in Deum.

Dividitur 3. in voluntarium *in se*, seu *expressum et in causa*, et *implicitum* seu *virtuale.* Voluntarium *in se* illud dicitur quod est volitum in se ipso et immediate; ut cum quis aliquid furatur quia habet in se voluntatem furandi. Voluntarium vero *in causa* est volitum non in se, sed in alio, quod apprehenditur saltem confuse uti cau-

(1) 1. 2. q. 6. a. 1

(2) Man. 2 p. tr. 2. c. 1. §. 1.

(3) Loc. c

sa alicuius effectus. Hoc modo dicitur voluntaria hominis occisio patrata ab eo qui se voluntarie inebriavit, praevidens saltem in confuso huiusmodi occisionem.

Dividitur 4. in voluntarium *directum* et *indirectum*. Illud directe et immediate procedit a voluntate, tamquam a causa efficienti. Hoc vero licet non procedat a voluntate immediate, ab ea tamen mediate dependet. Sed nemo non videt, hanc quartam voluntarii divisionem facile ad tertiam posse redire.

X. Hic advertere oportet quod, ut aliquis effectus sequens suam causam iam voluntarie positam, dicatur et ipse voluntarius *indirecte in causa*, ut supra diximus, simulque imputetur ad meritum vel demeritum, tria concurrere debent: 1. Quod agens ponendo causam advertat saltem in confuso, huiusmodi effectum fore ex illa causa sequuturum. 2. Quod possit impedire talem effectum causam tollendo. 3. Quod teneatur tollere, vel illam non ponere. Ita s. Th.[1] qui ait: *Eventus sequens... si est praecogitatus, manifestum est quod addit ad bonitatem vel malitiam actus. Cum enim aliquis cogitat, quod ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas eius esse magis inordinata.* Sylvius in hunc articulum ait quod s. Thomas hic usurpat vocem *praecogitatus*, quatenus idem sonet ac *volitus* et *intentus*, seu *praevisus* et *intentus*: quemadmodum ipse Angelicus[2] pro tò *praecogitatus* utitur vocabulo *praevisus et intentus*, dum ait: *Sicut etiam supra dictum est, cum de bonitate et malitia exteriorum actuum ageretur; eventus sequens si sit praevisus et intentus* (sed supra dixerat *praecogitatus*) *addit ad bonitatem vel malitiam actus.* Tunc vero effectus sequens, addit Sylv., censetur esse volitus et intentus, non solum quando ex proposito intenditur, sed etiam quando sic praevidetur secuturus, ut potuerit ac debuerit impediri, nec tamen est impeditus, tunc enim est interpretative seu indirecte volitus. Tandem, concludit s. Th.[3]: *Si autem eventus sequens non sit praecogitatus ...., si per se sequitur ex tali actu et ut in pluribus...., addit ad bonitatem vel malitiam actus. Secus si per accidens et ut in paucioribus occurrit.* Hic Sylv. docet quod *eventus sequens per se et ut in pluribus* ideo addit ad bonitatem et malitiam, quia si non est praecogitatus in seipso, est certe praevisus et intentus in alio, scilicet in sua causa et virtualiter.

XI. Eadem ratione dicendum est quod nempe omissio ut sit voluntaria et culpabilis, tria requiruntur: 1. Quod quis potuerit agere. 2. Quod debuerit. 3. Quod non egerit. Ita Sylv. Gonet Continuat. Tourn. aliique. Ex s. Th.[4]: *Sciendum quod non semper id quod sequitur ad defectum actionis reducitur sicut in causam in agens ex eo quod non agit: sed solum tunc quum potest et debet agere.*

XII. Ex definitione voluntarii supra tradita facile colligitur in quo posita sit natura involuntarii. Si igitur voluntarium exigit: 1. quod sit a *principio intrinseco*, 2. quod sit cum cognitione finis, ut diximus §. 1. *n.* 7. necesse est ut oppositum eius, nempe involuntarium, fiat vel a *principio extrinseco* contra propensionem voluntatis, ut accidit agenti ex vi vel metu, vel fiat sine cognitione intellectus, quae aut tollitur aut saltem ligatur; ut accidit operanti ex ignorantia vel passione. Ita communiter dd. ex s. Thoma.

XIII. Multiplex est involuntarium. Aliud dicitur involuntarium *privative*, quando solum deest actus volendi id quod potest velle. Aliud dicitur involuntarium *positive et contrarie*, quando scilicet aliquid non solum non est volitum, sed positive nolitum et repugnans suae voluntati. Rursum involuntarium *contrarie* duplex est, aliud *simpliciter*, aliud *secundum quid*. Primum est illud quod ita displicet voluntati, ut nullo modo nullaque ratione id velit. Secundum vero illud dicitur, quod licet sub aliquo respectu di-

(1) 1. 2. q. 20. a. 5. (2) Q. 73. a. 8. ad 1. (3) Cit. art. 5. (4) 1. 2. q. 6. a. 3.

spliceat voluntati, sub alia tamen ratione ei magis placet et acceptatur. Talis est proiectio mercium in mari facta metu naufragii, quae respectu mercatoris est involuntaria *secundum quid;* respectu vero maioris mali imminentis est voluntaria simpliciter.

XIV. Ex superius dictis plura colligimus ad praxim. 1. Qui summo mane diei festi se inebriavit, non praevidens ex eo sequuturam missae omissionem, non peccat propter illam omissionem sacri. Rationem attulimus §. 1. *n.* X. ubi statuimus quod eventus sequens non imputatur, nisi praevideatur in se vel in causa. 2. Si causa quae ponitur, natura sua inducat talem effectum malum, tamen necessario poni debet; tunc effectus malus, licet praevisus, non tamen volitus et intentus, nullo modo est imputabilis, si aliquam praecautionem operans adhibuerit. Sic non imputatur chirurgo pollutio, quam praevidit sibi sequuturam ex tactu necessario mulieris in partibus verendis, dummodo eam non intenderit. Nec imputatur studenti ob propriam et aliorum utilitatem materiis sexti praecepti, si ipse huiusmodi effectum non intenderit, dummodo complacentiam repellat in actu quo sequitur pollutio. Ratio quia tunc non tenetur causam illam tollere vel non ponere; et qui utitur iure suo, non dicitur causa effectus non intenti et per accidens sequuti, imo in tali casu videtur magis pati quam agere. A fortiori, non imputatur effectus sequens ex causa, alias honesta et licita, ut pollutio quae oritur ex equitatione, vel cibo et potu moderato; tunc enim effectus non intentus est per accidens, et secundum s. Th.[1] non est imputabilis. 3. Nec facile confessarius credere debet poenitenti qui se excusat peierasse, blasphemasse, vel verba obscoena protulisse sine advertentia et involuntaria tamquam ex habitu: nam si habitum illum extirpare non studuerit aliqua adhibendo remedia, tunc est voluntarius in causa dum peierat, blasphemat etc. et ideo non excusatur a culpa: secus vero si adhibitis diligentiis inadvertenter blasphemat, in obscoena prorumpit, et similia agit. Nunc progrediamur oportet ad causas quae involuntarium causant, ut sunt vis, metus, concupiscentia et ignorantia. Sit igitur

(1) Loc. c. (2) Eth. 3. c. 1.

§. 2. *De violentia et metu.*

XV. Violentum definitur id *quod est a principio extrinseco, repugnante eo qui vim patitur.* Ita communiter dd. Damasc. Nyssen. s. Th. et Arist.[2]. Hinc infertur quod ad naturam violenti duo requiruntur: 1. Quod sit a principio extrinseco. 2. Quod patiens resistat pro viribus etiam positive, et contrarie agenti extrinseco. Non enim sufficit quod negative se gerat: alioquin iustificatio parvulorum esset violenta. Colligitur ex s. Thom.[3] qui ait: *Cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati.*

XVI. Violentia alia est quae dicitur *simpliciter et absoluta;* alia *secundum quid.* Prima est quando quis omni quo potest modo resistit. Altera est cum pro viribus non resistit.

XVII. Dico primo quod violentia *absoluta et simpliciter* dicta causat involuntarium. Ratio est quia quando voluntas patientis resistit agenti extrinseco omnimoda resistentia, tunc actio agentis erit nulla ratione volita a patiente, quia erit contra omnem illius voluntatis inclinationem, et per consequens simpliciter involuntaria. Id docet s. Thom.[4].

Hinc deducitur, foeminam quae omnimode resistit violentiae quae illi infertur contra virginitatem, non peccare etiam si stuprum patiatur invita. Hinc illud August.[5] loquentis de mulieribus christianis quae, Roma a gothis capta, vim perpessae fuerant: *Quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit* (ait) *quod sine peccato proprio non valeat evitari, praeter culpam fit patientis.* I-

(3) 1. 2. q. 6. a. 5. ad 2. (4) Loc. c.
(5) L. de civ. Dei c. 17.

dem dicimus in similibus contingentiis.

XVIII. Dico 2. quod violentia *secundum quid* et *insufficiens*, non tollit, sed dumtaxat minuit voluntarium. Ratio est quia ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii. Et secundum maiorem vel minorem quam adhibuit resistentiam, eius actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis.

XIX. Quaerunt hic theologi utrum voluntati possit inferri violentia. Respondemus breviter, concedendo *quoad actus imperatos*, negando *quoad actus elicitos*. Ita s. Thom. [1] de actibus elicitis loquens. S. Anselm. [2] ait: *Invitus nemo potest velle, quia non potest velle nolens velle.* Neque ipse Deus cogere potest voluntatem quoad actus elicitos: tunc enim voluntas vellet et nollet simul. Vellet enim, ex hypothesi: nollet vero, quia ipsi sibi volenti repugnaret, quod implicat in terminis. Potest tamen Deus mutare voluntatem, et ex nolente facere volentem per gratiam efficacem. Sed tunc non est cogere, sed veteri inclinationi, qua nolebat, novam suppetere inclinationem, qua velit quod antea nolebat. Legatur s. Th. [3] Gonet etc. Nunc de metu.

XX. Metus definitur, *quod sit instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* [4]. Loquimur hic tantum de metu cadente in virum constantem, seu de metu maioris mali, ut ait Labeo [5].

Dividitur metus in *gravem* seu *iustum*, et *levem*. Dicitur levis metus ille qui leve malum timet, vel timet quidem malum grave, sed ex causa levi et improbabili. Metus vero *gravis* dicitur ille qui timet malum grave ex causa valde probabili. Communiter censentur mala gravia: mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, durus carcer, exilium, servitus, magna infamia, proscriptio bonorum, ablatio instrumentorum artis suae, sine quibus non potest victum sibi laborando quaerere etc. In caeteris pensanda est gravitas vel levitas metus; praesertim ob diversam indolem et personarum qualitatem; pueros enim et mulieres vehementer concutit, quod viros ne leviter quidem tangit. Hic loquimur *de eo qui agit ex metu* tamquam causa unice movente ad agendum, non autem de eo qui *agit cum metu concomitante*, qui certe non tollit voluntarium.

XXI. Dico quod metus non causat involuntarium *simpliciter*, sed tantum *secundum quid;* quod idem est ac dicere, quod quae fiunt per metum, sive levem sive gravem, sunt *simpliciter voluntaria*, involuntaria tantum *secundum quid*. Conclusio ex d. Thom. [6] communiter. Ratio potissima est quia illud est voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid, quod hic et nunc et in praesentibus circumstantiis vere volumus; et solum nolumus, quando res consideratur absolute et abstracta a praesentibus circumstantiis. At quae fiunt ex metu sunt huiusmodi. Quae igitur fiunt per metum sunt simpliciter voluntaria, involuntaria tantum secundum quid. Res clare patet in exemplo proiectionis mercium in mare propter imminens naufragium. Mercator enim simpliciter vult illam proiectionem considerando praesentes circumstantias periculi vitae, quod est maius malum necessario vitandum: non vult illam secundum quid, nempe extra casum imminentis naufragii, si illam mercium proiectionem consideramus ut est in se et absolute, quatenus displicet voluntati mercatoris. Legantur s. Th. [7] Gonet Sylv. Cont. Tourn. et philosophi morales hanc materiam tractantes.

XXII. Ex dictis plura colliguntur ad praxim. 1. Contractus qui fiunt ex metu gravi, de iure naturali sunt validi, quia simpliciter voluntarii. 2. Contractus huiusmodi per metum iniuste incussum rescindi possunt, et in irritum revocari ab eo qui passus est iniuriam. Ita Alex. III. [8] Innoc. III. [9]. 3. De iure tamen positivo plurimi contractus

(1) Cit. qu. art. 4. (2) De lib. arbitrio c. 6.
(3) Q. 22. de verit. a. 3. (4) L. ait Praetor ff. quod metus causa gestum erit. (5) L. 5. eod. tit.
(6) 1. 2. q. 6. a. 6. (7) Loc. cit.
(8) C. Abbas tit. de his quae vi etc.
(9) C. ad audientiam

facti per metum gravem iniuste incussum, sunt invalidi et irritati per ecclesiam, aut per legem civilem iustis de causis. Huiusmodi sunt contractus matrimoniales facti per metum gravem iniuste incussum, etiam iuramento firmati [1]. Item dotis promissiones et solutiones similiter extortae: vota et solemnes votorum professiones per metum factae, absolutio excommunicationis, suspensionis aut interdicti per vim et metum extorta [2] et similia.

§. 3. *An concupiscentia tollat aut magis augeat voluntarium.*

XXIII. Nomine concupiscentiae in praesenti intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis, qui tendit in bonum delectabile. Duplex est, *antecedens* et *consequens* consensum voluntatis. Concupiscentia *antecedens* antevertit consensum voluntatis, eamque trahit et inclinat ad agendum; ut cum quis videt pulcherrimam mulierem, allicitur concupiscentia ad illam desiderandam. *Consequens* vero sequitur consensum voluntatis, imo oritur ex praevio voluntatis consensu alicui rei iam praestito, ut cum v. gr. homo ardenter desiderat aliquid, excitatur in eo passio vehemens concupiscentiae. Ita d. Thomas [3] qui adiungit, *non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo.* Idem alibi confirmat [4]. Certissimum nunc est, concupiscentiam consequentem supponere voluntarium magis intensum, neque diminuere, sed magis augere voluntarium et peccatum. Audiatur s. Th. [5]: *Passio.... consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis eius, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.* Circa vero antecedentem has statuimus conclusiones:

XXIV. Conclusio 1. Concupiscentia antecedens non tollit voluntarium, sed potius facit aliquid voluntarium, et auget ratione maioris propensionis: sic in terminis concludit s. Thom. [6]. Ratio quam affert est quod voluntarium importat quamdam inclinationem voluntatis cum aliqua cognitione finis. Per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit: nec omnino offuscatur mens in cognitione rei. Et quia voluntas, quando agit ex concupiscentia fertur maiori inclinatione in obiectum, ideo non solum non tollit, sed etiam auget voluntarium.

XXV. Altera conclusio est quod concupiscentia antecedens minuit voluntarium, ratione cognitionis. Imo aliquando tollit omnino voluntarium, quia aufert omnem omnino cognitionem. Probatur prima pars: quia cognitio finis est essentialiter requisita ad naturam voluntarii, ut pluries dictum est. Contra vero concupiscentia vehemens imminuit hanc cognitionem; impedit enim ne mens illecta ab obiecto sensibili consideret turpitudinem actus et offensam Dei. Hac igitur ratione imminuit voluntarium pro imminutione cognitionis finis. Vide sanctum Thomam [7].

Probatur altera pars, quod aliquando concupiscentia antecedens tollat omnino voluntarium, quia aliquando omne rationis iudicium antevertit et omnem voluntatis consensum. Ita s. Th. affirmat [8] dum ait: *Si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod concupiscentia voluntarium tolleret.* Idem docet alibi [9].

Hinc colligimus quod motus concupiscentiae qui a theologis dicuntur *primo primi*, quippe omnem prorsus voluntatis consensum et libertatem antevertunt, sunt omnino involuntarii et inculpabiles. Motus vero *secundo primi*, qui saltem supponunt semiplenum consensum voluntatis, non tollunt omnino voluntarium, sed tamen minuunt.

(1) Cap. Significavit, de eo qui duxit, cap. Cum locum, cap. Veniens, tit. de sponsalibus.
(2) C. Absolutionis, tit. de his, quae vi in 6.
(3) 1. 2. q. 77. a. 6. (4) Q. 75. a. 6. ad 2.
(5) 1. 2. q. 77. a. 6. (6) 1. 2. q. 6. a. 7.
(7) 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. et q. 10. a. 3. et q. 75. a. 6. et q. 77. a. 6. (8) Cit. q. 6. a. 7. ad 3
(9) Q. 77. a. 7. q. 10. a. 3.

§. 4. *Quaenam ignorantia causet involuntarium.*

XXVI. Ignoratia multiplex est, et dividi solet in ignorantiam simplicis privationis, et ignorantiam pravae dispositionis. Prior est carentia scientiae, cuius quis fuisset capax pro tali tempore et statu, ut si adultus ignoret ea quae noscere potuisset. Secunda est positiva deceptio et error contrarius veritati. 2. Dividitur in ignorantiam iuris et facti. Ignorantia iuris est cum quis legem seu aliquid esse praeceptum aut prohibitum ignorat; v. gr. si quis ignorat in vigilia pentecostes esse praeceptum ieiunium ex consuetudine. Ignorantia facti est si quis nesciat factum ipsum esse prohibitum quod revera non licet: ut si quis ignoret esse carnem quam comedit die ieiunii. 3. Dividitur in *concomitantem*, *consequentem et antecedentem*. Ignorantia *concomitans* est illa qua quis ignorat id quod agit, sed adhuc ageret si non ignoraret. Talis est ignorantia illius qui ignorans occidit hostem putans occidere cervum; tamen si sciret, etiam occideret. Haec ignorantia non est causa actionis, sed tantum per accidens actionem comitatur.

Ignorantia *consequens* dicitur illa quae sequitur determinationem voluntatis, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria, et procedit a libera voluntate. Haec ignorantia consequens subdividitur in *voluntariam directe*, seu *affectatam*, in voluntariam *indirecte*, seu *crassam*, et ignorantiam *malae electionis*. Prima est illa qua voluntas directe vult ipsam ignorantiam; ut cum aliquis vult ignorare, vel ut excusationem peccati iam commissi habeat, vel ut non retrahatur a peccato committendo; iuxta illud Iob. [1]: *Scientiam viarum tuarum nolumus:* et Ps. 35.: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Hac ignorantia laborant ii qui data opera, nec consilium petunt in dubiis, nec conciones et catecheses adeunt, ne in malam fidem incidant et a suo proposito deterreantur. Ignorantia *indirecte voluntaria* seu *crassa* est quando quis non affectat ignorare, sed negligit addiscere ea quae scire potest et debet. Et secundum hunc modum ignorantia universalium iuris, quae quis scire tenetur, dicitur voluntaria, quasi proveniens a negligentia. Tandem ignorantia *malae electionis* est illa quae actu non considerat quod hic et nunc considerare potest et debet, et provenit ex passione vel ex habitu.

Ignorantia *antecedens* est illa quae omnino antecedit consensum voluntatis, ita ut nullo modo sit voluntaria, et tamen est causa volendi id quod alias non vellet si sciret: puta cum aliquis adhibita diligentia interficit hominem, quem credit esse feram. Haec ignorantia appellatur etiam *invincibilis*. De hac tamen ignorantia invincibili, sicut et de ignorantia vincibili hic non loquimur, quia de iis sermonem fecimus in *tract. de leg. n.* 169.

XXVII. Dico 1. quod ignorantia *antecedens* causat *simpliciter* involuntarium, quia nullo modo est volita, et vere invincibilis, quod nulla morali diligentia superari potest, ideoque est inculpabilis. Ita dd. communiter. Utrum vero dari possit ignorantia huiusmodi invincibilis de praeceptis iuris naturalis, saltem de conclusionibus mediatis, *vide tract. de leg.*

XXVIII. Dico 2. quod ignorantia concomitans neque facit *voluntarium* neque *involuntarium* Quia haec ignoranita neque inducit ad volendum neque ad non volendum, neque est causa neque effectus voluntatis operantis, sed per accidens se habet sive ad actum voluntatis, sive ad opus quod agitur. Solum dici potest quod facit non *voluntarium*, non enim esse potest actu volitum quod ignoratum est. Ita s. Th. [2] Sylv. Gonet Cont. Tourn. aliique communiter.

XXIX. Dico 3. quod ignorantia consequens non causat *involuntarium simpliciter*. Quia haec ignorantia est voluntaria, et habet voluntatem pro causa, non igitur dici potest *involuntaria simpliciter*, sed saltem causat *involuntarium secundum quid*, ut ait s. Th. [3].

(1) C. 21 v. 14.

(2) 1. 2. q. 6. a. 8.

(3) Loc. c.

Nam si operans sciret esse malum actum illum ad quem ex passione inducitur, certe non vellet illum facere.

ART. III. De libero seu libertate actuum humanorum.

XXX. Actum liberum vocamus eum vel qui nullo cogente fit, vel qui omitti potest ad libitum. Duplicem enim libertatem distinguere solent theologi in actibus humanis, nempe *libertatem a coactione* seu *spontaneitatis*, et libertatem *a necessitate intrinseca seu naturali;* quae vocatur etiam electionis, indifferentiae et arbitrii. Libertas *a coactione* est immunitas ab omni violentia contra voluntatis inclinationem illata. Hac libertate beati Deum amant, et nos bonum in communi. Hinc est quod omnis actus voluntatis est liber a coactione.

Libertas vero *a necessitate* est ea quae omnem necessitatem excludit, sive interiorem et naturae, sive exteriorem et coactionis. Hoc modo dicitur liber qui potest agere vel non agere, eligere vel non eligere. Hinc definitur liberum arbitrium quod sit *vis electiva, seu facultas eligendi unum prae alio.*

Libertas a necessitate subdividitur in libertatem *contradictionis*, qua quis potest agere vel non agere: in libertatem *contrarietatis*, qua nempe potest agere vel oppositum agere, v. gr. amare et odio habere: et in libertatem *disparitatis*, qua agere potest hoc vel aliud, sed non oppositum, v. gr. scribere vel ambulare.

XXXI. Libertati opponitur necessitas, quae multiplex est. Alia dicitur *necessitas coactionis* quae idem est ac violentia. Alia *necessitas naturae* seu *naturalis inclinationis*, quae consistit in quadam propensione insita voluntati ab ipsa natura ad aliquod necessario prosequendum vel fugiendum. Coactio est a principio extrinseco, et tollit voluntarium et liberum: *necessitas* vero *naturalis* est a principio intrinseco, et aufert liberum, non voluntarium.

Rursus alia est *necessitas absoluta et antecedens*, quae vel antecedit usum rationis et voluntatis, vel ita consensum exprimit, ut voluntas non possit illum denegare. Alia est *necessitas consequens et hypothetica*, quae sequitur consensum liberum et determinationem voluntatis, et minime laedit liberum arbitrium, v. gr. necesse est me loqui, si iam ad loquendum me determinaverim. Sunt aliae necessitatis divisiones, nempe *specificationis* et *exercitii physicae et moralis*, quarum subtilem inquisitionem ad theologos scholasticos amandamus.

XXXII. Fuerunt olim stoici, astrologi manichaei, wiclefitae, calviniani, lutherani, qui liberum arbitrium vocabant *figmentum in rebus et titulum sine re*, tandem iansenianí, qui evertere conati sunt hominis libertatem seu liberum arbitrium, omnia tribuentes vel fato vel cuidam siderum influxui, vel gratiae efficienti et concupiscentiae, non sine incredibili amentia, et fortasse eorum reclamante conscientia et intimo sensu. Quos simul unico anathematis ictu percussit concilium tridentinum [1] innixum scripturae ac ss. patrum luculentissimis testimoniis et ipsi experientiae quotidianae quae rerum est magistra. Nolo ex professo rationes congerere ad tuendam libertatis in homine existentiam, cum supervacaneum sit, in re minime dubia rationes haud necessarias studiose proferre. Satis est dicere quod sublato semel ab homine libero arbitrio, frustra darentur leges, et obiurgationes adhiberentur frustra, nemo vel laude vel vituperatione dignus esset, nec bonis deberentur praemia neque supplicia malis. Id est tam evidens, ut potius verberibus quam verbis convincendus sit quisquis liberum arbitrium negare audeat, aiebant Scotus Vega aliique ex Aristotele. Hinc merito damnata fuit ut haeretica ab Innoc. x. [2] et ab Alex. VII. tertia Iansenii propositio quae negabat necessitatem libertatis indifferentiae ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae. Et a s. Pio v. propositio 67. Baii: *Homo etiam damna-*

(1) Sess. 6. can. 5.

(2) Constit. Cum occasione.

biliter peccat in eo quod necessario facit.

XXXIII. Tres tantummodo subnectimus propositiones ad libertatis materiam pertinentes, quas ignorare religio christiana vetat.

Prima est quod homo etiam post Adae lapsum gaudeat libero arbitrio seu libertate indifferentiae et electionis. Ita Tridentin.[1] contra novatores. Concil constant.[2] ubi damnata fuit haec Wiclefi 27. propositio: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Augustinus[3] scripsit: *Revelavit nobis Deus per scripturas sanctas esse in homine liberum arbitrium, et quisquis negaverit catholicus non est.* Et s. Thomas[4]: *Dicendum quod absque omni dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet. Ad hoc enim fides adstringit... ad hoc manifesta indicia inducunt... ad hoc etiam evidens ratio cogit etc.*

Altera est contra Iansenium definita ab Innoc. x. et Alex. vii. quod ad meritum vel demeritum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate seu indifferentiae, ut supra dictum est.

Tertia propositio est quod essentia libertatis in genere non consistit in solo voluntario, sed requiritur de essentia illius indifferentia contradictionis, seu potestas ad agendum vel non agendum. Ita s. Th.[5]: *Hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit.* Sed non requiritur de essentia libertatis indifferentia contrarietatis, id est potestas faciendi bonum vel malum; ita communis theologorum contra Gonet[6] Mol.[7] etc. qui in nobis viatoribus definiunt libertatem per *potestatem ad contrarie opposita.* Pro nostra sententia stat s. Aug.[8]: *Arbitrium eo potentius erit, quo peccare non poterit.* S. Ansel.[9]: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum.* S. Th.[10] qui ait: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum vel malum, et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest*[11].

(1) Sess. 6. can. 3. (2) Sess. 8. (3) De gratia et lib. arbit. c. 1. (4) Q. 24. de verit. a. 1. (5) 2. dist. 24. q. 1. a. 1. ad 2. (6) Diss. 2 n. 218. (7) Concord. disp. 2. (8) L. 25. de civ. Dei c. ult.

ART. IV. De bonitate et malitia morali actuum humanorum ac de principiis moralitatis.

§. 1. *In quo posita sit malitia vel bonitas actus moralis.*

XXXIV. Circa naturam moralitatis actuum humanorum non conveniunt theologi. Alii enim dicunt sufficere ad constituendam moralitatem, quod actus sit voluntarius, nec requiri libertatem indifferentiae. Ita Gabriel, Almaïnus, Ocham, Maior etc. Alii opinantur moralitatem actus formaliter consistere in libertate, et nanc cum illa confundunt. Ita Franciscus Felix qui Scotum pro se laudat, pluresque patres societatis. Alii, ut Suarez Vasq. Salas etc. asserunt illam esse praecise quamdam extrinsecam denominationem desumptam ab aliqua forma extrinseca. Tandem thomistae sentiunt eam esse quid accidentale superadditum entitati et libertati actus, cuius ratione habet specialem relationem ad bonum vel legem. Nos missas facientes huiusmodi obscuras scholarum loquendi formulas, luculenter dicimus cum communi theologorum quod *bonitas moralis actus humani consistit in quadam conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione et lege*, ita ut ille actus dicatur bonus qui est conformis legi et rationi. Unde s. Aug.[12] ait: *Rectum factum nullo modo esse potest quod non a recta ratione proficiscitur.* Ex adverso malitia moralis actus humani consistit in discrepantia seu difformitate a recta ratione. Dicitur malus actus ille qui non est secundum dictamen rectae rationis sive increatae, quae est lex aeterna, sive creatae, quod est lumen naturale hominis seu participatio legis aeternae secundum s. Thom.[13]. Utraque haec ratio est regula actuum humanorum, ex qua mensura bonitatis vel malitiae actus humani desumitur. Ita Cont. Tourn.[14] et philosophi morales, ut Genuensis[15]

(9) De lib. arb. c. 1. (10) L. c. (11) P. 1. q. 62. (12) De utilit. cred. c. 12. (13) 1. 2. q. 91. a. 2. (14) De act. hum. c. 3. a. 1. sect. 1. Dico 2. (15) De principiis legis naturae c. 15. §. 9.

Purchot. et Antonius Murator.[1] qui Aristippum, Epicurum, Carneadem aliosque veteres philosophos et etiam extra Italiam neotericos quosdam reprobat, qui naturam boni honesti *in sola utilitate* hominis ac reipublicae constituunt; iuxta illud Horatii: *Ipsa quoque utilitas iusti prope mater et aequi.* Docet ille vir clarissimus, naturam boni moralis sitam esse *in conformitate actionis cum legibus ordinis quem Deus ab hominibus exigit pro sui honore et universali felicitate.* Quidquid igitur tendit ad Dei gloriam et veram hominis felicitatem, est conforme ordini a Deo statuto, et per consequens honestum et virtuosum. E contrario iudicandum de malo morali.

XXXV. Hinc infertur 1. quod nullum bonum morale, nullum malum intelligi potest sine respectu ad legem saltem naturalem. Hinc epicurei qui omnes sustulerunt leges, dicebant, iustitiam adinventam esse metu mali physici ac ob vitae utilitatem, ut Lucretius scripsit[2]. Cum vulgo dicitur, quaedam esse prohibita, quia mala, sic recte est intelligendum, quaedam esse per legem positivam vetita, ut repugnantia legi naturali. Nihil enim est intrinsece malum, si non comparatur saltem iuri naturae.

2. Infertur quod libertas est necessarium requisitum ad moralitatem actus. Nam actus humanus et moralis debet procedere a ratione deliberata, proindeque debet esse liber. Ita s. Th.[3]. Sed errant qui constituunt totam moralitatem actus humani in sola libertate. Verum est quod praeexigitur libertas uti fundamentum moralitatis, secus qui omnia fato regi non verentur asserere, debent consequenter dicere, nulla esse peccata; ut Spinoza, qui[4] tribuit phantasiae hominum et superstitioni originem peccatorum moralium. Sed falsum est solam libertatem formaliter constituere bonitatem vel malitiam actus humani sine relatione convenientiae vel disconvenientiae actus cum recta ratione et lege, ut dictum est; ut probat Gonet[5] Cont. Tour.[6] aliique maximi nominis theologi.

§. 2. *Quot et quaenam sint principia moralitatis.*

XXXVI. Theologi vocant principia moralitatis ea, ex quibus fit ut aliqua actio sit bona vel mala vel indifferens.

Tria recensentur huiusmodi principia, nempe *obiectum*, *finis et circumstantiae*. Ut enim actio dicatur bona ex integra causa, oportet ut sit consentanea legi et rectae rationi, tum *ex parte obiecti*, tum *ex parte finis extrinseci* operantis, tum etiam *ex parte circumstantiarum*. Obiectum a quo actus accipit essentialem et primariam moralitatem, est illud circa quod versatur actus moralis, et primo et per se attingitur ab ipso actu: sic res aliena est obiectum furti, Deus est obiectum actus amoris. Tale obiectum non consideratur physice et secundum suam entitatem, secundum quam est semper bonum bonitate entis, sed consideratur moraliter, quatenus convenit vel disconvenit rectae rationi. Si obiectum est intrinsece et natura sua conforme rectae rationi, ut est amor Dei, erit immutabiliter bonum. Sin extrinsece tantum, et vi legis positivae est rationi conforme, uti ieiunium, tunc potest esse aliquando bonum, aliquando vero malum ex circumstantiis.

XXXVII. Primum ergo principium moralitatis est *obiectum*, quod si est bonum vel malum moraliter, dat actui bonitatem vel malitiam essentialem. Ita d. Th.[7]. Ratio d. Thomae ea est, quia sicut in naturalibus prima bonitas rei attenditur ex sua forma quae dat ipsi rei speciem, seu essentiale et specificum, ita prima bonitas actus humani attenditur ex obiecto convenienti in quod primario fertur. Si obiectum sit indecens et inconveniens naturae rationali, ex eo consurgit malitia essentialis actus.

Alii volentes strictiori loquendi formula uti, dicunt, actum humanum desumere suam moralitatem non ab ipso

(1) Phil. mor. c. 23. de bono morali sive honesto. (2) L. 5. (3) 1. 2. q. 18. a. 9. (4) App. prior. eth. part. (5) T. 3. tr. 3. c. 9. de act. hum. (6) Loc. c. (7) 1. 2. q. 18. a. 2.

obiecto, sed a modo tendendi in obiectum, sive rationi consono sive dissono. Ita Cont. Tourn.[1]. Et hoc modo explicant primo odium Dei, quod habet obiectum optimum, et tamen est moraliter pessimum, quia voluntas fertur in Deum omni amore prosequendum modo rationi maxime dissono, scilicet odio habendo.

XXXVIII. Alterum principium moralitatis est *finis*, non intrinsecus operis quod coincidit cum obiecto, sed extrinsecus operantis qui quatenus conveniat vel disconveniat cum regulis morum dicitur bonus vel malus moraliter. Hinc si obiectum sit bonum, finis vero operantis sit malus, actus humanus est totus malus ex malitia finis quae destruit omnem bonitatem. Ratio est quia talis actus est simpliciter malus: improbat enim recta ratio, ut eligatur bonum ob finem pravum. Ita s. Th.[2]: *Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni quod in eo est, malitiam habeat.* Vide Gonet[3] et s. Th.[4]. Si vero obiectum est bonum et finis etiam bonus, tunc actus humanus habet duplicem speciem bonitatis moralis, ut est dare eleemosynam in satisfactionem peccatorum. S. Thom.[5] cum communi theologorum, uno excepto Vasquez. Si vero obiectum sit indifferens, tunc finis bonus facit actum moraliter bonum, ut est ambulare ex obedientia: finis malus facit malum, ut ambulare ad ostensionem luxus. Finis malus facit actum ex malo peiorem, ut furari ad concubinam alendam; et facit ex bono malum, ut eleemosynam dare ad vanam gloriam.

XXXIX. Tertium moralitatis principium sunt *circumstantiae* quae dare solent actui aliam bonitatem vel malitiam accidentalem, quia huiusmodi bonitas vel malitia supervenit actui iam constituto in suo esse in genere moris. Ita s. Thom.[6] cum communi.

Circumstantiae autem sunt, vel *personae*, quae saepe addit novam speciem malitiae; ut si coniugatus vel voto castitatis obstrictus fornicetur: et aliquando solum auget malitiam intra eamdem speciem. Hoc intelligitur tam de persona agente, quam de patiente, ut si percutiantur benefactores. Vel circumstantia *loci*, ut furari in loco sacro, quae speciem mutat, et sic de aliis circumstantiis, temporis, modi, auxiliorum seu instrumentorum quibus actum exequimur, quae, ut de aliis diximus, possunt vel mutare vel augere malitiam, vel notabiliter vel leviter intra eamdem speciem. Nota quod circumstantia leviter mala adveniens actui, non aufert totam eius bonitatem, nec delet omne meritum. Ita communis opinio, quam fuse adstruit Contenson.[7].

Hinc infertur pro praxi quod confessarius debet interrogare poenitentem, qui se accusat furatum esse, de fine intento; nam si intenderit hoc furto ut pecuniam haberet ad fornicandum, tunc erit nova malitia: ita si detraxerit proximo, quaerat an fortasse hac ratione intenderit impedire eum a lucro vel aliqua dignitate consequenda. Ex fine enim intento, ut dictum est, facile mutatur species malitiae.

XL. Quaeritur hic an actus externus addat aliquam bonitatem vel malitiam moralem actui interno. S. Thom.[8] docet cum Gonet Roncaglia Cont. Tourn. quod actus exterior non addit bonitatem vel malitiam moralem intrinsecam et per se, supra actum interiorem, sed gaudet tantum bonitate vel malitia intrinseca desumpta ab actu voluntatis imperante. Probatur auctoritate s. Th.[9] qui ait: *Quod actus exterior nihil adiungit ad praemium essentiale* (consequenter ad bonitatem intrinsecam, quam sequitur praemium essentiale). *Tantum enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud... voluntate aequaliter perfecta manente. Adiungit tamen ali-*

(1) C. 3. art. 2. sect. 1. Unum addam.
(2) 2. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 4.
(3) Man. tr. 3. de act. hum. c. 12.
(4) 1. 2. q. 18. a. 4. et 6.
(5) Q. 18. a. 4. 6. et 7.
(6) Loc. cit. a. 5.
(7) L. 6. diss. 2. c. 2.
(8) L. c. q. 20. a. 4.
(9) In 2 dist. 49. q. 1. a. 5.

quod praemium accidentale. Ut martyres qui revera pro Christo patiuntur, habent praemium accidentale, seu laureolam supra illos, qui aequali caritatis fervore mortem solummodo appetunt pro Christo. Dixi quod actus externus non addit bonitatem vel malitiam moralem *intrinsecam et per se*, supra interiorem : nam per accidens addit, regulariter loquendo, aliquam bonitatem vel malitiam accidentalem. Propterea s. Th.[1] subdit: *Nisi contingat ipsam voluntatem per actum exteriorem fieri secundum se meliorem in bonis, peiorem in malis.* Nam actus externus saepe causa est et occasio ut actus internus fiat peior, vel quia multiplicantur actus interiores, donec exequamur actus extrinsece; vel quia actus interior habet maiorem durationem quousque perficiat opus quod statim perfici non potest; vel quia fit intensior per extrinsecitatem actus. Praeterea per actum externum magis hebetantur sensus, et potentiae exteriores pronioreres redduntur ad malum; scandala pariuntur; aliquando excommunicatio incurritur, vel irregularitas, vel obligatio ad restitutionem, quae per actum interiorem non incurruntur. Scotus tamen[2] et scotistae omnes, ut refert Mastrius, nullum non movent lapidem, ut variis adstruant rationibus, actum externum addere per se aliquid bonitatis vel malitiae actui voluntatis, quia habet intrinsecam bonitatem vel malitiam supra actum interiorem. Videsis Salmant. in hanc quaest. Mastr. aliosque scotistas. Nobis tantum otii non est, ut fusius (eam) expendamus.

ART. V. An detur actus indifferens in individuo.

XLI. Oportet statum quaestionis explicatione terminorum clarius exponere. Actus humanus (de quo solo hic loquimur) dicitur indifferens vel *in specie* vel *in individuo.* Actus indifferens in specie est actus spectatus in genere (abstrahendo a fine et circumstantiis individualibus) *comparate tantum ad objectum suum, quod neque est in se bonum, scilicet rationi consonum, neque malum, id est dissonum rationi, sed indifferens ad utrumque,* ut ambulare, festucam levare, colligere flores etc. quae ex sua specie seu obiecto neque bona sunt neque mala, sed ratione finis aliarumque circumstantiarum honestari possunt vel vitiari. Actus vero indifferens in *individuo est actus consideratus prout est a parte rei secundum suum obiectum, finem et omnes circumstantias individuales*, qui tamen neque bonus sit neque malus, sed indifferens.

XLII. De fide certum est, non omnes actus humanos esse secundum suam speciem seu obiectum indifferentes; sed quosdam esse de se bonos, ut actus fidei, spei et caritatis etc.; quosdam vero de se malos, ut fornicatio, occisio innocentis etc.; sunt enim quaedam obiecta de se rationi consona, sunt etiam alia de se rationi dissona.

XLIII. Certum quoque est dari quosdam actus qui secundum suam speciem sunt indifferentes, quia secundum se neque sunt boni neque mali. Ita s. Th.[3] cum communi. Hinc s. Hieron.[4] scripsit: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.* Huc redit damnatio articuli 16. Ioannis Hus facta in conc. const.[5] affirmantis *quod nulla sint opera indifferentia.* Non potest intelligi de indifferentibus in individuo, quia hoc idem defendunt probabiliter plurimi boni catholici; igitur intelligendum de indifferentibus in *specie.*

XLIV. Ad quaestionem propositam ut respondeamus, dicimus quod non dantur actus indifferentes in individuo. Ita s. Th.[6] et thomistae, Bellarm. Suarez Valentia Durandus[7] Richardus Maior Caietanus Medina Becanus aliique contra Scotum et scotistas, Alensem s. Bonav. Almain. Vasq. etc. Ratio praecipua s. Thomae haec est: *Actus moralis non solum habet bonitatem ex obiecto ... sed etiam ex circumstantiis... Oportet quod quilibet actus individualis habeat aliquam circumstantiam per quam*

(1) L. c. q. 20. a. 2. (2) Quodl. 18. a. 3. (3) L. c. art. 8. (4) Ep. 89. (5) Sess. 15. (6) 1. 2. q. 18. a. 9. (7) In 2. dist. 40 q. 1.

rahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali, si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum. Haec nervose Angelicus.

Praeterea non potest contingere quod aliquis actus singularis ex deliberata voluntate procedens fiat sine circumstantiis: aut igitur illae circumstantiae sunt rectae rationi consentaneae; ita nimirum, ut actus fiat quando, ubi, quomodo et propter quod deceat fieri, et sic est bonus: aut non sunt consentaneae rectae rationi, saltem omnes, sed aliqua deficit, et sic est malus: nullus igitur actus in individuo et secundum omnes circumstantias consideratus potest esse indifferens.

Ad haec homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem. Inquit enim apostolus[1]: *Sive manducatis sive bibitis sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo ad Deum refert saltem per intentionem virtualem, actus erit bonus; si non refert, erit malus: nullus igitur indifferens. Scio adversarios dicere, in verbis apostoli contineri consilium non praeceptum: sed falso, patres enim agnoverunt praeceptum non consilium. Ita Augustinus Caelestinus I. Maximus s. Thom.[2] quos legere est apud Cont. Tourn.[3] ad quem mitto qui fusius hanc quaestionem pertractatam cum adversariorum obiectionibus et responsis studiose quaerit.

Hinc pro praxi colligimus: oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei. Hoc modo omnis actus etiam indifferens in specie fit bonus et virtuosus in individuo. Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum sive operum in bonum honestum; quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis, sed sufficit virtualis, ut diximus: unde quamvis aliquis accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae, sicque non inordinate illam appetit. Hactenus de actibus humanis, eorumque principiis et moralitate.

(1) 1. Cor. 10. 31. (2) Lect. 3. c. 3. ep. ad Coloss.
(3) C. 3. a. 1. sect. 2. de actibus humanis.

TRACTATUS DE PECCATIS

Cap. I. De peccato in genere

Dubium I.

1. *Quid sit peccatum.*
2. *Quae conditiones requiruntur ad peccatum.*
3. *Quid notandum circa* advertentiam *requisitam ad peccandum.*
4. *An ad peccatum mortale requiratur formalis advertentia, vel sufficiat virtualis.*
5. *Quid notandum circa* consensum *requisitum ad peccandum.*
6. *An peccet graviter, qui negative se habet quoad motus inordinatos.*
7. *Quid, si sint motus carnales.*
8. *Quae remedia quoad ipsos.*
9. *An teneamur iis resistere, si adsit causa non resistendi.*
10. *Quomodo, et a quo tempore imputentur peccata omissionis.*
11. *An peccatum veniale sit contra legem divinam.*

1. « Resp. 1. Est trangressio legis, sive (ut ait Toletus) est voluntarius recessus a regula divina; per quam regulam intelligitur praeceptum tam naturale et humanum, quam divinum: *per recessum* intelligitur actus vel eius omissio, qui sit non tantum voluntarius, sed etiam liber cum aliqua actuali advertentia malitiae, quod addo quia, ut docet Sanch.[4] cum Vasq. Bon.[5] etc., non sufficit ad actum peccaminosum

(4) 1. consil. mor. c. 16.
(5) D. 2. q. 1. p. 3. n. 3. et 12.

libertas et advertentia quaevis virtualis vel interpretativa, qua scilicet quis advertere poterat et debebat, nec quaecumque actualis, qua scilicet intellectus rationes commodi et incommodi in obiecto attendat: sed requiritur ut advertat moralem malitiam obiecti, aut saltem de ea dubium vel scrupulum concipiat. Ratio est, tum quia sine ista advertentia non est voluntarium, cum non sit cognitum, tum quia quamdiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non est sufficiens principium deliberandi de malitia, ideoque nec libertas ac proinde nec culpa; et censetur illa inadvertentia naturalis et invincibilis oblivio. Addit tamen Tann.[1] non esse necesse ut consideratio illa maneat actu dum peccatum durat; sed satis esse ut vel actu vel virtute maneat, ita ut cum ea vel actus peccati fuerit inchoatus, vel saltem causa data, ut fit in ebrio, qui peccat, non vi praesentis, sed praeteritae deliberationis. V. Bald.[2]. Verum recentiores communiter docent, talem, v. gr. ebrium, non peccare formaliter quando usu rationis caret; sed malitiam eorum quae tunc fiunt contraxisse ante, dum praevidens malum quod commissurus erat, eius causam dedit: aiuntque, dum quis actu peccat, semper esse ac manere advertentiam aliquam malitiae tenuem vel confusam, ut vide apud scholasticos: nam in ordine ad praxim, parum refert utrolibet modo loquaris.

2. » Resp. 2. ad peccatum requiruntur tres conditiones, ut patet ex prima responsione: 1. Ut sit voluntarium, id est ut fiat a voluntate consentiente. 2. Ut sit liberum, id est ut sit in potestate voluntatis facere vel non. 3. Ut advertatur malitia.

Unde resolves:

1. Defectu primae conditionis, nullus actus qui neque est in, neque a voluntate, est peccatum, nisi voluntas eum acceptet; ideoque nec impedit communionem; sive is sit internus, ut cogitationes contra fidem, blasphemae, obscoenae, motus carnis, etiam usque ad effusionem seminis; sive externus ac violentus, v. gr. stuprum virgini per vim illatum.

» 2. Defectu secundae conditionis, subinde a peccato excusantur vehementissimi motus irae aut concupiscentiae, quibus usus rationis perturbatur et libertas tollitur.

» 3. Defectu tertiae non peccat qui die ieiunii, de praecepto nihil cogitans, coenat vel carnes comedit, etsi advertat eas sibi delectabiles. Item qui lapidem proiicit per fenestram, non advertens periculum laesionis, vel qui contractum usurarium celebrat, non advertens esse talem, Sanch.[3] Reg.[4].

» 4. Damna et eventus (licet alioqui frequentes) ex ebrietate secuti et nullo modo praevisi, inculpabiles sunt: quia nec in se nec in causis sunt liberi. Sunt vero culpabiles si sint praevisi, nec diligentia sufficiens ex praescripto prudentiae sit adhibita ne sequerentur: ea vero adhibita, etsi postea evenient, culpa vacant: uti etiam quando iuxta loci et temporis circumstantias non apparet periculum mali, ideoque nulla cautela est adhibita. Ita Vasq.[5]. Quibus conformiter Less.[6] docet, si negligentia, ebrietatem, aut eventus ex ea sequi solitos praecavendi fuerit tantum venialis; etiam mala quae praevideri poterant, tantum venialia fore; quia, cum non in se, sed tantum in causa sint libera, non possunt habere maiorem culpam quam ipsa causa. »

3. Circa *advertentiam* et *consensum* requisitum ad peccatum, aliqua necessaria adnotemus.

Et 1. circa *advertentiam intellectus* notandum 1. quod modus quo peccatum perficitur, hic est: Primo obiectum repraesentatur sensibus, et sua delectabilitate physica commovet appetitum sensitivum. Deinde intellectus ad illud et ad suam malitiam advertit. Demum voluntas in illud sic cognitum consentit. Notandum 2. quod intellectus duplici modo advertere potest, vel *plene*,

(1) D. 4. de pecc. d. 5. q. 5. d. 5. n. 106.
(2) L. 1. d. 36. (3) L. 1 c. 16. n. 21.
(4) L. 15. n. 75. (5) 1. 2. d. 124. c. 2
(6) Lib. 4. c. 5.

nimirum quando nos mente expedita discernimus; vel *semiplene*, quando rem cognoscimus mente non plene expedita, quia forte sumus vel semidormientes vel semiebrii vel alio distracti. Potest autem intellectus rapi a delectabilitate obiecti oblati, ut nihil malitiae moralis in illo advertat: hinc triplici huic cognitioni correspondent tres motus, videl. 1. *Motus primo primi* qui antevertunt omnem advertentiam rationis, et hi sunt omnino culpae expertes. 2. *Motus secundo primi* qui fiunt cum semiplena advertentia, et hi culpam venialem non excedunt; quia cum in eis non praecesserit plena advertentia, voluntas in eos non consentit cum perfecta libertate requisita ad mortale. 3. *Motus deliberati* denique qui fiunt cum plena advertentia intellectus clare discernentis malitiam moralem, saltem confuse in genere, et cum pleno consensu voluntatis: et hi sunt mortalia, si obiecta sub gravi sunt vetita. Ita communiter s. Thom. [1] Cai. Vasq. Sanchez Azor. Bonac. Navar. etc. cum Salm. [2].

4. His praemissis, quaestio fit an ad peccatum mortale requiratur advertentia actualis et expressa malitiae actus, vel sufficiat virtualis et interpretativa.

Prima sententia quam olim tenuere Cai. [3] ac Med. Lop. Serra Prado et alii apud Salm. [4] atque enixe tuentur Concina [5] Cont. Tour. [6] Angelus Franzoia [7] Antoine et alii recentiores, dicit minime requiri advertentiam actualem, sed satis esse virtualem et interpretativam: quae in hoc consistit, quod homo teneatur et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat; alias (ut aiunt) reputandi essent immunes a culpa omnes scelesti homines qui a suis passionibus aut pravis consuetudinibus obcaecati plura mala patrant ad nihil advertentes.

Secunda vero *sententia* communior affirmat requiri actualem advertentiam malitiae aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi. Et hanc tenent Sylv. [8] Suar. [9] Tap. [10] Sanch. [11] Sayr. [12] Pal. [13] Salas [14] Bon. [15] Salm. [16] tam scholastici quam morales. Gam. [17] Isamb. [18] Du Val [19]; item Vasq. [20] cum Lyrano Tostato Adriano VI. Curiel Victoria Corduba et aliis. Item s. Anton. Wigandt Sainte-Beuve et card. Gotti, quorum loca et verba infra afferentur. Hi dicunt ad omne peccatum mortale requiri aliqualem advertentiam, sive suspicionem malitiae actus, vel in se vel in sua causa, saltem in confuso. Ratio eorum est quia nihil volitum nisi praecognitum; unde nequit ignorantia imputari ad culpam, nisi de malitia obiecti habeatur saltem aliqua confusa apprehensio: ille enim qui nullo modo advertit malitiam suae actionis, vel obligationem advertendi, nullo modo peccat adversus illam agendo.

His positis, meum proferam sensum, et dico quod sistendo intra limites iusti, praefatae sententiae facile conciliari possunt. Nam si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam, hoc utique falsum est; quia multipliciter evenire potest quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.

Primo igitur modo ignorantia fit voluntaria ob negligentiam, ut docet s. Thom. [21] qui regulam praemittit, dicens: *Ignorantia quae est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati.* Deinde subdit ignorantiam posse esse volun-

(1) De malo q. 7. a. 6. (2) Tr. 20. c. 1. p. 1. n. 2. et seqq. (3) 2. 2. q. 86. a. 1. d. 3. (4) Ib. n. 5. (5) Comp. theol. lib. 3. d. 3. c. 2. n. 14. (6) De pecc. c. 4. a. 1. (7) In Bus. lib. 5. c. 2. de pecc. animadv. 1. (8) 1. 2. q. 66. a. 3. q. 3. concl. 2. (9) T. 5. in 4. p. d. 4. sect. 3. ex n. 14.

(10) L. 3. q. 9. a. 5. et 11. (11) Dec. l. 1. c. 16. n. 21. (12) Thes. l. 2. c. 9. n. 11. (13) Tr. 2. d. 1. p. 15. n. 5. (14) Tr. 13. d. 8. sect. 11. n. 37. (15) De cens. d. 1. (16) Schol. tr. 13. d. 13. dub. 1. et mor. tr. 20. c. 14. n. 8. (17) T. 2. p. 194. (18) P. 232. (19) P. 178. (20) 1. 2 q. 123. c. 2. n. 6. (21) 1. 2. q. 76. art. 3.

tariam duobus modis, *vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet: vel indirecte, sicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam et peccatum, dummodo sit eorum quae quis scire tenetur et potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato:* nota, *talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam.* Praeterea nota hic, Angelicum ultimis verbis relatis non dubitare quod bene possit dari invincibilis ignorantia etiam eorum quae quis scire tenetur. Idem scribit alibi [1]: *Ignorantia quae est omnino involuntaria non est peccatum. Et hoc est quod Augustinus dicit:* Non tibi imputantur ad culpam si invitus ignoras, sed si scire neglexeris. *Per hoc autem quod addit,* sed si scire neglexeris, *dat intelligere quod ignorantia habet quod sit peccatum ex negligentia praecedente, quae nihil est aliud quam non applicare animum ad sciendum ea quae quis debet scire.* Eodemque loco[2] ait s. Thomas, quod tum ignorantia reputetur voluntaria, cum homo, *propter laborem addiscendi, vel ne impediatur a peccato quod diligit, scientiam recusat, et sic ignorantia est a voluntate quodammodo imperata.* Hisce igitur locis sanctus doctor minime quippe culpabilem reputat ignorantiam eius qui non advertit, sed eius qui negligit, sive recusat actu quodammodo a voluntate imperato animum applicare ad ea addiscenda quae scire tenetur circa praeceptum quod urget, ut expressius declarat [3] inquiens: *Causa ignorantiae est animum ad discendum non applicare et hoc ipsum non applicare animum ad sciendum id quod quis debet scire, est peccatum omissionis.*

Secundo modo ignorantia fit voluntaria ob passionem quam quis vult deliberate sequi: illi enim qui secundum suam passionem operatur, bene imputabitur omnis pravus effectus tali passioni connexus, licet in particulari non agnoscatur; quia cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus communiter ex illa passione provenientes, qui etsi in particulari non praevidentur, praevidentur saltem in confuso: volens enim aliquam explere passionem, puta vindictam, admittit consequenter saltem in confuso quaecumque perversa media quae ad explendam passionem illam conducunt. Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii in se, sunt tamen voluntarii in sua causa, nimirum in adhaerendo passioni. Ita etiam docet s. Th.[4] qui ignorantiam huius operantis per passionem vocat *ignorantiam malae electionis* dicens: *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius quod quis potest scire et debet; sic enim non agere et non velle, voluntarium dicitur.... Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat quod considerare potest et debet, quae est ignorantia malae electionis, sive ex passione vel ex habitu proveniens.* Idem repetit[5] ubi ait: *Ligatio rationis per passionem non imputatur ad culpam, nisi forte quoad principium talis passionis, quoad fuit voluntarium, poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in tantum procederet.* Praeterea alibi[6] dicit: *Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum.*

Tertio modo ignorantia fit voluntaria ratione pravi habitus; ut etiam habetur ex sancto Thoma [7]; et tunc actus mali qui ex malo habitu proveniunt, sunt pariter voluntarii vel in sua causa, scilicet cum in principio prava consuetudo voluntarie contrahi

(1) De malo q. 3. a. 7. ad 7. (2) Ad 8.
(3) In corp. dict. art. 3. (4) 1. 2. q. 6. a. 8.
(5) In opusc. de malo q. 3. a. 20.
(6) 1. 2. q. 77. a. 7. (7) Cit. 1. 2. q. 6. a. 8.

tur; vel potius, quia, ut sentio cum Antoine et auctore libri cui titulus, *Istruz. dei novelli confessori*, huiusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales; cum enim ipsi parvipendant peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio quae fit in alio habente conscientiam minus depravatam; et hinc evenit quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis quam satis habuerunt antea de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant quod non adverterint: sed cautus confessarius non debet ipsis fidem praestare. Et idem videtur etiam posse dici de operantibus secundum suas pravas passiones, quibus non iam defuit omnis cognitio malitiae suarum culparum, sed cognitio est in eis tam obscura, ut vix discerni possit.

Quarto demum modo ignorantia fit voluntaria et culpabilis, ut dicunt Tannerus [1] Antoine [2] cum s. Antonino, si homo in agendo advertenter negligit adhibere considerationem, quam res agenda meretur: illi enim qui iam advertit (ut recte ait Antoine) aliquid amplius considerandum, et tamen vult praecipitanter operari, merito imputantur omnes errores quos committit.

Contra vero mihi omnino tenendum videtur, si ignorantia nullo ex praedictis modis fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem advertentiam malitiae vel periculi, nec directe nec indirecte, neque in se neque in sua causa, tunc nullo modo imputantur ei errores quos non advertit. Ratio quia ut imputentur alicui effectus cuiusdam causae debet necessario praecedere (saltem in principio) advertentia actualis et expressa malitiae obiecti: advertentia enim interpretativa, ut recte loquuntur Salmant.[3], fundatur super aliquam advertentiam expressam, sicut voluntarium indirectum fundatur super directum. Praeterquam quod advertentia interpretativa supponit obligationem et potentiam advertendi, sed deficiente omni advertentia expressa, non est potentia advertendi, et ideo nec obligatio, cum nulla obligatio liget, nisi prius quodammodo agnoscatur.

Dices: omnis ignorantia in eo qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis et propterea culpabilis. Sed recte respondent Sylv. et Suar., quod ille qui omnino ignorat malitiam obiecti, et adhuc obligationem advertendi, habet quidem potentiam remotam sive physicam ad advertendum, sed caret potentia proxima et expedita quae homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum. *Quis nesciat non esse in hominis potestate quod sciat?* ait s. August.[4]. Unde nequit ipse naturaliter ac humano modo suam vincere ignorantiam. Agnoscet quidem suam actionem qua actio est, sed ignorabit eam qua mala est; sola enim cognitio obiecti in esse physico non est sufficiens principium ad discernendum, nec ad inquirendum obiectum in esse morali, quod equidem prorsus differt a physico. *Quando nulla* (sapienter ait p. Suar.) *talis cognitio in mentem subiit, qua possit voluntas excitari ad quaerendam scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere, et consequenter non potest talis ignorantia homini imputari*[5]. Et hoc est quod docet s. Th. [6] dicens: *Unde propter negligentiam ignorantia eorum quae aliquis scire tenetur, est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam si nesciat ea quae scire non potest: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest.* Studium autem hoc sive diligentia adhibenda ad expellendam ignorantiam, ut recte advertit Sylviûs cum Medina et Richardo [7], non debet esse summa,

(1) T. 2. dub. 4. q. 5. dub. 5. n. 105.
(2) De pecc. c. 4. q. 7. (3) Tr. 20. c. 13. n. 7.
(4) Lib. de spiritu et anima.
(5) In 3. p. t. 5. d. 4. sect. 8. n. 18.
(6) 1. 2. q. 76. a. 2. (7) In 1. 2. q. 76. a. 3. concl 1. et deinde q. 3. concl. 1.

sed sufficit si sit moralis, et taiis quam prudentes communiter adhibere solent in re gravi; superveniente enim dubio, indoctus debet consulere peritos; doctus vero consulere libros, vel cum aliis doctis rem conferre.

Hanc denique sententiam observo communiter teneri ab auctoribus, non solum probabilistis (qui eam non iam ut probabilem, sed *tanquam certissimam apud omnes* agnoscunt; sicut scribit Suarez), at etiam antiprobabilistis, etenim de Sainte-Beuve doctor sorbonicus sic ait: *Si advertatur tantum in actum materialiter sive physice consideratum, et non formaliter seu moraliter, erit tantum volitus actus iste, ut est quid physicum, et non ut est quid morale; ergo non ut malum; et in hoc non erit malitia* [1]. Card. Gotti scribit: *Dico secundo, ad peccatum mortale sufficere advertentiam implicitam seu virtualem malitiae actionis vel eius periculi. Etenim eo ipso quo quis dubitat aut suspicatur de malitia suae actionis vel malitiae periculo, et tamen rei veritatem inquirere negligens, actionem ponere censetur interpretative et ipsam malitiam velle* [2]. P. Wigandt pariter inquit: *Dico 1. Deliberatio seu advertentia est duplex: una est plena et perfecta quae adest quando homo advertit, non solum ad operationem, quoad entitatem naturalem eius, v. gr. ad esum carnium; sed etiam ad eius malitiam aut periculum transgressionis legis: alia est imperfecta etc. Dico 2. Ut aliquid in individuo imputetur ad culpam mortalem, debet adfuisse plena et perfecta deliberatio* [3]. Consentit his s. Antonin. qui ad peccandum mortaliter in delectatione morosa requirit non solum deliberationem, sed etiam animadversionem periculi, his verbis: *Aut ergo manet talis complacentia post sufficientem deliberationem et animadversionem periculi, et tunc est mortale* [4]. Alio loco inquit [5]: *Defectus recti iudicii ad considerationis vitium pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit eo quod contemnit vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit* Consentit etiam Cont. Tourn., qui sic concludit: *Itaque, ut intra veri limites gradum sistamus, existimamus, eum qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri. Sic excusabitur poenitens qui iniunctam poenitentiam prae oblivione non implet. Verum aliter dicendum de actionibus quas eliciunt aut omittunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis servientes, assueti ut nequidem cogitent, se non cogitare* [6]. Sed idem iam nos admisimus. Consentit etiam Antoine qui agens de ignorantia dicit, inadvertentiam sive inconsiderationem esse culpabilem in eo qui debitam diligentiam omittit, vel qui praecipitanter agit iam advertens rem indigere maiori consideratione, vel qui actu positivo vult sequi passionem quae advertentiam impediat. *E contra* (dicit) *si* (inadvertentia) *sit invincibilis in homine habente cognitionem habitualem debitam, est prorsus inculpabilis, et excusat a peccato ea quae ex illa fiunt contra legem; quia malitia actus tunc nullatenus ne interpretative quidem est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio* [7].

Hinc concludendum quod opinio eorum (si forte adsunt) qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia, nec directa nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere: haec opinio nullo modo sustineri potest. Alias sequeretur quod plurimi homines multis mortalibus culpis gravati se invenirent, quin circa illas ullam cognitionem unquam habuerint.

(1) De pecc. d. 5. sect. 1. art. 3.
(2) T. 2. tr. 4. de vitiis q. 1. dub 4. §. 3. n. 11.
(3) Tr. 4. ex. 2. de pecc. n. 50.
(4) P. 2. tit. 5. c. 5.
(5) Ibid. c. 11.
(6) De pecc. c. 4. a. 1. ob. 3.
(7) De pecc. c. 4. q. 7.

Dicent quod homines illi in poenam aliarum culparum, puta ob cupiditates suas non repressas, obligationes proprii status non impletas, caeterasque negligentias, merentur subtractionem lucis, qua alioquin bene advertissent operationum suarum malitiam, et ideo omnes sui errores imputantur ad culpam. Sed ut illatio haec valere posset, prius probanda esset supposita propositio, quae nobis minime probatur; nam ratione aliorum defectuum Deus privabit aliquem sua ulteriori luce, qua tentationibus et passionibus propriis restitisset, nisi defecisset in aliis; itaque subtractio illa efficiet quod talis homo incidat in culpas quas satis advertit ut culpas; sed non efficiet quod ei imputentur errores, quos nullo modo, neque expresse neque in confuso ut culpas agnoscit; quia ubi non est cognitio non est libertas; et ubi non est libertas non est peccatum. Instabunt. Sed s. Thomas [1] dicit: *Si ignorantia causatur a culpa, non potest subsequentem culpam excusare.* At hoc dicimus sane intelligendum de ignorantia voluntaria aliquo ex modis, ut supra ab eodem Angelico explicatis. Praeterquam quod s. doctor loquitur ibi de infidelibus, quibus errantibus in fide, ob eorum certe culpabilem ignorantiam, merito imputantur ad culpam omnia mala quae patrant.

Praeterea, si absque ulla advertentia imputantur homini omnes sui errores, quamvis ipse, debita diligentia iam adhibita, recte operari iudicet, sequeretur quod ad honeste operandum non sufficeret sequi sententias (si sint minus tutae) nec probabiliores nec probabilissimas nec etiam moraliter certas. Sed hoc dici nequit, cum ab Alexandro VIII. damnata sit prop. 3. quae dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Remanet obiectionibus prolixis adversariorum satisfacere, sed nos brevi expediemus. Opponunt 1. illud [2]: *Ignorantia facti non iuris excusat.* Sed huic bene respondet Sylvius [3] id intelligi de statutis forensibus, uti iam explicat Glossa; in foro enim iudiciali post legis promulgationem ignorantia transgressorum ordinarie praesumitur vincibilis; nisi adsit aliqua ratio quae contrarium praesumere faciat [4].

Opponunt 2. quod si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent iudaei crucifigentes Dominum, pagani occidentes martyres, et haeretici innumera crimina perpetrantes. Sed uno verbo his omnibus respondetur, nempe quod horum omnium ignorantia fuit et est omnino crassa. Loquens enim Christus Dominus de iudaeis, dixit: *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* [5]. Idem quippe dicendum de infidelibus et haereticis, quibus ob suam malitiam vel supinam negligentiam omnes sui errores iuste imputantur ad culpam.

Opponunt 3. quod sententia requirens aliquam advertentiam actualem non differt ab ea quae peccatum philosophicum tuebatur a culpa theologica immune. Sed respondetur quod ideo praefata opinio proscripta fuit ab Alexand. VIII., quia ille qui operatur contra rectam rationem, ut supponitur in peccato philosophico, etiamsi non reputet laedere Deum, reipsa iam laedit; offendendo enim naturam rationalem, offendit simul ipsius naturae auctorem. Sed in tali peccato semper requiritur ut homo advertat suam actionem rectae rationi adversari. Quid ergo commune est inter peccatum philosophicum et actionem illam qua quis nullo modo, ne in confuso quidem, advertit esse malam, et forte aliquando bonam reputat? Hoc de advertentia; transeamus ad consensum.

II. De consensu voluntatis.

5. Certum est *peccatum voluntate committi*, ut docent omnes cum s. Aug. et s. Th. [6]. Sed hic praenotandum 1. ad peccatum mortale requiri omnino perfectum consensum sive deliberationem

(1) Lect. 7. in c. 1. epist. ad Rom. (2) Reg. 13. Iur. in 6. (3) 1. 2. q. 76. a. 5. q. 1. concl. 7. (4) C. In tua, tit. Qui matrim. accus. etc. (5) Io. 15. 24. (6) 1. 2. q. 74. a. 1.

voluntatis. Id commune et certum est apud dd. adhuc rigidioris sententiae, ita enim rigidissimus Contensonius [1] Cont. Tourn. [2] Conc. [3] Wigandt [4] Genet. [5] qui ait: *Cum peccatum ex voluntate tantum proveniat, si deliberatio sit imperfecta tantum, peccatum erit tantum veniale.* Ita etiam Nav. [6] qui ait: *Ad constituendum peccatum iudicium integrum requiritur, ex cap. 1. de delict. pueror.* Item Salm. [7] cum Caiet. Vasq. Sanchez Pal. et aliis innumeris, ex d. Th. [8] qui docet: *Potest..... quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus.* Idemque docet s. doctor [9] alibi dicens, tunc pollutionem semidormientis esse mortale, quando est *cum deliberato consensu* advertenter acceptata. Idem d. Anton. [10]. Et rationem clarius explicat Contensonius [11] dicens quod ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio, quia motus nostri in tantum sunt culpabiles in quantum sunt voluntarii; in tantum autem sunt perfecte voluntarii, in quantum sunt deliberati: porro ad peccatum mortale, quod est plena et consummata culpa, requiritur perfectum voluntarium. Praenotandum 2. consensum posse esse expressum sive directum, et implicitum sive indirectum, quando scilicet quis vult causam ex qua necessario oritur effectus; tunc enim si vult causam directe, indirecte vult etiam effectum. Praenotandum 3. quod post advertentiam intellectus triplici modo potest se ferre voluntas erga obiectum malum propositum: 1. positive consentiendo in illud, 2. non consentiendo, nec resistendo, sed tantum negative se habendo, 3. positive resistendo.

6. Hinc oritur magna illa quaestio inter dd. an peccet graviter qui negative se habet, et positive non resistit motui appetitus sensitivi circa obiectum sub mortali prohibitum. Hic praemittendum certum esse de fide, contra novatores, motus sensualitatis sine ullo voluntatis consensu non esse lethales, ex Trid. [12] ubi dicitur: *Concupiscentiam, quam aliquando peccatum apostolus appellat, s. synodus declarat ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat; si quis autem contrarium sentit, anathema sit.* Imo (quidquid dicant Caiet. et Gonet) videtur certum, tales motus ne veniales quidem esse, ex eodem Trid. [13] ubi simul dicitur quod concupiscentia nocere non consentientibus, et viriliter per gratiam Christi repugnantibus non valet: vide Wig. [14]. Hinc pro responsione ad quaesitum tres adsunt sententiae.

Prima cum Val. Less. Vasq. etc. ap. Salm. [15] affirmat peccari graviter, etiam cessante periculo consensus. Ratio istorum, quia voluntas tenetur non solum non consentire, sed etiam resistere motibus inordinatis appetitus sensitivi.

Secunda sententia cum Tamb. et aliis apud Croix [16] dicit talem ne venialiter quidem peccare, remoto periculo consensus; sed hanc sententiam asserunt Salm. [17] communiter reiici; unde merito dicunt cum Croix in praxi nullatenus esse tenendam.

Tertia et vera *sententia* cum s. Th. [18] Sanch. [19] Gers. Pal. Rodr. Gran. et Salmantic. [20] tenet, cessante periculo consensus, esse veniale non resistere positive motibus illicitis, sed non mortale. Idque videtur expresse confirmare s. Th. [21] qui ait: *Peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione.* Ratio igitur est, tum quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate,

(1) Theol. t. 1. p. 164. spec. 3.
(2) De pecc. c. 4. a. 1. (3) T. 10. p. 508. n. 7
(4) Tr. 4. ex. 2. n. 44. (5) Tr. 1. c. 9. de pecc. q. 12.
(6) Sum. c. 15. n. 3. (7) Tr. 20. c. 11. p. 1. n. 5.
(8) 1. 2. q. 88. a. 6. (9) In 4. d. 9. q. 1. a. 4.
(10) P. 2. tit. 6. c. [illegible] (11) Loc. cit.
(12) Sess. 5. n. 5. de pecc. orig. (13) Loc. cit.
(14) T. 4. ex. 2. n. 44. (15) Tr. 20. c. 15. p. 2. n. 15.
(16) L. 5. ex n. 109. (17) Ibid. n. 14.
(18) Q. 15. a. 4. ad 10. (19) Dec. l. 1. c. 2. n. 15.
(20) Loc. cit. n. 15. et 16.
(21) 1. 2. quaest 74. art. 4

quae cum non positive consentit, non committitur mortale. Et ideo committitur veniale, in quantum homo cavere debet ne appetitus trahat post se voluntatem: sed haec obligatio, quando periculum consensus non est proximum, est tantum levis; tum quia, si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos positive repellere, teneremur ad impossibile: impossibile enim est (ut ait Cai.) omnes hos motus collective sumptos positive coercere.

7. Ex his tamen infertur quod quando delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei positive resistere, quia huiusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiae), trahunt secum consensum voluntatis: ita Croix[1] et Busemb. *infra d* 2. *a.* 2. *in fin.* Holzm.[2] Sylv.[3] Cont. Tournely[4] Sporer[5] et Salm.[6] cum communi dd.

8. Notandum autem hic 1. quod ad repellendas tentationes carnales, quoad sensum, valde prodest, ut commotiones compescantur, partes commotas vestibus tegere ac comprimere; ut advertit quidam auctor modernus. Quoad mentem autem praeservandam a consensu, prodest sane cogitatio de passione Iesu Christi, vel de poenis inferni, vel de morte etc. et etiam de cruciatu remorsus quem patitur anima post peccatum patratum. Magis vero necessarium erit in huiusmodi concupiscentiis ad orationem recurrere; castitas enim nonnisi a Deo obtinetur, ut fatetur Salomon[7]: *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det etc.* Et ordinarie Deus non dat nisi petentibus, ex illo s. Ioann.[8]: *Petite et accipietis.* Hinc tentatus auxilium tunc imploret a Domino, a Deipara immaculata, a sanctis puritatis amatoribus, ut a s. Aloisio Gonzaga, a s. Philippo Nerio etc. Prae omnibus autem sufficiet, et erit remedium aptius, quia brevius et facilius, invocare confidenter et pluries veneranda et potentissima nomina Iesu et Mariae. Maxime etiam iuvabit ferventem actum amoris erga Deum elicere, propositum renovando mortem potius subeundi quam peccandi. Sufficit etiam in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc etiam actu sit positive resistere, ut bene advertunt Spor.[9] Cont. Tour.[10] Contens.[11] et Croix[12]. Et si motus sint leves melius erit eos contemnere sine positiva resistentia, Croix[13] cum Bonasp

9. Notandum 2. non esse obligationem motibus carnalibus resistendi positive, si iusta adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. gr. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum et simili. Tunc enim ex una parte causa motuum non tenemur operam relinquere, ut docent dd. communiter cum Spor.[14] Contens.[15] et Salm.[16] Croix[17] Suar. et aliis; et ex alia, neque tenemur tunc motibus positive resistere, si non facile negotium sit illos repellere. Sat est igitur tunc negative se habere cum firmo proposito numquam consentiendi: ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali, etsi non a veniali, si resistentia sit tepida, ut dicunt Tol. Caiet. Lay. etc. cum Salm.[18]. Verum Croix[19] cum Azor. et Sanch. ut certum supponit quod in casu praedicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret iugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, negative se habendo. Et sic facere consulit Cont. Tourn.[20] cum Sylv. his qui sunt timoratae conscientiae.

Hic demum adnotanda sunt aliqua circa peccata omissionum; et notandum 1. cum s. Th. et Salm.[21] ad quodlibet

(1) L. 3. ex n. 109. (2) T. 1. p. 323. (3) 1. 2. q. 74. a. 2. q. 1. (4) De 6. dec. praec. a. 6. dico 2. (5) T. 1. p. 81. n. 14. (6) Ib. n. 14. (7) Sap. 8. 21. (8) C 16 v. 14. (9) P. 82. n. 16. (10) L. c. concl. 3. (11) T. 1. p. 164. spec. 3. (12) L. 3. n. 111. (13) Ibid. (14) De pecc. c. 6. n. 13. (15) L. c. (16) Tr. 20. c. 13. p. 2. n. 20. (17) L. 3. n. 111. (18) Tr. 20. c. 13. p. 2. n. 20. (19) L. 3. (20) Loc. cit. v. Duplici porro. (21) Tr. cit. c. 10. p. 2. n. 11.

peccatum omissionis requiri actum positivum voluntatis; voluntas enim non exercetur nec peccat nisi per actum. Notandum 2. actus omissionem concomitantes, ut ludere, edere, dum v. gr. omittitur sacrum, non esse peccaminosos, nisi sint causa omissionis, puta, cum lusus est causa omittendi sacrum. Ita Salm.[1] Corn. Montes. etc. Tunc autem actus influentes eamdem malitiam omissionis induunt, non vero diversam, ut (contra Suarez Gran. etc.) tenent Cont. Tourn.[2] Lugo Bec. Bon. Az. Fill. et Salm.[3] cum aliis et communi: quare sufficit tunc tantum omissionem confiteri: si vero actio quae est causa omissionis, sit etiam grave peccatum, nempe si quis omittat sacrum ob furandum, tunc furtum potest dici in confessione seorsim ab omissione sacri, quia tunc furtum non est nisi causa aggravans, non autem mutans speciem. Ita Nav. Lugo Diana Leand. cum Salmant.[4] contra Corneio.

10. Notandum 3. quod peccatum omissionis incipit imputari a tempore quo advertenter ponitur illius causa. Ita dicendum cum Sanchez Bonac. Fill. Bec. etc. apud Salmant.[5] contra Sylv. Pal. etc. qui tenent, sed improbabiliter, quod peccatum non committitur, nisi vere sacrum omittatur. Dicendum praeterea quod omissio voluntaria in causa etiam imputatur ad peccatum, etsi voluntas postea non possit operari, puta si quis se inebriet praevidens causa ebrietatis se omissurum missam, tunc tenetur confiteri causam et effectum illius, ebrietatem scil. et omissionem sacri, ut melius dicunt Salm.[6] cum Sot. Sanch. Pal. Led. et aliis communiter (contra Vasq. Bon. Laym. etc.), modo ante effectum sequutum non retractetur voluntas, ut probabiliter docent Sanch. Azor. Vill. et Salm.[7] etc. tunc enim est probabile non teneri confiteri effectum sequutum. *V. dicta l. 4. n.* 149. Ex hoc etiam deducitur quod si effectus accidat post retractationem, non incurritur censura contra peccantes imposita, quia ista requirit contumaciam in actu peccati: *vide dicenda l. 7. num.* 40.

11. Quaeritur hic an peccatum veniale sit contra legem divinam. Negare videtur s. Thom.[8] dicens.... *Non est contra legem.., sed... praeter legem, quia non observat modum rationis quem lex intendit.* Affirmant autem Estius et Vasquez Sot. Med. Azor. apud Salmant.[9]. Et ratio istorum valde urget, quia peccatum veniale revera etiam est a Deo prohibitum, prout Eccli.[10]: *Noli velle mentiri.* Matth.[11]: *Non iurare omnino.* Ergo veniale etiam est contra divinum praeceptum. Et haec est vera sententia, nam, ut bene explicant Salm.[12], distinguit s. Th. substantiam legis et modum legis; quare, licet culpa venialis non sit contra legis substantiam, est tamen contra modum legis observandae, qui modus certe etiam a lege divina praecipitur, quando dissonat a recta ratione. Ideo semper verum est quod peccatum veniale sit contra legem Dei, si non substantialem, saltem (ut ita dicam) modalem.

Hic aliqui agunt de culpa originali et de eius effectu; sed quia haec materia non est praesentis instituti, potes observare scholasticos de ea tractantes.

Super autem censuris circa sententiam spectantem ad conceptionem b. Mariae Virg. *vide dissert. in lib. 7. de censuris ex n.* 244.

Hic tamen notandum quod propositio quae dicebat non esse mortale, nec mereri poenam aeternam *peccatum philosophicum*, nimirum culpa illa quae agnoscitur esse quidem contra rationem, sed non contra legem divinam, his verbis: *Quod in eo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non sit offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum:* haec propositio damnata fuit ab Alex. VIII. Et merito, quoniam qui noverit

(1) Ibid. n. 16. (2) De pecc. p. 2. c. 3.
(3) Ibid. n. 19. (4) Ibid. n. 21.
(5) Loc. cit. p. 3. §. 1. n. 22.
(6) Tr. 2. c. 10. p. 3. §. 2. n 23.
(7) Ibid. n. 29. (8) 1. 2. q. 38. a. 1. ad 1.
(9) Tract. cit. c. 3. p. 1. n. 4.
(10) C. 7. v. 14. (11) C. 5. v. 34.
(12) Loc. cit. n. 6.

opus suum adversari naturae rationabili, sat etiam agnoscit (saltem in confuso) iniuriam quam irrogat Deo qui est auctor naturae.

DUBIUM II. An et quomodo desideria et delectationes sint peccata.

Per desiderium intelligitur voluntas, intentio vel propositum efficax rei malae: per delectationem vero, simplex amor et complacentia obiecti cogitati, fruendo eius dulcedine, absque desiderio executionis, soletque dici morosa; non a mora temporis, cum momento possit perfici; sed quod voluntas, post plenam advertentiam rationis, ei immoretur.

ART. I. Quale peccatum sit desiderium malum.

12. *An desiderium sumat speciem ab actu exteriori.*

13. *An sit peccatum desiderium obiecti mali cum consensu conditionali.*

14. *An delectatio de obiecto malo sit illicita, quamvis consensus sit conditionatus.*

12. » Resp. 1. Desiderium absolutum, sive cogitatio cum voluntate consentiente absolute in peccatum aliquando perpetrandum aut in perpetrato complacente, habet eamdem speciem ac malitiam peccati, mortalem vel venialem, quam habet actus exterior in quem fertur. Est communis et constat ex Matthaeo [1]: *Qui viderit etc.* Ratio est quia actus interior habet suam bonitatem et malitiam ab actu externo, tamquam obiecto. Ita commun.

13. » Resp. 2. Desiderium cum consensu conditionali, quo quis aliquid concupiscit sub tali conditione, quae omnem malitiam obiecti auferat, non est peccatum, saltem mortale: v. gr. vellem praedari, si a Deo mihi permitteretur; si iudex essem malefactorem istum occiderem. Val. [2] Sayr. Sal. [3] Vasquez [4]. Si vero conditio malitiam non auferat, est peccatum: ut v. gr. si cogites, si non esset infernus moecharer, si non essem religiosus fornicarer; si non haberem rationem mei status ulciscerer, occiderem te: item, si id mihi fecisses in adolescentia, vel antequam religionem ingrederer, vindicassem: intellige, si dum haec dicit habeat affectum vindictae sumendae si esset in tali statu; secus enim est, si tantum ostendat quid facturus fuisset in alio statu. Bonac. [5]. Ratio responsionis est quia, etsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte obiecti voliti, in voluntate tamen ponit affectum committendi illud peccatum, praecisa conditione non auferente malitiam; ac proinde talis erit culpa, qualis esset illud amare absque conditione. Cai. Sanch. [6] Vasquez Laym. [7].

Ex quibus resolvuntur hi casus:

» 1. In omnibus solo iure positivo prohibitis, licitum est desiderium cum conditione hac (si prohibitum non esset), v. gr. ederem carnes die veneris, si ecclesia non vetuisset. Ratio est quia conditio omnem malitiam quae a sola prohibitione est, aufert. Azor. [8] Sanchez [9] Vasq. [10].

» 2. Idem valet in prohibitis quidem iure naturali, licitis tamen in aliquo casu aut statu, si id pro conditione apponatur; v. gr. occiderem Petrum si Deus mandaret: suspenderem furem si essem iudex: ducerem uxorem si liceret, si non essem sacerdos, si essem liber a voto: ratio est quia haec sub illo statu sunt licita. Recte tamen monet Sa [11], huiusmodi desideria esse periculosa et vitanda, atque, ut ait Cai. [12], esse fatuas et diabolicas tentationes; iidem [13] et Laym. [14].

» 3. Etsi idem quidam, ut Cai. Sal. et Vasq., universim affirment de omnibus iure naturae et simpliciter prohibitis, si conditio impossibilis apposita tollat rationem peccati ab obiecto: ut si dicas, si non esset peccatum fornicarer, eo quod tunc consensus non videatur ferri in malum: probabilius tamen videtur quod docent Azor. Sanch. et Lay. esse peccatum, eo quod sit intrinsece malum, nec malitia sua (quae in consensum circa tale obiectum traheret, nisi Dei lex arceret) exui possit; idec-

(1) C. 5. v. 28. (2) T. 2. d. 6. q. 4. p. 4.
(3) In t. 2. tr. 13. d. 10. s. 27.
(4) 1. 2. d. 116. c. 2. (5) De matr. q. 4. p. 8. n. 9.
(6) L. 1. mor. c. 2. (7) L. 1. tr. 3. c. 6. n. 10.
(8) L. 4. c. 6. q. 10. (9) L. 1. c. 2.
(10) D. 16. c. 2. (11) V. Peccatum.
(12) Ibid. (13) Ibid.
(14) Lib. 1. t. 3. c. 6. n. 10.

que voluntas feratur in malum. Quod tamen intellige, si efficaciter feratur; quia si tantum sit significatio propensionis naturalis in illud obiectum, non est peccatum. Sanch. [1] Laym. [2]. Card. de Lugo [3].»

Quaeritur igitur an peccet qui optat aliquod obiectum malum sub conditione, si liceret. Distinguendum: Si conditio auferret malitiam obiecti, tunc non peccaret saltem graviter. Hocque accidere potest, non solum in vetitis de iure positivo, prout si diceres; ederem carnes in quadragesima nisi ecclesia prohiberet: sed etiam in vetitis de iure naturali, casu quo obiectum posset esse licitum, nempe dicendo: si Deus permitteret vellem rem illam Titii abripere; nisi essem sacerdos uxorem ducerem et similia; ita cum Bus. ut supra, Sanchez [4] Laym. [5] Spor. [6] et alii communiter. Diximus *saltem graviter*, nam ordinarie huiusmodi desideria non excusantur a veniali, cum communiter sint periculosa aut saltem otiosa. Peccaret vero lethaliter quando conditio non auferret malitiam obiecti, nimirum dicendo: peccarem si non esset infernus; occiderem inimicum si ensem haberem; fornicarer si non essem religiosus etc. Hoc certum est apud omnes: sic etiam pariter dicunt Sanchez [7] Sporer [8] et Laym. [9] cum Adr. et Azor. peccari in talibus desideriis conditionatis, quando malitia nequit seiungi ab obiecto, puta si diceres: si non esset peccatum vellem blasphemare, peierare, moechari, fornicari, ulcisci et similia; quia haec sunt intrinsece mala, et numquam a peccato immunia esse possunt. Unde censet Laym. non excusari a culpa gravi, qui deliberata et efficaci voluntate huiusmodi obiecta desideraret, quamvis sub conditione, si licerent. Verumtamen satis probabiliter sentiunt Bonac. [10] cum Valent. et Suar. Pal.[11] cum Sa Vasq. Sayr. et Salmant.[12] cum Cai. Tap. Salas etc. quod, cum voluntas desiderat aliquod obiectum malum impossibile sub conditione si liceret, numquam efficaciter in illud consentit; quando enim obiectum illud tu optas, dicendo si liceret, et scis non esse nec posse esse licitum, non vere optas, sed tantum tuam propensionem ostendis. Aliud vero esset si optares malum illud obiectum non esse prohibitum, quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturae, ut recte dicunt Salm.[13] cum aliis. Et sic conciliari possunt diversae praefatae sententiae.

14. « Gaudere et delectari de opere malo sub conditione (si liceret), v. gr in praedictis desideriis efficacibus illicitis, quando conditio est possibilis, etsi excusari possit a peccato secundum quosdam dd. si fiat tantum secundum appetitum rationalem, sive voluntatem (secluso omni alio periculo consensus illiciti et turpis motus; qui tamen, quia communiter et connaturaliter sequitur, vix tutum videtur in praxi), non potest tamen excusari, si sit delectatio voluntaria appetitus sensitivi quae proprie delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est quia voluntas potest ferri in obiectum abstractum a malitia, cum sequatur intellectum, cuius est abstrahere; appetitus vero, quia sequitur imaginationem, non fertur in obiectum sub aliqua certa conditione status vel temporis apprehensum, sed ut est in se, ideoque talis delectatio est de obiecto absolute malo. Vide Laym. et Bon. [14].»

Verius tamen dicendum quod adhuc semota delectatione appetitus sensitivi, quaelibet delectatio de obiecto hic et nunc intrinsece malo sit per se illicita, ut tenent Sanch.[15] Az.[16] Salm.[17] Ronc.[18] et Laym. Suar. ap. Croix[19]. Ratio quia (ut bene ait Croix[20]), quamvis consensus sit conditionatus respectu ad obiectum, respectu tamen ad delectationem

(1) L. 1. c. 2. n. 25. (2) L. 1. t. 3. c. 6. n. 11.
(3) D. 16. n. 377. (4) Dec. l. 1. c. 2. n. 24.
(5) L. 1. tr. 3. c. 6. n. 10. (6) T. 1. p. 32. n. 18.
(7) Loc. cit. n. 23. (8) N. 20. (9) N. 11.
(10) De matr. d. 4. n. 8. n. 21. (11) T. 1. tr. 2. d. 3. p. 10. §. 3. n. 4. (12) Tr. 20. c. 13. p. 6. n. 62.
(13) Loc. cit. (14) De matrim. q. 4. p. 8.
(15) Dec. l. 1. c. 2. n. 5. (16) T. 1. l. 4. c. 6. q. 1.
(17) Tr. 20. c. 13. p. 6. n. 61. (18) Tr. 2. c. 3 q. 5. (19) L. 3. n. 32. (20) Ibid.

est absolutus, et cum delectatio reddat obiectum praesens, hic et nunc tale obiectum, cum sit seiunctum a conditione cohonestante, est simpliciter malum; ergo voluntas delectatur de obiecto hic et nunc simpliciter malo, et ideo non potest a peccato excusari. *V. dicenda infra n.* 24. Secus vero dicendum si quis diceret, delectarer de hoc si non esset malum, ut recte aiunt Salmant.[1] cum Az. Pal. et communi.

ART. II. An delectatio morosa sit semper peccatum.

15. *In quo differant desiderium, gaudium et delectatio. Quid si quis delectatur de nupta, sed non qua nupta.*
16. *Quando delectatio sit peccatum.*
17. *In quo differat delectatio de re mala, et delectatio de cogitatione rei malae.*
18. *An sit peccatum delectatio circa modum male operandi.*
19. *An liceat gaudere de effectu bono sequuto ex opere malo.*
20. *Quid si opus fuerit formaliter malum, scil. patratum cum peccato.*
21. *An liceat delectari de malo proximi ad bonum finem.*
22. *An liceat optare mortem filiae, si non posset nubere ob inopiam, etc. Et an liceat optare sibi mortem ad vitandam vitam nimis duram.*
23. *An liceat coniugibus, sponsis et viduis delectari de actu coniugii.*
24. *Quid praesertim de sponsis et viduis.*
25. *An liceat coniugibus delectari de copula, si coniux sit absens.*
26. *Quot peccata committat iactans se de peccato patrato.*
27. *An liceat delectatio de re solo iure positivo prohibita.*
28. *Quid explicandum in delectatione.*
29. *An peccet exercens actionem, ex qua intelligit delectationem carnalem orituram.*

15. Praenotandum ante omnia circa pravas cogitationes, aliud esse *desiderium*, aliud *gaudium* et aliud *delectationem morosam. Desiderium* est voluntatis actus tempus futurum respiciens, quo quis deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem consummare. Et hoc desiderium dicitur *efficax;* quando quis media suscipit ad ducendum illud ad effectum: *inefficax* vero si non proponit exequi, sed consentit, quod exequeretur si posset, cum v. gr. diceret: *Si possem furari thesaurum ecclesiae furarer.* E contrario *gaudium* respicit praeteritum, et est cum quis sibi complacet de malo opere patrato. *Delectatio morosa* denique respicit tempus praesens, et est quando per imaginationem phantasiae quis reddit sibi praesens opus peccati, nempe actum fornicationis, et de illa deliberato consensu delectatur, tamquam actualiter fornicaretur, sine tamen desiderio exequendi. Valde autem probabilis est sententia Lugonis[2] Bon.[3] cum Spor.[4] Lay.[5] Azor.[6] Tamb.[7] Pal.[8] item Vasq. Sayr. Reg. Dian. apud Salm.[9] (qui contradicunt[10] cum Caiet. Less. Sanch. Ronc. etc.), hi tenent, quod si quis delectatur de copula cum nupta, non quia nupta, sed quia muliere pulcra etc. non contrahit malitiam adulterii; circumstantia enim adulterii tunc non intrat in delectationem, idcirco tantum castitas, non iustitia laeditur. Et idem dicit probabiliter Tamb. si quis affectu venereo, sine desiderio, nuptam aspiciat. Hoc tamen non obstante, valde mihi placet id quod ait Holzm.[11] nempe, quod licet ratione delectationis non sit obligatio explicandi circumstantiam adulterii, est tamen in praxi explicanda ratione periculi proximi concupiscendi (saltem inefficaciter) mulierem illam nuptam, in quod se coniicit qui de ea delectatur. Nulli vero dubium committi adulterium, quotiescumque habeatur gaudium seu complacentia de copula habita, vel desiderium de copula habenda cum coniugata, quia tunc voluntas amplectitur totum obiectum pravum cum omnibus suis circumstantiis, nec ab illis praescindere potest, ideoque castitatem et iustitiam laedit. Item si quis delectetur de copula sodomitica. Item si persona quae delectatur sit voto castitatis obstricta, etiam contra votum peccat. Haec sunt certa cum Tamb.[12] apud omnes.

16. « Resp. Si terminetur ad cogitatum opus malum secundum se, est peccatum mortale vel veniale, prout ipsum

(1) Ib. n. 61. (2) De poen. disp. 16. c. 6. n. 347.
(3) De matr. q. 4. p. 3. n. 3. (4) T. 1. p. 34. n. 24.
(5) L. 1. tr. 2. c. 6. n. 15. (6) L. 4. c. 6. q. 3.
(7) Dec. l. 10. c. 3. n. 3.
(8) Tr. 2. d. 2. p. 10. §. 14. n. 2.
(9) Tr. 20. c. 13. p. 4. §. 1. n. 30.
(10) Ibid. n. 31. (11) T. 1. p. 316. n. 693.
(12) Dec. l. 10. c. 3. ex n. 2.

opus mortale vel veniale est. Ita commun. ex d. Th. [1].

17. » Dixi, *secundum se:* quia si delectatio sit tantum de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum, quia sicut cogitatio, v. gr. de rebus obscoenis, in ordine ad docendum vel concionandum etc. bona est; cogitatio autem de iisdem rebus ex curiositate est mala venialiter: ita consequenter delectatio de tali cogitatione tamquam obiecto, non est mala, sed quandoque bona, quandoque venialiter mala. »

Alia igitur est delectatio de opere malo, ita ut opus malum sit obiectum delectationis, quae semper est mala; alia est delectatio de cogitatione obiecti mali, ita ut non opus malum, sed ipsa cogitatio de opere sit per se obiectum delectationis. Et haec vel potest esse bona, si adsit iusta causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis etc. cum abominatione obiecti; vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate etc., vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. Ita s. Thom.[2] qui ait: *Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata..... cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, immo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea praedicare vel disputare etc.* Dicit autem esse mortale, quando *quis cogitans de fornicatione delectatur de ipso actu cogitato.* Et communiter s. doctorem sequuntur s. Ant. Less. Sanch. Bonac. cum Salm. [3].

18. » Similiter nec peccatum erit si delectatio versetur circa modum male operandi, non circa ipsum opus malum: quo modo sine peccato saepe nos delectant fabulae, comoediae, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v. gr. ex equo etc. non secundum se, sed modus furandi, rapiendi, artificiosus et industrius, modus cadendi inopinatus. Laym. [4] (Ita Sanch. Bon. Azor. Pal. et Salm. [5] communiter.).

Unde resolves:

19. » 1. Licitum est gaudere et delectari morose de effectu bono secuto ex opere malo: quia tunc delectatio non est de obiecto malo.

» 2. Si talis effectus sit secutus ex opere secundum se quidem malo, hic tamen et nunc culpa vacante, ut v. gr. quia factum est in somno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non quidem secundum se, sed ut est causa talis boni effectus, docet Less. [6] ex Vasq.[7], v. gr. de solutione naturae facta in somno. Ratio est quia obiectum delectationis istius non est malum. Vide Bon. [8] Sanch. [9] card. Lugo [10]. Imo addunt licere aliquando desiderare (affectu simplici et inefficaci desiderio) ut tale quid fiat sine culpa; v. gr. ut in somno eveniat naturae solutio, ob finem bonum; dummodo desiderium non sit tam intensum, ut tale quid probabiliter causet, neque sit periculum consentiendi in talem voluptatem. Ratio est, aiunt, quia obiectum huius desiderii aut gaudii non est malum. Vide Less. et Bon. [11].»

20. Quaeritur igitur 1. An liceat delectari de opere malo, ob bonum effectum inde secutum. Distingue: Si opus fuerit formaliter malum, nempe quia cum peccato patratum fuit, peccat qui de illo delectatur, etiamsi delectetur de opere malo, non ut peccato, sed ut causa effectus secuti. Ita omnino tenendum cum Sot. Tap. Ronc. et Salmant.[12] contra Vasq. Less. Pal. Bon.[13]). Si vero opus malum patratum fuit sine peccato, sentiunt Less. et Vasq., quibus adhaeret Bus., licitum esse de illo delectari, non per se, sed ut causa boni effectus. Sed verius tenendum est oppositum cum Sanch. [14] Cont. Tournely [15]

(1) 1. 2. q. 74. a. 3. (2) Ibid. (3) Tr. 20. c. 13. p. 3. n. 27. (4) L. 1. t. 3. c. 6. n. 3. (5) Ibid. p. 4. §. 1. n. 39. (6) L. 4. c. 3. n. 105. et 106. (7) 1. 2. d. 115. c. 2. (8) De matr. q. 4. p. 3. (9) L. 1. mor. c. 2. n. 18. (10) De poen. dis. 16. n. 389. (11) L. c. (12) Tr. 20. c. 13. p. 5. §. 1. n. 47. (13) Ibid. (14) Dec. l. 1. c. 2. n. 16. (15) De pecc. p. 1. c. 4. a. 2. q. 5.

cum Azor. Croix [1] Ronc. [2] et Salm. [3]. Ratio quia licet actio non fuerit peccaminosa, fuit tamen obiective mala; et hoc, ut recte notant Salm. [4] Ronc. et Croix, in dubium non videtur amplius revocandum post prop. 15. damnatam ab Innoc. XI. quae dicebat: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* Nec obstat doctrina s. Th. [5] ubi s. doctor dicit: *Si autem placeat* (id est nocturna pollutio, de qua loquitur) *ut naturae exoneratio vel allevatio, peccatum non creditur.* Et eum sequuntur Nav. Less. Sa Sanchez et ipsi Salm. [6] cum communi. Nam recte dicunt Sanchez [7] Salm. [8] et Ronc. [9] intelligendum esse s. Th. loqui de pollutione pure naturali quae naturaliter provenit a natura se exonerante; et ideo cum illa non sit obiective mala, licet sibi complacere, non quidem de delectatione ex ea causata, sed de exoneratione ob illam obtenta. E contrario non licebit delectari de opere obiective malo, nimirum de pollutione nocturna quae evenerit ex tactu seu ex turpi somnio, quia tunc fuisset haec obiective mala. Secus, aiunt Salm.[10] si venerit ex moderato cibo aut ex studio utili etc , quia tunc pollutio etiam esset naturalis et liceret de ea habita delectari, modo absit commotio spirituum. Sed hoc mihi non placet.

In quocumque casu tamen licet, per se loquendo, cuique delectari, non de causa, sed de effectu secuto, nempe de exoneratione causata a pollutione, etiam voluntaria; vel de consecutione haereditatis ob homicidium, modo causa detestetur. Dixi *per se loquendo;* nam huiusmodi delectationes aliquando non carent periculo, ut recte dicunt Roncaglia [11] Salm. [12].

21. Quaer. 2. An liceat delectari de malo proximi ob bonum finem. Praenotandae hic sunt duae prop. damnatae ab eod. Innoc. XI. Prop. 13. dicebat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Prop. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum obventura est pinguis haereditas.* Hae propositiones iuste quidem proscriptae fuerunt, quia secundum caritatis ordinem, vitam proximi cuicumque nostro temporali emolumento praeferre tenemur. Non damnandus tamen qui gaudet de effectu secuto, scil. de haereditate obtenta ex morte alterius, si non gaudet de causa, hoc est de morte: licet materia sit periculosa, ut mox supra diximus cum Salm. et Ronc.

Licitum est autem gaudere de malo proximi, ob maius bonum illius, vel innocentis, nempe si delector de proximi infirmitate, et etiam de morte ut sic desistat a peccatis, a scandalis etc., ut bene aiunt Cont. Tourn. [13] Ronc. [14] cum Bon. Reg. et Salm. [15] cum Navar. Bon. Tol. etc. Idque expresse docet s Thom.[16] qui ait: *Unde, quia caritas ordinem habet, et plus debet diligere quisque se quam alios, et propinquos quam extraneos.... Potest aliquis, salva caritate, optare malum temporale alicui, et gaudere si contingit; non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis vel ecclesiae.* Item scribit s. Greg.: *Evenire plerumque potest ut, non omissa caritate, et inimici nostri ruina laetificet, et rursus eius gloria sine invidiae culpa contristet; cum et, ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo, plerosque iniuste opprimi formidamus* [17]. Hoc tamen semper intelligendum, servato ordine caritatis, nempe

(1) L. 5. n. 91. (2) Tr 2. c 5. q. 4. r 2.
(3) Ibid. §. 2. n. 49 (4) Ibid. n. 50.
(5) In 4. dist. 9. q. 1. a. 4 q. 1 ad 5.
(6) Tr. 20. c. 13. p. 5. §. 2. n. 52. (7) N. 18.
(8) Ibid. n. 53. (9) L. c. (10 Ibid n. 54.
(11) Loc c. resp. 1. (12) Loc. c. §. 1. n. 46.
(13) De carit. sect. 7. punct 2. (14) Ibid.
(15) Tr. 20. c. 13. p. 5. §. 1. n. 43.
(16) 3. sent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4.
(17) Moralium l. 22. c. 22

quando malum quod evitatur praeponderat vel coaequat malum proximo optatum. Sic pariter aliqui opinantur, et adhaerent Salmant.[1] et Ronc. posse patrem optare mortem filii, si timet ex eius flagitiis dehonestandam esse familiam. Licitum est autem gaudere de malo temporali personae privatae ob bonum temporale commune, ut Less.[2] Ronc.[3] cum s. Th. *ut supra* et Salm.[4] cum Tol. etc. Hinc licet etiam gaudere de supplicio malefactoris, ad exemplum aliorum. Et quod dictum est de delectatione, dicendum pariter de desiderio, ut Salm.[5].

22. An liceat sibimet mortem optare ad vitandam vitam nimis duram causa infirmitatis, saevitiae viri, mendicitatis et similium. Negant Salm.[6] cum Nav. Abul. et Reg. Ratio, quia non licet velle mortem ob effugienda aliqua mala minoris momenti. Sed non improbabiliter affirmant Pal.[7] Viva[8] Felix Pot.[9] item Sotus Gran. Sancius et Trull. apud Bus. *lib.* 3. *n.* 30. *vers.* 2. *Licet in fin.* casu quo vita tam molesta aestimaretur durior ipsa morte. An autem liceat matri optare mortem filiae, eo quod filia ob deformitatem vel inopiam nequit nubere, vel quia ob illam mater male tractatur a viro. Affirmant Azor.[10] Pal.[11] et Bon.[12]. Ratio quia tale desiderium non tam est de malo, quam de bono inde secuturo. Sed id recte reiiciunt Salm.[13] et Ronc.[14]. Ratio, tum quia numquam licet ob bonum temporale mortem proximi optare (et de hoc videtur non dubitandum cum Roncagl. post proposit. damn. 13. et 14. supra relatas), tum quia malum matris non praeponderat malo filiae optato.

23. « 3. Non est peccatum, saltem mortale, si coniuges delectentur appetitu tantum rationali de actu coniugii praeterito, futuro, vel possibili, respectu compartis praesentis vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de praeterita. Ratio est quia hi actus habent obiectum licitum.

» Dixi *appetitu rationali;* quia si sponsus aut vidua voluntarie consentiat in delectationem sensitivam et carnalem (quae ex recordatione copulae futurae aut praeteritae naturaliter oritur), mortaliter peccat, ut docent Less.[15] Bonac. Tann. Pal. Vide Diana[16] contra Medin. etc. Quia vero ad supradictam voluntatis oblectationem, sensitiva et carnalis ut plurimum, immo etiam periculum consensus in fornicationem consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua et sponsis; inter coniuges tamen, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitivam et veneream delectationem non esse mortale, docent Fill. Bon.[17] Sanchez Less.[18] et Diana[19]; tum quia status matrimonii haec excusat, uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos; tum quia haec tendunt per se ad opus coniugale, licet per accidens opus non exerceatur. »

24. Duo hic quaeruntur multum scitu necessaria: Quaer. 1. An sponsis et viduis liceat delectatio de copula futura vel praeterita. Respondet Busemb. quod licet ipsis delectari, modo delectentur appetitu rationali, non autem carnali (At recte addit, in praxi vix hoc posse admitti, cum delectatio carnalis ut plurimum rationali adnectatur). Hanc tenent etiam Salmant.[20] cum Navarr. Caiet. Val. Bon. etc. dicentes licere sponsis gaudere non de copula ut praesenti; sed de futuritione copulae. At, etiam secluso periculo delectationis sensitivae, verius dicendum cum Holzm.[21] Ronc.[22] et Sanch. ac Vasquez Azor. Laym. Pal. Diana etc. apud Salmantic.[23] quamcumque delectationem voluntatis in sponsis et viduis de copula futura vel praeterita esse malum,

(1) Ibid. n. 44. (2) L. 2. c. 47. n. 21. (3) Ibid. (4) Cit. n. 44. (5) Ibid. n. 45. (6) Ibid. n. 46. (7) Tr. 6. d. 4. p. 1. n. 11. (8) In prop. 14. Innoc. xi. n. 3. (9) De 1. praec. n. 298 (10) 1. p. l. 3. c. 12. q. 2. (11) Tr. 6. d. 4. p. 1. n. 11. (12) De carit. d. 3. q. 4. p. ult. n. 7. (13) Tr. 20. c. 15. p. 5. §. 1. n. 46. (14) P. 18. q. 4. r. 1 (15) L. c. t. 2. c 6. n. 120. (16) T. 5. misc. r. 2. (17) De matr. q. 4. (18) Loc. c. d. 1. (19) T. 3. misc. r. 36. (20) Tr. 20. c. 15. p. 6. n. 57. et 58. (21) T. 1. p. 548 n. 701. (22) Tr. 2. c. 3. q. 5. (23) Ibid. n. 56.

ratio quia delectatio reddit sibi obiectum praesens: et ideo, semper ac obiectum praesens hic et nunc est malum, cum absit hic et nunc conditio cohonestans matrimonii, mala etiam est omnis actualis delectatio de illo. Aliud dicendum cum Ronc. de desiderio quo sponsus vult copulam futuram; hoc enim licet, quia, cum voluntas fertur in obiectum futurum, potest illud desiderare sub conditione qua obiectum licitum erit. At quia in tali desiderio adest etiam periculum delectationis, idcirco valde hortandi sunt sponsi ut sedulo a se avertant huiusmodi turpes cogitationes.

25. Quaer. 2. An coniugibus liceat delectari de copula, etiamsi alter coniux sit absens. Negant Salm. [1] cum Navarr. Sa Rodriq. etc. ap. Croix [2] quando delectatio habeatur cum commotione spirituum; quia dicunt talem commotionem non esse coniugibus licitam, nisi ordinetur ad copulam. Sed Ronc. et Salm. non congruenter loquuntur, nam ipsimet Salm. admittunt [3] et Roncagl. [4] cum s. Anton. Conc. Diana (et est communis, ut dicemus alibi de *matrim. l.* 6. *n.* 933.) quod tactus impudici (qui certe nequeunt ut plurimum esse sine commotione) inter coniuges, absente periculo pollutionis, sint liciti, saltem non graviter illiciti, etiamsi ob solam voluptatem capiantur et ad copulam minime ordinentur. Ideo aio, cur non est idem dicendum de delectatione? Quare vere probabilem censeo sententiam Bus. quae dicit licitum esse coniugibus delectari, etiam carnaliter de copula habita, vel futura, semper ac absit periculum pollutionis. Ratio est, quia (prout dicunt Salm. [5] loquendo de tactibus impudicis) ipse status matrimonii haec omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimiis scrupulis esset obnoxius. Hanc sententiam tenent, praeter Fill. Bon. Sanch. Less. et Diana cum Busemb. *ut supra* *n.* 23. *in fine*, s. Anton. [6] Caiet. [7] Coninck [8] Croix [9] cum Gerson. Suar. Lay et aliis plurimis; item Vasquez Aversa etc. apud Salm. [10] qui probabilem putant. Et favet d. Th. [11] qui dicit quod coniugibus, sicut copula est licita, ita et delectatio de illa.

26. Ultimo hic notandum cum Salmant. [12] cum Lug. Caiet. Nav. Pal. Dic. etc. quod si quis se iactet de peccato gravi a se vere patrato, debet explicare in confessione etiam speciem peccati; quia tunc communiter iactantiae additur complacentia de peccato facto quae sumit eamdem speciem peccati. Secus autem, si iactantia sit de peccato ficto.

27. « 4. Delectatio morosa, de rebus solo iure positivo prohibitis, non est illicita, modo non fiat sub ratione prohibitionis: v. gr. si carthusianus vel alius die ieiunii se oblectet de cogitato esu carnium, quia non est de opere malo, cum lex tantum vetet comestionem externam. Laym. [13] Less. [14] (Et ita tenendum cum Salmant. [15] Pal. Vasq. Sanch. Less. communiter et Ronc. [16] quidquid dicat Croix [17]. Non licet autem delectari de missa ob oblivionem relicta et simili; quia omissio est obiective mala, ut Ronc. [18] cum Azor. et Sanch.).

28. » 5. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circumstantias operis de quo fuit delectatio: v. gr. in materia irae, an fuerit de occidendo fratre an alio; uno an pluribus; in materia carnis, an de coniugata, moniali, consanguinea. Quod tamen limitant Azor. Sa [19] Salas [20] etc. si delectatio feratur in obiectum apprehensum secundum totam suam malitiam, non autem si tantum secundum partem, v. gr. in foeminam apprehensam ut non suam, non tamen ut alteri nuptam vel ut monialem: tunc enim probabile esse aiunt, delectationes tales reduci ad speciem simplicis forni-

(1) De matr. c. 15. p. 6. n. 90. (2) L. 6. p. 3. n. 337. (3) Ibid. n. 34. (4) Tr. 12. p. 296. q. 6. r. 11. (5) Tr. 9. c. 15. p. 6. n. 34. (6) P. 1. tit. 8. c. 1. §. 6. (7) 1. 2. q. 74. a. 3. ad 4. (8) D. 34. dub. 11 concl. 1. (9) L. 6. p. 3. n. 337.

(10) Ib. n. 89. et 90. (11) Q. 15. de malo a. 2. ad 17. (12) Tr. 20. c. 13. p. 7. n. 65. et 66. (13) L. 1. t. 3. c. 6. n. 9. (14) L. 4. c. 3. d. 15. n. 111. et 115. (15) Ibid. p. 4. §. 2. n. 37. et 38. (16) Tr. 2. c. 13. q. 3. r. 11. (17) L. 5. n. 31. (18) Ibid. q. 3. (19) V. Luxuria. (20) T. 7. tr. 13. d. 16. s. 6. n. 59.

cationis. Ita etiam Filliuc. Less. Bonac. Diana Pal. Vide Lugo[1]. Aliud est de ipso opere externo quod semper fertur in obiectum secundum totam suam malitiam; aut etiam desiderio efficaci quod fertur in opus externum, secundum se, et ut est a parte rei; ac proinde est eiusdem cum illo speciei: ideoque eius circumstantiae semper fatendae sunt. *Vide auct. cit.* (*Vide dicta n.* 15.).

29. » Resp. 2. Si quis sine causa et necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram (v. gr. ex curiositate legit vel audit turpia), tamen sine directa intentione et sine periculo consensus, peccat venialiter; si vero iustam causam habeat, nihil peccat. (*Vide supra in* 6. *praec. l.* 3. *num.* 482. *v.* 6. *Si pollutio*).

» Quaeres, an voluntas delectationem carnalem positive reprimere teneatur.

» Resp. 1. Si voluntas plene eam advertens, negative et permissive se habeat, ita ut nec approbet nec repellat, dummodo id non permittat ex ipsius delectationis complacentia, nec periculum sit ulterioris consensus, probabile est, quod docent Caiet. et Sanch.[2], non peccare mortaliter: tum quia non consentit in delectationem, tum quia moraliter est impossibile omnes illos motus evitare: tum quia ex iusta causa illos licet permittere, etiam secundum adversarios.

» Resp. 2. In praxi tamen verius videtur, quod docent Vasq. Azor. Less. Becan.[3], sine iusta causa eis non resistere, esse mortale: quia fere semper voluntas est exposita periculo consensus; et contrarium credere est nimia sui confidentia et praesumptio. Moderate Laym. utramque sententiam probabilem fatetur, et ait delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiae circa illam elicias: et si efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facile possis et speres te tali modo posse depellere.

(1) D. 16. n. 585. (2) 1. mor. c. 12.
(3) 1. 2. t. 2. q. 5. c. 8. (4) l. 1. t. 3. c. 6. n. 3.

Vide Laym.[4] (*Vide fuse dicta supra hoc puncto l.* 5. *n.* 7.

DUBIUM III. De distinctione peccatorum.

ART. I. Quae peccata distinguantur specie.

30. *Quomodo peccata differant specie quoad materiale, et quomodo quoad formale peccati.*
31. *Ex quotuplici radice desumatur diversitas specierum.*
32. *An peccata specie distinguantur ex oppositione ad virtutes, vel ex diversitate obiectorum.*
33. *An ex praeceptis diversis peccata specie distinguantur.*
34. *An peccatum ex obiecto levius possit excedere gravitatem peccati superioris speciei.*

30. » Resp. Peccata, quoad materiale sive entitatem positivam, specie distinguuntur ex obiectis formalibus et circumstantiis speciem variantibus, quatenus eae obiecti formalis rationem habent; quoad formale autem proxime distinguuntur ab oppositis formis sive rectitudine virtutis, qua privant, remote autem et fundamentaliter ex obiectis. Ita Trull.[5]. Ratio primae partis est quia omnes actus specie distinguuntur ex obiectis, peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundae partis, quia privationes proxime distinguuntur specie a formis, quibus privant, sed peccata formaliter sunt privationes rectitudinum oppositarum. Ratio tertiae partis, quia rectitudo virtutis specificatur proxime ex obiecto: ergo privatio rectitudinis ex eodem remote.

Unde resolves:

» Peccata specie differunt, non tantum quae diversis virtutibus, sed etiam quae eidem opponuntur extreme, ut prodigalitas et avaritia: vel ratione diversae difformitatis, id est, quae adeo diversa ratione et malitia eiusdem virtutis materiam attingunt, ut quantum est ex natura eiusdem peccati, non sit eadem facilitas, moraliter loquendo, neque propensio utrumque peccatum committendi; qualia sunt homicidium, furtum, adulterium, detractio.

31. Docet Trid.[6] circumstantias illas in confessione explicandas esse quae speciem peccati mutant. Hinc quaer. 1.

(5) D. 4. de pecc. d. 1. q. 2.
(6) Sess. 14. c. 5.

ex quotuplici radice desumatur distinctio specifica peccatorum. Resp. cum Bus. et sententia communiori, sumi ex duplici radice, nempe 1. Ex oppositione ad diversas virtutes. 2. Ex diversa difformitate contra eamdem virtutem, prout accidit in periurio et violatione voti, sive blasphemia; licet enim haec peccata sint contra eamdem virtutem religionis, specie tamen sunt diversa. Quoad hanc secundam radicem consentiunt doctores.

32. Sed quoad primam, scil. ex oppositione ad virtutes, quaestio magna est inter s. Th. et Scotum, an distinctio specifica proxime sumatur ab obiectis diversis peccatorum, vel a diversis virtutibus quibus peccata opponuntur. S. Th. [1] Salm. [2] et alii tenent proxime desumi ab obiectis specie diversis. Ratio s. Th. ut ait [3], *quia peccatum non habet speciem ex parte aversionis...*, *sed ex parte conversionis*, *secundum quod est actus quidam*. Scotus vero cum Bus. *hic* et Bec. Val. Bon. tenent distinctionem specificam desumi a virtutibus quibus opponuntur peccata; quia peccatum, formaliter sumptum, consistit in oppositione ad virtutem qua privat. Utraque sententia est probabilis, et utraque revera in idem coincidit, ut bene dicunt Salm. [4]. Sed secunda, distinguendo peccata per oppositiones ad virtutes, planior est et facilior, ut recte fatetur Tapia quamvis thomista. Advertit tamen Ronc. [5] quod, licet peccata commissionis distinguantur ex virtutibus oppositis, ut ipse tenet; peccata vero omissionis omnino distinguuntur per oppositionem ad obiecta, sive ad actus quibus privant; prout omittere sacrum et ieiunium sunt peccata specie diversa contra obedientiam ecclesiae debitam, quia sacrum et ieiunjum sunt obiecta specie diversa.

33. Denique quaer. 2. an ex diversis praeceptis peccata specie distinguantur. Affirmant Nav. Gran. Tann. etc., sed dicendum cum s. Th. [6] Caiet. Val. Az. Laym. Con. Pal. Bon. Ronc. [7] Croix [8] Salm. [9] ex communi, quod si praecepta distinguantur tantum ex parte legislatorum (ut est in furto quod prohibetur lege divina et humana) minime inducunt distinctionem specificam peccatorum; quia diversitas legislatorum non efficit praeceptum esse formaliter diversum, sed tantum materialiter. Secus tamen si praecepta distinguantur ex parte motivi ad prohibendum, quia tunc diversae virtutes laeduntur; prout si quis frangeret ieiunium praeceptum ab ecclesia, et ad quod voto simul ipse se obtrinxerit; tunc enim laederet temperantiam, ex qua ecclesia ieiunium imperat, et religionem, ex qua Deus praecipit vota observari.

Ad agnoscendum vero quandonam leges sint conditae ad diversos fines, dicunt Salm. [10] videndum si praeceptum humanum trahat actum ad specialem aliam virtutem, sive ad oppositionem cum alia speciali virtute. Hinc infertur: 1. Si quis occidit sacerdotem, non solum peccat contra iustitiam, sed etiam contra religionem, ex cuius motivo ecclesia vetat sacerdotis laesionem. Infertur 2. sacerdos beneficiarius omittens officium divinum, committit unum peccatum contra religionem, non autem contra iustitiam, si velit restituere fructus beneficii, quia ex eodem motivo religionis ecclesia praecipit recitationem ei qui est sacerdos et est beneficiarius, qui ex iustitia tenetur tantum non facere fructus suos; ita Azor. Trull. Dian. etc. cum Salm. [11] contra Suar. Laym. et Bonac. *Vide dicta l. 4. n. 145. Qu. 1.*

34. Quaeritur hic 3. an peccatum ex obiecto levius possit ratione circumstantiae excedere gravitatem peccati superioris speciei. Negant Durand. Vasquez et alii; sed affirmat probabilius s. Th. [12] qui ait: *Nihil prohibet peccatum, quod est gravius secundum suum genus, esse minus grave secundum ali-*

(1) 1. 2. q. 72. a. 1. (2) Tr. 20. c. 12. p. 1. n. 1. et 2. (3) Art. 6. ad 2. (4) Cit. n. 2. (5) Tr. 20. de pecc. c. 2. q. 1. (6) 1. 2. q. 72. a. 6. ad 2. (7) Loc. cit. (8) L. 4. n. 47. (9) Ib. p. 2. n. 5. et 6. (10) Tr. 20. c. 12. p. 2. n. 9. (11) Ibid. n. 12. (12) 2. 2. q. 10. a. 3. ad 1.

quas circumstantias. S. doctorem sequuntur p. Concina[1], item Caiet. Suarez Azor. Pal. etc. cum Salmant.[2] et aliis communiter; quia licet regulariter gravius peccatum est illud quod perfectiori virtuti opponitur, ut dicit s. Th.[3], attamen, cum gravitas peccati superioris speciei sit finita, ideo etsi physice non possit excedi a malitia peccati speciei inferioris, potest vero moraliter. Hinc sodomia et bestialitas sunt graviora peccata quam periurium, ut docet s. Th.[4] cum Salm[5]. Et ideo regula praedicta metiendi gravitatem peccati ex oppositione ad superiorem virtutem currit tantum quando peccata sunt maxima contra unamquamque virtutem, non autem quando comparatio fit maximi peccati ad minimum.

An autem circumstantiae speciem tantum aggravantes sint confitendae, nimirum gradus incestus, quantitas furti, tempus durationis peccati. *Vide dicenda de sacr. poen. l. 6. ex n. 467.*

ART. II. Quae peccata distinguantur numero.

35. *Vide omnia quae super hoc puncto dicuntur a* Busemb.
36. *Ex quibus radicibus desumatur distinctio numerica. De prima radice, quae est* multiplicitas actuum moraliter interruptorum.
37. *Et 1. Quomodo interrumpantur* actus interni *circa peccata* cordis.
38. *Quomodo circa peccata* oris et operis.
39. *An malum propositum interrumpatur per diuturnum tempus.*
40. *Quid si tamen voluntas permaneat in aliquo effectu.*
41. *2. Quomodo interrumpantur, aut uniantur* actus externi.
42. *An explicanda omnia media apposita ad peccandum.*
43. *Quid si quis ab initio voluerit tangere, sed postea fornicetur.*
44. *Quid si quis centenis vicibus interpolatim furetur aureum ex intentione ab initio furandi centum. Et quot sacrilegia committat celebrans tres missas in mortali in die Nativitatis Domini.*
45. *De secunda radice,* quae est diversitas obiectorum totalium.
46. *Illationes huius radicis.*
47. *Q. 1. Quot peccata committat qui eodem actu blasphemat 12. apostolos.*
48. *Q. 2. Quot si quis detrahit vel conviciatur aliquem diversis contumeliis.*
49. *Q. 3. Quot si quis detrahit alicui coram pluribus.*
50. *Q. 4. Quot si quis negat plures articulos fidei. Q. 5. Quot si quis optat diversa mala inimico. Q. 6. Quot si confessarius in mortali plures absolvat. Quid si sacerdos pluribus Eucharistiam ministret. Quid si sacerdos proiiciat breviarium in mare, praevidens se reddi impotentem ad recitandum. (De hoc vide dicta l. 4. n. 149).*

35. « Resp. Numero distinguuntur duobus modis: 1. Ex diversis obiectis numero totalibus, non materialiter et physice tantum, sed etiam formaliter et moraliter distinctis. 2. Per interruptionem actuum moralem. Fill.[6].

» Dico *moralem;* quia etsi ad distinctionem numericam physice sufficiat quaevis interruptio, in ordine tamen ad confessionem non multiplicantur, nisi moraliter multi sint, quia, sicut in confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio et distinctio moralis attendi debet.

» Porro actus moraliter interrumpuntur, ita ut nec virtualiter nec interpretative manere censeantur: 1. per contrariam voluntatem et propositum. 2. Per cessationem ab actu voluntariam et liberam. 3. Per cessationem involuntariam et naturalem, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia. Per somnum quidem, quia cum in illo cesset usus rationis, non continuatur actio libera et moralis: per distractionem vero quia per illam prior cogitatio fit involuntaria, ideoque si ad eam redeatur, fit voluntaria et moraliter multiplicatur. Ita Vasq. etc. Quae sententia, etsi in peccatis externis tenenda sit, in internis tamen non habet locum secundum Fill.[7]. Ratio est quia etsi per hanc interruptionem physice actus multiplicetur, non tamen moraliter; quia hoc ipso quod animus involuntarie distrahitur, remanet interpretative prior voluntas, cum non sit retractata aut aliter interrupta. Vide etiam Bald.[8].

Unde resolves:

» 1. Unum numero peccatum committit, qui uno actu odii vel detractionis fertur in 10. homines; qui uno ictu duos occidit; qui uno actu vult omit-

(1) T. 10. p. 324. n. 6. (2) Ibid. p. 4. n. 22.
(3) 1. 2. p. 73. a. 4. (4) 2. 2. q. 154. a. 3.
(5) Ibid. in fin. (6) Tr. 21. c. 8.
(7) Tr. 21. c. 8. n. 517. (8) D. 21. n. 3.

tere officium horarum per mensem, ieiunium per quadragesimam. Quia, etsi haec obiecta physice sint plura, sunt tamen unum moraliter et formaliter, quatenus in uno actu hic et nunc coniunguntur. Ita Nav. Fill. Bon. [1] contra Azor. Vasq. etc. qui satis probabiliter dicunt esse peccata distincta. Verum sive 10. peccata dicas, odisse v. gr. 10. homines, sive unum, parum refert, cum unum hoc illis decem aequivaleat, proindeque obiecti gravitas in confessione exprimenda sit, quippe quae actum in suo esse individuali constituit, ut notant Fill. Bon. Suar. [2].

» 2. Actus voluntatis internus saepius interruptus et repetitus, licet physice sit multiplex, moraliter tamen est unum numero peccatum, in ordine ad confessionem, si consummetur in opere aliquo externo per eum intento et causato, aut etiam in pluribus actibus externis sibi invicem subordinatis ad eundem finem. Hinc v. gr., qui furatur bibliothecam per totam noctem, etsi saepius voluntatem furandi renovet, unum furtum; et qui ad occidendum alium pergens, saepe voluntatem renovat, unum homicidium committit. Ratio est quia est una actio externa, ab internis intenta et causata, in qua internae omnes complentur et moraliter uniuntur. Vide Bald. [3].

» 3. Actiones externae, licet numero distinctae, ad eumdem tamen finem et actum principalem relatae, modo non habeant distinctam ab illo malitiam, non distinguuntur ab ipso fine et actu principali, moraliter loquendo et in ordine ad confessionem. Hinc oscula, tactus, verba impudica etc. copulam carnalem praecedentia, imo etiam comitantia et subsequentia, tanquam complementa et appendices operis, unum numero peccatum sunt, ut docent Navarr. [4] Azorius [5] Filliuc. etc. Ratio est quia sunt vel initia vel partes vel complementa et appendices operis, eiusdem actus humani et obiecti, in quo omnia praedicta moraliter uniuntur.

» Dixi *complementa;* quia si similes actus non sint initia vel partes copulae subsecuturae, aut ex actu praeterito ex natura rei non consequantur, distinguuntur numero, ut v. gr. si quis de fornicatione glorietur: proindeque illi in confessione explicandi sunt separatim, non autem priores, ut docet Suar. [6]. »

36. Ad intelligentiam huius tam difficilis materiae de numerica distinctione peccatorum, circa quam valde dd. laborant, et valde dissentiunt, ut clarius intelligantur omnia quae a Bus. dicta sunt, praenotandum constare ex Trid. non solum in confessione species peccatorum esse explicandas, sed etiam numerum, cum [7] sic doceat: *Si quis dixerit in sacramento poenitentiae necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, anathema sit.* Hinc videndum ex quibus radicibus desumatur distinctio numerica peccatorum. Respondetur desumi ex duabus radicibus, nempe 1. ex *multiplicitate actuum moraliter interruptorum*, et in hoc omnes conveniunt; 2. ex *diversitate obiectorum totalium*, quamvis de hac radice alii dubitent, ut *infra* videbimus *n.* 45. Et 1. loquendo de prima radice, dubium magnum est, quandonam actus voluntatis moraliter interrumpantur. Et hic ad clariorem intelligentiam distinguendi sunt actus *interni* interrupti ab actibus *externis*.

37. Et 1. Quoad actus *internos* distinguere insuper oportet peccata *cordis* a peccatis *oris* et *operis*. Si sunt enim peccata *cordis*, quae interne omnino perficiuntur, ut sunt odia, haereses, delectationes morosae, desideria turpia etc., ista statim ac multiplicantur, interrumpuntur; ita ut tot sint peccata quot sunt actus voluntatis illis consentientis. Ratio quia quoad tales actus, non pendet unus ab alio, et ideo nequeunt moraliter continuari. Ita communiter Suar. Vasq. Azor. Pal. Bonac.

(1) D. 2. q. 4. p. 1.
(2) De poen. d. 22. s. 5. n. 36.
(3) D. 21. n. 4.
(4) C. 6. n. 17.
(5) L. 4. qu. 6.
(6) T. 4. de poen. d. 22. s. 5. n. 26. 27.
(7) Sess. 14. can. 7.

etc. cum Salm. [1] Ronc. [2] p. Concina [3] Cont. Tourn. [4] contra Lugonem [5] Canum, Homobon. etc. apud Tamb. [6] qui dicunt hos actus non interrumpi per somnum, distractionem etc., sed tantum per contrariam voluntatem: et huic opinioni videtur adhaerere Bus. cum Filliuc. *hic vers. Porro, in fine;* et vocat probabilem Tamb. [7] (licet Tamb. dicat semper explicandum esse tempus quo voluntas prava duraverit). Sed hanc opinionem ut falsam reiiciunt Concina ac Vasq. Suar. Diana etc. cum Salmant.[8]; quare opinio Lug. et Cani saltem tamquam dubie probabilis non est tenenda. Et ideo poenitens quidem debet explicare, si potest, quot vicibus in voluntate consensit: si vero non potest, quia pravus animus fuit diuturnus, tunc sufficit fateri tempus in quo cum tali animo perseveraverit, ut dicunt Ronc. et Viva [9] cum Vasq. Merito autem notant 1. Coninck et Lugo ap. Tamb.[10] (licet Tambur. non assentiat) cum Viva [11] et Antoine, quod explicari debet si interruptiones fuerint notabiliter rarae vel frequentes. Notant 2. Tamb. [12] cum Lugo et Viva [13] quod, si plures huiusmodi actus ex eodem impetu concupiscentiae procedant, unum peccatum mortale constituunt, etsi aliquod breve intervallum inter actus intercedat.

38. Hoc currit quoad actus internos circa peccata *cordis*. Quoad actus autem *internos* circa peccata *oris* et *operis*, quae externe consummantur, uti sunt blasphemiae, furta etc., hi actus moraliter interrumpuntur: 1. per retractationem voluntatis. 2. Per liberam cessationem, nimirum, si quis voluntarie et libere cesset a proposito pravo; tunc enim, si iterum redeat ad malam voluntatem, novus actus erit moraliter diversus a primo, cum a primo non procedat; et ideo erit novum peccatum. Ita Bus. Ronc. et Croix. [14].

39. Utrum autem malum propositum interrumpatur per communes interruptiones, ut per somnum, distractionem, comestionem etc. Negat Lugo [15] et adhaeret Tamb.[16] etiamsi magna mora intercedat; sed haec opinio est contra communem, et merito reiicitur, ut ait Croix [17]. E converso probabilis est sententia omnino opposita cum Henno Vasquez Nugn. Diana etc. apud Vivam, qui dicunt actus internos interrumpi per quamlibet distractionem, etiam involuntariam. Sed probabilius videtur dicendum cum Salm. [18] Viva [19] Ronc. [20] quod si intercedat tempus breve, actus non discontinuantur: secus si intercedat tempus diuturnum. Quale autem aestimandum sit tempus diuturnum, Viva dicit annum, Salmant. mensem, Ronc. duos dies, Conc. autem unum; sed ego puto impetum unius actus difficulter posse protrahi (ordinarie loquendo) plus quam ad duos vel tres dies ad summum. Hinc qui perseverat in mala voluntate ultra duos vel tres dies, explicare debet tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa.

40. Notandum tamen quod actus voluntatis, si ex prima voluntate procedant, et moraliter permaneant in aliquo effectu qui conducat ad consummandum peccatum externum, per qualecunque tempus duret prava voluntas, unum solum peccatum constituunt. Hinc infertur 1. quod si quis proponat occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat, et inimicum occidat, unum peccatum committit, licet per multos dies illum quaesierit, et pluries voluntatem repetierit. Ita communiter s. Bonav. Vasq. Cai. Nav. Bonac. etc. cum Salm.[21] et s. Thom.[22]. Ratio (ut docet s. Thom.), quia omnes hi actus *non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur*. In-

(1) Tr. 20. c. 12. p. 3. §. 1. n. 32. (2) Tr. 2. de pecc. c. 2. q. 2. (3) T. 10. p. 326. n. 13. (4) De pecc. p. 1. c. 3. a. 2. Dico 2. (5) D. 16. sect. 14. ex n. 566. (6) Meth. conf. c. 1. §. 3. n. 32. (7) Loc. c. (8) Tr. 20. c. 12. p. 3. §. 1. n. 34. (9) De sacr poenit. q. 3. a. 7. n. 2. (10) N. 33. (11) N. 3. (12) Loc. c. n. 48. (13) D. n. 3. (14) L. 3. n. 170. (15) Dict. d. 16. n. 367. (16) §. 6. n. 33. et 36. (17) L. 3. n. 173. (18) Tr. 20. c. 12. p. 3. §. 1. n. 33. (19) De sacr. poen. q. 3. a. 6. n. 6. (20) Q. 2 (21) Ib. n. 32. (22) 2. dist. 42. q. 1. a. 1.

fertur 2. quod si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper (adhuc per annum) maneat, unum peccatum committit: quia in illa retentione nunquam retractata virtualiter permanet prima voluntas, ut probabiliter dicunt Ronc. [1] Lugo [2] cum Navarr. Gabr. et Tanner. Salm. [3] cum p. Nav. et Trull. item Diana [4] cum Malder. Arag. et Sayro (contra Suarez Vasq. Bon. Tapia etc. apud Salmant: [5] qui tenent interrumpi voluntatem per somnum, distractionem etc. quorum sententia etiam probabilis est). Imo Lugo dicit voluntatem non interrumpi, etiamsi retractatio, sed brevissima, interfuerit voluntatis (*Vide dicta l.* 3. *n.* 683.). Merito tamen censet Diana [6] cum aa. ab ipso citatis, quod si fur redditur impotens ad restituendum, et deinde factus potens, data opportunitate, non restituit, novum peccatum committit. Ratio quia eo casu per illud tempus impotentiae voluntas non restituendi non perseverat in effectu.

41. 2. Quoad actus autem *externos* peccatorum, tunc isti moraliter interrumpuntur quando non subordinantur ad aliquem actum principalem completum, puta cum quis habet plures tactus, sine intentione copulae, vel si pluries percutiat, sine intentione occidendi; vel si pluries furetur partes ex cumulo, sine intentione totum cumulum auferendi; quia tunc quilibet actus habet suam completam malitiam. Ita communiter omnes cum Holzm. [7]. E converso actus externi duobus modis uniuntur, ita ut unum constituant peccatum. *Primo*, si ex eodem impetu procedant, puta cum quis ex eodem impetu pluries percutiat, pluries inhoneste tangat, eumdem sanctum, vel plures dies sanctos blasphemet, pluries aliquem in eadem materia convicietur, vel detrahat, ut recte dicunt Salm. [8] cum Nav. Tap. Less. et Cov. item Concina [9] Viva [10] cum Pal. Dic. Bon. apud Croix [11]. Utrum autem unum peccatum committat, qui una vice plures sanctos blasphemat, aut pluries eodem impetu aliquem contumeliis afficit in diversis materiis; aut confessarius, qui in mortali successive plures absolvit. *Vide infra ex n.* 47. *Quaer.* 1. 2. *et* 6.

Secundo modo actus externi moraliter uniuntur, si ad eiusdem peccati consummationem diriguntur, sicuti diximus supra de actibus internis erga idem peccatum externum repetitis, qui ex prima voluntate procedunt. Hinc si quis ad homicidium patrandum emit arma, viam carpit, quaerit hostem et occidit, unum peccatum committit. Ita etiam si quis ad copulam consummandam praemittit tactus, oscula et sermones, sufficit si confiteatur tantum copulam obtentam. Utrum autem explicandi sint tactus qui statim copulam sequuntur. Adsunt tres sententiae:

Prima absolute affirmat cum Suar. et aliis.

Secunda cum Dic. et Croix [12] negat, si huiusmodi actus intendantur velut complementum prioris voluptatis, secus vero, si in eis tanquam in nova voluptate sistatur.

Haec est quidem probabilis, sed non minus probabilis est *tertia sententia* Busemb. cum Lugo [13] Pal. Nav. Azor. Viva [14] et Salm. [15] qui cum communi dicunt omnes hos actus, sicut et complacentiam de copula habita non esse novum peccatum, si statim post copulam habeantur, et minime ad novam copulam intendantur: quia verosimiliter adhibentur tanquam complementum copulae obtentae.

42. Notandum tamen 1. quod etiam explicanda sunt, tanquam distincta peccata omnia media posita ad peccatum consummandum, si postea peccatum non consummetur, ut ait Viva cum communi [16]. Et hoc non solum si praedicta media per se sint mala, ut sunt tactus et sermones inhonesti; sed etiam si sint indifferentia, ut carpere viam, ascen-

(1) De pecc. q. 2. r. 1. (2) De poen. d. 16. n. 549. (3) Tr. 13. c. 1. p. 14. n. 261. et tr. 20. c. 12 p. 5. §. 1. n. 57. (4) P. 2. tr. 16. r. 27. (5) Cit. n. 57. (6) L. c. (7) T. 1. p. 145. n. 681. (8) Tr. 20. c. 12. p. 5. §. 2. n. 41. (9) T. 10. p. 529. n. 21. (10) De poen. q. 5. a. 6. n. 6. (11) L. 5. n. 179. (12) L. 5. n. 168. (13) De poen. d. 16. n. 553. (14) L. c. n. 6. (15) Tr. 20. c. 12. p. 5. §. 2. n. 45. (16) Ibid. n. 6.

fere domum ad mulierem cognoscendam; parare arma ad homicidium etc. Ita valde probabiliter dicit Viva [1]. Ratio quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed externatur in illis actionibus quae omnes malae deveniunt cum a malitia pravi finis omnes informentur.

43. Notandum 2. quod si quis habens oscula, tactus etc. noluisset ab initio copulam, sed postea ob libidinem auctam copulam perfecerit, non sufficit si tantum copulam confiteatur; tunc enim omnes actus tanquam distincta peccata debent explicari, quia, cum in illis sistitur, quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Ita communiter Cont. Tourn. [2] Less. Dic. cum Croix [3] et Salm. [4] cum Nav. Lugo etc. Et idem dicendum de eo qui animum habuit tantum hostem vulnerandi, et inde ira accensus occidit; is duo peccata committit, ut Salm. [5] cum iisdem.

44. Advertendum etiam cum La Croix [6] et p. Mazz. [7] quod si quis ex intentione furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis ea subripiat, tunc centum peccata committit; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. Tria etiam sacrilegia committit qui in die nativitatis Domini tres missas celebrat in mortali, quia sunt actus de se completi. *Dixi tria sacrilegia*: hoc tamen currit in sententia eorum (ut tenent Spor. [8] et quidam neotericus) qui dicunt celebrare in mortali esse unum sacrilegium, quia actiones celebrantis, licet sint plures, tamen integrant unum ministerium sacrificii. Sed verius dicendum saltem haec esse novem sacrilegia, cum celebrans in mortali in unaquaque missa verius tria sacrilegia committat; et quamvis unum offerat sacrificium, attamen ad illud offerendum plures actiones per se complete sacrilegas operatur, nimirum indigne consecrando, ministrando sibi indigno et indigne sumendo: secus dicendum si post sumptionem sumat particulas superfluas, quia haec ultima sumptio pertinet ad unum sacrificium. Ita Croix [9] cum Viva [10]. Dixi *saltem*, nam iuxta nostram sententiam quatuor sacrilegia committit celebrans in mortali. *V. l.* 6. *n.* 35. *v. Hinc.*

45. Loquendo autem de secunda radice distinctionis numericae, scilicet an peccata multiplicentur ex diversitate obiectorum totalium, celebris est quaestio inter doctores.

Prima sententia negat, et hanc tenent cum Bus. *hic num.* 37. Suar. [11] Lugo [12] Lay. [13] Viva [14] Anac. [15] cum Nav. March. etc. ac Tamb. [16] item Bonac. Fill. Gob. etc. ap. Croix [17], probabilemque putant Vasq. Rodr. etc. ap. Lug. [18]. Diversis autem rationibus praefati aa. hanc sententiam tuentur; nam Suar. Lay. Fill. etc. probant quia in eodem actu entitative uno, non possunt esse plures malitiae numero diversae, cum in eodem subiecto nequeant esse plura accidentia numero distincta. Alia ratione utuntur Lugo et Tamb. dicentes, quod licet in eodem actu possint esse plures malitiae, tamen ex praecepto Trid. tenemur quidem explicare numerum peccatorum, non autem numerum malitiarum.

Secunda vero *sententia* communior quam sequimur et tenent Cont. Tour. [19] Conc. [20] Croix [21] Holzm. [22] ac Salm. [23] cum Azor. Hurt. Vasq. Diana Dicast. et aliis innumeris, docet diversitatem obiectorum totalium bene constituere diversa numero peccata. Ratio 1. quia, sicut actus respiciens plura obiecta, specie diversa, includit plura specie diversa peccata in confessione explicanda, ita actus respiciens plura obiecta, numero diversa, includit plura diversa numero peccata. Ratio 2. quae fortius probat est quia idem actus non solum potest includere plures malitias specie

(1) Ibid. n. 6. (2) De pecc. p. 1. c. 3. a. 2. Colleg. 7. (3) L. 5. n. 169. (4) Cit. n. 45. (5) Ibid. (6) L. 5. n. 170. (7) De consc. c. 2. q. 4. l. Ex fine. (8) De poenit. c. 3. n. 435. (9) Loc. cit. (10) N. 7. (11) In 3. p. d. 22. sect. 5. n. 54. (12) De poen. d. 16. n. 155.

(13) L. 1. tr. 3. c. 3. n. 2. (14) De poen. q. 5. a. 6. n. 9. (15) P. 81. n. 57. (16) Meth. conf. l. 2. c. 1. §. 9. n. 58. (17) L. 5. n. 150. (18) Loc. c. (19) De peccat. p. 1. c. 3. art. 2. Dico 1. (20) T. 10. p. 551. n. 29. (21) L. 5. n. 149.-156. (22) T. 1. p. 142. n. 668. (23) Tr. 2. c. 12. p. 6. n. 61.

diversas, sed etiam numero. Id patet exemplo; si enim coniugatus copulam habet cum coniugata, nemo negat (ut ipse Lugo [1] fatetur) duplicem committere iniustitiam, unam quia violat ius suae uxoris, alteram quia cooperatur ut illa violet ius sui mariti. Ergo cum eodem unico actu bene possunt esse plura peccata numero diversa, contra eamdem virtutem. Obiicit Lugo quod tunc alio modo tendendi coniugatus ille iustitiam laedit, quando violat ius suae uxoris; alio quando cooperatur, ut altera violet ius viri sui, et ideo duo peccata iniustitiae committit. Sed haec responsio non subsistit, nam eadem virtus iustitiae eodem modo, non diverso, quo obligat eum ad servandam fidem suae uxori, obligat etiam ut non cooperetur ne illa frangat fidem suo viro debitam.

Nec obstat ratio Suarii, nempe quod in eodem subiecto nequeunt esse plura accidentia numero distincta. Nam respondetur hoc valere in physicis, non autem in moralibus; in his enim licet actus physice sit unus, moraliter tamen bene potest esse multiplex, quando iuxta prudentum iudicium unicus ille actus aequivalet pluribus, habita ratione ad obiecta totaliter diversa, prout patet exemplo copulae coniugati cum coniugata, et docet d. Th. [2]. Nec etiam obstat ratio Lugonis, nimirum quod in confessione tenemur tantum explicare numerum peccatorum, non autem diversas malitias peccati: nam respondetur, posito quod malitiae in illo actu sint plures, plura etiam esse peccata, cum peccata diversa non sint nisi diversae malitiae.

46. Hinc infertur diversa numero peccata committere 1. eum, qui uno ictu plures homines occidit, vel pluribus detrahit, ut dicunt Cont. Tourn. [3] Concina [4] Bonac. [5] et Salm. [6] cum Vasquez Azor. Henr. etc. (contra Anacl. [7] Tamburin. [8] cum Lugo etc.). Et idem dicendum si quis intendit occidere sive infamare totam familiam; ut tenent Salmant. [9] Cont. Tour. [10] Conc. [11] et Holz. [12] contra Roncag. [13] et Anacl. [14]. Nec obstat dicere, quod familia pro unica persona reputatur [15]. Nam, licet fictione iuris familia una persona dicatur, attamen occisio aut detractio illa, cum uniuscuiusque ius laedat, quod personae illius familiae distincte habent ad vitam aut famam, idcirco diversa peccata constituit. Secus vero esset dicendum, ut bene censent Salm. [16] si quis laederet bona quae possidet aliqua civitas, monasterium, aut capitulum in communi; tunc enim non competit ius individuis in particulari, sed tantum toti communitati, unde unum ius laeditur. 2. Qui unico actu optat ad plures foeminas accedere, contra Tamb. [17] cum Lugo, vel pluries ad eamdem foeminam, contra Less. apud Tambur. [18], tanto magis qui eadem nocte pluries eamdem foeminam cognoscit, ut Salmant. [19] cum aliis communiter, contra Zanardum, quaelibet enim fornicatio habet suum terminum completum. 3. Qui a pluribus furatur, ut Salm. [20] cum Azor. et Molina contra Lugo et Tap. 4. Qui pluribus unica vice scandalum praebet, ut recte ait Cont. Tour. [21] contra Tamb. [22] cum Lugo. 5. Qui unico actu vult per plures dies horas canonicas, vel ieiunium omittere, ut Croix [23] Holz. [24] et Salm. [25] (contra Bus. Lugo etc.). 6. Qui uno actu malum tribus personis desiderat, ut Croix [26] cum Dicast.

47. Quaeritur autem 1. quot peccata committit qui unico actu blasphemat duodecim apostolos. Cont. Tourn. [27] et Concina [28] censent committere duodecim peccata, quia uniuscuiusque apostoli honorem laedit, et quidem probabiliter; sed non est improbabile id quod

(1) N. 241. (2) 2. 2. d. 42. q. 1. art. 1. (3) De peccat. p. 1. c. 3. art. 2. Colliges 1. (4) T. 10. p. 550. n. 23. (5) De sac. d. 5. q. 5. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 16. (6) Tr. 20. c. 12. p. 5. §. 2. n. 42. et 43. (7) P. 81. n. 57. (8) L. cit. n. 61. et 62. (9) Ibid. n. 49. (10) L. cit. (11) N. 28. (12) Pag. 143. n. 671. (13) P. 16. q. 2. r. 2. (14) Loc. cit.

(15) Ex l. 1. ff. Si familia etc. (16) Ibid. n. 51. (17) N. 62. (18) N. 5. (19) Ibid. n. 55. (20) Ibid. n. 44. (21) De praec. dec. c. 1. sect. 7. punct. 1. §. 2. (22) N. 64. (23) L. 5. n. 164. (24) N. 673. (25) Tr. 20. c. 12. p. 5. §. 2. n. 44. (26) N. 153. (27) De pecc. p. 1. c. 3. a. 2. Colliges 3. (28) T. 10. p. 529. n. 21.

sentiunt Anacl. [1] et Salm. [2] cum aliis, nempe quod iste unum committat peccatum, quia cum omnes blasphemiae in sanctos malitiam desumant ex una relatione ad Deum, moraliter loquendo unica iniuria per talem blasphemiam mediate Deo infertur.

48. Quaeritur 2. an committat diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit. Negant Salmant. [3] Lugo [4] cum Caiet. Sa Azor. Reg. et Molina item Bonac. Dic. Diana, etc. ap. Croix [5] dicentes unum committere peccatum, quia licet tales detractiones aut contumeliae materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam famam aut honorem laedunt. Sed probabilius censent plura peccata committere Cont. Tourn. [6] Holzm. [7] Concina [8] et Croix [9] cum Sylv. Nav. etc. Ratio quia laeduntur diversa iura ad famam vel honorem quae alteri competunt; per hoc enim quod aliquis esset diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio. Nec obstat quod is qui aufert plures diversas res alicui, unicum committit furtum, nam tunc unicum laeditur ius quod ille habebat ad bona sua; sed quando aliquis diffamatur in pluribus materiis, plura eius iura laeduntur, iuxta plures respectus quos fama habet ad diversas virtutes, unde plura committuntur peccata. Bene tamen hic advertendum cum Salm. [10] et Concina [11] quod mulierculae et plebeii, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se onerant, unum peccatum committunt. Ratio quia iuxta communem aestimationem hi non laedunt famam et honorem, eo quod ex una parte convicia inter huiusmodi personas non apprehenduntur ut gravia, et ex alia audientes nullam ipsis fidem praestant, putantes illa potius proficisci ex impetu irae, quam ex animo et rei veritate; et ideo tales rixantes ut plurimum excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent.

49. Quaeritur 3. an qui detrahit alicui coram pluribus, plura peccata committat. Affirmant Croix [12] et Holz. [13] quia (ut dicunt) tot iura is laedit, quot sunt personae apud quas alter infamatur. Sed unum tantum peccatum committere censent Lugo [14] Tamb. [15] Azor. [16] et Molina [17]. Ratio quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans, cum ius ad famam sit unicum apud omnes, non autem multiplex; unde cum satis probabilis sit sententia, iuxta dicenda *de poen. l.* 6. *n.* 467. quod non sit obligatio explicandi in confessione circumstantias aggravantes, probabile etiam est in casu proposito non esse obligationem explicandi numerum personarum coram quibus facta est detractio, sed sufficere quod dicatur: *Detraxi coram pluribus.*

50. Quaeritur 4. quot peccata committat qui plures articulos fidei negat. Plura censet Borgia apud Croix [18] quia (ut ait) unusquisque articulus est distinctum fidei obiectum. Sed verius negant [19] Diana et Oviedo. Ratio quia obiectum fidei nequit dici multiplex, cum revera unicum tantum sit, nempe veracitas Dei revelantis, idcirco qui unum fidei articulum negat, non minus est infidelis quam qui omnes negat; et ita contra, qui plures negat articulos, non magis est infidelis quam qui negat unum.

Quaeritur 5. quot peccata committat qui diversa mala optat inimico, puta infamiam, mortem, paupertatem etc.

Prima sententia, quam tenet Lugo [20] cum Val. Turr. Bonac. [21] Diana [22] item Caiet. et Trull. apud Bus. *vide l.* 2. *n.* 30. *v. In confessione*, dicit committere unum specie peccatum, et etiam numero, si mala optentur in eodem impetu; quia peccata odii non sumunt

(1) P. 32. n. 53. (2) Ib. n. 40. (3) Ib. n. 41.
(4) De poen. d. 16. n. 263. (5) L. 5. n. 161.
(6) Loc. cit. Colliges 5. (7) N. 674.
(8) T. 10. p. 329. n. 21. (9) Loc. cit.
(10) Tr. 13. c. 4. p. 2. n. 13. (11) Loc. cit.
(12) L. 5. n. 162. (13) T. 1. p. 145. n. 675.
(14) De poen. d. 16. n. 112. (15) Meth. conf. l. 2. c. 9. §. 1. n. 2. (16) L. 13. c. 5. dub. 1.
(17) De iust. tr. 4. dist. 19. n. 3. (18) L. 5. n. 136.
(19) Ibid. (20) De poenit. d. 16. n. 260.
(21) De 1. praec. d. 3. q. 3. p. ult. §. 1. n. 10.
(22) 1. p. tr. 7. r. 30. et 3. p. tr. 4. r. 67.

speciem diversam a diverso malo optato, quando omnia appetuntur sub ratione mali, ut contraria virtuti dilectionis; nulli dubium vero explicandas esse species malorum, si desiderium sit efficax.

Secunda sententia, quam tenent Busemb. *loc. cit.* cum Suar. et Palao ac Salm. [1] cum Bann. Salon. Prado Villal. Soto Filliuc. et Dic. dicit, committere plura peccata, prout sunt species malorum optatorum, si specifice exprimantur; quia desiderium sumit speciem a diverso obiecto desiderato, ut inquit s. Th. [2] dicens: *Si ille qui maledicit velit malum occisionis alterius, desiderium non differt ab homicidio.* Secus si optetur malum in communi, prout si dicat: *Maledictus sis; malum tibi eveniat.*

Tertia tamen *sententia* satis probabilis, quam tenet Croix [3] distinguit et dicit committere unum specie peccatum, casu quo mala illa apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinae inimico optatae; secus si voluntas feratur ad optanda ei illa diversa mala specifice considerata, ut dicunt [4] Sylvius Mol. Bon. etc.

Quaer. 6. an plura sacrilegia committat confessarius qui in mortali successive plures absolvit. Negant Salm. [5] Viva [6] Lugo [7] cum Rodr. item Spor. Gob. Diana etc. apud Croix [8] dicentes unum peccatum committere, quia formaliter unam irreverentiam Deo irrogat; sicut qui plura sacra vasa furatur unum sacrilegium committit. Sed verius Concina [9] Cont. Tour. [10] et Croix [11] cum Bonac. Dic. Escob. et aliis docent tot sacrilegia committere quot absolutiones impertit, quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta. Idem dicit de sacerdote pluribus eucharistiam successive ministrante Croix [12] cum Con. Vasq. Pal. etc. quia singulae communiones sunt singula convivia completa respectu communicantium. Sed probabilius Viva ac Fill. Bus. Diana et alii ap. eumdem Croix [13] (qui etiam id probabile putat) dicunt in hoc unum peccatum committi, cum una sit administratio et ideo unum convivium. *Vide l. 6. n. 35. v. Hinc.* Utrum autem ministrare eucharistiam in mortali sit mortale, *vide dicenda d. n. 35. sub init.*

(1) De rest. c. 4. p. 4. n. 29. (2) 2. 2. q. 76. a. 4. ad 2. (3) L. 5. n. 159. (4) Ibid. (5) Tr. 20. c. 12. p. 5. §. 2. n. 46. (6) De poen. q. 5. a. 6. n. 6. (7) Eod. tit. d. 16. n. 558.

CAP. II. DE PECCATIS IN SPECIE, MORTALI ET VENIALI.

DUBIUM I. Quid sit peccatum mortale et veniale.

51. *Quid mortale et quid veniale?*
52. *Quotuplici modo peccatum potest esse mortale?*
Notabile advertendum pro iis, qui de facili damnant de mortali.

51. « Resp. 1. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam et amicitiam cum Deo solvit; poenamque aeternam meretur. Dicitur mortale, quia spiritualis vitae principium, gratiam scilicet habitualem, tollit, et mortem animae affert.

» Veniale est, quod ob suam levitatem, gratiam et amicitiam non tollit, etsi fervorem caritatis minuat, et temporalem poenam mereatur. Dicitur veniale, quia salvo vitae spiritualis principio, scilicet gratia languorem animae facile curabilem infert, veniamque facile consequitur.

52. » Resp. 2. Mortale peccatum duplex est, aliud est mortale ex genere suo; aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est quod per se laedit caritatem Dei vel proximi quoad personam, res, aut iura, vel nos ipsos corrumpit graviter. Ita Azor. [14] Sanch. [15].

Unde resolves:

» 1. Peccata, contra bonum proprium commissa ut plurimum sunt venialia ex genere suo: ut v. gr. inutilis et vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus et vestitus, nugae, otium, excessus in cibo, potu, somno, risu, usu coniugii, timore, tristitia, appetitu pecuniae, laudis etc.

» 2. Peccata contra virtutes theologicas sunt mortalia ex genere suo; quia nocent bono alicui interno Dei, v. gr. veracitati, misericordiae, caritati. Item

(8) L. 5. n. 171. (9) T. 10. p. 531. n. 27. (10) De pecc. p. 1. c. 3. a. 2. Colliges 4. (11) Loc. c. (12) N. 172. (13) Loc. c. (14) L. 4. c. 9. (15) L. 1. mor. c. 3.

fere omnia quae fiunt contra decalogum; quia quae committuntur contra tria prima praecepta, nocent similiter deitati, scientiae, omnipotentiae divinae, eiusque honori externo vel interno; quae vero contra reliqua praecepta fiunt, nocent personae, bono aut iuri proximi.

» 3. Peccata illa septem quae dicuntur capitalia, non omnia sunt mortalia ex genere suo; quia non omnia graviter Deum aut proximum laedunt, vel nos ipsos corrumpunt.

» Resp. 3. Mortale ex accidente dicitur, cum actus aliquis venialis, aut indifferens fit per accidens mortalis, de quo infra.»

Bene hic advertendum id quod ait Ronc. [1] nempe quod *ubi clarum non est aliquod esse peccatum mortale, non praeceps sit confessarius in iudicando aliquam transgressionem gravem esse, et talis peccati reum suum poenitentem pronuntiare*. Etenim valde periculosum est confessariis damnare aliquid de culpa gravi, ubi certitudo non elucet, ut docuit s. Thomas [2] dicens: *Omnis quaestio in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur*. Et rationem de hac doctrina paulo post adducit, nempe, quia *error quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale*. Quapropter ait s. Antoninus [3]: *Nisi habeatur auctoritas expressa s. scripturae, aut canonis, seu determinationis ecclesiae, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime* (peccatum mortale) *determinatur..... Nam si determinatur quod ibi sit mortale, et non sit mortale, peccabit contra faciens, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam*. Hinc animadvertatur in quale discrimen se immittant illi qui rigidam doctrinam sectantes, facile damnant homines de peccato mortali in iis, in quibus gravis malitia evidenti ratione non apparet, eos sic exponendo periculo damnationis aeternae. et idem dicendum de iis qui de facili notam laxitatis inurunt sententiis quae aperte improbabiles non videntur. *Vide dicta l. 1. n. 89.*

(1) Tr. 2. q. 1. c. 1. reg. 1. in praxi.
(2) Quodlib. 9. art. 15

Dubium II. Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale.

53. *Quae requirantur ad peccatum mortale.*
54. *Ex quibus causis mortale potest fieri veniale.*
Et 1. ex imperfecta advertentia.
55. *2. Ex imperfecto consensu.*
56. *3. Ex parvitate materiae.*
57. *Vide resolutiones.*
58. *Quid si quis vovisset dare ter mille aureos, et tres non solveret.*

53. « Resp. 1. Tria requiruntur ad peccatum mortale, quorum si unum desit, fit veniale, quod alias ex se est mortale: 1. Ex parte intellectus, plena advertentia et deliberatio. 2. Ex parte voluntatis, perfectus consensus. 3. Gravitas materiae saltem ut plurimum. Ratio primae et secundae partis est, quia, spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam bonitatem, aeternis suppliciis punire hominem, absque plena consideratione et consensu. Ratio tertiae partis, quia ubi materia parvi est momenti, ibi moraliter modica offensio esse reputatur ut plurimum.

54. » Resp. 2. Peccatum ex genere suo mortale, tribus ex causis fieri potest veniale, ut patet ex dictis. Prima est, si ex parte intellectus non sit perfecta advertentia malitiae, seu deliberatio. Signa autem imperfectae deliberationis sunt: 1. Si tenuiter et quasi semidormiens apprehendisti esse malum. 2. Si post, ubi melius consideras, iudicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3. Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nesciveris quid ageres (*Vide dicta num. 4.*).

55. » Secunda causa est ex parte voluntatis, si non sit perfectus consensus (Ut docet s. Th.[4]. *Vide dicta super consensu n. 5.*). Signa autem imperfecti consensus sunt: 1. Si ita dispositus fueris, ut, licet facile potueris exequi peccatum, non tamen sis executus. 2. Si quis dubitet num consenserit, praeser-

(3) P. 1. tit. 2. c. 11. §. 23.
(4) 1 2. q. 88. art. 6.

tim si sit vir timoratus. 3. Si quis soleat esse ita affectus, ut malit mori quam expresse mortaliter peccare: quia talis non facile consentit. 4. Si quis valde timide et suspense processisse se meminit. 5. Si semisomnis fuit non plene sui compos, etc. iudicetque se id non fuisse facturum, si plene vigilasset. V. Sanch. [1] Baldell. [2].

56. » Tertia causa ex parte materiae; si haec sit parvi momenti. Quando autem talis sit, discernendum est morali iudicio prudentis, cui sequentes regulae servient: 1. Ut de materia iudicetur, non tantum ipsa secundum se absolute est consideranda, sed etiam respective ad finem intentum, ad quem si parum facit, levis est, gravis autem, si multum, ut docet Vasq. [3] (Regula sit: Non datur parvitas materiae, ubi ob parvitatem non excusatur ratio offensionis, ut accidit in infidelitate, odio Dei, simonia, periurio, re venerea et blasphemia).

» 2. Attendendae sunt circumstantiae, quia saepe fit ut res ex se levis, attentis circumstantiis boni communis, vitandi scandali etc. fiat gravis. 3. An pars aliqua rei praeceptae sit gravis, ea spectanda est tum absolute et secundum se, tum etiam in ordine ad totum. 4. In transgressionibus repetitis, si plures materiae parvae, vel secundum se vel secundum effectus a se productos, moraliter coniungantur, fit materia gravis, quia tunc omnes moraliter reputantur pro una. Contra vero non censetur materia gravis si parvae materiae, nec secundum se nec secundum effectus relictos, inter se uniantur.

Unde resolves:

57. » 1. Peccas mortaliter, ita ut fiat materia gravis, si saepe modicum furaris et non restituis, iuxta *dicta l.* 3. *n.* 533. item, si interruptim psalmos aliquot ex eodem officio omittas; si eodem die ieiunii saepius parum comedas; eodem festo saepius parum labores.

» 2. Non peccas graviter si diversis festis modicum labores; si quotidie in quadragesima parum comedas; quod verum est, etiamsi simul haberes propositum ita faciendi: quia, cum ista moraliter inter se non uniantur, singula sunt parva. Vide Sanch. [4].

» 3. Non peccat mortaliter qui diversis diebus violat votum quotidie, aut singulis diebus modicum quid orandi, vel parvam eleemosynam dandi, si sit onus affixum diei: quia cum quotidie cuiusque diei obligatio extinguatur, materiae illae non continuantur. Quod verum est, etsi proponat semper omittere, quia illud propositum non fertur in rem gravem. Imo, contra Sanch. id quidam verum putant, etsi quis 100. vota diversae speciei, in materiis valde levibus, uno die implenda haberet, quia materiae illae, cum sint independentes a se, non uniuntur. Si tamen similia vota non sint onus affixum diei, sed tantum dies praefigatur ut terminus, ultra quem executio non differatur, erit peccatum mortale, postquam ad materiam notabilem perventum fuerit.

58. » 4. Probabile est, eum, qui ter vel quater 1000. aureos in causas pias vovisset, non peccaturum mortaliter, si tres non solveret, quia, etsi talis pars, absolute in se spectata, sit notabilis, comparatione tamen totius, morali iudicio non valde videtur aestimanda. Vide Laym. [5]. »

DUBIUM III. Quibus modis peccatum ex genere suo veniale aut actus indifferens transeat per accidens in mortale.

59. *Quomodo peccatum veniale fit mortale,* 1. *ob finem adiunctum.*
60. 2. *Ob ultimum finem constitutum.*
61. 3. *Ob contemptum.*
62. 4. *Ob scandalum.*
63. 5. *Ob periculum incidendi in mortale.*
64. *An sit in statu peccati mortalis, qui proponit committere omnia venialia.*

59. « Quinque modis id fieri communiter docet Sanch. etc. 1. Ratione finis adiuncti. 2. Ratione finis ultimi. 3. Ratione contemptus. 4. Ratione scandali. 5. Ratione periculi. De singulis dicam breviter.

» Resp. 1. Peccatum veniale transit in mortale ratione finis adiuncti, ut si quis leviter mentiatur, ad copulam carnalem extorquendam: quia cum finis

(1) 1. mor. c. 10. (2) L. 10. d. 3. (3) 1. 2 d. 138. (4) Loc. cit. (5) L. 1. t. 3 n. 5.

mortalis ametur, mortale est. Non tamen necessarium est in confessione exprimere illud mendacium, sed solum desiderium fornicationis; quia, seclusa malitia mortalis finis, manet veniale.

60. » Resp. 2. Transit item in mortale, ratione nimii affectus in rem aliquam: ut si v. gr. ultimum finem in ea constituas. Ad quod non sufficit valde intense et vehementer ferri in obiectum, sed requiritur ut appretiative illud ita aestimes saltem virtualiter, ut paratus sis eius causa transgredi praeceptum obligans sub mortali, ut si quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, lusum, personam, ut malit festo omittere sacrum etc. quam illis privari (Qui omittit sacrum causa lusus, sufficit ut confiteatur omisisse sacrum. *Vide dicta n.* 10. Si quis autem amore lusus paratus sit committere quodcumque peccatum mortale, esset peccatum temeritatis et quidem gravissimum, sed sine specie. Salm. [1] cum Pal. Azor. Bonac. Reg.). Notat autem Bonac. hunc affectum non tantum habitualem, sed actualem esse debere, ut peccatum contrahatur, quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum habitu tantum es paratus.

61. » Resp. 3. Peccatum veniale fit mortale ratione contemptus absoluti et formalis.

» Dico autem *contemptum absolutum et formalem,* quando nimirum ideo formaliter et absolute praeceptum violatur, quia ipsi aut superiori subiici renuis, quod est peccatum superbiae consummatae; vel quando ideo non vis obedire praecepto, quia praeceptum est, et est peccatum inobedientiae formalis, quorum utrumque graviter pugnat cum caritate debita superiori. (Aliud igitur est contemnere legem seu legislatorem etiam humanum, non qua talem personam, sed qua legislatorem, quod est mortale; aliud contemnere rem praeceptam, quod est veniale si materia sit levis. Salm.[2]. *Vide dicta l.* 4. *n.* 161. *v. Quarta*).

Ex quibus resolves:

» 1. Non est mortale si velis quidem obedire et subiici absolute; nolis tamen hic et nunc in re modica; aut si auctoritatem legis vel praecipientis admittas, executionem tamen hic et nunc contemnas. Ratio est quia non est contemptus absolutus et simpliciter, sed tantum secundum quid.

» 2. Si praecise ex indignatione, malitia, prava consuetudine, aliave causa praeceptum violetur, et non ex contemptu potestatis superioris, non est mortale, quia non est contemptus formalis, sed tantum interpretativus.

» 3. Est mortale, facere vel omittere aliquid ex contemptu iustae legis humanae. Item ex contemptu Dei praecipientis vel etiam consulentis (quod propterea tacitam blasphemiam continet, quasi Deus inutilia praeciperet aut consuleret); et denique facere aliquid ex contemptu praelati ut sic et ut a Deo auctoritatem habentis, non tamen ut talis hominis, indocti, imprudentis, imperfecti, quia hoc posterius non est contemnere absolute et simpliciter, sed tantum secundum quid. V. Sanch.[3] Bon.[4].

62. » Resp. 4. Peccatum veniale vel opus indifferens habens mali speciem, transit per accidens in mortale si ruina per illud proximo causanda sit mortalis. Ratio est quia tali operi superadditur aliquid graviter repugnans caritati. *Vide dicta de scandalo*, et Fill. [5].

63. » Resp. 5. Veniale vel opus indifferens transit in mortale, ratione periculi incidendi in mortale, quando quis sine sufficienti cautela aut necessitate aliquid facit per quod veniat in morale ac proximum periculum peccandi mortaliter, quia talis salutem animae contemnit, cum tam probabili eius periculo temere se exponat. Unde in confessione explicanda est species peccati, cuius periculo se obiecit, quia eodem genere peccati peccavit. Proximum autem periculum censetur quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit.»

(1) Tr. 20. c. 12. p. 2. n. 12. et 13.
(2) Ibid. n. 18. et Iustus tr. 11. c. 2. p. 2. § 4.
(3) 1. mor. c. 5. (4) De pecc. d. 2. q. 3. p. 3.
(5) T. 21. c. 6. q. 10. n. 212.

Quaeritur hic an peccet mortaliter qui se exponit periculo tantum probabili mortaliter peccandi?

Prima sententia negat cum Sporer [1] et Gob. Hozes Lumb. Murc. etc. apud Croix [2]. Quia (ut dicunt), cum sit eo casu etiam probabile quod non adsit periculum peccandi, non operatur temere qui tali occasioni se committit; ubi enim periculum non est certum, non potest ibi adesse certa obligatio illud effugiendi. Sed omnino tenendum oppositum cum Bus. ut supra, quem sequitur Croix [3] cum Carden. Eliz. et aliis. Ratio convincens, quia, si est illicitum uti opinione probabili sine iusta causa cum periculo damni alieni spiritualis vel temporalis, ut certum est apud omnes, quanto magis id non licebit ubi periculum imminet propriae animae? Nec obstat dicere quod ubi periculum est probabile, ibi etiam probabile est non esse periculum: nam respondetur quod eo casu, licet peccatum sit incertum, an sit vel ne committendum, certum tamen est periculum peccandi. Diximus *sine iusta causa:* nam ubi iusta causa adest non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum. *Vide dicta l.* 2. *n.* 26. *v. Pariter.* Et sic excusantur chirurgi, si periculo se exponunt in medendis foeminis, cum aliquoties in praeteritum ob talem occasionem iam lapsi fuerint; sic parochi qui in excipiendis confessionibus eamdem miseriam fuerint experti; sic etiam excusantur alii qui proprium officium, puta curialis, militis, cauponis, aut mercatoris, non possunt deserere sine gravi detrimento. Ita Salm. [4] cum Nav. Hurt. Ant. a Sp. sancto etc. item Elbel [5] Ronc. [6] Spor. [7] et alii passim. Ratio quia periculum de se proximum tunc fit remotum tam ratione circumstantiae necessitatis, quam ratione simul mediorum praecaventium, quae persona proponit (ut tenetur) adhibere, nempe diligenter avertendo animum a delectatione turpi vel ab alia passione: et insuper se muniendo piis cogitationibus, orationibus ac sacramentorum frequentia. Quae utique media, licet non sufficiant ad excusandum, ubi non adest iusta causa, eo quod Deus non adiuvat temere se periculo exponentes; bene tamen opem suam praestat ei qui ex iusta causa occasionem non deserit, dum is eo casu non ex affectu ad peccatum, sed ex quadam necessitate in illa occasione permanet. Secus vero dicendum de simplicibus confessariis qui pluries lapsi fuerint in audiendis confessionibus, quia hi tenentur a tali exercitio abstinere, si possint sine gravi detrimento famae vel facultatum, iuxta *dicta l.* 3. *n.* 438. *et n.* 483. *v. Quid.* Quid vero si aliquis in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et spes non effulgeat emendationis? *Vide dicta eod. n.* 438. ubi diximus hunc teneri cum quacumque iactura occasionem deserere, et animam suam salvam facere. *Vide etiam dicenda l.* 6. *n.* 453.

64. Utrum autem sit in statu peccati mortalis, qui propositum habet committendi omnia venialia? *Vide dicta lib.* 4. *n.* 12. *vers.* Quaeritur autem.

CAP. III. DE PECCATIS CAPITALIBUS IN SPECIE

DUBIUM I. Quid sit superbia et quale peccatum.

65. « Resp. 1. Superbia est appetitus inordinatus propriae excellentiae, mortalis ex genere suo, si sit consummata et perfecta, id est si quis ita excellere appetat, ut Deo, superioribus, eorumque legibus subiici nolit. Imperfecta tamen, qua quis subiici non renuens iis quibus debet, in suo tantum affectu sese magnificat, est tantum venialis, ut docet Cai. etc. [8] quia sine Dei et aliorum despectu, plus iusto se efferre, non est gravis inordinatio: esset tamen gravis si fieret cum notabili aliorum contemptu complacendo in aliorum abiectione.

66. » Resp. 2. Filiae superbiae sunt tres: 1. Est praesumptio quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantum; fit ta-

(1) De poen. c. 2. n. 524. (2) L. 5. n. 257.
(3) L. c. (4) Tr. 26. c. 2. p. 2. §. 2. n. 47. et seq.
(5) De poenit. n. 102. (6) Eod. tit. c. 4. q. 3.
(7) Eod. tit. n. 326. (8) V. Superbia.

men mortale, si damnum Deo aut proximo afferat: v. gr. si praesumas iurisdictionem ecclesiasticam, potestatem ordinis sacri: item officium medici, advocati, confessarii etc. sine debita peritia. Less. [1] *et supra l. 4. c. 3. dub. 9.*

» 2. Est ambitio, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel debito maioris; ut si ambias beneficium vel officium quo es indignus: vel illicito modo et medio: v. g. per simoniam. Est per se peccatum veniale; fit autem mortale, vel ratione materiae, ex qua, vel ratione medii per quod honor quaeritur, vel ratione damni quod proximo infertur. Denique, si moderate honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis, ut docet Laym.

» 3. Est vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriae, cuius finis est manifestatio inordinata propriae excellentiae, sive verae sive fictae. Dicitur vana, quando quaeritur ex re mala, falsa, aut ficta, aut quae non est digna gloria, vel non tanta, ut ex opibus, nugis etc., aut apud eos qui non bene de re iudicant, aut sine debito fine. Est peccatum per se veniale, mortale saepe per accidens, ut dictum est de ambitione. Imo, ut contra Angelum recte docent Sylv. Navarr. [2] etc. est tantum veniale, res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam: v. gr. concionari. Porro per vanam gloriam dupliciter peccatur, iuxta s. Th.[3]: 1. *Directe,* idque vel per verba, estque iactantia, quae est venialis per se; si sit de rebus bonis, v. gr. ieiunio, oratione etc. etsi per accidens saepe ratione damni, si sit falsa, fiat mortalis, uti etiam 1. si quid dicat contra gloriam Dei, ut Ezech. [4] *Deus ego sum.* 2. Si prorumpat in contumelias, v. gr. *Non sum, sicut caeteri hominum adulteri etc. ut hic.* 3. Ex fine malo. 4. Si cum notabili damno proximi fiat. 5. Si de re mortaliter mala; quia approbatio operis eamdem cum illo speciem habet: (quae proinde in confessione debet exprimi, saltem quando cum iactantia de peccato coniuncta fuit complacentia eiusdem. Quod addo, quia si absque ea fuit, Nav. Pal. et Diana [5] docent contra Sanchez Lop. Rodr. etc. non necessarie explicari. Vide card. Lugo[6]). Vel per facta, quae si vera sunt, et aliquid admirationis habent, dicitur inventio novitatum: haec enim solet vulgus admirari, ut peregrinas vestes, opiniones etc.; mortale, si notabiliter corrumpat iuventutem vel mores: si vero facta falsa sint, est hypocrisis: v. gr. si quis boni aliquid faciat, ut videatur bonus, etsi non sit: quae ex se venialis est, nisi sit cum iniuria vel contemptu Dei et proximi. 2. *Indirecte,* in quantum quis altero non vult esse minor. Quod fit quadrupliciter: 1. Per intellectum, et est pertinacia qua quis nimis tenaciter adhaeret suae sententiae: quae est mortalis, si oppugnetur veritas magni momenti, vel si sit coniuncta cum periculo tertii: v. gr. si medicus cum periculo aegroti maneat in sententia. 2. Per voluntatem, et est discordia, qua peccatur mortaliter, quando est circa bonum Dei vel proximi, in quo deberent esse concordes. 3. Per verba, et est contentio, quae est mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animae aut corporis. 4. Per facta, dum quis non vult exequi, quod debet, et est inobedientia. Vide Bald.

67. » Resp. 3. His tribus superbiae filiabus respondet pusillanimitas qua quis nimium sibi diffidens detrectat honores, gloriam, vel officium quo dignus est. Veniale est ex genere suo; et fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. Vide Less. [7] Laym. [8].

Unde resolves:

» 1. Audiens laudem alterius, vel suam, de re mortaliter mala, peccat mortaliter, si approbet, suscipiat, admiretur ut laude dignam. Sanc. Bald. [9].

» 2. Vituperans alium ob vindictam non sumptam, aliudve grave malum vel peccatum omissum, v. gr. fornicatio-

(1) L. 3. c. 2. d. 5. n. 13. (2) C. 17.
(3) T. 2. tr. 4. r. 116. (4) C. 23. v. 2.
(5) 2. 2. q. 132. a. 3. (6) D. 16. n. 267.
(7) L. 3. c. 2. n. 23. (8) L. 3. sect. 3. (9) D. 29. n. 5

nem, peccat mortaliter, quia est species iactantiae, et est cum approbatione peccati, et occasio committendi [1].

» 3. Inducens in civitatem novos habitus, et praevidens quod suo exemplo moralem necessitatem imponat aliis ut sumptus faciant supra vires, et postea non possint alere quos debent, vel creditoribus non satisfacere, peccat graviter. Baldell. [2].

» 4. Exornare se nimium ex animi levitate vel vanitate, per se tantum est veniale [3].

» 5. Simulare sanctitatem cum voluntate non habendi, mortale esse dicit Bald. [4].

» 6. Simulare improbitatem est peccatum (quia est mendacium, et quidem scandalosum, potestque esse mortale). Neque id fecerunt sancti, nisi faciendo id quod ex se est indifferens, et permittendo ab aliis accipi ut signum improbitatis, cum tamen nec ex natura sua nec eorum intentione esset tale.»

DUBIUM II. Quid sit avaritia.

68. *Quid est avaritia.*
69. *Quae sint filiae avaritiae.*
70. *Quando et quomodo peccent aperientes et legentes litteras alienas.*

68. « Resp. 1. Est inordinatus appetitus temporalium.

Unde ex hoc et regula supra tradita de peccato mortali resolves sequentes casus:

» 1. Est ipsa ex genere suo venialis.

» 2. Cum vero eo excrescit, ut eius causa divinas leges praevaricari non dubites, fit mortalis.

» 3. Prodigalitas quae opponitur avaritiae, et consistit in defectu conservandi et excessu erogandi, est ex genere suo venialis: levior quam avaritia, quia minus abest a virtute liberalitatis. Interim mortalis fit, si liberis et uxori pauperiem crees: si impotentem te reddas ad solvenda debita: si profundas bona ecclesiastica piis causis obnoxia. Vide Less. [5].

» Resp. 2. Filiae avaritiae sunt sequentes:

69. » 1. Obduratio cordis (contra misericordiam) egenis et pauperibus non compatiendo, eos obiurgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, etc. Hac aliquando peccari potest mortaliter, quando praeceptum eleemosynae vel caritatis urget, et tamen ex tali duritia non subvenitur. Nav. [6] Tol. [7]. *Vide dicta de caritate proximi.*

» 2. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens et inordinata applicatio mentis ad acquirendas vel conservandas divitias, cum inani et vano timore ne non acquirantur vel perdantur. Est mortalis quando retrahit a spiritualibus vel aliis ad quae ex praecepto gravi obligamur (v. gr. auditione missae), vel inducit superfluum timorem, et ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est, si sit de re bona, sed tempore vel loco indebito, v. gr. de familia, messe, vindemia, quando quis est in templo, vel vacandum est Deo. S. Thom. [8] Regin. [9] Escob.

» 3. Violentia, mortalis est, quando est iniusta et circa materiam gravem.

» 4. Fallacia, sive dolus in verbis, potest esse mortalis ratione finis, vel mediorum.

» 5. Fraus, sive dolus in facto, est mortalis ex genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiae (v. gr. si ea vitium habeat, vel non sit qualis existimatur), quam ratione pretii. Nav. [10] Tol. [11] Escob.

» 6. Proditio, quae est deceptio contra fidem datam aut debitam, in damnum alicuius, mortalis est ex genere suo. Contingit fere tripliciter: 1. Circa personas, quo modo Iudas Christum, Dalila Sampsonem prodidit. 2. Circa res, vel immobiles (ut si miles manifestet hosti modum capiendi arcem), vel mobiles, ut si pecuniam, vestem etc. cuiuspiam absconditam praedoni ostendas. 3. Circa secretum, vel sibi commissum revelando (quod est contra fidelitatem et iustitiam, si quidem promissum fuit, quia est pactum onerosum, ut docet card. de Lugo [12] et qui-

(1) Ibid. (2) L. c. (3) Ibid. (4) L. c. (5) L. 2. c. 47. d. 8. (6) C. 27. (7) L. 3. c. 26 (8) 2. 2. q. 55. a. 6. (9) L. 25. c. 2. q. 5. (10) C. 25. (11) L. 3. c. 47. (12) L. 14. n. 150.

dem mortale: si praevidere possis inde secuturum notabile aliorum damnum vel discordiam: alias veniale) vel alienas litteras aperiendo et legendo. Quod postremum, si fiat ideo ut scias secreta alterius, est curiositas: et si sit in re gravi, per se est mortale: quod, quia communiter ante aperitionem nescitur, communiter esse mortale, docent Tol.[1] Bald.[2] Navarr.[3] Molin. Layman[4] (qui addit eum qui dolose alienas litteras aperit et legit cum alterius iniuria vel damno, crimen falsitatis committere). Dixi *per se esse mortale,* quia per accidens potest esse veniale vel nullum, si legitima auctoritate, iusta ex causa fiat.

Unde resolves:

70. » 1. Litteras alienas aperire et legere, saepe non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum iniustum damnum, vel in iniuriam tuam cedere, quam intendas avertere: quia potes tibi consulere. Sic princeps potest aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum quae tempore belli ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse iudicant. Nav.[5] Regin.[6] Escob. card. de Lugo[7] (Et hoc procedit non solum pro principe et ministris, sed etiam pro privatis: ut Lugo[8] Ronc.[9] cum Sanch. Nav. et Bon. *Sed vide dicta l.* 3. *num.* 970. *in fine*).

» 2. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur eius a quo vel ad quem mittuntur (neque lex specialis vetet, c. de Lugo[10]), vel tacitus saltem: ut si facias sub ratihabitione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita Escob. ex Navarr. Regin. etc.[11].

» 3. Superior religiosus litteras suorum subditorum (dummodo non mittantur ad superiorem maiorem, vel talem quem statuta eximant, nec ab eo veniant) licite aperit et legit: sive ex religionis statuto aut consuetudine, sive ex suspicione probabili quod mali aliquid contineant. V. Peyr.[12] Diana[13].

» 4. Nec est peccatum, si necesse sit vel expediat ad iniuriam alteri imminentem avertendam: dummodo non plus legatur quam ad eum finem necesse est. C. de Lugo[14].

» 5. Qui aperit et legit, existimans non continere res magni momenti, venialiter tantum peccat. Card. Lugo[15].»

Ita communiter dd. cum Lugo[16] Roncaglia[17]. Dicit autem Conc.[18] cum Mol. Nav. Sa etc. quod, etiamsi materia lectionis sit levis, legens potest mortaliter peccare, si alter id accipiat ut gravem iniuriam. Bene admittimus hoc posse esse peccatum mortale, at non contra iustitiam, ut videtur sentire Bonac., quia gravitas iniuriae desumenda est ex ipso obiecto sive materia quae per se apta sit, iuxta communem hominum aestimationem, gravem contristationem afferre, ut ait Croix[19] cum communi: sed contra caritatem, ratione gravis tristitiae quam ex illa etsi levi iniuria alter patitur.

« 6. Si litteras ab alio dilaceratas, et in publicum a domino abiectas recolligas et iunctis partibus legas, ex sola curiositate, peccatum veniale est: nullum autem (per se) si, ut ex illa notitia tibi provideas; quia quod pro derelicto habetur, in usum suum convertere licet. Bald. ex s. Anton. et Ros. Sylv.[20] Lay.[21] Diana[22] (Ita etiam Lug.[23] et Ronc.[24] etiamsi dominus in minutas partes lacerasset, quia tunc videtur cessisse iuri suo. Sed probabilius contradicit Croix[25] cum Reb. et Petsch. Ratio quia hoc ipso quod minutim dilaceravit, satis significavit nolle ut legantur, et ideo noluit cedere iuri suo). Recte tamen notat Laym.[26] talem ex caritate teneri non manifestare secretum iis contentum, si damnum inde cuiuspiam provenire possit: imo (addit) revelans

(1) L. 7. c. 45. (2) L. 3. d. 11. (3) C. pen. d. 6. de poen. (4) L. 3. t. 3. p. 1. c. 4. (5) C. 18. (6) L. 24. n. 60. (7) D. 14. n. 148. (8) D. n. 148. (9) De 7. praec. c. 4. q. 5. r. 2. (10) Loc. cit. (11) Loc. cit. (12) De relig. t. 1. q. 2. c. 1. (13) P. 3. t. 6. r. 55. (14) L. c. (15) L. c. (16) D. 14. n. 143. (17) De 7. praec. c. 4. q. 5. r. 2. (18) De rest. q. 2. n. 5. (19) L. 3. p. 2. n. 2. (20) V. Emptio q. 17. (21) L. 3. sect. 5. t. 3. p. 1. c. 4. n. 4. (22) T. 2. tr. 6. r. 55. (23) D. 12. n. 150. (24) De 7. pr. c. 4. q. 5. r. 11. (25) L. 3. p. 2. n. 1236. (26. L. c.

eiusmodi secretum (cuius notitiam etiam iuste acquisivit) contra iustitiam peccabit, si intelligat, audientes ea notitia usuros ad damnum iniuste inferendum. Vide Laym.[1].

» Dixi 1. *a domino proiectas;* quia si vel ab alio proiectae, domino inscio, vel ab ipsomet casu perditae fuerint, non licet legere.

» Dixi 2. *in locum publicum;* quia si in ignem vel fornacem, v. gr. proiectae sint ut comburantur, peccas si extrahas et legas. Vide card. de Lugo[2].

» Dixi 3. *per se;* quia fieri potest ut ea contineantur quorum lectio sit perniciosa.

» 7. Qui furtive scripta alterius secreta, ipso invito, legit, peccat. Et 1. quidem peccato curiositatis; etsi faciat animo discendi et sine suspicione damni. 2. Iniustitiae, quia quisque habet ius secreti in suis scriptis, quae aliis non vult esse communia. Navarr.[3] Mol.[4] Reg.[5] potestque aliquando esse mortale, si nimirum fiat cum notabili damno; vel alter valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus. Bald.[6]. Vide etiam card. de Lugo[7].

» 8. Quicumque secretum violat absque iusta causa cum alterius damno, vel qui litteras alterius iniuste aperit, ex quo damnum alteri sequitur, tenetur ad restitutionem. Bon.[8] Trull.[9]. »

Dubium III. Quid sit luxuria.

71. « Resp. Est appetitus inordinatus venereorum, quorum usus cum ex natura sua institutus sit ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum et externum Dei, proinde qui abutitur, laedit Deum et homines. Est mortalis ex genere suo. *Vide supra lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 2. *d.* 2. *et lib.* 5. *c.* 1. *d.* 2.

» Resp. 2. Filiae luxuriae quae eam plerumque sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis.

» 1. Caecitas mentis, cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de coelestibus non cogitet.

» 2. Praecipitatio, qua quis ex eadem causa sine consilio operatur.

» 3. Inconsideratio; quando in modo delinquit, inconsiderate agens quae statum vel personam dedecent.

» 4. Inconstantia; quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit.

» 5. Amor sui; talis enim homo ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Deum.

» 6. Odium Dei; lascivus enim solet a rebus divinis abhorrere, imo ab ipso Deo, tamquam peccatorum vindice.

» 7. Affectus praesentis saeculi; amor enim voluptatum carnalium ita animam afficit, ut subinde etiam beatitudini aeternae paratus esset renuntiare, si praesentibus frui semper permitteretur.

» 8. Horror futuri saeculi; quando voluptatibus immersus mortem inordinate timeret, et de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet, etc.

» Priores quatuor sunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel praeceptum aliquod Dei graviter obligans praetermittitur; posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales; ex indeliberatione vel alia actuum imperfectione, saepe veniales. Vide Escob. et Bald.[10]. »

Dubium IV. Quid sit invidia.

72. « Resp. Est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriae excellentiae, ita ut haec directe sit contra caritatem: haec enim gaudet de bono proximi; quod invidia destructum optat vel non destructum dolet. (De hoc peccato cum disputas, animadverte propos. 13. 14. 15. inter damnatas ab Innoc. XI.).

Unde resolves:

» 1. Est ex genere suo mortalis et gravissima quidem, atque in Spiritum sanctum, si sit de ipsa gratia vel auxilio Dei. 2. Filiae similiter ex genere suo mortales sunt, ac numerantur hae: 1. Odium, de quo supra. 2. Detractio,

(1) L. c. (2) D. 15. n. 150. (3) C. 15.
(4) T. 5. d. 36. n. 2. (5) L. 24. c. 6. n. 119.
(6) D. 11. (7) L. c. (8) D. 2. de rest. q. 1. p. 1.
(9) L. 7. c. 10. d. 32. (10) Locc. cc.

de qua in *praec.* 8. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio quae est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis: quam proinde susurro restituere tenetur, et iterum reconciliare, non secus ac detractor famam. *Vide in praec.* 8.»

An citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicuius, narrando scilicet illius defectus naturales, aut similes, ut ipse succedat loco expulsi. Negant Azor. Trull. Fill. etc. ap. Salmant. [1]. Sed affirmant Salmanticens. [2] cum Soto Bonacina Arag. Serra Prado; quia licet sine vi vel fraude procurare sibi bonum gratuitum alicuius, cum exclusione alterius. At probabilior est prima sententia, dum Less. [3] et ipsi Salm. [4] cum P. Nav. Bon. Sayr. et Diana communiter docent quod propalatio defectuum naturalium erit peccatum grave, si inde impediretur alius a consecutione alicuius boni temporalis: cum igitur huiusmodi propalatio per se sit iniusta, fraudulenter expellitur alter ab amicitia acquisita.

« 3. Si tristitia sit de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel aliis times nocumentum, v. gr. inimicus tuus est evectus ad officium, ut tibi facilius possit nocere, non est invidia, sed timor, qui per se non est peccatum nisi sit inordinatus. Laym. [5].

» 4. Si tristitia sit ex eo quod nobis desit bonum quod alter habet, ita tamen ut illud alteri non discupiamus, non est invidia, sed aemulatio seu zelus, qui si est circa bonum honestum est laudabilis; si autem circa temporalia interdum est venialis, ut si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset si rusticus doleret se non esse regem. Laym. [6].

» 5. Si tristitia est ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio; quae non est peccatum: erit tamen, et quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat (estque blasphemia), vel si ita afficiat, ut ducat homines ad malum imitandum. Cai. Laym. [7].

» 6. Si doleas quod alter tibi aequalis vel non multum inaequalis in excellentia crescat, ita ut te fiat superior, et ipsum incrementum excellentiae apprehendas ut tibi malum, est proprie dicta invidia: invidus enim dicitur, quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. Bald. [8]. Sic peccare solent: 1. Ambitiosi, et qui ex re aliqua quaerunt gloriam, quam cum in eo ponant, ut in illa re sint soli ac singulares, dolent et tristantur, si alii accedant. 2. Pusillanimes, quibus cum omnia videantur magna, quovis bono alterius, putant minui suum, sic mulieres v. gr. facile apprehendunt ac dolent se superari bono alterius, v. gr. formositate. 3. Senes respectu iuvenum, et quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, quod alii facile consequuntur. Bald. [9].

» 7. Qui in adversis suis, vel ob aliorum prosperitatem, optat se non fuisse natum, vel se brutum animal factum fuisse, vel diem esse maledictum quo natus est, vel alterum primo vidit, aut coniugem accepit, si tantum intendat maledicere irrationali creaturae, v. g. diei (sive sit nativitatis sive coniugii) qui tot mala culpae vel poenae protulit, videtur esse tantum veniale (aliquando etiam nullum, ut Iobi); si autem deliberate intendat optare malum homini, sive sibi sive alteri illo die nato vel coniugatis, mortale est. Escob. et Marchant. [10]. »

Dubium V. De gula.

Art. I. Quid sit gula.

73. « Resp. Ea est inordinatus appetitus cibi et potus, opponiturque abstinentiae, et committitur quinque modis: 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita. 3. Si plus iusto. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisite praeparata. Laym. [11].

Unde resolves:

» 1. Gula ex genere suo est peccatum

(1) De rest. c. 4. p. 5. n. 22. (2) Ibid.
(3) L. 2. c. 11. dub. 5. n. 14. (4) Ibid. p. 5.
§. 2. n. 45. (5) L. 5 tr. 5. c. 10. (6) Ib. n. 2.

(7) Loc. cit. (8) D. 29. l. 3.
(9) Loc. cit. (10) Tr. 4. tit. 2 q 1.
(11) L. 3. tr. 1. sect. 4. n. 2.

tantum veniale, quia nullus horum modorum repugnat praecise caritati Dei vel proximi. (Nota hic prop. 8. damn. ab Innocent. XI.: *Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum.* Licet tamen uti delectatione ad cibum percipiendum pro corporis salute, ut Salmant.[1] ex s. August.).

» 2. Hinc probabile est quod docent Nav. Tol. etc. et non repugnat Laym. secluso scandalo et aliis, veniale tantum esse, usque ad vomitum se cibo et potu implere: idque etiam si quis vomat ut iterato possit bibere: quod tamen[2] Sa, aliique multi putant mortale. Vide Bald. Escob.[3] (Comedere vel bibere usque ad vomitum probabile est esse tantum veniale ex genere suo, nisi adsit scandalum vel notabile nocumentum valetudinis, ut communiter dicunt Holzm.[4] et Salm.[5] cum Cai. Navarr. Henriq. et Laym.[6]. Qui autem sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum edant aut bibant, vix excusantur a mortali; hoc enim videtur involvere magnam deformitatem; ita probabiliter (contra Bus.) Holzm.[7] et Wig.[8].

» 3. Vix dubium est, licere esu aut potu, aliterve creare vomitum, si is salubris esse iudicetur.

» 4. Mortalis interim censetur crapula ex accidente et nimia inordinatione, in his casibus: 1. Si quis gulae causa violet ieiunia ecclesiae. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens, secus si leviter tantum: ut v. gr. si febricitans haustu aquae morbum augeat. 4. Si continuae fiant comessationes et compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua infra. 6. Si quis ex mera gula vescatur carnibus aut sanguine humano; tum quia id repugnat pietati defunctis debitae: tum quia est contra instinctum naturae abhorrentis. Excusandum autem erit si fiat causa medicinae aliave iusta causa, v. gr. extremae famis in obsidione; in qua tamen sic vitam conservare non teneberis. Sanch.[9] Less. Laym.[10] Sa Bon. Bald.[11]. Sic etiam excusant quidam lictores illos qui ut officium suum melius administrent, haustu sanguinis humani se animare dicuntur, praesertim cum sanguis secundum multos animatus non fuerit. *Vide auct. cit.*

74. » 5. Ex genere quoque suo venialia sunt quae filiae gulae dicuntur: nimirum ex parte animae: 1. Hebetudo mentis seu stupiditas nata ex crapula, v. gr. ut non possit orare etc. quae fit mortalis, quando quis inordinate bibendo vel comedendo voluntarie fit ineptus ad intelligenda vel praestanda ea quae ad salutem illi sunt necessaria, vel ad quae ex officio, aut alias sub gravi peccato tenetur. Bald.[12].

» 2. Inepta laetitia, per quam intelligitur non quaevis inordinata quae omne peccatum sequitur, sed quae movet ad cantiones obscoenas, actus turpes, saltus, vel choreas inhonestas etc. fitque mortalis, quando est inductiva alterius ad consensum vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur[13].

» 3. Multiloquium.

» 4. Scurrilitas quae ab inepta laetitia et multiloquio differt, quod illa sit in appetitu, istud in verbis, haec in verbis et gestibus; dicitque semper aliquam inhonestatem, licet per se et secluso scandalo, venialem, v. gr. scurrilia dicere vel canere, ventum emittere etc. ex levitate ad risum excitandum; mortale tamen esset si fieret causa delectationis venereae. Bald.[14] Esc.[15].

» Ex parte corporis, immunditia, vomitus et seminis effusio. Quae ultima si voluntaria sit mortale erit. V. Layman[16] Less.[17] Bald.[18]. »

ART. II. Quid sit ebrietas.

75. *In quo consistat peccatum ebrietatis. Et quando sit mortale.*

76. *An sit peccatum se inebriare ex praescripto medici, vel ex metu mortis.*

(1) Tr. 25. c. 2. p. 1. n. 4. (2) V. Comedere.
(3) T. 2. e. 2. c. 5. (4) T. 1. p. 154. n. 732.
(5) Tr. 25. c. 2. p. 1. n. 8. (6) L. 3. sect. 4. n. 2.
(7) Loc. cit. (8) Tr. 5. ex. 3. n. 70. r. 2.
(9) 1. mor. c. 8. (10) L. 3. sect. 4. (11) L. 3. c. 29
(12) D. 29. l. 3. n. 15. (13) Ibid. (14) L. c.
(15) T. 2. e. 2. c. 4. (16) L. 3. sect. 4
(17) L. 3. c. 3. (18) L. 3. c. 29.

77. *An sit semper mortale alium inebriare.*
78. *Quando ebrietas excusetur a mortali. An sint peccata omnia mala commissa in ebrietate.*

75. « Resp. Malitia ebrietatis plenae et perfectae in eo consistit, quod quis sine iusta et gravi causa, tantum ob voluptatem aut ingluviem sciens volens privet se usu rationis; non simpliciter, id quod fit in somno, modo naturali instituto ab auctore naturae ad virium et imaginis Dei conservationem: sed violenter et modo innaturali, rationem perturbando, et Dei imaginem deturpando, in modum amentis bruti; ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. Ita docent commun. dd.

Unde resolves:

» 1. Perfecta ebrietas qua praedicto modo ratio plane sopitur, est ex genere suo mortale; quia censetur Deo iniurium eius imaginem sic deturpare. Est communis dd.»

Certum est apud omnes quod ad hoc ut ebrietas sit peccatum mortale requiritur ut sit perfecta, nempe quae omnino privet usu rationis, ut enim docet d. Th. [1] et cum ipso omnes dd. in hoc consistit malitia ebrietatis, quod *homo volens et sciens privat se usu rationis*. Et idem docet d. Antonin.[2]. Unde non peccat mortaliter qui ex potu vini non amittit totaliter usum rationis, quamvis mens perturbetur, ita tamen ut discernere valeat inter bonum et malum, ut communiter dicunt Toled.[3] Caiet. [4] Salm. [5] Elbel [6] Wig. [7] Holzm. [8] Laym. [9] et alii. Additque Croix [10] cum Ang. Tann. Fab. Gob. et communi, ebrietatem non esse mortalem, si per modicum tempus privet ratione. Dicit autem Croix longum tempus videri unam horam. An autem qui vinum bibit usque ad vomitum, quin se inebriet, peccet mortaliter: *Vide dicta n.* 73. *v.* 2. *Hinc.*

(1) 2. 2. q. 150. a. 2. (2) P. 2. tit. 6. c. 3. §. 1. (3) De pecc. mort. c. 51. n. 3. (4) In d. Th. l. c. (5) T. 25. c. 2. p. 2. n. 21. (6) T. 1. p. 225. n. 663. (7) Tr. 3. ex. 3. n. 70. (8) T. 1. p. 154. n. 750. (9) L. 5. sect. 4. n. 5. (10) L. 5. n. 327.
(11) L. 4. c. 6. n. 13. (12) De pecc. mort. c. 61. n. 4.

76. « 2. Non est peccatum inebriare se ex praescripto medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit. Sylvius Caiet. Laym. »

Quaeritur hic 1. An liceat se inebriare ex consilio medicorum; quando inebriatio aestimatur absolute necessaria ad morbum expellendum. Valde dd. laborant in hac quaestione, licet videatur casus vix unquam accidere posse.

Prima sententia affirmat, quam tenent cum Bus. Less. [11] Tol. [12] Laym. [13] Pal. [14] Ronc. [15] Sporer [16] Tambur. [17] et Salm. [18] cum Sylv. Caiet. Sylvest. Esc. etc. Ratio quia cibus et potus tunc sunt peccata, quando sunt immoderati; e converso d. Th. [19] docet quod *cibus et potus est moderatus secundum quod competit corporis valetudini; et ideo quandoque contingit.... ut ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo*. Ergo potus vini, etiam inebrians, non est dicendus superfluus respectu infirmi, cui est necessarius ad valetudinem. Et huic sententiae videtur favere idem s. Th. [20] qui ait: *Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, et multa peccata occurrentia vitat ex sola vini voluptate, expresse virtuti contrariatur*. Nota to *absque necessitate;* ergo si adsit necessitas, virtuti non contrariatur.

Secunda vero *sententia* negat, et hanc tenent Cont. Tourn.[21] Petroc.[22] Holz.[23] Felix Potest. etc.[24]. Ratio quia voluntaria privatio rationis per ebrietatem est intrinsece mala: unde, sicut fornicatio numquam permitti potest, ita neque haec. Verumtamen prima sententia satis probabilis imo probabilior mihi videtur casu quo potatio vini praebeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim privatio rationis per accidens et indirecte evenit, et ideo licite permitti potest; sicut licitum est

(13) L. 3. sect. 4. n. 5. (14) Tr. 30. d. 3. p. 5. n. 2. (15) Tr. 2. q. 2. c. 4. (16) T. 1. p. 95. n. 69. (17) De praec. eccl. c. 1. n. 31. (18) Tr. 25. c. 2. p. 3. n. 35. (19) 2. 2. q. 150. a. 2. ad 3. (20) 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1. (21) De pecc. p. 2 c. 4. a. 3. q. 4. n. 8. (22) T. 2. p. 181. q. 3. (23) T. 1. p. 155. n. 736. (24) De vitiis n. 3782

matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat expulsio foetus, ut diximus *l.* 3. *n.* 394. *v. Quaer. igitur.* Secus vero dicendum si potatio daretur directe ad ebrietatem sive ad privationem rationis causandam; hoc enim esset semper intrinsece malum. Hinc, ut bene advertit Croix[1] cum Tann. Dicast. et Gob. nunquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiantur.

« 3. Nec item est peccatum, si quis cogatur ad bibendum intento ense. Vide Less. [2] Azor. Reg. et Bald. »

Quaeritur 2. An liceat alicui se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur nisi inebrietur.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent cum Bus. Less. [3] Bonac. [4] Pal. [5] et probabilem putat Laym. [6]. Ratio, tum quia homo, licet non habeat dominium usus rationis, illud tamen habet in ordine ad bonum totius, ac proinde potest de tali usu disponere, prout est necessarium ad totius conservationem; tum quia privatio rationis hic non est intenta, sed solum permissa, unde non tenetur quis eam impedire cum iactura suae vitae.

Secunda vero *sententia* probabilior negat hoc licitum esse, eamque tenent Holzm. [7] Wigandt [8] Azor. [9] Continuat. Tour. [10] et Salm. [11] cum Cai. Ratio quia (ut diximus) privare se directe usu rationis est intrinsece malum; neque tunc adest causa excusans, sicut in casu praecedentis quaestionis, ibi enim vinum est medium per se ordinatum ad expellendum morbum, non autem hic. Praeterea, in illo casu periculum vitae est ab intrinseco, nempe a morbo vexante, et ideo licet eum expellere per vini potationem: hic autem periculum est ab extrinseco, unde illicitum est ab illo se liberare per ebrietatem; sicut licet matri per pharmacum expellere foetum inanimatum ad suam vitam servandam, sed non licet expellere ut mortem effugiat a propinquis, iuxta *dicta l.* 3. *num.* 394. Nostra sententia firmatur auctoritate d. Aug. [12] qui ait: *Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur; aut bibas aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Nec valet dicere cum Less. [13] hunc textum intelligendum esse, quando quis cogitur ad bibendum in contemptum virtutis, nam ibi s. doctor nullum facit verbum de contemptu, sed tantum loquitur de ebriosis, qui *solent* (ut ait) *ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit ut amplius bibam, et in convivio regis non potui aliud facere.* Instabis: potest quis licite velle sibi abscindi manum ne occidatur; ergo poterit quis pariter licite velle se inebriari ut mortem vitet. Sed respondetur cum Holzmann, disparem esse rationem: nam pars per se ordinatur ad conservationem totius corporis; usus tamen rationis non ordinatur ad corporis vitam, sed ad integritatem animae servandam.

Et hic rursus repeto id quod sub initio protestatus sum, nempe quod cum aliquam opinionem unice probabiliorem appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione, *non audeo damnare* sive *improbabilem dicere*, non ideo admitto ut probabilem; sed de eius probabilitate dubito. Item, cum aliquam sententiam veriorem voco, intelligo oppositam non solida probabilitate mihi pollere, licet omnino non reprobem.

77. « 4. Mortale est alium inebriare, vel provocare ad aequales haustus, cum intentione inebriandi, aut advertentia secuturae ebrietatis in se aliove. Les. [14].

» 5. Si iusta causa est, ut v. gr., si grande malum non possit aliter impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quae saltem ipsi non sit voluntaria, ut scil. praeter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur; v. gr. vinum fortissimum

(1) L. 5. n. 341. (2) L. 4. c. 3. d. 4. n. 37. (3) Ibid. (4) De praecept. eccles. d. ult. q. 1. p. 1. n. 3. (5) Tr. 30. d. 3. p. 5. n. 2. (6) Lib. 3. sect. 4. num. 5.

(7) T. 1. p. 155. n. 736. (8) Tr. 5. ex. 3. n. 71. (9) P. 1. l. 7. c. 3. q. 5. (10) Loc. cit. (11) Tract. 25. c. 2. p. 3. n. 45. (12) Serm. 232. de temp. (13) N. 58. (14) L. c.

aut medicatum propinando, cuius vi ignorata decipiatur. Unde sic posses inebriare eos qui alioqui essent proditurі arbem vel te abducturi. Less. [1] et Sanchez [2]. An vero hoc casu liceat inducere ad ebrietatem ipsi voluntariam. Dubium est. Less. [3] affirmat; quia, inquit, licet suadere et inducere ad minus malum, ut impediatur maius. Layman. [4] rectius negat quia nullo casu licet inducere ad peccatum.»

Quaeritur igitur an licitum sit aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, puta sacrilegio vel homicidio committendo. Adsunt tres sententiae.

Prima affirmat, hancque tenet Lessius [5] et probabilem censent Med. Gob. Diana et alii apud Croix [6]. Ratio quia licitum est paratum committere maius malum inducere ad minus patrandum.

Secunda sententia, quam tenent Layman [7] Bon. [8] Pal. [9] et Salm. [10] dicit licitum esse alterum inducere ad ebrietatem materialem, id est quando alter se inebriet sine peccato, puta apponendo illi vinum fortissimum aut medicatum; quia tunc ex una parte ille non peccat, et ex altera damnum ebrietatis permittitur ad vitandum gravius damnum aliorum. Non autem licitum esse dicunt eum inducere ad ebrietatem formalem nempe cum suo peccato, cum haec sit intrinsece mala, ac ideo nunquam permittenda. Nec obstat (ut aiunt) ratio Lessii, nam hoc valere respondent, quando minus illud malum est inclusum in malo maiori, prout si volentem occidere inimicum inducas ad tantum percutiendum; non vero quando malum est disparatum.

Tertia demum *sententia*, quam tuentur Cont. Tourn. [11] et Holz. [12] cum Arsdek dicit non licere inducere ullum ad ebrietatem neque formalem neque materialem, ob quodcumque malum effugiendum, quia (et in hoc recte loquuntur) malum, etsi materiale, contra legem naturalem est vere malum, unde nunquam licet ei cooperari. His tamen non obstantibus, prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis sive formalis, ob rationem iam allatam, quia licitum est inducere alterum ad minus malum ut impediatur a maiori, iuxta ea, quae diximus *l.* 2. *n.* 57. Nec obstat id quod dicunt Salm. [13] contra Lessium: nam licet malum ebrietatis non videatur inclusum in illo malo maiori sacrilegii vel occisionis, cum sint mala per se disparata; tamen revera virtualiter iam includitur in illo malo maiori spirituali, cum omne malum spirituale includat, imo excedat quodcumque malum temporale, adeo ut quisque teneatur potius pati quodcumque malum temporale ad vitandum quodvis etiam minimum malum spirituale. Neque etiam officit dicere quod non licet suadere minus malum inferendum tertio, quia tunc suadens esset directa causa damni tertii quod illi non eveniret, nisi ipse suasisset: hoc enim currit quando malum est inferendum tertio innocenti, qui non tenetur damnum illud sufferre ad evitandum malum spirituale alterius; non vero in casu nostro, ubi ille qui inducitur ad ebrietatem tenetur utique tolerare (ut diximus) quodcumque malum temporale ad maius malum spirituale effugiendum.

78. « 6. Si quis non praevidit periculum ebrietatis, et sic vino captus est, aut in auram exiens vento turbatus est, nec hoc praevidit, vacat culpa. Unde multi excusantur qui prudenter saepe iudicant, adhuc se haustulum facere posse sine noxa; desinent tamen prudenter id iudicare si contrariam de se experientiam habeant. »

Ita communiter dd. cum d. Th. [14] qui ait: *Tripliciter contingit* (*ebrietas*), *uno modo sic quod nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem, et sic ebrietas potest esse sine peccato..... Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum*

(1) Loc. cit. (2) L. 2. de matr. d. 11.
(3) L. 4. c. 3. d. 4. n. 32. (4) L. 3. sect. 4. n. 6
(5) L. 4. c. 3. d. 4. n. 33. (6) L. 2. n. 224.
(7) L. 3. sect. 4. n. 6
(8) T. 2. d. ult. de praec. eccl. q. 1. p. 1. n. 3.
(9) T. 7. n. 50. n. 3. p. 3. (10) Tr. 25. c. 2. p. 4. n. 31.
(11) Loc. cit. Unde 9. (12) T. 1. p. 135. n. 735.
(13) Loc. cit. (14) 2. 2. q. 150. a. 2.

esse immoderatum, non tamen aestimet potum esse inebriare potentem, et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest contingere quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem..... et sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis. Addit autem : *Quod assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quod homo assidue inebrietur, quin sciens et volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, et suam habilitatem ad ebrietatem.*

Sedulo autem hic notandum quod si quis sumit tantam vini potionem, quae est apta, iam advertit, ad inebriandum, nullo modo excusatur a mortali, quamvis, antequam sensibus destituatur somno se committat quo vini effectum effugiat: quia potio illa iam de se est intrinsece mala, cum de se apta iam sit ad privandum hominem usu rationis, et per accidens se habeat, quod ipse vel per somnum vel per inebriationem sensibus privetur.

« 7. Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum et malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena est ebrietas: ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberate sit commissum. V. Lay. [1].

» 8. Plena ebrietas notatur ex his signis quae dat Less. [2] et Reg. 1. Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus. 2. Si commisit ea quae numquam alias sana mente solet: v. gr. si praeter morem turpia sit locutus, turbarit domum, uxorem verberarit, etc.

» 9. Mala in ebrietate commissa, si praevisa non sunt, aut si adhibita cautio, culpa vacant. »

Quid, si mala sint praevisa? Salm. [3] cum Soto distinguunt et dicunt quod si mala sint operis, ut sunt occisiones, fornicationes etc. imputantur ad culpam; secus vero si sint mala oris, ut contumeliae, blasphemiae et periuria: quia, ut aiunt, verba illa prolata ab ebrio non sunt verba formalia actu significativa, quatenus non dicta ab homine rationis compote, sed sunt simplices soni seu verba materialia, tamquam prolata a psittaco vel pica. Hanc sententiam non audeo improbabilem dicere, sed magis adhaereo sententiae oppositae cum Sanch. [4]. qui cum Cai. et Tolet. docet blasphemias praevisas esse vera peccata formalia in causa, cum ipse libere eam posuerit: verba enim contumeliosa in homines in ebrietate prolata recte dicit nullam dehonorationem hominibus irrogare; secus autem si proferantur in Deum, iuxta *dicta l. 3. n. 124.* ubi diximus blasphemias, etiam sine affectu sive materialiter prolatas, non excusari a peccato, cum sola prolatio ipsarum voluntaria vergat in diminutionem divini honoris. Et in nostro casu, licet prolatio non sit voluntaria in actu, videtur tamen esse voluntaria in causa.

DUBIUM VI. Quid sit ira.

79. *Quando ira sit peccatum.*
80. *De peccatis quae oriuntur ab ira.*
81. *An contumelia aliquando culpa vacet.*
82. *Quotuplex est contumelia.*
83. *Quae requirantur, ut maledictio, sive imprecatio contra homines sit mortale.*

79. « Resp. Est inordinatus appetitus vindictae. Quae inordinatio secundum d. Thom. dupliciter fieri potest: 1. Ex parte modi irascendi, ut v. gr. si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. 2. Ex parte obiecti, ut si vindictam appetas plane iniustam ob causam, vel si iusto maiorem, v. gr. optando inimico mortem, quam non est meritus, vel exequendam propria auctoritate, vel denique, licet vindicta iusta sit, non tamen eam appetas ut iustam, sed ut satiativam animi tui malevoli.

Unde resolves:

» 1. Si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum irae : ut cum supe-

(1) Loc. cit. (2) L. 4. c. 3. d. 5 n. 30. (3) Tr. 29. c. 10. p. 3. §. 2. n. 27. et fusius tr. 25. c. 2. p. 2. n. 30. (4) Dec. l. 1. c. 16. n. 44.

riores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt seu vindicant.

» 2. Ira inordinata, primo modo ante dicto est ex genere suo peccatum veniale, potest tamen fieri mortale ex accidente, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.

80. » 3. Ira inordinata, secundo modo est ex genere suo mortale; quia est directe contra caritatem. Bald. [1].

» 4. De filiabus irae quae partim sunt ex corde, ut indignatio et tumor mentis; partim ex ore, ut clamor, blasphemia, contumelia, maledictio: partim ex opere, ut rixa, pugnae, seditiones vulnera: diversimode loquendum est, secundum regulam supra datam. Nam 1. indignatio quae est inordinatus affectus ex eo quod quis reputet se indigne a tali tractari, communiter est veniale; imo si ex iusto rationis iudicio procedat, nullum est. Potest tamen esse mortale si crescceret usque ad deliberatum odium et contemptum personae gravem. 2. Tumor mentis quo quis morose excogitat diversas vias vindictae, iisque cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum sit, iudicandum est ex qualitate vindictae quae excogitatur. Vide Tol.[2]. 3. Clamor, cum iratus extollit vocem, multa inordinate et confuse effundens, est veniale communiter, nisi aliud addatur. 4. Blasphemia est mortale, de qua supra *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 1. *n.* 5. Contumelia, qua quis proximo malum aliquod obiicit, cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortale.

81. » Dixi *animo inhonorandi:* quia animo corrigendi, humiliandi aliave ratione, potest superior verbum aliquod alias contumeliosum obiicere, quomodo Christus vocavit apostolos stultos, et apostolus galatas insensatos. In quo tamen peccari potest si modus debitae correctionis excedatur, vel subditus gravius dehonoretur, quam per delictum meruit. Vide Bald. [3]. Item, ut docet Cai. potest contumelia esse venialis tantum, si sit parva tantum, vel si sit tantum materialis, sine intentione dehonorandi: modo non sequatur laesio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur, saltem a mortali, multi parentes, dum filios vocant asinos etc. Item mulieres, pueri et infimae sortis homines conviciis se onerantes: quia cum fides iis non habeatur, non laeditur graviter honor. Vide Bonac. [4]. Denique, si ioci causa, per convenientem recreationem leves defectus obiiciantur, urbanitas est, secundum s. Th. [5], dummodo alter non contristetur nec ad iram moveatur.

82. » 5. Contumelia etiam fit facto, tum indirecte, ut si imaginem vel litteras alterius conculces, comburas, tum directe, ut si virum honestum fuste caedas, ad ianuam eius cornua etc. apponas, vel repraesentes aliquid quod honorem alterius laedat. Huc spectat subsannatio, illusio et derisio, quando fit signis, ut naso rugato, labiis extensis etc. intendendo proximi confusionem, quae si sit gravis, vel saltem proximus ea graviter contristetur, mortalia sunt. Bon. Molin. Bald. [6] ex s. Th. Circa quae nota quod qui per contumeliam laesit alterius honorem, teneatur hunc restituere, etiamsi fama non sit laesa. Hoc autem fieri potest vel per honorificam et amicam salutationem, vel invitationem ad mensam, vel petitionem veniae (etiam subinde flexis genibus et coram testibus) prout laesio fuit gravis. V. c. de Lugo [7]. Adde quod contumeliae mortalis qualitatem in confessione explicare non sit necessarium, ut contra Fill. etc. docent Azor. Sa Molina c. de Lugo [8] (*V. dicta l.* 3. *n.* 984.).

83. » 6. Maledictio qua quis optat vel imprecatur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere suo mortale.»

Docet d. Thomas [9] quod maledictio seu imprecatio contra homines, *secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus magis amare et revereri tenemur. Contingit tamen verbum*

(1) L. 3. dist. 21. (2) L. 8. c. 58.
(3) D. 34. n. 10. (4) L. 3. q. 2. p. 5.
(5) 2. 2. q. 72. a. 2. (6) L. 3. d. 3.
(7) D. 15. n. 53. (8) D. 56. de poenit. n. 269.
(9) 2. 2. qu. 76. art. 3.

maledictionis prolatum esse veniale, vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur. Ex qua doctrina s. doctoris infertur, ut maledictio sit mortalis, tria requiri: 1. Ut malum prolatum vere optetur. 2. Ut optetur cum perfecta deliberatione. 3. Ut malum optatum sit grave. Ita communiter omnes. V. Salm. [1]. Utrum autem omnes maledictiones sint eiusdem speciei, *vide supra dicta n.* 50. *quaer.* 5.

» 7. Rixae, si modum non excedant, uti et leviculae pugnae, veniales sunt, secus, si progrediuntur ad seditiones, vulnera, caedes. Suntque haec communiter peccata ex parte incipientis rixam, alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatae tutelae. »

Dubium VII. Quid sit acedia.

84. « Resp. Acedia, sive animi taedium, potest ex d. Th. [2] dupliciter usurpari: 1. Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eo quod labor aliquis sit adiunctus. 2. Particulariter pro tristitia et taedio de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat; et sic amicitiam illam non curet.

Unde resolves;

» 1. Acedia accepta primo modo tum demum est peccatum mortale, cum ideo committitur opus vetitum sub mortali.

» 2. Acedia accepta secundo modo ex se est mortale, quia repugnat caritati Dei.

» Ex quo de filiabus acediae quoque facile iudicari potest, quae sunt sequentes:

» 1. Malitia qua quis odio habet bona spiritualia, et vellet ea non esse, aut qua ipsum poenitet bene fecisse, vel implevisse id ad quod tenebatur, aut qua contemnit Dei beneficium, v. gr. desiderando non fuisse natum, aut non agnovisse Christum, etc. est autem ex genere suo mortale.

» 2. Pusillanimitas et desperatio de salute, quae mortale quoque est.

» 3. Rancor, quo ii sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt.

» 4. Torpor, quum bona fiunt non cum debito fervore.

» 5. Evagatio mentis, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita: sive per cogitationem, et dicitur curiositas; sive per locutionem, et dicitur verbositas; sive per inquietudinem, et dicitur inquietudo: quae communiter sunt venialia. Vide d. Thom. [3] Laym. [4] Tolet. [5].

» Culpabilis autem evagatio mortalis erit, quando notabilis est, et attentio requiratur ad implendum praeceptum obligans sub mortali: v. gr. in recitandis horis canonicis, celebranda vel audienda missa. Reg. Pal. [6] Trullench. [7] contra Tamb. [8] qui docet, distractum esse voluntarie et per notabile tempus intra sacrificandum, esse tantum veniale; licet concedat, sub canone, praesertim circa consecrationem, esse mortale, propter gravem irreverentiam et periculum erroris.

» Dixi *ad implendum praeceptum*: nam in oratione vel non praecepta, vel sub obligatione tantum veniali, est peccatum veniale tantum: s. Th. Nav. Suar. Less. [9]; imo nullum si non tam intendat orare, quam verba precum recitando pio exercitio se occupare: quia non formaliter, sed materialiter tantum orat; v. gr. quum quis manibus laborans psalmos, aliasve preces recitet aut cantet, non animo orandi, sed cavendi cogitationes vanas, vel recreandi se. Sanch. [10] Trull. [11]. *Vide supra l. 4. c. 2. dub. 2. n.* 140.

(1) De rest. c. 4. p. 4. n. 28. (2) 2. 2. q. 35. art. 2. (3) Q. 35. (4) L. 2. tr. 3. c. 9. (5) L. 8. c. 76. (6) De carit. tr. 6. dub. 1. p. 3.

(7) L. 1. c. 6. d. 1. (8) De exped. sacr. l. 2. c. 3 (9) L. 2. c. 37. d. 11. (10) Consilior. p. 2. l. 7. c. 2. d. 15. (11) L. 1. c. 7. dist. 10.

LIBER SEXTUS

DE SACRAMENTIS

Habebit hic liber tractatus sex: 1. Agetur de sacramentis in genere. 2. De baptismo et confirmatione. 3. De eucharistia. 4. De poenitentia. 5. De extrema unctione et ordine. 6. De matrimonio

TRACTATUS PRIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAP. I. DE NATURA SACRAMENTI NOVAE LEGIS.

DUBIUM I. Quid sit sacramentum.

1. *Quomodo definiatur sacramentum. Et quae requirantur ad essentiam sacramenti.*
2. *Alia communior definitio sacramenti.*
3. *An fuerint vera sacramenta sacrificia, figurae, et sacramenta veteris legis.*
4. *Quid notandum de circumcisione.*
5. *Quae alia excludantur a ratione sacramenti.*
6. *Plura notanda circa sacramenta. Et quotupliciter sacramenta distinguantur.*
7. *An sacramenta causent gratiam physice, vel moraliter.*

1. « Resp. Est res sensibilis quae ex stabili institutione Christi vim habet sanctitatis, sive gratiae iustificantis efficiendae et per consequens significandae.

Unde resolves:

» 1. Ad essentiam sacramenti requiri tria: 1. Ut sit signum stabile. 2. Ut significet veram sanctitatem. 3. Ut eamdem efficiat ex opere operato, id est usu suo et applicatione, per propriam efficaciam, et non ex opere operantis, sive per actum aut dispositionem ministrantis, vel suscipientis: quae, etsi ad effectum sacramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non. »

2. Magis mihi arridet communior definitio, quam tradunt alii de sacramento: *Est signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiae, institutum a Christo ad nostram sanctificationem.* Et haec definitio magis congruit Trident.[1] ubi sacramentum sic definitur: *Symbolum rei sacrae, et invisibilis gratiae visibilis forma.* Dicitur *symbolum sive signum*, quia hoc essentialiter pertinet ad sacramentum, ut sit signum nobis denotans gratiam sanctificantem animam. *Sensibile*, id est sensibus patens. *Sacrum*, id est cum actu religioso. *Permanens*, quamdiu durat nostra religio. *Interioris gratiae*, quia hoc est essentiale omni sacramento, gratiam significare. *Institutum*, quia cum sacramentum sit signum arbitrarium, non posset sanctificationem efficere neque significare, nisi ex institutione divina. *A Christo* 1. ad differentiam sacramentalium, ut est usus aquae benedictae, panis benedicti etc., quae non a Deo, sed ab ecclesia instituta sunt, et vi orationum ecclesiae excitant pios motus in anima, quibus movetur Deus ad postea peccata remittenda. Dicitur 2. *a Christo*, quia licet Habert dicat sacramenta tantum a Deo principaliter esse instituta, non autem a Christo ut homine, nisi tanquam a causa morali et instrumentali, cum solus Deus potuerit sacramentis vim sanctificandi tribuere; attamen melius dicunt Salm.[2] et Viva[3] cum aliis, quod Christus etiam qua homo instituit sacramenta potestate *excellentiae*, ipsi collata ratione unionis cum Verbo; et huius sententiae est etiam d. Th.[4] qui ait: *Instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae quae competit soli Christo.* Dicitur demum *ad nostram sanctificationem*, hoc etiam pertinet ad essentiam sacramenti, ut definivit Trid.[5].

3. « 2. A definitione talis sacramenti excludi 1. sacrificia tam novae quam veteris legis: quia haec non sunt insti-

(1) Sess. 13. c. 3.
(2) De sacram. in gen. c. 3. dub. 1. n. 4.
(3) Eod. tit. q. 1. a. 4. n. 1.
(4) 3. p. q. 72. a. 1. ad 1.
(5) Sess. 7. can. 6.

luta ad gratiam ex opere operato conferendam (etsi nihilominus sacrificium novae legis sic eam impetret ei pro quo offertur, non ut sacramentum, usu suo et applicatione, sed per modum impetrationis), sed ad cultum Deo praestandum. Concin.[1]. 2. Figuras et sacramenta veteris legis, v. gr. circumcisionem, transitum maris rubri, agnum paschalem, varias item purificationes et consecrationes sacerdotum; tum quia a Christo non sunt instituta; tum quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac licet circumcisio aliquando sustulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato simpliciter et rigorose, tum quia non contulit gratiam, ut causa physica vel ut causa moralis, quia nondum erat exhibita passio Christi et meritum ex quo gratia pendebat, sed tantum ex speciali privilegio; tum quia non contulit gratiam formaliter, qua circumcisio et ex sua institutione, sed quatenus erat professio fidei, neque vi applicationis, et usus sui; alioquin enim omni non ponenti obicem, et quidem praeter omne meritum contulisset, quod est falsum. Vide Fill. [2]. »

4. Sed quaeritur 1. An circumcisio fuerit verum sacramentum. Resp. affirmative ex communi, tum quia circumcisio per se operabatur sanctitatem non internam, sed externam, sive legalem; tum quia fideles consecrabantur ad veri Dei cultum. Ita d. Thom. Hab. etc.

Quaeritur 2. An circumcisio de se peccatum tollat. Resp. negative cum Habert qui dicit quod tunc fideles adulti non mundabantur a peccato originali sive actuali, nisi formatam caritatem habebant; parvuli autem mundabantur a peccato originali per actum fidei ministrantis seu offerentis, ut docet s. Thom. [3]. Quatenus (ut ait) haec fides respiciebat Christum venturum.

5 « 3. Ea quae dicuntur sacramentalia, v. gr. benedictio abbatis, consecratio virginis; quia praecise ex usu suo et opere operato gratiam non conferunt: uti nec actus virtutum, praeterquam quod hi sensibiles non sint. 4. Lotionem pedum apostolorum; insufflationem Christi in apostolos, per quam Spiritum sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magdalenam et paralyticum, *remittuntur tibi peccata,* quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium, ob eamdem causam: esto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ad hoc institutum. Vide scholasticos. »

6. Plura hic adnotanda sunt: et notandum 1. Certum est et de fide sacramenta esse septem, et omnia a Christo instituta, ut definivit concilium Trid.[4]. Et horum alia dicuntur sacramenta *mortuorum*, ut baptismus et poenitentia, quae causant primam gratiam, et ideo etiam a peccatore suscipi possunt. Alia *vivorum*, ut sunt eucharistia et alia reliqua. Hoc tamen non obstante, etiam sacramenta vivorum aliquando primam gratiam conferre possunt, scilicet cum quis putans se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum accedit cum attritione ad sacramentum, ut expresse docet s. Thom. [5] qui ait (de eucharistia): *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati.... etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati.* Et idem confirmat alibi [6]. Et idem communiter docent dd. de aliis sacramentis, ut Gonet [7] Conc.[8] Ronc.[9]. et Salm.[10] cum Suar. Pell. Bonac. Bec. Ricch. et aliis (contra Vasq. Lugo Vill. etc.) Ratio quia in Trid.[11] dicitur: *Si quis dixerit sacramenta novae legis...gratiam non ponentibus obicem, non conferre...*

(1) D. 60. a. 22. (2) Tr. 1. et 5. q. 8. c. 3.
(3) P. 3. q. 70. a. 4. (4) Sess. 7. c. 1.
(5) 3. p. q 79. a. 5. (6) Q. 72. a 7. ad 2.
(7) Man. t. 6. pag. 45. seu p. 5. tr. 2. c. 4.
(8) T. 8. p. 52. n. 29. (9) Tr. 2. q. 5. (10) De sacr. in gen. c. 5. p. 2. n. 12. (11) Sess. 7. can. 6.

anathema sit. Nota verbum *ponentibus obicem;* ergo qui accedit ad sacramentum vivorum cum attritione, quae excludit peccati affectum tam actualem quam habitualem, iam obicem non ponit, et ideo gratiam recipit, modo habeat votum poenitentiae. Id confirmatur exemplo extremae unctionis, qua infirmo, ut ait s. Iacobus, *Si in peccatis sit remittentur ei;* id est (ut sentit d. Th. [1]) datur robur adversus defectus relictos ex peccatis praeteritis: *Sed quia* (deinde addit s. doctor) *hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.*

Notandum 2. Alia sacramenta dicuntur *transeuntia*, alia *characteristica*, seu characterem imprimentia, ut baptismus, confirmatio et ordo; character enim est signum spirituale, per quod homo distinguitur ab aliis. Notandum 3. Alia sacramenta sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem, saltem in voto implicito, ut baptismus et poenitentia; alia vero tantum necessitate *praecepti.* An autem sacramentum eucharistiae sit necessarium necessitate medii saltem in voto: *Vide de Eucharistia infra num.* 192. Notandum 4. Sacramenta dicuntur *formata*, quando in suscipiente obtinent effectum suum; *informia* autem, quando sunt quidem valida, sed sine suo effectu, nempe si quis suscipit baptismum sine dolore de actualibus mortalibus, recedente autem obice gratiae, sacramentum statim gratiam causat. Hoc certum est de baptismo, ut docent communiter s. Th. [2] Scotus [3] ex d. Aug. [4] qui docet: *Quod ante datum est, valere incipit, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Cont. Tourn. [5] Salmant. [6] et alii passim contra Vasquez. Ratio quia baptismus est medium necessarium ad delendum peccatum originale, sed cum non possit amplius recipi, neque actualiter neque in voto, quia votum tendit ad id quod potest recipi, ergo necesse est, ut ablato obice reviviscat. Id probabiliter extendunt Cont. Tourn. [7] item Palud. Sylv. apud Salm. [8] ad sacramenta confirmationis et ordinis, quae iterari nequeunt, et ideo suscipientes aliter carerent gratia sacramentali tam necessaria confirmatis ad fidem profitendam, et ordinatis ad sua munia digne exercenda. Idem probabiliter extendit Cont. Tourn. [9] ad matrimonium et ad extremam unctionem cum s. Th. et s. Bonav. Et idem dicunt Suar. Vill. Lugo Con. de poenitentia [10], negant vero de eucharistia contra Cai. Gonzal. Petr. Sot. etc. quorum sententiam etiam probabilem vocant Salm. [11].

Notandum 5. Sacramenta, ultra gratiam sanctificantem animam, conferunt etiam gratiam sacramentalem, scilicet auxilia ad obtinendum finem, ad quem quodlibet sacramentum fuit institutum, ut s. Th. [12]. Notandum 6. Sacramenta operantur *ex opere operato*, vi operis externi eliciti, id est virtute coniunctionis formae cum materia et applicationis utriusque ad suscipientem ex Dei institutione; quare actus ex *opere operantis*, sive suscipientis sacramentum, licet causent augmentum gratiae, si homo est in gratia, non tamen causant gratiam, quae a sacramento confertur; ideo hi actus requiruntur tantum, ut dispositiones ad effectum sacramenti recipiendum. S. Th. [13].

7. Quaestio magna agitatur inter dd. an sacramenta causent gratiam instrumentaliter physice vel moraliter. Cont. Tour. [14] cum Vasq. et Lugo tenent causare moraliter, id est, quia movent Deum ad gratiam physice causandam. Ratio quia gratia de se petit produci efficienter a solo Deo, quin opus sit hic miraculum addere, scilicet quod Deus conferat sacramentis de se gratiam cau-

(1) 3. p. q. 30. a. 1. (2) 3. p. q. 69. a. 10.
(3) Dist. 4. q. 5. n. 4. et 8. (4) L. 1. de bapt. c. 12.
(5) De sacram. in genere c. 2. art. 3. sect. 3.
(6) De sacram. in genere c. 5. p. 5. n. 55.
(7) L. c. concl. 1. (8) L. c. n. 67. (9) Ibid.

(10) An autem detur sacramentum poenitentiae validum et informe, idest sine gratia. Alii negant, sed communiter et verius alii affirmant. Hom. Ap. Exam ordinand. n. 4. (11) Ibid. n. 63.
(12) 3. p. p. 62. a. 2. (13) 3. p. q. 62.
(14) De sacram. c. 3. sect. 3. concl. 2. et 3.

sare. Salmant. tamen[1] cum Suar. Val. Pell. etc. tenent causare instrumentaliter physice: ita ut causae illae naturales per potentiam obedientialem eleventur ad effectum supernaturalem, et probant ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Hoc enim magis decet sacramenta. Utraque sententia est satis probabilis. Consule scholasticos si plura quaeris de hac quaestione, cum ipsa nostri non sit instituti.

DUBIUM II. Quid circa materiam et formam sacramentorum servandum.

8. *Quotupliciter sumatur sacramentum.*
9. *Quae coniunctio requiratur inter formam et materiam.*
10. *Vide resolutiones.*
11. *Quae mutatio invalidet sacramentum. Vide resolutiones apud Busemb.*
12. *An materiae et formae omnium sacramentorum sint a Christo in specie determinatae.*

8. « Suppono, sacramentum dupliciter sumi: 1. Per modum compositi physici in quo res sensibilis et actio (v. g. in baptismo aqua et ablutio; in unctione oleum et unctio) dicitur materia; et quidem oleum et aqua materia remota; actio vero illa, materia proxima: verba autem, aut quod eorum loco ponitur, ut in matrimonio signum consensus, dicuntur forma. 2. Per modum compositi artificialis; et tunc dicta materia et forma, id est, res et verba, simul habent se instar materiae; significatio vero eorum instar formae. Hic quaeritur de materia et forma, priore sensu.

9. » Resp. 1. Ut sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, v. gr. inter effusionem aquae et pronuntiationem verborum, tanta esse coniunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata natura cuiuscumque sacramenti, una alteram afficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. Vide Bon. [2] Suar. Con. etc.»

Quaeritur, quaenam simultas requiratur inter formae prolationem et materiae applicationem. Praeter eucharistiam quae omnino requirit simultatem physicam, cum pronomen demonstrativum *hoc* et *hic* non possit verificari nisi materia sit praesens, commune est non esse opus simul formam et materiam incipi, nec simul finiri; sufficiet enim ut forma proferatur dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari. Ita Salm. [3] Anacl.[4] Viva [5] Ronc. [6]. Et de hoc videtur non posse dubitari, cum in rituali rom. in administratione baptismi sic habeatur: *Et cum ea* (scilicet aqua) *sub trina infusione... baptizet... sic dicens*: Ego te baptizo in nomine Patris †, *fundat primo*, et Filii †, *fundat secundo*, et Spiritus † sancti, *fundat tertio*. Ergo cum aqua non infundatur in verbo *baptizo*, non est certe opus ut a principio materia verbis formae aptetur.

Quaeritur autem an in aliis sacramentis praeter eucharistiam, ut diximus, sufficiat simultas moralis, ita ut satis sit formam incipere statim post applicationem materiae. Negat Caiet. [7] qui loquens de baptismo, requirit ad validitatem sacramenti quod verba inchoentur priusquam ablutio perficiatur vel e converso, et hoc videtur indicare etiam Scotus apud Suarez [8]. Sed communiter affirmant Suar. [9] qui sententiam Cai. omnino refellit, Lugo [10] qui illam improbabilem vocat, Holz.[11] Continuat. Tourn. [12] Laym. [13] Diana [14] Antoine [15] et Salmant.[16] cum Soto Tol. Sa Hurtad. Dic. Henr. Vill. et Granad. Ratio quia in composito morali, quale est sacramentum, sufficit moralis simultas. Et de hoc videtur non posse dubitari: nam, ut mox diximus de baptismo, semper ac ablutio non fit, dum actu profertur verbum *baptizo*, ablutio non verificatur nisi per unionem moralem: haec autem unio tam erit moralis, si fiat ablutio immediate antequam forma absolvatur, quam si fiat immediate post. Haec tamen unio diversa esse debet pro diversitate sacramentorum, ut recte dicunt Suar. Cont.

(1) De sacram. in gen. c. 2. p. 2. dub. unic. n. 21. (2) D. 1. q. 2. p. 2. (3) De bapt. c. 3. p. 4. dub. unic. n. 41. (4) Tr. 14. n. 27. (5) De sacr. q. 1. n. 3. n. 3. (6) C. 3. q. 2. r. 2. (7) Op. t. 1. tr. 16. (8) In 3. p. d. 2. sect. 2. v. hinc. (9) Loc. cit. (10) Resp. mor. l. 1. dub. 33. (11) T. 2. p. 3. n. 9. (12) De sacram. c. 2. a. 2. punct. 1. in fine. (13) L. 5. tr. 1. c. 4. n. 3. (14) P. 3. tr. 4. r. 6. (15) De sacr. c. 1. q. 3. (16) Ibid. n. 44.

Tourn. et Antoine [1]. Maior enim unio certe requiritur in baptismo, ubi mora unius *Pater noster* invalidaret sacramentum, ut bene aiunt Cont. Tournely [2] et Diana [3] qui contrariam opinionem Fernandez merito laxam vocat. Et idem praefati auctores dicunt de confirmatione, extrema unctione et ordine.

In poenitentia autem sufficit illa unio quam exigit actus iudicialis, cum inter accusationem et sententiam soleat intercedere aliqua distantia temporis, quamvis in hoc sacramento talis distantia non tanta debet esse, quanta fit in iudicio forensi. Dicit autem Croix [4] cum Tamb. quod valide absolvitur poenitens post horam a confessione. In matrimonio tandem sufficit ea distantia quae ordinarie sufficit in contractibus, ubi satis est ut consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat. Haec quoad sacramentum poenitentiae et matrimonii videtur accepta esse apud omnes. Quoad alia vero sacramenta secunda sententia, spectata ratione, videtur moraliter certa; sed in praxi prima ut tutior consulenda est. Hinc merito ait Lugo [5] minime peccare sacerdotem qui ad maiorem sui animi quietem iterum se faceret ordinare sub conditione.

Unde resolves:

10. « 1. In baptismo, confirmatione, unctione et ordine requiritur talis coniunctio, ut dum minister verba pronuntiat moraliter censeatur etiam lavare etc.

» 2. In poenitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in iudiciis sententia post examen causae. (*Vide dicta mox num.* 9.).

» 3. In matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur: sicut in aliis contractibus. Vide Con. [6].

11. » Resp. 2. Ut valeat sacramentum, non debet fieri substantialis, seu essentialis mutatio materiae vel formae, accidentalis vero mutatio, etsi saepe illicita sit, non tamen invalidum facit sacramentum. Porro substantialis mutatio materiae dicitur, quando secundum communem usum et aestimationem hominum, differt nomine et re ab ea quam Christus praescripsit. Accidentalis dicitur quando cum ea eumdem retinet usum et nomen. Formae mutatio essentialis est quando non manet idem sensus: accidentalis, quando manet. Laym. [7] ex comm.

Unde resolves:

» 1. Nullum est sacramentum eucharistiae, si materia cruda consecretur, sive haec differat specie substantiali a pane sive non; quia communiter non censetur aut dicitur panis. Item si aquae artificiales adhibeantur in baptismo, quia non habent communem usum et nomen aquae elementaris, esto physice specie non discrepent. *Vide infra de baptismo.*

» 2. Valet sacramentum, etsi aqua baptismi sit calida etc. Item si panis eucharisticus sit ater, fermentatus etc.

» 3. Defectu formae sacramentum est nullum: 1. Si litterae aliquae mutentur variantes sensum, quod facile fit in initialibus, v. gr. in nomine matris, filiae etc. 2. Si magna fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur cohaerere. 3. Si forma divisim pronuntietur, v. gr. unus dicat: *Ego te baptizo*, alter *in nomine Patris, etc.* quia erunt duae formae imperfectae et sensus falsus. Fill. [8] Vide Bon. [9] (Nota hic prop. 27. damnatam ab Alexand. VIII.: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc. praetermissis illis: Ego te baptizo*).

» 4. Forma valet, etsi non liceat: 1. Si omittas voces non essentiales, v. gr. *ego et amen* in baptismo: *enim* in forma eucharistiae. Bon.[10] ex Suarez etc. 2. Si quid addas, v. gr. in nomine Patris, *qui te creavit, etc.* 3. Si substituas synonyma; v. gr. *abluo*, pro baptizo. (Ita s. Th. [11]). 4. Si tantum transponas, ut, *Hoc meum est corpus: Te ego bapti-*

(1) Locc. cc. (2) Ibid. (3) Loc. cit. (4) L. 6. n. 8. (5) L. c. n. 3. (6) Hic. a. 6.

(7) L. 3. tr. 1. c. 4. (8) T. 1. c. 4. q. 5. (9) Q. 2. p. 4. disp. 1. (10) D. 4. q. 5. p. 1 n. 9. et 10. (11) 3 p. q. 60. art. 8.

zo. 5. Si verba corrumpas ob praecipitantiam et balbutiem: v. gr. *Hoc est colpus meus*, vel *hic est enim calis meus*. 6. Si interruptio fiat parva, v. gr. *Ego te baptizo*, et interponat, *ista aqua est nimis frigida*, vel *custos verte folium. In nomine Patris etc*. Fill.[1]. Vide Bon.[2] (Idem docent Lugo[3] Ronc.[4] cum Tambur. Tussis autem inter syllabas verborum formam invalidat, nisi sit momentanea. Ronc.[5] cum Tamb. Leand. apud Croix[6]. Tussis vero longa (puta per medium quadrantem) inter verba certe invalidat formam. Croix[7] cum Tambur. et Sporer. Quaenam autem in singulorum sacramentorum materia et forma mutatio sit substantialis aut accidentalis, vide infra, ubi de his singulatim agemus). »

12. Quaeritur an materia et formae omnium sacramentorum fuerint a Christo Domino in specie determinatae. Certum est Christum in specie determinasse materiam et formam baptismi et eucharistiae. Dubium igitur vertit quoad alia sacramenta.

Prima sententia probabilis negat et hanc tenent Bellarm.[8] Salm.[9] Lugo[10] Holz.[11] Croix[12], item s. Bonav. Alensis et Morin. ap. Iuen.[13]. Ratio unica huius sententiae est diversitas ecclesiae graecae et latinae in administratione aliorum sacramentorum, praesertim in ordine; in ecclesia enim graeca presbyteratus et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem: in latina vero praeter manuum impositionem requiritur traditio rerum, ut habetur in decreto Eugenii IV. ad Armenos relato apud Croix[14] ubi sic habetur: *Sextum* (sacramentum) *est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua supposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.*

Secunda sententia vero probabilior affirmat omnes materias, et quoad substantiam etiam formas sacramentorum fuisse in specie a Christo determinatas. Hanc tenent Iuenin.[15] Conc.[16] Auctor Petr.[17] Habert Merbes. Cont. Tourn.[18] et alii plures cum d. Thom.[19] qui non potest negari esse pro hac sententia, siquidem hanc tradit rationem: *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur* (*secundum illud*[20]: Abluti estis, sanctificati estis), *oportet uti rebus ex divina institutione determinatis*. Nec s. doctor explicari potest de determinatione in genere quae possit per diversa signa significari; nam[21] expresse docet oppositum, dicens: *Etsi idem potest per diversa signa significari* (en qualis esset determinatio in genere), *determinare tamen quo signo sit utendum* (en determinatio in specie), *pertinet ad significantem; Deus autem est qui nobis significat spiritualia.*

Circa autem diversitatem ecclesiae graecae et latinae, praesertim (ut diximus) in sacramento ordinis, respondetur, traditionem instrumentorum non esse materiam essentialem, sed tantum accidentalem, etsi integralem. Ad decretum vero Eugenii respondet Habert, illud editum fuisse soluto concilio; sed haec responsio nihil valet, iam enim satis probavimus *l. 1. n.* 110. decreta pontificum esse per se infallibilia. Congruentius itaque respondetur cum Merbesio Conc. et Tourn., quod Eugenius non quidem determinavit materiam essentialem ordinis, sed solum voluit armenos instruere de omni ritu ecclesiae romanae, cuius unionem illi ambiebant. Dices: Eugenius non loquitur de ritu,

(1) L. c. (2) L. c. (3) D. 2. n. 111. (4) C. 3. q. 4. r. 1. (5) Ib. (6) L. 6. p. 1. n. 33. (7) Ibid. (8) T. 2. de sacr. ordin. c. 9. in fin. (9) De sacram. in gen. c. 4. p. 2. n. 43. (10) Eod. tit. d. 2. n. 84. (11) Tom. 2. p. 5. n. 11.

(12) L. 6. p. 2. n. 2135. (13) Inst. theol. t. 7. p. 41 (14) L. 6. p. 2. n. 2123. (15) Loc. cit. (16) T. 3. p. 23. n. 19. (17) T. 3. p. 21. (18) De sac. c. 2. a. 2. p. 2. (19) 3. p. q. 60. a. 5. (20) 1. Cor. 6. 11. (21) Ad 1.

sed expresse de materia; et sicut in aliis sacramentis materiam essentialem assignat, sic in isto de ordine, dicens: *Sextum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo.* Respondeo: Si hoc est verum sequeretur quod etiam esset certum quemlibet minorum ordinum esse sacramentum; sed ipsi Salm. [1] cum Soto Navar. Vasquez dicunt oppositum esse probabile, idque probabilius esse probabimus infra *n.* 737. cum ordines minores etiam ab abbatibus conferantur. Nec valet dicere cum Vasq. Maior. et aliis apud Palaum [2] quod in eodem decreto Eugenii episcopus vocatur minister ordinarius sacramenti ordinis: ergo (ut aiunt) possunt ex privilegio etiam alii quam episcopi, esse ministri huius sacramenti. Nam resp. quod si hoc esset, etiam presbyteratus posset aliquando conferri a non episcopo; sed hoc communiter reiicitur, quidquid dicat Vasq. Unde dicendum quod Eugenius cum nominavit ministrum ordinarium, utique intellexit loqui in subiecta materia secundum sensum dd. et constantem ecclesiae traditionem ut ait Tourn. [3] nempe quod privative ad episcopum spectat conferre ordinem presbyteratus et diaconatus; reliquos vero inferiores, utpote non sacramenta, posse aliis committi. Hinc censetur Eug., loquendo de sacramento ordinis, non omnia dogmatice asseruisse, sed in pluribus se accommodasse ad communem loquendi modum, quo res in septem ordinibus adhibitae, utpote discrimen uniuscuiusque ordinis expressius significantes, communiter vocantur materia sacramentorum.

CAP. II. DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

DUBIUM I. Quid requiratur ut minister det valide sacramentum.

13. *Ad valorem sacramenti requiritur potestas et intentio ministri.*
14. *Utrum in ministro requiratur etiam attentio.*
15. *Quotuplex potest esse intentio.*
16. *Non sufficit in ministro intentio* habitualis, *vel* interpretativa.
17. *Non requiritur* actualis.
18. *Sufficit* virtualis.
19. *An sufficiat intentio coacta: vel cum errore circa personam suscipientis.*
20. *An ad validitatem sacramentorum requiratur intentio interna ministri. Et 1. an sufficiat sola intentio faciendi actionem externam.*
21. 2. *An requiratur intentio faciendi quod facit ecclesia romana.*
22. 3. *An requiratur intentio explicita conficiendi sacramentum. aut producendi effectum sacramenti. Et an celebrandi ritum externum uti sacrum.*
23. *An minister debeat habere intentionem faciendi ritum sacrum, quem intendit ecclesia.*
24. *Si minister habet duas intentiones contrarias, quaenam debeat praevalere.*
25. *Vide resolutiones Busembaum.*
26. *An sit validum sacramentum collatum sub conditione.*
27. *An sit licitum conferre sub conditione sacramenta characterem imprimentia.*
28. *An etiam alia sacramenta.*
29. *An in extrema necessitate proximi minister possit, et teneatur ministrare sacramentum, quando materia est dubia.*

13. « Resp. Ad valorem sacramenti in ministro, non fides vel probitas, sed praeter potestatem (et iurisdictionem in quibusdam) requiritur intentio seu voluntas saltem virtualis et absoluta, vel huic aequivalens, faciendi non tantum externum illum actum, sed sacramentum, vel saltem id quod facit ecclesia, vel quod Christus instituit. Est communis ex Trid. [4]. Ratio prioris partis est quia sacramenta operantur non ex dispositione ministri; sed virtute divina, secundum institutionem et meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad confectionem sacramenti requiritur talis intentio quae actionem determinet ad esse sacramentale, tollatque indifferentiam verborum et actionum; talis autem non esset intentio solius actionis externae, quae ad alios fines, v. g ad ludum potest referri.»

14. Quaeritur 1. An in ministro sacramentorum, praeter intentionem, requiratur etiam attentio, ut valide ea conferat. Affirmat Croix [5]. Alias (ut ait) confectio sacramenti non esset actio humana, humano modo exhibita. Ex qua opinione, si probabilis esset, inferretur utique quod minister voluntarie se distrahens non conferret sacra-

(1) De ordine c. 1. p. 1. dub. 1. n. 12. et 13.
(2) Tr. 27. d. un. p. 14. n. 10.
(3) Praelect. theol. de sac. ord. q. 4. a 2. concl. 2
(4) Sess. 7. can. 11. de sacram.
(5) L. 6. p. 1. num. 84.

mentum; sed hoc non videtur posse subsistere, et ideo ipse Croix[1] fatetur, vix fieri posse ut per distractionem sacramentum invalidetur, quia semper permanet attentio virtualis, nisi distractio sit totalis. Haec igitur opinio minime probabilis mihi videtur, nec eam inveni ab alio auctore traditam; omnes enim dicunt, ad valorem sacramenti, praeter materiam et formam, nihil aliud requiri quam intentionem ministri, ut definitum fuit a conciliis, prout infra referemus *n.* 23. Nec officit dicere, non esse actionem humanam illam quae fit sine attentione: nam licet, ut homo humano modo operetur, requiratur ut ad finem operis quod intendit facere attendat; non tamen requiritur ut cum opus exequitur actualiter attendat. Si autem necessario haec attentio requireretur, nec etiam consequenter sufficeret (ut non recte supponit Croix) attentio virtualis. Nam iuxta *dicta l. 4. n. 177. v. Ratio*, haec attentio virtualis non datur, nec potest intelligi; quia cum attentio sit actus intellectus considerantis id quod homo agit, necessario importat ut intellectus actu advertat; unde sicut non potest dici quod intellectus virtualiter consideret quod non considerat, ita nequit dici hominem virtualiter attendere, quando actu non attendit, sed alio est distractus. Hinc optime docet doctissimus p. Suar.[2] quod minister, etsi distractus, vere conficit sacramentum: *Quia* (ut ait) *actio eius est simpliciter humana et libera, et procedit a priori intentione.*

Utrum autem peccet graviter minister voluntarie se distrahens in confectione sacramenti. Omnes dicunt peccare saltem venialiter; et Cont. Tourn.[3] dubitat quin etiam peccet mortaliter; sed probabiliter hoc negat Croix[4] cum Gobat et communi; nisi esset periculum errandi in formis praesertim longioribus. In confectione tamen eucharistiae voluntariam distractionem mortalem esse, probabiliter dicunt Conc.[5] et Tamb.[6] (contra Croix[7] et Mazzot.[8] qui tenet probabile esse quod sit tantum venialis). Ratio quia distractio in tali sacramento videtur non carere gravi irreverentia.

15. Quaeritur 2. Quotupliciter potest esse intentio. Intentio potest esse vel *actualis* vel *habitualis*, vel *interpretativa* vel *virtualis*. *Actualis* est cum quis actu intendit sacramentum conficere. *Habitualis* est cum quis habuit antecedenter actualem, et non revocavit, sed de illa non amplius cogitat, nec ea in aliquo effectu permanet. *Interpretativa* est cum quis nullam habet nec habuit intentionem actualem, sed ita est dispositus, ut, si adverteret, haberet. *Virtualis* demum est cum quis, licet hic et nunc non intendat actualiter conficere sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis habitae, prout si quis habens intentionem sacramentum eucharistiae conficiendi, adeat ecclesiam, dicat missam et consecret.

16. His positis, dicendum 1. ad conficienda et conferenda sacramenta non sufficere in ministro intentionem *habitualem* aut *interpretativam*. Hoc ut certum communiter docent Suarez[9] Cont. Tourn.[10] Conc.[11] Holz.[12] Viva[13] Croix[14] Salm.[15] et alii passim. Ratio quia huiusmodi intentiones non faciunt ut actio sit elicita humano modo, ut requiritur in ministro, a quo procedunt sacramenta tamquam a causa operante.

17. Dicendum 2. non requiri in ministro intentionem *actualem*. Idem etiam certum est apud omnes cum s. Thom.[16]. Ratio s. doctoris: *Sed hoc* (scilicet actualiter attendere) *non cet totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.*

18. Dicendum 3. sufficere ut minister habeat intentionem *virtualem*; quia per hanc ille vere operatur humano modo, cum talis intentio sit vera cau-

(1) N. 85. (2) In 3. p. d. 15. sect. 3. v. Dico 1. (3) De sacram. c. 2. a. 2. sect. 3. §. 2. v. Ex his. (4) Cit. n. 85. (5) T. 3. p. 515. n. 15. (6) De sacr. miss. l. 2. c. 13. n. 3. (7) L. 6. p. 2. n. 445. (8) T. 3. p. 212. (9) In 3. p. d. 13. sect. 3. (10) L. cit. concl. 1. (11) T. 3. p. 85. n. 4. (12) T. 2. p. 5. n. 22. (13) De sacr. q. 1. a. 4. n. 6. (14) L. 6. p. 1. n. 56. et 57. (15) Tr. 1. c. 7. p. 4. n. 42. (16) 3 p. q. 64. a. 8. ad 3.

sa actionis. Idque pariter commune et certum est cum Suar.[1] Cont. Tourn.[2] Con.[3] Lug.[4] Wig.[5] Holz.[6] Sal.[7] Ronc.[8] et alii ex d. Th.[9] qui sic docet: *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem quae sufficit ad perfectionem sacramenti.* Pro intentione autem *habituali* s. doctor sine dubio intelligit virtualem; nam immediate post sic subdit: *Puta cum sacerdos accedit ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit ecclesia, unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute* (nota) *primae intentionis perficitur sacramentum.* Hinc recte dicunt Viva[10] et Croix[11] cum Abel. Gamach. et Mauro, quod minister qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, nisi debitam intentionem positive excludat, imprudenter de ea dubitat, quia saltem vult facere quod alias solet, et quod alii ministri faciunt. Adde quia per hoc quod cognoscit actionem illam esse sacram, et frustra non poni, exercite intendit eam ponere iuxta finem suum, ut Viva et Croix cum Vasq.[12]. Quare advertunt Bellarm. Henriq. Croix et Viva[13] non esse opus ut minister ore vel corde reflexe dicat se intendere conficere sacramentum, sed sufficere ut sit animo praesens, et attente faciat id quod facit.

19. Sufficit etiam intentio ministri coacta sive metu extorta, praeterquam in matrimonio, ut recte dicunt Croix[14] et Lugo[15] quia metus non tollit voluntarium; sicque definitum refert Lugo[16]. Ita pariter non invalidat sacramentum, excepto matrimonio, error ministri circa personam suscipientis, nempe si minister putans absolvere Petrum absolvat Paulum, ut cum communi docent Suarez[17] et Lugo[18] modo tamen minister non alliget suam intentionem ad aliam personam determinatam; quod ordinarie non evenit nisi in matrimonio.

20. Quaeritur 3. An ad validitatem sacramentorum requiratur intentio interna ministri. Dicendum 1. non sufficere solam intentionem faciendi actionem externam, sed requiri intentionem faciendi quod facit ecclesia. Hoc est de fide contra Lutherum, qui dicebat sufficere solam intentionem ponendi ritum exteriorem, etsi ioco peractum: ita ex Trid.[19] ubi habetur: *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit.* Item[20]: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: anathema sit.* Idem habetur in decr. fidei conc. flor. sub Eug. IV. ubi dicitur: *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramenta, cum intentione faciendi quod facit ecclesia.* Idem declaratum fuit in conc. constant.[21] ubi praescriptum fuit: *Ut suspectus de haeresi interrogetur, an credat quod malus sacerdos, cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vere conficiat et conferat sacramenta.* Ratio doctrinae huius est quia actio ministri debet ad ministerium referri, actio autem ioco facta non refertur ad ministerium sacrum, sed tantum ad irrisionem. Lutherus dicebat sufficere actionem iocosam, eo quod ipsa adhuc satis erat ad fidem excitandam; sed hoc principium patet esse falsum: nam in pueris nequit fides excitari, et tamen iam ipsi capaces sunt baptismi.

21. Dicendum 2. non requiri intentionem faciendi quod facit ecclesia romana, sed sufficere intentionem faciendi quod facit vera ecclesia a Christo

(1) Loc. cit. (2) Loc. cit. concl. 2.
(3) T. 3. p. 33. n. 4. (4) De sacr. d. 8. n. 74.
(5) Tr. 11. exam. 4. n. 32. t. 3. (6) T. 2. p. 6. n. 22. (7) Cit. n. 42. (8) C. 5. q. 3. (9) L. c.
(10) Art 4. n. 6. (11) L. 6. p. 1. n. 59.
(12) L. c. (13) Ibid. (14) N. 60. (15) D. 9. n. 151.
(16) In conc. tolet. 4. c. 36. (17) D. 15. sect. 3.
(18) D. 3. n. 114. (19) Sess. 7. can. 11. de sacr.
(20) In sess. 14. can. 9. de poen. (21) Sess. ult.

instituta. Id pariter certum est, quia baptizati ab haereticis, qui ecclesiam romanam non credunt esse veram ecclesiam, nequaquam sunt rebaptizandi. Hic tamen bene advertit Sylvius [1]: *Quod si quis nollet facere quod ecclesia romana facit, etiamsi esset vera Christi ecclesia, sacramentum non subsistit, quia revera non habet intentionem faciendi quod Christus instituit.*

22. Dicendum 3. non requiri ad valorem sacramenti intentionem explicitam conficiendi sacramentum aut producendi effectum sacramenti; sed sufficere intentionem peragendi ritum qui ab ecclesia habetur pro sacro. Ratio quia (ut supra dictum est) sufficit intentio faciendi quod facit ecclesia. Ita communiter Suar. [2] Tourn. [3] et eius Continuator [4] Conc. [5] Viva [6] et alii omnes ex d. Thom. [7] qui docet valide conferri baptismum, *quamvis ille qui non credit baptismum esse sacramentum, aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quod facit ecclesia, etsi illud reputet nihil esse. Et quia ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.* Recte vero advertunt Cont. Tourn. [8] Ronc. [9] cum Bon. etc. quod si quis unquam crederet sacramentum non confici, nisi habeatur intentio explicita conficiendi sacramentum, et hanc intentionem non haberet, nullum conficit sacramentum; quia tunc non intendit facere quod facit ecclesia. Item advertendum quod, licet valeat sacramentum, etiamsi minister non habeat explicitam intentionem conferendi sacramentum vel eius effectum; modo (ut diximus) intendat facere quod facit ecclesia, quia tunc implicite habet intentionem conferendi sacramentum, ut vidimus mox supra ex d. Th.: si tamen intentionem positive contrariam habeat non conferendi sacramentum, tunc non confert sacramentum, quia revera tunc non habet intentionem neque explicitam neque implicitam faciendi quod facit ecclesia, ut docet d. Thom. [10] qui ait: *Intentio ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat.* Nota verbum *praecipue*, ergo si tantum interius derisorie agit, nec etiam confert sacramentum. Idque confirmat idem s. doctor [11] dicens: *Intentio ludicra* (non actio ludicra) *vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum.*

Praeterea non requiritur intentio explicita celebrandi ritum externum, ut formaliter et absolute sacrum. Hoc patet, nam alias baptismus collatus a paganis qui sacramenta ignorant aut irrident, esset nullus; sed Nicolaus I. cum consultus fuisset a bulgaris de valore baptismi collati a iudaeo vel pagano, respondit esse validum, si collatus fuerit cum vera materia et forma: valet enim talis baptismus ob intentionem generalem faciendi quod audierit iudaeus vel paganus fieri ab ecclesia Christi [12].

23. Hic autem occurrit magna illa quaestio olim excitata, ut ferunt, ab Ambrosio Catharino; et nostris temporibus valde agitata, nempe an ad validitatem sacramenti requiratur ut minister habeat intentionem faciendi ritum sacrum quem intendit ecclesia.

Prima sententia negat; duplicem enim distinguit intentionem, unam faciendi solum actum externum quem facit ecclesia, et hanc dicit esse necessariam; alteram faciendi actum externum non simpliciter, sed ut sacrum sive sacramentalem quem Christus instituit, et ecclesia intendit, hancque tuetur non requiri. Haec sententia plures quidem insignis nominis patronos

(1) 3. p. q. 64. a. 8. (2) 3. p. q. 64. sect. 8. a. 8. (3) Praelect. theol. de sacr. in gen. q. 7. a. 1. concl. 2. (4) De sacram. in gen. c. 2. a. 1. sect. 2. punct. 3. §. 1. concl. 2. (5) T. 8. p. 84. a. 1. (6) In prop. 28. damn. ab Alex. VIII. n. 1. (7) In 4. d. 6. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. (8) Loc. cit. prob. 3. v. Dixi. (9) C. 4. q. 3. (10) 3. p. q. 64. a. 10. (11) Eod. a. 10. ad 2. (12) C. A quodam d. 4. de consecr.

habet, et praecipue Iuenin. Contensonium M. Serri Genettum p. Milante; eamque non obscure videtur etiam tradidisse p. Salmeron[1] qui dixit: *Advertendum duplicem esse intentionem ministri conferentis sacramentum, alteram quidem publicam et ecclesiae ipsius, cuius ministerio perfungitur. Haec autem intentio satis exprimitur in ipsis sacramentorum formis; intendit enim ecclesia per huiusmodi verba baptizare, confirmare etc. Haec autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integre, ut debent, proferantur.* Huius autem sententiae Bellarm.[2] et Lugo[3] auctorem faciunt praefatum Ambrosium Catharinum; sed Tourn.[4] et p. Conc.[5] quaerunt vindicare Catharinum, dicentes tantum ipsum voluisse non requiri intentionem quae respicit effectum sacramenti, vel ritum externum prout sacrum ab ecclesia celebratum. Sed quidquid sit de hoc, ratio huius sententiae est quia ex Tridentino non requiritur in ministro intentio faciendi quod ecclesia intendit, sed tantum faciendi quod facit ecclesia; et ideo sufficit ut minister serio applicet materiae debitam formam, ut facit ecclesia.

Secunda sententia vero communis et sequenda affirmat omnino requiri intentionem ministri faciendi ritum sacramentalem quem intendit ecclesia; hanc tenet Bellarm.[6] qui ait oppositam non differre ab errore novatorum, item Lugo[7] qui dicit eam ab omnibus meritissime reiici, et saltem non multum distare ab errore haereticorum. Vasquez[8] qui contrariam vocat damnatam, item Tourn.[9] et eius Continuator[10] Petroc.[11] Conc.[12] Croix[13] Viva[14] Antoine[15] Salm.[16] cum Suar. Bonac. et aliis: et hanc sententiam tuetur etiam ss. p. Bened. XIV.[17]. Probatur 1. ex Trid.[18] ubi requiritur intentio faciendi quod facit ecclesia; ergo non sufficit intentio tantum serio applicandi formam materiae, ut facit ecclesia; reipsa enim haec intentio, dum actio externa ponitur, est ab actione inseparabilis, ut dixit p. Salmer.[19] sed ultra requiritur intentio faciendi ritum sacramentalem quem facit ecclesia: alias tam conc. Trident. quam constantiense frustra praeter materiam et formam requisivissent intentionem ministri faciendi quod facit ecclesia. Probatur 2. ex eod. Trident. et fortius ex propos. 28. damnata ab Alex. VIII. quae dicebat: *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit ecclesia.* Nota verba *intus vero:* ergo damnavit pontifex opinionem non requirentem intentionem internam faciendi quod facit ecclesia. Reponunt adversarii, et praecipue p. Milante, propositionem praefatam ideo fuisse damnatam, quia comprehendebat omnem ritum sive serio sive ioco peractum. Sed respondetur 1. nullum in propositione verbum fieri de administratione iocosa. Respondetur 2. quod superflua quidem fuisset haec damnatio, si sola administratio iocosa fuisset reprobata, haec enim iamdudum a Tridentino proscripta fuit: nec tempore huius damnationis aliquis erat qui errorem Lutheri renovaverit; nam, ut ferunt Vanroy[20] Aurelius Piette[21] et Henno[22] thesis proscripta fuit decerpta ex thesibus Farvacquesii, qui sententiam de externa intentione, exclusa iocosa administratione, acriter propugnarat. Hinc dicendum cum ss. p. Bened. XIV.[23] saltem grave vulnus ex praefata prop. damn. inflictum fuisse sententiae Catharini.

Probatur 3. ratione, qua evincitur necessariam esse intentionem internam ministri ad conferendum sacramentum; ut enim habetur ex d. Th.[24]

(1) Lib. 1. d. Pauli epist. p. 3. disp. 2. (2) L. 1. de sacr. c. 27. (3) Eod. tit. d. 8. sect. 2. (4) Praelect. theol. de sacram. in gen. q. 7. a. 1. de sent. Catharini. (5) T. 8. p. 65. n. 8. (6) L. c. (7) Loc. cit. (8) Disp. 138. (9) Loc. c. in fin. (10) C. 2. a. 2. punct. 3. §. 1. concl. 3. (11) T. 3. c. 5. q. 2. (12) T. 8. p. 67. §. 3. (13) L. 6. p. 1. n. 34. (14) De sacr. q. 1. a. 4. n. 6. (15) De sac. c. 2. n. 3. (16) Tr. 1. c. 7. p. 3. n. 26. (17) Aur. lib. de synodo l. 7. c. 4. n. 9. (18) Dict. can. 11. sess. 7. (19) Ut supra. (20) T. 4. (21) T. 5. (22) T. 1. disp. 4. q. 2. a. 2. (23) Cit. l. de synodo n. 8. (24) 3. p. q. 64. art. 8.

quae in sacramentis aguntur ad plura referri possunt, prout ablutio in baptismo referri potest ad munditiam corporalem et spiritualem; ideo oportet ut per intentionem abluentis referatur et determinetur ad unum, id est ad effectum sacramentalem sive ad ablutionem spiritualem. Hic autem nolumus immorari ad discutiendos plures textus d. Th., in quibus obscure locutus est, pro quorum solutione adi p. Conc. et Cont. Tourn.[1]. Sed s. doctor[2] clare docuit, ultra ritum externum omnino requiri internam intentionem dicens: *Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi et faciendi quod facit ecclesia; quorum trium, si aliquid desit, idest, si non sit debita forma verborum, et si minister sacramenti non intendat sacramentum conferre, non perficitur sacramentum.*

Idque maxime confirmatur auctoritate ss. pontificis Bened. XIV.[3] qui reprobat opinionem Caietani et Soto, qui volebant sufficere in suscipiente baptismum voluntatem neutralem, nempe non consentientem neque repugnantem; et declarat ex mente Innoc. III.[4] quod sacramentum baptismatis tunc effectum habet, quando quis vel actu praebet, vel iam antea praebuit voluntatem; et si neque consentit neque dissentit, licet externe compositus, nequit baptizari, si numquam antea habuit voluntatem suscipiendi baptismum. Hoc posito, nempe quod in subiecto necessario requiritur intentio suscipiendi sacramentum, deinde transit pontifex ad intentionem requisitam in ministro, et mentionem faciens de opinione Catharini, dicit: *Haec opinio* (nempe Caietani) *minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum.* Ergo tanto magis in conferente, ultra compositionem externam interna requiritur intentio. Tandem quamvis sententia opposita esset probabilis, nulli dubium (ut ait pont. Bened. XIV.[5]) eam non posse in praxi adduci ex prop. 1. damn. ab Innoc. XI. ubi declaratum fuit in conferendis sacramentis illicitum esse sequi opinionem probabilem, relicta tutiore. Hinc recte docet praefatus pontifex, quod si constet quempiam baptismum aut aliud sacramentum initerabile administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit ecclesia, urgente necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, sedis apostolicae oraculum erit exquirendum.

24. Quaer. 4. Si minister habeat duas intentiones contrarias, quaenam debeat praevalere. Resp. 1. Si voluntates istae sint simul, praevalet praedominans; nempe, quae eligeretur, cognita incompossibilitate. Resp. 2. Si inter voluntates contrarias una succedat alteri, posterior valet, nisi prior revocaverit (saltem virtualiter) omnem voluntatem subsequentem; tunc enim prior voluntas modo expresse non revocetur, certe praevalet. In his autem, si adhuc remanet dubium, dubius erit valor sacramenti; nam ut valor sacramenti tamquam certus habeatur requiritur (sufficit) praesumptio, quae sit moraliter certa, excludens omnem oppositam formidinem. Ita Viva[6] Lugo[7] et Croix[8] cum Bosco Pallav. Dicast. etc. Si quis autem contraheret matrimonium, intendens illud esse solubile, tali animo, quod si sciret esse insolubile, non contraheret, tunc nullum esset matrimonium, ut recte docent Lugo[9] Sanch.[10] Croix[11] cum Perez Conc. etc. Et idem dicunt Bellar. Vasq. et Dic. cum aliis apud Croix de infideli, qui sic contraheret. Ratio quia matrimonium de sua natura est indissolubile; unde qui sic contraheret apponeret conditionem contra substantiam matrimonii, ac ideo illud invalidantem[12]. Valide tamen contraheret, ut ait Lugo[13] cum Suarez, si quis per

(1) Locc. cc. (2) Opusc. 8.
(3) In sua Instruct. ad vicesgerentem data Romae 28. febr. 1747. (4) In c. Maiores, de baptismo.
(5) Cit. l. de synod. n. 9.
(6) D. 7. q. 1. a. 4. n. 9. (7) De sacr. d. 8. n. 124.
(8) L. 6. p. 1. n. 69. (9) L. c. n. 128.
(10) De matr. l. 2. d. 13. (11) L. c. n. 72.
(12) Iuxta cap. fin. de condit. appos. (13) N. 132.

errorem putaret matrimonium esse solubile; quia error privatus non tollit ei intentionem generalem contrahendi modo quo debet.

25. « Dixi 1. *saltem virtualis:* tum quia non sufficit interpretativa vel habitualis (qualis etiam potest esse in ebrio et dormiente); cum actus ab ea procedens non sit humanus et deliberatus, seu liber in se: tum quia actualis, qua scil. actu intendis et vis hoc facere, etsi melior sit et consulta, non tamen requiritur; cum enim ea non sit in nostra potestate, et homo facile distrahatur, nimis durum et plenum scrupulis fuisset, si hanc Christus requisivisset. Virtualis autem dicitur quae ex actuali praecedente relicta durat in aliqua actione vi illius incoepta et continuata: ut si ex intentione baptizandi, vel celebrandi vadas ad ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare vel baptisterium accedas, etsi interim omnia alia cogites. Ratio est quia hoc sufficit, ut actio illa sit humana et moralis. Laym. [1].

Unde resolves:

» 1. Si sacerdos habens forte ante se panem, recitet factum et verba Christi; non ideo consecrat.

» 2. Impotens rationis, ebrius, vel somnians, non conficit sacramentum, etiamsi ante ebrietatem vel somnum id intenderit; quia non agit humano modo. Layman [2] (Ita communiter Suarez Vasquez Con. etc. apud Croix [3] contra Cabrera).

» 3. S. Athanasius in lusu puerili vere baptizavit, quia intendit facere quod viderat in templo fieri ab episcopo.

» 4. Haereticus valide baptizat et contrahit matrimonium, etsi non credat hoc esse sacramentum, rideat et contemnat: imo etsi nolit facere quod facit ecclesia romana, sed quod sua; falso putans non romanam, sed suam esse veram; etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio est quia intentio generalis qua vult quod Christus instituit, praevalet intentioni provenienti ex errore privato. Bon. [4] Suar. Fill. etc.

» 5. Non debet repetere sub conditione consecrationem, qui in ipsa fuit distractus (*Vide dicta supra n.* 14.) vel qui minores hostias ad altare detulit, de quibus maiorem consecrans, non explicite cogitavit, nec detexit.

» Dixi 2. *absoluta;* quia conditionata suspendit effectum, quod, praeterquam in matrimonio, fieri non potest.

Unde resolves:

» 1. Validum est sacramentum collatum sub conditione praeterita aut praesenti necessaria vel contingente, si conditio vere sit impleta: v. gr. absolvo te si vis dimittere concubinam, si capax es; baptizo te si non es baptizatus. Bon. [5].

» 2. Nullum est sacramentum datum sub conditione futura, sive sit haec contingens, ut absolvo te si restitues, si dimittes concubinam etc., sive necessaria adiecta animo suspendendi sacramentum, ut absolvo te si cras sol orietur. Bon. [6] Suarez Con. etc. contra Dic. et Esp.

» 3. Dubium est sacramentum collatum sub conditione occulta, humano modo incognoscibili: v. gr. baptizo si es praedestinatus, si Deus videt te hoc anno moriturum.

» 4. Graviter peccat qui administrat sacramentum (excepto matrimonio) sub conditione, non solum futura, (quod semper est mortale) (Ut Salm. [7] cum Gran.), sed etiam praesenti aut praeterita; sive in se sit prorsus occulta, quod etiam est mortale; sive humano modo cognoscibilis: quod tamen nullum est si fiat ex causa rationabili; raro veniale, saepius mortale, si absque ulla causa. Ratio est quia aut nullum facit sacramentum, aut dubium, aut validum quidem, sed non sine nugatione in re gravi. Vide Bonac. [8] Suar. Conc. etc. schol. »

26. Quaer. 1. An sit validum sacramentum collatum sub conditione. Si conditio est de praeterito vel de praesenti, sine dubio, verificata conditione, sacramentum est validum. Ita comm

(1) L. 5. t. 1. c. 5. (2) Loc. cit.
(3) L. 6. p. 1. n. 35 (4) Q. 3. p. 2. §. 2.
(5) Q. 3. p. 2. n. 13. (6) N. 19.
(7) Tr. 1. c. 7. p. 6. n. 39. (8) Loc. cit.

niter Suar. [1] Laym. [2] Cont. Tournely [3] Pal. [4] cum Conc. Bon. etc. Si vero conditio sit de futuro, nullum quippe est sacramentum collatum, ut Tournely [5] cum Bus. et aliis, ut supra communiter. Ratio quia, ut sacramentum valide conferatur, forma est applicanda materiae praesenti, alias haberetur effectus sacramenti, quando forma et materia iam desierint adesse. An autem valide absolveret confessarius sic dicens: *Absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues.* Affirmant Viva[6] et Henr. Arriaga et Bernal. ap. Croix [7] qui id valde probabile putat; quia (ut dicunt) tunc iam apponitur conditio de praesenti, cum Deo omnia futura sint nota. Sed huic opinioni rectius contradicunt Contin. Tourn. [8] Conc. [9] item Coninch. Avers. et Dicast. ap. Croix [10]. Ratio quia, cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio quae non possit cadere sub humana cognitione.

27. Quaer. 2. An sit licitum conferre sacramentum sub conditione. Quoad sacramenta characterem imprimentia, certum est apud omnes licitum esse; et patet ex *c.* 2. *de bapt.* ubi dicitur: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es ego te baptizo.* Et quamvis Iueninus [11] et Tourn. [12] asserant ante saec. VIII. non haberi mentionem in patribus et conciliis praedictae formulae conditionatae, tamen docet ss. p. Bened. XIV. [13] ex eo non recte inferre Nat. Alex. non fuisse in usu in collatione sacramentorum, conditionem apponi; nam asserit ex constanti ecclesiae praxi satis probari oppositum. Tantum (ait) in saec. VIII. conditio illa quae prius mente detinebatur, exprimi coepit.

28. Communiter autem dicunt dd. etiam alia sacramenta posse conferri et reiterari si iusta causa adsit. Ita Suar. [14] Pal. [15] Ronc. [16] Habert [17] Salm. [18] Bon. [19] cum Sa Con. Henr. Reg. etc. communiter: et non dissentit Cont. Tour. [20] contra Iuen. [21] et Ant. [22] qui aiunt tantum in sacr. baptismi id licere quando adest prudens dubium de eius valore (*V. dicenda de bapt. n.* 136.): in aliis vero putant non licere nisi in necessitate. Sed nos primae sententiae subscribimus, cum conditio, iusta causa accedente, omnem reparet irreverentiam sacramenti. Diximus *iusta* (sive rationabili) *causa accedente*, ut loquuntur Suar. Pal. Bonac. Salm. [23] Ronc. [24] item Croix [25] Elb. [26] et Spor. [27]. Nam commune est cum praefatis aa. (contra aliquos) esse peccatum mortale ministrare sacramenta si non adsit causa necessitatis vel gravis utilitatis: illicitum est enim sine tali causa sacramentum conferre cum dubio effectus. Licitum autem est, ut dicunt Suar. Ronc. Bonac. Salm. et alii communiter, confessario prudenter dubitanti an absolverit poenitentem absolvere sub conditione. Et idem dicunt Cont. Tourn. [28] et Mazz. [29] quando absolvendus est puer, de quo dubitatur an compos sit rationis. Si quis autem iudicans poenitentem esse dispositum, eum sub conditione absolveret, dicens: *Ego te absolvo si dispositus es;* recte dicunt Cont. Tournely [30] et Salm. [31] quod is non peccaret mortaliter, sed non excusaretur a culpa veniali, cum hoc esset contra ritum ecclesiae. Idem ait Croix [32] de eo qui sine rationabili causa repeteret unum verbum vel syllabam formae.

29. Certum autem est quod casu quo

(1) In 3. p. d. 13. sect. 3. (2) L. 5. tr. 1. c. 5. n. 15. (3) De sac. c. 2. a. 1. p. 3. §. 3. concl. 1.
(4) De sacr. d. un. p. 5. n. 7. (5) Loc. cit.
(6) De sacram. d. 3. q. 1. a. 3. n. 15. (7) L. 6. p. 1. n. 81. (8) Loc. c. (9) T. 8. p. 87. n. 9.
(10) Loc. c. (11) De sacr. d. 1. q. 3. c. 5. a. 1.
(12) Praelect. theol. de sacram. quaest. 1. in fin.
(13) De synod. l. 7. c. 6. n. 1. (14) D. 13. sect. 3. concl. 3. (15) D. p. 5. n. 7. (16) De sacram. c. 4. q. 6. r. 3. (17) T. 5. c. 12. q. 2. r. 2.
(18) De sacram. in genere c. 7. p. 6. n. 56.
(19) Eod. tit. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3. n. 20.
(20) De sac. c. 2. a. 1. p. 3. §. 3. con. 2. v. Dubium.
(21) Inst. theol. t. 7. p. 35. (22) De sacram. c. 2. q. 3. v. Nota. (23) Loc. c. (24) Loc. c.
(25) L. 6. p. 1. n. 129. (26) T. 5. p. 15. n. 51.
(27) T. 3. p. 1. c. 2. sect. 2. n. 97. et sect. 3. n. 129.
(28) Loc. c. (29) Tr. 6. d. 1. c. 7. q. 4. n. 5.
(30) Ibid. concl. 2. v. Imo peccaret.
(31) Cit. n. 56. (32) L. 6. p. 1. n. 129.

adest extrema proximi necessitas, et non habeatur materia, nisi dubia, tunc minister non solum potest, sed tenetur sub gravi sacramentum ei ministrare sub conditione, ut docet Lugo [1] cum Suarez Vasq. Con. Cai. Sylv. et communi apud Viva [2] (*Vide dicenda n.* 102. *v. Materia, et de poen. n.* 480.). Advertit tamen Lugo [3] quod si postea certa habeatur materia, et locus erit, repetendum est sacramentum sub conditione, si forte primum invalidum fuerit; et idem ait Croix [4] cum Tamb. Gob. etc. Intellige hoc de sacramentis non iterabilibus, ut baptismo, confirmatione et ordine. Notandum praeterea quod si sacramentum sit ministrandum sub conditione, nullatenus requiritur ut conditio ore exprimatur, sed sufficit mente concipere [5]. Ita Cont. Tourn. [6] Ronc. [7] cum Pal. Gobat. etc. apud Croix [8] ubi Moya hoc asserit commune, et Escob. putat certum. Quando vero publice confertur baptismum dubium, rationabiliter dicit Cont. Tourn. [9] conditionem exprimendam, ne adstantes credant baptismum absolute reiterari contra legem ecclesiae.

Utrum autem peccaret mortaliter is qui sine necessitate plures simul baptizaret, vel absolveret sub una forma. Affirmant Scot. Gabr. et Con. ap. Croix [10]. Sed negat Croix cum Val. Henr. Reg. Dic. et aliis, quia non videtur haec notabilis mutatio; omnes tamen dicunt, quod is non excusaretur saltem a veniali. *Vide de ministro Baptismi.*

DUBIUM II. Quid requiratur in ministro ut licite ministret.

50. *Vide quae se habent de hoc apud Busemb.*
51. Primo *de statu gratiae requisito in ministris sacramentorum ad ea ordinatis.*
52. *Qu.* 1. *Quid de aliis ministris ad ea non ordinatis. An sacerdos baptizans non solemniter graviter peccet. Vide infert.* 1. *An contrahens matrimonium in mortali duplex sacrilegium committat. Vide infert.* 2.
53. *An excusentur ministrantes in mortali, si urgeat necessitas. Quid de ministrantibus in nosocomiis, de obstetricibus, et maxime de parochis etc., ministrantibus in necessitate.*
54. *Qu.* 2. *An conferens sacramenta teneatur praemittere confessionem, si sit in mortali.*
55. *Qu.* 3. *An peccet graviter sacerdos, sive diaconus ministrans eucharistiam in mortali. Quot peccata committat sacerdos celebrans in mortali. An ministrans eucharistiam pluribus successive, committat plura peccata. An peccet graviter tangens ex officio eucharistiam in mortali.*
56. *Qu.* 4. *An peccet graviter confessarius tantum audiens confessionem in mortali. Qu.* 5. *An confessarius plures successive absolvens, plura sacrilegia committat.*
57. Secundo *de statu gratiae requisito in exercentibus alias functiones sacras.*
58. *De diacono et subdiacono ministrante altari in mortali.*
59. *De episcopo conferente in mortali chrisma, vel oleum sanctum.*
40. *De episcopo consecrante in mortali templa, vel benedicente vestes, etc. Et de sacerdote assistente matrimonio, vel benedicente aquam, cineres etc.*
41. *An praedicator concionans in mortali, peccet mortaliter.*
42. *Vide apud Busemb. de ministro utente materia vel forma dubia, vel corruptam proferente formam, vel omittente caeremonias.*
43. *An sacramenta sint indignis deneganda. Dicendum* 1. *Generaliter loquendo, sacrilegium est ministrare sacramenta indignis.*
44. 2. *Peccatori publico negandum est sacramentum, sive occulte sive publice petat.*
45. *Dub.* 1. *Quid si peccatum sit notum tantum aliquibus adstantium.*
46. *Dub.* 2. *Quid si crimen sit publicum in alio loco.*
47. *Dub.* 3. *An peccatori publico possit unquam ministrari eucharistia.*
48. *Dub.* 4. *Quid agendum in dubio de crimine, et de poenitentia.*
49. *Dub.* 5. *An minister ob metum mortis possit dare sacramentum indigno.*
50. 3. *Peccatori occulto publice petenti non est negandum sacramentum. Secus si petat occulte.*
51. *Qu.* 1. *An confessarius possit negare sacramentum ob crimen auditum in confessione.*
52. *Qu.* 2. *An episcopus possit negare sacramentum ordinis peccatori occulto publice petenti.*
53. *Qu.* 3. *An possit absolvi ordinandus habituatus in vitio turpi, qui vult ascendere ad ordines sacros. Remissive ad num.* 63. *in fine huius dubii.*
54. *Qu.* 4. *An parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris. Et ad quid teneatur circa impedimenta.*
55. *Qu.* 5. *An unus sponsorum possit licite matrimonium inire cum altero excommunicato, vel publico peccatore.*
56. *Et an liceat coniugia contrahere cum haereticis.*
57. *Qu.* 6. *An in sacramentis conferendis liceat uti opinione probabili.*

(1) De sac. d. 8. n. 140. (2) Trut. append. §. 11.
(3) Resp. mor. l. 2. n. 10. (4) N. 125.
(5) Sed quia non desunt auctores aliqui, ut Genet. Iuenin. Contens. Serry etc. qui tenent (licet parum probabiliter) valorem sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere. S. Alph. Quaest. ult. reform. 17.
(6) De sacram. c. 2. a. 1. punct. 5. §. 3. concl. 3.
(7) c. 4. q. 5. (8) N. 83. (9) L. c. (10) N. 44.

58. *Qu.* 7. *An, et quando ministri teneantur ministrare sacramenta.*
59. *Qu.* 8. *An liceat simulare administrationem sacramenti.*
60. *An liceat simulare susceptionem sacramenti. Sed quid si quis simulet se confiteri.*
61. *Quid si quis simulet communicare.*
62. *Quid si quis simulet contrahere matrimonium.*
63. *Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, an possit absolvi volens ordinari in sacris, usque ad num.* 77.

30. « Resp. 1. Praeter ea quae ad valorem requiruntur, requiritur probitas, sive ut sit in gratia: tum quia Christo, cuius est minister, debet se conformare; tum quia sancta sancte sunt tractanda; tum quia ad hoc quidem singulariter ordinatur, et gratia peculiari donatur, ac proinde hoc curare prae aliis est obligatus. Ita Laym. [1] et communiter.

Unde resolves:

» 1. Peccat graviter qui conficit sacramenta non habens sufficientem iurisdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui censura est prohibitus.

» 2. Non licet sacerdoti administrare sacramenta cum attritione cognita: quia adhuc est extra statum gratiae. Bon. [2].

» 3. Non tamen necessario praemittit confessionem (nisi velit celebrare), etsi sit consultius: quia de hoc nullum est praeceptum, et ad delendum mortale sufficit contritio. Vasq. [3] card. de Lugo [4].

» 4. Minister sacramenti ad id ordinatus, si conficiat et ministret solemniter in mortali, v. gr. si baptizet vel celebret, peccat mortaliter toties quoties (quod etiam verum esse volunt Sayr. Led. Bon. Gran.[5] de diacono ex speciali commissione baptizante), nisi forte periculum sit in mora nec possit tam cito confiteri aut conteri: eo enim casu baptizare vel etiam absolvere moribundum, in statu peccati, non esse irreverentiam docet card. de Lugo [6].

» Dixi 1. *ad id ordinatus*; etsi enim laicus in necessitate baptizet cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter docent Con.[7] Fill. [8] ex Suarez etc.

» 2. *Solemniter:* nam si sine solemnitate baptizet, excusant a mortali Suarez Conc. Fill. [9].

» 5. Alii qui conficiunt et ministrant, non peccant mortaliter, v. g. cum laici in necessitate baptizant vel ministrant sibi invicem matrimonium in mortali. Ita contra Sylv. Vasq. et alios docet Suarez cum aliis; qui tamen vult eos peccare mortaliter, quatenus hoc in mortali suscipiunt. Ita etiam Fill. Fern. Sanchez Conc. [10].

» 6. Qui ministrat, etsi non conficiat, eucharistiam in mortali, peccat mortaliter, ut habet communis Suar. Filliuc. Laym. Bon. et aliorum contra Vasquez cuius sententiam Dian. recte notat esse probabilem, sive sit sacerdos sive diaconus, ut *vide p.* 3. *t.* 4. *r.* 195. Idem docet card. de Lugo [11]. Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi quot communicantur: quod minus videtur probabile, cum moraliter non sit nisi una distributio et una indigna ministratio: ita Tann. [12] Henr. Fill. [13] etc. contra Con. et Bon.

» 7. Etsi probabile sit, quod docent Sylv. Cai. Fil.[14] Nav. et Sa[15] diaconum et subdiaconum, si cum mortali in ordine suo ministrent, item sacerdotem et episcopum, si sacramentalia exerceat, nuptias, aquam benedicat, altaria, templa, vasa consecret, concionetur, eucharistiam de loco in locum transferat, peccare mortaliter: contrarium tamen videtur verius, ut docent Suar. Vasq. Laym. Con.[16] card. de Lugo [17]. Ratio est quia hae actiones non tendunt proxime ad sanctificationem animae ex opere operato sicut actiones sacramentales.

» 8. Non videtur vera esse sententia quae docet esse mortale tangere in mortali corporalia, calices, reliquias etc. Sayr. Suar. Bon. [18]. Quod si quis in mortali (etiam laicus in necessitate) elevet de terra eucharistiam, non vi-

(1) Loc. cit. (2) Q. 5. punct. 2. §. 1.
(3) D. 156. c. 1. (4) D. 3. sect. 9.
(5) Cont. 3. tr. 5. (6) D. 3. s. 9. n. 151.
(7) L. c. (8) T. 1. c. 5. q. 10. (9) L. c.
(10) Q. 64. a. 6. d. 1. (11) D. 8. n. 155.
(12) 2. 2. (13) N. 37. (14) T. 1. tr. 1. c. 6. n. 37.
(15) V. Ordo. (16) Q. 64. a. 6. dub. 1.
(17) Loc. cit. (18) D. 1. q. 5. p. 2.

detur aliud agere, quam si Christum in hac vita lapsum elevasset: secus tamen si quis id extra necessitatem temere praesumat, exemplo Ozae. Bon.[1].»

31. Distinguere hic oportet confectionem et administrationem sacramentorum ab aliis functionibus sacris.

Et 1. Quod ad sacramentorum confectionem sive administrationem pertinet, commune et certum est apud dd. (quidquid dicant aliqui non audiendi apud Croix) quod minister sacramenti ad id ordinatus, si conficiat et ministret solemniter in mortali, mortaliter peccat. Rationem affert d. Thom. [2] dicens: *Conveniens esse ut sacramentorum ministri sint iusti, quia ministri debent domino conformari.... et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

32. Sed quaeritur 1. An peccet graviter minister qui confert in mortali sacramentum, ad quod non sit specialiter ordinatus. Haec quaestio quippe tantum locum habet in baptismo et matrimonio, nam alia sacramenta patet non posse ministrari nisi a ministris consecratis.

Prima sententia negat, et hanc tenent p. Concina [3] qui vocat veram et commun., Tourn. [4] Nat. Alex.[5] Anacl.[6] Salm. [7] cum Suar. Bon. et Valent. item Gon. Hab. Iuen. etc. ap. Cont. Tourn. [8]. Et expresse eam docet s. Th.[9] qui ait: *In articulo tamen necessitatis* (sacerdos) *non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet quod non exhiberet se ministrum ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut baptismus.*

(1) D. 1. q. 3. p. 2. n. 12. (2) 3. p. q. 64. a. 6. (3) T. 3. p. 90. n. 15. (4) Praelect. theol. de sacram. q. 7. concl. 2. (5) De sacram. l. 2. reg. 8. (6) P. 552. n. 45. (7) De sacr. in gen. c. 7. p. 10. n. 37. (8) De sacr. c. 2. a. 1. sect. 2. p. 1. § 2. v. Dixi 2.

Haec sententia est quidem probabilis: sed, spectata ratione, videtur probabilior *secunda sententia* affirmans quam tenent Continuat. Tournely [10] Croix [11] Antoine [12] et Lugo cum Vasquez Pont. Navarr. Led. etc. Haec sententia docet quod per se loquendo laicus sive sacerdos ministrans non solemniter, graviter peccat ministrando in mortali. Ratio, tum quia peccatum quod committit indigne ministrans, iuxta doctrinam d. Thomae *num. praeced.* allatam, consistit in irreverentia quae irrogatur Deo et sacramento: et quidem haec irreverentia non tantum infertur a ministro consecrato, sed et a non consecrato: tum quia hic, licet tunc non se exhibeat ut ministrum ecclesiae, tamen se exhibet ut ministrum Christi: tum quia sancta sancte tractanda sunt, et sane sub gravi in re gravi: actio autem ministrandi sacramenta est quidem eximie sancta, quia fit nomine Christi, et est immediate cooperans in sanctificationem animae, unde a quocumque exerceatur, ipsius sanctitatem requirit.

Hinc infertur 1. probabilius esse cum Cont. Tourn. Ant. Croix [13] et aliis ap. Salm. [14] laicum sive sacerdotem ministrantem non solemniter baptismum in necessitate, peccare graviter si ministret in mortali.

Infertur 2. probabilius peccare graviter contrahentes matrimonium in mortali, non solum sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando, ut dicunt Pontius [15] Lugo [16] cum Nav. Vasq. Led. etc. (contra Sanchez [17] Suar. [18] Bon. [19] cum Soto etc.) nostramque sententiam Croix [20] absolute veram putat, eamque valere dicit, etiamsi matrimonium ineatur per procuratorem.

33. Diximus *per se loquendo*, nam per accidens minister tam consecratus, quam non consecratus excusatur, si ministret in mortali sacr. bapt., aut poen.

(9) 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. (10) Loc. cit. (11) N. 92. et 93. (12) Q. 6. (13) Locc. cc. (14) Tr. 1. c. 7. p. 10. n. 92. (15) De matr. l. 1. c. 8. n. 11. (16) De sacr. d. 8. n. 150. (17) De matr. l. 2. d. 6. n. 4. (18) De sacr. d. 16. sect. 2. (19) D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 10. (20) L. 6. p. 1. n. 93.

in necessitate, puta si non posset tam cito conteri, et periculum esset quod moribundus decederet sine baptismo aut absolutione, ut communiter docent cum Bus. *ut supra* Lugo [1] Roncag. [2] Continuat. Tourn. [3] Antoine [4] Croix [5] Salmantic. [6] cum Vasquez Concin. etc. Et idem ait Moya apud Croix [7] de confessario qui non posset tam cito conteri, quin incurrat notam infamiae. Idem dicunt Tamb. [8] et Lugo [9] cum Vasq. et Henriq. de sacerdote, qui incoepta missa in bona fide recordaretur peccati mortalis, et valde difficulter conteri posset, et contra nequiret sine infamia cessare ab inchoato sacrificio; sed his opinionibus merito contradicit Conc. [10]. Ratio quia ex una parte urget praeceptum divinum, ut sacramentum in gratia conficiatur aut suscipiatur, et ex altera non est impossibile tali sacerdoti actum contritionis elicere; etenim Deus (ut docet Trid. [11]) *impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis.* Ergo si sacerdos non se conterit, ex culpa sua provenit, vel quia non conatur quantum potest, cum hic tempus sufficiens adsit (secus in primo casu moribundi), vel quia peccato adhaeret.

Praeterea hic notandum cum Cont. Tourn. [12] quod sacerdotes ministrantes in amplis nosocomiis aut in castris, cum ibi necessitates morientium sint obviae, tenentur semper se paratos habere ad ministranda sacramenta in gratia. Et idem ex eadem ratione rationabiliter ait Cont. Tourn. [13] de obstetricibus. A fortiori autem ad id tenentur parochi aliive sacerdotes quibus ex officio incumbit sacramenta ministrare, ut bene ait Nat. Alex. [14] referens monitum s. Caroli Borr. in suis instruct. ubi haec habentur: *Parochus omnisque sacerdos cuius est sacramenta administrare, meminisse debet omni fere temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctae administrationis munus.*

34. Quaeritur 2. An sacerdos conferens sacramenta teneatur praemittere confessionem, si sit in mortali. In confectione eucharistiae certum est ex Trident. praemittendam esse confessionem, iuxta *dicenda n.* 255. Quoad alia vero sacramenta

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Merbes. [15] Genet [16] Conc. [17] ex Catech. Rom. [18] ubi dicitur: *Cum sacramenta administramus aut percipimus, toties confessio praetermittenda non est.* Ratio, tum quia idem motivum praecepti quod currit in eucharistia valet etiam in aliis sacramentis; tum quia minister cum teneatur ministrare sacramenta in statu gratiae, debet habere moralem certitudinem de sua iustificatione, sicut habere debet de materia et forma; haec autem certitudo nequit haberi per contritionem quae difficillime et a paucis obtinetur.

Secunda sententia vero probabilior et communis negat necessitatem confessionis, et dicit sufficere quod eliciatur contritio. Hanc tenent Suar. [19] Lugo [20] asserens esse communem, Salm. [21] qui pariter asserunt communem esse hanc sententiam, scilicet quod satis sit elicere contritionem probabiliter existimatam, item Sylvest. [22] Laym. [23] Navar. [24] Victor. [25] Ronc. [26] Spor. [27] Croix [28] Viva [29] Elbel [30] qui etiam asserit communem, Bonac. [31] cum Reg. Fill. Henr. et aliis passim. Prob. 1. ex rit. rom. [32] ubi dicitur: *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Nota, *convenit*; ergo

(1) D. 3. n. 151. (2) De sacram. c. 4. q. 6.
(3) De sac. c. 2. a. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Dixi 1.
(4) De sacram. c. 2. q. 6. (5) L. 6. p. 1. n. 92.
(6) Tr. 4. c. 7. p. 10. n. 95. (7) Loc. cit.
(8) Meth. comm. c. 1. §. 10. n. 71. (9) D. 9. n. 3.
(10) T. 3. p. 550. n. 57. (11) Sess. 6. c. 11.
(12) L. c. v. circa. (13) Ibid. v. dixi 2. haec tamen.
(14) De sacr. l. 2. reg. 12. (15) T. 2. p. 71. concl. 3.
(16) T. 3. p. 33. q. 4. (17) T. 3. p. 94. n. 27.
(18) P. 2. c. 5. §. 45. (19) Loco inf. citando.
(20) De sacr. d. 3. n. 145. (21) Tr. 1. c. 7. p. 10. n. 94.
(22) V. Confessio. (23) L. 5. t. 1. c. 5. n. 10.
(24) Summ. c. 2. n. 6. (25) Summ. n. 155.
(26) De sacr. q. 4. c. 1. r. 6. (27) T. 3. n. 1).
(28) L. 6. p. 1. n. 95. (29) Q. 1. a. 4. n. 1.
(30) T. 3. p. 15. n. 49. (31) D. 1. q. 3. p. 2. n. 3.
(32) De sacrament. in genere.

ex rituali suffi cit poenitere per contritionem, et confessio est de convenientia, non de necessitate. Prob. 2. ratione, tum quia in aliis sacramentis non habetur praeceptum neque naturale, neque divinum neque ecclesiasticum de praemittenda confessione, ut habetur in suscipienda eucharistia: tum quia, ut ait doctissimus Suar.[1] licet confessio (ut vidimus) valde conveniat, tamen satis est ut sacerdos adhibeat diligentiam moralem ad se iustificandum per contritionem, quin summam adhibeat per confessionem; nec eadem ratio currit pro materia et forma sacramenti, quam pro licita administratione sacramenti; ibi enim cum agatur de substantia seu de veritate rei, probabilitas non potest efficere ut materia et forma inepta evadant apta; sed in licita administratione sacramenti, cum agatur tantum de modo, id est de honestate actionis, bene probabilitas efficit ut actio sit honesta, quando prudenter honesta iudicatur, quamvis in se forte talis non sit.

35. Quaer. 3. An peccet mortaliter sacerdos aut diaconus ministrans eucharistiam in mortali.

Prima sententia negat et hanc tenent Lugo[2] Spor.[3] Diana[4] et probabilem putant Salm.[5] cum Sylvio Vasq. Gabr. Led. etc. Viva[6] Croix[7] cum Arriaga Aversa Dicast. Amico Bernal. etc. Ratio quia distribuens eucharistiam, cum non conficiat sacramentum, tantum remote cooperatur ad productionem gratiae; non ponit enim actionem per se causantem gratiam, sed tantum applicat activa passivis; nec agit is nomine Christi, cum Christus non requisiverit ut distribuens sit persona sacra, olim enim etiam laici communionem sibi vel aliis porrigebant.

Secunda sententia vero quam sequimur, affirmat, eamque tenent Suar.[8] Conc.[9] Holzm.[10] Cont. Tourn.[11] Viva[12] Antoine[13] Laym.[14] Ronc.[15]. Item Gonet Bon. Valent. Conc. Fill. Vill. etc. apud Croix[16]. Probatur ex *c. Sciscitantibus, caus. 15. qu. 8.* ubi Nicolaus I. loquens de sacerdote adultero eucharistiam ministrante, dicit: *Mali bona administrando, se tantummodo laedunt.* Et cum haec materia, de qua agitur, sit gravis, consequenter graviter *se laedunt.* Item probatur ex catech. rom.[17] ubi dicitur: *Si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur?*

Item ex rit. rom. §. 1. ubi: *Impure et indigne ministrantes* (sacramenta) *in aeternae mortis reatum incurrunt.* Et *de sacr. euch.* dicitur: *Omnibus quidem ecclesiae catholicae sacramentis religiose sancteque tractandis magna cura adhibenda, sed praecipue in administrando ac suscipiendo ss. eucharistiae sacramento.* Ratio igitur nostrae sententiae est quia sacerdos ministrans eucharistiam in mortali, gravem irrogat iniuriam huic sacramento, eo quod ut minister ad illud dispensandum consecratus ipsum indigne ministrat: et sicut in aliis sacramentis minister proxime per confectionem concurrit ad sanctificationem suscipientium, ita hic proxime concurrit per dispensationem, cum minister eucharistiae non possit ut ministrum se exhibere aliter quam per dispensationem, iuxta illud d. Pauli[18]: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Nec valet dicere quod sacerdos non sit a Christo praecipue deputatus ad eucharistiam ministrandam, ex eo quod olim etiam per laicos hoc fiebat; nam licet per accidens in necessitate hoc laicis permissum est, sicut etiam et baptizare, tamen nemo potest negare quod mini-

(1) 3. p. d. 16. v. Quaeritur. (2) De sac. d. 8. n. 155.
(3) T. 3. p. 24. n. 172. (4) P. 2. t. 14. r. 25.
(5) De sacram. in gen. c. 7. p. 11. n. 100. ad 105.
(6) Q. 1. a. 4. n. 4. (7) L. 6. p. 1. n. 94.
(8) 3 p. d. 16 sect. 3. et 4. v. Dices.
(9) T. 3. p. 90. n. 17. (10) T. 2. p. 7. n. 29.
(11) De sac. c. 3. a. 1. sect. 2. p. 1. §. 2. v. Colliges 3.
(12) Loc. sup. cit. (13) De sac. c. 2. q. 6. v. Resp. 2.
(14) L. 5. tr. 1. c. 3. n. 8. (15) De euch. c. 4. q. 2.
(16) N. 94. (17) P. 2. c. 1. n. 26. (18) 1. Cor. 4. 1.

ster ordinarius et ex officio ad eucharistiam dispensandam sit solus sacerdos vel diaconus ex commissione.

Hinc dicimus cum Mazzot.[1] Holzm.[2] quod celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit: 1. quia sacramentum conficit; 2. quia suscipit; 3. quia ministrat sibi indigno, ut bene advertunt Holz.[3] Croix[4] Suar.[5] et Lugo[6]: cum enim celebrans tunc duas agat partes, alteram ut sumens, alteram ut minister, ideo duo sacrilegia committit; prout diximus de contrahente matrimonium in mortali, qui dupliciter graviter peccat, quia nimirum suscipit, et quia ministrat sacramentum. De his tribus sacrilegiis iam diximus *lib.* 5. *n.* 44. 4. Sacrilegium committit, quia eucharistiam ministrat in mortali, prout mox supra probavimus. Utrum autem ministrans eucharistiam unum peccatum committat vel plura, quot sunt ii qui successive suscipiunt. Bon.[7] cum Conc. et aliis affirmant, quia singulae distributiones sunt singula convivia et actiones completae. Sed probabilius dicunt Henno[8] Viva[9] et Fill. ac Henriq. ap. Bonac. pluralitatem communicantium constituere tantum circumstantiam aggravantem, sed non multiplicitatem peccatorum, cum verius sit una actio moralis et unum convivium: quod unum sane dicitur, quamvis ex pluribus constet conviviis. Hinc dicit rituale: *Ubi vero omnes communicaverint, sacerdos dicere poterit: O sacrum convivium etc.*

Valde autem probabiliter ait Cont. Tourn.[10] cum d. Th.[11] quod peccat graviter qui existens in mortali eucharistiam ex officio tangit immediate vel mediate, puta gestando in processione, vel populum benedicendo, hocque expresse videtur docere s. Dionysius ap. Cont. Tourn.[12] dicens: *Qui tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter.* Sed non improbabiliter Bonac.[13] Croix[14] Lugo[15] Anac.[16] Holz.[17] Elb.[18] et Salm.[19] et Bus. *ut supra n.* 7. cum Suar. Vasq. Laym. et Coninch. id negant, quia haec non est administratio sacramenti, nec videtur materia tam gravis, ut peccatum mortale inducat. Dicit enim Suarez[20]: *Cum aliae actiones praeter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatae, neque in eis se exhibeat sacerdos ut minister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis causa et ratio exigendi internam animae sanctitatem ad eas exercendas. Ergo illas in peccato efficere ex parte materiae, non videtur esse grave sacrilegium.*

36. Quaeritur 4. An peccet graviter confessarius excipiens confessionem in mortali, cum proposito eliciendi contritionem antequam absolvat.

Prima sententia probabilis, quam tenent Genet[21] et Cont. Tourn.[22] Escob.[23] cum Suar. et Franc. de Lugo, affirmat, quia talis actio est sacramentalis, et pertinet ad ministrum consecratum, cum sacerdos non minus consecretur ad audiendam confessionem, quam ad absolvendum.

Secunda sententia communior et probabilior negat; et hanc tenent card. Io. de Lugo[24] Spor.[25] Elb.[26] Dian.[27] Salm.[28] cum Henriq. et Croix[29] cum March. Rodr. Moya Gobat. Dic. Avers. Bernal. et Bosco. Ratio qua utitur Lugo est, quia sacerdos audiendo confessionem tantum passive se habet; sed hanc rationem merito non admittit Croix, quia confessarius excipiendo confessionem, revera non se habet tantum passive, sed etiam agit formando iudicium de peccatis. Ratio aptior aliorum est, quia confessarius audiendo non conficit sacramentum: illud enim non conficitur nisi quando absolutio impertitur. Id autem quod ibi addit Croix cum Marc.

(1) T. 5. c. 3. (2) T. 2. p. 6. n. 26. (3) L. c. (4) L. 6. p. 1. n. 95. (5) D. 67. sect. 1. (6) D. 8. n. 199. et 202. (7) D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 15. (8) De pecc. c. 3. n. 2. (9) De sacram. q. 1. art. 4. n. 4. (10) Loc. cit. v. Colliges 4. et 5. (11) In 4. d. 24. q. 1. art. 3. q. 5. (12) Loc. cit. (13) D. 1. p. 2. §. 1. n. 13. (14) L. 6. p. 1. n. 101. (15) D. 8. n. 155. (16) Tr. 14. n. 58. (17) T. 2. p. 7. n. 29. (18) T. 3. p. 15. n. 50. (19) Tr. 1. c. 7. p. 11. n. 100 et 106. (20) In 3. part. d. 16. sect. 3. v. Atque hinc. (21) D. 7. c. 6. n. 108. (22) Ibid. v. Colliges 2. (23) L. 8. n. 254. (24) De sacr. d. 3. n. 158. (25) T. 3. p. 24. n. 175. (26) T. 3. p. 15. n. 59. (27) P. 1. tr. 7. r. 47. (28) Tr. 1. c. 7. p. 11. n. 107. (29) L. 6. p. 1. n. 102.

et Gob., nempe ministrum non peccare mortaliter si in mortali formam inchoet sacramenti, modo conteratur antequam illam perficiat, mihi non placet: nam licet gratia non conferatur nisi forma expleta, tamen valor sacramenti et collatio gratiae non tam pendet ab ultimis verbis formae, quam a primis; unde sacerdotem qui eam incipit in mortali, merito dicit Aversa apud Croix graviter peccare quia iam irrogat iniuriam sacramento, conferendo illud in mortali.

Quaer. 5. An confessarius plures successive absolvens in mortali plura peccata committat. *Vide dicta lib.* 5. *num.* 50. *Qu.* 6. ubi veriorem esse diximus sententiam affirmativam, quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta.

37. 2. Quod autem pertinet ad alias functiones sacras quae non sunt confectiones neque administrationes sacramentorum, quaestio est an minister qui ex officio illas exercet in mortali, peccet mortaliter.

Prima sententia, pro qua certe videtur esse d. Thomas [1] (quidquid aliqui dicant), et sequuntur alii apud Iuenin.[2] dicit omnes exercentes ex officio functiones ordinis suscepti ab episcopo usque ad ostiarios, in mortali, culpam gravem committere. Haec verba d. Th.: *Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin illud indigne faciat; unde patet quod peccat mortaliter.*

Secunda sententia vero communior et satis probabilis negat, et hanc tenent Suarez [3] Holzm. [4] Anacl. [5] cum Mastrio Bonac. [6] cum Soto Val. Fill. etc. Salm. [7] cum Vasq. Vill. et Gran. Ratio 1. quia, ut ait Suarez (cuius verba retulimus supra *n.* 35. *in fin.*) omnia alia exercitia ordinum, praeter confectionem vel administrationem sacramentorum, cum non sint proxime ordinata ad sanctificationem animae, non videntur exigere sub gravi exercentium sanctitatem. Ratio 2. quia (ut bene aiunt Salm. [8] ubi non constat de praecepto, non est facile imponenda obligatio sub mortali; in his autem functionibus quas diximus, non constat de tali praecepto, unde gravitas obligationis desumenda est a materia, et cum haec materia non videatur, saltem non constet esse tam gravem, videtur quod exercere tales functiones in mortali, non excedat culpam venialem; quae tamen erit eo gravior, quo actiones magis accedunt ad sacramenti ministerium.

38. Hinc infertur 1. esse probabile quod non peccent graviter diaconi et subdiaconi qui in mortali ministrant. Ita Suar.[9] Lugo [10] Sot.[11] Lay.[12] Vasq.[13] Coninch. [14] Salm. [15] Holzm. [16] Anacl. [17] Spor.[18] Elb.[19] Croix [20] cum Dic. Bon. [21] cum Val. Fill. Angles et alii plures, nec dissentit Antoine [22] (contra Wig.[23] Cont. Tourn. [24] Conc. [25] Petroc. [26] et alii ex d. Th.[27]). Et hoc etiamsi frequenter ipsi ministrent, ut dicunt Coninc.[28] Croix [29] Bonac. et Salm. [30] cum Vasq. contra Fill. Suar. et Laym. qui frequentiam damnant de mortali, cum illa videatur esse virtualis contemptus: sed verius (ut diximus *lib.* 5. *n.* 161. *v. Quarta*) iuxta doctrinam d. Th. frequentia per se nequaquam constituit contemptum.

Obiiciunt 1. illud Apostoli ad Tim.[31] ubi dicitur quod diaconi debent esse, *habentes ministerium fidei in conscientia pura.* Ergo (ut dicunt) qui ministrant cum peccato agunt contra Apostoli praeceptum. Sed respondetur quod diaconi tempore Apostoli (ut ferunt Tourn. [32] et ipse auctor Petroc. [33]) ex officio eucharistiam atque baptismum fidelibus ministrabant; id enim testatur s. Iustinus apud Petroc. dicens: *Qui apud nos*

(1) In 4. d. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 4.
(2) Inst. theol. t. 7. p. 86. q. 4. (3) 3. p. d. 16. s. 3. (4) T. 2. p. 7. n. 51. (5) Tr. 14. n. 53.
(6) De sacram. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 4.
(7) Tr. 1. c. 7. p. 11. n. 101. (8) Ibid. n. 106.
(9) L.c. (10) D.8. n. 132. (11) In 4. d. 24. q. 1. a. 4.
(12) L. 3. tr. 1. c. 3. n. 10. (13) D. 156. c. 4.
(14) Q. 64 a. 6. d. 1. (15) Loc. cit. n. 104.
(16) N. 31. (17) L. c. (18) T. 3. p. 24. n. 174.
(19) T. 3. p. 15. n. 50. (20) L. 6. p. 1. n. 93.
(21) Loc. cit. n. 7. (22) De sacram. c. 1. q. 7.
(23) Ex. 4. tr. 11. n. 37. (24) De sacram. c. 2. art. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Colliges 6.
(25) T. 8. p. 52. n. 31. (26) T. 3. p. 79.
(27) L. c. ut supra. (28) Loc. c. (29) N. 93
(30) Cit. n. 104. (31) 1. c. 3. v. 9. (32) Prae[illegible] theol. de bapt. q. 3. a. 2. concl. 1. (33) T. 4. p. 21[illegible].

vocantur diaconi distribuunt unicuique panem etc.; porro alimentum hoc vocatur eucharistia. Et Tertull. ap. Tourn.[1] ait: *Dandi baptismi ius habet episcopus, deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate.* Ergo merito ob reverentiam baptismi et eucharistiae quorum administratio diaconis committebatur, puram conscientiam in eis Apostolus requirebat.

Obiiciunt 2. textum in *c. Quaesitum, de cohab. cler. etc.* ubi dicitur clericus concubinarius occultus esse sub mortali quoad seipsum suspensus ab officio; et praecipue alium textum in *c. Quaesitum, ult. de temp. ord.* ubi Greg. IX. loquens de sacerdotibus et aliis clericis existentibus in peccato mortali occulto, dixit: *Si non poenituerint, monendi sunt, et sub interminatione divini iudicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Sed respondetur 1. cum Lugo[2] et Croix[3] quod Gregorius recte dixit tales clericos peccare graviter ministrando in mortali, quia iuxta decretum Anacleti papae et canonem Apostolorum 9. (cuius verba affert Suarez[4]) ministri altaris tunc temporis tenebantur communicare in missa; et in hoc sensu verum est quod per quodlibet peccatum mortale diaconi et omnes alii altari ministrantes suspensi erant ab exercitio suorum ordinum. Resp. 2. quod si hic textus rigorose intelligendus esset, etiam clerici minores exercendo actus suorum ordinum peccarent mortaliter; sed hoc nec auctores contrarii audent asserere, et ipse Cont. Tourn.[5] expresse oppositum censet, dicens in hoc convenire omnes theologos, tum quia munia clericorum minorum etiam a laicis exercentur; tum quia eorum functiones valde distant ab actione sacrificii. Unde, cum textus nimis videatur probare intelligendus est Gregorius minime voluisse ius novum condere, sed tantum explicasse (ideo dixit *monendi sunt*) naturalem obligationem ministrantium altari, pro subiecta materia abstinendi ab exercitio ordinum, iuxta qualitatem reverentiae quam quilibet ordo pro sua dignitate requirit; aliam enim reverentiam requirit administratio sacramentorum, et quidem sub gravi, aliam exigunt aliae functiones, et non tantam, maiorem tamen aut minorem, iuxta (ut diximus) proximitatem quam habet functio illa ad sacramentum.

39. Infertur 2. probabiliter non peccare graviter episcopum qui in mortali conficit chrisma vel oleum sanctum, ut tenent Palaus[6] Vasq.[7] Salmant.[8] Croix[9] Holzm.[10] cum Henriq. Bonac.[11] cum Suar. Sot. Con. Fil. Sayr. et aliis contra Cont. Tourn.[12] et alios cum Lugo[13] qui putat id esse mortale, eo quod chrisma vel oleum quod necessario debet esse ab episcopo benedictum, est materia sacramenti sine qua non sit sacramentum. Sed respondetur quod licet chrisma vel oleum, non sit materia apta nisi benedicatur ab episcopo; tamen episcopus materiam benedicens non peccat mortaliter, quia remote semper concurrit ad productionem gratiae; alias quicunque pararet materiam ad alia sacramenta in mortali, graviter etiam peccaret; per accidens enim se habet quod chrisma vel oleum pro confectione confirmationis et extremae unctionis non sit materia apta, nisi ab episcopo benedicta.

40. Infertur 3. communissimam et probabiliorem esse sententiam quod non peccet mortaliter episcopus vel sacerdos qui in mortali consecrat templum, benedicit vestes sacras aut corporalia, assistit matrimonio, benedicit cineres, aquam lustralem etc. ut contra Sylvest. Cai. etc. apud Busemb. tenent Lugo Vasq. Laym. Conc. item Gonet[14] Antoin.[15] Croix[16] et Salm.[17] cum Suarez Bonac. et Led. ac non dissentit Cont. Tourn.[18].

Quaeritur autem an concionator in

(1) Ibid. (2) N. 147. (3) N. 103.
(4) D. 69. sect. 3. §. 1. ad 2. (5) Loc. supra cit. v. Quod spectat. (6) De sacram. d. un. p. 6. n. 4.
(7) D. 136. c. 4. n. 43. (8) Tr. 1. c. 7. p. 11. n. 101.
(9) L. 6. p. 1. n. 96. (10) T. 2. p. 7. n. 30.
(11) Q. 3. p. 2. § 1. n. 8. (12) Ib. v. Colliges 6.
(13) D. 8. n. 156. (14) Man. t. 6. p. 78. tr. 2. c. 7. §. 3. (15) C. 1. q. 8. (16) N. 99.
(17) Tr. 1. c. 7. p. 11. n. 105. et 106 (18) L. c.

peccato mortali peccet mortaliter.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Cai.[1] Merbes.[2] Iuven.[3] Cont. Tour.[4] et alii apud Diana[5] et pro hac sententia videtur etiam esse d. Th.[6] qui dicit concionantem in mortali, etiam occulto, graviter peccare, eo quod (ut ait) *impedit finem doctrinae, quia ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat.* Alii vero diversa ratione utuntur; dicunt enim peccare mortaliter, quia in mortali exercet actum ordinis.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, et hanc tenent Gonet[7] Suar.[8] Lugo[9] Pal.[10] Bon.[11] cum Vasq. et Sayr. Spor.[12] Croix[13] Salm.[14] Diana[15] cum Villal. Torres Layman et aliis pluribus. Ratio, tum quia nulla patet lex divina vel ecclesiastica prohibens sub gravi peccatoribus abstinere a praedicatione; tum quia actus praedicandi non tendit immediate ad sanctificandum hominem, cum de se non causet gratiam, sicut causant administrationes sacramentorum. Nec obstat ratio oppositae sententiae, nempe quod peccator praedicans in mortali graviter peccet, quia exercet indigne officium ordinis. Nam respondetur, aliud esse exercere officium ordinis, aliud officium annexum ordini: qui enim exercet officium ordinis, cum hoc ordinetur ad eucharistiam, illud indigne ministrans, eucharistiae probabiliter iniuriam irrogat (Dico *probabiliter*, quia oppositum etiam est probabile, ut diximus *n* 35. *v. Valde*, cum tale exercitium non sit proxime ordinatum ad productionem gratiae, prout est administratio sacramenti). Qui vero exercet officium praedicandi, cum hoc sit tantum extrinsece annexum ordini, et per se dumtaxat ordinatum ad proximum, peccator praedicans non infert iniuriam ordini, sed proximo; unde iuxta iniuriam quae proximo irrogatur, debet culpa mensurari. Hinc fit quod occultus peccator praedicans, cum nullum damnum irroget proximo, imo utilitatem afferat, ideo non est cum de mortali damnetur. Dixi *de mortali*, nam communiter non excusant dd. a veniali, ob aliqualem irreverentiam quae fit verbo divino. Hinc usus habet, quod praedicator ante concionem petere soleat benedictionem ab episcopo dicens: *Munda cor meum etc.*

41. Dicunt vero Suar. Sot. et Dian.[16] non excusari a mortali praedicatorem cui ex officio incumbat concionari, si praedicet existens publicus peccator: quia tunc scandalum praebet impeditque finem doctrinae. Et huic sententiae videtur postea se conformasse d. Th.; nam licet[17] asseruerit, quod tam occultus, quam notorius peccator mortaliter peccet concionando; tamen, ut advertit. p. Concin.[18] videtur s. doctor doctrinam illam voluisse postmodum delinire, et ad solos et publicos peccatores restringere; etenim[19] sic inquit: *Cuius vita despicitur, restat ut eius praedicatio contemnatur, ut publicus et famosus peccator cavere sibi debeat, ne praedicet, alias peccat.* Et hoc potius intelligendum videtur, si concionator increpet vitium de quo ipse publice est diffamatus, iuxta illud *Rom. c.* 2. *v.* 21. ubi apostolus dicit: *Qui alios doces, teipsum non doces: qui praedicas non furandum, furaris, qui dicis non moechandum, moecharis, etc.: nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.*

42. « Resp. 2. Requiritur praeterea, ut exhibeat ac curet, non tantum quae ad substantiam sacramenti sunt necessaria, sed etiam quae ad decorem, sive ex natura rei sive ex praecepto ecclesiae spectant. Ratio prioris est, quia alioqui sacramenta dehonestat et tractat indigne. Ratio posterioris est, quia sacramenta sancte sunt tractanda, et praecepta ecclesiae obligant in conscientia.

(1) 2. 2. q. 187. a. 1. et 3. d. 6. (2) P. 3. q. 15. (3) Q. 3. c. 3. a. 2. (4) Ib. v. Quaeres. (5) P. 3. tr. 4. r. 196. (6) In 4. d. 19. q. 11. a. 2 ad 2. (7) Loc. cit. (8) In 3. p. t. 3. d. 16. sect. 3. et de carit. d. 8. sect. 4. n. 6.
(9) De sacram. d. 8 n. 152.

(10) T. 1. tr. 6. d. 3. p. 7. n. 7.
(11) D. 1. q. 3. p. 2. n. 8. (12) T. 3. p. 24. n. 174.
(13) L. 6. p. 1. n. 99. (14) Ibid. c. 7. n. 106.
(15) L. cit. et t. 7. tr. 3. r. 14. (16) Locc. cc.
(17) Loc. cit. ut supra (18) T. 8. p. 95. n. 23.
(19) In 2. Cor. c. 6. lect. ex s. Greg.

Unde resolves:

» 1. Peccat ministrans mortaliter; 1. Si utatur materia vel forma falsa, vel (extra necessitatem) dubia. Bonac. 1. 2. Si omittat intentionem requisitam. Quod si vero dubium oriatur; et non tantum inanis scrupulus (is enim reiici debet), an forma fuerit legitima vel an legitime et integre prolata; tunc, etsi speculative probabile sit, formam esse legitimam, in praxi tamen iteranda erit sub conditione, quia tutius hic eligendum est (Iuxta sensum communem ecclesiae, ut videre licet in damnatione propos. 1. facta ab Innoc. XI. *Vide dicenda n.* 57.)

» 2. Peccat quoque (graviter vel leviter pro gravitate materiae) 1. Qui verba formae corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat. 2. Qui materiam vel formam vel caeremonias, contra ecclesiae morem, quamvis accidentaliter, sine causa mutat vel omittit. Quod si fiat ex contemptu, est mortale, si ex negligentia, saepe est mortale, quando ea magna est et in re gravi. *Vide infra c. 4. d.* 5.

» 3. Peccat graviter qui ministrat sacramentum publico peccatori, vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex confessione, vel sit occulta indignitas et ex negatione sequeretur infamia, ut patet ex praxi ecclesiae et Christi, qui Iudae eucharistiam dedit. Gravius peccaret qui ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic cum eo convenisset; aut qui, non audens indigne celebrare, simularet missam, elevans hostiam non consecratam, quia, quantum est ex se, dat occasionem idololatriae. V. Bon.[2] Suar. Con. et schol.»

43. Super hoc puncto de negandis sacramentis indigno plura utilia sunt notanda. Dicendum 1. certum esse quod minister graviter peccat ministrando sacramenta indignis ex communi cum s. Thom.[3] Salm.[4] Conc.[5] Suar. Henr. Croix[6] ex illo Matth.[7]: *Nolite dare Sanctum canibus*. Imo in quibusdam sacramentis minister, ut se fidelem dispensatorem praestet, non sufficit, si petentem nesciat esse indignum, sed amplius tenetur prudentem rationem habere, quod ille sit dignus; in sacramento enim poenitentiae, cum in eo omnino requiratur ad valorem poenitentis dispositio, minister, prout iudex ad hoc constitutus, debet de ea se certum reddere. In sacramento baptismi debet etiam inquirere consensum, dispositionem baptizandi. In sacramento quoque ordinis episcopus debet certam habere scientiam de dignitate ordinandi, cum ad ordinem, prout directum ad publicum bonum, nemo habeat ius nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron (*Vide super hoc dicenda n.* 52.). In matrimonio autem sacerdos assistens debet inquirere in impedimenta, cum ad hoc constituatur ab ecclesia. In aliis vero sacramentis, quidquid dicat Antoine, ea non sunt deneganda eis qui catholice vivunt, nisi constet de indignitate petentis. Ita Suar.[8] Lugo[9] Esc.[10] Pal.[11] cum Soto Bon.[12] Elbel[13] Croix[14] cum Henr. et Dic. Ratio quia ad haec alia sacramenta omnes fideles ius habent, et ministri non sunt iudices, sed dispensatores; unde in eis non habent ius inquirendi, sed tantum debitum dispensandi omnibus qui petunt, modo isti non sint positive indigni, iuxta praeceptum praedictum: *Nolite dare Sanctum canibus:* ergo tantum indignis prohibentur ministrari sacramenta. Ultraquam quod *quisque naturaliter praesumitur bonus*, ut dicitur in *c. Dudum, de praesum.*, nisi malus certo probetur.

44. Dicendum 2. sacramentum negandum esse indigno, etiam publice petenti, ut omnes communiter cum s. Th.[15] Suar. et Croix[16] docent, semper ac peccator est publicus, cum crimen sit notorium, vel iure, quando scilicet quis de eo iuridice convictus est: vel facto, cum scilicet commissum est in loco publico: vel fama, nempe cum ex

(1) D. 1. q. 2. p. 1. n. 32. (2) D. 1. q. 6. p. 4.
(3) 3. p. q. 80. a. 6. (4) Tr. 1. c. 7. p. 9. n. 72.
(5) T. 3. p. 100. (6) L. 6. p. 1. n. 15.
(7) C. 7. v. 6. (8) P. 3. d. 28. sect. 2.
(9) D. 3. n. 217. (10) L. 3. n. 340.
(11) Tr. 18. d. un. p. 14. n. 6. (12) D. 1. q. 6. p. 4
(13) T. 3. p. 11. n. 36. (14) L. 6. p. 1 n. 157
(15) Loc. cit. (16) N. 132.

sufficientibus indiciis crimen pervenit ad multos. Et hoc etiamsi aliquibus ex praesentibus crimen sit occultum. Croix [1]. Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus, ut Suar. Tamb. Croix[2] cum communi. Secus tamen, si sit occultus et publice petat, ut dicemus infra *v. Dicendum* 3. *n.* 50. Dixi *si publice petat;* nam si indignus occulte petat, etiamsi eius crimen sit occultum, sacramentum est denegandum, ut Salm. [3] et alii omnes. Et idem dicendum si crimen adstantibus iam notum sit. Suar. Dicast. Arriag. Croix [4].

45. Sed hic plura occurrunt dubia. Dubium 1. An sit negandum sacramentum peccatori, cuius peccatum non sit simpliciter publicum, sed notum sit plerisque ex praesentibus, non autem omnibus. Adsunt tres sententiae:

Prima cum Conink affirmat, quia respective ad hos peccatum videtur esse publicum.

Secunda cum Suar. et Bon. probabilius negat, quia petens adhuc possidet famam respective ad omnes qui eius crimen ignorant.

Tertia cum Diana et Croix [5] dicit negandum, si ex praesentibus tantum unus vel alter vir probus ignoret, qui putatur non evulgaturus; et haec est satis probabilis, iuxta *dicta l.* 3. *tr.* 6. *n.* 973.

46. Dubium 2. An negandum sacramentum peccatori in eo loco, ubi suum crimen non est publicum, si publicum sit in alio loco.

Prima sententia affirmat, quam tenet Suarez [6] ac Cai. Bon. Pal. Tamb. etc. cum Croix [7]. Ratio quia ille iam amisit ius ad famam, cum in uno loco sit infamatus, iuxta *dicta lib.* 3. *n.* 974. Excipiunt tamen dd. cit. apud Croix[8] si peccator prudenter praesumatur emendatus.

Secunda sententia vero, quam amplector, negat: et hanc tenent Cab. [9] ac Sot. Vasq. etc. Croix[10]. Ratio quia ex una parte ministrando illi sacramentum non adest scandalum aliorum, iuxta quae dicemus *n.* 48. Ex alia, negando sacramentum, eadem quidem inconvenientia et damna nascerentur propter quae vitanda illicitum est ministro negare sacramentum peccatori occulto, ut dicemus *eod. n.* 48. Secus vero dicendum si notitia illius criminis facile est ibi perventura.

47. Dub. 3. Quid requiratur ut publico peccatori eucharistia possit ministrari. Lay. Nav. etc. requirunt, praeter confessionem, aliquod tempus bonae conversationis ad tollendum scandalum. Possev. et Io. Sanch. dicunt sufficere confessionem coram pluribus (modo, addit Bernal. poenitentia brevi sit publice manifestanda). Et recte Croix [11] adhaeret huic sententiae, quando peccator non habet proximam peccandi occasionem: quia qui publice confessus est, publice censetur emendatus; secus, si adesset occasio, et ille eam non deseruerit. Qui autem occulte petit, sufficit occulte egisse poenitentiam. Croix [12] cum Suar. et Tamb. Sed hic maxime advertendum id quod habetur in rituali rom. *de euch.* ubi: *Arcendi autem sunt* (a communione) *publice indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii eius generis publici peccatores: nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.*

48. Dub. 4. Quid agendum in dubio de crimine vel de poenitentia. Distinguendum; si crimen est certum et poenitentia dubia, sacramentum certe est denegandum, donec constet de poenitentia, quia possidet infamia. Et hoc dicendum docent Suar. Arr. Spor. etc. cum Croix[13] etiamsi habeatur publica

(1) L. 6. p. 1. n. 139. (2) N. 143.
(3) Tr. 1. c. 7. p. 9. n. 73. (4) N. 139.
(5) L. 6. p. 1. n. 139. (6) P. 3. q. 80. d. 67. sect. 5. concl. 5. (7) L. 6. p. 1. n. 140
(8) D. lib. (9) P. 1. l. 3. c. 7. n. 3. (10) L. c.
(11) L. 6. p. 1. n. 141. (12) Ib. (13) Ib. n. 142.

suspicio de crimine, modo suspicio sit tam vehemens ut aequivaleat morali certitudini; secus, si talis sit, ut probabili ratione deponi possit, ut dicunt aa. citati. Si autem dubitatur de crimine, non potest sacramentum negari. Croix[1]. Intellige tamen iuxta dicta supra *num.* 43. sub initio.

49. Dub. 5. An minister possit dare sacramentum indigno ob metum mortis.

Prima sententia affirmat, modo sacramentum non petatur in odium fidei, vel in contemptum religionis, et hanc tenent Bon. [1] Sporer [3] et Croix [4] cum Escob. Gobat. Dic. et aliis; ab his laudatur etiam Suar. [5], sed praefatus auctor nimis ambigue loquitur et se remittit ad sectiones seq. in quibus nullum verbum adiicit de hac sententia. Ratio huius sententiae est, quia (ut dicunt), si infamia peccatoris publice petentis sacramentum talem ministrationem excusat, et irreverentiam sacramenti reparat (ut mox dicemus), cur mors vel infamia subeunda a ministro eum non excusare debet?

Haec sententia olim mihi probabilis visa fuit; sed melius re perpensa oppositum nunc teneo cum *secunda sententia*, quam tuentur p. Conc. [6] et Ledesma ac alii apud Croix [7]. Differt enim ratio non negandi sacramentum peccatori occulto, et ratio vitandi proprium damnum. Nequit equidem sacerdos publice denegare communionem peccatori occulto, sed cur? quia, ut recte dicit ipse Croix [8] et alii, prout Cont. Tourn. [9] et Antoine [10]. Christus eo casu videtur cedere iuri suo, et permittere suae reverentiae negationem, non praecipue ut fama ipsi servetur, ut dicit d. Th. [11] et Lugo [12] sed potissimum (ut probant praefati aa.) propter gravia incommoda quae inde sequerentur, nempe scandala aliorum, quibus si sacerdos posset ob crimen occultum publice communionem negare, forte etiam boni deterrerentur a susceptione communionis, timentes ne propter odium vel imprudentiam a sacerdote eiicerentur, etc. Haec autem inconvenientia et scandala non certe interveniunt in ministro, qui metu cogeretur ad ministrandum sacramentum indigno; imo aedificationi esset populo, si, ad reverentiam sacramento servandam, periculo mortis se exponeret.

50. Dicendum 3. Peccatori occulto publice petenti non est negandum sacramentum; ita omnes cum s. Thom. [13] ex *c. Placuit*, *causa* 6. *quaest.* 2. *et cap. Si sacerdos*, *de offic. iud. ord.* ubi Eugenius papa id confirmat exemplo Christi qui Iudae communionem porrexit. Ratio quia tunc censetur Christus cedere iuri suo, ne peccator famam deperdat, cui adhuc ius retinet; et hoc ad evitanda gravissima incommoda quae alias evenirent, ut mox supra diximus. E contrario nullo modo ministrandum sacramentum peccatori occulto occulte petenti, ut s. Th. [14] Salm. [15]. Excepto casu quo crimen cognitum fuisset ex confessione; tunc enim nec etiam licet ministro peccatorem monere; ut omnino dicendum cum Croix [16] et Gob.

51. Sed hic quaeritur 1. An confessarius possit sacramentum negare ob crimen auditum in confessione, sub praetextu aliarum causarum. Affirmant Vasq. Suar. Pal. et Dic. apud Croix [17]. Sed verius negandum cum Sanch. [18] et Laym. Val. Diana Escob. et aliis cum Croix [19]. Quia tunc peccator iam satis adverteret ex confessione negari sacramentum, et ideo sigillum laederetur, et confessio fieret odiosa, ut idem Pal. postea concedit. Ultraquam quod ex decreto Innocentii XI. hodie certum est nullo modo posse confessarium uti notitia confessionis in gravamen poenitentis. *V. de poenit. n.* 658. Recteque addit Croix cum Arriaga, quod si confessarius extra confessionem aliunde notitiam habuerit, nisi notitia sit moraliter certa, non potest sacramentum negare.

(1) L. 6. p. 1. n. 142. (2) De sacr. d. 1. q. 6. p. 4. n. 14. (3) T. 3. p. 26. n. 186. (4) L. 6. p. 1. n. 158. (5) 3. p. d. 67. sect. 1. (6) T. 8. p. 100. n. 11. (7) Loc. cit. (8) N. 144. (9) De sacram. c. 2. art. 3. sect. 3. concl. 3.

(10) De sacr. c. 2. q. 12. (11) 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. (12) D. 8. n. 173. (13) 3. p. q. 80. a. 6. (14) 3. p. q. 81. a. 6. ad 4. (15) Tr. 1. c. 7. p. 9. n. 73. (16) L. c. n. 145. (17) D. n. 145. (18) De matr. l. 3. d. 36. (19) Ibid.

52. Quaeres 2. Utrum denegandum sacramentum ordinis peccatori occulto publice petenti. Si petens sit indignus ex irregularitate aut simili; omnino esse reiiciendum nemo dubitat: si vero sit indignus tantum quia est in peccato mortali, dubitat Croix[1] cum Henr. adduntque Lugo et alii, non posse reiici, si ius ipse praetendat ratione beneficii seu dignitatis obtentae. Sed omnino verius puto dicendum cum Viva[2] quod indignus etiam occultus ab ordinibus omnino est arcendus; et idem clare docet etiam s. Th.[3] qui dicit, non sufficere quod praelatus nesciat ordinandum esse in peccato: *Sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum.* Et[4] illud memorabile asserit: *Melius esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos.* Ratio certa est, quia qui se ingerit in munera publica, ad quae non est idoneus, repelli debet etiam cum infamia, ob bonum publicum privato praeferendum. Et quod clericus indignus, quamvis ob crimen occultum possit et debeat repelli, patet ex Trid. ubi[5] dicitur quod episcopus potest prohibere clerico, ne ascendat ad ulteriores ordines: et clericus tenetur ei obedire, etiamsi ascensus a suo praelato *ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus.* Et additur quod *nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, ei suffragetur.* Ac maxime notandum quod episcopus non tenetur eo casu manifestare causam cur repellat ab ordinatione, iuxta declarationes s. c. concilii editas die 21. martii ann. 1643. et die 21. april. 1668., quas per extensum affert summ. pont. Benedict. XIV.[6]. Quod autem episcopus non solum possit, sed etiam debeat repellere indignos, quamvis occultos, patens suadet ratio ex eod. Trid.[7] ubi signanter praecipitur ut episcopus ordinans *mores diligenter investigel et examinet.* Ad quid igitur debet praelatus mores clericorum investigare et examinare, nisi ut repellat quos noverit indignos, ex illo apost. 1. ad Timoth.[8]: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis?* Ubi inquit s. Leo[9]: *Quid est cito manus imponere, nisi ante experientiam disciplinae?* Tanto magis quia in ordinibus suscipiendis multi possent esse defectus, ex quibus sine infamia petentes reiici possunt, nempe aetatis, tituli, subiectionis etc. ut bene notat Croix[10].

53. Quaeres hic 3. An possit absolvi ordinandus qui habitum contraxit lasciviae, et statim post poenitentiam, sine experientia continentiae, velit subdiaconatum suscipere. De hac quaestione plenam instituimus dissertationem, quam reperies in fine huius dubii ex *num.* 63.

54. Quaeritur 4. An parochus possit assistere matrimonio eorum qui sunt publici peccatores. Certum est teneri parochum arcere a matrimonio eos qui nesciunt doctrinam christianam; uti constat ex ritual. rom. *de matrim.* sub initio, ubi praescribitur: *Parochus cognoscat, utrum uterque* (sponsus) *sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios docere suos debeat.* Item s. c. habita coram Innoc. XII. an. 1697. ut refert sum. pont. Bened. XIV.[11] decrevit parochos non debere procedere ad proclamationes, nisi repererint contrahentes sufficienter instructos in rudimentis fidei; et hoc decretum confirmatum fuit a Clemente XI. ut in suo bullario, ac a nostro papa Benedicto in littera encycl.[12]. Utrum autem, praeter hanc ignorantiam, possit parochus publicis peccatoribus negare suam assistentiam ad matrimonium. Si contrahentes publice peterent, et essent indigni ratione peccati vel censurae occultae, recte dicunt Lugo[13] et Croix[14] cum Arriaga et communi parochum teneri assistere, iuxta *dicta num.* 47. Dubium est an assistere

(1) L. 6. p. 1. n. 146. (2) De sac. q. 1. a. 4. n. 5. (3) Suppl. 3. p. q. 36. a. 4. ad 3. (4) Resp. ad 1. (5) Sess. 14. c. 1. de reform. (6) De synod. l. 7. c. 71. n. 4. (7) Sess. 23. de reform. c. 3. et 7. (8) C. 5. v. 22. (9) Epist. 1. ad Afr. (10) D. n. 146. (11) De syn. l. 8. c. 14. (12) Vide in suo Bullario (13) Dist. 8. sect. 13. (14) N. 147.

possit et teneatur si contrahentes sint publice indigni. Affirmant Layman [1] Croix [2] et Lugo [3] cum Praepos. modo tamen parochus prius conatus fuerit disponere sponsos ad digne contrahendum. Ratio, ut dicunt, quia parochus non est minister matrimonii, sed tantum testis, unde ex una parte, cum sit publicus minister, non potest suam negare assistentiam; et ex altera licite potest assistere, cum sua cooperatio sit mere materialis. Negant vero alii aa. qui sentiunt parochum esse verum ministrum matrimonii; sed haec ratio non subsistit; nam, ut probabimus *infra de matrim.* ex *n.* 897. ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, et parochus non est nisi merus testis. Hoc tamen non obstante, minime acquiescimus primae sententiae, et dicimus parochum non teneri nec posse assistere tali matrimonio. Favetque nobis auctoritas sum. pont. Bened. XIV. [4] qui sic docet: *Quamvis iuxta communiorem magisque receptam sententiam non sit* (*parochus*) *matrimonii minister, tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua praesentia firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Ratio nostrae sententiae est, tum quia de iure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum iam interne consummaverit, prout diximus *de caritate lib.* 2. *n.* 47.: ita nec parochus in nostro casu: tum quia parochus tenetur ex iustitia, ex contractu inito cum communitate a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis. Nec valet dicere quod contrahentes habent ius ut parochus eorum matrimonio assistat. Nam respondetur 1. quod nemo potest habere ius ad actionem in qua committitur peccatum. Resp. 2. quod sponsi in tantum habent ius ad assistentiam parochi, in quantum hic tenetur ex officio incumbere eorum bono spirituali; unde cum in hoc parochi assistentia non conferret ad bonum, sed ad ipsorum ruinam; idcirco neque sponsi ius habent, neque parochus tenetur assistere: imo debet suam assistentiam negare, cum praecipua eius obligatio sit impedire peccata ovium suarum. Et quod dicimus de parocho, dicendum est etiam de testibus; qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex caritate, impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium; puta ne ipsi perseverent in peccato. Praeterea satis excusantur a culpa parochi, ut ait Laym. [5] qui assistunt matrimoniis haereticorum in locis ubi est consuetudo, et mixti sunt haeretici cum catholicis, iuxta mox dicenda in *q. seq.*

Certum est tamen quod parochi in matrimoniis contrahendis tenentur ex officio inquirere an subsit aliquod impedimentum, et si probabiliter illud subesse iudicent, tenentur suam assistentiam denegare, et nuptias vetare, donec saltem per ordinarium decernatur quid sit agendum. Ita Sanch. [6] Croix [7] et Lugo [8] cum Led. Vega et aliis communiter. Item ait Lugo [9] cum Conin. (contra alios) quod si ordinarius habet scientiam impedimenti occulti, etiamsi non posset illud probare, tenetur matrimonium prohibere.

55. Quaeritur 5. An si unus sponsorum sit publice indignus, possit alter matrimonium cum ipso inire, et consequenter sacramentum ei ministrare. Hic advertendum quod ex duplici capite potest talis indignitas provenire, vel ab excommunicatione, vel ab aliquo mortali peccato sponsi. Si sponsus sit indignus, quia est excommunicatus, vel erit vitandus, et tunc certe illicitum est cum eo contrahere, quia non licet cum ipso communicare in re sacra, quale est sacramentum; vel erit tantum toleratus, et tunc probabilius est licere, ut docent Sanch. [10] et Lugo [11] et alii plures, quos videre poteris in-

(1) L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 8. (2) Loc. c. (3) N. 205. (4) De syn. l. 8. c. 14. (5) D. n. 8.

(6) De matr. l. 3. d. 14. n. 11. (7) L. 6. p. 1 n. 147. (8) D. 8. n. 205. (9) L. c. (10) De matr. l. 7. d. 9. n. 8. (11) D. 8. n. 228.

fra *de cens. lib.* 7. *n.* 139., quia concilium constantiense indistincte concessit fidelibus posse communicare cum excommunicatis toleratis.

Si autem sponsus sit indignus ob aliquod peccatum, hic magna occurrit difficultas, quia non licet ministro conferre sacramentum indigno. Sed Bus. (*vide l.* 2. *n.* 60.) Lugo [1] et Croix [2] cum Sanch. Perez Aragon. Dic. et communiori dicunt licere cum eo contrahere, si alter sponsus sine gravi incommodo non possit a matrimonio recedere. Ratio (ut inquiunt) est quia contrahentes, quamvis indirecte conficiant sacramentum, tamen directe contractum ineunt, qui de se non est res sacra; unde in hoc sacramento sponsi videntur magis habere conditionem privatorum contrahentium, qui tantum respiciunt ad propriam utilitatem, quam publicorum ministrorum, qui attendere debent, ut suscipientes sacramenta ob eorum indignitatem repellantur. Hanc rationem non quidem reprobo, sed fateor eam non omnino me convincere [3].

56. Utrum, iusta accedente causa, licitum sit matrimonium contrahere cum haereticis? Generaliter loquendo id vetitum est ab ecclesia, ut patet ex conc. chalcedonensi ap. Cabass. [4] ubi in *can.* 14. dicunt: *Sed neque haeretico, vel pagano, vel iudaeo matrimonio coniungere, nisi utique persona, quae orthodoxae coniungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat.* Verumtamen est valde probabile id quod dicunt Bus. *l. c. n.* 19. et Lugo [5] Wig. [6] Croix [7] ac Sanch. [8] cum Nav. et Azor. nempe quod in locis ubi haeretici vivunt mixti cum catholicis, ut in Germania, Polonia etc. ex consuetudine recepta et tolerata licitum est matrimonia inire cum haereticis. Modo 1. catholico contrahenti permittatur libere permanere in fide. 2. Absit periculum perversionis. 3. Detur libertas educandi prolem catholice. 4. Si facile non sit invenire parem inter catholicos. Quorum si unum desit, non licebit, ut recte ait Croix [9]. Caeterum id bene permittitur, servatis his conditionibus; quia huiusmodi coniugia fiunt instar aliorum contractuum civilium ad firmandas leges amicitiae, et ad tuendam communem pacem reipub. Hinc refert Lug. [10] pluries fuisse dispensatum ob iustas causas matrimonia inire cum haereticis, ut patere ait ex conc. laodicensi ac agathensi, et signanter testantur, Clem. VIII. anno 1604. concessisse dispensationem duci Barensi, ut duceret Catharinam suam consanguineam sororem Henrici IV. regis Galliarum cum adhuc esset haeretica. Et hic sedulo notandum id quod advertit sum. p. Bened. XIV. [11] ex Veracrux, quod de pontificis potestate, postquam hic dispensat, dubitare, instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare quod non satis ecclesiae suae providisset.

Docet autem Lugo [12] quod ad tale matrimonium opus est dispensatione, saltem in locis ubi est consuetudo in huiusmodi dubiis recurrendi ad papam; quia ecclesia merito potuit reservare iudicium, an sufficiat causa, vel an praeponderet periculum mali. Probabiliter tamen dicit [13] cum aliis ap. Croix [14] (contra Sanch. et Pont.) non esse opus dispensatione quando pars haeretica serio promittat conversionem, ut vidimus supra iam excipi in conc. chalcedon. Imo putat Hurtad. ap. Croix sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole vel aliunde. Quando autem licitum est catholico contrahere cum haeretico, tanto magis licebit parocho assistere ad tale coniugium.

57. Hic pro complemento huius materiae remanent aliae quaestiones discutiendae. Quaeritur 6. An in conferendis sacramentis liceat uti opinione probabili. Certum est, ut vidimus *l.* 1.

(1) N. 25. (2) L. 6. p. 1. n. 147.
(3) Unde puto tantum dici posse quod praefata administratio, ut a ministris ad id non consecratis, non esset grave peccatum pro ipsis, ut probabiliter tenent Gonet Suar. Tourn. Habert Iuven. Natal. Alex. Concin. Salmant. etc. licet opinio opposita, quod sit grave, mihi videatur probabilior. Hom. Apost.
(4) De conc. p. 221. (5) D. 8. n. 225. (6) Tr. 16. ex. 6. n. 77. (7) D. n. 147. et l. 2. n. 95.
(8) De matr. l. 7. d. 72. n. 6. (9) D. n. 95.
(10) Loc. cit. (11) De syn. l. 7. c. 7.
(12) N. 31. (13) N. 17. (14) L. 2. n. 97

n. 48. generice loquendo, id illicitum esse ex prop. 1. damnata ab Innoc. XI. Excipitur tamen 1. si adsit necessitas ex parte proximi, ut est commune ap. dd. iuxta *dicenda n.* 480. loquendo de absolutione impertienda moribundo, et idem dicitur de baptismo *n.* 103. *vers.* 3. Excipitur 2. si habeatur probabilis opinio de iurisdictione confessarii, vel de validitate matrimonii, iuxta *dicta l.* 1. *n.* 50. *et dicenda infra de matr. n.* 901. Et hoc dicunt Sanch. Carden. Sporer Dic. Gobat. et alii apud Mazz. [1] et Croix [2] esse in praxi tutum et moraliter certum. Excipitur 3. quando administratio sacramenti fieret obnoxia nimiis scrupulis, aut difficultatibus, ut diximus *l.* 1. *n.* 50. cum Card. Croix ex d. Th., et idem dicit Mazz. cum Ills. et pluribus aliis; aliter non posset baptizari infans, quem parentes assererent non esse baptizatum, cum tale testimonium non sit nisi tantum probabile; item neque absolvi possent qui putantur dispositi, de quorum dispositione non alia, quam prudens probabilitas haberi potest, unde recte notat Mazz. cum Card. quod si talis dispositio non sufficeret, vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, quia vix unquam haberi potest certitudo de dispositione poenitentis. An autem liceat suscipere sacramenta cum sola opinione probabili. *Vide dicta l.* 1. *num.* 51.

58. Quaeritur 7. An et quando minister teneatur administrare sacramenta. Commune est, ut dicunt Holzm. [3] Salmant. [4] et Croix [5] cum Suar. Lugo Dic. et Aversa, contra Sylv. etc. quod pastores tenentur ex iustitia, ratione stipendii quod exigunt, sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem. Pastores autem dicuntur superiores, respectu religiosorum: et respectu saecularium, episcopi et parochi, vel qui curam subsidiariam cum obligatione habent; ita Croix [6] cum Gob. Et proinde peccat pastor qui morosum vel difficilem subditis se reddit, ut Gobat cum Croix [7] Salm. [8] Conc. [9]. Ideoque recte monuit s. Carolus Borrom. [10]: *Quacumque vero diei vel noctis hora ad sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponat: imo populum praemonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis neque loci distantis etc. ratione.* Excusabitur tamen a mortali si semel vel iterum extra necessitatem sacramenta denegat; quia non videtur tam stricte se obligasse. Croix cum Suar. et Arriag. [11] item Suar. apud Bus. *infra n.* 623. cum Aversa [12] qui excipit, si subditus peteret ex urgenti occasione, v. gr. festi solemnis etc.

Ministri autem qui non sunt pastores, in extrema necessitate tenentur ex caritate etiam cum periculo vitae, proximo sacramenta ministrare, ut Concin. [13] et Croix [14] et alii omnes. An vero teneantur in gravi necessitate proximi. *Vide dicta de caritate lib.* 2. *n.* 27. *v. Hinc.* An parochus tempore pestis teneatur ministrare eucharistiam. *Vide in hoc lib.* 6. *n.* 233. Quoties teneatur eam ministrare. *Vide num.* 253. *et* 254. Quoties ministrare poenitentiam. *Vide n.* 623.

59. Quaestio 8. An liceat umquam simulare administrationem sacramenti. Communiter dd. distinguunt simulationem in formalem et materialem: *formalis* est qua directe intenditur alterius deceptio; *materialis* est qua alterius deceptio tantum permittitur. Damnata autem est ab Innoc. XI. propos. 29. quae dicebat: *Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi.* Et merito quidem, cum talis simulatio sacramento gravem iniuriam irroget, et Deo illudat. Sed quaeritur an in hac propos. fuerit damnata sola simulatio formalis, an vero etiam materialis. Alii ut Viva [15] et Conc. [16] dicunt fuisse ibi indefinite damnatam si-

(1) Tr. 5. d. 1. q. 1. v. Fit. (2) L. 6. p. 1. n. 117. (3) T. 2. p. 64. n. 286. (4) Tr. 4. de euch. c. 9. p. 3. n. 29. (5) L. 6. p. 1. n. 133. (6) Ibid. (7) N. 134. (8) Ibid. n. 50. (9) T. 8. p. 98. n. 5.

(10) Act. p. 4. (11) Ibid. (12) Ibid. (13) P. 99. n. 7. (14) L. 2. n. 174. (15) In dicta proposit. num. 2. (16) Tom. 8. p. 101. num. 12.

mulationem tam formalem quam materialem, tum quia propositio indefinita aequivalet universali; tum quia (ut aiunt) nemo umquam catholicorum dixit esse licitam simulationem formalem, sed Sancius et alii, quorum opinio damnata fuit (ut fert Viva) tantum propugnarunt licitam esse materialem. Alii tamen, ut Card. [1] et Vidal [2] dicunt damnatam fuisse simulationem formalem, et etiam materialem in re vitiosa; non vero materialem in re indifferenti. Quaestio haec inanis mihi videtur, quia tandem omnes in idem coincidunt; nam sive loquamur de simulatione formali, sive materiali in re vitiosa aut indifferenti, omnes conveniunt, numquam esse licitum 1. Proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum. 2. Hostiam non consecratam pro consecrata praebere. 3. Celebrare missam non proferendo verba consecrationis. Ita Palaus [3] Croix [4] Carden. Milante Viva et Vidal [5].

Praeterea, quamvis praefata propositio non loquatur de quocumque metu; tamen commune etiam est ap. dd. non licere administrationem sacramenti simulare, etiam ob metum mortis. Conc.[6] Croix[7] Card.[8] Viva[9] et Milante[10].

E converso omnes dicunt licitum esse confessario, super indispositum aliquid orare et dare crucem, ne eius indispositio prodatur; quamvis alii reputent eum absolutionem recipere; quia (ut ait Carden.) ex una parte tenetur confessarius non prodere indignitatem poenitentis in confessione cognitam, iuxta praescriptum in *c. Omnis, de poenit. et remis.* ubi dicitur: *Caveat autem* (confessarius) *omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquem prodat peccatorem.* Ex altera parte haec non est proprie simulatio administrationis sacramenti, quia verba illa respectu sacramenti indifferenter se habent. Alia tamen ratione utuntur Viva et Milante, dicentes hoc esse licitum, quia tunc confessarius licite occultat veritatem, quam non tenetur nec potest manifestare. Recte vero advertit Cardenas [11] quod tunc confessarius non debet intendere deceptionem adstantium, sed tantum occultationem veritatis; nam alias mendacii reatum non effugeret, cum ex d. Th.[12] mendacium non solum committatur verbis, sed etiam facto. An autem liceat super indispositum dicere: *Ego te non absolvo*, submisse dicendo verbum *non*. Affirmat Carden.[13] sed negant Roncag.[14] Milante et Viva [15]. Ratio quia semper ac verbum *non* percipi nequit a circumstantibus, haec esset quidem restrictio pure mentalis, quae numquam est licita, iuxta *dicta l.* 3. *n.* 168. Sed ratio haec non convincit, quia in tantum occultatio haec non est licita in sermone, in quantum loquens tenetur (ne decipiat proximum cum quo loquitur) taliter proferre verba, ut audiens possit veritatem percipere, et ideo in sermone restrictio pure mentalis est vetita; at in prolatione formae sacramenti non tenetur minister ita proferre verba, ut sacramentum suscipiens illa audiat. Quapropter non videtur obstare quod talis occultatio esset restrictio mentalis; et hinc prima opinio non videtur improbanda.

60. Ex eadem ratione irreverentiae, non solum qui administrando, sed etiam qui suscipiendo sacramentum simularet, non excusaretur a mortali, ut dicit Croix [16] cum Carden. et Gormaz. Sed hoc currit quando adest vera simulatio sacramenti. Hinc infertur 1. cum Carden.[17] et Croix [18] cum Dicast. Gormaz. etc. quod si quis nolens confiteri ingrediatur confessionale, et genuflexus alloquatur confessarium de aliquo negotio, non simulat sacramentum, nec peccat peccato mendacii, quia cum hoc sit valde usitatum, quod aliqui accedant ad confessarium causa petendi eleemosynam, aut consulendi circa scrupulos, infertur actionem illam esse indifferentem. Secus ait Carden.[19]

(1) In dict. propos. 29. (2) In ead. propos.
(3) Tr. 22. d. un. p. 2. (4) L. 6. p. 1. n. 154.
(5) In d. propos. 29. (6) Loc. cit. (7) N. 155.
(8) N. 57. (9) N. 15. (10) Loc. c. (11) N. 54.
(12) 2. 2. q. 3. a. 1. (13) In d. prop. 29. n. 57
(14) C. 4. q. 6. r. 2. (15) In ead. prop. n. 11.
(16) Ibid. n. 157. (17) In d. prop. 29. n. 73.
(18) N. 158. (19) N. 71.

si quis accederet cum intentione ut circumstantes credant ipsum confiteri, tunc enim dicit peccare peccato mendacii et sacrilegii. At quoad peccatum sacrilegii, nequeo huic doctrinae acquiescere, cum enim ibi desit materia et forma, nescio intelligere ubi sit simulatio sacramenti.

61. Infertur 2. quod in casu quo aliquis non poterit se disponere ad communionem, posset aliquando convenire cum parocho, ad infamiam vel scandalum vitandum, ut hic dicat tantum super ipso verba: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat etc.* et non praebeat hostiam, ut admittit Croix [1] cum Moya Leand. Henriq. Diana etc., quia tunc revera non simulatur sacramentum. Secus dicendum, si parochus porrigat ex conventione hostiam non consecratam, ut docent s. Th. Sot. Suarez Vasq. et alii cum Croix [2] communiter, contra alios. Ratio, quia tunc, licet nec etiam simuletur sacramentum, quod ibi non est, tamen exponitur panis adorationi adstantium, et ipsius suscipientis, qui sicut peccaret externe adorando idolum, etiam ex metu mortis; sic quoque semper peccaret externe adorando hostiam non consecratam; et peccaret gravius quam si indigne communicaret, ut patet ex *cap.* 7. *De homine, de cel. miss.* ubi dicitur, gravius peccare sacerdotem qui in missa non consecraret, quam qui sacrilege consecraret et communicaret.

62. Infertur 3. non esse illicitum ob gravem metum simulare celebrationem matrimonii, ut cum communi sententia docent Sanchez [3] Palaus [4] p. Conc. [5] qui etiam communem asserit, Cardenas [6] Viva [7] Croix [8] cum Henr. Conin. Arriaga, Gormaz etc. contra p. Milante. Ratio quia tunc deest materia et forma sacramenti, cum desit voluntarius consensus; sacramentum enim non conficitur nisi super vero contractu, qui tunc non adest, cum invalidetur ex lege ecclesiae ratione coactionis. Et in hoc casu is qui simularet excusaretur etiam a mendacio, si adstantes possent ex circumstantiis advertere eum nolle contrahere; vel casu quo id non possent percipere, contrahens, dicendo *volo*, intelligeret velle in quantum in se est, ut notat Scotus [9]. Et ex eadem ratione dicunt Carden.[10] et Sanch. Hurt. Dic. et Gob. apud Croix [11] non peccare peccato sacrilegii, qui contrahit matrimonium sciens se habere impedimentum dirimens.

Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari sacris.

63. Quaestio quam infra exponam, nuper Neapoli magnopere inter sapientes fuit agitata. De hac ipse in libro mearum adnotationum in Busembaum nimis concise, et quasi obiter in quodam loco tractavi. Sed inde, cum sedulius animadverterem, valde utile ac necessarium esse, ut eius vera decisio confessariis innotesceret, quo ipsi studeant eam tenere sententiam, quam bono ecclesiae magis expedire iudicaverint: idcirco operae pretium esse duxi diligenter ac funditus rem ad trutinam revocare.

Quaestio nimirum haec est, utrum sit neganda absolutio clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere sine praecedenti experimento continentiae.

Quidam neotericus et doctus auctor libri Romae editi, cui titulus, *Istruzione per li novelli confessori*, de hoc puncto agens [12] sic scripsit: *Oggi non v'è alcuna legge diretta nè divina nè umana che vieti d'ordinarsi, precisamente per essere alcuno abituato nella lascivia, o in altro occulto peccato, se non che per l'omicidio volontario, o per altra colpa avesse contratto l'irregolarità... Ma bensì può dubitarsi per conto della legge naturale, in quantochè essendo per legge ecclesiastica, o pel voto implicito annessa la continenza a' sacri ordini, l'ordinando contro il dettame della vera prudenza vuole assumere un peso che non può portare ecc. A noi pare*

(1) L. 6. p. 1. n. 160. (2) N. 13[illegible] (3) De matr. l. 1. d. 11. n. 2. (4) Tr. 28. d. 2. p. 12. n. 3. (5) T. 3. p. 102. n. 15. (6) N. 79. (7) N. 12. (8) N. 162. (9) In 4. dist. 29. (10) N. 82. (11) L. cit. (12) Part. 2. c. 3. n. 45.

che stando nella legge naturale sola, si debba qui procedere con distinzione; imperocchè se l'ordinando creda sinceramente ed in buona coscienza di poter vivere casto, e poter disfarsi de' mali abiti, e di far tutto ciò che a giudizio suo e del discreto confessore si stima necessario ed opportuno per la emendazione; egli si può promuovere, e 'l confessore non glielo può interdire. Deinde addit: *Ed inoltre aggiungiamo, che non essendo questi (come supponiamo) indisposto per lo sacramento della penitenza, neppur si dee dire, precisamente parlando, che lo sia pel sacramento dell'ordine, il quale per riceversi degnamente non richiede se non lo stato di grazia; e per se stesso non è ad alcuno occasione di peccato, anzi dà all'anima nuova e distinta grazia.* Subaddit tamen: *Diciamo che uno che voglia promuoversi a sacri ordini, e non creda (siccom'è detto) sinceramente di poter osservare in quello stato la castità per lo mal abito della lascivia, non possa promuoversi; ed insistendo di farlo, gli si debba come ad indegno ed indisposto negar l'assoluzione.* Ita praefatus auctor.

Alii vero e converso videntur nimis rigide locuti fuisse, nam Natalis Alexander [1] hanc regulam statuit: *Nemo ad sacros ordines promovendus, nisi vel qui innocenter vixerit, vel occultas prioris vitae maculas diuturna poenitentia diluerit.* Idem tenet Iueninus [2]. Idem Habert [3] qui magnam et longam curam requirit, dicens nec unum sufficere annum ad huiusmodi probationem. Idem Van-Espen [4]. Sentit Cont. Tourn. [5], clericum habituatum probandum saltem per 20. aut 18. menses. Id eruit ex d. Gregorio *l. 4. alias 3. epist. 26. ad Ianuar.*, ubi: *Ne unquam ii qui ordinati sunt, pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit.* Adducitque Natal. Alex. [6] dicentem quod confessarii debent clericis in luxuria habituatis prohibere tam ascendere ad altiores gradus, quam ministrare in susceptis.

64. Sed inter harum opinionum varietatem operam adhibui, ut a quamplurimis neapolitanae urbis theologis res plene examinaretur; et post longas hinc inde discussiones, in hanc sententiam sive conclusionem, duas partes habentem, convenimus, mediam tenentes viam, nempe 1. quod hodierna et antiqua ecclesiae lex, semper constans, obstringit tam episcopos, quam confessarios et promovendos, ut cum aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem, sive ad subdiaconatum, sive ad diaconatum, aut presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquamdiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem ecclesiae violat in re gravi. 2. Quod potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere; et ideo (si idipsum confessario ex validis coniecturis constet) beneficium absolutionis suscipere, sine eo quod temporis experientia prius comprobetur.

65. Prima pars probatur 1. ex illo Apostoli [7]: *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum .... non neophytum etc.* Illud *irreprehensibilem* explicat d. Greg. dicens: *Vitium in episcopo est non quam optimum esse.* Illud autem *non neophytum*, commentat d. Th., et inquit: *Hoc quod dicit, ad eos pertinet, qui non solum aetate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione.* Quod vero nomine episcoporum intelligantur omnes sacerdotes, asserunt s. Ambr. s. Ioan.

(1) Theol. dogm. et mor. t. 1. l. 2. c. 3. a. 14. reg. 19. (2) Tr. de sacr. diss. 8. q. 7. c. 2.
(3) De sacram. ord. p. 3. c. 3.
(4) T. 4. p. 2. c. 2. §. 8.
(5) De 6. doct. praec. a. 10. reg. 3. v. Quoto.
(6) N. 60. (7) 1. Tim. 3

Chrysost. et s. Th. V. ap. Corn. a Lap.

66. Probatur 2. sacris canonibus. *A quorum norma* (dicit sum. pont. Bened. XIV. loquens de hac materia ad episcopos [1]), *quae omnino servari debet, ne patiamini vos abduci.* Innoc. III. [2] sic ait: *Erubescant impii, et intelligant iudicio Spiritus sancti, eos qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si caste non vixerint excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate.* Et iterum: *Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatae castitatis existat.* Item habetur *inep.* 1. *Siricii papae c.* 9. quod subdiaconus *ad diaconi gradum, si se, ipsa primitus continentia praeeunte, dignum probarit... accedat.* Item s. Greg. [3] sic praescripsit: *Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* Idem sancitum fuit a synodo Trid.[4] ubi: *Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus probati... qui sperant Deo auctore se continere posse.* Et licet verba, *et in minoribus ordinibus probati*, directe intelligantur de probatione externa, quam episcopus exigere debet de probitate ordinandi, ut ego cum aliis censeo; nullo modo tamen negari potest, quod concilium non tam requirit probitatem externam (quae reapse sine interna non esset probitas, sed vera hypocrisis et deceptio), quam principalius internam; at quoniam ecclesia non iudicat de occultis, ideo illic requirit explicite sive directe solam externam, sed eam postulat tamquam indicium probitatis internae. Et hoc patet ex textu d. Pauli supra relato, ubi diserte distinxit apostolus probitatem tam externam, quam internam, et utique utramque requisivit in sacerdotibus, verbis illis: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum etc.* Ecce necessitas probitatis internae: deinde induxit necessitatem probationis externae verbis quae subdidit, nempe: *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Ideo d. Thomas hanc epistolam apostoli explicans, scribit: *Primo ergo ostendit quales debent esse episcopi secundum se, secundo quantum ad alios.* Et ideo conc. quoque Trid. [5] ait: *Illos tantum promovendos ad sacros ordines, quorum probatae vitae senectus sit.* Quid autem sit haec senectus probatae vitae, habetur in Sapientia [6]: *Aetas senectutis vita immaculata.* Et propter id concilium [7] ad finem maioris probationis bonae vitae, praescribit interstitia inter diversos ordinum gradus, dicens: *Ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat.* Atque hinc in pontificali romano episcopus ordinans, loquendo de sacerdotibus initiandis, dicit: *Ut coelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent.* Hinc Innoc. XII. in sua bulla *Speculatores*, edita anno 1694. loquens de interstitiis ordinandorum, sic praecipit: *Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur; nec umquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur. Sed ii tantum, iuxta constitutas a maioribus leges, ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati.* Et d. Hieronymus apud eumd. d. Th. [8] inquit: *Non solum episcopi et presbyteri et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui praesident, et sermone et conversatione praecedant, verum etiam inferiores gradus et omnes qui Domini oraculo deserviunt.*

67. Probatur 3. ratione et auctoritate dd. quia, ut quis ad sacri ordinis dignitatem ascendat, non sufficit simplex et actualis status gratiae, sed re-

(1) In litt. encycl. Ubi primum.
(2) In c. A multis. de aetat. et qual. ord.
(3) L. 1. ep. 42.
(4) Sess. 23. c. 15. de ref.
(5) Ead. sess. 23. c. 12.
(6) C. 4. v. 9.
(7) C. 11. sess. cit.
(8) Loc. c.

quiritur etiam bonitas praecellens et habitualis. Et idcirco poenitens qui e luto habitualium libidinum mox emersit, quamvis conversus, quia tamen pravis habitibus irretitus adhuc infirmus existit, is vix capax erit absolutionis, sed non ordinis sacri. Propterea quod, si quis taliter affectus, et a sanie vitiorum nondum purgatus ad altaris fastigium ascendere audet, nisi prius sufficienti probetur experimento, iste prout temerarius etiam sacramentalis absolutionis manifestatur indignus. Unde s. Bernardus [1] scripsit: *Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata.* Et hic notandum quod id quod dictum est de vitio luxuriae, idem dicendum de quocumque alio, nimirum ebrietatis, avaritiae, blasphemiae, odii etc. Quod autem ad sacros ordines suscipiendos minime sufficiat simplex gratia sanctificans, sed ultra requiratur interior perfectio, constat ex consensu communi ss. patrum et doctorum, qui uno ore illam efflagitant. Et imprimis s. Th. [2] loquens de exercitio sacrorum ordinum, ait: *Quamvis interior perfectio ad hoc requiratur, quod aliquis digne huiusmodi actus exerceat.* Et deinde dicit sacerdotem *excellere religiosum quantum ad dignitatem, quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris, ad quod requiritur* (nota) *maior sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status.* Item [3] loquens pariter de probitate clericorum et monachorum dicit: *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem, sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam; unde pondus ordinum imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis, sed pondus religionis desiccat parietes id est homines ab humore vitiorum.* Et idem prius dixit s. Ioann. Chrysost. [4]: *Multo magis integritas huic, quam illis necessaria.* Item s. Thom. [5] ait: *Ad minus* (id est *non solum ad minus,* ut ibi explicat Glossa) *hoc requiritur, quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati: sed etiam amplius exigitur, ut secundum mensuram ordinis, vel officii iniungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.* Et confirmat testimonio s. Dionysii [6] qui scripsit: *In divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus et Deo simillimus.*

Magis autem urget id quod docet s. Th. [7] qui dicit: *Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.* Nec valet dicere quod hic s. doctor requirat quidem bonitatem excellentem ad executionem ordinum, non autem ad susceptionem, eo quod in ipsa susceptione gratia confertur suscipienti ad sacra ministeria digne exercenda. Nam in eodem loco Angelicus expresse requirit meritum sanctitatis positivae tam ad executionem quam ad susceptionem ordinum. Ad hoc videndum observare oportet quod s. doctor non aliud intendit probare [8] nisi quod in sacramento ordinis certe conferatur gratia gratum faciens. Hinc sic sibi opponit in tertia obiectione: *Nulla causa praesupponit effectum suum; sed in eo qui accedit ad ordines, praesupponitur gratia, per quam fit idoneus ad susceptionem ordinis.* (Hoc autem praesupposito, mox videbimus, quod non quidem negetur, sed approbatur et confirmatur a s. doctore in suo responso). *Ergo talis gratia non confertur in ordinis collatione.* Hucusque obiectio, deinde sic respondet: *Ad tertium dicendum quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.* De hoc autem rationem reddit: *Ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Hinc confirmans praesuppositum obiectio-

(1) De conv. ad cler. c. 21. (2) 2. 2. q. 184. a. 6. (3) Q. 189. a. 1. ad 3. (4) L. 2. de sacerd. c. 3. (5) Suppl. q. 36. a. 4. ad 5. (6) D. q. 36. a. 1. (7) Suppl. q. 35. a. 1. ad 5. (8) Cit. a. 1.

nis, ut diximus, id est quod ad ordines suscipiendos requiritur utique gratia gratum faciens, sive meritum praecedens sanctitatis, sic infert: *et ideo praeexigitur* (nota) *gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi.* Demum concludit: *sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad maiora reddantur idonei.* Quibus verbis intendit s. Th. probare quod gratia sacramenti non erit quidem inutilis, sed maiora auxilia praestabit suscipienti, ut idoneum se reddat ad maiora merita acquirenda: sed iam praesupponit et exprimit praeexigi in suscipiente gratiam gratum facientem, quae sufficiat ad dignum eum faciendum, ut connumeretur inter altaris ministros. Unde sicut non sufficit qualiscumque gratia ad executionem ordinum, ita neque ad susceptionem. Recte enim ait Habert [1] quod poenitentia pro infirmis est instituta, et ideo infirmis est conferenda; sed ordo, cum non ad salutem propriam, sed aliorum institutus sit, sanis conferri debet. Idem confirmat Glossa in praefato textu, dicens: *Licet enim in illo qui ascendit ad sacramentum ordinis, praesupponatur gratia gratum faciens, secundum modum quo possit digne ordinem suscipere, tamen non supponitur secundum gradum illum, quo causatur ab ordine suscepto. Accedenti enim sufficit esse in gratia, sed iam eidem suscipienti ordinem augetur gratia illa.* Adverte illa verba: *Licet praesupponatur gratia secundum modum quo possit digne ordinem suscipere.* Ergo ad ordinem suscipiendum non sufficit sola gratia sanctificans, ut quidam hanc Glossam intellexit, sed requiritur talis gradus gratiae et meriti, ut initiandus digne possit ad illum ascendere. Et quamvis Glossator ibi subdat: *accedenti enim sufficit esse in gratia;* intelligit profecto non de simplici gratia sanctificante, sed de gratia explicata, *secundum modum, etc.*

68. Idem sentit Sotus [2] qui agens *de sacram. ord.* dicit sanctitatem positivam in ordinando esse necessariam de praecepto divino; en sua verba: *Prima conclusio, quamvis morum integritas non sit de essentia sacramenti, est tamen praecepto divino maxime necessaria..... At vero quod articulo praesenti de idoneitate eorum, qui sacris sunt initiandi ordinibus, definitur, non est generalis illa dispositio, quae in suscipiente quodcunque sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratia obicem inveniat. Est etiam illa quaedam actualis praeparatio, sed definitio ad modum habitus attinet* (significat hic Sotus, quod promovendus debet esse habitualiter bonus), *enimvero quod ad sanctitatem ordinis homo non solum gratiam suscipit, sed ad sublimiorem gradum conscendit, requiritur in eo morum honestas et virtutum claritas.* Idem asserit Sanch. [3]: *In promovendo ad ordines requiritur bonitas vitae, quod non est intelligendum de generali bonitate, id est ut careat peccato mortali, hoc enim ad omnia sacramenta requiritur; quia per sacramentum* (ordinis) *homo ad sublimiorem gradum conscendit, requiritur in eo morum honestas, scilicet ut sit sobrius castus etc.* Idem dicunt Salm. [4]: *Ad hoc ut aliquis ad ordines promoveatur bonitas vitae requiritur, non illa solum quae ad receptionem omnium sacramentorum licitam postulatur, nimirum quod sit expers lethalis culpae, sed ultra requiritur, quod sit honestis moribus imbutus.* Accedit p. Holzm. qui [5] sic ait: *Requiritur 4. ut* (ordinandus) *effulgeat speciali vitae probitate: speciali, inquam; non enim sufficit ad suscipiendos ordines probitas communis, quae ad quaelibet sacramenta recipienda exigatur, sed necessaria est specialis, ex qua sperari possit fore ut ordinandus bono exemplo praeluceat..... Consistit autem specialis illa probitas in recta intentione specialiter serviendi Deo, in casta et sobria vita, in bona conversatione ordinandi.*

Si igitur constat quod clericus qui

(1) De ordine p. 3 c. 3.
(2) 4. sent. dist. 26. q. 1. a. 4. n. 3.
(3) Cons. l. 7. d. 46.
(4) De sacr. ord. tr. 8. c. 3. p. 2. n. 40.
(5) De ordine n. 96.

ad altaris celsitudinem vult ascendere, non tantum a culpa mortali immunis esse debet, sed amplius praeseferre probitatem habitualem, atque adeo excellentem, ut haec merito esse possit praeparatio correspondens gratiae per sacramentum ordinis praestandae, quae confertur per modum habitus, sive quae confertur, ut perpetuo sua peculiaria auxilia tribuat ordinato; certum etiam est quod ille qui usque adhuc in luxuriis est versatus, si forte praestiterit simplicia signa poenitentiae, erit quidem capax absolutionis, sed non erit simul sacro ordine dignus; aliud enim sane est, et valde diversum, esse simpliciter in statu gratiae, aliud magnam bonitatem possidere. Idcirco ex omnibus praedictis concluditur, praeceptum esse divinum, et ab ecclesia omni tempore custoditum ac promulgatum, ut qui in flagitiis, etsi occultis, sit recidivus aut habituatus, priusquam sacros ordines assumat, convenienti castitatis experientia sit probandus. Alioquin ei ob ipsius gravem praesumptionem, et quia in re gravi legem ecclesiae offendit, confessarius tenebitur absolutionem denegare.

69. Quoad secundam autem partem, minime negandum censemus, aliquando contingere posse quod clericus, quantumvis in vitio carnis consuetudinarius et recidivus, tali compunctionis gratia a Deo sit donatus, ut dignus existimetur, qui gradum sacri ordinis statim assumere possit; et ideo tunc capax bene evadet absolutionis, quamvis praecedenti experimento non sit probatus. Probatio quidem non solum exterior, sed etiam interior, ut diximus, in huiusmodi poenitentibus ab ecclesia necessario postulatur; sed non necessario requiri dicimus probationem temporis.

Olim iuxta priscam ecclesiae disciplinam nemini, qui post acceptum baptismum lethale peccatum commiserat, ascendere ad ordines umquam permittebatur, etiamsi condignam egisset poenitentiam, ut testantur s. Isidorus, s. Hieronymus et s. Martinus papa I. ap. Natal. Alex., atque ii qui post ordinem susceptum semel graviter peccarent, ipso facto manebant perpetuo suspensi, prout scripsit s. Gregor. [1]. Deinde tamen aliquot post saecula tantum illi qui infamiam passi erant ob aliquod grave crimen, aut publicam egerant poenitentiam, ab ordinibus excludebantur, iuxta id quod legitur in concil. carthag. IV. *can.* 68. ubi: *Ex poenitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur.* Demum a saeculo XI. ut ferunt Habert et Iueninus, remissa fuit huius disciplinae severitas, ut patet ex *cap.* 7. *Fraternitatis, dist.* 34. ubi Pelag. papa requisitus ab episcopo florentino, an conferre posset diaconatum clerico, qui aliquando, cum esset coniugatus, inhoneste versatus fuerat cum sua ancilla, respondit: *Et quamvis multa sint quae in huiusmodi casibus observari canonice iubeat sublimitatis auctoritas, tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram: et aetas istius de quo agitur, futurae incontinentiae suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatum possit provehi, temporum, ut dictum est, condescendentes defectui, concessisse nos noveris.* Item *in cap. Ex tenore, de temp. ordin.* sic habetur: *Verum quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus, quatenus poenitentiam ei condignam imponas, et suadeas, ut parte poenitentiae peracta, ordine suscepto utatur; quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Attamen notandum, ut diximus *num.* 52., hunc canonem correctum fuisse in parte a Trid. [2] ubi habetur quod episcopi bene possunt ob peccata occulta, etiam extraiudicialiter cognita, prohibere initiandos, quominus ordinentur.

70. Cum igitur neque ecclesiae praeceptum, neque praesentis disciplinae

(1) L. 4. ep. 7.

(2) C. 1. sess. 14. de reform.

consuetudo cogat ad probandos sola temporis diuturnitate eos, qui ad sacros ordines sunt promovendi, ad prudentem confessarium spectabit cognoscere, an poenitens vel temporis experimento, vel alia via sit convenienter probatus atque dispositus ad tantam dignitatem assumendam. Bene autem evenire potest quod Deus, cuius iudicia et misericordiae admirabiles sunt, auxilia tam efficacia gratiae alicui largiatur, ut compunctionis vehementia temporis probationem compenset. Docet enim d. Thomas, quod Deus aliquando tollit peccati reliquias successive per suam gratiam cooperantem, aliquando vero statim per magnam commotionem qua homo perfectam sanitatem spiritualem consequitur. Hoc docet [1] ubi quaerens *utrum, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati?* obiicit sibi [2] auctoritatem d. Augustini [2] qui ait: *Nunquam Dominus aliquem sanavit, quem omnino non liberavit; totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione.* Respondet inde Angelicus: *Quandoque tanta commotione convertit* (Deus) *cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis; ut patet de Magdalena Luc. 7. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, successive tollit peccati reliquias.* Si ergo divinae gratiae efficacia valet auferre omnes peccati reliquias, id est animae debilitatem ex vulneribus peccati causatam; idcirco, quamvis habitus pravi in potentiis sensitivis non tollantur, mens tamen ex vigore gratiae talem acquirere potest vigorem, ut illis facile resistat. Hoc docuit idem d. Th. [4] dicens: *Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidem habitus inchoati; sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens; qua sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum.* Nulla igitur tali habituato erit necessitas experimenti, quod non requiritur, nisi ut debilitas animae ex malis habitibus contracta sanetur, et pravis dispositionibus facile resistat, cum hoc idem ex vigore gratiae is aeque et forte virilius adeptus fuisse comperitur. Recte enim dicit s. Cyprianus: *Non pro mora temporum, sed compendio gratiae maturatur caritas.*

(1) 3. p. q. 86. a. 5. ad 1. (2) In 1. obiect.

71. Non quidem negandum huiusmodi conversiones extraordinarias esse, nec saepe evenire, neque etiam in exercitiis spiritualibus, quae ad sacros ordines praemitti solent; quoniam plerumque ad huiusmodi exercitia promovendi coacti accedunt. Ideoque alia extraordinaria signa debet confessarius in suo poenitente agnoscere, ut ei ad sacrum ordinem ascendere permittat. Quod si quandoque (licet raro) tales conversiones extraordinariae accidant; nulla patet ratio cur in eo casu magis dispositum ad ordines suscipiendos poenitentem evincat longi temporis probatio, quam manifesta cordis vera et vehemens contritio, ac voluntas adeo firma, quae innixa spe divinorum auxiliorum, praecipue actualium, quae in sacramento ordinis a Deo impertiuntur, ut caste et honeste in ecclesiae ministeriis vita ducatur, non solum se emendare proponat, sed etiam omnia media opportuna adhibere, quae valeant tum concupiscentiam refraenare, tum dignum eum reddere, ut sacra adeat mysteria; imo poenitens ex illo singulari dono contritionis iam incoeperit instanter et enixe castitatem a Deo postulare, et simul concupiscentiae ardorem notabiliter imminutum in se cognoscat, ita ut iam paratum se sentiat ad castitatem servandam. Quod si sufficienter probatus existimatur, qui per aliquod tempus se continens habitum extirpare curaverit, multo magis is probatus censeri debet qui per specialem Dei gratiam vehementi contritione manifeste compunctus est. Diuturnitas temporis ideo sufficiens creditur pro

(3) Lib. de poenit. c. 2.
(4) Supplem. q. 50. a. 1. ad 2.

batio, quia signum est firmae voluntatis poenitentis; attamen non raro eveuire solet, quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi huius honestate contineat (iuxta verba s. Gregorii); sed horum magis est timendus relapsus, quam eorum qui talem contritionis gratiam ostenderunt, ut prudens confessarius directe eos voluntatem immutasse cognoscat; unde recte prudentem ac fundatam spem concipere possit, quod promovendus auxilio divinae gratiae, et mediis quae adhibere ipse proposuit, castitatem servabit, iuxta illud Tridentini [1]: *Qui sperent, Deo auctore, se continere posse.*

Id sat confirmatur tum a pontificali, tum a catechismo romano. In pontificali enim habetur quod episcopus alloquens initiandos ad subdiaconatum, sic dicit: *Si usque nunc fuistis ebrii, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti.* Notentur verba, *si usque nunc*, ad significandum quod hodie non excludit ecclesia eos qui forte usque ad tempus ordinationis fuerint inhonesti, modo habeant talem cordis conversionem, quae ipsos reddat dignos non solum absolutionis beneficio, sed etiam sacri ordinis gradu, si sine temporis probatione ad eum ascendere velint, iuxta illud quod scripsit d. Anselm. [2]: *Nec apud Deum reprobatur officium alicuius propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines dedecoratur sacri ordinis dignitas propter personam, cuius ipsi peccatum non agnoscunt.*

72. In catechismo autem romano [3] primo dicitur quod initiandus in sacris morum integritatem magnopere praeseferre debeat. Deinde additur quod ea vitia corporis, quae in veteri lege homines ab altaris ministerio excludebant, hodie in nova lege evangelii intelligenda sint de vitiis animae quae homines repellunt ab ordinum sacrorum susceptione. Et hic sedulo advertendum quod inter corporales defectus in lege antiqua computatum fuit vitium inveteratae scabiei, ut legitur in Levit. [4]. *Si iugem scabiem etc.* Quod communiter interpretatur pro vitio libidinis, ut explicant d. Hieronymus et d. Gregorius. Demum catechismus concludit quod promovendi qui huiusmodi vitiis fuerint contaminati, tenentur iuxta praesentem ecclesiae disciplinam sacramento poenitentiae conscientias diligenter purgare, sine eo quod ibi ulla temporis probatio praescribatur. En verba catechismi: *Primum itaque in eo qui sacerdos creandus est, vitae et morum integritas commendetur magnopere oportet... Et simul illud docendum, ea corporis vitia, quae in veteri lege ex Domini praescriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant, in evangelica lege ad animae vitia praecipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in ecclesia servari animadvertimus, ut, qui sacris initiandi sunt, prius poenitentiae sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.* Ex quo patet, catechismum supponere quod aliquis, etsi vitiis fuerit obnoxius, bene possit absolutionis beneficio frui, et inde sacros ordines recipere, etiam sine praecedenti temporis experientia: intelligendum, dummodo aliunde rite dispositus iudicetur ad tantam dignitatem ascendere.

Hinc ipse Iueninus in praesenti quaestione, licet hic rigidarum sententiarum acerrimus sectator alibi in opere *de sacram.* [5] omnino indixerit necessitatem probationis temporis, ut clerico vitio turpi illaqueato possit permitti ad ordines sacros ascendere; attamen in suis *Inst. theol.* [6] loquens de habituato in vitio turpi, veluti seipsum corrigens et benignius agens, sic inquit: *Verum, cum paucae sint regulae quae aliquas exceptiones non patiantur, negotium hoc sapientis ac eruditi directoris prudentiae committendum est.*

73. Sed dices 1. Ut quis licite ordines sacros suscipere possit requiritur non tantum externa, sed etiam interna vocatio divina; at quomodo existimari poterit vocatus a Deo ille qui diu

(1) Cit. c. 13. (2) L. 1. epist. 58.
(3) De sacr. ord. n. 51. (4) C. 21. v. 20.
(5) Diss. 3. q. 7. c. 2.
(6) T. 7. p. 3. diss. 7. q. 3.

vitio lasciviae est foedatus, nisi prius per longam poenitentiam et virtutum exercitia signa verae vocationis ostendat? Et quomodo confessarius absolutionem ei impertiri poterit, quem non agnoscit a Deo vocatum? Respondetur: Nulli dubium quod si quis accedere auderet ad sacram ordinationem, sciens a Deo se vocatum non esse, excusari nequiret a culpa lethali, tum ob gravem praesumptionem se intrudendi in sanctuarium contra Dei voluntatem, cum dicat apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* [1]: tum ob periculum certum damnationis cui tunc ipse se exponit, ut asserit Abelly in suo aureo opusculo, cui titulus, *Sacerdos Christi*, c. 4. ubi ait: *Qui sciens, nulla divinae vocationis habita ratione, in sacerdotium se intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen iniiceret, peccando scil. in Spiritum sanctum; quod quidem peccatum vix aut rarissime dimitti ex evangelio discimus.* Attamen vero, ut promovendus a culpa excusetur, sufficit ipsi quod bonum praeseferat finem et episcopo se offerat, ut probetur: dummodo non certe sciat se numquam fuisse a Deo vocatum. Iueninus [2] postquam probavit necessitatem divinae vocationis, inquit: *Licet quoque clericis offerre se episcopo, quo probentur an debeant ad maiores ordines promoveri.* Etenim, ut addit, *Qui examini se offert, an ad maiores ordines promovendus sit, non ob id eorum dignum se iudicat; ac proinde non est reus praesumptionis.* Tanto magis igitur confessarius non poterit huiusmodi clerico volenti ordinem suscipere absolutionem denegare post acceptam eius confessionem, nisi certus sit quod illi deficiat divina vocatio. Sed quomodo in nostro casu hanc certitudinem confessarius habere poterit? Vitiosa vita peracta a suo poenitente non praebet quidem ipsi certitudinem, quod is numquam fuerit a Deo vocatus. Cur non accidere potuit quod Dominus eum aliquando vere vocarit, et ipse auxiliis resistens iam paratis male corresponderit? Iudas procul dubio fuit a Christo Domino vocatus ad apostolatum, at ille quam male ad eum se disposuit? Cur etiam censeri non poterit quod illa extraordinaria conversio, quam supponimus, sit vocatio divina, qua poenitens eodem tempore sit a Deo donatus? Forte Deus non vocat ad sacerdotium etiam peccatores poenitentes? Unde concluditur quod in casu nostro supposito cum circumstantiis ut supra descriptis, confessarius ex hoc capite deficientiae vocationis nequit denegare absolutionem suo poenitenti, qui ad illam per confessionem adeptus est ius strictum et rigorosum.

Dices 2. Si ecclesia agnosceret quod clericus usque tunc sic luxuriose vixisset, nullo modo eum ad ordines admitteret. Sed respondetur quod si ecclesia agnosceret simul suam resipiscentiam, et vehementem compunctionem a Deo donatam, modo quo eam asseruimus, illum non repelleret.

74. Dices 3. Huiusmodi clericus in vitio turpi diu versatus, volens subdiaconatum assumere, exponitur periculo proximo relabendi in eadem peccata, et illa augendi reatu sacrilegii, cum sibi imponat votum castitatis perpetuae indissolubile, quod ipse ob pravum habitum contractum difficulter observare valebit; quapropter hic velut temere agens est indignus absolutione, ut supponit Habert [3]. Sed haec obiectio, licet magnam vim habere videatur, revera tamen nullius est momenti. In tantum diximus, quod talis consuetudinarius, quamvis sit capax absolutionis, si non vult ordinari, non poterit tamen absolvi si sacrum ordinem assumere audeat, nisi per extraordinariam compunctionem sit probatus; in quantum constat, ut observatum est, quod ad sacros ordines suscipiendos non sufficit simplex status gratiae, sed necessario insuper requiritur bonitas excellens, quae per divinum auxilium superabundans potest a poenitente in instante acquiri. Caeterum, si quicunque alius habitua-

(1) Hebr. 5. 4. (2) Cit. lib. de sacram. diss. 8. q. 7. c. 2. (3) Loc. cit.

tus in lascivia, sed iam sat dispositus ad absolutionem, vellet statim sine experientia emittere votum castitatis, cur non poterit confessarius eum statim absolvere? Numquid votum adhuc in eo casu non erit de meliori bono? Si non esset de meliori bono, esset quidem nullum; sed communissime docent doctores, ut asserit Spor. [1] quod huiusmodi votum emissum ab habituato in lascivia est validum. Idem ait La Croix [2] cum Pal. Moya ac aliis, et contrariam sententiam ipse dicit non audere dicere probabilem, idque diserte confirmat d. Thom. [3] qui quaerens an quis post diuturnam vitam in vitiis ductam possit vota religionis profiteri; respondet, non esse expediens magna opera hominibus tenuis virtutis imponere: *Si tamen* (addit) *mox conversi sponte propria voluerint manum mittere ad altiora, quis eos audebit arcere?*

75. Praeterea, si quis sic habituatus nollet nubere, dici deberet, quod non posset absolvi quamvis dispositus, quia iste vellet remanere in periculo proximo recidendi. Sed quis umquam asseruit, matrimonium esse remedium necessarium ad se continendum? Scripsit quidem apostolus: *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri* [4]. Verum hoc communiter ab interpretibus intelligitur, nisi aliquis nolit alia media adhibere. Hinc quaestio agitur inter dd. an valeat votum, quod quis emitteret nubendi, ut se liberet ab habitu incontinentiae. Alii, ut Lessius [5] Pal. [6] Sotus [7] cum Fag. Prad. etc. apud Salm. [8] dicunt omnino invalidum esse huiusmodi votum, quia numquam est de meliori bono, sicut est coelibatus. Alii vero, ut Sanchez [9] Bellarm. [10] Bon. Navarr. et plures communius cum Salm. [11] asserunt, tunc solum validum esse votum, quando vovens nolit, aut non possit aliis mediis uti. Idem ait Sporer [12] dicens quod tali voto obligatur tantum is qui aliud remedium adhibere nolit. Idem asserit ut certum Laym. [13] his verbis: *Dicendum secundo cum Lessio et Conink, tale votum obligatorium esse secundum hypothesim, si in tali statu peccandi perseverem, et non media efficacia adhibeam ad emendationem, quae cum Dei gratia possum; ita ut talis homo aliud vovere censendus non sit, nisi hoc saltem remedium* (*quod est nuptiarum*) *peccatis suis adhibiturum, si aliquid melius, quod est continentia, non adhibuerit: ideoque, si firmum eius propositum et conatum praestet, a voto liberatur.*

Instabis: sed laicus nolens tunc nubere, remanet tamen liber, ut possit nubere postea si velit; non sic subdiaconus post susceptum ordinem. Respondetur; sed si ille laicus statueret firmo animo, numquam velle matrimonio ligari, sed aliis mediis uti, numquid ob hoc poterit ei absolutio denegari?

76. Dices 4. Docet d. Gregorius [14]: *Non debet aliquis non purgatus sacra mysteria adire.* Unde [uenin. [15] ait non posse promoveri ad sacros ordines, qui nondum peccata purgarit per condignae poenitentiae labores. Sed respondetur cum s. Thoma, qui [16] quaerens *utrum liceat episcopatum iniunctum omnino recusare;* respondet [17] (referens praefata verba d. Gregorii) quod si impedimentum nequeat tolli a subdito, tunc non tenetur obedire, quia nullus tenetur obedire ad aliquod illicitum; secus autem, *si impedimentum removeri potest per ipsummet, puta si habeat peccandi propositum, quod potest deserere.* Ergo supponit Angelicus quod licet alicui sacra mysteria adire, suscipiendo episcopatum, *vel etiam sacros ordines* (ut ibidem subditur), etiamsi nondum sit a suis peccatis purgatus; dummodo, ut supponendum, sit interius probatus ad huiusmodi gradus assumendos; alias dicendum ex supra allatis, quod neque ordinari posset, neque teneretur obedire. Aliud enim est

(1) De voto c. 2. n. 63. (2) L. 3. p. 1. n. 481.
(3) Opusc. 17. c. 7. (4) 1. Cor. 7. 9.
(5) L. 2. c. 40. n. 44. (6) T. 3. tr. 15. d. 1 p. 3. §. 8. (7) Lib. 7. q. 1. art. 2.
(8) Tr. 17. de voto c. 1. p. 2. §. 2. n. 40.
(9) Dec. l. 4. c. 8. n. 55. (10) L. 2. de mon. c. 14.
(11) L. cit. n. 41. et 42. (12) De voto n. 61. et 62.
(13) L. 1. tr. 4. c. 2. n. 12. (14) Pastoral. p. 1.
(15) Op. de sacram. l. c. (16) 2. 2. q. 185. a. 2.
(17) Ad obiect. 2.

aliquem non esse purgatum, aliud non esse probatum.

Quade re, omnibus tamen mox praedictis non obstantibus, omnino tenendum quod, ut clericus in vitiis habituatus possit absolvi, etsi ipse velit statim sine temporis probatione accedere ad sacros ordines, debet tali compunctione extraordinaria esse a Deo manifeste donatus ut satis probatus ostendatur ad tantae dignitatis sublimitatem.

77. Praeterea advertendum quod confessarius toto conatu curare debet, persuasum reddere huiusmodi initiandum, quamvis extraordinarie (ut supra) compunctum, ut differat ordines suscipere quoadusque probatione alicuius notabilis morae magis purgatum se praebeat a sceleribus patratis. Imo addo, consultius et congruentius esse, ut etiamsi ipse sit contritus, et ex compunctione habita sufficienter dispositus non solum ad absolutionem, sed etiam ad ordinem assumendum, tamen ei absolutio differatur, ipso quoque non consentiente, si velit statim ordinari; ut temporis experimento firmius probetur. Dummodo vero, excipio, ipse ex hac dilatione ordinationis non sit subiturus notam, sive proximum periculum infamiae; nam in hoc casu censerem cum La Croix [1] non posse confessarium poenitenti disposito beneficium absolutionis differre, quia tunc ille ex confessione peracta habet ius non tantum ad absolutionem, sed ad eam statim obtinendam. Caeterum fateor, magnam adhibendam esse cautelam in huiusmodi clericis absolvendis, qui vix e vitiorum coeno emersi, ad altaris ministerium ascendere inhiant: nulli enim dubium quod horum frequenter malus exitus deploratur, non sine maximo ecclesiae detrimento et populorum ruina.

CAP. III. DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM

DUBIUM I. Quae dispositio requiratur ad valorem sacramenti in suscipiente.

78. *Vide quae habentur apud Busemb.*
79. *An solus homo viator sit capax sacramentorum. An soli baptizati valide suscipiant alia sacramenta.*
80. *Nulla requiritur intentio in pueris, et perpetuo amentibus, quoad baptismum, confirmationem et ordinem.*
81. *Quae intentio requiratur in adultis. An sufficiat intentio neutralis, an habitualis. Quid de dormientibus, ebriis et lapsis in amentiam.*
82. *An sufficiat intentio interpretativa.*

78. « Resp. Ad valorem sacramenti in adultis ratione utentibus intentio percipiendi sacramentum interpretativa saltem requiritur, et sufficit (excipe poenitentiam, de qua infra). Ita comm. theologi omnes cum s. Thoma contra Caiet. qui putat, in suscipiente nullam intentionem requiri, modo contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia sicut adultus non iustificatur sine proprio consensu, ita nec per sacramentum initiatur, et consecratur Deo, sine eodem consensu, si eius sit capax. Bonacina [2].

» Dixi, *adultis etc.* quia cum tantum requirantur conditiones iuxta subiecti capacitatem, parvuli autem et perpetuo amentes non sint capaces propriae intentionis, sufficit illis intentio Christi et ecclesiae. Fill. [3].

Unde resolves:

» 1. Parvuli, uti et perpetuo amentes, valide baptizantur, confirmantur, communicantur, ordinantur: quod ultimum nefas esset, priora autem olim permittebantur. Bon. [4].

» 2. Aegris ratione iam privatis recte datur unctio, non tantum si ante petierint, sed etiam si fuerint catholici, neque constet esse in mortali: nam hoc ipso censentur interpretative voluisse et petiisse, quod alii christiani, etiamsi de ea numquam audierint. C. de Lugo [5] et comm.

» 3. Invalidum est sacramentum, 1. quod quis suscipit cum intentione neutrali, habens se negative. 2. Quod suscipit ficte, id est simulate: non tamen quod ficte, id est indisposite. 3. Quod per meram vim, animo omnino repugnante, suscipitur. Bon. [6].

» Validum est sacramentum, 1. quod qui accipit, vult, quod christiani accipiunt, etsi non credat aut non velit sacramentum. 2. Quod quis per me-

(1) L. 6. p. 2. n. 1764. (2) D. 1. q. 6. p. 2. (3) T. 1. c. 3. (4) L. c. (5) De sacram. in gen. d. 9. n. 122. (6) L. c.

tum coactus suscipit, cum metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi metu, v. gr. iniustae mortis, initum, censetur irritum, ut docent Sanch. [1] c. de Lugo [2]. Et qui ordines gravi metu coactus suscepit, etsi characterem habeat, non tamen tenetur ad continentiam, potestque, secluso scandalo, nubere, ut suo loco dicam. (*Vide dicenda de sacr. ord. n.* 811.)»

79. Ante omnia hic notandum est. 1. solum hominem viatorem esse capacem sacramentorum, quia solus homo viator capax est primae gratiae aut eius augmenti; ita communiter Suar. et alii, contra Bernal. Vide Tourn. [3] qui id probat. Notandum 2. susceptionem baptismi omnino praeexigi, ad validam susceptionem aliorum sacramentorum. Id certum est apud omnes, vide Lugo [4] et Croix [5]. Ratio quia sacramenta instituta sunt pro sola ecclesia, et per solum baptismum fiunt homines de corpore ecclesiae, ut definivit Eugenius IV. in decreto fidei ad armenos. Hinc matrimonium infidelium non est sacramentum, ideo est dissolubile, ut notant Sanch. [6] et Croix [7] cum communi [8]. *Vide dicenda de matr. n.* 957.

80. Plura autem hic adnotanda circa intentionem requisitam in suscipientibus sacramenta. In infantibus nulla quidem requiritur intentio, cum suppleat in eis intentio Christi vel ecclesiae: sicut enim sine propria voluntate ipsi peccatum contraxerunt, ita sine voluntate ab illo liberantur. Hoc certum est cum d. Th. [9] et est de fide definitum a Trid. [10] ubi dicitur: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae, anathema sit.* Idem dicendum de perpetuo amentibus, ut docet s. Th. [11]. Et quod dicitur de baptismo, idem dicendum de sacramento confirmationis, ut Salm. [12] cum communi dd. Idem de sacramento ordinis infantibus (sive perpetuo amentibus) collato, ut recte dicit Lugo [13]. Idque hodie certum est ex bulla: *Eo quamvis tempore,* nostri ss. p. Benedicti XIV. edita 4. maii anno 1745. ubi postquam in §. 20. id declaratur definitum communi suffragio theologorum et canonistarum, deinde praescribitur §. 27. quod ipsi infantes ordinati, cum pervenerint ad annos discretionis, non teneantur ad castitatem: praecipit vero pontifex ex conc. tolet. II. rel. in *can. De iis, dist.* 28. ut in anno 18. detur eis optio, et si voluerint castitatem servare, admittantur ad exercitium ordinis; secus si noluerint. Et §. 40. subdit quod ipsi post ratihabitionem invalide contrahunt matrimonium, et tenentur ad officium divinum.

81. In adultis vero certe requiritur intentio suscipiendi sacramentum; ratio quia, ut docet d. Th. [14] loquens de baptismo: *Ad hoc quod homo moriatur veteri vitae, requiritur in habente usum liberi arbitrii voluntas qua eum veteris vitae poeniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem.* Dixit autem Cai. [15] in suscipiente baptismum sufficere intentionem neutralem, nempe quod non consentiat, neque dissentiat; sed haec opinio communiter reprobatur a dd. ut a Lugo [16] Petr. [17] Salm. [18] et signanter a Bened. XIV. in *Instruct. de bapt.* incipiente *Postremo mense.* Et talis opinio est quidem contra doctrinam expressam d. Th. mox supra relatam. Idem quod de baptismo dicendum est de aliis sacramentis cum Lugo et aliis communiter.

Certum est etiam apud omnes non requiri in suscipiente sacramenta intentionem actualem aut virtualem; sed sufficere habitualem, id est aliquando habitam et non retractatam. Ita Lugo [19]

(1) L. 4. de matr. d. 12. et 14. (2) D. 9. n. 155.
(3) Praelect. theol. de sac. quaest. 8. art. 1.
(4) De sacram. d. 9. n. 1. (5) N. 165.
(6) De matr. lib. 2. disp. 8. (7) Loc. c.
(8) Ex c. Quanto 7. de divort. (9) 3. p. q. 68. a. 9.
(10) Sess. 7. de sacr. can. 13. (11) L. c. a. 12. ad 1
(12) De confir. tr. 3. c. 3. p. 3. n. 26. (13) D. 9 n. 112. (14) D. q. 68. a. 7. (15) In l. cit. d. Th.
(16) D. 9. n. 117. (17) T. 3. p. 87. (18) De sacr. in gen. c. 3. n. 1. n. 7. (19) De sacr. d. 9. n. 115.

Wigandt [1] Petroc. [2] Antoine [3] Suarez [4] Holzm. [5] Sporer [6] Ronc. [7] Elbel [8]. Idemque docet ss. n. Benedictus XIV. in praefata *Instr. n.* 46. cum aliis communiter. Idque probatur ex universali ecclesiae praxi, quae non reiterat sacramenta baptismi et ordinis iis qui ea suscipiunt ex voluntate prius habita. Et hoc procedit in omnibus sacramentis, praeter poenitentiam et matrimonium, ut infra explicabimus.

Utrum autem valide conferantur sacramenta dormientibus, ebriis, vel lapsis in amentiam, qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi. Negat Roncaglia [9] quia (ut ait) non est praesumendum eos habuisse intentionem in tali tempore recipiendi sacramentum, sed solummodo more et ritu christiano. Sed communissime et probabilius affirmant Lugo [10] Pal. [11] Salm. [12] cum Henr. Graff. et Angles ac Croix [13] cum Gobat. Aversa Diana et aliis. Ratio quia ad validitatem sacramenti non requiritur ut suscipiens agat modo humano et more solito, sed satis est quod ipse sit subiectum capax, prout revera est qui iam prius habuit intentionem recipiendi sacramentum. Idque confirmatur auctoritate Innoc. IV. [14] (apud Lugo [15]) qui, postquam dixit, dormientes et amentes non recipere sacramentum, si contrariam habuerint voluntatem, addit: *Secus si habuissent propositum baptizandi; tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio.* Et eiusdem sententiae est n. ss. Bened. XIV. in *cit. Instruct.* n. 46. Caeterum recte advertunt Suar. [16] et Salm. [17] illicitum esse iis conferre sacramenta, nisi in probabili periculo mortis, vel nisi quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum, alias expectandum ad tempus in quo suscipiens fiat compos rationis. Idque expresse docet d. Th. [18] qui ait: *Si autem necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizetur in statu illo, sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans.*

82. Sufficit etiam intentio interpretativa (nempe quae numquam fuit habita, sed praesumitur habenda a suscipiente, si esset ipse compos rationis) in suscipientibus sacramentum extremae unctionis, ut dicunt Lugo [19] Wigan. [20] Elb. [21] Ronc. [22] Spor. [23] et Croix [24] cum communi: idque probatur ex rituali rom. *de extrema unct.* ubi dicitur: *Hoc sacramentum est praebendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu verosimiliter* (nota) *petiissent.* Et si forte aeger fuerit sensibus destitutus in actu peccati mortalis, probabiliter ait Viva [25] saltem sub conditione extremam unctionem tunc esse illi ministrandam, prout etiam de sacramento poenitentiae dicemus *n.* 480.

Ita etiam per voluntatem interpretativam seu generalem potest moribundo sensibus destituto conferri sacramentum confirmationis, ut dicunt Lugo [26] Spor. [27] Elbel [28] et Croix [29] cum Conc. Arriaga et Bern. contra Escob. [30]. Et idem dicunt de sacramento eucharistiae Lugo [31] Sporer [32] et Croix cum Suar. Conc. Aversa Bernal. etc.

Sacramentum autem baptismi et ordinis invalide quidem confertur habentibus solam intentionem interpretativam, quia sine voluntate explicita nemo debet subire obligationem legum ecclesiae et status clericalis. Ita communiter Lugo [33] ac Viva [34] cum Suar. etc. Verumtamen Conin. Spor. Dicast. etc. ap. Croix [35] censent ad suscipiendum baptismum sufficere intentionem implicitam contentam in contritione,

(1) Tr. 11. ex. 4. n. 32. res. 4. (2) T. 3. p. 91. (3) De sacr. c. 3. q. 1. res. 2. (4) 3. p. disp. 14. sect. 2. (5) T. 2. p. 8. n. 39. (6) T. 3. p. 1. n. 145. (7) C. 5. q. 2. res. 2. (8) T. 3. p. 27. n. 56. (9) Loc. cit. (10) D. 2. n. 122. (11) De bapt. 4. un. p. 7. n. 2. (12) Tract. 2. c. 6. p. 3. n. 45. (13) L. 6. p. 1. n. 176. (14) In cap. Maiores, §. Item quaeritur, de baptism. (15) Loc. cit. (16) 3. p. d. 24. sect. 1, (17) Loc. cit. n. 44.

(18) In 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. (19) D. 9. n. 127. (20) Tr. 11. ex. 4. n. 36. r. 4. (21) T. 3. p. 17. n. 58. (22) De sac. c. 3. q. 2. r. 2. (23) T. 3. p. 1. n. 154. (24) L. 6. p. 1. n. 172. (25) De sacr. q. 1. a. 7. n. 6. (26) D. 9. n. 125. (27) L. c. n. 154. (28) D. p. 17. (29) L. 6. p. 1. n. 169. (30) L. 6. n. 55. (31) D. 9. n. 126. (32) Loc. cit. (33) D. 9. n. 119. et 127. (34) De sacram. q. 1. a. 7. n. 3. et 5. (35) L. 6. p. 1. n. 165.

vel attritione habita a suscipiente. His contradicunt Suar. et alii. Sed recte Lugo [1] primam sententiam ait posse habere locum tantum in infideli, qui semper invincibiliter veram fidem ignoraverit. Ad sacramentum autem poenitentiae non sufficit intentio neque interpretativa neque habitualis, sed requiritur intentio vel actualis, vel saltem virtualis, cum ibi requirantur pro materia actus poenitentis, qui non possunt quidem haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum; et hoc tenendum saltem in praxi, iuxta dicenda *de sacr. poen. num.* 447. Ad sacramentum vero matrimonii suscipiendum certe non sufficit intentio interpretativa, sed sufficere aliquando habitualem censent Holzm. [2] Croix [3] cum Sporer Dic. Arriag. etc. Et casum accidere posse, ait Croix, quando celebratur matrimonium per procuratorem; quia si hic contrahit dum principalis dormit, perficitur matrimonium cum intentione principalis, quae non aliter quam habitualis dici potest. Sed verius sentit Lugo [4] in matrimonio semper requiri voluntatem saltem virtualem, quia cum uterque coniux non solum sit suscipiens, sed etiam minister sacramenti, in singulis eorum certe requiritur ea intentio qualis in ministris aliorum sacramentorum exigitur, ut diximus *num.* 16. *et* 18. In praefato autem casu procuratoris, recte dicit Lugo [5] quod illa intentio verius dicenda est virtualis quam habitualis, cum procurator contrahat virtute mandati sive consensus a principali praestiti.

DUBIUM II. Quid requiratur ut licite et cum fructu suscipiatur.

83. *Quae requirantur in suscipiente sacramenta* mortuorum, *et quae* vivorum.
84. *An aliquando possit ministrari Viaticum a laico, vel sacerdos non ieiunus celebrare.*
85. *An magis dispositi maiorem fructum recipiant. An sumant cum fructu hostiam ii qui nesciunt esse consecratam.*
86. *Plura notanda de suscipiente sacramenta cum mortali aut veniali.*
87. *An omnia sacramenta causent gratiam, remoto peccato.*
88. *An liceat petere sacramentum a ministro excommunicato.*
89. *An a ministro peccatore.*

83. « Resp. Ad effectum baptismi et poenitentiae requiritur et sufficit, praeter voluntatem sumendi sacramentum, dispositio fidei, spei et attritionis, non autem requiritur caritas, sive ut gratiam habeat (*Vide dicenda n.* 139. *et* 437.); quia haec sacramenta dicuntur *mortuorum* quod ipsa primam gratiam, seu vitam donent. Ad reliqua vero sacramenta quae dicuntur *vivorum*, requiritur ut sit in gratia (Sed nota hic prop. damnatas ab Alexand. VIII. nempe prop. 22. quae dicebat: *Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad communionem percipiendam praetendunt*, *antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* Et prop. 23.: *Similiter arcendi sunt a sacra communione*, *quibus nondum inest amor Dei purissimus*, *et omnis mixtionis expers*), quia ista non primam, sed secundam tantum gratiam, id est augmentum tantum gratiae conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cum quis putat bona fide se carere mortali. Laym. [6] Bonac. [7]. »

84. Hoc quidem probabile est cum d. Thom. *Vide dicenda num.* 87. Hinc recte dicunt Gonet Henno et Contin. Tourn. (*vide infra n.* 237.) posse laicum moribundo viaticum ministrare, si desit sacerdos qui eum absolvat: et etiam sacerdotem celebrare posse non ieiunum ad ministrandum viaticum moribundo sensibus destituto, qui non possit confiteri; ut Viva [8] cum Laym. Fill. Secus autem, si absolutionem sacramentalem ille receperit; *vide n.* 286.

Unde resolves:

85. « 1. Etsi aequaliter dispositi aequalem, magis tamen dispositi maiorem sacramenti fructum praeter characterem consequuntur; tum quia congruum est sacramenta ita instituta esse, ut uberior gratia detur pro dispositione subiecti, tum quia non videtur is qui vehementem attritionem ad baptis-

(1) N. 129. (2) T. 2. p. 3. n. 36.
(3) L. 6. p. 1. n. 174. (4) D. 9. n. 134.
(5) N. 139. (6) L. 5. tr. 1. c. 6. n. 2.
(7) D. 1. q. 6. p. 2. (8) Q. 1. a. 3. n. 6.

mum vel poenitentiam affert omni fructu carere.

» 2. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, cum instar alterius animalis, sine intentione sumendi sacramentum, sumat, accipit quidem materialiter rem, quae est sacramentum, non tamen sacramentaliter et cum fructu (Ita s. Th. [1] cum Lugo Suarez Croix [2] contra Arriag. et Dic. quorum sententiam immerito probabilem vocat Croix). Idem docet Bon. de eo qui sumit sacramentum ex causa famis, quod videtur intelligendum, si ex ea sola: neque enim videtur sacerdos fructu sacramenti privari, etsi sumpturus calicem, simul etiam levare sitim intenderet. Vide Bon. [3]. »

86. Notandum 1. Ad baptismum requiritur actus fidei et spei, saltem virtualis, ut omnes docent cum Suar. et Croix [4], etiam actus contritionis sive attritionis, ut tenent Salm. cum d. Th. (*vide infra n.* 139.), si baptizandus habeat grave peccatum, ut patet ex Trid. [5]. Ad eucharistiam autem praemitti debet ex speciali praecepto confessio, et absolutio ab omni mortali. Utrum autem pro aliis sacramentis vivorum sufficiat praemittere tantum contritionem. Affirmatur communissime cum Lugo [6] Layman Vasq. Croix [7] et aliis, contra Marsil. et Adrian. *Vide dicta n.* 34.

Notandum 2. Est certe peccatum grave sacramentum suscipere cum mortali; et est gravius, quam illud indigne ministrare aut conficere, ut Croix [8] cum Dic. et aliis. Utrum autem in aliquo casu liceat suscipere sacramentum in mortali. Videtur negare Suar. [9], loquens de sumenda communione; sed communius affirmant Henriq. Aversa et Bosco apud Croix [10]. Idque pro casu rarissimo non videtur improbabile, puta si hostia consecrata esset profananda ab haereticis, et pro illa subita irruptione non posset tam cito conteri; tum videtur posse eam sine peccato sumere, licet sine fructu: tunc enim non sumeret ut sacramentum, sed tantum absconderet in corpore suo, sicut in pariete, ad eam liberandam ab iniuria, ut dicunt Lugo [11] Croix [12] Tambur. [13] et Diana [14] cum Vasq. Hurt. et Ochag. Idem probabiliter dicunt Lugo [15] cum Vasq. et Croix [16] cum Hurt. Ochag. Diana et Leand. de laico accumbente in scamno communicantium, qui recordaretur peccati mortalis, et non posset elicere contritionem ob angustiam temporis. *Vide dicta n.* 33.

87. Quaeritur 1. An sacramenta valide, sed cum fictione suscepta, remoto obice, reviviscant. Nomine *fictionis* hic non intelligitur ea quae reddit sacramentum nullum, ut est defectus intentionis, sed ea cum qua sacramentum valide suscipitur, nempe cum quis accedit sine dispositione requisita ad sacramentum. De sacramento baptismi (excepto Scoto et aliis paucis) omnes communiter id affirmant cum Petroc. [17] Conc. [18] Lugo [19] Tourn. [20] et aliis ex d. Thom. [21] qui loquens de gratia baptismi sic ait: *Impedietur autem quandoque per fictionem; unde oportet quod, remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.* Et prius id docuit s. August. [22] qui dixit: *In illo qui fictus* (ad baptismum) *accesserat, tunc valere incipiet, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Ratio quia peccatum ante baptismum, vel in ipsa perceptione baptismi consummatum non subiicitur ecclesiae clavibus, unde necesse est remitti per solam virtutem baptismi, qui sublato obice habet effectum prius suspensum ratione fictionis. An autem ad hunc effectum obtinendum requiratur in suscipiente contritio. Negant Suar. [23] et Lugo [24] cum Concina et commun. (contra Vasq.) dicuntque sufficere attritionem; *vide dicenda n.* 139. Idem quod de baptismo dicunt

(1) P. 3. q. 80. a. 3. ad 3. (2) L. 6. p. 1. n. 178.
(3) Loc. cit. n. 3. (4) L. 6. p. 1. n. 187.
(5) Sess. 14. c. 1. de poenit. (6) D. 3. s. 9. n. 145.
(7) N. 190. (8) N. 195. (9) De euch. d. 66. s. 1.
(10) L. 6. p. 1. n. 194. (11) De sacr. d. 9. n. 8.
de euch. d. 14. n. 3. (12) L. 6. p. 2. n. 304.
(13) De comm. c. 1. n. 76. (14) P. 5. tr. 13 r. 74.
(15) Dict. d. 9. (16) N. 507. (17) T. 3. p. 99. q. 6.
(18) T. 3. p. 185. n. 11. (19) De sacr. d. 9. n. 22.
(20) Pracl. theol. de bapt. q. 4. a. 2. concl. 2.
(21) 3. p. q. 69. a. 10. (22) L. de bapt. contra Donat. c. 12. (23) 3. p. d. 28. s. 5. concl. 1. (24) N. 52.

etiam de sacramento poenitentiae (casu quo fieret confessio valida et informis, iuxta dicenda *n.* 441. Lugo [1] Salmant. [2] (contra Petr.) ex s. Thom.[3] qui loquens de poenitente qui fecerit confessionem validam, sed informem, dicit: *Quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam est de aliis sacramentis.* Ratio (ut ait Lugo) quia si hic postea conteritur, iam peccatum ei remittitur, et remittitur quidem, sine eo quod directe illud clavibus subiiciat. Idem aiunt Lugo [4] et Suarez [5] Croix [6] cum Palud. Sylv. Concina apud Salmanticenses [7] (contra Sotum Hurt. Bosco et Bernal. apud Croix[8]) de sacramentis characterem imprimentibus, prout de confirmatione et ordine; quia cum haec sacramenta nequeant iterari, videtur consentaneum divinae bonitati, ne tales suscipientes relinquantur destituti gratia sacramentali, tam proficua in confirmatis ad resistendum tentationibus, et in ordinatis ad obeunda munia clericalia; et hanc sententiam ait Petr. solidissimum habere fundamentum. Idem dicunt Escob.[9] Croix [10] Salm.[11] cum Pal. Arriag. Caiet. etc. ac Lugo [12] cum Suar. et Concina de sacramento extremae unctionis et de matrimonio; quia (ut aiunt) etiam congruum videtur quod, cum extrema unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimonium vivente eodem coniuge, interim fideles non careant gratia sacramenti.

Recte autem Lugo [13] Croix [14] cum Suarez Conc. Fill. etc. communiter contra alios negant hoc de eucharistia, quae ex sua institutione frequenter potest iterari: idcirco non fuit opus hanc tribuere efficaciam tali sacramento, ut subveniatur fragilitati hominum. E converso in hoc sacramento sequeretur absurdum, quod sacerdos qui pluries in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte cum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; imo quo saepius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur. Censet autem Croix [15] cum Scoto Palao etc. quod si quis communicet et removeat obicem, antequam species eucharistiae consummentur, is non carebit gratia sacramenti. An autem suscipiens sacramentum cum veniali habituali vel actuali peccet; *Vide dicenda de euchar. n.* 270.

88. Quaeritur 2. An liceat petere sacramenta a ministro indigno. Hic distinguere oportet ministrum indignum ob aliquam censuram vel inhabilitatem et indignum ob peccatum mortale. Respondetur 1. Si minister est indignus per censuram etc. et non est toleratus, nimirum sit excommunicatus vitandus, vel publice et nominatim suspensus, vel irregularis per sententiam (Vide Croix [16]), certe non licet ab eo petere sacramenta, nisi in extrema vel gravissima necessitate, in qua omnes dicunt licitum esse suscipere baptismum et poenitentiam, ut Suar.[17] Cont. Tournely [18] Antoine [19] Bon.[20] Croix [21] et Salmant.[22] cum Sayr. Gran. Corn. etc. ex d. August. [23]. Idem probabiliter de sacramento eucharistiae dicunt Navar.[24] Suar.[25] Bon.[26] Viva [27] cum Sot. et Salmant.[28] cum Corn. Nugn. (contra Sayr. Avila etc.). Et adhaeret Cont. Tourn.[29] *ex cap. Quod in te de poenit. et rem.* ubi Innoc. III. quamvis neget morientibus extremam unctionem tempore interdicti generalis, non negat tamen poenitentiam, viaticum. Idem sentiunt de sacramento extremae unctionis Escob. Henr. et Dic. ap. Croix [30] eo quod tale sacramentum potest per accidens gratiam causare; sed melius id non admittunt Suar. Bon.[31] Elbel[32] item Conc. Fill. Avila et Corneio apud Salm.[33] ni-

(1) D. 9. n. 100. (2) De bapt. c. 6. p. 3. n. 53. (3) In 4. d. 17. qu. 3. art. 4. resp. ad 1. q. (4) N. 103. (5) D. 63. s. 8. (6) N. 199. (7) De sacram. in gen. c. 3. p. 3. n. 67. (8) L. c. (9) L. 8. n. 182. (10) N. 202. (11) Loc. c. (12) N. 105. (13) N. 108. (14) N. 200. (15) N. 209. (16) L. 6. p. 1. n. 29. (17) 3. p. dist. 11. s. 1. n. 6. (18) De sacr. c. 2. a. 1. §. 3. (19) De sacr. c. 2. q. 13. (20) De excommunic. disp. 2. q. 2. p. 3. §. 4. (21) L. 6. p. 1. n. 209. (22) De sacram. in gen. c. 8. p. 2. n. 16. et 18. (23) L. 1. de bapt. c. 11. (24) C. 22. n. 4. (25) L. c. n. 17. (26) L. c. (27) De sacr. q. 1. a. 3. n. 10. (28) Ibid. n. 22. (29) Loc. cit. (30) D. n. 209. (31) Locc. cc. (32) T. 3. p. 69. n. 67. (33) Ibid. n. 25.

Si quando infirmus non potuerit aliud sacramentum recipere. Pariter dicunt Suar.[1] et Corn. ap. Salm.[2] licitum esse recipere sacrum ordinem ab episcopo excommunicato, quando in aliqua provincia remota ille solus existeret, et talis ordinatio redundaret in bonum communitatis. Idem dicunt praefati aa. de sacramento matrimonii, casu quo esset necessarium vel ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset minister. An autem excommunicatus vitandus valide ministret sacramentum poenitentiae in extrema necessitate, *vide dicenda n.* 560.

Resp. 2. Si vero minister sit excommunicatus vel suspensus toleratus, quaestio est inter dd. an liceat ab eo petere sacramenta sine gravi causa. Negant alii, sed verius affirmandum; quia conc. constantiense absolute concessit fidelibus communionem cum toleratis; *vide dicta n.* 55. *et dicenda de cens. n.* 139.

89. Resp. 3. Cum autem minister est indignus ob peccatum mortale d. Th.[3] videtur indistincte concedere posse suscipi sacramenta a peccatore occulto, dicens: *Quamdiu* (minister) *ab ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum non communicat peccato eius.* Et idem habetur *in cap. Vestra, 7. de cohabit. cler. etc.* ubi dicitur: *Sine dubitatione teneatis, quod a clericis et presbyteris quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam* (id est, ut explicat Glossa, quando ipsi non sunt condemnati vel confessi in iure) *licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur sacramenta ecclesiastica.* Hoc tamen sane intelligendum valere tantum ad excusandum, ne contraveniatur prohibitioni ecclesiae; caeterum, ad suscipiendum sacramentum a peccatore, semper requiritur rationabilis causa, iuxta dicta *lib. 2. num. 47. et* 49. Utique alibi docet idem d. Thom.[4] qui ait: *Praeter necessitatis articulum non esset tutum, quod eum* (scil. pastorem) *induceret ad aliquod sui ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset.* Nomine autem *necessitatis* recte explicat Continuat. Tourn.[5] intelligi hic moralem necessitatem; unde probabiliter sufficit ad excusandum etiam causa gravis utilitatis, ut docent communissime Suarez[6] Sanch.[7] Pal.[8] Viva[9] Croix[10] Mazzot.[11] Tolet.[12] Fill.[13] Escob.[14] Anac.[15] Holz.[16] Elbel[17] citans Scot.[18] Spor.[19] Bon.[20] cum Con. Val. Reg. Henriq. et Salm.[21] cum Led. Nunn. et communi, ut asserunt.

Hinc aiunt dd. licite recipi sacramenta a ministro peccatore: 1. Si urgeat praeceptum confessionis, vel communionis, ut dicunt Suar.[22] Conc.[23] et Escob.[24] cum Vasq. etc. 2. Si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus. Cont. Tourn.[25]. 3. Si debes implere praeceptum missae audiendae. Suar.[26] cum Con. et Scoto apud Esc.[27]. 4. Si alias diu debeas permanere in mortali, et nequeas alium adire confessarium; ita Tournely[28]. Sed melius Suar.[29] et Antoine[30] excusant ab omni culpa eum qui est in mortali, si nolit neque ad horam expectare, quia non est modica utilitas quamprimum a peccato liberari. 5. Si carere debeas (saltem diu) communione, ut Suar.[31] et Escob.[32]. Et idem ait Suar. si carere debeas fructu confessionis etiamsi non habeas mortale. An autem sufficiat causa non carendi fructu alterius sacramenti. Negat Croix[33]. Sed affirmant Suar. et Esc.[34] si minister sit parochus, vel sit paratus, et non sit alius digne ministrans. 6. Si alias nequeas lucrari iubilaeum. Cont. Tourn. et Croix[35]. 7.

(1) L. c. (2) Ibid. n. 24. (3) 3. p. q. 64. a. 6. ad 2. (4) In 4. d. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 3. (5) Ibid. concl. Caeterum. (6) P. 3. d. 18. sect. 1. (7) De matr. l. 7. d. 9. n. 8. (8) T. 3. tr. 18. disp. un. p. 15. n. 2. (9) Qu. 1. a. 7. n. 10. (10) L. 6. p. 1. n. 211. (11) Tr. 5. disp. 1. q. 3. c. 2. (12) Lib. 1. c. 83. (13) Tract. 1. c. 3. qu. 6. (14) Lib. 3. n. 312. (15) Pag. 45. n. 56. (16) T. 2. p. 16. n. 34. (17) T. 3. p. 18. n. 63. (18) In 4. d. 5. q. 2. §. Quantum. (19) T. 3. p. 1. n. 179. (20) Ibid. ut n. 83. (21) De sacram. in gen. c. 3. p. 2. n. 34. (22) Loc. c. (23) T. 2. p. 105. n. 9. (24) L. 3. n. 316. (25) Loc. c. (26) Loc. c. (27) N. 314. (28) Loc. c. (29) Loc. c. (30) De sacram c. 2. q. 13. r. 3. (31) Loc. c. (32) N. 319. (33) N. 211. (34) n. 316. (35) Loc. c.

Si indigeas perito directore, et non habeas alium. Cont. Tourn. [1]. Modo (addit Sporer [2]) diu debeas alium expectare. 8. Si vis missam applicare pro amico defuncto, ut Spor. [3].

Dicit autem Caiet. [4] absolute licitum esse petere sacramentum a proprio parocho, sine ulla gravi causa; sed verius hoc negant Conc. [5] et Salm. [6] cum Nav. Soto Bon. et Led. si facile possis alium adire. Sic etiam dicunt Conc. et Antoine [7] non licere petere sacramenta ab haeretico vel schismatico nisi in casu extremae vel gravissimae necessitatis. Sed de haeretico *vide num.* 560. An autem sit mortale sine gravi causa petere sacramentum ab indigno ministro parato. Negant Sotus Nav. Sa Diana etc. apud Salm. [8]. Sed recte affirmant Salm. [9] cum Sylv. Molin. Valent. Arag. etc. iuxta dicta *l.* 2. *n.* 47. *et* 79. Tantum exciperem eum qui sumeret eucharistiam a sacerdote indigno, qui eam actu aliis ministraret: ut dicunt Suar. [10] et Esc. [11] iuxta sententiam allatam *n.* 35. *v. Hinc*, nempe quod unum tantum sit peccatum pluribus eucharistiam ministrare. Sic pariter puto illicitum esse sine gravi causa inservire sacerdoti indigne celebranti; contra Suarez [12] Bon. [13] et Salm. [14] cum aliis, qui id admittunt, quando sacerdos facile possit alium invenire.

Certum est autem quod quivis minister praesumitur dignus, nisi constet oppositum, ut communiter docent Concina [15] Cont. Tour. [16] ex illo apostoli [17]: *Caritas non cogitat malum;* Elbel et Croix [18] cum Avila Dic. et aliis communiter. Hinc probabiliter infertur posse peti sacramentum adhuc ab eo qui scitur paulo ante peccasse, quia praesumendus est ipse iam se disposuisse saltem per contritionem: ita Suarez [19] Bonac. [20] Croix [21] Mazzot. [22] cum Sporer Salm. [23] cum Vasq. Con. Sayr. Reg. Dicast. et aliis communiter: et idem sentit Tourn. [24] dicens: *Imo ut sciam ab eo recens et graviter peccatum esse; adhuc enim sapienter praesumam eum, si praesertim ad ministranda sacramenta sponte praesto sit, id, quod sui erat, fecisse, ut Deo reconciliaretur. Certe* (ait s. Th. [25]) *quia in istanti homo a divina gratia emendatur.* Recte tamen id limitant 1. Suar. et Bon. [26] cum Conc. Vasq. Sayr. Regin. et aliis communiter, si constet ministrum esse consuetudinarium, vel esse in occasione proxima peccandi (intellige voluntaria). Limitat 2. Gob. ap. Croix [27] si minister post peccatum confessionem non praemiserit ante missae celebrationem.

(1) Ibid. (2) T. 3. p. 27. n. 179. (3) L. c (4) In 3. p. q. 64. a. 6. ad 2. (5) P. 103. n. 5. (6) L. cit. n. 33. (7) Locc. cc. (8) Tr. 1. c. 8. p. 2. n. 43. (9) Ib. n. 42. (10) L. c. (11) N. 519. (12) L. c. (13) N. 7. (14) N. 41. (15) T. 8. p. 103. n. 4. (16) De sac. c. 2. a. 1. §. 3. v. Not. 1. (17) 1. Cor. c. 13. v. 5. (18) Lib. 6. n. 216. (19) D. 13. sect. 1. (20) D. 1. q. 6. punct. 5. n. 6. (21) N. 216. (22) Ibid. (23) Loc. cit. n. 40. (24) P. 36. v. Not. 1. (25) In 4. dist. 24. q. 1. a. 5. q. 5. ad 3. (26) Locc. cc. (27) D. n. 216.

Cap. IV. Quid sint sacramentalia et quid efficiant

90. *Quid et quae sint sacramentalia.*
91. *An sacramentalia vim habeant ex opere operato.*
92. *Quomodo per sacramentalia remittantur peccata.*
93. *Plura notanda.*
94. *De usu agnorum Dei, aquae benedictae, et similium.*

90. « Resp. 1. Caeremoniae ecclesiasticae, quae vulgo dicuntur sacramentalia, sunt actus externi religionis ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, eleemosyna, benedictio ab episcopo, vel abbate consecrato data, quae ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia et continentur hoc versu:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

» Ad quae etiam revocantur tunsio pectoris, unctio in regem et similes; item multae aliae caeremoniae, et res etiam ipsae sacrae, quae in ecclesia partim ab apostolis traditae, partim postea institutae sunt, ut exorcismi, insufflationes, prima tonsura, benedictiones et consecrationes variarum rerum et personarum, ut ecclesiae, calicum etc., ipsae etiam herbae, lumina, vinum s. Ioannis, cerei agni, signum s. crucis. Quaeritur ergo quam vim ha-

beant: num ex opere operantis, cum certum sit, sicut per alia pia opera, sic etiam iis nos mereri, seu ex opere operato.

91. « Resp. 2. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata, vi sua et per se, sed tantum quatenus in nobis pium motum excitant. Ratio prioris est, tum quia nusquam promissio gratiae aut remissionis peccatorum iis facta reperitur; tum quia peccatum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiae, quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio posterioris est, quia id accommodatum est sacramentalium institutioni et consecrationi, quae fit per preces ecclesiae, quibus ipsa nobis tales motus precatur. Conc. [1].

92. Quaeritur ergo, quomodo culpae veniales remittantur per sacramentalia.

Prima sententia cum Sot. Val. Led. Vict. etc. apud Croix [2] dicit sacramentalia ex institutione ecclesiae vim habere venialia remittendi ex opere operato; quia sacramentalia semper venialia remittunt, etsi non semper in nobis pium motum excitent.

Secunda sententia tamen communior et verior cum Cont. Tourn. [3] Wig. [4] s. Th. Lug. Suar. Bus. Croix [5] Viva [6] tenet per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato, sed tantum quia per ea pius motus doloris aut caritatis in nobis excitatur, quo venialia remittuntur. Idemque expresse docet d. Th. [7] qui ait: *Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium implicite vel explicite.* Hinc omnibus fidelibus consultum fit post sumptionem aquae benedictae etc. se excitare ad actum doloris sive amoris.

Unde resolves:

93. « 1. Gratiae praevenientes et pii motus conferuntur per sacramentalia, per modum impetrationis, quae non omnino infallibilem effectum habent.

» 2. Peccat graviter qui sacramentalibus falsam materiam supponit, ut pro aqua lustrali faciendo urinam.

» 3. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem, per modum impetrationis, ratione precum ecclesiae. Imo quaedam etiam vim habere (v. g. fugandi daemonem) per modum operis operati, ex singulari privilegio, docent Henr. [8] Sotus et alii. Quia, inquiunt, etiam ethnici, in quibus nec intercesserunt preces ecclesiae, nec meritum operantium, quandoque signo crucis (quod quidam etiam putant de nomine Iesu) a daemone liberati fuisse dicuntur: quod tamen alii eorum virtuti obiectivae, quasi naturali, adscribunt, de quo plura apud schol. Vide Merat. [9]. »

94. Inter sacramentalia enumerantur agni Dei ex cera a papa benedicti: super his notandum 1. Vetitum est sub excommunicatione eos inaurare aut pingere, ut Azor. ap. Croix [10]. Not. 2. Vendere eos carius, quia benedicti sunt, est iniustitia et simonia. Licitum tamen est eos vendere secundum suam materiam, ut recte dicunt Sanch. Dian. et Croix [11] cum communi contra Azor. Not. 3. Quamvis Gobat. etc. dicant esse veniale laicis eos tangere absque aliqua necessitate, probabile tamen est nullum esse peccatum, iuxta usum nostrorum temporum, ut aiunt Sanch. Dian. et alii apud Croix [12].

Proiicere canibus ossa agni, vel ova quae benedicuntur, putat Gretserus esse illicitum, sed negandum cum Cai. et Croix [13]. Sicut etiam licitum est uti aqua benedicta et candelis ad usum profanum, ut Croix [14] cum Tamb. contra alios.

Missalia autem et biblia sacra, sicut etiam sacrae imagines non debent adhiberi ad usum profanum, secus vero dicendum de aliis chartis, ubi incidenter et accessorie inscribuntur nomina sacra. Ita Croix [15] cum Gob.

(1) Q. 71. a. 5. (2) L. 6. p. 1. n. 221.
(3) De sac. c. 4. a. 2. (4) Tr. 13. ex. 2. n. 25.
(5) Loc. c. (6) De sacr. q. 1. a. 3. n. 7. et seq.
(7) 3. p. q. 87. a. 5. ad 1.
(8) L. 1. c. 2. (9) D. 10. sect. 1.
(10) L. 6. p. 1. n. 223. (11) Ibid. n. 224.
(12) N. 225. (13) N. 227.
(14) Ibid. (15) N. 223.

TRACTATUS SECUNDUS

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

Cap. I. De baptismo

95. *Quomodo distinguatur baptismus.*
96. *De baptismo flaminis.*
97. *De baptismo sanguinis.*
98. *An, ut martyrium remittat culpam, requiratur in peccatore contritio, vel caritas.*
99. *Quando martyrium gratiam conferat.*
100. *An sint martyres qui moriuntur in obsequio peste infectorum.*
101. *An liceat se offerre ad martyrium. Vel se prodere catholicum per abstinentiam a carnibus.*

95. « Non agitur hic de baptismo sanguinis, id est martyrio; nec de flaminis, seu spiritus, id est contritione, cum voto baptismi vel desiderio, quia non sunt sacramenta; sed de baptismo fluminis, qui definitur : *Ablutio corporis exterior, facta sub praescripta forma verborum.* »

Baptismus igitur ex voce graeca quae significat ablutionem, sive immersionem in aquam, distinguitur in baptismum *fluminis*, *flaminis et sanguinis*.

96. Infra dicemus de baptismo *fluminis*, qui valde probabiliter cum s. Thoma [1] Salmantic. [2] Mag. Sent. Sot. Vasq. etc. fuit institutus ante passionem Christi Domini, tempore quo Christus baptizatus est a Ioanne. Baptismus autem *flaminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem vel amorem Dei super omnia cum voto explicito vel implicito veri baptismi fluminis, cuius vicem supplet (iuxta Trid. [3]) quoad culpae remissionem, non autem quoad characterem imprimendum, nec quoad tollendum omnem reatum poenae; dicitur *flaminis*, quia fit per impulsum Spiritus sancti, qui flamen nuncupatur. Ita Viva [4] Salm. [5] cum Suar. Vasq. Val. Croix [6] et aliis. De fide autem est per baptismum flaminis homines etiam salvari, ex *c. Apostolicam* 2. *de presb. non bapt. et Trid. sess.* 6. *c.* 4. ubi dicitur neminem salvari posse *sine lavacro regenerationis aut eius voto.* Vide Petroc. [7].

97. Baptismus vero *sanguinis* est sanguinis effusio, seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana, ut docent s. Th. [8] Viva [9] Croix [10] cum Avers. Gob. etc. Hic autem baptismus aequiparatur vero baptismo, quia quasi ex opere operato ad instar baptismi remittit culpam et poenam : dicitur *quasi*, quia martyrium non ita stricte operatur sicut sacramenta, sed ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi, ut dicunt Bell. Suar. Sot. Cai. etc. apud Croix [11] et fuse Petroc. [12]. Ideo martyrium prodest etiam infantibus, dum ecclesia ss. Innocentes prout veros martyres colit. Hinc bene docet Suar. cum aliis ap. Croix [11] oppositum saltem esse temerarium. In adultis autem requiritur acceptatio martyrii, saltem habitualiter ex motivo supernaturali; Conin. Cai. Suar. Bon. et Croix [14] contra Viva [15] qui nullam requirit acceptationem.

Patet autem martyrium non esse sacramentum, quia martyrium non est actio instituta a Christo; et ideo nec etiam fuit sacramentum baptismus Ioannis, qui non sanctificabat hominem, sed tantum praeparabat ad Christi adventum. Viva [16].

98. Quaeritur tamen hic 1. An, ut martyrium remittat culpam et poenam, requiratur in peccatore contritio, vel dilectio Dei super omnia, an sufficiat attritio. Certum est ad remissionem culpae aliquam poenitentiam requiri, ex Trid. [17]. Ad quaesitum autem respondent Wig. [18] Conc. [19] Viva [20] cum Bell. Cai. Pal. Less. etc. apud Croix [21] attritionem satis esse ad martyrium, sicut satis est ad baptismum; hoc enim privilegium, dicunt, martyrium obtinere ex privilegio, ut diximus, ob imitationem passionis Christi. Probabilius tamen est quod requiratur contritio,

(1) 3. p. q. 66. a. 2. (2) De bapt. c. 1. p. 2. dub. unic. n. 24. et seqq. (3) Sess. 14. c. 4. (4) De bapt. q. 2. a. 1. n. 2. (5) Tr. 2. c. 1. p. 1. n. 2. (6) L. 6. p. 1. n. 244. (7) P. 142. q. 6. (8) 2. 2. qu. 124. art. 5. (9) Loc. cit. n. 2. (10) L. 6. p. 1. n 252. (11) N. 253.

(12) T. 3. c. 2. q. 3. (13) N. 257. (14) N. 251. (15) N. 5. (16) L. cit. n. 5. (17) Sess. 14. c. 1. (18) Tract. 11. exam. 5. n. 73. (19) Tom. 3. pag. 151. n. 10. (20) Dict. quaest. 2. art. 1. n. 4. (21) Lib. 6. p. 1. n. 258. et 259.

vel dilectio Dei supra omnia, ut docent s. Bon. Scot. Con. Sayr. etc. ap. Croix et Petroc. [1] ex s. Th. [2] qui dicit: *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine caritate.* Et probatur ex apostolo [3]: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Neque martyrium subire, importat semper caritatem perfectam habere; nam posset quis velle potius mori quam peccatum novum committere propter metum inferni. Caeterum, ipsi adversarii advertunt necessarium semper esse ut peccator ante martyrium conetur ad contritionem vel confessionem, ne periculo damnationis exponatur.

99. Quaeritur 2. Quandonam martyrium gratiam conferat, an in instanti mortis, an vulneris lethalis. Probabile est cum Suar. Bon. Dic. etc. cum Viva[4] conferre gratiam quando martyr accipit lethale vulnus aut cruciatum, licet postea miraculose non moriatur; et ita vere martyr fuit b. Ioannes in dolium ferventis olei immissus, et regina martyrum b. Virgo Maria, stans iuxta crucem Iesu. Ratio quia tunc iam in causa mors accipitur.

100. Not. 1. De illis qui in obsequio pestiferorum ex caritate moriuntur, dicit martyrol. rom. 28 febr.: *Quos velut martyres religiosa fides venerari consuevit.* Et veros martyres esse tenent 12. academiae, 13. cardinales, et plus quam 300. auctores, contra Hurt. et alios; vide Croix [5].

101. Not. 2. Illicitum est, sine divino instinctu, vel sine periculo scandali, temere se ingerere in martyrium, ut communiter docent s. Th. Navar. Sanch. Dic. etc. cum Croix[6]. Tum quia haec esset quaedam tentatio Dei: tum quia homo non est dominus vitae suae. *Vide dicta l.* 3. *n.* 32. Hinc dicunt Laym. [7] et Gobatus ap. Croix [8] quod peccaret, qui die veneris, a carnibus abstinendo, manifestaret se catholicum cum periculo vitae; quia eo casu cessat praeceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus, et urget praeceptum naturale, quod est potius, servandi propriam vitam.

(1) T. 3. p. 154. q. 3. (2) 3. p. q. 66. a. 12. ad 2.
(3) 1. Cor. 13. 3. (4) A. 1. n. 6. (5) L. G. p. 1. n. 236.

Dubium I. Quid sit materia baptismi.

102. *Quae sit materia* remota *baptismi.*

103. 1. *Quae sit materia certe valida.* 2. *Quae certe invalida.* 3. *Quae dubia. An in necessitate liceat ibi uti opinione etiam tenuiter probabili.*

104. *Dub.* 1. *An sit materia apta aqua per artem chymicam educta.* 2. *An saliva, sudor aut lacrymae.* 3. *An aqua fluens ex vite.* 4. *An nix non soluta.*

105. *Quae sit materia* proxima *baptismi.*

106. *Quaer.* 1. *An valeat baptismus, si quis proiiciat puerum in flumen. Quid si baptizet cum aqua defluente ex tecto. An liceat in necessitate proiicere puerum in flumen ut baptizetur. An autem cum aqua nociva baptizare.*

107. 2. *An infans in necessitate possit baptizari in utero matris. Quid si baptizetur puer tantum in capite egresso ex utero.* 3. *An valeat baptismus, si aqua attingat tantum vestes aut capillos.* 4. *An valeat baptismus collatus in scapulis vel pectore.* 5. *An requiratur trina ablutio.* 6. *An sufficiat ad baptismum una vel altera aquae gutta.*

102. « Resp. 1. Materia *remota* licita est aqua consecrata, si haberi potest; valida est omnis et sola aqua elementaris, quae morali hominum aestimatione sit naturalis et usualis, qualis est putei, maris, paludis, pluviae, et item resoluta ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter quoad colorem, saporem et odorem alterata sit, ut aqua sulphurea, lixivium, iusculum ita tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modice admixta, ut usum communem et aestimationem aquae retineat. Ratio responsionis est, ex Ioan. [9]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Quam s. Th. confirmat triplici congruentia: 1. est maxima commoditas aquae. 2. Eius facillimus usus. 3. Aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio a peccato.

Unde resolves:

» 1. Inepta materia baptismi est saliva, lotium, lacrymae, sudor, cerevisia, item aqua sic permixta, ut non amplius sit apta ablutioni, nec vocetur aqua; v. gr. lutum, brodium, vinum lymphatum, item aquae artificiales ex

(6) N. 241. (7) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 6.
(8) Loc. cit. (9) C. 3. v. 5.

rosis, herbis, succisque expressae; denique nix, grando, glacies non resoluta. Ratio est, quia morali hominum aestimatione non censetur aqua naturalis et usualis. Laym. [1] Bon.[2].

» 2. Quia de quibusdam tum ex dictis, tum aliis dubium est, v. gr. de iusculo et cerevisia valde tenui, lixivio (et secundum Gran. [3] aqua rosacea); hinc in necessitate licet illis uti, etsi postea baptismus sub conditione sit repetendus. Vide Escob. Laym. Bonac. [4].

» 3. Uti aqua impura, vel non consecrata, cum alia haberi potest, esse grave peccatum, ob sacramenti irreverentiam. Bon. [5] Diana [6] et alii quinque. Licet Granad. et Quintanad. putent non esse mortale, uti non benedicta. (Generice loquendo omissio aquae benedictae est mortale, ut dicunt Cont. Tourn. [7] Ronc. [8] cum Cabrera et Diana ac Salm. [9] cum Con. Bon. et Pal. *ex Clement.. unic. de bapt.*. contra aliquos. In baptismo autem privato dicit Croix [10] cum Pasq. Gob. et Quintan. non requiri aquam benedictam [11]; sed Cont. Tourn. paulo supra, asserit quod baptismus, adhuc necessitate domi conferendus, debet curari ut fiat aqua benedicta, sive lustrali ob maiorem decentiam). »

103. Certum est et de fide, materiam remotam baptismi non esse aliam nisi aquam materialem, sive elementarem, ut patet ex conc. lateran. relato in *c. Firmiter, de sum. Trin.* et ex Trid. [12] ex illo Ioannis [13]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hinc videndum quaenam aqua sit materia valida, quae invalida et quae dubia. 1. Materia certe valida est 1. Aqua *fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum et pluvialis: et sic quaecumque simplex et pura, quae propriam aquae speciem retineat; nec refert frigida sit an calida:* ita habetur in rit. rom. iussu Greg. XIII. (ap. Conc.[14]). 2. Est aqua resoluta ex nive, glacie, vel grandine, ut communiter docent Concina [15] Cont. Tourn. [16] Holz. [17] Elbel [18] Ronc. [19] Croix [20] et alii omnes. 3. Aqua sulphurea sive mineralis ut docent s. Th.[21] Cont. Tourn.[22] Holz. Salm.[23] Antoine et alii communiter. 4. Aqua defluens in tempore nimboso a pariete, foliis etc. Cont. Tourn. Elbel [24] Ronc.[25] cum Gob. et Tamb. 5. Aqua turbida mixta cum alia re, modo aqua sit materia praedominans. S.Th.[26] Cont. Tourn. Salm.[27] Elb. Antoine etc. *sed vide infra not.* 3. 6. Ros et aqua collecta ex vaporibus densatis, puta in operculo ollae, ut Croix [28] Diana [29] et adhaeret Conc. [30].

2. Materia certe invalida est 1. Sanguis, lac, vinum, urina, pituita, ut Gonet [31] Salm. [32] et alii communiter. 2. Succus expressus ex floribus, herbis et radicibus, ut s. Th. [33] Salm. [34] Gonet Cont. Tour.[35] Elbel etc. Textum autem Stephani II. apud Gonet [36] ubi videtur pontifex approbasse baptismum collatum in vino, suppositum esse probant ipse Gonet Conc. [37] Cont. Tour. [38] cum Iuenin. et Petroc. [39] cum p. Nicolai.

3. Materia autem dubia est 1. Ius et lixivium: nam licet d. Th.[40] dicat esse haec materiam aptam ad baptismum, modo non *habeant plus de aliena substantia quam de aqua*, imo addat quod si ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, bene potest in ea fieri baptismus, sicut et in aqua quae exprimitur ex luto; et s. doctorem sequuntur Conc. Salm.[41] Cont. Tourn. et Ronc.; attamen non improbabiliter Palaus [42] Elb. Tamb. Diana et Pasq. di-

(1) L. 5. t. 2. c. 5. (2) Q. 2. p. 5. (3) 5. p. c. 4. tr. 1. d. 3. dub. 2. (4) Locc. cc. (5) L. 1. d. 2. q. 2. p. 3. n. 7. (6) Part. 9. t. 6. r. 53. (7) De bapt. c. 3. art. 1. in fin. (8) C. 2. q. 2. (9) Tract. 2. c. 2. p. 1. n. 14. (10) N. 265. (11) Caeterum, inquit in Hom. Apost. tr. 14. n. 8., in baptismo privato probabile est licere uti aqua non consecrata: Croix Gobat. Pasqual. et Quintanad. (12) Sess. 7. can. 2. de bapt. (13) C. 3. v. 5. (14) T. 8. p. 125. v. 2. (15) N. 6. (16) Loc. cit. v. Collig. 1. (17) T. 2. c. 1. n. 95. (18) T. 5. p. 25. n. 8. (19) De bapt. c. 2. (20) L. 6. p. 1. n. 262. (21) 3. p. q. 66. a. 4. ad 4. (22) Ibid. (23) L. c. n. 9. (24) N. 8. (25) C. 2. (26) L. c. (27) Ibid. (28) L. 5. p. 1. n. 22. (29) P. 5. tr. 4. r. 5. (30) T. 8. p. 127. n. 9. (31) Man. t. 6. tr. 3. c. 3. (32) Ibid. n. 5. (33) L. c. ad 5. (34) Tr. 2. c. 2. p. 1. n. 6. (35) Loc. cit. (36) Ibid. (37) N. 7. (38) Ibid. (39) T. 3. p. 134. (40) Q. 66. a. 4. ad 2. et 4. (41) Ibid. n. 9. (42) Tr. 19. punct. 3.

cunt absolute ius et lixivium esse materiam dubiam, cum talis aqua magis corpus polluat, quam lavet. 2. Aqua ex sale soluto; nam licet Pal. Laym. Sylv. Ang. omnino negent hanc esse materiam aptam: tamen Cont. Tourn. cum Bonac. et Henr. ac Conc. cum Leand. et communi ut asserunt, dicunt esse materiam dubiam. 3. Cerevisia tenuis, ut aiunt Antoine [1] et Sporer [2] et idem ait de tenui atramento Croix [3] cum Gobat. Steph. et Esp. Et hic sedulo notandum, quod in extrema necessitate, si nequit haberi materia certa potest et debet adhiberi qualiscumque dubia sub conditione, ut communiter dicunt Conc. Cont. Tourn. Salmant. [4] cum Lugo Dian. et aliis. Et hoc procedit non solum quando est tantum probabilis opinio pro valore sacramenti, sed etiam quando est tenuiter probabilis, ut recte dicunt Ant. [5] Holzm. [6] Viva [7] Croix [8] ac Carden. [9] cum Navar. et Soto. Ratio, quia conditio sub qua sacramentum ministratur, sat reparat sacramenti iniuriam; et contra, necessitas sat iusta est causa, sacramentum eo casu sic conditionate ministrandi. Et quando minister potest sacramentum baptismi vel poenitentiae sic conferre, ad id tenetur quidem sub gravi ex praecepto caritatis; ut bene aiunt Antoine Holzm. et Viva [10] cum Suar. Caiet. Sylvest. Con. Vasq. etc. communiter.

104. Dubitatur 1. An aqua per artem chimicam educta ex floribus, plantis, aut radicibus sit materia valida ad baptismum, vel saltem dubia.

Prima sententia omnino negat, et hanc tenent Gonet.[11] Conc. [12] Salm. [13] et alii cum d. Th. [14], quia aqua artificialis numquam naturalis dici potest.

Secunda sententia vero, quam tenent Elb. [15] Holz. [16] Cont. Tourn. cum Tann. Putean. etc. Croix [17] cum Dic., item Conc. Tamb. Verricel. apud Renzium [18] merito censet hanc esse materiam probabiliter validam, et ideo in necessitate extrema omnino adhibendam. Ratio quia, ut philosophi existimant, in mixtis vere et formaliter remanent elementa, quorum quodlibet virtute chimica resolvi potest in suam speciem, ita ut materia aquea sic resoluta sit vera aqua, prout satis videtur probari ex *c. In quadam, de cel. miss.* ubi pontifex loquens de aqua quae fluxit ex latere Christi, asserit vere esse aquam, quia dicit: *Sive fuit divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta; cum naturaliter* (nota) *possit elementatum in elementa resolvi.* Dices: Ergo etiam vinum et oleum hoc modo posset esse materia baptismi, cum in vino et oleo etiam adsit pars aquea. Respondeo quod ideo haec non sunt materia baptismi, quia substantia aliena superat aquam: sed bene posset esse, si per artem aqua e vino vel oleo eliceretur. Nec convincit ratio opposita, nempe quod aqua artificialis differat specie ab aqua naturali; talis enim aqua extracta, ut supra, dicitur quidem artificialis, non quia arte fiat aqua id quod non erat aqua; sed quia aqua naturalis arte separatur ab aliis elementis. Merito autem dicunt Sylv. [19] et Renzi [20] aquam distillatam esse veram aquam naturalem, cum sit eiusdem speciei; unde aquae distillatae cum rosis aut aliis floribus similibus, cum materia praedominans sit aqua, videtur non dubitandum esse materiam validam (quamvis non licitam) ad baptismum, ex d. Th. qui cum aliis communiter [21] docet aptam esse materiam aquam mixtam cum alia re, quae sit minoris quantitatis. *Vide dicta n.* 103.

Dub. 2. An saliva sit materia apta, vel saltem dubia ad baptismum. Affirmant Pal. [22] et Con. apud Tamb. Sed verius dicunt esse materiam omnino ineptam ipsi Tamb. Gon. Cont. Tourn. Salm. Croix Antoine et alii communiter; et patet ex *cap. penult. de bapt.*

(1) Q. 1. (2) De bapt. p. 185. (3) N. 261. (4) Ibid. n. 12. (5) Q. 1. n. 2 (6) N. 99. (7) Append. ad propos. 1. damn. n. 11. v. Ratio. (8) Lib. 6. p. 1. n. 110. et p. 2. n. 1162. (9) In prop. 1. Innoc. XI. (10) L. c. (11) Med. t. 6. tr. 3. c. 3. (12) N. 12. (13) Tr. 2. c. 2. p. 1. n. 6. (14) 3. p. q. 66. art. 4. ad 5. (15) P. 25. n. 10. (16) P. 21. n. 95. (17) N. 260. (18) L. 1. de sacr. (19) V. Bapt. (20) L. c. q. 5. (21) D. q. 66. a. 4. ad 2. (22) P. 3. n. 2.

ubi Innoc. IV. loquens de baptizatis cum saliva respondit: *Dubitare non debes illos verum non habere baptismum.* Et idem dicendum de sudore cum Tamb. Renz. Fill. [1] et communi, ex *cap. In quadam de cel. miss.* ubi dicitur: *Cum in sacramento baptismatis non regeneremur in phlegmate, sed in aqua.* Et idem recte docet Filliuc. cum aliis communiter de lacrymis ob eamdem rationem, accepto nomine *phlegmatis* tam pro sudore quam pro lacrymis.

Dub. 3. An sit materia baptismi aqua fluens ex vite, aliisve arboribus. Omnino negant Salm. Ronc. et Conc.[2] cum communi ut asserit, quia liquor ille succus est arboris, non aqua. Sed melius Cont. Tourn. cum Dicast. et Renzi cum Pasqualig. Verric. etc. dicunt esse materiam dubiam.

Dub. 4. An glacies sive nix non soluta sit materia apta. Negant pariter Conc. [3] et Croix [4] cum Tann., sed dubitant Aversa ap. Croix et Hurtad. Praep. ac Putean. ap. Renzi; ideo dicunt posse in necessitate adhiberi sub conditione.

105. « Resp. 2. *Proxima* materia baptismi est ablutio: quae valide fit tribus modis, scilicet immersione, aspersione, infusione, iuxta praxim diversarum ecclesiarum, quae servanda est, ita ut morali hominum iudicio censeatur esse lotus; ex praecepto tamen caput abluendum est, quod praxis ecclesiae habet. Ratio est quia quolibet horum modorum fieri potest ablutio. Et quidem trinam mersionem non esse necessariam constat ex concilio toletano. Ubi tamen trina vel immersio vel infusio usitata est, sine gravi peccato extra necessitatem non potest praetermitti, ut docet s. Th. Etsi alii, secluso scandalo et contemptu, dicant esse tantum veniale. Laym. [5] Bonac. [6].

Unde resolves:

» 1. Non vere baptizatur, cuius nulla pars immediate tangitur, v. gr. infans in utero, vel cista; vel adultus, cuius vestes tantum sint aspersae. Laym. Bon. [7].

» 2. Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur emergat ex aqua (Puta si immergatur in flumen): quod tamen grave peccatum est, esto nihilominus moriturus esset baptizandus, Laym. [8]; uti etiam matrem nihilominus morituram vel mortis ream aperire, ut infans baptizetur, Laym. [9]; qui unicum casum excipit, si nimirum mater sit morte digna, et si supplicium differatur, infans certo sit moriturus ante nativitatem. Verum recte addit ex Suar. casum hunc vix moralem et practicum esse. *Vide l. c.*

» Invalidus est baptismus: 1. Si quis labatur in aquam, vel ab alio protrudatur, et tamen formam pronuntiet. 2. Si formam pronuntians teneat puerum, et alter abluat, aut aquam effundat. 3. Si aqua e fonte prosiliente, aut stillicidio decidente, baptizandus ei se submittat. Ratio est, quia in his non tu, sed alter abluit. Bon. [10].

» 4. Ob probabilem utrimque sententiam, dubius est baptismus (ideoque si in necessitate datus, repetendus sub conditione): 1. Si tantum una vel altera gutta sit adhibita, v. g. si more aquae lustralis multitudo sit aspersa: quod sine necessitate non licet, cum ad ablutionem non videatur sufficere quicumque aquae contactus; sed requiri successivus, cum aliquo motu. Bon [11]. ex Suar. Con. etc. In casu tamen necessitatis sic baptizare concedunt Merat. [12] Granad. [13]. 2. Si tantum sit abluta pars minus principalis, v. g. digitus, manus, vel pes; nam si pars principalis, v. g. scapulae, vel pectus nemo dubitat. 3. Si tantum crines sint tincti, licet card. de Lugo [14] hunc validum esse contendat. 4. Si infans tinctus sit involutus adhuc secundinis suis, id est pelliculae corpori annatae, in necessitate tamen in praedictis casibus baptismus debet conferri sub conditione. Hurtad. [15] Vide Laym. [16].

(1) C. 2. n. 26. (2) Tom. 3. p. 127. n. 3.
(3) N. 7. (4) N. 262. (5) Loc. cit. n. 4.
(6) D. 2. q. 2. p. 3. n. 13. (7) Locc. cc.
(8) C. 3. n. 5. (9) L. 5. tr. 2. c. 3. n. 2.
(10) Punct. 3. (11) Loc. cit. n. 13.
(12) T. 3. d. 2. sect. 4. (13) In 3. p. c. 4. tract. 1. d. 4. n. 12. (14) Resp. mor. l. 1. (15) De bapt. d. 1. diff. 12. (16) Loc. c.

n 5. Cum terna usurpatur affusio aut immersio, ad nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, iuxta praxim ecclesiae, cavendum, ne ter, sed semel tantum pronuntietur forma. Quae rectius ita profertur, ut ante tertiam ablutionem non finiatur; quia forma, cum quacumque prima ablutione, baptismum constituit. Reg. [1] Laym.[2]. »

106. Quaer. 1. An valeat baptismus, si quis proiiciat infantem in puteum, vel flumen, et formam pronuntiet.

Prima sententia negat, et hanc tenet Scotus [3] quem sequuntur Mastrius Frassen et alii scotistae communiter, item Cont. Tourn. [4] et Sotus Sylvest. Tamb. etc. Ratio, tum quia non potest dici immersio, cui non succedit emersio; tum quia contactus aquae debet esse a ministro, at haec ablutio non esset a ministro, sed a mole corporis in aquam proiecti.

Secunda sententia vero affirmat, et hanc tenent Suar. [5] Laym. [6] Conc. [7] cum Gonet. Val. Pal. Panorm. Fill. Vict. etc. et probabilem vocant Salm.[8] Ratio, quia iam ibi concurrunt omnia requisita, nempe materia, forma et intentio ministri. Utraque probabilis est, et quia talis quaestio vix ad praxim reducitur, superfluum censeo in ea immorari. Bene autem advertit Cont. Tourn. [9] quod si talis infans superviveret, esset quidem saltem sub conditione rebaptizandus.

Certum est autem cum Cont. Tour.[10] et communi, validum esse baptismum collatum cum aqua venenata, aut ferventi, unde infans enecetur; quia haec iam reputaretur usualis ablutio: quod autem aqua sit venenata, fervens, vel gelida, per accidens se habet. Sic etiam validus est baptismus, si quis, aqua defluente ex tecto, puerum submittat, et formam proferat, ut recte dicunt Conc. [11] et Cont. Tour. [12]. Secus autem ait Cont. Tourn. [13] si accessio aquae ad corpus baptizandi fieret ab altero, quia tunc non verificaretur forma *Ego te baptizo*, quae requirit ablutionem faciendam ab ipso baptizante.

Omnino autem tenendum est cum Cont. Tourn. [14] Conc. [15] Ant.[16] Salm.[17] cum Suar. Vasq. Pal. Con. Laym. etc. communiter (contra Ochagaviam apud Dian.[18]) numquam licere proiicere in flumen infantem ad eum baptizandum, quamvis sit mox decessurus sine baptismo; quia numquam est licitum ob quamcumque causam directe occidere innocentem; ex illo Exodi [19]: *Insontem et iustum non occides*. Et ob eamdem rationem non licet incidere ventrem matris proxime moriturae, ut eius infans baptismum recipiat, ut communiter etiam dicunt Cont. Tour.[20] ac Salm.[21] cum Con. (contra Comitol.) ex d. Th. qui [22] id expresse docet, inquiens: *Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum; si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*. Nec valet dicere quod vita spiritualis infantis debet praeferri vitae temporali matris; nam hoc intelligendum, ut quisque debeat quidem mortem sustinere, non autem, ut debeat, nec ut possit mortem sibi inferre, vel alterum occidere pro salute spirituali proximi. Hic autem bene advertit Croix [23] quod, mortua matre, statim os eius est aperiendum, ne infans suffocetur. Insuper putat Cont. Tour. [24] et Croix [25] cum Raynaud. Gob. etc. ex iudicio medicorum, bene posse matrem incidi, et infantem baptizari, sine morte matris: et hoc casu dicunt licite fieri incisionem, et matrem teneri eam pati, si mater sit robusta et chirurgus peritus: et hoc casu dicunt dd. licite chirurgum incisionem facere, et matrem teneri eam pati, etiamsi (Cont. Tour.[26]) adsit periculum suae mortis. Sed hic omnino puto distinguendum: nam respectu a

(1) Lib. 27. c. 3. (2) Lib. 5. t. 1. c. 3. (3) 4. dist. 4. q. 3. (4) De bapt. c. 3. a. 2. concl. 2. (5) D. 20. sect. 3. (6) P. 3. n. 3. (7) T. 8. p. 135. n. 11. (8) Tr. 2. c. 2. p. 2. n. 25. (9) L. c. (10) Ibid. (11) N. 12. (12) De bapt. c. 3. a. 2. concl. 1. v. Collig. 4. (13) Ibid. (14) Loc. c. (15) Loc. cit. (16) Q. 4. (17) C. 2. n 35. (18) P. 5. tr. 3. r. 14. (19) C. 23. v. 7. (20) De bapt. c. 7. a. 1. sect. 2. concl. 1. (21) Tr. 2. c. 2. p. 2. n. 35. (22) In 3. p. q. 68. a. 11. ad 5. (23) N. 293. (24) De pr. carit. s. 4. p. 1. concl. 2 (25) L. 6. p. 1. n. 293. (26) Ibid.

chirurgum, dico tunc eum posse incidere matrem, si periculum mortis illius sit remotum: secus si proximum aut probabile: sicut enim illicitum est occidere matrem ut puer baptizetur, ut vidimus cum communi ex d. Th., sic etiam non licet matrem probabili periculo mortis exponere; quod periculum non video quomodo vitari possit in tam gravi incisione: videant periti. Respectu vero matris, an ipsa teneatur incisionem pati, dico quod si periculum eius mortis sit probabile, ipsa nec tenetur nec potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere; tantum posset et teneretur illam pati, si chirurgus sine suo consensu (ipsa omnino negative se habente) incideret, et spes probabilis adesset prolem fore baptizandam, ac mors matris non esset certa, nam in dubio utrinque probabili tenetur ipsa vitam spiritualem prolis vitae suae temporali praeferre. Si autem sua mors sit certa, et salus prolis dubia, nempe si proles non sit certe baptizanda, non tenetur ipsa vitam certe amittere [1]. Valde autem probabile est id quod dicunt Suar.[2] et Renzi [3] cum Layman Con. Fill. et Praep., nempe quod si mater gravida sit per sententiam ad mortem damnata, quamvis ex *l. Praegnantis, ff. de poenis* debeat expectari tempus puerperii, tamen, si censetur infans certe decessurus priusquam perveniat ad lucem, licite potest secari venter matris, anticipando supplicium, quia alias dilatio quae datur ob bonum prolis, tunc cederet in ipsius detrimentum.

Hic operae pretium duxi adnotare plura quae scribit Franciscus Emanuel Cangiamila [4]. Dicit 1. [5] cum Possev. Gobat etc. graviter peccare parentes qui negligunt incisionem fieri et chirurgos qui eam facere omittunt aut differunt. Additque parochum teneri ad omnino curandum ne mater sepeliatur antequam fiat incisio: alioquin putat ipsum non excusari ab irregularitate, cum parochus teneatur ex officio mortem infantium impedire. Sed huic non acquiesco, quoniam eo casu, cum vita infantis non sit certa, ne certa quidem eius est mors, *iuxta dicenda l. 7. num.* 347. Item addit [6] quod si invenitur alius, etsi non chirurgus, qui animum habet ad incisionem perficiendam, ille tenetur eam efficere. Dicit 2. [7] quod cum infans non est omnino egressus ab utero, baptisma non est ministrandum a parocho, sed ab obstetrice. Dicit 3. maxime animadvertenda esse eo casu, quae sint signa periculi in pueris, nempe 1. Si puer oritur sine vagitu et lacrymis. 2. Si modice respiret. 3. Si apparet lividus praesertim in facie aut capite. 4. Si nascitur post multum temporis aut laboris obstetricis. 5. Si nascitur ante septimum mensem. 6. Si cranium habet valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disiunctas.

Quamvis autem non liceat puerum in flumen iniicere, licitum est tamen aqua etiam gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda, ut communiter docent Laym. [8] Pal. [9] et Salm. [10] cum Vasq. Con. etc. Tum quia mors tunc non eveniret per se, sed per accidens, cum talis actio per se non tendat ad occisionem, sed ad ablutionem, tum quia eo casu potest negligi parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur.

107. Quaer. 2. An infans in periculo mortis possit baptizari in utero matris. Certum est non valere baptismum, si conferatur puero, abluendo corpus matris, quia infans est persona a matre distincta. Vide s. Th.[11] Salm.[12] et alios

(1) Dicunt hodie medici, incisionem seu sectionem caesaream matris vivae quidem semper periculosam esse vitae, ita tamen ut ex tribus sectis matres duae in vita servari possint. Ast etiam notandum esse dicunt, huiusmodi sectione infantes feliciter vita et baptismo donari, nec, omissa incisione, matrem in minoris vitae periculo versari, cum ex communiter contingentibus foetus mortuus in utero dissecari nequeat absque magno vitae matris discrimine. P. Heilig.
(2) Q. 63. a. 11. (3) Q. 6. (4) Embryologia sacra.
(5) L. 2. c. 15. n. 1. (6) C. 16. (7) L. 4. c. 6. n. 2.
(8) C. 3. n. 5. (9) P. 4. tr. 19. n. 14.
(10) Tr. 2. c. 2. p. 2. n. 36. (11) 3. p. q. 63. a. 11.
(12) Tr. cit. c. 6. p. 1. n. 5.

communiter id docentes. Dubium est an valide baptizetur infans reserato uteri ostio, etsi nulla pars in lucem prodierit, si per instrumentum puer aqua tingi possit.

Prima sententia negat, et hanc tenent Nat. Alex. [1] Conc. [2] cum Comit. et Iuenin. ac Gotti apud s. p. Bened. XIV. [3]. Ratio quia nemo dicitur renasci, nisi prius fuerit natus, ex illo Ioan.[4] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Et pro hac sententia videtur esse d. Th. [5] cum dicat: *Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur.* Et clarius d. August. [6] qui ait: *Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, cum restat illi adhuc nasci, renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.* Idque confirmant ex s. Isidoro, qui [7] sic loquitur: *Qui natus adhuc secundum Adam non est, regenerari secundum Christum non potest.* Et ex rituali rom. de bapt. ubi dicitur: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Secunda sententia vero satis probabilis affirmat, et hanc tenent Suar. [8] Cont. Tourn. [9] Holzm. [10] Elbel [11] cum Babenst. et Croix [12] Con. Pignat. Led. Victor. Dic. et Aversa, atque non parum adhaeret noster p. Bened. XIV. [13]. Ratio quia talis infans, cum iam existat homo viator, bene potest baptismum suscipere. Nec obstat ratio opposita, quod nequeat renasci, qui nondum est natus: vero enim aliquis potest dici natus, non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero iam vivit, iuxta illud angeli ad Ioseph de conceptu Verbi incarnati [14]: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Id asserit idem d. Thomas [15] dicens: *Duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum.* Et apertius hoc probatur *cap. 4. de bapt.* ubi Innoc. IV. exprimit, tum dici hominem nasci cum concipitur, inquiens: *In carnali generatione, qua proles ex viro et foemina nascitur.* Nota tò *ex viro et foemina nascitur:* ergo proles tantum ex viro et foemina generata, bene dicitur nata. Et de hac nativitate congrue explicari potest textus Ioannis: *Nisi quis renatus fuerit etc.* Nam ex Trid.[16] textus ille sic explicatur: *Ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Ergo sicut peccatum originale per solam generationem contrahitur: ita pariter, ut homo per gratiam regeneretur, sufficit ut sit iam generatus; et ideo a concilio baptismus vocatur regeneratio, quae non requirit nativitatem ex utero, cum non haec dicatur generatio, sed tantum illa nativitas quae fit in utero, et qua homo fit filius Adam. Atque tandem d. Th. in hanc sententiam clare descendisse videtur [17] ubi postquam negavit posse puerum baptizari in utero matris, ratione ductus, quia, ut ait, *Corpus . . . infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua,* statim addit: *Nisi forte dicatur quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat; sed hoc esse non potest.* Ergo s. doctor, sicut etiam s. Augustinus, s. Isidorus et rituale rom. negando puerum posse baptizari in utero matris, intelligunt de puero in utero omnino clauso, quem valide baptizari per ablutionem corporis matris Iulianus et alii haeretici perperam contendebant, contra quos scripsit Augustinus; non vero de puero qui per aliquod instrumentum potest tingi aqua: hoc enim casu, ut ait Cont. Tourn. [18] explicans verba Augustini, per uteri aperitionem saltem inchoate dicitur natus; et ideo d. Th. dixit puerum in utero non posse baptizari, nisi ablutio ad filium in ventre existentem perveniat. Addit quidem: *Sed hoc esse non potest;* intelligendo utique de ablu-

(1) De bapt. c. 7. prop. 2. (2) T. 3. p. 133. n. 5. (3) De syn. l. 7. c. 5. n. 2. (4) C. 3. v. 5. (5) L. c. (6) Ep. 57. ad Dardanum. (7) C. 115. de consecr. dist. 4. (8) 3. p. d. 25. sect. 6. n. 11. p. 276. (9) De bapt. c. 3. a. 2. concl. 1 v. Collig. 3.

(10) T. 2. n. 137. (11) T. 3. p. 29. n. 22. et 31. (12) Lib. 6. p. 1. n. 292. (13) Loc. cit. (14) Matth. 1. 20. (15) In 4. dist. 12. q. 1. ad 2. (16) Sess. 5. in decr. de pecc. origin. n. 4. (17) Eod. art. 11. (18) Loc. cit.

tione sine aperitione uteri: ergo si potest ablutio pervenire, ut bene arguit s. p. Bened. XIV., bene potest puer baptizari. Et quod possit, ait noster pontifex cum Comitolo constare, ex iudicio medicorum et obstetricum. Imo affert doctrinam Sylv. et Vasq. qui dicunt infantem involutum in secundina valide baptizari, quia haec habetur velut pars infantis: cum ipsa continuetur cum infantis umbilico: idque probabile censent Laym. [1] ex Ang. et Arm. ac Diana [2] cum Praep. His positis, puto in casu necessitatis omnino infantem (sub conditione tamen) baptizandum esse in praedictis casibus.

Hic autem sedulo animadvertendum est id quod docet d. Th. [3] dicens: *Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat; si tamen primo caput egrediatur, debet baptizari, periculo imminente: et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit, et videtur idem faciendum, quaecumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus ego te baptizo.* Quidquid autem dicant Sambovius et Pontas apud Cont. Tourn. [4] nempe quod puer etiam eo casu baptizatus in capite, est sub conditione rebaptizandus, quia non dicitur natus qui solum caput extra matrem extulit; certum tamen mihi est oppositum ex praefata doctrina d. Th. et aliorum communiter, cum rit. romano, ubi id expresse sic confirmatur: *Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum est baptizandus.*

Quaer. 3. An valeat baptismus, si aqua tantum vestes aut crines baptizandi tangat. Si tangat tantum vestes invalidus est baptismus, ut merito dicunt Conc. [5] Elbel [6] et Salm. [7] cum aliis communiter (contra Leandrum, qui laudat Sot. Valent. etc.) Idem dicunt Conc.[8] et Bon.[9] cum aliis de baptismo cum ablutione crinium dumtaxat; sed absolute oppositum tenent Tolet. Val. Con. Henr. Graff. Led. etc. ap. Lugo [10] quorum sententiam merito ipse Lugo probabilem putat. Ratio quia, licet capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed bene sunt hominis partes, sicut est cutis exterior, quae nec etiam informata est ab anima, et tamen haec utique in baptismo aqua abluitur, non cutis interior. Hinc recte dicunt Laym. [11] Lugo [12] Viva [13] Salmant. [14] et Diana [15] cum Soto Vasquez Praepos. et Ochagav. baptismum in crinibus collatum saltem dubium esse; et ideo in necessitate, si in alia parte praestari non potest, adhibendum esse sub conditione. Et idem dicendum est cum Salm.[16] et d. Thom.[17] de baptismo qui non possit conferri, nisi in digito, pede, aut alia minima parte corporis.

Quaer. 4. An valeat baptismus collatus in alia parte principali, quam in capite, puta in scapulis, humeris, vel pectore. Communissima est sententia affirmativa, quam tenent Bus. ut supra et Suar. [18] Fill. [19] Holz. [20] et alii apud Croix [21]. Attamen Conc. [22] Anacl. [23] et Platel. apud Croix [24] putant dubium esse talem baptismum; et ratio videtur assignari a d. Th.[25] qui ait: *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus etc.* Unde propter aliquale dubium, quod in tali baptismo praeterquam in capite collato intervenit, merito dicunt Viva [26] et Salm.[27] cum Trul.

(1) C. 3. n. 3. (2) Part. 5. tom. 3. r. 4. (3) D. q. 68. a. 11. ad 4. (4) L. cit. v. Collig. 2. (5) P. 134. n. 3. (6) N. 23. (7) Tr. 2. c. 2. p. 3. n. 57. (8) N. 7. (9) Dict. n. 21. (10) Resp. mor. l. 1. dub. 1. n. 3. (11) C. 3. n. 3. (12) L. c. (13) Q. 2. a. 3. n. 5. (14) Ibid. n. 41. (15) P. 5. tr. 3. r. 4. (16) Tr. 2. c. 2. p. 3. n. 41. (17) Ut supra. (18) D. 20. s. 3. (19) C. 2. n. 33. (20) N. 105. (21) N. 267. (22) T. 3. p. 134. n. 9. (23) P. 548. (24) Loc. cit. (25) 3. p. q. 68. art. 11. ad 4. (26) Qu. 2. art. 3. n. 5. (27) Loc. cit. n. 39.

ed. Turreblanca et Ant. a Spir. s. ad maiorem cautelam licite posse illum repeti. Et idem sentit Cont. Tourn. [1] dicens: *Sed quia in re tanti momenti tutiora semper sequenda sunt, quisquis alibi quam in capite baptizatus fuerit, denuo rebaptizandus est sub conditione*, ex d. Th., qui alibi [2] sic ait: *Si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquae paucitatem, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae.*

Quaer. 5. Utrum ad baptismum requiratur trina ablutio. Quod ad validitatem spectat, nulli dubium, validum esse baptismum per unam ablutionem collatum, ut omnes docent cum d. Th. [3] *ex c.* 80. *De trina, de consecr. dist.* 4. ubi d. Gregorius id ut certum habet dicens: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel immergere.* Et aliquando in ecclesia una tantum immersio adhibita fuit, ut ferunt Antoine Renzi et alii. Verum Layman [4] et Elbel [5] dicunt in hoc servandam esse consuetudinem uniuscuiusque ecclesiae. In nostro autem rituali rom. trina praecipitur infusio. Utrum vero hic ritus servandus sit sub mortali. Negat Holzm., sed verius affirmat Renzi, quia huiusmodi ritus est materia satis gravis; cum enim in baptismo exprimatur mysterium ss. Trinitatis, congruum est ut trina ablutione conferatur. Idque expresse docet d. Th. [6] loquens de trina immersione quae tunc fieri solebat, dicens: *Et ideo graviter peccaret aliter baptizans; quasi ritum ecclesiae non observans.* Et hic bene advertunt Antoine et Bus. ut supra cum Reg. et Laym. curandum ut forma non perficiatur antequam trina fiat ablutio.

Quaer. 6. An sit materia sufficiens una vel altera gutta ad baptizandum. Affirmant Vasq. [7] et Henr. ap. Laym. [8] ac Leand. et Diana cum Ochagav. Merat. etc. Sed negant communiter Layman [9] Cont. Tourn. [10] et Conc. [11] cum Soto Suar. et Val. praesertim si gutta non fluit. Probabilius tamen Holzm. [12] et Elb. [13] dicunt esse materiam dubiam. Sed si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi, Anac. [14] et Bon. [15] cum Scoto Con. Fill. et communi habent baptismum ut certum; licet Cont. Tourn. [16] adhuc de hoc dubitat.

(1) De bapt. c. 3. art. 2. concl. 1. v. Collig. 2.
(2) Q. 66. art. 7. ad 3. (3) Ibid. art. 8.
(4) C. 3. n. 3. (5) T. 3. p. 29. (6) Loc. cit.
(7) D. 145. n. 23. (8) C. 3. (9) Loc. cit.

DUBIUM II. Quaenam sit forma baptismi.

108. *Vide apud Busemb. quae sint formae validae. Quae invalidae. Quae dubiae.*
109. *Quot modis possit forma variari.* 1. *Per* mutationem.
110. 2. *Per* corruptionem. 3. *Per* transpositionem.
111. 4. *Per* additionem.
112. 5. *Per* diminutionem. *Hinc dub.* 1. *An invalidet baptismum omissio coniunctionis* et. 2. *An omissio praepositionis* in. 3. *An valeat baptismus collatus tantum* in nomine Christi.

108. « Resp. Forma necessaria baptismi est haec: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.* A qua non differt illa graecorum substantialiter: *Baptizetur* (vel, ut Arcudius vult, *baptizatur*) *servus Christi, in nomine Patris, etc.* (Damnata fuit ab Alexandro VIII. propos. 27.: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo*). Porro quinque sunt, quae significantur in prolatione formae: iuxta quae valor eius debet expendi: 1. Persona baptizantis, saltem implicite, quod in forma graecorum non negligitur, cum *to baptizetur* idem valeat ac baptizetur a me. 2. Actus baptizandi, quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia, eamque non determinaret, cum ablutio ad varios fines possit referri. 3. Persona baptizandi, quia, uti ablutio, ita et forma circa certam personam versari debet. 4. Unitas divinae naturae, quod fit per voces, *in nomine*. 5. Trinitas personarum: idque explicite et distincte vulgaribus vocabulis. Fill. [17] Laym. [18] Bonac. [18].

Unde resolves:

» 1. Valide baptizat, etsi venialiter peccet, qui pro *baptizo*, dicit, abluo, mergo etc. vel pro *te*, utitur communi

(10) Loc. cit. v. Collig. 1. (11) P. 126. n. 4.
(12) N. 99. (13) N. 16. (14) P. 547. n. 14
(15) Punct. 3. n. 14. (16) Ibid.
(17) C. 3. (18) C. 4. (18) P. 4.

nomine, graecorum more vel proprio; vel *baptizo Petrum;* vel qui honoris causa dicit, *baptizo dominationem vestram*. Laym. [1] Bon. [2].

» 2. Valet forma, etsi omittat *Ego* et *Amen;* quia omnia significata per formam salvantur, secus si omittat *te*: quia non significatur persona baptizandi [3] (Est communis cum Salm. [4]).

» 3. Non valent hae formae: *Baptizo te in nominibus Patris et Filii etc.*, quia multiplicatur natura, seu essentia divina. 2. *Baptizo te in Patre et Filio etc.* vel *cum Patre etc.* vel *per Patrem;* vel *in nomine Patris, per Filium in Spiritu sancto;* vel *in fide, virtute, maiestate Patris etc.* (quam tamen alii dubiam esse volunt). Ratio est, quia significatur diversitas essentiae, aut certe unitas non satis exprimitur. 3. *Baptizo te in nomine Dei*, vel *sanctiss. Trinitatis:* vel *in nomine Dei unius et trini:* vel *in nomine trium personarum:* vel *Patris et Filii*, omissa persona Spiritus sancti. Ratio est quia non exprimuntur distincte tres personae. 4. *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, qua tamen forma olim apostolos usos, sed ex speciali privilegio, multi docent; alii negant, dicuntque eos baptizasse in nomine Christi, addendo illud nomini secundae personae, non omissis nominibus aliarum personarum. Dum ergo Nicolaus papa dixit, eam formam valere, vel intellexit, si pro nomine Filii ponatur nomen Christi, vel in nomine Christi, pro vice Christi, intellexit; vel locutus est ut doctor privatus. Vide aa. cc.

» 4. Dubiae sunt formae, ob sententiam utrinque probabilem auctorum: 1. *Baptizo te in nomine Patris*, *in nomine Filii*, *in nomine Spiritus sancti:* vel *Baptizo te in nomine Patris*, *baptizo te in nomine Filii etc.* Ratio est, quia non exprimitur unitas essentiae. 2. *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti et Spirati;* vel *in nomine Omnipotentis, sapientis et Boni:* vel *in nomine Ingeniti, Geniti et Boni.* Ratio est, quia Trinitas personarum non explicatur vocibus; quibus a fidelibus omnibus debet et potest apprehendi. 3. *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et Mariae Virginis:* quia dubium est de intentione ministri: qui si eo sensu voluit dicere *Mariae,* quo Patris et Filii et Spiritus sancti, non valet, cum sit contra sensum essentialem a Christo intentum: si vero tantum voluit illam invocare, ut coadiutricem gratiae impetrandae, vel aliter, valet, cum tantum sit mutatio accidentalis. Filliuc. [5] Vide etiam Laym. et Bon. [6]. »

109. Vera et legitima forma baptismi haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.* Ita definitum in concil. Later. [7] et in Trident. [8] ex illo Matth. [9]: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Multipliciter autem potest haec forma variari, nempe 1. per verborum mutationem, 2. corruptionem, 3. transpositionem, 4. additionem, 5. diminutionem. In his autem omnibus ad discernendum quando variatio invalidet vel non sacramentum, attendi debet an ipsa sit substantialis aut accidentalis. *Substantialis* enim variatio est cum corrumpitur substantia sensus verborum a Christo Domino intenti, et haec quidem sacramentum invalidat; *accidentalis* vero est cum idem remanet sensus, et haec non invalidat, nisi, ut advertit d. Th. [10] aliquis formam sic mutando *intendat alium ritum inducere, qui non sit ab ecclesia receptus, quia non videtur quod intendat facere id quod facit ecclesia.*

Hinc 1. quoad *mutationem* verborum pertinet, variatio accidentalis est, 1. si mutatur idioma, ut communiter omnes docent, imo Lugo [11] Conc. [12] et Croix [13] cum Suar. Cai. Dic. et Arriaga, dicunt hoc procedere, etiamsi plura idiomata in eamdem formam conflarentur; quia licet tunc propositio non videatur moraliter significativa apud homines, in

(1) C. 4. n. 6. (2) P. 4. n. 9. et seq. (3) Ibid.
(4) De bapt. c. 3. p. 2. n. 6. et p. 4. dub. un. n. 39.
(5) T. 2. c. 3. n. 50. (6) Locc. cc.
(7) C. Firmiter de summ. Trinit.
(8) Sess. 7. can. 4. de baptism.
(9) C. 28. v. 19. (10) 3. p. q. 60. a. 8.
(11) D. 2. n. 107. (12) Q. 68. n. 68.
(13) L. 6. p. 1. n. 50.

sacramentis tamen non requiritur ut audiens, vel ut proferens verba intelligat, modo voces per se sint significativae, et ipse velit id significari quod Christus intendit. Praeterea, recte notat Croix cum Sa Trull. Victor. Regin. Gob. et Dic. melius esse ut mulieres, caeterique rudes, si baptizent, utantur lingua materna, cum nesciant perfecte proferre latinam. Advertunt tamen Salmant. [1] cum Suar. et Filliuc. verbum *baptizo* retinendum quantum fieri potest, dicendo: *Io ti battezzo etc.*, quia ex accommodatione verborum factum est ut verbum hoc utrique linguae inserviat. 2. Etiam variatio accidentalis est, si substituantur verba synonyma, v. gr. *abluo, lavo, intingo,* pro *baptizo*, ut communiter dicunt cum Bus. *n.* 108. *ut supra*, Suar. [2] Nat. Alex. [3] Tolet. [4] Spor. [5] cum Laym. Bon. et Croix Salmant. [6] cum Con. et Leand. Elbel [7] et Conc. [8] cum Soto Vasq. Berti et commun. contra Alens. Gabr. etc. qui putant non valere talem baptismum quia tunc censetur minister non habere veram intentionem faciendi ritum ecclesiae, cum illa diversa verba potius profanam quam sacramentalem significent ablutionem; sed bene respondet Concina [9] quod tunc sacramentum, si infirmaretur, non iam infirmaretur ex defectu verborum, sed intentionis ministri: sed cum minister veram habet intentionem baptizandi, vere baptizat, determinando per intentionem verba illa profana ad ablutionem sacramentalem iuxta dicta cum d. Thom. *supra n.* 23. *v. Prob.* 3. Idem dicitur, si proferatur forma more graecorum, nempe: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris etc.* ut approbatum fuit ab Eugenio IV. in conc. florentino.

Utrum autem valeat baptismus, si dicatur: *In nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque.* Affirmat Caiet.[10]. Ratio (quam ait Conc.[11] non carere suo fundamento) quia in communi theologorum sermone pro eodem accipi solent nomina Genitoris, Geniti etc. Sed baptismus taliter collatus saltem est dubius, ut docent Layman [12] Pal.[13] Cont. Tour.[14] Holzm.[15] Salm.[16] Ronc.[17] et Conc.[18] cum Estio Suar. Vasquez et communi thomistarum et scotistarum. Atque expresse id docuit ipse d. Th.[19] qui de hoc rationem assignat dicens: *Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius usus est communiter ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma baptismi assumuntur illa nomina* (scilicet Patris et Filii etc.), *quibus communius consueverunt nominari personae in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.* Hinc, ut refert Cont. Tour.[20] s. Pius v. cum nova editio fieret Romae operum Caiet. iussit suam opinionem eradi. Putat autem Conc.[21] validum esse baptismum sic collatum: *In nomine Patris et Iesu Christi et Spiritus sancti*, quia, ut ait, Iesus Christus vere est Filius Patris, sed huic merito non acquiescit Frassen.[22] quia licet Iesus Christus noscatur esse Filius Patris, tamen hic id non sufficienter exprimitur; secus dicit Frassen. si pro nomine Spiritus sancti dicatur *Spiritus Paracliti*, quia in verbo *Spiritus* iam satis exprimitur tertia persona.

110. 2. Quoad *corruptionem* verborum pertinet, notat d. Th.[23] facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris* dicatur *Matris;* secus, si corruptio fiat in fine. Hinc Zacharias papa [24] validum declaravit baptismum sic collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus sancta.* Idem dicitur, si quis ob balbutiem vel praecipitantiam dicat: *Batizo*, aut *Babatizo*, aut *Battizo*, pro *Baptizo;* vel *Fili* pro *Filii*. Ratio huius est, quia voces ita constitutae sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent; ita Conc.[25] et

(1) Tr. 2. c. 3. p. 3. n. 12. (2) D. 24. sect. 2. (3) A. 3. reg. 10. (4) L. 2. c. 19. (5) T. 3. n. 23. (6) Tr. 2. c. 3. p. 3. n. 11. (7) C. 3. n. 43. (8) T. 3. p. 143. n. 46. (9) L. cit. (10) 3. p. q. 66. a. 5. (11) P. 145. n. 11. (12) C. 4. n. 4. (13) De bapt p. 5. n. 16. (14) De bapt. c. 4. a. 2. concl. 1. v. Quaeres. (15) T. 2. n. 114. (16) Ibid. p. 4. dub. unic. n. 33. (17) C. 2. q. 6. (18) L. c. (19) 3. p. q. 66. a. 5. ad 7. (20) L. cit. a. 1. concl. 2. (21) L. c. (22) T. 10. tr. 1. disp. 1. a. 1. q. 6. (23) Q. 60. a. 7. ad 3. (24) In cap. Retulerunt 86. de consecr. dist. 4. (25) T. 3. p. 146. n. 14.

Croix [1] cum Lugo Suar et communi. Et sic etiam valere baptismum ait Concina [2] si dicatur abbreviate: *In nom Patris etc.*

3. Quoad *transpositionem*, inquit s. Thomas [3]: *Nomina et verba transposita idem significant.* Hinc transpositio per se facit mutationem tantum accidentalem, ut si dicas, *Te baptizo ego in nomine Patris etc.* Idem dicunt Lugo [4] et Croix [5] cum Tol. Dic. Aversa et aliis, si dicas: *Te baptizo ego in nomine Filii et Patris et Spiritus sancti.* Nec obstat, si praeponendo Filium velles significare hunc esse principium Patris: nam, ut recte ait Lugo [6] (contra Sotum) ex naturali significatione ipsum nomen Patris sonat esse principium Filii; nec error ministri internus praeiudicat valori sacramenti, ut docuit Nicolaus I. ad consulta bulgarorum [7] apud Tour. [8] qui dixit: *Iam satis, inquit* (Augustin.), *ostendimus ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiuspiam vel dantis vel accipientis errorem sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina coelestis insinuat.*

111. 4. Circa *additionem*, valet baptismus, si addantur formae verba sensum non corrumpentia, puta, ut docet s. Th. [9] si quis diceret: *In nomine Patris omnipotentis et Filii unigeniti etc.* Vel si diceret: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris qui te creavit etc.* Secus ait d. Th. si quis baptizaret dicendo: *In nomine Patris maioris et Filii minoris; nam sic tolleretur veritas sacramenti.* Validum tamen esse baptismum putat Conin. [10] si diceretur: *Baptizo te in nomine Patris, quem puto maiorem etc.*, idque non immerito, nam error (ut mox diximus) ministri, quem ipse per se iunctam propositionem ibi adderet, non obstat sensui a Christo intento.

Quid si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii etc.?* Censet Bon. [11] hunc baptismum non esse validum, quia ibi non satis expri-meretur unitas divinae essentiae: sed probabilius validum esse censet Conc. [12] Pal. [13] cum Con. Laym. Suar. et Henr. ac Diana apud Croix [14]. Ratio quia repetitio nominis nullo modo sensum immutat, prout neque immutaretur sensus si diceretur: *In nomine Dei Patris, in nomine Dei Filii etc.* Pluraque affert Conc. sacramentaria, in quibus to *nomine* repetitum legitur. Idem dicunt Tol. [15] Estius [16] et Conc. [17] cum Sot. Leand. etc. si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii etc.* Nec obstare ait Conc., quod videantur istae tres formae imperfectae, ut obiicit Comitolus; nam respondet hanc revera esse unam formam perfectam, cum moraliter continuetur. Attamen, quia prima opinio Bonac. non est omnino improbabilis, prout putant Bus. *ut supra n. 4.* Cont. Tourn. [18] Salmant. [19] cum Nugn. ideo talem formam censeo non esse tutam. Certe autem non esset validus baptismus, si diceretur: *Ego te baptizo in nominibus Patris et Filii etc.* quia sic nullo modo explicaretur unitas essentiae divinae; sicut etiam esset saltem valde dubius baptismus collatus sequentibus formis: *In virtute Patris, etc.;* vel *in nomine ss. Trinitatis;* vel *in nomine Unius et Trini;* vel *in nomine trium personarum.* Vide Conc. [20] et Sporer [21]. Si quis autem ad nomina trium personarum adderet nomen B. V. M., dicit d. Thom. [22] quod si hoc faceret mente haeretica, intendens baptismum conferre in nomine Virginis, sicut in nomine ss. Trinitatis, invalidus esset, quia perverteretur vera divinitatis confessio. Secus si quis rusticus tantum ob importunam devotionem nomen Virginis adiiceret.

112. 5. Quoad *diminutionem* tandem verborum pertinet, certum est valere baptismum, si omittantur verba *Ego* et *Amen*, ut omnes conveniunt. Et talem omissionem culpam venialem non ex-

(1) N. 36. (2) Ibid. (3) Q. 60. a. 8. ad 3.
(4) D. 2. n. 112. (5) N. 32. (6) L. c. (7) C. 104.
(8) Praelect. theol. de baptismo q. 1. art. 4.
(9) Q. 60. a. 8. (10) N. 72. (11) Q. 2. p. 4.
(12) P. 144. n. 8. (13) P. 5. n. 17. (14) N. 54.
(15) Lib. 2. c. 19. (16) Dist. 3. §. 6.
(17) P. 146. n. 12. (18) De bapt. c. 4. a. 2.
(19) Tr. 2. c. 3. p. 4. n. 20. (20) N. 10.
(21) N. 25. (22) 3. p. q. 60. a. 2.

cedere dicunt communiter Salmant. [1] Sporer [2] Leand. [3] cum Fill. Graff. Sot. Vasq. Pal. Turr. Led. Granad. Henr. etc., quia haec verba non sunt de essentia baptismi. Sicut contra est verbum *te*, cuius omissio redderet quidem baptismum invalidum, prout recte dicunt Petr. [4] et Conc. [5] cum communi, adversus quosdam non audiendos.

Sed dubitatur 1. Utrum invalidet baptismum omissio coniunctionis *et*, dicendo: *In nomine Patris*, *Filii Spiritus sancti*. Negant Conc. [6] et Tolet. Comit. ac Gob. apud Croix [7] quia haec nomina Patris, Filii et Spiritus sancti, utpote inter se relative opposita, iam significant distinctionem personarum. Affirmant vero Reg. Vivald. et Corradus ap. Croix [8]. Sed ipse Croix cum Aversa recte censet satis esse ad valorem baptismi, si particula *et* praeponatur tertiae personae; nam ex una parte, iuxta communem loquendi usum, quoties plura nomina uni verbo copulativo iunguntur sufficit ut coniunctio *et* praeponatur ultimo nomini; ex altera parte verbum *et* videtur omnino exprimendum saltem ante ultimum nomen, cum nomen *Spiritus sancti* per se non sit notionale, denotans processionem tertiae personae, nomen enim Spiritus sancti competit tam Patri quam Filio.

Dubitatur 2. Utrum verbum *in* sit de essentia. Affirmat Conc. [9] cum Navar. Soto Comit. Gabr. etc. quia omissio praefatae particulae variat sensum; dicens enim: *Ego te baptizo nomine Patris etc.* ostendit baptizare auctoritate, potestate vel imperio trium personarum; sed in *nomine* significat in invocatione ss. Trinitatis, ut Tourn. [10]. At probabilius negant Salm. [11] cum Bon. Con. Henriq. et Leand. [12] cum Hurtad. Fill. Diana Candido etc. Ratio quia in latino idiomate frequentius tacentur praepositiones quae percipiendae sunt ad debitum loquendi modum; unde, quamvis hic reticeatur to *in*, tamen bene subintelligitur ex debita ministri intentione, per quam verba formae sacramentorum potius ad unum quam ad alium sensum determinantur; tanto magis quod adhuc expresso verbo *in*, etiam to *nomine* remanet aequivocum, quia etiam potest significari auctoritate vel potestate divina, prout significavit Christus Dominus, cum dixit: *In nomine meo daemonia eiicient*. Et alibi: *Spiritus Paraclitus*, *quem mittet Pater in nomine meo.* Haec secunda sententia, spectata ratione, mihi videtur verior, sed cum agatur de valore sacramenti, saltem ob auctoritatem dd. dicerem a prima non recedendum. Ideo recte ait Conc. quod talis omissio non posset excusari a mortali.

Dubitatur 3. Utrum valeat baptismus collatus tantum *in nomine Christi*. Dubium oritur ex verbis illis Actor.[13] ubi dicitur: *In nomine Christi baptizabantur viri*. Et ex textu in *c. A quodam* 24. *de consecr. dist.* 4. ubi Nicolaus papa ad quaesita bulgarorum sic respondit: *Hi profecto*, *si in nomine ss. Trinitatis*, *vel tantum in nomine Christi*, *sicut in actibus apostol. legitur*, *baptizati sunt* (*unum quippe idemque est*, *ut sanctus ait Ambrosius*), *rebaptizari non debent*. Revera autem s. Ambrosius [14] sic scripsit: *Qui benedicitur in Christo*, *benedicitur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, *quia unum nomen*, *potestas una. Et aethiops eunuchus Candacis reginae baptizatus in Christo*, *plenum mysterium consecutus est.*

Sed hodie certum est hunc baptismum esse invalidum, ut omnes communiter docent cum s. Thom.[15]. Idque habetur expressum in *c. Si revera* 30. *de consecr. dist.* 4. ubi Pelagius papa dixit: *Si hi se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur*, *sine cuiuscumque dubitationis ambiguo*, *eos ad fidem catholicam venientes in ss. Trinitatis nomine baptizabis.* Ad textum autem actorum diversi respondent, et quidem omnes probabiliter; d. Thom.[16] respondet quod speciali Christi reve-

(1) Ibid. dub. unic. n. 40. (2) N. 23.
(3) D. 3. q. 3. (4) T. 3. p. 177. (5) P. 142. n. 4.
(6) P. 146. n. 15. (7) N. 35. (8) Loc. cit.
(9) P. 145. n. 7. (10) Praelect. theol. de bapt.

q. 1. art. 4. tit. solv. obi. in init. v. Instab.
(11) Tr. 2. c. 3. p. 4. n. 21. (12) Q. 11.
(13) C. 8. v. 12. (14) L. 1. de Spir. s. c. 3.
(15) 3. p. q. 66. a. 6. (16) Loc. cit.

latione apostoli in primitiva ecclesia in nomine Christi baptizabant. Et sic pariter sentit Scot. [1] Et huic sententiae defert catechismus rom. §. 16. Alii vero communius et probabilius respondent, ibi pro nomine Christi intelligi baptismum a Christo institutum ad differentiam baptismi Ioannis: sed tunc etiam apostolos baptizasse, sicut et nunc: dque probant ex Act. [2] ubi, cum quidam interrogati essent, an Spiritum sanctum accepissent; responderunt se neque si Spiritus sanctus est, audivisse. Hinc subiunxit apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* supponens solitum fuisse in baptismo exprimi nomina trium personarum; alioquin incongrua fuisset illa apostoli admiratio: ita Tournely [3] cum s. Ioanne Damasceno Eius Continuat. [4] et Natal. Alexandr. [5] cum s. Basilio s. Cypriano s. Augustino s. Hilario et s. Ambrosio. Ad textum autem Nicolai, quidquid alii respondeant, melius respondetur cum Gon. [6] Frassen. [7] Tournely [8] Eius Continuat. [9] Petrocor. [10] Pal. [11] Salmant. [12] Holzm. [13], Nicolaum tantum dixisse hoc obiter et non ex cathedra; non enim fuit papa interrogatus an valeret baptismus ratione formae, sed solum an esset validus baptismus collatus a iudaeo; et ibi obiter exposuit mentem d. Ambrosii. Quae autem simultas materiae et formae requiratur in baptismo, *vide dicta num.* 9.

DUBIUM III. De ministro baptismi.

ART. I. Quis sit minister baptismi.

113. *Quis sit minister validi baptismi, et quis liciti.*

114. *Nemo sine commissione potest baptizare extra suam dioecesim.*

115. *A quo baptizandi peregrini, vel casu nati. Et an sufficiat quasi domicilium ad constituendum aliquem parochianum illius loci.*

116. *Quando diaconus possit baptizare. Dub. 1. An in necessitate possit baptizare solemniter. 2. An clericus aut diaconus solemniter baptizans sine commissione fiat irregularis. 3. An fiat irregularis laicus baptizans solemniter.*

117. *Ordo servandus inter ministros baptismi in necessitate conferendi. Dub. 1. An graviter peccet laicus, qui baptizat praesente sacerdote. 2. An qui praesente sacerdote excommunicato. 3. An qui praesente diacono. 4. An qui praesente clerico inferiori. 5. An peccent graviter parentes, qui faciunt baptizare prolem a praedicante.*

118. *Not. 1. An possit quis baptizare seipsum. 2. Quae dilatio in ministrando baptismo sit mortalis. 3. Quinam infantes prohibeantur domi baptizari.*

113. « Resp. Valide ministrat omnis homo ratione utens, cuiuscumque fidei vel infidelitatis, status aut sexus. Licite, tamquam minister ordinarius, et ex officio sacerdos habens iurisdictionem aut commissionem; vel ex eius commissione diaconus. In casu tamen extremae necessitatis omnis qui potest valide, etiam facit licite, teneturque, ut proximo succurrat. Laym. [14]. »

Certum est et de fide validum esse baptismum collatum a quovis homine viatore, sive viro sive muliere. Ita definitum in decreto fidei Eugenii IV. et in concil. Lateran. IV. in *c. Firmiter, de summ. Trinit.* ubi dicitur: *Baptismum tam parvulis, quam adultis, in forma ecclesiae a quocumque rite collatum proficere ad salutem* (Contra Calvinum et Bezam, qui autumabant non posse baptismum conferri, nisi ab ecclesiae pastoribus verbi divini ministris). Et hoc, etiamsi baptismus ab haeretico conferatur, ut definivit Trid. [15] vel ab infideli, ut declaravit Nicolaus I. [16]. V. s. Th. [17].

Licite autem nequit baptismus ministrari ab alio, quam a sacerdote extra articulum mortis, ut d. Thom. [18] *ex c. Constat, de consecr. d. 4.* ubi s. Isidorus ait: *Constat baptisma a solis sacerdotibus esse tractandum: eiusdem ministerium nec ipsis diaconis explere est licitum absque episcopo vel presbytero; nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quispiam sine remedio salutari de saeculo evocetur.* Extra igitur mortis articulum,

(1) In 4. d. 3. q. 2. n. 9. (2) C. 19. v. 2. (3) Pract. theol. loc. cit. ult. concl. (4) T. 4. p. 309. (5) Art. 3. reg. 2. (6) T. 6. tr. 3. c. 4. (7) T. 10. tr. 1. d. 1. a. 1. q. 7. (8) Praelect. theol. loc cit. tit. solv. obi. in med. (9) De bapt. c. 4. a. 1. concl. 2. (10) T. 3. p. 179. (11) De bapt. p. 5. n. 13. (12) Tr. 2. c. 3. p. 4. dub. un. n. 38. (13) N. 113. (14) L. 5. tr. 2. c. 7. (15) Sess. 7. can. 4. (16) In c. A quodam 24. dist. 4. de consecr. (17) Q. 67. a. 5. et 4. (18) Ibid. a. 2. et 3.

sive periculum, ut recte dicunt Salm.[1] cum aliis, in quo, deficiente sacerdote vel clerico, quivis laicus potest baptizare, imo tenetur, ut Salmant.[2] cum s. Anton. etc., duplex est minister baptismi, primus ordinarius ex officio, secundus est minister extraordinarius ex commissione. Minister ordinarius et solemnitatis est episcopus et quivis sacerdos ut declaravit Eugenius IV. in suo decreto dicens: *Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare:* modo adsit licentia episcopi, ut dicunt communiter omnes cum Petroc.[3] et probat Cont. Tourn.[4] ex Tertull. s. Hieron. s. Ignat. m. etc. Parochus vero etiam reputatur minister baptismi ordinarius, ut omnes dicunt; quia statim ac ab episcopo parochus approbatur, accipit ab eo licentiam baptizandi, quae iure communi est ita stabilis, ut sine iusta causa non possit ea privari; et ideo parochus potest aliis sacerdotibus committere administrationem baptismi, ut docent Cont. Tourn.[5] Sporer[6] Salm.[7] et alii communiter.

114. « 1. Nec tantum diaconus, sed nec parochus aut episcopus, absque commissione, extra suam dioecesim, vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat[8]: ideoque etiam peccant parentes qui sine licentia sui praelati alieno deferunt prolem baptizandam, cum violent ius parochi. Laym.[9]. »

115. Hic plura sunt notanda: 1. Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in ecclesia quam elegerint[10], Croix[11] Salm.[12] cum Barb. Si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda: verumtamen, si ille pagus parum distet a pago proprio, v. gr. duabus aut tribus, horis potest baptizari proles etiam in ecclesia sua. Croix.[13] cum Gobat.

Sed hic dubium fit an advenae debeant baptismum et alia sacramenta suscipere a parocho proprii domicilii, vel possint etiam a parocho loci, ubi sunt per quasi domicilium. Adest duplex probabilis sententia.

Prima sententia dicit teneri suscipere a parocho domicilii proprii, quo sunt redituri. Hanc tenet Henriq.[14], item Rod. Segura et Ledesma ap. Salmant.[15] qui putant probabilem cum Palao[16] et Sanch.[17] qui vocat probabilissimam cum Host. Rosel. Angel. Sylv. Tab. et aliis pluribus. Quia, ut aiunt, qui habet proprium domicilium, nequit fieri parochianus illius loci, ubi degit tantum ad tempus propter aliquod negotium; alias hic haberet duas parochias habitationis, quas habere non potest, nisi qui in utraque aequaliter se collocat, ut tradunt Sanch.[18] Pont.[19] et Salm.[20] cum Bon. Perez Con. Trull. etc. communiter[21].

Secunda sententia vero communior et probabilior, quam tenent Barb.[22] cum pluribus decis. rotae Sanch.[23] Croix[24] Pont.[25] Pal.[26] et Salm.[27] cum Bon. Gut. Con. Trull. Dicast. etc. docet posse (ut aiunt Salm. et alii apud Sanch.[28] dicunt etiam teneri) advenas recipere sacramenta a parocho loci, ubi iam contraxerint quasi domicilium; contrahitur autem quasi domicilium ab eo qui habitat alicubi, non per transitum, sed per maiorem anni partem, aut cum animo permanendi ibi per maiorem partem anni, ut dicunt Sanch.[29] Sylvest.[30] et Salm.[31] cum Bon. Pal. Pont. Con. et aliis. Imo, aiunt Laym.[32] Nav.[33] et confirmat Bened. XIV.[34] ex communi, sufficere ad contrahendum quasi domicilium habitationem per aliquam nota-

(1) De bapt. c. 4. p. 2. n. 16. (2) Ibid. n. 19. (3) T. 3. p. 174. (4) De bapt. c. 5. concl. 2. v. Prob. 3. (5) Loc. cit. (6) P. 189. n. 34. (7) Tr. 2. c. 4. p. 4. n. 35. (8) Ex can. Interdicimus caus. 16. q. 1. (9) Loc. cit. (10) Ex can. Nec numerus, caus. 10. q. 3. (11) L. 6. p. 1. n. 275. (12) Ibid. n. 57. (13) N. 575. (14) L. 11. c. 3. n. 3. (15) De matr. c. 8. p. 3. n. 29. (16) D. 2. p. 12. §. 9. n. 8. (17) De matrim. l. 3. d. 23. n. 13. (18) L. 3. d. 24. n. 5. (19) L. 5. c. 16. n. 1. (20) Tr. 9. c. 8. p. 3. n. 32. (21) Ex c. 15. De sepul. in 6. et leg. Assumptio, §. Viris, ff. ad municip. de incol. (22) De potest. episc. p. 2. alleg. 52. (23) Dict. d. 23. n. 13. (24) L. 6. p. 3. n. 721. (25) L. 3. c. 13. n. 4. (26) Loc. cit. n. 9. (27) Ibid. n. 30. (28) N. 12. (29) L. 3. d. 23. n. 12. (30) V. Domicilium n. 4. (31) Loc. cit. (32) Lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 1. (33) De iub. 32. v. Incolae, num. 33. (34) Notif. 32. num. 6.

bilem anni partem causa alicuius negotii, puta ad studendum, vel ad exercendum officium iudicis, medici, professoris, mercatoris, famuli, tabernarii et similium. Ratio huius secundae sententiae est, quia per quasi domicilium quisque iam fit parochianus loci ubi habitat, ut habetur ex *cap. finali de paroch.* ubi confugientes ad aliquam parochiam causa belli, iam dicuntur illius parochiani.

Notandum 2. Bene baptizari potest alienus de licentia proprii sacerdotis expressa, vel rationabiliter praesumpta. Miranda, Henr. et Salm.[1]. 3. Possunt religiosi baptizare in casu necessitatis; vel cum licentia ministri ordinarii. Salm.[2] Petroc.[3] etc. 4. Sacerdos sine licentia extra necessitatem baptizans, etiam sine solemnitate, peccat graviter [4], Vasq. Con. Laym. et Salm. [5] et communiter. 5. Extra necessitatem nemo potest licite baptizari domi, exceptis filiis principis [6], Con. Sa Salm. [7]. At de hoc *vide dicenda n.* 118. *not.* 3.

116. « 2. Diaconus non tantum in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili baptizare potest. Et quidem cum solemnitate ex commissione episcopi vel parochi, ut si v. g. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum, id ipsi facere non possint. Laym. [8].»

Certum est quod diaconus ex commissione episcopi vel parochi potest baptizare, ut Iuenin. Petr. et alii communiter, ex *can. Diaconos*, *dist.* 93., ubi Gelasius papa dixit: *Diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortassis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod etiam laicis christianis facere plerumque concedit ur.* Ex praefato autem textu recte infert Gonet quod talis commissio nequit diacono fieri, nisi ob magnam necessitatem, vel ecclesiae utilitatem, puta si non adessent sacerdotes; vel ut dicunt Suar. [9] Pal.[10] Sporer [11] Holz. [12] Croix [13] Elbel [14] Laym.[15] cum Soto et Vasq. nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus confessionibus excipiendis, aut praedicatione, ut colligitur *Actor. c.* 6. ubi apostoli diaconos constituturi, dixerunt: *Fratres, viros..... constituamus super hoc opus: nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.*

Sed dubitatur 1. An diaconus in casu necessitatis possit solemniter baptizare. Affirmant Suar. [16] et probabile putat Spor.[17] cum Praepos. Herinox. et aliis. Sed communius et probabilius negant Palaus [18] Renzi [19] cum Conc. et Diana, Salm. [20] cum Laym. etc. Ratio quia diaconus non potest esse minister baptismi solemnis, nisi ex commissione sacerdotis, cum tantum sacerdotis vice possit solemniter baptizare.

Dubitatur 2. An diaconus sine commissione solemniter baptizans incurrat irregularitatem. Certum est quod clerici non diaconi solemniter baptizantes fiunt irregulares, ex *cap. Si quis*, 1. *de cler. non ord. min.* ubi dicitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem de ecclesia abiiciatur et numquam ordinetur.* Quoad diaconos vero, negant aliqui ipsos irregularitatem contrahere, quia in citato textu dicitur, quod sit irregularis *non ordinatus.* Diaconus autem est iam ordinatus ad baptizandum, cum in pontificali dicatur: *Oportet diaconum ministrare ad altare, baptizare et praedicare.* Sed probabilius dicendum quod incurrit (sive in necessitate, sive extra eam solemniter baptizet), iuxta sententiam communissimam, quam tenent Laym.[21] Cont. Tourn.[22] Natal. Alex.[23] Habert [24] Renzi [25] cum Con. Viva [26] Bonac.[27] cum Nav. Avila et Sayr. Ratio,

(1) De bapt. c. 4. p. 4. n. 58. (2) Ibid. n. 59. (3) P. 217. (4) Ex Clem. un. de bapt. (5) Ib. n. 41. (6) Ex ead. Clem. un. (7) Tr. 2. c. 4. p. 4. n. 42. (8) L. c. (9) D. 25. sect. 2. (10) P. 11. n. 5. (11) T. 3. p. 189. n. 35. (12) P. 26. n. 125. (13) N. 276. (14) T. 3. pag. 31. n. 29.

(15) C. 7. n. 4. (16) D. 23. sect. 3. (17) D. n. 35. (18) P. 11. n. 5. (19) C. 3. q. 1. (20) L. c. n. 45. (21) De irreg. c. 3. n. 2. (22) De bapt. c. 3. concl. 3. v. Collig. 2. (23) De bapt. prop. 2. (24) T. 5. p. 196. (25) De bapt. c. 3. q. 5. (26) De irreg q. 10. a. 1. n. 3. (27) Eod. tit. p. 6. n. 5.

quia diaconus, licet ordinetur ad baptizandum, ad id tamen non ordinatur nisi ex commissione episcopi vel sacerdotis, qui sunt soli ministri ordinarii baptismi, ut vidimus. Ex illis autem verbis textus *propter temeritatem* recte inferunt Laym. et Viva[1] diaconum, sive alium clericum, non fieri irregularem, si per iocum aut ex ignorantia crassa solemniter baptizet: temeritas enim scientiam positivam importat una cum aliquo contemptu.

Dubitatur 3. An laicus baptizans solemniter contrahat irregularitatem. Affirmant Suar.[2] cum Sot. Sylvest. s. Anton. Palud. et Concina[3] cum Nav. Fill. et Leand. Quia praefatus textus in *cap. Si quis*, generaliter loquitur, et proinde non est ad solos clericos restringendus. Sed communius et probabilius id negant Palaus[4] Bon.[5] Holzm.[6] Viva[7] Salm.[8] Lugo[9] Spor.[10] Croix[11] cum Hurt. et Laym.[12] cum Sa Cov. Ang. Arm. Rodr. etc. Ratio quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure, ut habetur in *c. Is qui, de sent. excom. in* 6. Haec autem irregularitas minime videtur expressa; licet enim textus generice loquatur, attamen, cum titulus sit de clerico ministrante, verba illa generalia debent intelligi tantum iuxta titulum qui textui praefigitur. Imo Laym. censet satis id exprimi in eodem textu, cum ibi dicatur *de ecclesia abiiciatur*, quod proprie intelligi debet de depositione, qua non puniuntur nisi clerici: et ratio huius esse potest (ait Laym.) quia talis usurpatio frequentior esse solet in clericis, quam in laicis.

417. « 3. Cum in necessitate confertur baptismus, servandus est ordo ita, ut si adsit, et non detrectet sacerdos, vel diaconus, is reliquos praecedat. Sic enim clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, nisi forte inferior melius noverit modum, ut solent obstetrices. (Ut Salm.[13] cum Moscosa) (quae proinde examinari et approbari debent a pastoribus), vel alia iusta causa sit, ut quia virum ad parientem ingredi non decet. (Pariter, praesente tantum patre, foemina baptizare debet, quia extra summam necessitatem vetatur parentibus baptizare. Croix[14] cum Gob. Et in casu quo baptizanda esset proles nondum ab utero egressa, debet ob decentiam mulier baptizare, ut bene notat idem Croix[15] cum Platel.) Quod si laicus baptizet praesente sacerdote, et secundum quosdam etiam praesente diacono, censent esse mortale: quia id laico tantum competit ob defectum sacerdotis, qui sine iniuria ordinis et sacramenti talem licentiam dare non potest. In reliquis, perversio illius ordinis est tantum veniale. (Ut communiter Bonac. Sot. Dic. et Salm.[16]). Praeterquam si coram fideli haereticus adhibetur, quod voluit esse mortale Laym.[17] Con.»

Quoad ordinem igitur servandum inter ministros baptismi, sic habetur in rituali rom.: *Si adsit sacerdos, diacono praeferatur* (et parochus sacerdoti, ut recte dicunt Cont. Tourn.[18] et Conc.[19]. *Vide dicta num.* 413. *in fin.*) *diaconus subdiacono, clericus laico et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.* Hinc rationabiliter censet Sporer[20] cum Gobat quod parochi tenentur sub gravi obstetrices diligenter examinare, utrum noverint necessaria ad baptizandum, cum ipsae sub mortali teneantur addiscere modum baptizandi, prout recte docent s. Anton. Reg. Henriq. Aversa et alii plures cum Croix[21]. Nec obstat quod forte alii adfuturi sint qui formam

(1) Loc. cit. (2) 3. p. d. 31. sect. 4.
(3) T. 8. p. 155. n. 8. (4) De irreg. p. 18. n. 50.
(5) Loc. cit. n. 1. (6) T. 1. p. 417. n. 346.
(7) Loc. cit. (8) De censur. c. 8. p. 7. n. 74.
(9) De poenit. d. 18. n. 14. (10) Eod. tit. n. 657.
(11) Lib. 7. n. 485. (12) Loc. cit. n. 3.
(13) De bapt. c. 4. p. 2. n. 18. (14) N. 277.
(15) N. 77. (16) Ibid. n. 7. (17) C. 7. n. 4.
(18) Loc. cit. tit. solv. dub. v. Quaer. 1.
(19) T. 8. p. 124. n. 5. (20) Suppl. t. 4. n. 190.
(21) L. 6. p. 1. n. 270.

sciant, propter quod videntur eas excusare Suarez Diana et Dic.[1]. Nam ipsis ex officio puerperis adesse incumbit, et non raro occurrit eis occasio baptismum in necessitate ministrandi.

Sed dubitatur 1. An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate baptizat, praesente sacerdote. Negant Ioannes Suar. Val. etc. apud Salm. [2] et probabile putat Ledesma, quia sacerdos in casu necessitatis non baptizat ex officio, et ideo laicus eius officium non usurpat. Sed verius affirmant Franciscus Suarez [3] Cont. Tourn. [4] Concin.[5] Holzm.[6] Salm.[7] Pal.[8] cum Laym. Con. Vasq. Bon. etc. communiter, ex *can.* 21. *dist.* 4. *de consecr.* ubi d. Augustinus sic docet: *In necessitate, cum episcopi aut presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum eius qui petit, etiam laicos solere dare sacramentum quod acceperunt, solemus audire.* Ergo tunc solum potest laicus in necessitate baptizare, cum deest sacerdos; alias peccat, tum quia vere tunc usurparet ius sacerdotis, cui ex potestate ordinis commissum est baptizare; tum quia iniuriam irrogaret sacramento; quod exigit (cum fieri potest) ministrari a sacerdote, utpote ad illud consecrato; et ideo etiam sacerdos graviter peccaret, si laico administrationem cederet, ut recte dicunt Suar. et Conc. [9].

Dubitatur 2. An praesente sacerdote excommunicato, praeferendus sit laicus non excommunicatus. Negant Scotus Henr. etc. ap. Renzi [10] item Leand. et Corneio apud Salm.[11] quia in extrema necessitate cuilibet etiam excommunicato conceditur privilegium baptizandi, et ideo tunc servandus est ordo iuris communis. Sed verius affirmant Suar. [12] Nav.[13] Pal.[14] (qui id ut certum habet) Salm.[15] cum Gab. Renzi[16] cum Sylvest. Henr. etc. Ratio quia privilegium excommunicato conceditur in solo casu necessitatis, quae non reperitur adesse, cum alius suppetit non excommunicatus.

Dubit. 3. An peccet graviter laicus baptizans coram diacono.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Gonet [17] Holz. [18] Cont. Tourn. [19] Antoine [20] Concina [21] cum Vasq. Reg. Filliuc. etc. Renzi [22] cum Con. Praep. etc. Probatur 1. ex d. Augustino *ut supra in can.* 21. *dist.* 4., ubi dicitur permitti laico baptizare tantum in necessitate, cum *episcopi aut presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur.* Nomine autem *ministrorum* communiter diaconi intelliguntur. Probatur 2. ratione; diaconus ex vi ordinationis deputatur ad baptizandum per commissionem parochi, unde obtinet ipse speciale ius ad hoc munus obeundum. Haec sententia est quidem probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur cum Salm. [23]

Secunda sententia, quam tenent Suarez [24] Sot.[25] Tol.[26] Ronc.[27] Bon.[28] cum Sa Val. Conc. Hen. Reg. et Graff. item Sylv. Led. Dian. Vill. etc. Ratio quia diacono vi ordinationis non competit officium baptizandi, nisi ex commissione sacerdotis. Unde cum ipse baptizat in casu necessitatis sine commissione, non baptizat ex officio, sed eodem modo quo clericus inferior, vel laicus, *iuxta dicta n.* 146. *Dub.* 1. *et* 2. Et quamvis ipse ut dignior in iure illis praeferatur, tamen huius ordinis perversio non apparet tam gravis, ut de mortali damnetur.

Dub. 4. An laicus baptizans, praesente clerico inferiori, peccet mortaliter. Videtur affirmare p. Conc.[29] cum dicat, ex iure divino semper sub gravi servandum ordinem, nisi necessitas impediat. E converso Pal.[30] dicit nullum esse peccatum, cum de hoc nullum inveniatur praeceptum divinum aut ecclesiasticum. Recte vero alii com-

(1) Ibid. (2) De baptism. c. 4. p. 2. n. 11. (3) D. 31. sect. 4. (4) L. c. (5) P. 154. n. 6. (6) P. 25. n. 121. (7) Ib. n. 13. (8) P. 9. n. 10. (9) Locc. cc. (10) C. 3. q. 2. (11) Tr. 2. c. 4. p. 2. n. 14. (12) D. 11. s. 1. (13) Man. c. 22. n. 6. (14) P. 9. n. 12. (15) Ibid. n. 13. (16) Locc. c. (17) Man. t. 6. tr. 3. c. 5. (18) P. 25. n. 151. (19) Ib. v. An vero. (20) Q. 3. (21) T. 3. p. 155. n. 7. (22) C. 3. qu. 1. (23) Loc. cit. n. 9. (24) D. 31. s. 4. (25) D. 4. n. 2. (26) L. 2. c. 20 n. 3. (27) C. 3. q. 1. (28) Q. 2. p. 3. n. 11 (29) T. 3. p. 137. n. 7. (30) P. 9. n. 11.

muniter docent id non esse mortale, quia talis perversio ordinis non videtur tam gravis, cum ex vi ordinis nemo praeter sacerdotem et diaconum ex commissione habeatur specialiter deputatus ad baptizandum. Ex altera parte id non videtur excusari a culpa veniali, tum quia id videtur aliqualis indecentia: tum quia est contra praescriptum ritualis romani. Ita Sotus [1] Suar. [2] Gonet. [3] Petrocor. [4] Bon. [5] Holzm. [6] Spor. [7] Ronc. [8] Renzi [9] cum Laym. et Salm. [10] cum Vill. Leand. et Gabr.

Dubit. 5. An peccent graviter parentes qui faciunt baptizare prolem a praedicante, ad evitandas poenas edicti id praecipientis. La Croix [11] quamvis fateatur sententiam affirmativam tenendam uti absolute veram, tamen deinde affert rationes dubitandi, dicens quod eo casu non recognoscitur praedicans tamquam verus, sed potius tamquam validus minister, a quo exquiritur baptizatio ad vitandam vexationem, permittendo tunc fieri, non vero petendo impias eius caeremonias adhiberi. Sed omnino affirmandum id esse mortale, ut docent Less.[12] Pignat.[13] Holz.[14] cum Michel. Ratio quia per idem edictum poenale determinantur parentes ad veram religionem contemnendam, vel saltem ad falsam honorandam. Refertque Pignat. Clementem VIII. iam declarasse non licere extra necessitatem extremam, ne a schismaticis quidem petere sacramenta.

118. Hinc ultimo notandum 1. quod nec licite nec valide potest umquam aliquis baptizare seipsum, cum persona baptizantis omnino diversa esse debeat a persona baptizati. Ita communiter Cont. Tourn.[15] Conc.[16] et alii omnes, ex *c. 4. de bapt.* ubi id expressum habetur.

Notandum 2. quod graviter peccant qui per multum temporis diuerunt infantem baptizare. Id commune est apud omnes ex pluribus conciliis provincialibus quae decrevere pueros baptizandos quam cito fieri potest, et in ritual. rom. dicitur: *Parochus hortetur ne pueris sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Qualis autem reputetur dilatio gravis, Palaus [17] ex Suar. etc. putat dilationem ultra mensem esse gravem, si non adsit causa: si vero adsit, esse gravem duos menses. Fere idem sentit Laym.[18] dicens: *Nulla autem ordinarie necessitas urget, tametsi unum aut sesquimensem expectandum sit, donec cum decenti solemnitate baptismus infanti conferri possit, quamquam dilatio nonnisi ex gravi causa fieri debet.* Salmant. autem [19] censent non esse mortale minus differre quam ultra 15. vel 20. dies, etiam sine urgenti ratione. Iueninus contra, iuxta morem suum arctandi conscientias usque ad extremum, dicit ultra unum vel alterum diem baptisma differri non debere. Cont. autem Tour. [20] putat dilationem non extendendam ultra quinque vel sex dies. Petrocorensis [21] censet gravem dilationem excedentem octo dies. Sed communius et probabilius Sotus Leander et Ledes. apud Conc.[22] ac Ronc.[23] dicunt non esse gravem dilationem, nisi 10. vel 11. dies excedantur.

Notandum 3. quod prohibentur infantes baptizari domi, exceptis *liberis regum vel principum*, ut habetur ex *Clem. unica de bapt.* Et cum hic agatur de re gravi, transgressio erit equidem mortalis, ut recte dicunt Ronc. [24] Tambur.[25] et Sylv. ap. Croix [26]. Nomine autem *liberorum* veniunt non solum filii, sed etiam nepotes et alii descendentes ut notat Glossa [27]. Et in eo casu dicunt Pal. Conc. Tol. Sotus etc. cum Croix [28] con-

(1) In 4. dist. 4. a. 2. (2) D. 31. s. 4. v. Unde 3. (3) Man. t. 6. tr. 3. c. 5. (4) T. 3. p. 181. (5) P. 5. n. 12. (6) N. 121. (7) N. 35. (8) Q. 1. r. 2. (9) Q. 1. (10) De bapt. c. 4. p. 2. n. 7. (11) L. 6. p. 1. n. 231. et 232. (12) In Auctar. 1, Baptismus. (13) T. 7. consult. 55. num. 2. (14) T. 2. p. 27. n. 155. (15) De bapt. c. 5. solv. dub. v. Quaer. 9. (16) Pag. 157. n. 12. (17) P. 8. n. 4. (18) C. 6. n. 9. (19) De bapt. c. 5. p. 2. n. 12. (20) Loc. cit. v. Quaer. 4. (21) T. 3. p. 212. q. 13. (22) T. 8. p. 167. n. 19. (23) Q. 3. r. 2. (24) C. 3. q. 3. (25) C. 2. §. 3. n. 5. (26) N. 337. (27) In dict. Clem. v. Liberi, ex l. Liberorum, ff. de verb. signif. (28) N. 338.

tra alios solemniter conferendum esse baptismum, quia omissionem caeremoniarum solus casus necessitatis excusat. Nomine vero *principum*, opinantur Iordanus Riccius Quintanad. Croix [1] probabiliter venire omnes barones obtinentes temporalem iurisdictionem. Sed probabilius videtur cum Glossa [2] Ronc. [3] Suar. [4] Cont. Tourn. [5] Elbel [6] et aliis pluribus, intelligi tantum filios principum absolutam potestatem habentium. Item Laym.[7] cum Armil. censet graviter peccare magnates, qui extra necessitatem faciunt filios baptizare domi (vel etiam in ecclesia privatim, ut Sylv. [8] cum Nav. et Led.), ut deinde cum pompa caeremoniae perficiantur in ecclesia, postquam advenerint patrini, qui equidem, collato iam antea baptismo, nec patrini efficiuntur. His tamen non obstantibus, puto quod ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ipsa non est facile improbanda, ut ait Croix [9].

Art. II. An duo possint simul unum baptizare.

119. « Resp. 1. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit baptismus: quia dicens se abluere cum non abluat, formam habet falsam, etiamsi formam usurpet graecorum, *Baptizatur servus Christi*, vel quae putatur illi aequivalere, *Baptizat te Christus*: subintelligitur enim *per me*, alioqui, si excludatur persona ministri, ut sensus sit, baptizet te Christus, et non ego, sive non per me, forma nulla est. (Ita s. Th. [10] et alii communiter cum Salm. [11] et Conc. [12]. In casu tamen necessitatis posse sub conditione ita baptismum conferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret, caecus autem formam pronuntiaret, docet Hurt. [13] additque, debere talem, elapso periculo, iterum sub conditione baptizari. Vide Fill. [14] Diana [15] ex Chapeauvil. Marsil. etc. Bon. [16] Laym. [17] (Ita etiam Suar. cum Cai. Marsil. Leand. etc. apud Salm.[18].

120. » Resp. 2. Si plures ministri singuli abluant, et formam pronuntient, graviter peccant contra ritum ecclesiae. De valore sic solet distingui: 1. Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis, invalide baptizant, sive singuli dicant, *Ego te baptizo*, sive, *Nos te baptizamus:* quia forma, cuius sensus censetur esse absolute et independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. (Idem docet s. Th.[19] cum Suar. Vasq. et Salm.[20] communiter). 2. Si quisque per se intendat baptizare, independenter ab alio, valide baptizat, quia omnia requisita ponit; ut patet a simili in missa ordinationis, qua sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum episcopo, dummodo simul eodem instanti formam absolvant: si autem non simul absolvant, is tantum consecrat, vel baptizat, qui prius absolvit. Vide Fill.[21] et Bon.[22] Laym.[23] (Ita s. Th.[24] s. Bonav. cum Salm.[25] communiter contra Cai. et Marsil.)»

Dubium IV. Quis sit subiectum baptismi.

121. *Quis sit capax baptismi. An pueri et amentes.*
122. *De poenis rebaptizantium. An rebaptizantes sub conditione fiant irregulares.*
123. *De infante nondum nato. Remissive ad n.* 107.
124. *An baptizandi sint foetus abortivi. An plures eodem tempore.*
125. *An conferendus sit baptismus monstris.*
126. *An sint baptizandi filii infidelium, et quae in hoc puncto sint certa. Certum est* 1., *talem baptismum semper esse validum.*
127. 2. *Baptizandos esse filios, si parentes defecerint a fide. Quid si mansuri sint apud parentes haereticos.*
128. 3. *Si ipsi filii infidelium petant. Quid in dubio an careant ratione.*
129. 4. *Si sint in periculo mortis.*
130. 5. *Si sint positi extra curam parentum.* 6. *Si capti sint in bello.* 7. *Si parentes sint servi.*
131. 8. *Si unus parentum consentiat.*
132. *Dub.* 1. *An baptizari possint filii infidelium usu rationis carentes, invitis parentibus. Et an ii quos pater offert ut liberentur a morbo.*
133. 2. *An liceat vendere infantes parentibus paganis.*
134. *An et quando possit repeti baptismus sub conditione. Not.* 1. *Quid si adsit unus testis de baptismo collato.* 2. *Quid de adultis na-*

(1) Loc. c. (2) Ibid. v. Regum. (3) Loc. c. (4) D. 31. sect. 2. (5) Ibid. v. Quaer. 2. (6) T. 3. p. 45. n. 64. (7) C. 6. n. 9. (8) Q. 71. a. 4. (9) L. c. (10) 3. p. q. 67. a. 6. (11) De bapt. c. 4. p. 3. n. 23. (12) Pag. 156. num. 10.
(13) A. 2. diff. 6. (14) C. 4. (15) P. 3. t. 3. r. 26. (16) D. 2. q. 2. p. 4. n. 23. (17) Cap. 7. (18) Tr. 2. c. 4. p. 3. n. 31. (19) 3. p. q. 67. a. 6. (20) Ib. n. 23. (21) T. 2. c. 4. n. 72. (22) L. c. n. 23. (23) C. 7. (24) L. c. ad 3. (25) Ib. n. 23.

tis ex christianis. 3. Quid si pueri sint arrepti a barbaris.
155. De infantibus expositis.
156. De baptizatis ab obstetricibus et a laicis.
157. De baptizatis ab haereticis. Vide alia ap. Bus.
158. De effectibus baptismi.
159. De dispositione requisita in adultis baptizandis.

121. « Resp. 1. Subiectum capax baptismi est solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

» Resp. 2. Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui numquam usi sunt ratione, quia censentur eiusdem conditionis, cum infantibus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet baptismus, nisi ante amentiam petiverint. Vide Bon. [1] Laym. [2].

Unde resolves:

» 1. Si puer inter baptizandum nondum finita forma moriatur, baptismus est nullus.

122. » 2. Non valet baptismus iteratus, ideoque uterque tum rebaptizans, tum rebaptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, et iure civili subiacent poenae mortis. (Est certum cum Salm. [3]). Quas tamen poenas non videtur incurrere is qui, etsi sine iusta causa, rebaptizat sub conditione: quia intelliguntur de baptismo absolute dato, quando moraliter constet, priorem baptismum fuisse validum. V. Laym. [4]. Bon. [5].»

Certum est quod cum baptismus repetitur sine iusta causa, tam rebaptizans quam rebaptizatus fiunt irregulares [6].

Sed magna quaestio est inter dd. an rebaptizantes sub conditione et sine iusta causa, irregularitatem incurrant.

Prima sententia, quam tenent Suar. [7] Nav. [8] Bon. [9] Laym. [10] Pal. [11] Anacl. [12] Holzm. [13] Salm. [14] Croix [15] Pontas [16] cui non dissentit Cont. Tour. [17] dicit quod talis rebaptizans licet non excusetur a gravi sacrilegio, tamen non incurrit irregularitatem. Ratio quia leges poenales stricte intelligi debent et cum effectu, qui autem baptizat baptizatum sub conditione dicens: *Si non es baptizatus, etc.*, is revera non rebaptizat, quia conditio apposita actum invalidat; qui enim dicit: *Ego te baptizo si non es baptizatus;* idem est ac si diceret: *Ego te non baptizo.* Et ob eamdem rationem censent Anacl. [18] et Salm. [19] cum Bonac. Corneio et Avila, non incurrere irregularitatem, qui ob metum baptizaret baptizatum animo simulato.

Secunda sententia vero affirmat tales rebaptizantes irregularitatem non effugere, et hanc tenent Natal. Alex. [20] Conc. [21] Fill. [22] Renzi [23] cum Led. Sot. Victoria etc. Item noster ss. p. Benedictus XIV. [24] cum Sayr. Barbosa Ugolino Megala etc. Probatur ex catech. romano [25], qui reprehendens eos qui in ecclesia cum conditione rebaptizant pueros, quamvis exploratum habeant domi vere esse baptizatos, dicit: *Quod quidem sine sacrilegio id facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* Idemque refert n. pontifex fuisse sancitum in 3. synodo mediol. Insuper probatur ratione, quia, cum quis certo scit puerum esse baptizatum, et rebaptizat sub conditione, conditio apponitur in fraudem legis, et ideo habetur pro non apposita. Prima sententia, spectata ratione, non caret gravi fundamento; sed secunda, spectata auctoritate, videtur probabilior.

123. « 3. Nondum perfecte natus est baptizandus, si sit periculum, dummodo pars aliqua possit ablui; quia est homo vivus, nec certo constat esse incapacem. (*Vide dicta n.* 107. ubi diximus probabilem esse sententiam, quod possit infans sub conditione baptizari in utero matris si per instrumentum aqua tingi valeat).

124. » 4. Si dubium sit an infans vivat, baptizandus est sub conditione. »

(1) D. 2. q. 2. p. 6. c. 6. (2) C. 6. (3) De bapt. c. 6. p. 1. n. 4. (4) C. 5. (5) P. 5. (6) Ex c. 2. de apostat. et c. 4. dist. 50. (7) 3. p. disp. 51. sect. 6. d. 5. (8) Man. c. 27. n. 246. (9) De irreg. q. 3. p. 3. n. 4. (10) Eod. tit. c. 2. n. 1. v. 4. (11) T. 6. d. 6. pag. 16. n. 6. (12) Pag. 515. n. 11. (13) T. 1. pag. 416. n. 545. (14) Tract. 10. de censur. c. 8. p. 5. n. 61. (15) L. 7. n. 485. (16) V. Irregularitter, cas. 151, (17) Tract. de irreg. p. 3. c. 2. (18) Loc. cit. (19) Cit. n. 61. (20) De bapt. prop. 7. r. 3. (21) T. 3. p. 186. n. 15. (22) Tr. 20. n. 182. (23) De bapt. c. 3. q. 10. (24) In suis notif. t. 2. not. 84. n. 18. (25) P. 2. n. 57.

Dicit Natalis Alex. [1] quod nisi appareat evidens signum vitae in foetu abortivo, non est dandus baptismus, etiamsi adsit aliquod aequivocum signum. Si loquimur de baptismo absolute ministrando, recte sentit Natalis, sed loquendo de baptismo sub conditione conferendo, omnino dicendum cum Busemb. ut supra et Salm. [2] illum sine dubio ministrandum, quandocumque aliquod apparet dubium de vita prolis. Hinc optime censet Cardenas [3] Ronc.[4] Mazzotta [5] et Croix [6] cum aliis aa. gravissimis, omnes foetus abortivos, si per aliquem motum dent signum vitae, et non constat esse anima destitutos, semper esse baptizandos sub conditione, si vivant; maxime cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies anima informentur. Caeterum bene advertit Cont. Tour. [7] non debere baptizari carneam massam quae nullam habeat organorum dispositionem, cum ubique receptum sit, non prius infundi animam corpori, quam istud formatum fuerit; et tunc, ut baptizetur, requiritur ut *indicet aliquem motum vitalem*, prout praescribit rituale romanum [8].

« 5. Valide baptizatur, quem minister putat esse alium: aut licet sit puella, quam putat esse puerum; quia intendit baptizare praesentem. Aliud est in matrimonio quia intendit contrahere cum illa, quam putat. Bon. [9].

» 6. Valide, etsi extra necessitatem illicite, plures simul baptizantur, hac forma: *Ego vos baptizo etc.* Bon.[10]. (Ita s. Thom.[11] et rituale rom. ubi dicitur: *Quam formam (Ego vos baptizo etc.) solum in mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur, alias numquam, licet adhibere*).

125. » 7. Monstrum, quod capite et pectore formam hominis refert, est baptizandum; secus si bestialem refert. Quod si vero caput tantum sit ferinum, putat esse baptizandum Comitolus. Nav. tamen et alii volunt differendum, donec certius cognoscatur, nisi periculum mortis immineret: tum sub conditione baptizandum esse. (Quando dubitatur an monstrum sit homo, baptizandum absolute; si caput sit humanum, licet membra sint ferina, sub conditione vero, si caput sit ferinum et membra humana; hoc vero si prodierit ex congressu viri cum foemina: nam si prodierit ex viro cum bestia (quod incredibile puto), tunc baptizari semper deberet sub conditione; secus si ex foemina et bruto, tunc enim nullo modo baptizandum, quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili. Ita Bon.[12] et Cont. Tour. [13] cum s. Th. Henr. Possev. etc.) Quod si habeat membra hominis geminata, et dubitetur num sit unus homo an duo, duplex baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione; in ea parte qua membra apparent imperfectiora. Vide Laym. [14] Bon.[15] et rituale romanum[16]. (Servandum hic id quod habetur in rituali rom. ubi sic dicitur: *Illud vero de quo dubium est, una ne an plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita . . . vel pectora: tunc enim totidem erunt corda et animae... et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi. Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, si non es baptizatus etc.*).

126. » Resp. 3. Extra mortis periculum valide, non tamen licite, baptizantur ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio est quia vel auferuntur parentibus, et fit illis iniuria; vel relinquuntur, et fit iniuria sacramento, quod exponitur irreverentiae. Quod si tamen possint christiane educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his casibus: 1. Si

(1) De bapt. prop. 3. r. 3. (2) De bapt. c. 6. ¶. 1. n. 5. (3) In crisi 1. d. 15. c. 3. (4) C. 4. q. 4. r. 3. (5) T. 5. d. 2. q. un. c. 4. (6) L. 6. ¶. 1. n. 294. (7) De bapt. c. 7. sect. 2. concl. 2. (8) De bapt. parvul. (9) P. 4. n. 26. (10) P. 4 (11) 3. p. q. 67. a. 6. ad 2. (12) P. 6. n. 3. (13) Ead. concl. 2. (14) L. 5. tr. 2. c. 3. n. 12. (15) P. 6. (16) Tit. de baptismo.

parentes sint tua mancipia; tunc enim tui potius sunt, quam illorum. 2. Si parentes aliquando fuerint baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter; quia tunc ecclesia ius in eos habet. 3. Si alter parentum petat; tunc enim iusta eius voluntas iniustae alterius praeferenda est, in favorem prolis et fidei. 4. Si infans sit in periculo mortis. 5. Si rationis iam compos puer petat, quia in negotio religionis est sui iuris. In dubio autem de usu rationis, sufficit esse 7. annorum. Vide Laym. [1] Fill. [2] Bon. [3].»

Quaeritur an filii infidelium valide et licite possint baptizari invitis parentibus. Ante omnia hic notanda plura quae in hoc puncto sunt certa. Certum est, 1. tale baptisma validum esse, ut communiter dicunt Cont. Tourn. [4] Lugo [5] Salm. [6] cum s. Anton. Suar. Vasq. Laym. Conc. Bonac. et aliis passim (contra Catharinum et Durandum). Idemque docet n. ss. p. Bened. XIV. [7]. Idemque prius docuit d. Aug. [8] qui de hoc rationem dedit, dicens: *Non enim scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.*

127. Certum est 2. quod si parentes deficerent a fide ad infideles, bene possunt eorum proles ipsis invitis, baptizari; quia sicut ecclesia habet potestatem coercendi parentes ad fidem observandam, ita potest filios ab ipsis auferre. Ita communiter Suar. [9] Laym. [10] Natal. Alex. [11] Pal. [12] Cont. Tourn. [13] Sporer [14] Antoine [15] Ronc. [16] Holzm. [17] Salm. [18] et alii passim. Et idem dicendum, si unus tantum parentum fuerit prius fidelis, ut communiter dicunt Croix [19] Antoine Ronc. [20] Salm. [21] Suar. Laym. etc. Quid vero si proles sit mansura apud parentes haereticos? Negant tunc posse baptizari Suar. [22] et Salm. [23] cum Conc. etc., quia (ut dicunt) tunc obstat periculum proximum, quod proles pervertatur. Sed probabilius affirmant Laym. [24] et Croix [25] cum Aversa Gob. Arsdekin, et probabile putat Palaus [26]. Ratio, tum quia non est certa perversio talis prolis, cum plures pueri in infantia decedant: tum quia idem periculum urget si proles non baptizetur; baptizatur enim ab haereticis, a quibus verum quidem baptisma confertur. Secus vero dicendum si baptismus a quibusdam haereticis invalide conferatur, ut accidit apud lutheranos, anabaptistas et calvinianos, quia tunc horum proles habentur tamquam filii infidelium, prout ait Croix [27] cum Dic. Caeterum filii haereticorum vere baptizatorum licite baptizantur, parentibus invitis, quando obstringi possunt, ut filios instruant in fide catholica; quos alias licite possunt superiores ecclesiastici ab eis avellere, ut catholice educentur. Ita Laym. [28] et Croix [29] cum Aversa Dic. etc.

128. Certum est 3. quod si filii infidelium habeant usum rationis et baptismum petant, possunt et debent baptizari, adhuc reluctantibus parentibus. Ita Iuen. [30] Cont. Tourn. [31] Lugo [32] Natal. Alex. [33] Laym. [34] Pal. [35] Ronc. [36] et s. p. Bened. [37] ex d. Th [38] qui idem docet, inquiens: *Si autem habent usum rationis . . . iam quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturulis, incipiunt* (filii) *suae potestatis esse; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere.* Et postquam filius invitis parentibus est baptizatus, potest et debet ecclesia ipsum ab eis segregare, ut a periculo perversionis avertatur; ita Laym. [39] Pal. [40] Salm. [41] ex conc. Tol. 4. relato in *c. de Iudaeis*

(1) Loc. c. (2) T. 2. c. 6. (3) P. 6. n. 12. (4) De bapt. c. 7. sect. 2. post concl. 2. v. Circa. (5) Resp. mor. l. 1. dub. 3. (6) De bapt. c. 6. p. 2. n. 10. (7) Instruct. ad Vicesgerentem quae incipit Postremo mense. (8) Ep. 93. alias 23. (9) D. 25. sect. 3. (10) L. 5. c. 6. n. 11. (11) Prop. 3. reg. 1. (12) P. 6. n. 9. (13) Loc. cit. v. Suppono 2. (14) T. 3. p. 192. n. 52. (15) De bapt. q. 13. (16) Eod. tit. q. 2. (17) T. 2. n. 141. (18) De bapt. c. 6. p. 2. n. 15. (19) L. 6. p. 1. n. 299. (20) Locc. cc. (21) Ibid. (22) D. 25. sect. 5. (23) Ibid. n. 16. (24) C. 6. n. 12. q. 5. (25) N. 307. (26) N. 10. (27) N. 303. (28) N. 11. (29) N. 303. (30) T. 7. p. 174. (31) Ib. v. Suppono 3. (32) Resp. mor. l. 1. dub. 4. (33) Prop. 3. reg. 6. (34) N. 10. (35) N. 5. (36) Q. 2. (37) L. c. (38) 3. p. q. 68. a. 10. (39) C. 6. q. 5. (40) P. 6. n. 8. (41) De bapt. c. 6. p. 2. n. 14.

5. *d.* 45. et confirmat s. p. Bened. XIV. Sed quid agendum, si dubium sit an puer habeat vel ne plenum usum rationis? Cont. Tourn.[1] Ronc.[2] cum Pas. et s. p. Bened. dicunt posse baptizari puerum, si septennium compleverit, quia tunc praesumptio stat pro usu rationis. Alii vero, ut Suar. Vasq. Con. apud Lugo[3] Sotus[4] Layman[5] Croix[6] Roncagl.[7] cum Candido et Pasq. item Con. Cabrera Ochag. ap. Lugo[8] dicunt posse puerum baptizari, adhuc non completo septennio, quia in dubio decidendum est in favorem fidei; idem sentit Suar.[9] quamvis hic moneat expectandum usque ad perfectum usum rationis. Melius tamen s. p. Bened. cum Lugo[10] docet in dubio rationis ante septennium puero petenti baptizari omnino differendum baptismum, donec constet de perfecto ipsius rationis usu: sed sapienter addit illum tunc omnino avocandum a parentibus, et in loco tuto custodiendum. Nec obstat eo casu regula quod in dubio melior est conditio parentum possidentium potestatem supra filium: nam recte respondet d. pontifex cum Lugo hanc regulam procedere in pari causa: sed in nostro casu potior est causa filii, cum hic agatur de levi detrimento parentum, nempe quod ad modicum tempus sua potestate priventur; contra vero agitur de maximo damno filii, nempe de sua morte aeterna: unde hic potius alia urget regula, nimirum quod in dubio magis innocenti, quam nocenti favendum est.

129. Certum est 4. posse et debere baptizari prolem si ipsa sit in periculo mortis. Ita communiter omnes dd. citati cum s. p. Bened. XIV. qui de hoc affert duo decreta s. c. Dicunt autem Salm.[11] quod ad hanc prolem baptizandam requiritur, ut moraliter de ipsius vita desperetur; sed melius loquuntur Bus. *ut supra*, Lay.[12] Ronc.[13] Antoine[14] et Croix[15] Pal.[16] Spor.[17] dicentes prolem esse baptizandam, quandocumque imminet periculum certum sive proximum de sua morte.

130. Certum est 5. quod si filius infidelium iuste vel iniuste sit positus extra curam parentum, nec sit timor quod ad eos sit reversurus, tunc bene potest baptizari. Ita communiter Iuenin.[18] Cont. Tourn.[19] Conc.[20] Natal. Alex.[21] Pal.[22] Sporer[23] Holzm.[24] Elbel[25] Salm.[26] Laym.[27] cum Soto Vasq. Azor. et aliis passim. Idemque docent Conc.[28] et ss. p. Bened. cum Az. Cleric. Sessa etc. de filiis ab infidelibus expositis vel derelictis, etiamsi parentes eos deinde repetant; et hoc ex *cap.* 1. *de infantibus et languid. expos.* ubi dicitur: *Si a patre vel ab alio, sciente ipso aut ratum habente (relegato pietatis officio), infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.* Idem dicendum de filiis infidelium perpetuo amentibus, ut docent Laym.[29] Salas[30] Anacl.[31] Salm.[32] Sporer[33] Roncag.[34] Holzm.[35]. Ratio quia tunc cessat periculum perversionis, neque tunc filii extraherentur a potestate parentum, qui super amentes nullam potestatem habent, cum ipsi sint directionis incapaces.

Certum est 6. filios infidelium in bello captos bene posse baptizari, parentibus invitis; ita Gonet[36] Iuenin.[37] Viva[38] et Bened. XIV. cum Suar. et Corn. a Lap. quia lege belli captivi non amplius ad parentes, sed ad dominos pertinent.

Certum est 7. etiam licite baptizari proles infidelium, qui sunt mancipia christianorum, ut Bus. *supra*, Gonet[39] Iuen.[40] Conc.[41] Antoine[42] Nat. Alex.[43] Ronc.[44] Pal.[45] Vig.[46] Laym.[47] Spor.[48] Holz.[49] Elbel[50] Pal.[51] Croix[52]. Ratio

(1) Ibid. (2) Tr. 17. q. 1. c. 4. r. 1. (3) L. c. (4) In 4. d. 5. a. 10. dub. 2. (5) L. c. (6) N. 506. (7) Ibid. (8) Dub. 4. n. 2. (9) D. 25. sect. 3. (10) Loc. cit. n. 2. (11) De bapt. c. 6. p. 2. n. 33. (12) N. 10. (13) Q. 2. (14) Q. 13. (15) N. 503. (16) N. 14. (17) N. 53. (18) T. 7. p. 174. (19) L. c. v. Suppon. 5. (20) T. 3. p. 176. n. 10. (21) Prop. 3. reg. 5. (22) N. 7. (23) N. 65. (24) N. 141. (25) T. 3. n. 32. (26) L. c. n. 32. et 34. (27) C. 6. n. 10. (28) L. c. (29) C. 6. n. 10. (30) P. 3. n. 15. (31) P. 546. n. 10. (32) Ibid. n. 57. (33) N. 55. (34) Q. 2. (35) N. 141. (36) Man. t. 6. tr. 3. c. 6. (37) Pag. 174. (38) Q. 2. a. 6. n. 3. (39) Ibid. (40) P. 172. (41) P. 172. (42) Q. 13. (43) Prop. 3. (44) Q. 2. (45) P. 6. n. 18. (46) Ex. 3. n. 62. (47) N. 10. (48) N. 53. (49) N. 141. (50) N. 52. (51) N. 54. (52) N. 509.

quia domini, cum habeant dominium in parentes, habent etiam in ipsorum filios.

131. Certum est 8. quod si unus parentum consentiat, altero reluctante, bene infans baptizatur, ut Bus. *supra*, Petrocor. [1] Iuenin. [2] Nat. Alex. Cont. Tourn. [3] Salm. [4] cum Pal. Azor. Suar. et communi, Laym. [5] Anacl. [6] Pal. [7] Spor. [8] Holzm. [9] Elbel [10] et n. ss. p. Bened. XIV. [11]. Et idem dicendum, si mortuo patre, avus paternus consentiat in baptismum pueri, matre reluctante, ut Cont. Tour. [12] cum Sylvio Salm. [13] cum Nav. Laym. et Val. ac p. Bened. XIV. ex auctoritate Gregor. XIII.

132. Dubitatur autem 1. An utroque parente infideli reluctante, possint baptizari eorum filii usu rationis carentes. Resp. Si filii sint mansuri in potestate parentum, nullo modo licet eos baptizare, ut decrevit s. c. sancti offic. die 3. martii 1703. apud praefatam instruct. n. p. Bened. XIV. quia tunc certum imminet periculum perversionis. Dubium igitur vertit, si tale periculum non adsit, nempe si filii subtrahantur a potestate parentum.

Prima sententia communior negat, et hanc tenet d. Th. [14] quem sequuntur Gonet [15] Conc. [16] Wigandt [17] Nat. Alex. et alii thomistae communiter; item Tourn. [18] Salm. [19] Iuen. [20] Petroc. [21] Antoine [22] Croix [23] Laym. [24] Roncaglia [25]. Ratio quia subtractio filiorum a potestate parentum cederet in eorum iniuriam, cum ipsi naturale ius habeant super filios.

Secunda sententia vero, quam tenet Scotus [26] quem sequuntur Frassen. [27] Holzm. [28] cum Mastrio Bosco Henriq. et aliis scotistis communiter; item Pichler [29] et Cont. Tourn. [30] ac probabilem putat Estius [31] censet licitum esse huiusmodi filios baptizare, saltem auctoritate publica, et ex consensu principis. Haec sententia per se loquendo non videtur sua probabilitate carere, interveniente enim periculo salutis aeternae filiorum, parentes non habent ius in eos; et sicut potest eripi filius a parentibus, ne ipsi inferant ei mortem corporis, tanto magis eripi valet, ut a morte animae liberetur. Dixi *per se loquendo;* nam spectatis circumstantiis, haec sententia vix videtur posse in praxim deduci ob graviora mala, quae comitarentur huiusmodi baptismos. Et ideo ecclesia, ut testatur d. Th. numquam morem habuit baptizandi filios infidelium ipsis invitis. Insuper advertendum quod pro filiis hebraeorum adest constitutio Iulii III. (relata a Pignatello [32] et n. p. Bened. XIV.) qui imposuit suspensionem, et poenam mille ducatorum baptizantibus filios hebraeorum, reluctantibus parentibus. Idque confirmavit s. c. concilii die 16. iulii 1639. (apud eumdem Bened.) statuens nullo modo baptizandos filios hebraeorum sine ipsorum consensu, donec perveniant ad legitimam aetatem.

An autem baptizandus sit filius, quem pater iudaeus offerat ad baptismum, ut liberetur a morbo. N. p. Bened. affert decretum c. s. offic. editum die 24. septemb. 1699. quo statutum fuit illum esse baptizandum. Sed, ut diximus supra, postqam talis puer est baptizatus, avelli debet a parentibus, ut christiane educetur.

133. Dubitatur 2. An liceat vendere filios non baptizatos parentibus infidelibus. Negat Hurtad. [33] quia id videtur esse contra christianam caritatem; sed communius et satis probabiliter affirmant Suar. [34] Laym. [35] Pal. [36] Tamb. [37] et Bon. [58] cum Vasq. Con. Fill. Henr. et aliis. Ratio quia per se non est intrinseco malum restituere filios parentibus; et

(1) T. 4. p. 191. (2) L. c. (3) Ib. v. Suppon. 4. (4) De bapt. c. 6. p. 2. n. 17. (5) N. 10. (6) N. 10. (7) N. 11. (8) N. 53. (9) N. 141. (10) N. 52. (11) Ex conc. tolet. 4. can. Iudaei caus. 28. qu. 1. c. 10. et cap. Ex litteris 2. de convers. in. (12) L. c. (13) Ibid. n. 19. (14) 2. 2. qu. 10. art. 2. (15) T. 6. tr. 3. c. 6. (16) P. 172. n. 4. (17) N. 62. (18) Pract. theol. de bapt. q. 3. a. 3 tit. Utrum infid. (19) Ib. n. 20. (20) T. 7. p. 173. (21) T. 3. p. 191. (22) Qu. 13. r. 4. (23) Lib. 6. p. 1. n. 298. (24) C. 6. n. 10. (25) Qu. 2. (26) In 4. dist. 4. q. 9. n. 2. (27) T. 10. p. 299. (28) T. 2. p. 30. (29) Tit. 6. n. 14. (30) De bapt. c. 7. s. 2. concl. 3. (31) L. 4. dub. 6. §. 2. (32) T. 4. consult. 192. (33) De bapt. d. 3. diff. 5. (34) D. 23. sect. 6. (35) C. 6. n. 10. v. Porro. (36) N. 6. et 20. (37) De bapt. c. 3. n. 17. (38) Q. 2. p. 6. n. 14.

contra videtur non esse obligationem alendi et educandi tales pueros, sine ulla utilitate, cum caritas ad tantum onus non obliget, quando filii non sunt in extrema necessitate. Sed huic rationi non omnino acquiesco; melior videtur ratio communis pacis servandae, quia, si prorsus negarentur filii infidelibus expetentibus, damnum oriretur quod nec etiam ipsi redderent christianos captivos, cum magno discrimine perversionis; magis autem incumbit ecclesiae curare ut sui fideles servent fidem, quam ut infideles ad fidem ducantur. Hinc testantur Pal. et Laym.[1] cum Henriq. Vasq. et Con. iam consuetudine introductum esse, ut filii captivi, nullo eis collato baptismo, saracenis et haereticis restituantur.

134. « Quaeres: An baptismus aliquando repeti possit, et qua forma.

» Resp. Cum temere rebaptizare sit mortale ex obiecto, quia est in genere sacrilegii, dum conaris ministrare sacramentum incapaci; hinc ad hoc ut non liceat rebaptizare, non requiritur certitudo de baptismo, sed sufficit si pro eo sint coniecturae, ut v. g. quod quis natus et educatus sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicuius momenti occurrant; leve enim vel metaphysicum dubium non sufficit, sed requiritur grave et morale, vel saltem rationabile. In quo inclinandum esse in favorem baptizandi, recte monet Laym.[2] ex Suar. et aliis.»

In huiusmodi dubiis attendenda est regula communiter a dd. recepta, quod ad iterum conferendum baptismum baptizato sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens sive rationabile dubium, an sacramentum fuerit vel ne receptum; ita Suar.[3] Laym.[4] Salm.[5] Bonac.[6] Pal.[7] cum Con. Val. et communi. Dubium autem vel potest esse iuris vel facti. Quando dubium est iuris, nempe quando aliquis est baptizatus cum materia, forma aut intentione dubia, tunc certe baptismus est iterandus sub conditione, prout communiter docent Suar.[8] et Salm.[9] cum d. Thom.[10] (*vide dicta n.* 27.). Dubium facti est quando dubitatur an datus sit vel ne baptismus; et tunc si dubium est negativum, eo quod nulla habeantur indicia hominem esse baptizatum, sine haesitatione hic est sub conditione baptizandus, ut recte ait Suar.[11] ex *can. Cum itaque* 112. *de consecr. dist.* 4. ubi s. Leo id docet dicens: *Non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur.* Et in *can. seq.* 113. idem s. pontifex de hoc rationem affert: *Quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Quando vero dubium facti est positivum, etiam baptismus est iterandus, quando utrinque adsunt apparentes non leves coniecturae, quae rem dubiam efficiunt, unde in concil. carthag. 5. relato in *c. Placuit* 111. *dist.* 4. *de consecr.* sic dicitur: *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur... absque ullo scrupulo esse baptizandos.*

Hic tamen notandum 1. cum Suar.[12] Holzm.[13] Salm.[14] cum Laym. Pal. Bon et n. ss. p. Bened. XIV. *in suis notific.* cum Glossa in *dict. can. Cum itaque*, et in *c. Nuper de testib.* ac communi, ad id sufficere unum testem ocularem fide dignum. Et hoc etiamsi testis sit foemina, ut Bus. *infra n.* 137. cum Laym. Secus vero si adsunt testes positive oppositum deponentes. Vide Croix[15]. Notandum 2. quod baptizandi non sunt, neque sub conditione adulti qui nati sunt ex parentibus christianis, et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti baptismi, ut expressum extat in *c. Veniens* 3. *de presb. non baptiz.* ubi sic dicitur: *Et certe de illo qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda donec evidentissimis forsitan argumen-*

(1) Loc. cit. (2) C. 5. n. 3. et 4.
(3) D. 22. sect. 2. v. Sed quaeres.
(4) C. 5. n. 4. (5) De bapt. c. 6. p. 4. n. 55.
(6) D. 1. qu. 2. p. 1. n. 36. (7) P. 15. n. 3.
(8) Loc. cit. (9) De bapt. c. 6. p. 4. n. 56.
(10) Q. 66. a. 9. ad 4. (11) Loc. cit.
(12) Loc. cit. (13) P. 30. n. 144.
(14) Ibid. n. 62. (15) N. 512.

tis contrarium probaretur. Hoc tamen intelligendum, modo pro contraria parte graves non occurrant rationes, ut bene advertunt Bus. *ut supra* et Laym.[1] qui sic ait: *Nihilominus existimo interdum etiam adulto inter fideles educato conferendum esse baptismum, sub conditione, si tales coniecturae adsint (puta quia v. gr. a veneficis parentibus natus est, a diabolo valde infestatur, nec sciri potest ullo indicio, ubi vel a quo baptizatus fuerit), quae praesumptionem accepti baptismi tollant et contrarium verisimile efficiant.* Refert autem p. Zacharia[2] censuisse s. congr. baptizandam esse sub conditione quamdam mulierem, eo quod nullum potuerit reperiri vestigium baptismi, nec matrimonii parentum assertorum. Notandum 3. quod si infans aliquis arreptus sit a barbaris, et dubitetur an captus fuerit ante vel post baptismum; tunc omnino baptizandus est sub conditione, ut cum communi dicunt Pal.[3] Salm.[4] et alii, ex *c. Parvulos* 10. *d.* 4. *de consecr.* ubi Gregor. III. id expresse definivit.

135. « 1. Sub conditione baptizandi sunt, 1. qui cum materia et forma aut intentione dubia (secundum supradicta) sint baptizati. 2. Infantes expositi et reperti sine scheda testante de baptismo; secus si cum ea. Ita communiter. Quintan. tamen[5] contendit etiam hos esse baptizandos. 3. Baptizati ab obstetricibus veneficis, praesertim si fassae, vel convictae fuerint, aliquando non recte baptizasse. Laym.[6]. »

Quaeritur an infantes expositi sint baptizandi. Si isti exponantur sine schedula, sine dubio sunt baptizandi, nisi alias constaret fuisse rite baptizatos, ut recte dicunt Busemb. et Salm.[7] cum Suar. Soto Laym. et aliis communiter. Quaestio est an baptizari debeant pueri expositi cum scheda.

Prima sententia negat, quam tenent Busemb. *ut supra* et Pal.[8] laudans Sot. Vasq. Laym. et Bon., quia testimonium illud moralem inducit certitudinem, cum nequeat rationabiliter credi, parentes, qui catholici esse praesumuntur, velle suam prolem tanto sacramento privari.

Secunda sententia vero verior et communior recentiorum docet omnes hos esse baptizandos sub conditione, quoties non habetur moralis certitudo de baptismo collato et rite collato, alias semper remanet prudens dubium de suo valore. Ita Petr.[9] Holzm.[10] Ronc.[11] Nat. Alex.[12] Conc.[13] Elbel[14] Croix[15] cum Quint. Gob. etc. Cont. Tourn.[16] cum Sylvest. et Henno ac Spor.[17] cum Marchant. et synodis cameracensi, narbonensi, aquensi et tholosana, idemque sentit n. p. Bened. XIV. *dict. notif.* qui affert concilium mediolanense sic statuens: *Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisita, quemadmodum catechismo romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, sub conditione baptizetur.* Item affert declarationem s. congreg. concilii die 15. ianuarii 1724. ubi dictum fuit huiusmodi infantes expositos, etiam cum scheda de baptismo collato, esse sub conditione baptizandos, quamvis sint in aetate unius anni cum dimidio. Et hoc videtur esse quidem iuxta mentem ritualis rom. ubi dicitur: *Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Excepit tamen s. c. in praefata declaratione a baptismo sub conditione schedulas quae haberent certitudinem, iuxta instructionem alias datam.

136. « 2. Infantes ab obstetricibus vel parentibus vel cognatis etc. ob necessitatem baptizatos, promiscue omnes sub conditione rebaptizare (quando obstetrices bonae et bene instructae censentur) non licet; quia de valore baptismi prudenter et rationabiliter dubitari non potest. Suar. Laym.[18], qui

(1) C. 5. n. 4. (2) Adn. ad Croix l. 6. p. 1. n. 310.
(3) P. 13. n. 8. (4) De bapt. c. 6. p. 4. n. 53.
(5) T. 1. sect. 13. et 14. (6) C. 5. n. 3.
(7) Ib. n. 57. (8) P. 13. n 5. (9) T. 3. p. 211. q. 11.
(10) P. 31. n. 147. (11) C. 4. q. 5. r. 2.
(12) Prop. 7. reg. 6. (13) P. 185. n. 10. (14) T. 3. p. 46. n. 64. (15) N. 318. (16) De bapt. c. 8. a. 3.
(17) P. 196. n. 72. (18) L. 5. t. 2. c. 5.

tamen contrariam consuetudinem quorumdam parochorum damnare non audent, eo quod experientia didicerint, obstetrices non raro fuisse deceptas a diabolo, ideoque revera periculum aliquod sit animae, ob quod irreverentia cesset: additque eam consuetudinem approbatam fuisse a pastorali romano edito Antverpiae 1607.; eamque sententiam tenet Sylv. apud Dian.[1] et ipse Dian.[2] cum aliis 2. censet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab haereticis, licet sint adulti; quod c. de Lugo[3] recte limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiae, formae, vel intentionis. Denique etiam Quintan.[4] docet, infantes supradictos fere omnes rebaptizari posse sub conditione. »

Quaeritur 1. An sint rebaptizandi infantes ab obstetricibus sive laicis baptizati. Alii affirmant, ut Sylv.[5] et Farvacquesius ac synodi mechliniensis et iprensis apud Conc.[6]. Alii vero, ut Cont. Tourn.[7] cum synodis ebroicensi rothomagensi etc., sentiunt hos semper esse rebaptizandos sub conditione, quoties tamen desunt ad minus duo testes fide digni de baptismo rite collato. Sed communissima et vera sententia docet, tunc tantum tales pueros esse rebaptizandos, quando adest probabilis suspicio erroris in dato baptismo; ita Bus. ut supra et Suar.[8] Conc.[9] Nat. Alex.[10] Laym.[11] Holz.[12] Pal.[13] cum Con. Croix[14] cum Gob. et Quint. Salm.[15] cum Bon. Et ita censuit s. c. (ut refert p. Zacharia apud Croix[16]) dicens pueros domi baptizatos non esse rebaptizandos, nisi adsit probabile dubium invaliditatis. Secus vero dicendum, si in examine parochus constanter deprehendat obstetricem illam, sive laicum rite baptizasse, ut dicunt aa. praefati, quibus consentit Estius[17] cum Soto Petro de Palude et Sylv., qui dicit non esse baptizandos, *cum obstetrix interrogata testetur se rite totum mysterium peregisse.* Id confirmat s. Carolus Borr.[18] dicens: *Si, re accurate investigata* (parochus), *exploratum habuerit puerum forma servata baptizatum esse, caveat omnino ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat.* Idemque licitur in catech. rom.[19] ubi: *Ea baptismi forma* (scilicet conditionata) *ex Alex. papae auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint; aliter vero numquam fas est, etiam cum adiunctione, baptismum alicui iterum administrare.* Notandum autem 1. quod, postquam aliquis privatim baptizatus est, consuetae caeremoniae et ritus in ecclesia suppleri debent, ut dicunt Salm.[20] cum communi ex rituali rom. Notandum 2. quod, cum baptismus reiterandus est, puto cum Croix[21] etc. omnino servandum ordinem descriptum *n.* 117. quidquid aliqui dicant. Potest tamen dari in quocumque loco, si peractae iam sint solemnitates in ecclesia, ut dicunt aliqui apud Croix[22]. Notandum 3. cum Croix[23] quod in collatione talis baptismi non est praemittenda confessio, sed sufficit praemitti dolor de peccatis.

137. Quaeritur 2. An debeant rebaptizari pueri ab haereticis baptizati. Certum est de fide ex Trid.[24] validum esse baptismum collatum ab haereticis, quando omnia requisita ad sacramentum adhibentur. Sed merito putant Gob. Dic. et Quintan. ap. Croix[25] pueros baptizatos a praedicantibus (et idem ait Sylvius praecise de baptizatis ab anglis, ac Cont. Tour.[26] de cunctis baptizatis a lutheranis et calvinianis) omnes esse rebaptizandos, saltem sub conditione, quia facile dubitari debet de materia, forma et intentione talium ministrorum, cum ipsi hoc sacramentum non iudicent absolute necessarium; propter quod parum curant de neces-

(1) P. 5. t. 13. r. 86. (2) P. 9. t. 6. r. 33.
(3) Resp. mor. l. 1. d. 2. (4) T. 1. sect. 6.
(5) 3. p. q. 66. a. 9. (6) P. 134. n. 9. (7) L. c.
(8) D. 31. sect. 6 (9) L. c. (10) Prop. 7. reg. 5.
(11) C. 5. (12) P. 151. n. 185. (13) P. 13. n. 7.
(14) N. 321. (15) De baptismo c. 6. p. 4. n. 60.
(16) L. 6. p. 1. n. 323. (17) In 4. dist. 4. §. 13.
(18) Instruct. de bapt. (19) De bapt. n. 37.
(20) De bapt. c. 6. p. 1. n. 60. (21) L. 6. p. 1. n. 325. (22) Loc. c. (23) N. 325. (24) Sess. 7. can. 4. (25) L. 6. p. 1. n. 322. (26) Ibid.

sariis requisitis: aliis adhibentibus aquam rosaceam: aliis dividentibus materiam a forma, ita ut alter verba proferat, alter aquam infundat: aliis aquam tantum super vestes infundentibus. Et ideo, cum tot urgeant motiva dubitandi de valore talium baptismatum, merito dicimus, ordinarie loquendo, illa sub conditione repetenda. Caeterum censuit s. c. (ut refert p. Zacharia ap. Croix [1]) non esse rebaptizandos pueros baptizatos ab haereticis, nisi in eo loco praedicantes non observarent requisita ab ecclesia catholica ad valorem sacramenti.

« 3. Peccat graviter minister, 1. qui non rebaptizat eum de quo rationabile dubium iuris vel facti manet, num valide sit baptizatus; quia tenetur proximum liberare a probabili periculo gravis mali, cum facile potest; Laym. [2] Quint. [3]. 2. Si non diligenter inquirat in talis baptismi valorem, nisi de hoc aliunde constet; Quintan. [4].

» 4. Non est rebaptizandus, de cuius baptismo habetur testimonium unius oculati testis, licet foeminae: dummodo non sit suspecta, nec aliud obstet. Laym. [5].

» 5. Qui vere et rationabiliter dubitat de suo baptismo, tenetur petere baptismum, et parochus ei conferre, Quintan.[6], et interea abstinere ab usu aliorum sacramentorum.

» Resp. 2. Baptismus sub conditione hac forma conferendus est: *Si baptizatus es, non te baptizo; si nondum es baptizatus ego te baptizo in nomine etc.* Ac licet sufficiat sola mente conditionem apponere, si ex omissione non timeatur scandalum; tutius tamen est exprimere verba saltem ista: *Si non es baptizatus etc.* Vide Tolet. [7] Layman [8] Suar. [9] Fill. [10]. Patrinus autem in hoc baptismo necessarius non est, nec adhibendus, Quint. [11]. »

138. Pro complemento huius puncti quaeritur 1. Quinam sint effectus sacramenti baptismi. Resp. 1. Effectus est remissio omnis peccati originalis et actualis ante baptismum commissi ut habetur in catech. rom. [12] et Trid. [13]: *In renatis nihil odit Deus.* Remanet tamen in iis peccati fomes, qui non est peccatum, et si ei resistitur gratia Iesu Christi, proderit ad coronam. 2. Effectus est condonatio omnium poenarum pro peccatis debitarum. Ita in catech.[14] ex Trid.[15] ubi: *Ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.* Vide Salm. [16] 3. Est largitio divinae gratiae, qua filii Dei et coeli haeredes efficimur, ut ex Trid.[17]. 4. Characteris impressio. 5. Ut baptizatus fiat ecclesiae membrum, et illius auctoritati subiiciatur.

139. Quaeritur 2. Quae dispositio requiratur in suscipiente baptismum. Resp. In infantibus eorum voluntatem supplet Christus et ecclesia. Est certum ex Trid. [18] ubi dicuntur parvuli baptizari *in sola fide ecclesiae*, quamvis actu proprio non credant. In adultis autem requiritur intentio saltem habitualis, id est habita et non retractata. Salm. [19] cum Con. Pal. Bon. et commun. *Vide dicta n.* 81. *v. Certum.*

Hinc infertur 1. baptismum valide conferri, etsi recipiatur per metum gravem, secus autem, si recipitur per meram vim, animo omnino renuente. Suarez Bonacina Pal. cum Salmanticens. [20] ex toletano IV. [21]. Infertur 2. validum etiam esse baptismum collatum dormienti vel amenti, qui sui compos antea petierit. Pal. Henriquez etc. cum Salmant. [22]. Bene tamen advertit Suar. quod ad licite ministrandum tunc baptismum, requiritur aliqua necessitas, nempe si amentia censeatur perpetua, vel si homo sit in probabili periculo mortis; et tunc satis est si sufficientia indicia volenti baptismum antea illa praestiterit, quae indicia sufficiunt etiam ad praesumendam debitam poenitentiam habitam de peccatis, nisi constet suscipientem post mortale in amentiam incidisse. In dubio autem de

(1) L. 6. p. 1. n. 322. (2) L. c. (3) L. c. (4) T. 1. sect. 6. et 7. (5) L. c. (6) L. c. sect. 15. et 19. (7) L. 2. c. 19. (8) L. c. (9) D. 51. (10) T. 2. c. 4. a. 9. (11) L. c. s. 18.

(12) N. 42. (13) Sess. 5. §. 5. (14) N. 45. (15) D. §. 5. (16) De bapt. c. 5. p. 3. n. 22. et 23. (17) Sess. 6. c. 7. (18) Sess. 7. c. 13. (19) De bapt. c. 6. p. 3. n. 40. (20) Ibid. n. 42. (21) C. 56. (22) Ibid. n. 45.

petitione, baptismus est conferendus sub conditione. Salm.[1] cum Bon. Henr. etc. *Vide dicta n.* 81. *v. Utrum.*

Requiritur etiam in adulto, ad licite recipiendum baptismum, fides et poenitentia. Quoad fidem, requiritur ut sciat sacramenta (saltem baptismum, eucharistiam et poenitentiam), praecepta decalogi, saltem crasso modo, et orationem dominicalem; ultra quatuor illa scitu necessaria, id est Dei existentiam, Deum remuneratorem esse, Trinitatem et incarnationem passionemque D. N. I. Christi. In urgente autem periculo mortis, sufficit scire haec quatuor ultima, ut bene dicunt Sanch. et Sot. cum Salm. [2]. Quoad poenitentiam autem requisitam, requiri contritionem tenent Nav. et alii. Sed verius Gonet [3] Suar. [4] Canus [5] Salm. [6] cum Val. Soto Henr. Gran. et aliis pluribus, tenent sufficere attritionem, quin sit caritate formata; idque expresse docuit d. Th.[7], qui docet quod *non inconvenienter* (homo) *accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis.* Utique, si requireretur contritio, iste non posset accedere cum conscientia peccati mortalis; ipse enim s. doctor docuit alibi [8] quod, *quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergo si accederet cum quacumque parva contritione, profecto sine peccato accederet. Sed clarius id expressit [9] dicens: *Ad hoc, ut homo se praeparet ad gratiam in baptismo percipiendam, praeexigitur fides, sed non caritas: quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio.* Nescio huic quid respondere possint adversarii, si dicere vellent s. Thomam aliam quam nostram tenuisse sententiam. An vero in suscipiente baptismum requiratur aliqualis caritas inchoata. *Vide dicenda de poenit. n.* 437.

Dubium V. De caeremoniis baptismi.

Art. I. Quae servanda circa caeremonias baptizandi.

140. *Quae servanda quoad caeremonias baptismi.*

141. *An sit mortale baptizare sine unctione chrismatis et aqua consecrata.*

142. *An sit illicitum baptizare extra ecclesiam. Et quando permittatur.*

143. *An omittendae caeremoniae in baptismo privato, et an patrinus.*

144. *An collato baptismo privato, caeremoniae sint supplendae. Quid si baptismus fuerit invalidus.*

145. *Quid notandum circa nomen in baptismo imponendum, et librum baptismatum.*

140. « Resp. Caeremoniae baptismi petendae sunt ex agendis cuiusque ecclesiae. Universim tamen circa eas servanda sequentia: 1. Baptismum extra necessitatem absque peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quae cum deest, habetur formula brevis in quibusdam agendis ex tempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quod si etiam hac formula careas, adhiberi potest aqua communis benedicta. 2. Baptismum solemnem non conferendum, nisi in templo et in loco ad id deputato, nisi filiis regum et principum, quibus adde filios catholicorum in locis haereticis: interim quoad hoc in magnatibus et nobilibus connivetur in multis locis. Laym.[10] (*Vide dicta n.* 118. *not.* 3). 3. Infantes ex consuetudine deferendos ad baptismum circa diem octavum, nisi prius sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis, v. g. quia patrini sunt expectandi, in qua tamen non licet communiter extra necessitatem privatim baptizare, et postea adhibere solemnitates, sed praestat expectare aliquamdiu. Laym. [11] (*Vide dicta n.* 118. *not.* 2.). »

141. Mortale est negligere caeremonias baptismi aut aliquam ex eis notabilem, ut omnes communiter cum Holz.[12] Croix [13]. Hinc notandum 1. Seclusa necessitate, est mortale baptizare sine unctione chrismatis, ut Elbel [14] Holzm. ac Croix [15] cum Gob. etc. Ita pariter est mortale baptizare in aqua non consecrata, vel in chrismate alterius anni, ut docent comm. Nav.[16] Sa [17] Viva [18] et Bonac. [19] cum Con. et Nugno ex *can. Si quis de alio, dist.* 4. *de consecr.*

(1) Ib. n. 45. (2) Ib. n. 50. (3) T. 6. tr. 3. c. 6. (4) D. 28. s. 2. concl. 2. (5) Prael. de poenit. p. 5. (6) Ibid. n. 53. (7) 3. p. q. 79. art. 3. ad 2. (8) Suppl. q. 5. a. 5. (9) 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad 5.

(10) C. 8. n. 8. (11) C. 6. n. 8. (12) P. 33. n. 164. (13) L. 6. p. 1. n. 359. (14) P. 44. n. 80. (15) Ib. (16) C. 22. n. 74. (17) V. Baptismus n. 15. (18) Q. 2. a. 7. n. 2. (19) Punct. 7. n. 20.

ubi damnatur de mortali, *Si quis de alio chrismate quam de illo* (scil. novo) *baptizare, nisi praeoccupante morte, tentaverit.* Idque confirmat rit. rom.[1] dicens: *Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur; ac si deficere videantur, et chrisma aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate.* Quid, si annus sit completus, et pastor non accepit novum oleum? Apud Croix[2] Marchantius suadet ut baptizet, praemissis aliis, et postea suppleat unctiones. Gobatus vero dicit baptismum posse differri, nisi adsit mortis periculum; imo addit quod si in aliqua dioecesi adsit usus, poterit pastor veteribus oleis uti. Sporer autem[3] censet infantes posse semper baptizari in veteri chrismate, quia ipsi iugiter sunt in periculo mortis; dicit enim catech. rom.[4] pueris non esse differendum baptismum, cum *praesertim propter aetatis imbecillitatem infinita pene vitae pericula illis impendeant.* Ego sentio distinguendum: Si oleum novum expectandum esset per notabile tempus, puta per decem vel undecim dies (*iuxta dicta n.* 118. *not.* 2.) tunc licite poterit conferri baptismus sine unctionibus et postea unctiones suppleri, quia talis dilatio sat iusta est causa ut possit baptismus sine illis ministrari. Secus, si oleum intra praedictos dies facile haberi possit: tunc enim puto non posse sine necessitate, vel saltem sine causa gravi baptismum separari ab unctionibus, quae ex gravi quidem praecepto concomitanter cum baptismo debent adhiberi, nisi forte prius iam adhibitae sint, ut plures opinantur. *Vide dicenda n.* 144. *v. Sed haec.*

142. Notandum 2. Mortale etiam est sine necessitate baptizare extra ecclesiam, ut Suar.[5] Pal.[6] et Croix[7] cum Gob. Excipe tamen 1. Si dubium adsit de morte infantis, puta si infans nascatur sine fletu; si mulier difficulter sit enixa, si infans prosiliat ante 7. mensem; tunc enim baptizare licet domi privatim, ut ait Croix[8] cum Gob. et Quint., qui idem dicunt, si proles prodeat in 8. mense. Excipe 2. Si infans nequit in ecclesiam deferri sine periculo infamiae parentum, aut alius gravis damni; quo casu putat Croix[9] cum Gob. et Iordan. posse domi baptismum solemniter conferri. Excipe 3. Si infans sit filius regis aut principis. *Sed de hoc vide dicta n.* 118. *not.* 3.

143. « 4. Baptizanti non licet adhibere caeremonias aliquas, omissis aliis; quia vel fiet in baptismo solemni, quod prohibet Trid.[10] vel privato; sed in hoc prohibet *Clementina unica* illas adhibere, nisi sit filius regis aut principis (Ut mox supra dictum est). De patrino tamen usus habet ut et tunc adhiberi possit, etsi non sit necesse. Et multi putant, adhibitum non contrahere cognationem spiritualem, nec vero patrinum effici, ut Sanch. Rodriq. contra Laym. et Suar., quorum tamen sententia videtur probabilior.

144. » 5. Cum in necessitate, vel aliam ob causam (nam ob gravem causam, v. g. iustum timorem infamiae, aliquando licite fit) baptismus sine caeremoniis est collatus, ea cessante, illae solemniter in templis sunt supplendae (Ut s. Th.[11] cum Salm.[12] et communi[13]. Et hae caeremoniae sunt supplendae sub mortali, ut Croix[14] cum Avers. et Pign). Quod tamen non est moris in haereticis conversis, ne plebs putet nos eorum baptismum improbare. Laym.[15] Imo in aliis omittere, secluso contemptu, esse tantum veniale docet Poss.[16]: qui autem tenet more patrini infantem, dum caeremoniae supplentur, non contrahere cum eo cognationem spiritualem, Diana[17] ex Pontio dicit esse probabile.

» Si baptismus collatus deprehendatur fuisse invalidus, non ideo repetendae sunt caeremoniae. »

Sed haec quaestio est: alii ut Pal.[18]

(1) De sacram. bapt. (2) L. 6. p. 1. n. 342. (3) Supplem. de bapt. n. 95. (4) P. 2. n. 34. (5) D. 31. sect. 2. (6) P. 12. n. 16. (7) N. 334. (8) N. 335. (9) N. 336. (10 Sess. 6. c. 5. (11) 3. p. q. 71. a. 3. ad 3. (12) De bapt. c. 7. p. 1. n. 18. (13) Ex c. 1. de sacram. non iter. (14) L. 6. p. 1. n. 340. (15) C. 8. n. 10. (16) De off. cur. c. 6. n. 23. (17) P. 3. t. 4. r. 260. (18) Punct. 12. n. 24.

et Salm. [1] cum s. Anton. et Reg. dicunt repetendas esse caeremonias, secluso scandalo vel infamia baptizantis vel baptizati. Ratio quia caeremoniae sunt accessoriae ad baptismum, cum pertineant ad eius ornatum; unde semper ac baptismus confertur, debent illum concomitare. Alii vero communius cum Busemb. ut Suar. [2] Bon. [3] Holzm. [4] cum Aversa, item Conin. ap. Pal. [5], ac probabile putat Croix [6], negant esse repetendas, tum quia in *cap. 1. de sacr. non iterand.* dicitur in sacramentis characterem imprimentibus *nihil esse iterandum, sed caute supplendum id quod incaute fuerit omissum*, unde cum in baptismo invalido iam fuerint adhibitae caeremoniae, non est obligatio eas iterandi; tum quia ad debitum cultum sacramenti servandum sufficit ut caeremoniae vel subsequantur, ut habetur in rituali romano, vel antecedant sacramentum. Quapropter caeremoniae tam antecedentes quam subsequentes baptismum moraliter cum ipso coniunguntur. Utraque sententia videtur probabilis, sed prima ut tutior consulenda.

145. Circa nomen quod in baptismo imponitur, 1. notat Croix [7] non peccare qui nomen non sancti imponit; quia imponere sancti nomen non est praeceptum, sed tantum monitum s. Pii v. et Pauli v. Idem dicit Croix contra Vasq. si imponatur nomen veteris testamenti, v. g. Adami, Tobiae etc. Hoc autem in nostris partibus passim in usu est. Advertit tamen Croix cum catech. rom. [8] non facile acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum. Notat 2. Croix [9] quod si dubitetur an infans sit vir aut mulier, et urgeat periculum mortis, potest baptizari sine nomine. In rit. rom. [10] de hoc ita habetur: *Curet* (parochus) *ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum etc.* Notat 3. Croix [11] cum Abb. Bon. et Dic. contra Sotum et Sa, nomen in baptismo impositum licite posse privata auctoritate mutari, cum hoc nullo iure prohibeatur: procul dubio autem mutari potest in confirmatione.

Circa autem librum baptizatorum, notandum, hunc fidem facere in quovis tribunali, ut advertit Croix [12]. Parochus autem diligenter tenetur in libro adnotare diem et horam nativitatis, parentes et patrinos. Item si baptismus sit collatus sub conditione, vel sine caeremoniis: item ubi infans repertus sit expositus. Ita in rituali romano [13].

ART. II. Qui patrini et quod eorum officium.

146. *Ad quid teneantur patrini. Et quae requirantur ut quis valide sit patrinus.*
147. *Quando teneatur patrinus instruere susceptum. Et an possit omitti patrinus in baptismo privato.*
148. *Qualis actus requiratur in patrinis ut contrahant cognationem.*
149. *An cognationem contrahat suscipiens vel baptizans in baptismo privato.*
150. *An parentes suscipientes vel baptizantes filios, contrahant impedimentum petendi debitum.*
151. *An contrahat cognationem suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione.*
152. *An qui errore suscipit unum pro alio.*
153. *Quis contrahat cognationem, si quis suscipiat nomine alterius.*
154. *An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati.*
155. *An possint esse patrini eiusdem duo mares, vel duae foeminae. Dub. 1. An patrinus masculi debeat esse masculus etc. 2. An peccent designantes duos mares vel duas foeminas.*
156. *Quid requiratur ut quis licite sit patrinus. Repelluntur ab hoc officio 1. Religiosi. 2. Coniuges et parentes. 3. Infames. 4. Apostatae et haeretici. 5. An autem catholici possint suscipere infantes haereticorum haeretico baptizante. An plures quam duo.*
157. *An duo coniuges possint esse patrini alienae prolis.*
158. *Vide quae habentur apud Busemb.*
159. *Quando graviter peccet parochus circa hanc materiam.*
160. *Quae debeat monere parochus post datum baptismum. Et signanter ne matres decumbant cum infantibus.*

146. « Resp. 1. Patrini sunt quasi patres spirituales qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde eorum officium est baptizatum de re-

(1) Ibid. n. 21. (2) D. 31. sect. 6. v. Septimo. (3) Punct. 7. n. 52. (4) N. 267. (5) N. 23. (6) N. 341. (7) L. 6. p. 1. n. 329. (8) C. 14. n. 3. (9) N. 330. (10) De sacr. olei. (11) N. 331. (12) L. c. p. 1. n. 345. (13) In fin. tit. Formulae scribendi etc.

bus fidei instruere, orationem dominicam et symbolum docere, ad quod obligantur, si id ab aliis non fiat. Laym. 1 (*Vide num. seq.*).

» Resp. 2. Ut quis valide sit patrinus, non certa aetas (Ut Salm. [2] cum Sanch. Laym. Nav. etc. contra Abbat. qui requirit aetatem 18. annorum. Croix autem [3] requirit saltem septennium [4]), sed requiritur 1. Usus rationis. 2. Ut ipse sit baptizatus (quia non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus) et quidem, ut eius baptismus fuerit validus, quia accessorium sequitur principale. 3. Ut a parentibus vel parocho ad hoc designatus sit: ad quod videtur sufficere, si etiam ultro se ingerens, sit admissus, designatos autem rite a parentibus parochus non valide mutat. (Sed Tamb.[5] dicit quod parochus valide mutaret et adhaeret Croix[6] quia ex Trid. sufficit designatio parentum vel parochi; parochus autem mutans patrinum graviter peccaret, ut ait Beda apud Croix[7]). Dian.[8]. 4. Ut in ipso baptismo (quia non sufficit, ut in solis caeremoniis) per se, vel procuratorem tangat, teneat aut de manu baptizantis suscipiat. (Illud suscipere, intelligendum esse dicunt Salm. [9] si baptismus sit per immersionem; sed Croix [10] dicit cum Avers. et comm. sufficere ad contrahendam cognationem, quod patrinus suscipiat baptizatum e manu baptizantis, etiamsi baptismus sit per infusionem). 5. Ut id non materialiter tantum, sed animo susceptoris, sive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. [11]. (Ita etiam Tamb. et Avers. apud Croix [12]. Quod si quis suscipiat filium unius, putans esse filium alterius, dicunt Sanch. Tamb. Gob. et Croix [13] eum cognationem non contrahere; sed *vide infra n.* 152.).»

147. Hic praenotandum ut certum 1. id quod docet d. Thomas circa obligationem patrini; nam [14] sic ait: *Ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso.* Id est, ut dicunt Holz.[15] Cont. Tour.[16] Salm.[17] et alii passim, tenetur instruere baptizatum circa fidem et mores. Attamen haec obligatio tunc tantum urget *si necessitas immineret; sicut eo tempore et loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur*, ut dicit idem d. Th. [18] addens: *Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur: si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere.* Et idem dicunt communiter Salm. [19] cum Suar. Lay. Pal. Con. Val. etc. Praenotandum 2. quod in baptismo privato nulla culpa est, si patrinus omittatur, ut aiunt Cont. Tour.[20] Holzm. [21] et Salm. [22] cum Soto Suar. Sanch. et aliis communiter. Dicunt tamen Sanch. [23] et Laym. [24] cum Suar. Conc. etc. quod licet non necessario sit adhibendus patrinus in baptismo privato, tamen bene adhiberi potest, et praestantius adhibetur.

148. Sed quaeritur 1. Qualis actus requiratur in patrinis, ut contrahant cognationem. Textus qui hanc cognationem statuunt (relati a Sanch.[25]) his utuntur vocabulis, *suscipit*, *tenet*, *accipit*, *levat*, *tangit*. Unde dd. conveniunt ap. Sanch. [26] requiri ad contrahendam cognationem, ut patrinus vel teneat aut tangat infantem dum baptizatur; vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte vel de manibus baptizantis. An autem requiratur tactus physicus ad contrahendam cognationem. Loquendo de infantibus, communiter affirmant dd. apud Sanch.[27]. Loquendo vero de adultis, negant [28] Sotus Lop. et Sa, qui di-

(1) L. 5. t. 2. c. 9. (2) De bapt. c. 7. p. 2. n. 29. (3) L. 6. p. 1. n. 356. (4) Probabiliter tenet Croix requiri saltem aetatem 7. annorum. Hom. Ap. tr. 1. n. 32. (5) §. 2. n. 12. (6) N. 362. (7) Ibid. (8) P. 6. t. 7. r. 59. (9) L. c. n. 31. (10) N. 363. (11) C. 9. n. 2. (12) N. 363. (13) N. 363. (14) 3. p. q. 67. a. 8. (15) T. 2. p. 52. n. 152. (16) De bapt. c. 6. v. Quaer. 2. (17) De bapt. c. 7. p. 2. n. 26. (18) Loc. cit. (19) Ibid. n. 27. (20) Ibid. quaer. 1. r. 3. (21) Pag. 32. n. 154. (22) Ibid. n. 24. (23) De matr. l. 9. d. 26. n. 3. (24) L. 5. tr. 2. c. 9. (25) De matr. l. 7. d. 56. n. 1. (26) Loc. cit. et n. 2. et 3. (27) Nota. 4. (28) Ibid.

cunt sufficere tactum moralem sive assistentiam; quia cum adulti possunt ex se sustentari, sufficit assistentia qua denotent patrini se suscipere eos in suam curam, caeremonia tentionis non adhibita. Sed communissime et merito huic contradicunt Palaus [1] Salm.[2] Bonac.[3] cum Carden. Reg. Fill. etc. ac Sanch. [4] cum Manuel. et Henr. qui de hoc affert declarationem cardinalium. Ratio, tum quia talis tentio expresse requiritur a sacris canonibus, tum quia (ut dicit d. Th.[5]) haec caeremonia non est iam inducta ad supplendam imbecillitatem corporis, sed ad significandam imbecillitatem animae; unde s. doctor [6] ait: *Licet ille qui confirmatur* (idem dicendum de baptizato) *sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.*

149. Quaer. 2. An baptizans et patrinus adhibitus in baptismo privato, contrahant cognationem spiritualem. Nulli dubium quod baptizans contrahat, ut communiter dicunt Pal. [7] Cont. Tour.[8] Viva [9] et alii. Dubium est an contrahat patrinus.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suar.[10] Laym.[11] cum Arm. et Nav. ac Viva [12] cum Sa et Con. Ratio, quia patrinus non propter solam solemnitatem in baptismo adhibetur, sed etiam propter obligationem instruendi baptizatum. Et quamvis ecclesia in Trid. [13] non praeceperit adhiberi patrinum in baptismo privato, illum tamen non prohibuit, nec (ut ait Suar.) iuri antiquo derogavit.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, eamque tenent Palaus [14] cum communi, ut asserit, Sanch. [15] Bon. [16] Holzm. [17] Spor.[18] Cont. Tour.[19] cum Soto et Salm.[20] cum Hurt. Rodriq. Dic. Corn. et Diana. Probatur ex Trid.[21] ubi sic statuitur: *Unus tantum, sive vir sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint.* Ex quibus verbis aa. praefati recte concludunt, impedimentum ex concilio contrahi solum a suscipientibus *de sacro fonte*, qui solus institutus est ad conferendum baptismum solemne, non autem privatum. Nec obstat dicere cum Suarez quod Tridentinum hic non derogavit iuri antiquo, quo (ut asserit) omnes suscipientes cognationem contrahant. Nam primo non ostendit Suarez, ut opus erat, quo iure antiquitus in baptismo privato contrahebatur cognatio; deinde, etiamsi hoc primitus statutum fuisset, Tridentinum tamen ad evitanda incommoda, derogavit omnibus aliis prohibitionibus ineundi matrimonia, praeter illas quas hic statuit dicens: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque s. synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit ut unus tantum, sive vir etc.* et prosequitur ut supra. Ergo ad vitanda incommoda concilium praescribere voluit ut praefata cognatio in posterum non contrahatur nisi a suscipientibus de sacro fonte, id est in baptismo solemni, ut diximus.

(1) P. 11. §. 2. n. 3. (2) De bapt. c. 7. p. 2. n. 51. et 52. (3) Q. 3. p. 3. §. 2. n. 14. (4) L. c. (5) 3. p. q. 72. a. 10. (6) Ibid. ad 1. (7) P. 11. §. 2. n. 13. (8) De dispens. p. 1. c. 4. a. 2. ▸ Collig. 4. (9) De matr. q. 3. art. 6. n. 4. (10) 3. p. q. 67. a. 8. (11) C. 9. n. 5. (12) L. c.

(13) Sess. 24. c. 2. de ref. (14) Loc. cit. n. 12 (15) De matr. l. 7. d. 62. n. 14. (16) Eod. tit. q. 3. p. 3. §. 2. n. 11. (17) P. 382. n. 544. (18) P. 4. n. 89. (19) Loc. cit. v. Collig. 1. (20) De matr. c. 12. p. 2. n. 32. (21) Dict. cap. 2.

150. Quaer. 3. An parentes baptizantes vel suscipientes de baptismo filios, contrahant impedimentum petendi debitum. Certum est 1. non contrahere si baptizent in necessitate, ut docent d. Thom. [1] Sanch. [2] Salm. [3] et alii communiter ex *cap. Ad limina* 7. *causa* 30. *q.* 1. ubi dicitur: *Inculpabile iudicandum quod necessitas intulit*. Certum est 2. graviter peccare parentes, qui ex industria et sine necessitate filios baptizant, ut patet ex *can. De his* 6. *caus.* 30. *q.* 1. Vide Viva [4]. Certum est 3. non contrahere cognationem, si parentes ex ignorantia baptizent, ut habetur in *c. Si vir* 2. *de cognat. spir.* ubi sic dicitur: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit... quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt; ideoque nobis videtur quod sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere... quia si ex ignorantia* (nota) *id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

Quaestio igitur est an parentes contrahant impedimentum, si filium baptizent ex industria praeter necessitatem.

Prima sententia communior affirmat, et hanc tenent d. Th. [5] Petroc. [6] Conc. [7] item s. Bonav. Palud. Rich. et alii plures cum Sanchez [8]. Ratio quia eadem lex quae decernit cognationem spiritualem contrahi inter baptizantem et parentes baptizati, ipsa impedimentum inducit inter parentes suam prolem baptizantes.

Secunda sententia vero satis probabilis negat, eamque tenent plures et graves dd. ut Suar. [9] Pontius [10] Viva [11] Con. [12] Salm. [13] cum Perez Dicast. etc. Idem tenet Glossa in *cit. c. Si vir. v. Debitum*, ubi dicit: *Non invenimus in hoc casu quod non exigat, ergo nec nos prohibemus*. Ratio est quia revera nullo iure (ut ipse Sanch. fatetur, et ideo hanc sententiam probabilem et tutam vocat), expressum invenitur, suppositam cognationem contrahi, et si aliqui antiqui textus adfuerint separationem inter tales coniuges iniungentes, tamen omnes hi canones (ut ait Sanch.) correcti fuerunt a *cit. c. Si vir*, ubi dicitur quod huiusmodi coniuges *non sunt separandi*, et additur, *nec alter alteri debitum debet subtrahere;* ex quibus verbis recte inferunt Salm. nullum impedimentum contrahi ad debitum petendum; textus enim non dicit quod tantum nocens teneatur innocenti debitum non negare, sed utitur terminis correlativis qui mutuam obligationem inducant. Si igitur utraque pars (ut bene arguit Pontius [14]) tenetur debitum reddere, ergo utraque potest petere; nam si nocens petere non posset, neque pars innocens posset reddere, quia ex una parte non teneretur reddere, cum nocens iam amiserit ius petendi; ex altera neque etiam posset reddere, si posset negare sine gravi incommodo, quia cooperaretur peccato alterius, *iuxta dicta lib.* 2. *n.* 47. et ut dicemus in hoc casu *tract. de matr. lib.* 6. *n.* 945. Nec verum est quod quidquid dirimit matrimonium contrahendum, impedit etiam iam contractum; nulla enim poena incurritur, ut compertum est apud omnes, nisi in iure sit expressa; in nostro autem casu haec poena non petendi debitum nullibi invenitur expressa, sicut alias habetur de incestuoso ex *c.* 1. *De eo qui cognovit consanguin.*

151. Quaer. 4. An suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione, contrahat cognationem. Resp. si de primo baptismo adsit dubium dumtaxat negativum, omnino affirmandum cum communi, quia nulla tunc urget ratio pro valore anterioris baptismi, et praesumptio stat tantum pro valore secundi. Ita Sanch. [15] Mazz. [16] Salm. [17]

(1) Suppl. q. 56. a. 1. (2) De matr. l. 9. d. 25. (3) De bapt. c. 7. p. 2. n. 49. et de matr. c. 15. p. 5. n. 24. (4) Loc. cit. (5) Suppl. q. 56. a. 1. (6) T. 5. p. 217. (7) T. 8. p. 58. n. 14. (8) De matr. l. 9. d. 26. n. 7. (9) 3 n a. 67. a. 8.

(10) De matr. l. 10. c. 6. n. 4. (11) Eod. tit. q. 7. a. 3. n. 7. (12) D. 34. dub. 3. n. 69. (13) Cit. c. 15. n. 25. (14) N. 4. (15) De matr. l. 7. d. 62. n. 6. (16) T. 5. d. 22. q. un. c. 3 (17) De matr. c. 12. p. 2. n. 20.

cum Bonac. et Renz. [1] cum Dicast. et Diana. Secus tamen dicunt Sanch. [2] Renz. [3] cum Diana, si dubium sit positivum. Et hoc est satis probabile iuxta dicenda *de matr. n.* 905. ubi dicemus cum communi dd. bene posse contrahi matrimonium, quando post adhibitam diligentiam nullum impedimentum certo adesse probatur.

152. Quaer. 5. An contrahat cognationem qui ex errore suscipit unum infantem pro alio. Negant Cont. Tour.[4] et Sanchez [5] cum Abbat. etc., quia in *dict. cap.* 2. *de cognat. spir.* dicitur coniux quae ignoranter levavit filium mariti, non arceri a petitione debiti. Affirmant vero Pontius [6] et Pal. [7] cum aliis; quia suscipiens videtur habere intentionem suscipiendi infantem, quicumque sit: textum autem allatum dicunt non probare coniugem non gessisse verum officium susceptoris, sed solum ex dispositione iuris sublatum esse impedimentum petendi debitum, quod impedimentum non decebat quidem contrahi sine coniugis culpa; sed hanc rationem aiunt non procedere in nostro casu. Et haec sententia mihi probabilior videtur; nisi (ut recte excipit Renz. [8] cum Tamb. et Ianuar.) ille habeat expressam intentionem non tenendi alium, nisi quem intendit suscipere.

153. Quaeritur 6. Quisnam contrahat cognationem, si quis suscipit infantem nomine alterius. Tres adsunt sententiae.

Prima sententia communior dicit contrahere solum principalem, et ita sentiunt Sanch. [9] Pontius [10] Renzius [11] Pal.[12] cum Con. Barb. et Hurt. Croix [13] cum Aversa et Gob. Cont. Tour.[14] cum Nav. et Fagnano.

Secunda sententia dicit contrahere solum procuratorem, quia hic solus infantem suscipit; ita Conc.[15] cum Soto et Tolet.

Tertia sententia, quam tenent Leand. et Diana cum Sa Reg. ac Fill. ap. Conc.[16] dicit neutrum contrahere, non principalem, quia non suscipit; non procuratorem, quia hic non intendit contrahere. His non obstantibus, prima sententia quae communior est absolute verior mihi videtur. Ratio, quia ex Trid. is contrahit cognationem, qui est a parentibus ad suscipiendum designatus. Nec obstat quod principalis de facto non suscipiat, quia iuxta regulam iuris, qui per alium facit per se facere videtur. Sicque decisum refert Pontius a s. c. quae dixit in hoc casu: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.*

154. Quaer. 7. An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati. Ante omnia hic advertendum id quod habetur in Trid.[17] ubi sic sancitum fuit: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent, constitutionibus in contrarium non obstantibus.* Sed dubium 1. occurrit, si nullus sit designatus, et plures tangant, an omnes contrahant. Tenet Diana cum aliis apud Busemb. ut supra, neminem eorum cognationem contrahere; et hanc sententiam probabilem putant Sanch.[18] ac Suarez Gutt. etc. apud Salmantic.[19] et probabiliorem vocat Croix [20] cum Gob. et Aversa, quia Tridentinum expresse requirit designationem, et proinde (ea deficiente) cognatio non contrahitur. Sed oppositam, cui me subscribo, communem vocat Viva [21] cum Bon. et Con. et hanc tenendam dicunt Salm.[22] cum Nav. Laym. Pal. Cont. etc. ex declar. s. c.; hi dicunt omnes contrahere. Ratio quia, licet concilium praescribat ut parochus sciscitetur a parentibus quem designarint, et ut puniatur si aliter fecerit: non tamen dicit susceptionem esse nullam, neque irritat ius antiquum, ut habetur in *c. fin. de cogn. spir. in* 6. ex quo omnes tan-

(1) De bapt. c. 5. q. 4. (2) N. 7. 3) N. 4.
(4) De dispens. p. 1. c. 4. a. 2. v. Collig. 4.
(5) De matr. l. 7. d. 53. n. 7. (6) De matr. l. 7. c. 19. n. 19. (7) De baptismo p. 11. §. 2. n. 5.
(8) C. 5. q. 15. (9) De matr. l. 7. d. 59. n. 12.
(10) L. c. (11) C. 5. q. 26. (12) L. cit. n. 14
(13) L. 6. p. 1. n. 564. (14) L. cit. v. Collig. 5.
(15) T. 8. p. 190. n. 16. (16) L. cit. (17) Cit. sess. 24. c. 2. de ref. (18) L. 7. d. 57. n. 12.
(19) De bapt. c. 7. p. 2. n. 56. (20) N. 559
(21) De matr. q. 5. a. 6. n. 6 (22) Ibid. n. 57

gentes cognationem contrahunt: haec sunt verba huius textus: *Quamvis non plures quam unus vir vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.* Et ob eamdem rationem idem recte dicunt auctor additionum ad Wigandt [1] et Salm. [2] cum Pal. Corn. et aliis contra Croix etc. [3] etiamsi adsint patrini designati, sed alius praeter eos tantum tangit: hic solus enim tunc contrahit, quia concilium dicit eos non contrahere qui *ultra* designatos tangunt, non vero qui *praeter;* nam *ultra* importat quod tangant designati, et non designati; *praeter* autem importat quod tangant tantum non designati, quia a concilio non eximuntur a contrahendo cognationem, saltem non expresse, uti opus erat exprimi; alioquin in dubio possidet ius antiquum. E converso secus omnino dicendum, si tangat unus designatus, alter non designatus, quia hic nullo modo contrahit, ut patet ex verbis Tridentini supra allatis.

Dubium occurrit 2. Si plures quam duo designentur, et omnes tangant, an omnes cognationem contrahant. Censet Suar.[4] quod si successive tangant puerum, primi duo tantum cognationem contrahunt, et idem sentiunt recte Sanch. [5] et Croix [6]. Si autem simul omnes tangant, Suar. censet nullum contrahere. Sed Sanch. Croix et Salm.[7] cum Pont. Con. Pal. ac Reb. communius et probabilius dicunt tunc omnes designatos contrahere, quia Tridentinum, licet vetet adhiberi plures quam duos, tamen non irritat ius antiquum, nisi cum tangunt plures ultra duos designatos, non vero si tangant plures designati ultra duos. Et hoc tanto magis currit, si ex iis pluribus designatis ignoretur quis prius tetigerit, ex decr. s. c. ap. Salm.

Sed notandum hic 1. cum Cont. Tourn. [8] quod si parochus iniuste repellat patrinos a parentibus electos, et ii infantem teneant, hi veram cognationem contrahunt. Notandum 2. cum eodem Cont. Tourn. supra et Bon. quod si parochus admitteret plures patrinos quam duos, mortaliter peccaret, quia laederet praeceptum ecclesiae in re gravi, impositum ne multiplicentur cognationes. Si vero plures patrini accedant a parentibus designati, bene poterit permittere (prout ait Croix [9]) ut omnes tangant: modo externe designet unum et unam, quibus tantum tradat infantem, et illos solos adnotet ut patrinos, moneatque tantum eos cognationem contraxisse.

155. Quaeres 8. An patrini possint esse duo mares aut duae foeminae. Nega; sed probabile est cum Sanch. et Croix [10] esse tantum veniale, contra Bon. et alios qui volunt esse mortale.

Dub. 1. An patrinus masculi (si unicus sit) debeat esse masculus, et foeminae foemina. Affirmat Laym. ex conc. nic. sed probabilius negant Suar. Fill. Avers. Gob. ap. Croix [11] cum ex Trid. dicatur, *sive vir sive mulier.*

Dub. 2. An peccent designantes ut patrinos duos mares vel duas foeminas. Certum est peccare tam parentes, quam parochum tales patrinos admittentes, cum sit contra praescriptum ecclesiae. Id autem Croix[12] cum Sanch. putat esse tantum veniale; Bon. vero et alii dicunt esse mortale; et hoc mihi verius videtur, si patrini essent diversi sexus ac infans: quia sic multiplicarentur cognationes, quod prohibere voluit Tridentinum, ut vidimus; secus si essent eiusdem sexus.

156. « Resp. 3. Valide quidem, sed illicite sunt patrini: 1. Abbas et monachus. Quo nomine non veniunt mendicantes. (*In c. Non licet* 103. *de consecr. d.* 4. sic habetur: *Non licet abbati vel monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Licitum est vero monachis compatres fieri baptizando, ut Petr. [13] cum Glossa in *c.*

(1) De bapt. cas. 8. v. Oppositum. (2) Ibid. n. 35. (3) Loc. cit. (4) 3. p. q. 67. a. 8. (5) De matr. lib. 7. d. 37. n. 14. (6) Lib. 6. p. 1. n. 360. (7) De bapt. c. 7. p. 2. n. 45. (8) De disp. p. 1 c. 4. a. 2. v. Collig. 3. (9) N. 350. (10) N. 350 (11) N. 351 (12) N. 351. (13) T. 3. p. 217.

Pervenit dic.. d. 4. An autem nomine *monachorum* veniant etiam mendicantes. Negant Palaus[1] et Salm.[2] cum Con. Sed melius affirmant Conc. cum Laym. Ang. Sanch. Fill. Bon. Diana etc. ac Ronc. [3]. Ratio quia licet nomine *monachorum* in odiosis non veniant mendicantes, tamen rituale rom. *tit. de patrino* id vetat in omnibus regularibus dicens: *Ad hoc etiam admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, neque alii cuiusvis ordinis regulares a saeculo segregati.* Regulares autem facti episcopi non prohibentur suscipere, ut ait Palaus[4] cum Laym. Sanch. etc. ac Holzm. [5] cum communi). Etsi Laym. omnes claustrales comprehensos velit, et quoad abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. 2. Coniuges respectu coniugum, et parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. 3. Moribus infames. 4. Apostatae et haeretici, qui nullo casu videntur advocandi, quia ea advocatio esset protestatio quasi falsae religionis, cum nonnisi de falsa fide sint sponsuri: etsi Laym. [6] probabiliter dicat, posse subinde ob gravem causam admitti. Catholici vero ob rationabilem causam infantem haeretici, baptizante praedicante, suscipere possunt, saltem in Germania. Laym.[7] (Et Croix[8] consentit cum Gob. et Tamb. si per hoc nullo modo approbetur ritus haereticorum contrarius fidei contra Nav. Less. etc. An autem ex gravi causa adhiberi possit patrinus haereticus. Affirmat Laym. et consentit Pal. si aliter oriretur gravis offensio; sed communius negant Tann. et alii apud Croix [9]. 5. Plures quam duo, quia Trident. non nisi unum, aut ad summum unum et unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam: ideoque mandat parochis, sub poena arbitrio ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, petant ab his, ad quos spectat, patrinos designari, ut unum vel duos nominent, eosque tantum admittant qui cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque de contracta spirituali cognatione instruant: scilicet, quod ea impediat, dirimatque matrimonium non quidem inter se, sed inter ipsos et baptizatum, eiusque patrem et matrem, sicut etiam inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem suscipiunt in necessitate. Vide Laym. [10]

157. Quaeritur hic an duo coniuges possint licite suscipere alienam prolem. Negat Suar. [11] ex constitutione Urbani II. relata in *cap. fin. caus.* 30. *qu.* 4. ubi dicitur: *Sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe et infamia conservetur immunis, dignum esse decernimus, ut utrique* (coniuges) *simul ad hoc aspirare minime praesumant.* Censet tamen Suar. id non esse plus quam veniale, ex verbis illis, *dignum esse decernimus*, quae videntur solam decentiam inducere. Sed nullum esse peccatum probabilius et cum communissima docent Navarr. [12] Sanch. [13] Bon.[14] et Salm.[15] cum Con. Ratio quia iam consuetudine introductum est hoc esse licitum; idque expresse docet d. Th. [16] qui ait: *Nihil prohibet, quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levent.*

158. « 1. In privato baptismo ob necessitatem dato, pater non debet suscipere aut tenere tamquam patrinus infantem; cum in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in baptismo publico temere faciat (idem est, si prolem suam ipse baptizat), graviter peccat, et insuper contrahit in posteriore casu cognationem cum coniuge; atque ut docet Sanch. [17] et alii communiter, privatur iure petendi debitum, quod tamen negant Con. et Dian.[18]. V. Bon.[19] Escob.[20] qui citat Suar. negantem. (Et quidem probabiliter, vide dicta n. 150.).

(1) Tr. 19. p. 11. §. 1. n. 4. (2) De bapt. c. 7. p. 2. n. 47. (3) C. 6. q. 1. r. 3. (4) Loc. cit. (5) N. 165. (6) Hic c. 9. n. 7. (7) C. 9. n. 6. (8) N. 370. (9) N. 373. (10) Locis supra cc. (11) 3. p. q. 67. a. 8. (12) Man. c. 22. n. 39.

(13) De matrim. l. 7. dis. 57. n. 5. (14) Eod. tit. q. 3. p. 5. §. 2. n. 5. (15) De bapt. c. 7. p. 2. n. 51. (16) In 4. dist. 42. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. (17) De matr. l. 7. disp. 54. (18) T. 4. de sacr. r. 5 (19) De matr. q. 3. p. 5. §. 2. (20) T. 7. c. 2.

» 2. Si inter multos patrinos nulli certi a parentibus, aut in eorum defectu a parocho designantur, qui aliis seclusis cognationem contrahant, et sic multi ex ignorantia, vel parochi negligentia levent, probabile est, omnes contrahere cognationem (nisi tamen assistant tantum et non tangant). Vide Laym.[1]. Diana tamen [2] ex Suar. Merat. et Perez. dicit eo casu nullum contrahere cognationem (*Vide dictan.* 154.).

159. » 3. Parochus graviter peccat: 1. Si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum; tum ob legem Trid. in re gravi et sub poena gravi; tum ob incommoda et damna inde sequentia. Quint.[3]. 2. Si eius culpa patrini plures adhibeantur. Quintan.[4]. Ac licet Perez et Serra apud Diana[5] dicant esse probabile quod tantum peccet venialiter, alii tamen mortalis eum damnant. »

Peccat etiam graviter parochus baptizans solemniter sine patrino, cum haec sit de praecipuis caeremoniis. Croix [6] com Gob. Gorm. Bon. et Quint. Sic etiam graviter peccabit, si admittit ad baptismum patrinum non designatum, ut dicunt praefatus Auctor addition. in Wig.[7] et Cont. Tourn. [8] cum Bon. Hurt. Barb. Vega et aliis; et hoc ex praecepto Trid. [9] ubi dicitur: *Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter sciscitetur quem vel quos elegerint etc.*

160. Hic autem ultimo notandum ex rituali rom. parochum post datum baptismum debere 1. adnotare in libro nomina baptizati, eiusque parentum ac susceptorum. 2. Monere patrinos de cognatione contracta, eorumque obligatione. 3. Inculcare matribus et nutricibus, ne decumbant cum infantibus, ob periculum suffocationis. Notat vero Cont. Tourn. [10] cum Barb. Anacl. Pirhing. etc. communiter, quod *si talis cubatio omni culpa caret, ut contingere potest, si v. g. lectus est latus, puer inplacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis poena cessabit.* Ita Cont. Tourn.

(1) L. 5. t. 10. p. 4. c. 8. et tr. 2. c. 9. n. 4. (2) P. 9. t. 7. r. 5. (3) T. 2 s. 11. (4) L. c. (5) P. 9. t. 7. r. 5. (6) L. 6. p. 1. n. 348. et 349. (7) L. c. (8) De bapt. c. 6. v. Quaer. 4. (9) L. c. (10) Ibid. v. Quaer. 5. (11) Sess. 7. can. 1. (12) De confirm. c. 1. p. 1. n. 2. et 11. (13) T. 3. p. 226. q. 2. (14) De confirm. c 1. concl. 2. — In loco citato reperimus Continuatorem amplecti sententiam: confirmationem probabilius a Christo fuisse institutam resurrectionem inter et ascensionem: Fabiani epistolam pariter reiicit Tournely in Prael. theol. (15) Ad differentiam olei baptismi et infirmorum, ut distinxit Innocent. III. An autem unum oleum istorum sit materia valida pro alio sacramento, negant Suar. Laym. et Henriquez, sed probabilius affirmant Bellarm. Casti. Bonac. et Barbosa. Hom. Ap. tr. 14. n. 39. (16) Ex c. un. De sacr. unct. et ex decr. Eug. IV. (17) Ib. c. 2. n. 5.

CAP. II. DE CONFIRMATIONE

DUBIUM I. Quid sit et quae eius materia et forma.

161. *Qua ratione confirmatio est sacramentum.*
162. *Quae sit* materia remota *huius sacramenti. Et an sit materia necessaria oleum olivarum et balsamum.*
163. *An sit necessaria benedictio chrismatis. Et an haec possit committi simplici sacerdoti. An sit obligatio uti chrismate novo.*
164. *Quae* materia proxima. *Et an ultra chrismationem requiratur altera manuum impositio.*
165. *An unctio possit fieri alio digito, quam pollice manus dexterae.*
166. *An medio instrumento.*
167. *De forma in ecclesia latina.*
168. *Quae mutationes circa formam invalident sacramentum. De forma Graecorum.*
169. *De effectibus confirmationis.*

161. « Resp. 1. Confirmatio est unctio chrismatis, sub praescripta forma verborum in fronte baptizati ab episcopo, qua is ex Christi institutione gratiae augmentum et robur accipit. (Ita ex Trid.[11] ac decr. Eugenii IV. in instruct. ad armenos, atque ex aliis conciliis apud Bellarm. Habetur autem in epist. 2. *Dominus,* Fabiani papae, hoc sacramentum fuisse institutum in nocte coenae qua Christus D. de ipso apostolos edocuit. Vide Salm. [12]. Item Petroc. [13] Cont. Tourn. [14] qui id probant ex traditione).

162. » Resp. 2. Materia eius remota essentialis est chrisma confectum ex balsamo et oleo olivarum [15], benedictum ab episcopo. Ita commun. doct.

» 1. Non sufficit solum balsamum, ut voluit Canus, nec solum oleum, ut voluerunt Cai. Sot. Nav. »

Certum est oleum esse de necessitate sacramenti [16] ut Salm.[17] cum comm

et Croix [1]. Et debet esse oleum olivarum, ut docet s. Thom. [2]. Per dictum oleum enim, quod natura sua pingue est et diffluens, significatur gratia Spiritus sancti, quae a Christo capite in nos effunditur. Balsamum autem certum est esse de necessitate praecepti: an autem sit etiam de necessitate sacramenti.

Prima sententia negat, et hanc tenent Iuenin. [3] Cont. Tourn. [4] item Nav. Sot. Val. etc. apud Salm. [5] et merito probabilem putat Croix cum Covarr. Dicast. Aversa etc. Probant ex *cap. Pastoralis, de sacram. non iterand.* ubi Innoc. III. interrogatus de subdiacono ordinato sine impositione manuum, et de alio confirmato in solo oleo benedicto, sic respondit: *In talibus nihil esse iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerit praetermissum.* Unde (ut dicunt) balsamum non est de necessitate sacramenti, nam alias totum sacramentum iterari debuisset.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, et hanc tenent d. Th. [6] Bellarm. [7] Gonet [8] Suar. [9] Petroc. [10] Conc. [11] Holz. [12] et Salm. [13] cum Pal. Laym. Bon. et idem docet catech. rom. [14] ubi dicitur: *Duae res corporeae permixtae* (scilicet oleum et balsamum) *confirmationis materiam praebent.* Probatur 1. ex decreto Eugenii IV. approbato a concilio florentino ubi dictum fuit, materiam confirmationis esse *chrisma confectum ex oleo et balsamo.* Opponunt contra hoc decretum Cont. Tourn. [15] et Habert, quod, cum illud formatum fuit, concilium iam erat solutum; ab eo enim iam discesserant episcopi graeci cum suo imperatore, finito negotio unionis suae ecclesiae cum latina. Sed respondet Petrocor. [16] non ideo desiisse concilium, cum graeci consenserint in continuationem concilii, in qua fieri debebat altera unio armenorum. Unde in hoc decreto Eugenius eumdem morem tenuit loquendi solitum in generalibus conciliis. *Sacro hoc approbante concilio florentino.* Et in fine sic dictum fuit: *Datum Florentiae in publica sessione synodali solemniter in ecclesia maiori celebrata anno Domini* 1431. Praeterquam quod testatur Petrocor. hoc decretum in omnibus catholicae religionis partibus receptum fuisse. Probatur 1. ex *cap. Cum venisset, unic. de sacra unct.* ubi Innoc. III. postquam distinxit tria genera olei, nempe catechumenorum, infirmorum et chrisma, *quod* (ut ait) *ex oleo fit et balsamo, mystica ratione, per oleum enim nitor conscientiae designatur ... per balsamum odor famae exprimitur.* Deinde in §. *Per frontis eod. cap.* sacramentum confirmationis vocat *chrismationem*, non propter aliud quidem, nisi propter chrisma quod ibi adhibetur. Confirmatur id ex antiqua praxi ecclesiae, nec verum esse dicit Bellarminus nullum patrum ante d. Gregorium Magnum meminisse huius balsami mixtionis; nam d. Cyprianus longius ante (ut refert Bellarminus) iam scripserat: *Hodie in ecclesia sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, sacerdotalis et regiae exprimit unitatem.* Item refert, s. Clementem mentionem fecisse *fragrantiae odoris chrismatis.* Ad textum autem praefatum in *cap. Pastoralis,* respondetur cum Petroc. et Holzm. quod pontifex dicendo *supplendum praetermissum*, non voluit quidem suppleri simplicem balsami, sed totam chrismatis unctionem, et ideo dixit non iterandam, quia, ut ait Glossa *ibid., non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit.* Certum est autem neutram sententiam esse de fide, neque certam; hinc omnino sacramentum conferendum est cum oleo et balsamo, et alias saltem dubium esset, ut recte dicunt Habert [17] Bellarm. [18] et Natal. Alex. [19]. Et ideo datum cum solo oleo, saltem sub conditione esset iterandum. E converso, quia prima sententia sat est

(1) L. 6. p. 1. n. 375. (2) 3. p. q. 72. a. 2.
(3) T. 7. p. 206. (4) L. cit. c. 3. a. 2. concl. 2.
(5) De confirm. c. 2. p. 1. n. 5. (6) Cit. art. 2.
(7) De conf. c. 8. prop. 2. (8) T. 6. tr. 3. c. 12. §. 2.
(9) Q. 72. dist. 33. sect. 1. (10) T. 3. p. 261.
(11) T. 8. p. 204. n. 12. (12) P. 40. n. 194.
(13) Ibid. n. 7. (14) N. 7. (15) App. de concil.
(16) T. 3. p. 269. (17) T. 3. p. 259.
(18) Loc. cit. (19) Art. 2. prop. 2.

probabilis, recte dicit Croix [1] cum Gobat. quod in articulo mortis bene poterit conferri confirmatio sub conditione ex solo oleo, si nequeat haberi chrisma ex balsamo quoque confectum: magna enim utilitas huius sacramenti iusta esset causa illud sub conditione ministrandi, iuxta dicta *n.* 28.

Sufficit autem balsamum cuiuscumque regionis, ut dicunt Gonet [2] Pal. [3] Croix [4] cum Conin. et Viva [5] Bon. etc. Gobat., modo sit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus.

163. « 2. Etiam benedictio episcopalis est de essentia, ut habet communis contra Cai. ideoque nulla delegatione sive episcopi sive papae simplex sacerdos potest conficere chrisma. Con.[6]

Quaeritur an chrisma debeat esse ab episcopo benedictum. Certum est apud omnes, quod necessitate praecepti chrisma omnino debet esse benedictum ab episcopo. Sed dubitatur 1. An de necessitate sacramenti debeat benedici chrisma saltem a sacerdote. Negant Palud. ap. Salm.[7] et alii ap. Petroc. [8]. At omnino id affirmandum cum aliis, et probatur ex decreto Clementis VIII. apud nostrum Bened. XIV.[9] ubi Clemens loquens de oleo benedicto adhibendo in extrema unctione, decrevit extremam unctionem ministratam cum oleo benedicto a sacerdote sine concessione papae invalidam esse. Haec verba decreti: *Sacram extremam unctionem latinis collatam a sacerdotibus graecis oleo ab ipsismet benedicto esse validam. Vide n.* 709. *dub.* 3.

Dubitatur 2. An chrisma necessario debeat esse benedictum ab episcopo.

Prima sententia communior affirmat, et hanc tenent d. Th.[10] Petr.[11] Conc.[12] et Salmant. [13] idque putant probari ex conciliis nicaeno I., rom. II. et ex *cap.* 119. *dist.* 4. *de consecrat.* ubi Innoc. I. sic dicit: *Et presbyteris* (*qui extra episcopum, seu praesente episcopo baptizant*) *chrismate baptizatos ungere licet, quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum.* Idem praescribitur in decreto Eugenii IV. ubi dicitur materia confirmationis esse *chrisma ab episcopo benedictum.*

Secunda sententia vero, quam tenent Tourn.[14] et Cai. Val. Barb. et Vict. ap. Salm.[15] cum card. Gotti Iuen. et Druin. apud Conc. [16] id negat, et merito (speculative loquendo) hanc sententiam probabilem putant Suarez [17] Croix [18]. Ratio quia sicut papa potest facultatem concedere simplici sacerdoti confirmandi, prout videbimus in *dub. seq. num.* 170.; sic etiam poterit benedictionem chrismatis ei committere. Nec ullum ex allatis documentis satis evincit quod chrisma non solum de necessitate praecepti, sed etiam sacramenti debeat necessario esse ab episcopo benedictum. Dixi *speculative loquendo*, nam in praxi, cum res sit valde dubia, prima sententia ut tutior omnino est tenenda.

« 3. Perinde est ad substantiam sacramenti, sive chrisma sit novum sive vetus; licet graviter peccet qui utitur alio quam novo, idest illo anno consecrato [19]: in quem finem quotannis in die coenae consecratur, veteri combusto. (Idem communiter Salm.[20]).

164. » Resp. 3. Materia proxima est unctio in fronte, per manum episcopi (unde etiam hoc sacramentum manus impositio dicitur a s. Luca [21]) in formam crucis facta. Quae omnia sunt de necessitate sacramenti, ut habet communis.

Dissertatio
de materia et forma confirmationis.

Hic cadit agere de illa magna ac tam disceptata quaestione, pro qua auctores plures libros integros ediderunt, nempe quaenam sit materia adaequa-

(1) N. 576. (2) Man. t. 6. tr. 3. c. 12. §. 2. (3) P. 4. n. 3. (4) N. 577. (5) Q. 3. a. 1. n. 1. (6) D. 72. a. 3. d. 1. (7) De conf. c. 2. p. 1. n. 15. (8) T. 3. p. 262. q. 3. (9) De syn. l. 7. c. 14. n. 4. (10) 3. p. q. 73. a. 3. (11) T. 3. p. 262. q. 3. (12) T. 8. pag. 205. n. 16. (13) Ibid. n. 18.

(14) Prael. theol. de confirm. q. 1. a. 3. tit. ult. (15) Ibid. n. 16. (16) L. c. (17) Dist. 33. sect. 2. (18) L. 6. p. 1. n. 578. (19) Sed in hoc ecclesiae praecepto potest papa dispensare. H. A. tr. 14. n. 40 (20) De confirm c. 2. p. 1. n. 21. ex c. Si quis, de confirm. dist. 4 (21) Actor. 8.

ta, et quaenam forma sacramenti confirmationis. Hic ideo aliquanto diutius mihi immorari oportet. Olim de hac quaestione in antecedentibus editionibus huius operis iam pertractavi, sed nuper volui eam rursus ad trutinam revocare, et fateor, quod cum per quindecim fere dies desudassem perlegendo canones et scriptores, nequibam iudicium ferre, quid pro certo tenendum. Denique vis rationum, quas in fine quaestionis adducam, omnem a mente mea dubitationem sustulit, atque de mea sententia certum iudicium efformavi. Plures adsunt de hac re sententiae, sed tres principaliores sunt.

Prima sententia tenet materiam essentialem huius sacramenti esse manuum impositionem illam, quae habetur in pontificali romano in principio ritus, ubi episcopus antequam ad chrismatis unctionem accedat, extendit manus versus confirmandos, proferens orationem: *Omnipotens sempiterne Deus etc.* Unctionem autem quae postea ab episcopo adhibetur, dicit esse materiam accidentalem, non a Christo, sed ab ecclesia institutam. Ita sentiunt card. Aureolus [1] Sirmondus [2] cum Sambovio et aliis paucis. Ducuntur hi auctores ex illo textu in *Actor.* 8. ubi s. Lucas enarrans missionem Petri et Ioannis in Samariam, scribit: *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Hinc arguunt, solam manuum impositionem pro materia adhibuisse apostolos in hoc sacramento, et ideo nunc etiam hanc esse materiam essentialem tuentur. Haec autem opinio quam improbabilis sit, infra videbimus.

Secunda sententia dicit materiam essentialem componi tam ab impositione manuum quae fit in principio, quam in unctione quae deinde ab episcopo adhibetur. Hanc tenent Merbes. [3] Iuenin. [4] Tourn. [5] qui saltem probabilem hanc sententiam censet. Hab.[6] Genett.[7] Concina [8] card. Gotti [9] Du-Hamel [10] et Continuator Witasse [11] qui tamen non aperte hanc sententiam tuetur. Auctores hi aiunt impositionem manuum probari ex Scriptura *Act.* 8. ut supra, unctionem autem chrismatis probari ex ss. patribus, quorum auctoritates infra referemus.

Tertia sententia denique communis vel fere communis, quam tuemur et certissimam cum Bellarmino existimamus, tenet materiam adaequatam et totalem confirmationis esse chrismatis unctionem, quae confirmandis per impositionem manus episcopi adhibetur. Hanc docet s. Thom.[12] qui tradit quod *chrisma est conveniens materia huius sacramenti.* Alibi vero [13] non negat impositionem manus esse quoque materiam confirmationis, sed impositionem illam quae unctionem comitatur. S. Bon. [14] Estius [15] Thomas Waldensis [16] Isamb. [17] Cabass. [18] Bellarm. [19] Ugo de s. Vict.[20] Petr. Aurelius [21] s. Anton. [22] Suarez [23] Sylv. [24] qui ait esse de fide, quod materia sit solum chrisma, Gregorius a Valent. [25] Laurentius Berti [26] Cont. Tour.[27] Salm.[28] Coninch. [29] Filliuc.[30] Tann.[31] Sot.[32] Sylvest. [33] Nav.[34] Tol.[35] Ronc.[36] Alens.[37] Scot.[38] Gonet [39] Laym.[40] Holzm.[41] Antoine [42] Frassen.[43]

(1) In 4. dist. 7. q. 1. (2) In antirrheticis. (3) Disc. 1. q. 4. (4) Theol. t. 7. de confir. concl. 1. (5) Prael. theol. de confirm. q. 1. a. 3. (6) De confirm. q. 4. (7) T. 3. eod. tit. pag. 115. (8) T. 8. eod. tit. c. 2. (9) Theol. tr. de confirm. (10) T. 2. d. 2. c. 1. concl. 1. (11) T. 7. de confirm. (12) 3. p. q. 72. a. 2. (13) Lect. 1. in c. 6. ad Hebr. (14) 4. dist. 7. a. 1. q. 2. (15) L. 4. d. 7. §. 7. (16) De sacr. c. 115. (17) 3. p. q. 12. disp. 1. a. 4 (18) Notitia ecclesiastica ad 2. can. concil. Araus. (19) De confirm. c. 2. et 9. (20) L. 2. de sacram. p. 7. c. 2 (21) Orthodoxo p. 1. c. 7. (22) 3. p. tit. 14. n. 2. (23) 3. p. q. 72. a. 2. dub. 33. sect. 4. (24) Ead. q. 72. a. 2. (25) 4. p. 3. dub. 3. q. 1. punct. 2. (26) De theol. disc. t. 7. de confirm. c. 4. (27) De confirm. c. 3. a. 1. obi. 1. r. 2. (28) De confirm. c. 2. p. 2. n. 22. et seq. (29) Q. 72. de eod. tit. art. 3. dub. 1. (30) Tr. 3. c. 1. n. 9. (31) T. 4. d. 4. q. 4. (32) In 4. d. 7. q. 2. a. 2. (33) V. Confirmatio. (34) C. 22. n. 3. (35) L. 2. c. 24. n. 1. (36) Theolog. mor. de confirm. (37) P. 4. d. 4. (38) In. 4. dist. 4. q. 1. (39) Man. t. 6. tr. 3. c. 12. §. 2. (40) L. 3. tr. 3 c. 1. n. 5. (41) De confirm. n. 198. (42) Eod. tit n. 11. (43) T. 11. p. 395. v. Quod autem.

Petr. [1] La Croix [2] cum aliis plurimis, item Guillielmus Parisiensis Maldonatus et Petrus de Marca apud Contin. Witasse [3] qui asserit hanc sententiam sequi omnes thomistas et scotistas. Accedit catechismus rom. [4] qui docet, chrisma confectum ex oleo et balsamo esse solam materiam huius sacramenti. Et sedulo subdit: *Quod autem ea sit huius sacramenti materia, tum sancta ecclesia et concilia perpetuo docuerunt, tum a s. Dionysio et complurimis aliis gravissimis patribus traditum est: in primis a Fabiano pontifice, qui* [5] *apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est.*

Nulli dubium ad materiam confirmationis constituendam requiri impositionem manuum, ut ex Scriptura desumitur, et ex patribus, prout a Tertulliano [6] a s. Cypriano [7] a s. Hier. [8] s. August. [9] et aliis. Sed neque dubitandum quod unctio chrismatis, aeque ac impositio a patribus pro materia designatur; ita s. Dionysius s. Cyrillus Hierosol. Tertullianus s. Ambrosius s. Cyprianus s. Augustinus et alii, quorum auctoritates infra transcribemus. Fatemur itaque ad materiam confirmationis requiri tam unctionem, quam impositionem, sed illam tantum impositionem, quae ab unctione est indistincta. Idque Bellarminus [10] ex ipsis patribus optime probat: *cum enim* (ait) *patres indifferenter dixerint gratiam Spiritus s. in hoc sacramento conferri nunc per unctionem, nunc per impositionem, et nunc per utrumque, infertur unctionem considerari semper cum impositione coniunctam.* Pergit Bellarm.: *Cum patres tradunt solos episcopos per chrisma dedisse Spiritum sanctum, id probant ex illo Actorum 8. ubi legitur: Tunc imponebant manus, et accipiebant Spiritum s. Ita enim loquitur s. Dionysius: Consummans unctio quae divini Spiritus illapsum elargitur* [11]. Tertullianus: *Unctio qua caro ungitur, ut anima consecretur* [12]. S. Cyprianus: *Ungi quoque necesse est, ut accepto chrismate, habere in se gratiam Christi possit* [13]. Ita etiam Innocent. I. [14] Damasus [15] Leo [16] et s. Augustinus [17]. Hinc arguit Bellarminus quod huiusmodi probatio patrum nullam vim haberet, si impositio manuum non fuisset cum unctione coniuncta. Ergo patres, docendo per chrisma sacramentum conferri, idque probando ex impositione manuum in *Actis* descripta, necessario intellexerunt apostolos non aliter quam ungendo manus imposuisse, divinumque Spiritum dedisse.

Quod autem illa unica materia chrismatis, qua nunc utitur ecclesia, sit eadem ac illa qua utebantur apostoli, patet ex *cap. unic. Innoc.* III. *de sacra unction.* §. *Per frontis*, ubi sic habetur: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur: quae alio nomine dicitur confirmatio: quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur et robur.* Illud *designatur*, non accipiendum tamquam adumbratur, vel figuratur, seu significatur, sed pro signatur, assignatur, adest, sive habetur; hoc enim eruitur clare ex verbis immediate sequentibus: *Unde cum caeteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus sacerdos id est episcopus debet conferre: quia de solis apostolis legitur* (*quorum vicarii sunt episcopi*) *quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat: Cum audissent* (inquit) *apostoli, qui erant Hierosolymis, quia accepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu; tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum san-*

(1) T. 3. eod. tit. q. 3. p. 256. (2) L. 6. p. 1. n. 380. (3) Vide l. c. (4) De sacr. confirm. §. 7. (5) In ep. 2. ad episc. Orient. quae citatur in can. Litteris vestris, de consecr. dist. 3. (6) De resur. c. 8. (7) Ep. 73. ad Iubaian. (8) Dial. adv. Lucif. (9) L. 15. de Trin. c. 26. (10) De confirm. c. 9. (11) De eccl. hier. vide c. 4. (12) L. 2. de bapt. c. 78. (13) Epist. ad Numidas. (14) Epist. 1. (15) Epist. 4. (16) Epist. 33 (17) L. 15. de Trinit. c. 26

ctum: cuius adventus per unctionis ministerium designatur. Certum est quod materiae sacramentorum, cum a Christo tantum sint institutae, mutari non possunt: ait enim Bellarminus [1] adversus quosdam recentiores: *Apostolos autem mutasse materiam, nescio an ullo modo probari possit.* Dicendo itaque Innocentius quod ideo soli episcopi valent ungere, quia soli apostoli manus imponebant, igitur impositio illa erat eadem per unctionem, quae nunc est unctio per impositionem: sic apposite scribit p. Suarez: *Sentit ergo* (pontifex) *illam manus impositionem fuisse eamdem, quae nunc est, quaeque nomine chrismationis significatur . . . quam esse sufficientem probat satis praesens ecclesiae usus etc., solum hoc faciunt episcopi nunc confirmando, quod apostoli faciebant manus imponendo.*

Idque confirmatur ab alio canone eiusdem Innocentii III. in *c. 4. Quanto, de consuet.*, ubi pontifex ad consuetudinem reprobandam quorumdam sacerdotum qui conferebant sacramenta solis episcopis reservata, dicit: *Ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre.* Nota, *chrismando, per manus impositionem,* ergo idem est manum imponere, quam chrismare. Idemque habetur in epistola Michaelis Palaeologi missa ad Gregorium X. et relata in concilio lugdunensi II. In ea epistola imperator professionem fidei emittebat, illaque a Gregorio bene accepta fuit: sic ibi dicebatur: *Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos.* Idem confirmatur ab Innoc. IV.[2] qui: *Soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur:* verbum *repraesentat* idem est ac praesentem facere.

Supersunt hic tria alia magni ponderis momenta, quorum unumquodque sufficit ad nostram sententiam tamquam certam probandam. Primum est auctoritas Eugenii IV. in decreto edito in concilio florentino, ipso concilio approbante, ad instructionem armenorum, ubi sic definitum fuit: *Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientiae, et balsamo quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ordinarius minister est episcopus, et cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre, quia de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat: Cum enim audissent (inquit) apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu: tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio.* Iuxta hanc definitionem Eugenii et concilii, plures auctores dicunt esse de fide quod sola unctio chrismatis sit materia confirmationis. Sed huic decreto tria obiiciunt adversarii.

Opponunt 1. quod cum Eugenius hoc decretum edidit, iam solutum erat concilium. Sed respondetur hoc non esse verum; licet enim graeci discesserint a concilio, remanserunt tamen patres latini, et ipsimet graeci consensum ante discessum praebuere quod concilium persisteret. Praeterquam quod dicimus cum p. Berti et communi esse omnino certe tenendam ab omnibus sententiam quod pontifex in suis definitionibus circa fidem est per se infallibilis, ut probavimus in dissert. posita in *Tract. de legib. c. 1. dub. 2.*

(1) C. 9.

(2) Epist. 10. c. 4. apud Lab. t. 11. p. 676.

in fine ex n. 110. Caeterum nequit dici, concilium ex discessu graecorum solutum fuisse, prout loquuntur adversarii ex Spondano et card. Pallavicino; nam Spondanus anno 1439. expresse contrarium refert dicens: *Non una cum graecorum discessu dissipatam esse synodum florentinam, sed continuatam cum patribus latinis annis tribus sequentibus.* Et idem testatur Pallavicinus.

Opponunt 2. quod Eugenius assignando unctionem pro materia, non assignavit illam pro materia essentiali, sed tantum pro accidentali, prout egit assignando porrectionem instrumentorum (nulla facta mentione impositionis manuum) pro materia ordinis, in quo probabilior est auctorum sententia, impositionem manuum esse materiam essentialem, et instrumentorum porrectionem esse tantum accidentalem, vel integralem, vel ad summum partialem. Alii respondent cum Menardo, quod ideo pontifex loquens de sacramento ordinis non fecit mentionem impositionis manuum, quia illa iam erat in usu apud armenos, quibus peculiarem ecclesiae romanae ritum tradere volebat. Alii respondent, ut Gammachaeus, quod impositio iam constabat ex Scriptura, et ideo omissum fuit de ea mentionem fieri. Alii respondent, Eugenium fecisse mentionem tantum de instrumentis, quia pro caeteris se remisit ad pontificale, dicens: *Prout in pontificali romano late continetur.* Sed melius respondet p. Berti, quod Eugenius in ordine designavit instrumenta tantum ut symbola munerum ab initiandis exercendorum, in confirmatione vero designat chrisma ut symbolum gratiae quae per sacramentum confertur; gratia autem non confertur nisi totalis materia essentialis applicetur. Subdo aliud responsum quod mihi fortius videtur; de sacramento ordinis Eugenius loquens, nullum ibi verbum facit de impositione manuum, unde videtur illam tacuisse, sed non exclusisse; loquens vero de sacramento confirmationis, expressam facit mentionem tam de chrismate, quam de impositione, quae ab apostolis in hoc sacramento adhibebatur. Idcirco, si pontifex putasset impositionem esse materiam ab unctione distinctam, omnino debuisset, non tantum unctionem, sed etiam impositionem designare pro materia, et utriusque materiae formas describere; alias non recta, quia non integra, sed mutilata esset eius doctrina; ac proinde, cum Eugenius reticuit impositionem distinctam ab unctione, omnino dicendum quod eam excluserit.

Opponunt 3. quod Eugenius in decreto dixit: *Loco illius manus impositionis dari in ecclesia confirmationem.* Ergo iuxta sensum Eugenii, impositio, quam apostoli adhibebant, nunc mutata est in confirmationem, nempe (ut addunt) in chrismationem. Sed bene respondet Cont. Tourn. [1] afferens verba Bellarmini, qui [2] sic ait: *Sensus non est, chrisma esse loco impositionis manuum, quasi apostoli non usi fuerint chrismate, et nos non utamur impositione manus. Sed sensus est, idipsum, quod apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc episcopos, cum dicuntur confirmare vel chrismare: distinguitur enim is in locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi*, hoc est nomen a nomine: quod enim dicebatur olim impositio manus, nunc dicitur confirmatio. Idque aperte Innoc. III.[3] expressit dicens: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio.* Idemque tradidit synodus senonensis anno 1528. proferens: *Tunc* (apostolorum tempore) *impositionis manuum, nunc confirmationis appellatum est sacramentum.*

Idem ante Bellarminum scripsit Ugo de s. Victore: *Manus impositio quae usitato nomine confirmatio vocatur, qua christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis episcopis debetur, sicut in primitiva ecclesia soli apostoli per impositionem*

(1) De confir. c. 3. a. 1. obi. 4. (2) De conf. c. 9. (3) In c. un. de s. unct. Cum venisset, §. Per frontis.

manuum Spiritum sanctum dabant [1]. Idem scripsit Thomas Waldensis, qui amplius addit, non esse fidelem, qui vellet credere quod apostoli hoc sacramentum conferebant per manus impositionem sine unctione; en eius verba: *Non recte ergo colligunt dicentes, in confirmatione non fuisse oleum unctionis vel chrismatis in primitiva ecclesia, sed ad acceptationem Spiritus sancti fuisse tantum manus impositas.* Deinde subdit: *Nemo igitur dicat qui vult esse fidelis, quod sacramentum confirmationis fiebat sine unctione per solam manus impositionem ab apostolis; non enim minus manus imponit, qui ungendo imponit* [2]. Accedit Petrus Aurelius in suo orthodoxo, edito expensis cleri gallicani, ubi auctor loquens de sensu ss. Patrum circa materiam confirmationis, inquit: *Non enim* (patres) *manus impositionem et chrismationem in confirmationis sacramento tantum coniunctas esse voluerunt, sed in unam singularemque actionem conclusas. Quare non dicunt praeberi unctionem et manus impositionem, sed unctionem impositione manus.* Et citat Bedam aliosque patres; deinde addit: *Atque hinc factum est, ut decretum sit, chrismationem ab episcopo pollice faciendam; id est imponendo manum. Atque haec consuetudo iam omnibus deinceps saeculis accepta, et perpetuo ecclesiae usu ad nos perducta est, a quo nec primis saeculis alienae fuisse videntur orientis ecclesiae.* Unde in fine ibi ait: *Impositionem quae fit in principio, caeremoniam esse sacramento confirmationis praeviam, qua neophyti praeparentur ad suscipiendam Spiritus sancti gratiam.* Sed quid significat illa elevatio manuum? Respondet p. Berti[3] quod per illam caeremoniam episcopus se commonstrat orantem invocare Spiritum sanctum super confirmandos.

Alterum momentum est illa celebris regula ab omnibus accepta s. August.[4] qui dicit: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Id prius docuit s. Basilius [5] qui dixit omnino credenda esse *dogmata et instituta quae in ecclesia praedicantur, et quae non ex doctrina scripta prodita accepimus, sed ex apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita nobis fuerint.* Hinc bene arguit Cont. Tourn. [6] quod cum ab ipsis primis saeculis unctio in confirmationis sacramento usurpata sit, et deinceps semper retenta, licet Scriptura nullam de unctione mentionem fecisset, tenendum est ex traditione apostolorum et consequenter ex institutione Christi, quod hoc sacramentum ab initio ipsis temporibus apostolorum coeperit conferri per impositionem manuum coniunctam cum chrismatis unctione.

Quod autem semper unctio ab initio usque nunc adhibita fuerit in ecclesia tam latina quam graeca, constat ex traditione patrum. De hoc primum non leve fundamentum habetur ex apostolo[7] qui dicit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus in cordibus nostris.* Haec verba interpretantur de sacramento confirmationis Ioannes Chrysostomus Hilarius et Theodoretus ac Ambrosius[8]. Praeterea illud: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis*[9], explicat de sacramento confirmationis s. Augustinus[10]. Praeterea illud s. Ioannis: *Unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis* [11], sic explicatur a s. Cyrillo Hierosol. [12]: *Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam iam consecratum est, sed est chrisma, quod Christi et Spiritus sancti, id est divinitatis eius praesentiam efficit, quo frons, et alii sensus* (loquitur de ritu graeco) *corporis tui symbolice inunguntur; et corpus equidem perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.*

(1) L. 2. de sacr. p. 3. c. 2. (2) T. 2. de sacr. c. 115. (3) C. 6. (4) In l. 4. de bapt. c. 24. (5) L. de Spiritu sancto, c. 27. (6) De confirm. c. 3. a. 1. (7) 2. Cor. c. 1. v. 21. et 22.
(8) Lib. de his qui initiantur c. 7.
(9) Eph. c. 4. v. 30. (10) L. 15. de ss. Trin. c. 26
(11) 1. epist. c. 2. v. 27.
(12) In catech. 3. myst.

S. Iustinus [1] ait: *Deinde in sacro lavacro, quae dicta sunt symbolis peractis, post illa unguento consignamur.* Theophylus, qui vixit anno 170. scripsit: *Certe nulla alia ex re christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur* [2]. S. Irenaeus: *Tum autem eum qui initiatus est opobalsamo inungunt, hoc enim unguentum fragrantiae illius quae omnia exsuperat, typum esse aiunt* [3]. Tertullianus: *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina. In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit* [4]. Nota, *de pristina disciplina.* Cornelius papa apud Eusebium [5]: *Novatus iacens in lecto pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo quae baptismum subsequi solent solemniter adimpleta sint, nec signaculo chrismatis consummatus sit, unde nec Spiritum sanctum umquam potuerit promereri.* S. Cyprianus: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit* [6]. Concilium constantinopolitanum I. [7] loquens de haereticis venientibus ad ecclesiam catholicam, sic docet: *Dantes quidem libellos, et omnem haeresim anathematizantes, quae non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica ecclesia; et signatos sive unctos primum sancto chrismate et frontem et oculos et nares et os et aures, et eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti.* S. Basilius: *Consecramus aquam baptismatis, et oleum unctionis, ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione, ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit*[8]? S. Ambrosius: *Post haec, idest post baptisma susceptum, utique ascendisti ad sacerdotem; omnes enim in regnum Dei, et in sacerdotium ungimur gratia spirituali* [9]. Innocent. I. [10] scripsit: *Solos episcopos in fronte ex oleo signare, cum tradunt Spiritum paracletum.* S. Augustinus: *Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in unctione visibili* [11]. Et alibi: *Ungimur enim modo in sacramento, et sacramento ipso praefiguratur quiddam quod futuri sumus* [12]. S. Leo [13] ait ad episcopos spectare, *chrismate baptizatorum frontem signare.* S. Gregorius M. [14] scribit: *Neophytos confirmari, dum episcopus tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.*

Omitto autem alios innumerabiles scriptores, qui post saeculum v. de unctione chrismatis loquuntur; nam Du-Hamel [15] testatur quod ipse Sirmondus fatetur, in primis tribus saeculis unctionem iunctam fuisse cum impositione manus, et sic etiam usu receptum est post aetatem Innocent. I. in posterum; additque Du-Hamel in hoc omnes cum Sirmondo consentire theologos.

Attenta igitur ex una parte regula laudata s. Augustini, quod omnia quae universa tenet ecclesia, nec ab aliquo concilio instituta esse novimus, sed semper usu recepta in ecclesia fuerunt ex traditione apostolorum derivasse credendum est. Et posito ex alia parte, quod ecclesia semper et ubique usum chrismatis servaverit, prout supra ostensum est, omnino tenere debemus, huiusmodi usum descendisse ab apostolis, a Christo edoctis, utpote in re ad sacramenti materiam pertinente; nam etiam apostoli (ut bene advertit Suar.[16]) *habebant alligatam potestatem in sacramentis institutis a Christo.* Propterea omnino tenendum est, apostolos in collatione huius sacramenti chrismatis unctione usos fuisse, sicut iam olim expresse docuit Fabianus papa [17] loquens de chrismate, deque obligatione illud quotannis renovandi, ait: *Ista a ss. apostolis et successoribus eorum accepimus, et vobis tenenda mandamus.*

Cum ergo legitur Actor. 8. quod apostoli dabant Spiritum sanctum im-

(1) Resp. ad orthod. q. 137. (2) L. ad Autolycum.
(3) L. 1. c. 13. (4) L. 2. de baptismo c. 7.
(5) L. 6. hist. eccles. (6) Epist. ad Numidas.
(7) Can. 7. (8) Libr. de Spiritu sancto c. 17.
(9) L. de initian. c. 6. (10) Epist. ad Decentium
(11) Tr. 111. in epist. Io. n. 5. (12) In Ps. 26
(13) Epist. 88. (14) In suo Sacramentario.
(15) C. 2. n. 5. et 6. (16) Sect. 4.
(17) Epist. 2. ad Orient. (Vide can. 13. Litteris, de consecr. dist. 3).

ponendo manus, et una tantum ibi, non duplex impositio nominatur; siquidem si ipsi sacramentum confirmationis ministrabant, ea impositio erat ab unctione indistincta. Nec refert quod in Scriptura expressa non facta fuerit mentio unctionis; sicut enim in Actis non fit expressa mentio baptismi conferendi in nomine trium divinarum Personarum, sed tantum in nomine Christi (*baptizati sunt in nomine Domini Iesu*[1]), nec proinde arguitur apostolos baptizasse in solo nomine Iesu; ita quamvis in actis non fiat expressa mentio unctionis, ex traditione tamen probatur confirmatio collata fuisse per unctionem cum impositione coniuncta. *Multa alia* (scribit s. Hieronymus) *quae per traditionem observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt.*

Idque conforme est doctrinae s. Th.[2] sic docentis: *Ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus, non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis. Utebantur tamen apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi signa non exhibebantur; dicit enim Dionysius*[3]: *Est quaedam perfectiva operatio, quam duces nostri* (*id est apostoli*) *chrismatis hostiam nominant.* Atque ex his omnibus patet quam improbabilis sit opinio Sirmondi, qui dicit unctionem chrismatis esse tantum materiam accidentalem huius sacramenti. Hanc opinionem Gregorius a Valentia censet eroneam; Sotus autem (apud ipsum) putat haereticam; p. Berti scribit quod ipsa saltem a temeritatis nota nequit excusari. Consequenter falsa pariter est opinio Du-Hamel, qui ait probabile esse, quod unctio in confirmatione sit tantum necessaria necessitate praecepti, non autem sacramenti.

Tertium momentum, quo magis firmatur nostrae sententiae certitudo, habetur ex declaratione Benedicti XIV. qui in epistola encyclica quae incipit, *Ex quo primum*, ad archiepiscopos et episcopos ritus graeci etc. data 1. martii anno 1756., ubi pontifex §. 51. memorata controversia, quae agitatur in ecclesia latina inter theologos, an impositio manuum et unctio chrismatis sint materia distincta vel indistincta huius sacramenti, dicit: *Unicuique licet eam sequi partem quae magis ipsi placuerit.* His verbis significat contrariam primam sententiam prout tutiorem utique posse teneri, sed etiam amplecti posse nostram sententiam ut tutam et moraliter certam: alioquin cum agatur hic de materia sacramenti, docere nequisset quod liceat sequi partem quae unicuique placuerit. Praeterea in fine praedicti §. 51. addit: *Nemini fas est asserere in ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus orientalis disciplina, quam apostolica sedes optime perspectam habuit, nec umquam damnavit aut improbavit, iuxta quam in graecorum ritualibus libris nulla fit mentio de manuum impositione, tamquam materia adaequata aut inadaequata sacramenti confirmationis.* Sed id quod magis urget, et omnino tutam nostram sententiam reddit, est illud quod mox deinde subdit Benedictus in seq. §. 52. ubi tradens quid tuto sentiendum sit de materia et forma sacramenti confirmationis in ecclesia latina, prout ibi summarium breviat, sic docet: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum, balsamo commixto, et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat.* Ibi igitur extra controversiam esse docet valide sacramentum conferri cum sola chrismatis unctione adhibita per manum episcopi, et unicam esse formam eam quae unctionem comitatur.

Qui autem huic declarationi dogmaticae pontificis in hac constitutione totam ecclesiam docentis in re quae ad fidem pertinet, acquiescere nollet, a-

(1) Actor. c. 19. v. 5. (2) 3. p. q. 72. a. 1. ad 1.

(3) De ecclesiast. hierar. c. 4.

liud obiicere non posset, quam pontificem, etiam ubi ecclesiam docet, non esse infallibilem. Sed huic ita loquenti p. Suarez et p. Bannez responderent quod eiusmodi oppositio nequit a temeritate excusari, imo Bellarminus [1] scribit: *Videri omnino erroneam et haeresi proximam.*

Iuxta autem nostram sententiam, quod materia totalis adaequata confirmationis est unctio chrismatis manu episcopi peracta, advertendum est de essentia sacramenti esse 1. ut unctio fiat *in fronte*, prout habetur ex *cap. unic. de sacram. unction.* et ex decreto Eugenii IV. iuxta communem sententiam quam tenent Suar. Coninch. Layman et alii cum Salm. [2]. 2. Ut unctio fiat *in forma crucis*, iuxta s. Thom. [3] quam communiter etiam doctores sequuntur apud Salm. [4]. 3. Ut unctio fiat *per manum ipsius episcopi ministrantis*, prout docent Suar. Castrop. La Croix et alii cum Salm. [5]. Haec de materia huius sacramenti; sed observa dicenda de eius forma, quae ad confirmanda hic dicta valde conferunt.

165. « 1. Etsi ex necessitate praecepti unctio fieri debeat pollice manus dexterae, valida tamen esset si fieret digito etiam sinistrae manus; quia vere fieret per impositionem manus episcopalis. Ita Praep. et alii (Cum Viva [6], Laym. [7] Pal. [8] Suarez [9] Renzius [10] cum Conc. et Hurt.) contra Suar. Peccabit tamen episcopus graviter contra universalis ecclesiae morem. Vide Lay. [11] et Escob. [12] qui docet, probabile esse, non peccare mortaliter.

Communius cum Busemb. sentiunt Laym.[13] Renzius [14] cum Coninch. item Suar. et Reg. ap. Escob.[15] peccare graviter episcopum qui alio digito quam pollice dexterae manus ungeret, tum quia ageret contra rubricam et usum ecclesiae in re gravi: tum quia ad hunc effectum ungitur in consecratione episcopi eius pollex, ut ait Renzius. Sed Escob.[16] cum Trull. Nugn. et Diana [17] cum Dic. Aversa et Tamb.[18] dicunt esse probabile id non excedere culpam venialem; et revera non patet omissionem praedictae caeremoniae pertingere ad peccatum mortale. Unde dicunt quod si episcopus praedictum pollicem infirmum haberet, licite posset alio digito ungere. Minime autem constat quod pollex episcopi ad hunc finem ungitur; nam in pontificali habetur, quod post unctiones pollicis et indicis episcopi utriusque manus, deinde ambae eius totae unguntur: ut pariter fit in unctione manuum initiandorum ad presbyteratum.

166. « 2. Probabile est, requiri ad valorem sacramenti ut unctio fiat ab episcopo immediate, nullo instrumento mediante. Ita Filliuc. et Laym. contra quosdam; quia debet fieri per impositionem manus. Escob. [19].

Dicunt Henr. Vival. etc. ap. Croix [20] posse fieri confirmationem penicillo, sive alio medio instrumento. Sed merito hanc opinionem reiiciunt Laym.[21] Holzm.[22] Croix [23] et Viva [24] cum Suar. Con. et aliis communiter. Ratio quia tunc deficeret immediate impositio manus ministri quae omnino requiritur; illa autem immediata impositio improprie impositio dicitur. Nec obstat dicere quod extrema unctio valide ministratur medio instrumento, ut dicemus *n.* 710. Nam bene respondet Holz. quod ibi non requiritur ad valorem sacramenti impositio manus, sicut requiritur in confirmatione. Circa autem quantitatem chrismatis, ea sufficit et requiritur, quae satis sit ad ungendam frontem confirmandi in figuram crucis, ut Suar.[25] et Salm.[26] cum Pal. et Bon.

167. « Resp. 4. Forma vera et necessaria, in ecclesia latina est: *Signo* (ut habet Trid.) vel *Consigno* (ut habet s. Thom.) *te signo crucis, et confirmo te*

(1) L. 4. de pontif. c. 2. v. Ex his. (2) De confir. c. 2. p. 2. n. 24. (3) 3. p. q. 72. a. 4. ad 3. (4) Ibid. n. 25. (5) Ibid. n. 26. (6) De confirm. q. 3. a. 1. n. 3. (7) C. 2. (8) P. 3. n. 4. (9) D. 33. sect. 3. (10) C. 2. q. 6. (11) Hic c. 2. (12) T. 7 ex. 3. (13) C. 2 n. 5. (14) De confir. c. 1. q. 6. (15) Eod. tit. n. 112. (16) Loc. cit (17) P. 3. tr. 4. rest. 22. (18) §. 2. n. 7. (19) T. 7. ex. 3. (20) L. 6. p. 1. n. 380. (21) Tr. 3. c. 2. (22) P. 42. n. 198. (23) L. c (24) De confirm. q. 3. a. 1. n. 4. (25) D. 33 (26) De confirm. c. 2. p. 2. n. 28.

chrismate salutis, in nomine Patris etc. In qua utrum de essentia sit ut utraque actio signandi et ungendi expresse significetur, disputant scholastici. Laym. et Fill. [1] Con. [2] Dian. [3].»

Quatuor adsunt sententiae circa formam confirmationis.

Prima sententia est eorum qui tenent solam impositionem manuum esse adaequatam materiam huius sacramenti, ideo dicunt formam esse solam orationem quae praecedit unctionem; sed haec sententia est omnino falsa, prout probavimus supra *n.* 164

Secunda sententia est eorum qui tenent tum impositionem manuum quae unctionem praecedit, tum unctionem ipsam, esse materias partiales; unde dicunt formam coalescere ex dicta oratione praecedenti, et ex verbis unctionem comitantibus, et sic sentiunt Iuenin. Natal. Alexand. Gotti et Tourn.

Tertia sententia singularis est Cont. Tournely, nempe p. Collet, *de confirm. cap.* 4., ubi difficulter percipi potest, qua firma ratione hic alias doctus auctor pro unica materia quam ipse tuetur adesse in hoc sacramento, deinde velit eam duplici forma indigere.

Quarta sententia est nostra et communis, quam defendunt omnes auctores citati supra *num.* 164. *v. Hic cadit*, eisque se associat p. Concina qui licet tenuerit *t.* 7. *de confirm. cap.* 2. duplicem esse materiam huius sacramenti, attamen *cap.* 3. *num.* 5. sentit unam esse formam. Dicimus igitur quod sicut totalis materia adaequata confirmationis est unctio chrismatis adhibita per manum episcopi, sic totalis forma sunt verba quae episcopus ungendo profert: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Sic docuit s. Thomas [4]. Et sic definivit Eugenius IV. cum concilio florentino in decreto ad armenos dicens: *Forma autem est: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis*, cum aliis verbis quae retulimus supra cit. *n.* 164. quibus licet pontifex mentionem faciat expresse de oratione apostolorum *Act.* 8., nullam tamen aliam docet esse formam, quam hanc mox supra descriptam. Hinc infertur quod Eugen. non solum tacuit, sed omnino exclusit omnem aliam formam praeter hanc; aliter non recte, quia non integre, ecclesiam docuisset. In hac autem forma, ut docet s. Th., adaequate omnia explicantur quae in hoc sacramento continentur, nempe *signum* militiae Christi, cui adscribuntur confirmati per illa verba, *signo te signo crucis: effectus* sacramenti, id est gratia roborans per illa verba, *Confirmo te chrismate salutis*: et *causa* gratiae, nempe ss. Trinitas per illa verba, *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Accedit auctoritas catechismi romani, qui instruens de hoc sacramento §. 12. dicit *Hanc esse perfectam et absolutam huius sacramenti formam.* Additque quod *auctoritas ecclesiae catholicae non patitur nos ea de re quidquam dubitare.* Accedit et concilium bituricense sub anno 1584. et anno sequenti approbatum [5] ac demum a Sixto V. probatum; ibi dictum fuit: *Nullam in administratione huius sacramenti formam debitam, et qua uti consuevit ecclesia, esse, quam: Consigno te chrismate salutis.* His momentis ductus p. Conc. [6] scribit, a nostra sententia utpote communi non esse recedendum, nempe formam adaequatam esse tantum verba quae unctionem comitantur.

Obiiciunt adversarii illud [7]: *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.... tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Unde dicunt, si oratio erat forma quam apostoli adhibebant, et nunc in unctione chrismatis nulla habetur oratio, ergo forma saltem partialis est oratio quae in principio dicitur ab episcopo dum manus elevat. Respondet Bellarminus [8] quod neque aliorum sacramentorum formae habentur expressae in scripturis, nusquam enim (ait) scriptum est, in baptismo dicendum

(1) T. 3. d. 10. (2) L. c. a. 4. (3) R. 27.
(4) 3. p. q. 72. a. 4. (5) Tit. 20. de confir. can. 3.
(6) Loco supra citato. (7) Actor. 8.
(8) De confirm. c. 10. obiect. 1.

esse, *Ego te baptizo;* quapropter inquit quod verbum Dei traditum satis testatur morem universae ecclesiae. Idem sentit s. Thomas [1] dicens: *Multa enim servabant apostoli in sacramentorum collatione, quae in scripturis communiter propositis non sunt tradita.* Unde Dionysius [2] dicit: *Consummativas invocationes* (*id est verba quibus perficiuntur sacramenta*) *non est iustum scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes ex occulto ad communem adducere, sed nostra sacra traditio sine pompa* (*id est occulte*) *eas edocet.* Quapropter p. Suarez [3] angelici doctoris vestigia sequens, scribit per verba illa: *Oraverunt ut acciperent Spiritum sanctum*, vel non significari formam, sed tantum praeambulam orationem quam praemittebant apostoli, ut baptizati Spiritum sanctum reciperent, prout etiam modo fit in ecclesia: vel dicendum esse, formam unctionis, *Signo te* etc. orationis nomine significari, *quia virtualem deprecationem ipsa continet, quatenus divinae virtuti et promissioni innititur.*

Nec censendum hoc gratis Suarium asseruisse; nam in ordine romano citato ab Alcuino et Amalario, qui fuerunt ante annum 800., *in offic. sabbat. sancti* dicitur, quod episcopus *per modum orantis* pronuntiat verba: *Signa eos, Domine, signo crucis.* Ac deinde dum ungit, dicit: *Ego te confirmo, in nomine Patris* etc. Unde ait Bellarminus [4] quod cum dicimus, *Signo te etc. semper significamus Deum esse qui signat principaliter, et hominem qui signat ministerialiter.* Idque confirmat Bellarm. [5] scribens: *Formae sacramentorum passim a patribus dicuntur praeces mysticae, licet interdum proferantur per verbum indicantis: nam semper a Deo expectatur et petitur principalis operatio.*

Tanto magis hoc dici valet, dum constat formam huius sacramenti olim in unctione chrismatis fuisse expresse deprecatoriam, ut legitur ap. s. Ambrosium [6] ubi haec erat forma: *Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata, ipse te ungat in vitam aeternam.* Addit Continuator Witasse *in q.* 3. de forma confirmationis *art.* 3. ex Menardo et Morino, formam usque ad nonum saeculum fuisse deprecativam, unde subdit: *Nihil impedire quominus haec forma* (signo te etc.) *licet indicativa, invocatio sit Spiritus sancti etc.* Huic porro congruit id quod scripsit s. Leo [7]: *Qui baptismum ab haereticis receperunt, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt.* Observa, *sola sancti Spiritus invocatione*, quae iam in hodierna forma habetur per illa verba, *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Caeterum quidquid de priscis ritibus sit circa huius sacramenti administrationem, in qua plures mutationes acciderunt, dicimus, quod si certum est unam esse materiam totalem confirmationis, nempe chrismationem per manum episcopi adhibendam, ut probavimus supra *n.* 164. consequenter dicendum, non duplicem, sed unam esse formam.

Obiiciunt contrarii: sed in confirmatione adsunt impositio manuum et unctio chrismatis; idcirco oratio quae praecedit chrismationem, est forma respondens impositioni; verba autem quae postea profert episcopus chrismando, est forma respondens unctioni. Sed hic iacet nodus quaestionis, quae inter nos et adversarios agitur; hunc autem nodum solvere opus est. Libet adversariis supponere, in hoc sacramento duplicem materiam concurrere, vel ut supponit p. Collet, adesse duplicem actionem in ipsamet materia, nempe impositionem et unctionem; sed iam supra demonstratum est, ubi egimus de materia, quod impositio et unctio nec sunt duae materiae disiunctae, nec duae actiones unius materiae, sed unica, singularis et individua actio

(1) Loc. cit. a. 4. ad 1. (2) C. 7. eccl. hier.
(3) Loc. cit. in s. Thomam disp. 55. sect. 3.
(4) Cit. c. 10. (5) Eod. c. 10. obi. 1.
(6) L. 2. de sacr. c. ult. (7) Ep. ad Nicoetam c.

nimirum unctio adhibita per manum episcopi, ita ut tò *unctio* est actio, tò autem *per manus episcopi* non est actio distincta, sive disiuncta, sed est tantum modus unctionis institutus a Christo, quatenus unctio a solo episcopo, et non ab alio est peragenda.

Hoc est illud quod scripsit Bellarminus [1] qui sapienter animadvertit, quod ss. patres, dicendo dari Spiritum sanctum in uno loco per impositionem, in altero dari per unctionem, apparet intellexisse quod utraque res, nempe unctio et impositio, eadem est, scilicet unctio imponendo manum, sive impositio manus ungendo. Sic etiam scripsit Thomas Wald.: *Nuno dicat quod olim sacramentum fiebat sine unctione; non enim minus manus imponit qui ungendo imponit* [2]. Idem expressius scripsit Petrus Aurel.: *Non enim manus impositionem, et chrismationem* (patres) *tantum coniunctas esse voluerunt, sed in unam singularemque actionem conclusas; quare non dicunt praeberi unctionem et manus impositionem, sed unctionem impositione manus.* Et revera Innoc. III. [3] id tradidit dicendo: *Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio.* Et alibi [4] scripsit: *Ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre.* Dicendo igitur pontifex, *chrismando per impositionem manus*, patenter docet eamdem actionem esse chrismare et imponere manus, dum in ipsa chrismatione impositio manus necessario continetur. *Ipsa enim unctio et signatio*, ait Bellarm. [5] *manus impositio rectissime dicitur. Unde Marci 7. cum postulassent quidam, ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam et aures eius.* Si autem materia proxima confirmationis una est actio, nempe unctio per manus impositionem, sive impositio manus ungendo, ideo unicae actioni, seu unicae materiae unica pertinet forma. Praeterea certum est, per plura saecula a tempore s. Thomae usque ad aetatem recentiorum nostram sententiam oppugnantium, omnes scriptores unanimiter tenuisse quod huius sacramenti unctio chrismatis est unica materia, et unica forma sunt verba episcopi unctionem comitantia. Atque hinc est quod episcopi communiter non satagunt, ut omnes confirmandi sint praesentes in principio ritus, cum minister elevans manus profert orationem, nec dubitant ipsi confirmare eos, qui postquam primus ille ritus iam est completus accedunt.

His omnibus accedit declaratio supra allata Bened. XIV. in constitutione, *Ex quo primum*, ad episcopos graecos an. 1746. die 1. martii, cuius verba hic expedit repetere: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: Nimirum in ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate etc., dum idem minister formae verba pronuntiat.* Ibi igitur non fit mentio de alia materia quam de unctione chrismatis per manum episcopi, nec de alia forma quam de verbis prolatis ab episcopo, dum ungit; et sic docet pontifex extra controversiam esse, quod in ecclesia latina sacramentum confirmationis confertur. Si alicui haec declaratio non sufficit, bene sufficit mihi et aliis qui constanter tenemus summum pontificem, ubi loquitur docens ecclesiam in re ad fidem pertinente, numquam errare posse.

168. Hinc notandum cum Salm. [6] et commun. dd. quoad formam, substantiales esse, et sacramentum invalidare omnes mutationes sequentes, scilicet: 1. Si omittatur verbum *signo* vel *confirmo*. 2. Si omittatur expressio ss. Trinitatis. 3. Si omittatur verbum *te*. 4. Si omittantur verba *signo crucis, vel chrismate salutis*. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, esset mutatio accidentalis, ut Salm. [7] cum Sot. Gran. et aliis; sicut etiam dicere *sanctificationis* pro *salutis*, ut s. Thomas [8] Valent. et

(1) De confirm. c. 9. (2) De sacram. c. 113.
(3) C. un. de sacr. unct. (4) C. Quanto 4 de consuet.
(5) C. 2. (6) De confirm. c. 2. p. 3. n. 53. ad 45
(7) Ibid. n. 44. (8) D. a. 4. ad 1

Salmanticens.[1] cum aliis communiter.

169. Quaeritur hic an sit valida forma quam adhibent graeci in hoc sacramento, dicendo: *Signaculum doni Spiritus sancti*, significantem signo illo donari Spiritus sancti munera. Affirmant communiter dd. cum Arcudio, et sic refert Illsung apud Croix[2] declarasse Urbanum VIII. Unde improbabiliter Viva[3] dubitat de validitate sacramenti cum hac forma collati, eo quod in ea deest invocatio ss. Trinitatis; nimis enim durum est dicere quod tota ecclesia graeca hoc careat sacramento. Praeterquam quod verosimiliter dicunt Tourn.[4] et eius Contin.[5] et Iuenin.[6] quod apud graecos, non minus quam apud latinos, bene invocantur in hoc sacramento Personae ss. Trinitatis, cum tali tamen differentia, quod in ecclesia latina ss. Trinitas invocatur post unctionem, in graeca vero invocatur antea in oratione praecedenti.

Tres autem sunt effectus huius sacramenti: 1. *Character* ut ex Trident.[7] et ex decr. Eugen. IV. Vide Salm.[8] et Croix[9]. 2. *Gratia*, id est robur speciale ad praelianda praelia Domini: imo ex *cap. Novissime, de consecrat. dist.* 5. declaratur in confirmatione conferri gratiae Spiritus sancti plenitudinem, similem illi quam acceperunt apostoli in die pentecostes, ut docet cath. rom.[10]. Et etiam aliquando per hoc sacramentum prima gratia confertur, ut docent s. Th.[11] et Salmant.[12] cum Suar. Pal. Laym. Bon. etc. *iuxta dicta n.* 84. 3. Effectus est cognatio spiritualis eodem modo quo dictum est *de bapt. n.* 156. *in fin.* Ita ex *c. Veniens, de cogn. spir.* Viva[13] Salmant.[14] Croix[15].

DUBIUM II. Quis sit minister et quod subiectum.

170. *An soli episcopi sint ministri confirmationis.*
171. *An peccet graviter episcopus confirmans non suos.*
172. *Et quam poenam incurrat.*
173. *An autem possit praesumere consensum aliorum episcoporum.*
174. *Quaer.* 1. *An confirmans et confirmandus debeant esse ieiuni.* 2. *An confirmatio ministranda sit in ecclesia. Et an conferri possit in die feriali et vespere.*
175. *Quando teneatur episcopus confirmare.*
176. *Quinam valide confirmentur.*
177. *An infantes.*
178. *An sit illicitum pueros confirmare sine causa.*
179. *Quae dispositio requiratur ad confirmationem.*
180. *An licite confirmentur amentes.*

170. « Resp. 1. Minister ordinarius validae confirmationis est solus et omnis episcopus, etiam excommunicatus vel haereticus: ex commissione autem vel delegatione pontificis, etiam simplex sacerdos. Est communis. Vide Fern. Laym.[16] Bonac.[17].»

Quaeritur an papa possit committere simplici sacerdoti facultatem confirmandi. Certum est solum episcopum esse ministrum ordinarium huius sacramenti, ut sancivit Innoc. III.[18] dicens: *Cum caeteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc* (scilicet chrismationis) *nonnisi summus sacerdos, id est episcopus, debet conferre.* Et idem definivit Tridentinum[19]: *Si quis dixerit sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Dubium autem fit, an ex concessione pontificis possit simplex sacerdos confirmare tamquam minister extraordinarius. Negat Viva[20] ac Salm.[21] cum communi, ut asserunt. Sed vera sententia affirmat cum s. Thoma[22] Petroc. Conc. utroque Tourn.[23] Croix[24] cum Pal. Aversa et aliis pluribus. Idque hodie non amplius dubitandum ex bulla n. ss. p. Benedicti XIV. incipiente, *Eo quamvis tempore*, edita 4. maii 1745. ubi pontifex indulsit, ut cophtis sacerdotes missionarii pro necessitate possint ministrare confirmationem, additque, hoc non esse novum, sed usitatum a s. Gregorio M. et aliis pontificibus; refertque p. Za-

(1) N. cit. (2) N. 383. (3) De confirm. q. 3. a. 1. n. 6. (4) Pracl. theol. de confirm. q. 1. a. 4. (5) Hic c. 4. (6) T. 7. p. 205. (7) Sess. 7. can. 9. (8) De confirm. c. 3. p. 1. n. 2. (9) N. 385. (10) De sacr. confirm. n. 21. (11) Art. 7. ad 2. (12) Ibid. n. 4. (13) Q. 3 art. ultim. n. 1. (14) Tr. cit. c. 4. p. 3. n. 45. (15) N. 402. (16) L. 3. t. 3. c. 6. (17) D. 3. p. 2. (18) C. un. de sacr. unct. §. Per frontic. (19) Sess. 7. c. 3. (20) De confirm. q. 3. a. 2. n. 1. (21) De confirm. c. 4. p. 1. n. 18. (22) 3. p. q. 72. a. 11. ad 1. (23) De min. confir. concl. 2. (24) L. 6. p. 1. n. 336.

charia apud Croix[1] Eugenium IV. concessisse cuidam religioso franciscano missionario facultatem non solum confirmandi, sed etiam chrisma conficiendi.

171. « 1. Etsi episcopus graviter peccet, si vel in aliena dioecesi, vel sibi non subditos confirmet, sine proprii episcopi consensu, saltem tacito, propter defectum iurisdictionis (Episcopus confirmans in aliena dioecesi, etiam subditos suos, incurrit suspensionem a pontificalibus ipso iure, ex Trident. [2] et declaratione s. c. apud Salmant. [3]): valida tamen est confirmatio, quia ista non requiritur necessitate sacramenti, sed praecepti tantum.

» 2. Excusatur a peccato episcopus, si ex alia dioecesi adcurrentes confirmet; quia praesumitur tacitus consensus alterius episcopi, cui id gratum esse censetur: praesertim si consuetudine ita receptum sit, vel a proprio aegre confirmari possint. Ita contra Bonac. [4] docent Tann.[5] Sa[6] et alii. »

172. Quaeritur an episcopus possit in sua dioecesi alienos confirmare. Per se loquendo (ut ait Busemb.) certum est non posse, idque vetitum illi esse sub gravi, additque Bonac. [7] etiam sub suspensione, sed ubi habeatur haec suspensio, non indicat, nec ego inveni; tantum enim adest suspensio in episcopum, qui ordinat alienum subditum, ut dicemus *de ordine n.* 762. At dispar quidem est ratio inter episcopum ordinantem et confirmantem; nam episcopus ordinans debet probare quos ordinat, sed confirmans confirmat, qui accedunt. Deinde certum etiam est et commune apud dd. quod ubi ex consuetudine id permittitur, licite fieri potest, ut dicunt Concina [8]. Holzm. [9]. Ronc. [10]. Et hanc esse praxim usu receptam recte aiunt Pal. [11] et Croix [12].

173. Caeterum Bon.[13] cum Ang. Lodes. Vivald. etc. sentit probabilius esse quod in hoc non sit praesumenda ratihabitio propriorum episcoporum, nisi constet. Alii vero, ut Conc. Pal.[14]. Laym.[15] Salm.[16] cum Tann. Hen. Barb. Sa etc. ac Croix [17] cum Praep. Aversa Burgh. et Delb. communius et probabilius censent episcopis licitum esse confirmare alienos subditos, quia semper praesumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum episcoporum, qui credendi sunt velle suas oves non privari hoc sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsis proveniat.

Tanto magis licite poterit episcopus confirmare ordinandum qui affert dimissoriam sui ordinarii, quia tunc bene praesumitur consensus etiam de praesenti proprii episcopi, ut dicunt Viva [18] Croix[19] cum Dic. Henr. et Salmant. [20] cum Pal. Laym. Fag. etc.

174. Quaeritur 1. An cum ministratur sacramentum confirmationis, tam confirmans quam confirmandus debeat esse ieiunus. Videtur affirmandum [21]. Sed communiter dd. dicunt hoc non esse de praecepto, sed de consilio; unde saepe tale sacramentum confertur post prandium, praecipue cum numerosus populus est confirmandus; ita Laym.[22] Pal.[23] Coninck [24] Bon. [25] cum multis, Granad. [26] Salm. [27] et Escob.[28] cum Led. Hurt. etc. Vel, ut ait Suar.[29] dici potest quod lex de conferendo hoc sacramento ante prandium non est usu recepta: *consuetudo* enim fere iam obtinuit, ut tale sacramentum post prandium conferatur.

Quaer. 2. An confirmatio debeat omnino conferri in ecclesia et an die festivo. Putat Nugnus [30] esse mortale confirmare extra ecclesiam, sicut est mortale extra ecclesiam solemniter baptizare, cum sit (ut ait) contra usum ecclesiae. Nihilominus probabiliter docent Suarez [31] Bonacina [32] Pal. [33] Bar-

(1) L. 6. n. 378. (2) Sess. 6. c. 5. (3) De confirm. c. 4. p. 1. n. 26. (4) D. 5. de sacram. (5) 5. p. d. 4. q. 4. d. 5. (6) V. Consecr. (7) P. 2. n. 10. (8) T. 8. p. 216. n. 18. (9) P. 45. n. 209. (10) Q. 1. r. 1. (11) P. 9. n. 7. (12) L. 6. p. 1. n. 392. (13) L. c. (14) Locc. cc. (15) C. 6. s. 5. (16) De confirm. c. 4. p. 1. n. 25. (17) Loc. c. (18) Q. 3. a. 2. n. 2. (19) D. n. 392. (20) Ibid. n. 24. (21) Ex c. Ut ieiuni et c. Ut episcopi de consecr. dist. 5. (22) L. 5. tr. 5. c ult. n. 2. (23) De confirm. tr. 20. d. un. p. 10. n. 4 (24) Q. 72. a. 12. (25) D. 3. de sacr. q. un. p. 2 n. 15. (26) Tr. 4. d. 2. n. 3. (27) Ibid. n. 33 (28) L. 2. n. 175. (29) De confirm. d. 37. sect. 2. v. 4 (30) Q. 72. a. 2. (31) Dict. d. 37. sect. 1. n. 2. (32) Dict. p. 2. n. 14. (33) N. 6.

bosa[1] Esc.[2] cum Hurt. Diana[3] et Salm.[4] cum Henr. et Sa, posse absque peccato gravi ministrari confirmationem in aliquo loco decenti, etiam extra ecclesiam. Nec obstat consuetudo in contrarium, nam respondent Bon. et Barb.[5] non esse credendum talem consuetudinem confirmandi in ecclesia obligare sub gravi. Unde videtur obligare saltem sub levi, nisi aliqua rationabilis causa excuset, quidquid dicant Palaus et Escob.

Quidquid autem sit de antiqua consuetudine circa tempus ministrandi hoc sacramentum, dicunt Granad. et Barb.[6] ac Salm.[7] iam usum obtinuisse, quod confirmatio conferri possit quocumque die, festivo aut feriali: et quocumque tempore, matutino aut vespertino. Additque Coninchius id esse verum etiam in locis generali interdicto subiectis[8].

175. « 3. Peccat graviter episcopus, si longo tempore non confirmet: quia subditos ingenti bono privat. »

Hoc certum est apud omnes; vide Holz.[9] Croix[10] Conc.[11] Pal.[12]. Episcopus tenetur autem suis expensis circumire ad confirmandum, ut Pal. et Croix, qui tamen excipit cum Gob. nisi sit rationabilis consuetudo expensas exigendi. Hinc dicit Croix[13] cum Dic. peccare graviter episcopum, qui per 8. vel 10. annos differret circumire saltem per loca praecipua, ut Pal. et Salmant.[14] nisi excuset moralis impossibilitas. Si autem adsit iusta causa, non peccat qui differt per tres aut plures annos. Croix cum Gob. etc.[15].

An peccet graviter episcopus non confirmans moribundum petentem. Affirmant Bonac. Quintan. etc. Sed probabiliter Croix[16] cum Escob. Lug. etc. dicit nequaquam peccare, quia excusat incommoditas et communis praxis: et adhaerent Salm.[17].

176. « Resp. 2. Valide confirmantur omnes et soli baptizati nondum confirmati. Ratio est, tum ex illo *Act.* 2. *Replevit totam domum:* tum ex usu et traditione ecclesiae: tum quia omnes indigent eius effectu, et sunt capaces. Licite vero confirmantur iidem qui valide, dummodo constet non ponere obicem sive sacramento, sive eius effectui. Ratio patet ex dictis.

177. » 1. Etiam infantes et rationis impotes valide hoc sacramentum suscipiunt.

» 2. Etsi quoad infantes consultius sit differre usque ad rationis usum, tum ob irreverentiam sacramenti, tum ob periculum iterationis, tum ob ecclesiae usum: nihilominus ob rationabilem causam etiam antea iis licite datur, v. gr. si timeatur diuturna absentia episcopi: vel hic ad ista loca raro veniat: item si infans sit in periculo mortis (in quo quidam dicunt debere dari): denique si sit filius principis. Laym.[18] Fill.[19] (Sicque sancitum fuit in conc. v. Mediol. ut refert p. Zacharia apud Croix[20] nempe quod non solum ob periculum mortis, sed etiam ob alias causas possent chrismari pueri). »

178. Certum est apud omnes, licite confirmari infantes, si iustae accedant causae, nempe periculum mortis, absentia episcopi etc. ut communiter admittunt cum Bus. Salm.[21] cum Suar. Pal. Conc. etc. ex d. Th.[22] qui ait pueris morituris dandum esse hoc sacramentum, ut maiorem gloriam consequantur. Item licite confirmantur pueri, ubi talis viget usus, ut dicunt Salmant.[23] cum Soto et Laym.[24] ac Vivaldo, qui testatur in Hispania confirmari infantes duorum vel trium annorum. Praecisis autem his vel similibus causis commune est apud omnes expedire, ut expectetur in confirmandis usus rationis, prout dicitur in catech. romano[25] ubi: *Omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire*

(1) 2. p. de potest. episcopi alleg. 30. n. 13. (2) L. 2. n. 178. (3) T. 2. tr. 3. misc. c. 17. (4) De confirm. c. 4. p. 1. n. 32. (5) Loc. cit. (6) Loc. cit. (7) Ibid. n. 34. (8) Ex c. Respondeo de sent. excomm. (9) P. 54. n. 210. (10) N. 388. (11) P. 216. n. 18. (12) P. 9. n. 15. (13) Ibid. (14) Ibid. n. 31. (15) Loc. c. (16) N. 390. (17) Tr. cit. c. 3. p. 2. n. 25. (18) Hic t. 3. c. 6. (19) T. 1. tr. 3. c. 2. (20) L. 6. p. 1. n. 390. (21) De confirm. c. 3. p. 2. n. 16. et 17. (22) 3. p. q. 72. a. 8. ad 4. (23) Ibid. n. 18. (24) C. 6. n. 2. (25) N. 13.

hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit.

Utrum autem sit illicitum infantes ante usum rationis confirmare. Dicunt plures auctores, nempe Bonacin.[1] Escob.[2] Holz.[3] Salm.[4] cum Granad. nullam agnoscere culpam in episcopo qui infantes confirmaret, quia haec erat antiqua consuetudo, et talis est hodie in ecclesia graeca; testaturque Vivaldus in Hispaniis infantes communiter confirmari in aetate duorum vel trium annorum; tanto magis, ut aiunt, quia nullibi facta videtur de hoc prohibitio. Sed id hodie amplius dici nequit, dum pontifex Bened. XIV. in *Const.* 129. *Eo quamvis* §. 6. ed. an. 1745. declaravit in praesentiarum non licere aliquem confirmare ante usum rationis, his verbis: *Nihilominus abrogato prorsus a romana ecclesia ... eiusmodi more, consultissimis pontificum decretis cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles .... intelligerint tantum inter se differre baptismum et confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento.* De caetero idem p. Benedictus XIV. post plures annos ab hac constitutione emanata scribit[5], quod licet catechismus asserat non expedire ut confirmatio ministretur pueris ante septennium, attamen non prohibet ne ipsis ullo casu conferatur. Additque quod hoc animadverso a Sylvio Suarez Sylvestro Roncaglia Iuvenino cardinali Gotti et aliis, affirmant ipsi, adhuc iuxta praesentem disciplinam licite posse conferri confirmationem pueris etiam ante septennium, aliqua causa urgente, nempe si episcopus deberet per longum tempus a sua dioecesi abesse, aut si puer esset in periculo mortis, aut ob aliam similem causam. Loquens autem de amentibus, ait Benedictus[6] omnino ipsis ministrandam esse confirmationem.

Dubitans an sit confirmatus, potest sub conditione confirmari; sed requiritur maius dubium, quam pro baptismo. Croix[7] cum Nugn. Gob. etc.

179. Confirmandus autem existens in mortali debet se disponere ad sacramentum vel contritione vel attritione una cum confessione; secus tamen, si abesset conscientia culpae gravis, ut Viva[8] Salm.[9] cum Suar. Pal. et communi. Confessio enim videtur esse de consilio, non de praecepto, ut communiter dicunt dd. apud Viva[10] et clare colligitur ex *cap. Ut ieiuni*, *dist.* 5. *de consecr.* ubi dicitur: *Ut moneatur confessionem facere prius.*

180. « 3. Etiam perpetuo amentes (praesertim si aliquando usum rationis habuerint) licite confirmantur; etsi per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. Ita Suar. Fill. Laym.[11] Con.[12] (Est commune cum Pal. Con. Bonac. Barb. et Salmant.[13] contra Sot. Val. etc.). »

DUBIUM III. Quae confirmationis necessitas et caeremoniae.

181. *An adsit per se gravis obligatio suscipiendi confirmationem.*
182. *An autem per accidens, nempe ratione vitandi, 1. periculi. 2. scandali. 3. contemptus. Et quando contemptus intervenit.*
183. *An sit gravis obligatio suscipiendi confirmationem ante susceptionem primae tonsurae.*
184. *Quae caeremoniae sint servandae in confirmatione. Et quid notandum: 1. Quoad vestes episcopi. 2. Quoad locum chrismationis. Et an confirmandi accedere debeant ieiuni.*
185. *Requiritur etiam 1. Patrinus. 2. Ut hic sit unus. 3. Ut sit confirmatus.*
186. *Dub. 1. An peccet graviter qui tenet non confirmatus. 2. An patrinus non confirmatus contrahat cognationem.*
187. *Requiritur etiam 4., ut patrinus sit diversus a patrino baptismi. An monachi possint esse patrini confirmationis.*
188. *An sit obliganda fascia frons confirmandi. Et an sit necessaria ultima benedictio episcopi.*

181. « Resp. 1. Non est necessaria ad salutem necessitate medii, neque per se praecepti. Est communis S. Th. et aliorum contra Sylvest. Ratio est, tum quia ecclesia non urget eius su-

(1) P. 4. n. 5. (2) De confirm. n 196. (3) T. 2. p. 45. n. 227. (4) De confirm. c 3. p. 2. n. 22. (5) De synodo l. 7 (6) Loc. cit. (7) N. 595. (8) Q. 3. a. ult. n. 1. (9) De confirm. c. 3. p. 2. n. 28. (10) Loc. c. (11) Loc. c. (12) Q. 72. a. 8. n. 85. (13) Ibid. n. 25.

sceptionem ullis poenis: tum quia nec ex scriptura, nec traditione, neque fine aut institutione sacramenti, tale praeceptum colligitur. Et canones qui in contrarium afferuntur satis explicantur de necessitate ad melius esse.

» Dixi: *per se*, quia per accidens aliquando potest esse necessaria ad salutem ex praecepto caritatis sui vel proximi, vel alio, v. gr. ad cavendum scandalum, vel ratione conscientiae, qua quis valde metuit, ne in tormentis deficiat sine hoc sacramento.

Unde resolves:

» 1. Negligere hoc sacramentum, secluso scandalo et contemptu, non est mortale. Suar. Laym.[1] Bon.[2] qui ex aliis multis docet, nullum esse praeceptum illud suscipiendi.

» 2. Etsi omissio ex contemptu, v. g. si quis id nihili faciat, aut puerile, aut vile habeat, sit mortalis; talis tamen non censetur esse, cum quis ejus oblatam occasionem, quam postea non facile habiturus est, negligit. Ita commun. contra Sylv.[3] et Tol.[4] ».

Magna est haec quaestio inter dd. an adsit gravis obligatio suscipiendi hoc sacramentum confirmationis.

Prima sententia affirmat, quam tenent Merbes. Cont. Tourn.[5] Concina[6] Habert[7] cum Ang. et Hug. a s. Vict. item s. Bon. s. Anton. Alens. Sylv. et Palud. apud Palaum[8]. Dicunt praefati aa. obligationem hanc oriri tam ex praecepto naturali, quam positivo. Ex naturali, quia grave detrimentum sibi infert, qui in lucta tentationum negligit se munire magno robore huius sacramenti, ad hunc finem instituti. Ex positivo, tum divino ut probatur ex *Actor.* 1. ubi Christus Dominus: *Praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent sed expectarent promissionem Patris:* nempe Spiritum sanctum, cuius donum tribuitur in confirmatione; tum ecclesiastico, nam Urbanus papa[9] sic ad christianos scripsit: *Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plene christiani inveniantur.* Hoc etiam Melchiades papa[10] dixit: *Victuris necessaria sunt confirmationis auxilia.* Confirmatur ex catech. rom.[11] ubi de hoc sacramento dicitur: *Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet... Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum.* Item s. Cyprianus[12] scripsit: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere gratiam Christi possit.*

Secunda sententia vero negat, per se loquendo, teneri quemque fidelem sub gravi confirmationem suscipere, et hanc tuentur cum Busemb. gravissimi aa. prout Navarr.[13] Suarez[14] Sotus[15] Laym.[16] cum Covar. Abb. Panorm. Adrian. Val. Henr. Vict. et Con. item Frassen[17] Wig.[18] Pal.[19] Bon.[20] Ronc.[21] Anac.[22] cum comm. ut asserit, Spor.[23] Elbel[24] Viva[25] Croix[26] Salm.[27] cum aliis. Et huic sententiae aperte adhaeret d. Th., nam[28] sic ait: *Quaedam* (sacramenta) *sunt, sine quibus non est salus: quaedam vero sunt, quae cooperantur ad perfectionem salutis; et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti.* Item[29] repetit quod confirmatio est necessaria non ad salutem, sed ad perfectionem salutis, *sicut equus ad ambulandum, et medicina ad sane vivendum.* Additque aliqua sacramenta esse ita necessaria, ut sine illis (homo) non possit in spirituali vita vivere, sicut est baptismus et poenitentia: *Quaedam autem sine quibus*

(1) L. 5. t. 3. c. 5. (2) D. 3. q. 1. p. 2. (3) V. Confirmatio. (4) Lib. 2. c. 4. (5) De confirm. c. 8. concl. 2. (6) T. 8. p. 223. n. 1. (7) T. 5. p. 322. c. 9. (8) De confirm. p. 8. n. 3. (9) In cap. Omnes 1. de consecr. dist. 5. (10) In cap. Spiritus sanctus, ead. dist. (11) De confirm. §. 6. (12) Epist. 70. (13) Man. c. 22. n. 9. (14) P. 3. d. 38. sect. 1. § 1. (15) D. 7. q. un. a. 8. (16) De confirm. c. 5. q. 4. (17) T. 10. p. 457. concl. 1. et 2. (18) Tr. 11. ex. 6. n. 79. (19) P. 8. n. 5. (20) P. 2. in princ. (21) C. 2. q. 2. r. 2. (22) De sacram. p. 544. n. 63. (23) T. 3. p. 216. num. 53. (24) T. 3. pag. 32. (25) De confirm. q. 3. a. 2. n. 6. (26) L. 1. p. 1. n. 395. (27) De confirmatione c. 4. p. 4. n. 52. (28) 3. p. q. 72. a. 1. ad 3. (29) 4. d. 7. qu. 1. a. 1. q. 2.

non potest consequi aliquem effectum; qui est ad bene esse spiritualis vitae, et hoc modo confirmatio et omnia alia sunt necessaria. Verumtamen contemptus cuiuslibet sacramenti est periculosus. Clarius id confirmat[1] dicens: *Et ideo Hugo a s. Victore dicit:* Omnino periculosum esset, si ex hac vita sine confirmatione migrare contingeret; *non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Nec dissentit Scotus[2] qui: *Extrema unctio est instituta a Christo, et confirmationis sacramentum, et tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est praeceptum de isto vel illo recipiendo.*

Dicunt igitur fautores huius sententiae non adesse de hoc sacramento suscipiendo ullum praeceptum neque naturale neque positivum. Non *naturale*, quia licet Christus Dominus hoc sacramentum instituerit tamquam peculiare medium ad vincendas hostium insidias, tamen alia sunt generalia media, prout frequens eucharistiae perceptio, oratio, poenitentia etc. quibus robur animae etiam obtineri potest. Nec *positivum*, quia nullibi tale praeceptum reperitur expressum. Illud enim quod est in *Actor.*[3] intelligitur fuisse datum tantum apostolis, ut ipsi peculiari modo Spiritum sanctum acciperent, et tamquam ecclesiae fundatores ministerium praedicationis aggrederentur nonnisi supernaturali scientia et donis prophetiae, linguarum ac miraculorum praediti. Alia autem quae habentur ab Urbano et Melchiade ut supra, intelliguntur non de necessitate praecepti ad salutem, sed ad perfectionem salutis, ut docet d. Thomas, cuius perfectionis detrimentum sive privationem ait non inducere damnationem: confirmatio enim non reddit hominem perfectum simpliciter et quoad substantiam, quod est solius baptismi, sed quoad uberioris gratiae perceptionem, sive ad melius esse spirituale, ad quod homo non tenetur sub gravi. Sic pariter intelligitur catechismus rom.; imo id aperte ibi exprimitur in §. 17. ubi dicitur quod *illi confirmari debent, qui ad perfectum christianae religionis habitum perducendi sunt.* Et deinde additur: *communis omnium mater catholica ecclesia vehementer optat, ut in iis quos per baptismum regeneraverit, christiani hominis forma perfecte absolvatur.* Ubi etiam nota, non dici quod ecclesia praecipit, sed *optat*, quo utique exprimitur non adesse ecclesiae praeceptum. Ad textum autem s. Cypriani respondetur quod s. doctor non dicit necesse esse hoc sacramentum suscipere de necessitate praecepti, sed necesse esse ut illud suscipiat qui eius gratiam vult obtinere; vel potest alio modo intelligi, scilicet quod sine confirmatione non licebat ministrare baptismum tunc temporis, quando baptismus simul cum confirmatione dari praecipiebatur, ut habetur *in cap. De his*, 3. *dist.* 5. *de consecr.*

182. Dicunt autem aa. secundae sententiae, quod licet per se loquendo omissio susceptionis huius sacramenti non sit mortalis, conveniunt tamen communiter posse esse mortalem per accidens in tribus casibus, et 1. Si quis omittendo alias firmiter crederet periculum sibi imminere amittendi fidem vel caritatem, ut Suar. Pal. et Salm.[4] cum Con. Gran. etc. 2. Si quis omitteret cum scandalo, nempe si esset suspectus de fide, et reputaretur confirmationem contemnere, aut non credere esse sacramentum. Pal. Laym. Ronc. Suar. Spor. Salm.[5] cum aliis communiter. 3. Si omittatur ex contemptu, quem alii intervenire intelligunt, quando quis commode sacramentum suscipere potest, et negligit; hunc enim, etsi non formalem, virtualem tamen contemptum reputant. Ita sentiunt Habert Conc. Nat. Alex. uterque Tourn. Iuen. item Sylvest. Ric. et Gabr. apud Laym.[6]. Et huic opinioni favet Scot.[7] qui ait: *Iudicaretur enim contemptus*,

(1) Cit. q. 72. a. 3. ad 4.
(2) 4. d. 17. q. 1. n. 11. (3) Loc. c.
(4) De confir. c. 4. p. 4. n. 59. (5) Ibid. n. 58.
(6) Locc. cc. (7) D. 7. q. 2.

si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur. Alii vero forte probabilius dicunt tunc tantum intercedere contemptum, quando quis negligit confirmationem suscipere, non quia detinetur a quodam rubore vel incommodo, sed quia illam parvi facit; plura enim bona spiritualia homines saepe adipisci praetermittunt ex negligentia, sine eo quod illa reputent contemnere. Ita cum Bus. mox infra Suar.[1] Laym.[2] Pal.[3] Ronc.[4] Spor.[5] Elb.[6] et Salm.[7] cum Con. Gran. etc. ex d. Th. qui [8] ait: *Dicendum quod tunc aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordini legis vel regulae, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu.* Si ergo non contemnit legem qui eam transgreditur propter concupiscentiam, neque contemnet confirmationem qui eam suscipere negliget, ut patiatur aliquod incommodum, ruborem, vel simile. Id aperte confirmat catech. rom. *dict.* §. 16. ubi loquens de hoc sacramento distinguit negligentiam a contemptu, dicens: *Saepe evenit ut fideles in hoc sacramento suscipiendo, dissoluta quadam negligentia et cunctatione utantur; nam de iis qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere et aspernari audeant, nihil est quod dicamus etc.* Minime autem negandum cum Suar. Pal. Laym. Salm. Con. et aliis (contra aliquos) talem negligentiam esse saltem peccatum veniale, cum sit quaedam prodigalitas spiritualis.

Verumtamen postquam haec scripsi, invenio declaratum a Bened. XIV. in bulla, *Etsi pastoralis* quod omnes confirmationem suscipientes a presbyteris graecis, invalide confirmantur; hinc pontifex subiungit, ipsos admonendos esse de obligatione gravi suscipiendi, cum possint, confirmationem ab episcopis. En verba pontificis: *Monendi sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt.* Quapropter secunda opinio supra relata, nimirum non teneri fideles sub gravi ad confirmationem suscipiendam, hodie non videtur satis probabilis.

« 3. Praeceptum, quod habetur in Tridentino [9] non ligat omnes, cum sit hypotheticum: sed tantum ordinandos, vel initiandos prima tonsura. Cuius omissionem non esse mortalem contra Tan. docent Henr. Valent. Suar. [10] et Nav.[11] qui addit, ne quidem episcopum peccare mortaliter, ordinando non confirmatum; aut si ipse non confirmatus ordinet. Vide Reg. [12].»

183. Quaeritur an sit obligatio gravis suscipiendi hoc sacramentum ante susceptionem primae tonsurae. Affirmant Bon. [13] Renzi [14] cum Tolet. Fornar. et Maiol. apud Dian. [15] ex praecepto Trident.[16] ubi dicitur: *Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Et in huius praecepti confirmationem refert Renzius [17] quamdam declarationem s. c. concilii die 27. septembris 1621. apud Nicolium, ubi dictum fuit quod qui susceperit primam tonsuram vel ordines non confirmatus, tamquam male promotus non possit ad alios ordines ascendere, nec recipere beneficia sine sedis apostolicae dispensatione. Negant vero alii communissime, quod praefata verba Tridentini gravem obligationem importent; ita Nav.[18] qui sic ait: *Peccat qui non se facit confirmare ante omnem ordinationem; nullam tamen censuram incurrit, tum quia eius omissionis negligentia non est mortalis; tum quia nullo iure id cavetur.* Idem sentiunt Sot.[19] Suar.[20] Pal.[21] Esc.[22] Salm.[23]

(1) L. c. v. Quo circa. (2) Q. 4. (3) P. 3. n. 6. (4) L. c. (5) N. 33. (6) N. 20. (7) De confirm. c. 4. p. 4. n. 57. (8) 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. (9) Sess. 23. c. 4. de reform. (10) D. 38. s. 1. (11) C. 22. (12) L. 28. c. 3. (13) De ord. p. 4. n. 3. (14) Eod. tit. q. 3. (15) P. 2. tr. 16. r. 4. (16) Sess. 23. c. 4. (17) Loc. cit. (18) Man. c. 22. n. 9. v. Quinto. (19) D. 24. q. 1. a. 4. (20) D. 38. sect. 1. v. Quo circa. (21) De cons. p. 3. n. 6. (22) Eod. tit. n. 193. (23) De confirm. c. 4. p. 4. n. 65.

Tamb. [1] Dian. [2] cum Azor. Val. Avil. Con. et Molfes. Idem sentit perdoctus Cabassut. [3] cum communi, addens Suarium Coninch. Nav. Vict. etc. extendere hanc doctrinam etiam ad collationes ordinum. Et idem dicunt Nav. [4] Laym. [5] de episcopo ministrante. Ratio, vel quia verba concilii solam monitionem continent, cum verba imperativi modi per se non inducant praeceptum ut dicunt Caiet. Navar. Sa et Sayr. quos retulimus ex Glossa [6] et ex d. Thoma, qui [7] dicit: *Nec in lege ecclesiae omnes ordinationes obligant ad mortale;* vel quia verba Tridentini non continent strictum praeceptum, eo quod haec non aestimetur materia gravis, aut quod praeceptum ita a consuetudine sit interpretatum. Merito tamen dicunt praefati auctores, id non excusari a veniali (contra Holzm. [8] Gran. [9] et Tamb. [10] qui nullam in hoc culpam agnoscunt) saltem ob quamdam deordinationem quae in tali omissione interveniret.

184. « Resp. 2. Circa caeremonias confirmationis, scienda sunt sequentia: 1. Etsi servandi sint ritus in pontificali praescripti, peccetque graviter episcopus, si confirmet sine pluviali, mitra, vel pedo; uti et si ordines sacros conferat cum solis indumentis missae; Dian. [11]; non tamen semper erit mortalis alicuius omissio, v. gr. alapae aut cerei. Potest autem conferri loco quovis decenti, etiam extra ecclesiam, et a prandio non ieiunis, omni anni tempore. »

Notandum 1. quoad vestes episcopi ministrantis, in pontificali rom. praescribi quod episcopus debet esse indutus amictu supra rochetum vel superpelliceum si sit religiosus, ac stola, pluviali albi coloris, mitra et baculo. Dicit autem Villalob. apud Dian. [12] peccare tantum venialiter episcopum qui confirmaret sine vestibus sacris, dicens, hanc esse caeremoniam accidentalem. Sed verius ipse Dian. [13] et Tambur. [14] Sporer [15] ac Renzi [16] dicunt esse mortale omittere omnia praedicta instrumenta, cum ipsa pertineant ad reverentiam sacramenti; secus si aliquod tantum omittatur, quia id non videtur esse materia gravis: et sic intelligendus Busemb., cum ipse se referat ad doctrinam Dianae. Advertendum tamen quoad baculum, sufficere quod baculus maneat publice expositus, vel a clerico detineatur, ut ex figura in pontificali depicta signatum ostenditur. Item s. c. de propag. fide 7. decemb. 1726. apud Pitton. [17] declaravit sufficere quod episcopus sine mitra, adhibita tantum stola, confirmet.

Notandum 2. quoad caeremonias alapae et cerei, omissionem alapae, secluso scandalo, numquam esse mortalem, ut recte dicunt Suarez [18] Bonacina [19] et Barbosa Gran. Ledesm. et alii ap. Salm. [20]. Omissionem autem cerei Led. et Sa [21] absolute negant umquam posse esse mortalem, cum haec caeremonia minime inveniatur praescripta in pontificali, sed tantum ex solo usu sit introducta.

Notandum 3. quoad locum, Nugnum apud Bonac. [22] putare quod sit mortale confirmare extra ecclesiam, sed hoc est contra communem. Alii vero, ut Bus. et Dicast. apud Croix [23] dicunt id omni culpa carere, modo confirmatio ministretur in loco decenti. Sed communius Bonac. et Croix [24] ac Salm. [25] cum Con. et Praepos. censent hoc esse veniale: quod puto verius, nisi interveniat aliqua causa excusans, iuxta id quod notatur in rubrica pontificalis ubi dicitur: *Hoc sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium episcopi.* Probabiliter autem dicit Pal. [26] licite semper posse episcopum confirmare in suo oratorio domestico.

Notandum 4. quoad ieiunium, quod

(1) C. 3. §. 4. n. 4. (2) L. c. (3) L. 3. c. 3. n. 10. (4) L. c. (5) C. 5. n. 4. (6) C. 1. de praescrip. (7) 2. 2. q. 166. a. 9. ad 2. (8) T. 2. p. 45. n. 218. (9) D. 1. n. 9. (10) Loc. cit. n. 5. (11) P. 7. t. 10. r, 31. (12) Ibid. (13) Ibid. (14) De confir. §. 2. n. 4. (15) T. 3. p. 217. n. 41. (16) Qu. 3. (17) De 5. ritib. t. 1. n. 532. (18) D. 37. s. 2. (19) P. 4. n. 9. (20) De confir. c. 4. p. 2. n. 41. (21) Ibid. (22) P. 2. n. 14. (23) N. 289. (24) Locc. cc. (25) Ibid. p. 1. n. 32. (26) P. 10. n. 6.

licet in *c. Ut ieiuni, dist.* 5 *de consecr.* praescribatur, ut confirmandi accedant ieiuni; et in pontificali rom. dicatur: *Confirmandi deberent esse ieiuni;* dicunt tamen Salm. [1] et Croix [2] id esse tantum consilii; sed melius dicunt [3] Aversa et Gob. ac Cabassut. [4] et Renzi [5] iam usum invaluisse, quod hoc sacramentum conferri possit etiam post prandium. Sic pariter confirmatio conferri potest quocumque die, ut dicunt Suar. [6] et Salmant. [7] cum Gran. et Busemb. *ubi supra*, et sic usum ferre testatur Croix [8].

185. « 2. Sub gravi culpa, ut docet Nav. [9] ex communi, requiritur patrinus; isque unus tantum (licet Tol. duos admittat) qui, si confirmatus non sit, peccat graviter secundum communem. Escob. tamen ex Con. docet non esse mortale: quod probabile esse docet Quintan. [10]. Imo nullum, si fiat in necessitate, et non contrahit cognationem, ut docent Sanchez Suar. contra Sylvest. Sa et alios. »

1. Igitur requiritur patrinus, et quidem sub gravi, ut cum Nav. et communi dicunt Busembaum et Holzm. [11]. Patrinus autem confirmationis designandus est a parentibus, vel ab episcopo in eorum defectu. Croix [12] cum Gobat.; (hoc intelligendum si confirmandus sit puer). Dicit autem Holzman cum Gobat. et Illsung quod licite posset conferri confirmatio sine patrino, casu quo is haberi non posset. 2. Requiritur ut patrinus sit unus, ut tenendum cum Busemb. et Salmant. [13] ex Pal. Bon. et Reb.; nam sic praecipitur *in cap. fin. de cogn. spir. in* 6. ubi dicitur: *Non plures quam unus vel una accedere debent ad suscipiendum de baptismo.... De confirmatione idem iudicium est habendum.* Licet autem Tridentinum in baptismo duos admittat, cum tamen nihil disponat de confirmatione, quippe iuri antiquo standum est. 3. Requiritur ut hic patrinus sit confirmatus, ex praecepto quod habetur in *can. In baptismate*, 102. *dist.* 4. *de consecrat.* ubi: *In baptismate vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.* Et in pontificali rom. habetur: *Nullus qui non sit confirmatus potest esse in confirmatione patrinus.*

186. Sed hic dubitatur 1. an peccet graviter qui non confirmatus teneat. Dicit Bus. quod Escob. negat esse mortale; sed errat; nam hic auctor [14] oppositum expresse docet, quia talis patrinus violaret praeceptum ecclesiae in re gravi, et sic tenendum cum Conc. [15] et communi ut asserit idem Bus.

Dubitatur 2. an patrinus non confirmatus contrahat cognationem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenet Conc. [16] Sot. [17] et Navar. Tab. Man. Lopez apud Sanchez [18] item Sa Palud. etc. apud Salm. [19] qui probabilem putant, sicut etiam censet Croix [20]. Ratio quia (ut dicunt) to *non potest* in *cit. c.* 102. mox supra, per se et proprie non denotat invaliditatem actus, sed tantum prohibitionem, sive (ut aiunt Surd. et Bard. apud Escob. [21]) quia verbum *non potest* interdum sonat idem ac *non decet*, vel *non expedit* [22].

Secunda sententia vero negat, quam tenent Glos. *in d. c.* 102. Suar. [23] Tol. [24] Bon. [25] et Renz. [26] qui refert declarationem s. c. concilii die 13. iunii 1654. apud Ios. de Ian., ubi dictum fuit, non confirmatum suscipientem confirmandum non contrahere cognationem spiritualem. Eamdem ut probabiliorem tenet Sanchez [27] cum Ang. Vict. Hen. Led. Palac. etc. Ratio tum quia verbum *non potest* reddit actum omnino nullum, ut dicit Sanch. se probasse [28], tum quia sicut in baptismo non contrahit patrinus non baptizatus, ita in confirmatione non confirmatus. Utraque est

(1) Loc. cit. n. 33. (2) Loc. cit. (3) Ibid. (4) L. 3. c. 3. n. 2. (5) Q. 4. (6) D. 37. s. 2. (7) Ibid. n. 34. (8) Loc. cit. (9) C. 22. (10) T. 2. sect. 7. (11) T. 2. p. 46. n. 222. ex c. 2. et 6. caus. 30. q. 1. (12) N. 397. (13) De confir. c. 4. p. 3. n. 50. (14) De confir. n. 233. (15) P. 229. n. 3. (16) L. c. (17) In 4. d. 42. q. 1. a. 3. (18) De matrim. l. 7. d. 60. n. 19. (19) De conf. c. 4. p. 3. n. 47. (20) L. 6. p. 1. n. 400. (21) N. 231. (22) Ex leg. Nepos ff. de verb. sign. (23) Q. 72. a. 10. (24) L. 2. c. 24. n. 11. (25) De matr. q. 3. p. 3. §. 2. n. 20. (26) De confirm. q. 9. (27) Loc. cit. n. 20. (28) L. 6. d. 38. n. 20

probabilis. sed secunda probabilior, saltem, quia est maiori auctoritate munita ob declar. s. c.

187. « Debet autem patrinus esse diversus a patrino baptismi saltem extra necessitatem (Ut dicunt Salmant.[1] cum Laym. Pal. Bonac. et comm. Excipit tamen Croix[2] cum Sylv. et synodo coloniensi, nisi aliqua adsit causa in contrarium. Patrinus autem debet esse eiusdem sexus, cuius est confirmandus, iuxta usum ecclesiae, et ritum pontificalis rom., prout dicit Croix[3] cum Aversa) licet cum Bon. et Hurt. id neget Quint.[4] et secus facientem non peccare mortaliter, dicat Diana[5] et non monachus (nisi factus episcopus), admitti tamen et illos et moniales posse sine culpa, docet idem Quintan.[6] nisi in eorum religione sit prohibitum. Eo autem nomine non excludi mendicantes notat Concin. et alii quinque cum Diana.[7] Nec refert, seclusa consuetudine, num vir sit aut foemina. Neque etiam contrahit obligationem instruendi confirmatum (Ut dicunt etiam Salmant.[8] cum Laym. Pal. Bon. et Henr. Excipiunt tamen Aversa et synod. colon. apud Croix[9] si confirmatus non sit instructus et alius desit) sed tantum cognationem spiritualem cum eo et eius parentibus: dummodo tamen eum tangat.

Quidquid dicat Quintanad. apud Busemb., verius id censent vetitum Salmant.[10] Sanch. Bon. Led. et comm. ap. Spor.[11]. Nam in *c. Monach.* 104. *dist.* 4. *de consecr.* universe dicitur: *Monachi sibi compatres commatresve non faciant.* Excipiunt autem 1. Spor.[12] et Pal. Barb. Gobat. etc. apud Croix[13] si confirmandus esset pariter religiosus. Excipiunt 2. Suarez Dicast. etc. apud Croix[14] si religiosus sit mendicans, sed hanc exceptionem nec admittit p. Concina. Quoad modum autem suscipiendi in confirmatione, praescribitur in pontificali rom. quod confirmandus ponat pedem super pedem dexterum patrini; sed recte dicit Conc. hodie receptam consuetudinem habere, quod sufficiat ut patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat, et hanc consuetudinem testatur Conc. approbatam fuisse a s. c. rituum die 20. septemb. 1749.

188. « 3. Frons confirmati obliganda est fascia linea cruce notata, gestanda uno, tribus, vel septem diebus, pro consuetudine, illota interim fronte (Sed hodie ex desuetudine haec caeremonia non amplius in nostris partibus est in usu, cum statim post unctionem abstergatur frons confirmati, et sic dimittatur). Potest etiam, si ratio subsit, statim auferri, et frons ablui; ipsa autem comburi vel honeste asservari debet, nec ad profanos usus adhiberi, propter contactum chrismatis, neque solvens illam contrahit cognationem. V. Praep.[15] 4. Parochos teneri in librum referre nomina confirmatorum et patrinorum suae parochiae (eamque curam ad episcopos etiam pertinere), tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter ordines suscipiendos, docet Quintan.[16] ex Barb. etc. ac denique licere mutare nomen in confirmatione[17]. »

Notandum ultimo pro complemento huius materiae, quod benedictio communis quae datur ab episcopo confirmatis in fine non est necessaria ad sacramentum, sed est simplex caeremonia, ut communiter dicunt dd. cum Croix[18]. Hinc probabiliter ait Tamb.[19] admonitionem quae fit, ne confirmati ante benedictionem praefatam discedant, non videri quod obliget. Imo dicunt Laym.[20] Pal.[21] et Tamb.[22] quando magnus est concursus, omittendam esse illam admonitionem, ut aliis locus praestetur; et hanc esse praxim testatur Croix[23].

(1) Loc. cit. n. 49. (2) N. 398. (3) Ibid.
(4) T. 2. sect. 7. et 14. (5) P. 3. t. 4. r. 21.
(6) Loc. cit. sect. 18. (7) P. 9. t. 6. r. 32.
(8) De confirm. c. 4. p. 3. n. 51. (9) N. 397.
(10) Ibid. n. 48. (11) T. 3. p. 218. n. 47.
(12) Loc. cit. (13) N. 397. (14) Ibid.
(15) In 3. p. q. 2. a. 12. (16) T. 2. sect. 11.
(17) Ibid. sect. 10. (18) L. 6. p. 1. n. 400
(19) De confirmatione c. 2. §. 2. n. 9.
(20) Lib. 5. c. 7. n. 2.
(21) Tr. 20. qu. 10. n. 12.
(22) Loc. cit. (23) Loc. cit.

TRACTATUS TERTIUS

DE EUCHARISTIA

Cap. I. De essentia eucharistiae

Dubium I. Quid sit eucharistia.

189. *In quo constituatur sive consistat essentia eucharistiae.*
190. *Vide resolutiones apud Busemb. circa rationem specificam et numericam huius sacramenti.*
191. *Qu. 1. An tota ratio specifica eucharistiae salvetur in alterutra specie. Qu. 2. Unde sumatur unitas numerica eucharistiae.*
192. 3. *An eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate medii.*
193. 4. *An eucharistia sit necessaria adultis ad vitam spiritualem conservandam.*

189. « Resp. est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum. Ita communiter Scholastici.

Unde resolves sequentia:

» 1. Tam species consecratae, quam corpus et sanguis Christi, intrinsece et essentialiter constituunt hoc sacramentum: adeoque falsum est quod docuit Waldensis, corpus et sanguinem Christi esse totum sacramentum. Ratio est, tum quia Trident. docet, corpus et sanguinem contineri hoc sacramento: tum quia, quatenus continetur, non est sensibile. Item falsum est quod docent Marsilius et Sotus, solas species constituere hoc sacramentum; tum quia eucharistia est cibus coelestis; tum quia adorari debet latria, ut docet Tridentinum. »

Hic praenotandum quod in omnibus sacramentis tria distinguuntur, nempe sacramentum tantum, res tantum, et sacramentum ac res. *Sacramentum tantum* est illud quod significat; *res tantum* est id quod significatur sive effectus sacramenti; *sacramentum ac res* simul est id quod significatur ab uno, et significat aliud. In hoc autem eucharistiae sacramento, *sacramentum tantum* sunt species consecratae, quae tantum significant animae refectiones; *res tantum* est ipsa refectio; *res et sacramentum* est corpus Christi, quod significatur a speciebus, et gratiam significat. Hinc magna oritur quaestio inter dd., nempe in quo consistat essentia eucharistiae. Plures sunt sententiae, sed duae sunt magis receptae.

Prima sententia, quam tenent Gonet [1] Petrocor. [2] et Salm. [3] cum Soto Gonz. Henr. etc. dicit quod essentia sive ratio sacramenti consistit in recto in solis speciebus: corpus autem Christi pertinet ad sacramentum tantum in obliquo, id est tamquam quid extrinsece connotatum. Probant 1. ex *c. Cum Marthae, de celebr. miss.* ubi sic dicitur: *Forma* (id est species) *est panis et vini; veritas, carnis et sanguinis; virtus unitatis et caritatis. Primum* (id est species) *est sacramentum et non res. Secundum* (id est corpus Christi) *est sacramentum et res. Tertium* (id est effectus) *est res et non sacramentum.* Cum igitur textus dicat species esse sacramentum, et distinguat sacramentum a re simul et sacramento, quod ait esse corpus Christi; ergo (ut dicunt) totam rationem sacramenti textus refundit solis speciebus. Probant 2. ex Trid. [4] ubi habetur: *Si quis negaverit in ss. eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Dom. N. Iesu Christi, anathema sit.* Ergo si corpus Christi continetur in sacramento, sequitur quod species sint sacramentum tantum continentes corpus Christi, ne dicatur corpus Christi contineri in seipso.

190. *Secunda sententia* vero, quam tenent cum Busemb. Suar. [5] Continuat. Tourn. [6] item Vasq. Concin. Val. etc. apud Salm. [7] dicit sacramentum eucharistiae consistere in recto sive essentialiter aeque in speciebus ac in corpore Christi. Ratio, quia ex corpore Christi aeque ac speciebus unum fit sacramentum. Christus autem continetur in sacramento tamquam pars in toto, ut anima in homine, non vero tamquam aliquid extrinsecum a ratione sacramenti. Et sic respondetur textui quem opponunt Tridentini. Haec-

(1) Man. t. 6. tr. 4. c. 1. §. 1. (2) T. 3. pag. 291. q. 2. (3) De euch. c. 1. dub. 2. n. 18. et 19.
(4) Sess. 13. can. 1. (5) D. 42. sect. 3.
(6) De euch. p. 1. c. 1. a. 1. concl. 2. (7) N. 29.

que ratio confirmatur a d. Augustino relato in *can. Hoc est*, 48. *dist.* 2. *de consec.* ubi docet hoc sacramentum *duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini N. Iesu Christi carne et sanguine, sicut Christi persona constat ex Deo et homine.* Ad textum autem in *cap. Marthae*, respondet Lugo [1] (qui diversam sustinet sententiam, nempe quod essentia eucharistiae in recto consistat in corpore Christi, et in obliquo tantum in speciebus) quod pontifex, dicendo species esse sacramentum, non intendit dicere quod solae species sint sacramentum, sed quod species in eucharistia non habent aliud munus quam sacramenti; significant enim et non significantur; ad differentiam corporis Christi, quod est sacramentum simul et res, nempe quod significat gratiam et significatur a speciebus; non autem textus excludit, quod corpus Christi pertinet ad essentiam sacramenti. Utraque sententia est probabilis.

« 2. Usus sive sumptio eucharistiae non est proprie ipsum sacramentum, neque aliud sacramentum ab eo distinctum, ut vult Gabriel; nec pars illius, sive essentialis, sive integralis, ut Aureolus; sed tantum applicatio sive conditio ut sacramentum operetur.

Omnia alia sacramenta, ut sub initio huius *lib.* 6. notavimus, dicuntur *transeuntia*, quia tum solum sunt sacramenta, cum conficiuntur et applicantur. Hoc tantum eucharistiae sacramentum dicitur *permanens*, quia consistit in re permanente, et sic corpus Christi post consecrationem existens sub speciebus panis est vere et proprie sacramentum, sive sumatur sive in sacrario servetur, ut habetur definitum in Trident. [2] ubi: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. Iesu Christi, sed tantum in usu..... anathema sit.*

» 3. Etsi quaelibet species, imo quaevis pars speciei, sit integrum et essentialiter perfectum sacramentum, ideoque sacramentum eucharistiae, sub speciebus panis et vini, physice et materialiter specie differat; moraliter tamen et in ratione sacramenti est unum specie infima sacramentum: tum quia est unum signum rei sacrae, tum quia ordinatur ad unum specie infima finem. Vide s. Th. [3].

» 4. Etsi, physice loquendo, tot sunt numero sacramenta, quot numero species, vel etiam partes specierum: moraliter tamen unum numero sacramentum est; quod per modum unius proponitur et sumitur; quia id ad unum finem, scilicet ad unam refectionem spiritualem refertur.

» 5. Hostiae in diversis altaribus recte concipiuntur ut distincta sacramenta; contra vero, si sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul sumat (eadem est ratio plurium specierum diversae rationis), non ideo dicitur accepisse plura numero sacramenta. »

191. Super his ante omnia praenotandum id quod habetur in Trident. [4]: *Corpus* (existere) *sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae..... Divinitatem porro propter eius cum corpore et anima hypostaticam unionem.* Item [5]: *Quamvis Redemptor noster hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam accipiunt.*

Sed quaeritur 1. an tota ratio specifica huius sacramenti salvetur in sola specie panis aut vini, seorsim sumpta.

Prima sententia affirmat, quam tenent Bellarm. [6] et Gonz. Nugnus et alii apud Salm. [7] Ratio quia quaelibet spe-

(1) De euchar. d. 1. n. 27. (2) Sess. 13. can. 4.
(3) 3. p. q. 72. a. 2. (4) Sess. 13. c. 3.
(5) Sess. 21. c. 3. (6) L. 4. de euch. c. 22.
(7) De euchar. c 2. p. 1. dub 1. n. 16.

cies rationem habet integri convivii, tum per concomitantiam sanguis veniat sub specie panis, et corpus sub specie vini. Idque arguunt ex illis verbis Tridentini, ut supra: *Sub altera specie verum sacramentum sumi.*

Secunda sententia vero probabilior dicit, totam rationem specificam sacramenti non salvari, nisi in utraque specie. Ita Lugo [1] Tournely [2] ac eius Cont. [3] et Salm. [4] cum Ledesma Corneio etc. Ratio quia, licet per concomitantiam corpus Christi veniat sub specie vini, et contra: quod sufficit quidem ad totum assequendum fructum sacramenti, ut docet concilium; hoc tamen per accidens evenit, quia nunc sanguis non potest a corpore separari, sed non per se; nam si in triduo passionis apostoli celebrassent, utique sanguis non venisset sub specie panis. Unde, cum sub altera tantum specie vi verborum et per se ponatur tantum corpus vel sanguis, non potest per se significari per alterutram speciem tota refectio cibi et potus, in qua consistit ratio specifica huius sacramenti. Et pro hac sententia videtur expresse esse d. Thomas [5] cum sic dicat: *Panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectio.* Ergo formaliter, seu quoad rationem specificam sacramenti, non perficitur in ratione significandi refectio, nisi in utraque specie.

Quaeritur 2. unde sumatur unitas numerica huius sacramenti. Alii dicunt sumi ab unitate corporis Christi, ut Lugo et Suar., alii a physica continuatione partium ipsarum specierum, et ita dicunt tot esse sacramenta, quot sunt species panis vel vini physice discontinuae, ut Vasq. etc., alii a morali coniunctione specierum inter se, ut Salm. [6] cum Soto et Bellarm. qui tenent quod plures species consecratae, etsi discontinuae, licet physice sint plura sacramenta, moraliter tamen unum sunt sacramentum ex morali coniunctione quam habent dum per modum unius proponuntur aut sumuntur; et haec sententia videtur probabilior cum Busemb. *ut supra.*

Quoad species igitur huius sacramenti concludendum quod, licet quaelibet species sit materialiter diversa, moraliter tamen utraque constituit unum sacramentum, cum utraque significet unum convivium ex cibo et potu constans. Quoad numerum vero dicendum quod numerus sumitur ex multiplicitate sumptionum; unde si una species vel una hostia distribuitur pluribus, vel eidem personae in diversis vicibus moraliter distinctis, diversa sunt numero sacramenta. E converso, si alicui eodem tempore ministrarentur ambae species, vel plures partes eiusdem speciei, unum esset sacramentum. Sic pariter, si diversae species consecratae eodem tempore, et in eodem altari proponuntur, unum erit sacramentum; si vero eaedem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, diversa erunt sacramenta.

192. Quaeritur 3. An eucharistia sit necessaria ad primam iustificationem obtinendam. Supponitur ut certum cum s. Th. [7] eucharistiam esse ad salutem necessariam necessitate praecepti, non solum ecclesiastici, sed etiam divini, ex Luc. [8]: *Hoc facite in meam commemorationem.* E contrario certum est non esse necessariam necessitate medii, secundum realem susceptionem, ut asserunt Salm. [9] communiter contra haereticos. Dubium est an sit necessaria saltem in voto, necessitate medii

Prima sententia negat cum s. Bon Suar. Vasq. Cai. Laym. Bon. etc. apud Salm. [10]. Ratio quia hoc sacramentum non est institutum ad causandam primam gratiam. Et ideo concilium Trident. [11] damnat dicentes, praecipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum.

Secunda sententia tamen probabilior

(1) De euchar. d. 2. sect. 1. (2) Prael. theol. de euchar. q. 4. a. 3. (3) Hic c. 1. a. 1. concl. 4.
(4) Ibid. n. 17. et 18. (5) 3. p. q. 73. a. 2. ad 2.
(6) De euch. c. 2. p. 2. n. 42. et 46.
(7) P. 3. q. 80. a. 11. (8) C. 22. v. 19.
(9) De eucharistia c. 3. p. unic. n. 6.
(10) Ibid. dub. 1. n. 8. et 14.
(11) Sess. 13. de eucharistia can. 5.

quam tenent Conc.[1] Sot. Led. et plures cum Salm.[2] docet votum saltem virtuale et implicitum eucharistiae, respiciens hoc sacramentum ut finem vitae spiritualis, esse necessarium necessitate medii ad salutem tam adultis, quam parvulis. Adulti autem tale votum habent, dum sacramenta baptismi aut poenitentiae suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia praecepta implendi, hoc etiam praeceptum eucharistiae saltem implicite comprehendit; parvuli vero votum habent, non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita ecclesiae, quae pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi baptismum. Et hanc docet s. Thomas[3] qui ait: *Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti: vel nisi ex aliquo voto ipsius, sicut adulti, vel voto ecclesiae, sicut parvuli.* Et probatur primo ex Ioan.[4]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. non habebitis vitam in vobis.* Probatur secundo ratione, quia sacramenta baptismi et poenitentiae, quae certe sunt necessaria necessitate medii, saltem in voto, ad primam gratiam obtinendam, non conferunt gratiam, nisi respiciendo ad eucharistiam, ut ad finem omnium sacramentorum.

193. Quaeritur 4. An eucharistia in re vel in voto sit medium necessarium adultis ad vitam spiritualem conservandam. Negant Suar. Vasq. Durand. etc. apud Salm.[5] dicentes ad hoc alia adesse media. Sed communius et verius affirmant Sot. Gonz. et Salmant.[6] cum s. Th.[7]. Ratio quia sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita vita animae sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo qui necessitatem huius sacramenti advertit.

Hinc tenent Salm.[8] cum Corneio etc. non excusari a peccato, etiam qui semel in anno eucharistiam sumunt, si norint communionem tam raram ei non sufficere ad perseverandum, habita ratione propriae infirmitatis. *Vide dicenda n.* 295.

(1) P. 317. n. 6. (2) Ibid. n. 16.
(3) P. 3. q. 79. a. 1. ad 1. (4) C. 6. v. 54.
(5) De euchar. c. 3. dub. 2. n. 34.
(6) Ibid. n. 33.

Dubium II. Quae materia eucharistiae

194. *Quae sit materia proxima huius sacramenti.*
195. *De obligatione consecrandi sub utraque specie.*
196. *Dub.* 1. *An haec obligatio sit de iure divino vel ecclesiastico. Dub.* 2. *An papa possit in ea dispensare. Dub.* 3. *An sit valida consecratio unius speciei sine altera.*
197. *An aliquando per accidens possit una species sine altera consecrari.*

194. « Nota; sicut in aliis sacramentis est duplex materia, proxima et remota, ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis, materia remota est res permanens; proxima vero eius usus, qui transit: hic vero remota transit et proxima manet, scilicet species panis et vini. Quaeritur ergo tantum de remota, illa scilicet quae facta consecratione transit in corpus et sanguinem Christi.

» Resp. Materia eucharistiae est tantum panis et vinum. Est de fide, et probatur ex institutione Christi[9]. Et quidem utraque materia, panis et vinum, est ita necessaria ad hoc sacramentum conficiendum, ut per se numquam licite possit una consecrari absque alia: quod patet tum ex facto Christi[10], tum ex Trid.[11].

Unde resolves:

195. « 1. Consecratio utriusque speciei est iuris divini, quia ratio sacrificii, sine quo non fit, exigit utramque.

» 2. Non licet alteram tantum speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v. g. ut moribundo detur viaticum. Suar. etc. comm.

» 3. Nec pontifex in eo potest dispensare ullo casu. Ita comm. Suar.[12] etc. contra quosdam. »

196. Certum est necessarium esse de necessitate praecepti consecrare eucharistiam sub utraque specie, ut docet s. Th.[13] cum aliis communiter, ex *c. Comperimus*, *d.* 2. *de consecr.* et ex Trid. ut mox infra: unde commune ac

(7) P. 3. q. 80. a. 11. ad 2. (8) Ibid. n. 42.
(9) Matth. 26. et Luc. 22. (10) Luc. 22.
(11) Sess. 22. (12) 3. p. d. 35. sess. 4.
(13) 3. p. q. 80. a. 12. ad 3

certum est apud omnes, nec etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem ad viaticum infirmo porrigendum. Vide Salm. [1] Bonac. [2] et alios passim.

Sed dubitatur 1. utrum praeceptum hoc sit divinum, an ecclesiasticum. Navar. [3] et Adrian. Maior. etc. apud Cont. Tour. [4] dicunt esse ecclesiasticum. Sed omnino tenendum esse divinum cum Suar. [5] Tourn. [6] Conc. [7] et Bon. [8] cum Cai. Sot. Palud. Reg. Fill. et aliis communiter. Idque patet ex Trid. [9] ubi dicitur Christum praecepisse sacerdotibus, ut corpus suum offerrent non aliter quam sub utraque specie; en verba concilii: *Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem* (nota) *rerum symbolis apostolis, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit.*

Dubitatur 2. an pontifex possit in hoc praecepto dispensare. Affirmant plures graves dd., ut Az. Alan. Gabr. Henr. etc. apud Salm. [10] idque probabile putant Sanch. [11] et Cont. Tourn. [12] cum Isamb. Et probant ex Trid. [13] ubi dicitur: *Hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi ..... magis expedire iudicaret.* Sed negant communiter Suarez [14] Lugo [15] Conc. [16] Salm. [17] cum Gon. Cai. Sot. Sylvest. Val. etc. Ratio quia ecclesia, etsi potest immutationes facere circa administrationem sacramentorum, ut loquitur concilium, non autem potest circa ea quae in sacramentis administrandis sunt de praecepto divino, prout est consecratio utriusque speciei, ut mox supra probavimus. Sed haec ratio non omnino convincit, nam ut dicemus *de matr. n.* 1119. iuxta plurium sententiam, probabiliter potest papa etiam in praeceptis divinis dispensare cum iusta causa in aliquo casu particulari, vel saltem tunc interpretari divinum praeceptum. Hoc tamen non obstante, primam sententiam dico non posse in praxim deduci, quia (ut mox dicemus in *seq. dub.* 3.) probabile est non fieri sacramentum nisi in sacrificio, ad quod (iuxta nostram sententiam referendam *n.* 306. *qu.* 2.) necessario requiritur consecratio utriusque speciei. Caeterum recte dicit ipse Cont. Tourn. [18] quod ecclesia in hoc praecepto numquam dispensavit, nec unquam dispensabit; communiter enim cum Suar. Lug. Conc. Salm. [19] etc. reiicitur id quod refert Volaterranus [20] nempe quod Innoc. VIII. dispensaverit cum norvegis, ut possent consecrare panem et calicem sine vino, quod utique incredibile est.

Dubitatur 3. an consecratio unius speciei sine altera sit valida. Nemo dubitat quin valida sit, si id casu accidat, ut mox infra dicetur in casibus a Busemb. allatis. Dubium igitur fit an valide consecret sacerdos qui positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera. Negat Lugo [21] quem sequitur Renzi [22], quia (ut ait) ratio sacramenti nequit dividi e ratione sacrificii; sacerdos enim non accipit potestatem conficiendi hoc sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma ordinationis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.* Unde, cum ad essentiam sacrificii pertineat consecratio utriusque speciei, iuxta probabiliorem sententiam quam infra afferemus *num* 306. *Qu.* 2., sequitur quod qui sacrificium non offert, neque sacramentum conficit. Alii vero communiter affir

(1) De euch. c. 4. p. 3. n. 37. (2) D. 4. q. 2. p. 3. n. 9. (3) Man. c. 25. n. 92. (4) De sacrif. miss. c. 3. a. 2. sect. 3. concl. 2. (5) Disp. 43. s. 3. (6) Prael. theol. de sacrif. miss. a. 3. (7) T. 3. p. 425. n. 3. (8) D. 4. q. 2. p. 3. n. 5. (9) Sess. 22. c. 1. (10) De euch. c. 4. p. 3. n. 41.

(11) De matr. l. 3. d. 6. n. 6. (12) Loc. sup. c (13) Sess. 21. c. 2. (14) D. 43. s. 4. (15) De euc d. 19. s. 3. (16) P. 423. n. 3. (17) Ib. n. 44. (18) I (19) Ibid. n. 49. et 50. (20) Lib. 7. georg. (21) De eucharist. d. 19. n. 103. (22) Eod. tit. q. 43.

mant, ut Suar.[1] Spor.[2] Salm.[3] Diana[4] Bonac.[5] cum Con. Fill. Henr. Reg. etc. Ratio quia in omni sacramento semper ac minister formam profert super materia cum debita intentione, perficit sacramentum. Haec sententia est quidem valde probabilis, sed ratio Lugonis non videtur improbabilis; nec obstat auctoritas d. Th.[6] quam affert Bon. pro secunda sententia, nam s. doctor loquitur tantum contra eos qui dicerent non consecrari corpus, nisi postquam consecratur sanguis, quod certe falsum est.

197. « Dixi 1. *Per se;* quia per accidens et praeter intentionem, aliquando unam posse solam consecrari absque peccato, docet Tan.[7] dicitque esse communem, v. g. in his casibus:

» 1. Si quis aquam vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret nisi diu post, aut postquam advertisset, neque posset haberi aliud vinum: vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti sine gravi scandalo, vel vitae periculo (Vel sine magno simili incommodo, ut Salm.[8] cum Suar. Bon. Regin. etc.). 2. Si post consecratam hostiam subitum mortis periculum ab hostibus vel incendium immineat, secluso tamen scandalo et contemptu fidei. Reg.[9] (Cum Salm.[10]). 3. Si sacerdos, hostia consecrata, moriatur, vel animo deficiens loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius qui possit sacrificium perficere. Suar. Vasq. etc. Si autem alius supplere, et sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividi, eique pars dari. Tamb.[11] (Vide Suar.[12] Spor.[13] Renz.[14] cum Azor. Mai. Henr. et Hurt. Bon.[15] cum Reg. etc. qui fere omnia haec confirmant. Sed bene advertunt Salm.[16] Mazzot.[17] et Wig.[18] numquam posse sacerdotem consecrare in una sola specie ob metum mortis ab extrinseco, sive ab alio incusso ad hunc finem, ut sic consecret; quia tunc ageret directe contra praeceptum divinum, quod est intrinsece malum).

» Dixi 2. *Licite*, quia valide alterutram tantum consecrari, est certum: ut patet tum ex facto Christi qui panem ante consecravit, tum ex praxi ecclesiae quae corpus ante sanguinem proponit adorandum. »

DUBIUM III. Qualis debeat esse panis in materia eucharistiae.

198. *An solus panis triticeus sit materia apta.*
199. *Non est ad eucharistiam materia apta: 1. Panis ex oryza, leguminibus etc. 2. Massa cruda aut frixa, sive elixa. 3. Panis subactus oleo, lacte etc. Quid si aqua non naturali? 4. Hostiae rubrae. 5. Panis corruptus.*
200. *Quinam panis est materia dubia. An ex farre, siligine, amylo.*
201. *Quinam panis est materia valida, sed illicita. 1. Si modice aliae rei permixtus. 2. Si mucidus.*
202. *Valide etiam, sed illicite consecrant Latini in fermentato, et Graeci in azymo.*
203. *Dub. 1. Quid si Latinus transeat per Graeciam, vel contra. Dub. 2. An Latinus possit celebrare in fermentato ad dandum viaticum.*
204. *De hostia fracta, vel maculata.*
205. *De figura hostiae consecrandae. Et an liceat celebrare cum hostia minori.*

198. « Resp. 1. solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum iudicio tantum censetur ille qui ex farina triticea et aqua naturali mixtus et igne tostus sive assus, atque in sua specie incorruptus est: quia hic solus simpliciter dicitur panis, alius vero nonnisi cum addito, v. g. hordeaceus.

Unde resolves:

» 1. Falsum est, quod docuit Caiet. eucharistiam posse consecrari ex quovis pane cuiusvis speciei, dummodo sit aptus ad vescendum. (Idem docent d. Th.[19] catech. rom.[20] et Salm.[21] cum Lug. Pal. Fill. et alii communiter. Et patet ex decr. Eugenii, ubi dicitur de eucharistia: Cuius materia est panis triticeus, et vinum de vite. Confirmatur a missali rom. ubi: Si panis non sit triticeus non conficitur sacramentum.

(1) D. 43. sect. 2. (2) T. 3. p. 109. n. 130.
(3) De eucharistia c. 4. p. 3. n. 36.
(4) P. 10. tr. 16. r. 7. (5) D. 4. q. ult. p. 5. n. 2.
(6) 3. p. q. 78. a. 6. (7) D. 5. q. 2. dub. 5. n. 27.
(8) Ibid. n. 38. (9) L. 29. c. 4. (10) De euch. c. 4. p. 3. n. 39. (11) De exp. sacrif. l. 2. c. 8.
(12) D. 43. sect. 4. (13) T. 3. p. 109. n. 133.
(14) Q. 46. (15) P. 3. n. 8. (16) Ibid. n. 40.
(17) Tract. 5. d. 4. quaest. 1. c. 2.
(18) Tract. 12. ex. 2. n. 16.
(19) 3. p. q. 74. a. 4. (20) P. 2. n. 13.
(21) De euchari tia c. 4. p. 1. n. 5.

199. » 2. Non est apta materia ad validam consecrationem: 1. Panis ex oryza, avena, millio, pisis, fabis, amygdalis, aliisque leguminibus et arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus; quia haec omnia, communi usu et opinione censentur specie distingui a tritico. Laym. Bonac. card. Lugo [1]. 2. Massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa, ut sunt placenta, libum, sive differant specie, sive non (Salm.[2] cum Fill. Pal. etc.). 3. Panis subactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte et ovis, saccharo, aliove liquore, qui aqua naturali non sit mixtus, quia non est panis usualis. Ita Laym.[3] Caiet. tamen et quidam recentiores contrarium docent, quare est saltem materia dubia; idque confirmat missale rom. [4] et cardin. de Lug. [5] unde qui hostias emunt, certi sint quod aqua naturali et non rosacea confectae sint. 4. Similiter hostiae rubrae, quibus sigillantur litterae, non sunt materia valida, vel minimum dubia: quia per admixtionem cinnabaris notabiliter alterantur. Cardin. de Lugo [6] quod Ant. Perez apud Dian. [7] limitat, si multum cinnabaris sit mixtum; si autem sit valde parum censet probabile, quod sit materia valida, illicita tamen. 5. Panis substantialiter corruptus. 6. Panis subactus aqua marina. Fag. apud Dian. [8] qui contrarium docet, eo quod illa sit naturalis aqua (Et cum Diana consentit Renzius [9] Ac revera nescio intelligere cur panis confectus aqua maris non sit verus panis, cum aqua maris sit vera et naturalis aqua, sicut diximus de baptismo [10] et docet s. Th. [11]. Secus vero quidem dicendum, si farinae misceatur aqua rosacea vel quicumque alius liquor, quia tunc non esset verus panis usualis, ut dicit idem s. doctor [12]).

200. » 3. Panis ex farre sive spelta, item ex siligine, est materia dubia: quia alii dicunt, solis accidentibus propter loci sterilitatem, alii specie distingui a tritico: ideoque non licet, saltem uti pro sacramento, quia hoc exponeretur periculo. Vide auctor. cit. (S. Thom. [13] S. Bonav. Cai. etc. apud Croix [14] dicunt siliginem esse verum triticum; sed negant Conc. Pal. et plures; unde Carden. apud Croix et Cont. Tour.[15] Renzi [16] cum Bon. recte docent esse mortale, in siligine consecrare, prout in materia dubia. Amylum autem certe non est materia apta. Croix[17] Salm. [18] cum s. Th. Lug. et communi contra aliquos).

201. » 4. Valida, sed illicita est materia: 1. Si aliquot grana, vel guttae alterius speciei cum tritico et aqua misceantur, ita ut triticum tamen et aqua plurimum praedominetur, quia si maior pars non sit triticum et aqua, non erit materia valida; de quo monendi sunt illi, qui hostias coquunt. Bon. [19] Laym.[20]. (S. Th [21] idem docet, dicens: *Si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti. Si vero sit magna permixtio, puta ex aequo vel quasi, talis permixtio speciem mutat, unde panis exinde confectus non erit debita materia.* Et sic etiam dicunt Salm.[22] communiter). 2. Panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur. Bon.[23]. (Hoc esset, si sapor aliqualiter mutaretur, et tunc esset mortale illo uti. Palaus et Conin.).

202. » 5. Perinde est ad valorem sacramenti, sive panis sit azymus sive fermentatus, ut definivit Trid. quia uterque est usualis et proprie dictus panis. Interim in suis ecclesiis latini in azymo, et graeci in fermentato conficere tenentur, sub praecepto gravi et culpa mortali; a qua non excusat necessitas, v. g. dandi viaticum. Vide Bon. [24] Fill. [25] card. de Lugo [26]. »

(1) D. 4. s. 1. (2) Ibid. n. 11. (3) L. 5. tr. 4. c. 9. (4) Tit. de defect. (5) D. 4. sect. 1. n. 4. (6) Dist. 4. sect. 1. (7) P. 7. t. 12. r. 3. (8) P. 9. tr. 9. r. 53. (9) C. 1. q. 18. (10) N. 105. (11) 3. p. q. 66. a. 4. ad 1. (12) Q. 74. a. 7. ad 3. (13) 3. p. q. 74. a. 3. ad 2. et 5. (14) L. 6. p. 1. n. 421. (15) De eucharist. c. 3. a. 1. concl. 1 v. An autem. (16) Q. 9. (17) N. 423. (18) De euch. c. 4. p. 1. n. 14. (19) D. 4. q. 2. p. 1. n. 6 (20) C. 2. (21) Q. 74. a. 3. ad 3. (22) Ibid. n. 8 et 10. (23) L. c. n. 5. (24) D. 4. q. 2. p. 1. (25) T. 4. c. 3. q. 8. (26) Loc. cit.

Et est commune cum Soto Suar. Laym. et Salm. [1]. Sic enim tradidit conc. florent. in decreto ad armenos §. 2.: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque iuxta ecclesiae suae sive orientalis sive occidentalis consuetudinem.* Hinc n. ss. p. Bened. XIV. in constit. super ritibus graecorum edita an. 1742. *Etsi pastoralis*, sub poenis perpetuae suspensionis a divinis confirmat prohibitionem, ne latinus aut graecus praeter proprium ritum celebret.

203. Sed dubitatur 1. An latinus in locis graecorum possit celebrare in fermentato, et graecus in locis latinorum in azymo. Conveniunt dd. quod si inter graecos inveniatur ecclesia latinorum, in qua latinus ritus servatur, sacerdos latinus debeat consecrare in azymo, et sic e converso. Ita Suar. [2] Cont. Tourn. [3] Holzm.[4] Spor.[5] et Salm.[6] cum Sanch. Bon. etc. communiter. Dubium est, quando latinus transit per Graeciam (vel contra). Censet Ledesm. apud Salm. [7] teneri ad celebrandum in fermentato. E contrario Vasq. [8] Conc. [9] et Aversa [10] dicunt teneri celebrari in azymo. Caeterum communiter et probabilissime Nat. Alex. [11] Antoine [12] Suar. Cont. Tourn. [13] et omnes alii mox citati docent latinum tunc posse celebrare sive in fermentato, sive in azymo. In fermentato, iuxta doctrinam d. Augustini [14] qui sic ait: *Nec disciplina ulla est melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere videret ecclesiam ad quamcumque forte devenerit.* Potest etiam celebrare in azymo, tum quia, etsi bene facit qui morem regionis, ubi reperitur, sequitur, ad id tamen non tenetur, ut advertunt Suar.[15] et Glos.[16] tum quia Leo papa [17] monet (ut refert Suar.) ut unusquisque iuxta suae ecclesiae ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur.

Dubitatur 2. An in casu necessitatis, ad praebendum viaticum infirmo possit sacerdos latinus consecrare in fermentato. Affirmant Maior et Tanner. apud Renz. [18] quia, ut dicunt, praeceptum divinum suscipiendi viaticum praevalere debet praecepto humano celebrandi in azymo. Sed negat communis et probabilior sententia, quam tenent Navarr.[19] Cont. Tourn.[20] Ant.[21] Suarez [22] cum Soto Gabr. Led. Vict. item Diana [23] Croix [24] Renz.[25] cum Pal. Laym. Tamb. et Bonac. Ratio quia in hoc casu praeferenda est reverentia erga tantum sacramentum utilitati proximi, cui tale sacramentum non est simpliciter necessarium.

204. Secluso autem scandalo, est tantum veniale sine rationabili causa consecrare hostiam fractam vel maculatam, nisi fractura vel macula esset enormis: tunc enim esset mortale, ut Croix [26] cum Quart. et Pasq. Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur. Croix[27] cum Gob.

205. « Resp. 2. Ex praecepto ecclesiae panis consecrandus debet esse figura orbiculari (in ecclesia latina) et integra. Dixi *latina*, quia graeci quadratum adhibent, et in particulis triangularem, ut habet Arcudius. Licere etiam in hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest, et scandalum abest, celebrare privatim; imo, si causa urgeat, etiam publice die festo, docent March.[28] Dian.[29] Tamb.[30] et Avers. [31] eo quod nullum sit praeceptum, neque constet de consuetudine obligante sub praecepto. (Id admittit Tamb. [32] etiam causa devotionis, et consentiunt Ronc.[33] cum Quarti et Elb.[34]

(1) Ibid. n. 19. (2) D. 44. sect. 3. v. Illud. (3) De euch. c. 3. §. 1. concl. 2. (4) N. 242. (5) N. 149. (6) De eucharist. c. 4. p. 1. n. 21. (7) Ibid. n. 20. (8) D. 174. c. 3. (9) T. 3. p. 249. (10) Q. 2. sect. 4. (11) Art. 3. prop. 4. reg. 12. (12) C. 1. q. 2. (13) Ibid. (14) Ep. 118. c. 2. (15) Loc. cit. (16) In c. Quae contra dist. 3. (17) In epist. ad Michaelem Caerular. c. 29.

(18) C. 1. q. 4. (19) C. 21. n. 3. (20) Loc. cit. (21) De eucharist. q. 2. (22) D. 66. sect. 5. (23) P. 10. tr. 16. r. 39. (24) N. 451. (25) L. c. (26) N. 432. (27) Ib. (28) In candel. t. 4. c. 8. q. 3. (29) P. 3. t. 13. r. 80. et p. 6. t. 7. r. 17. (30) De exped. sacr. l. 2. c. 3. (31) Q. 11. sess 12. (32) §. 8. n. 16. (33) C. 2. q. 6. r. 3. (34) P. 69. n. 13.

cum Gobat. si absit scandalum, quod potest praecaveri monendo populum. Imo addit Ronc. quod tenetur sacerdos in hostia minori consecrare, si dandum esset viaticum infirmo). Quo casu, elevare adorandam maiorem ab alio praeconsecratam, licere vult idem Tamb.[1] contra March. et Diana [2]. Non licet autem parvam sumere, et maiorem relinquere (v. g. ad exponendam in hierotheca) nisi ipse eadem missa etiam istam consecraverit, quia debet communicare de suo sacrificio, Tamb.[3]. Quare male facit parochus, qui renovaturus eucharistiam, hostiam ab alio consecratam ipse sumit, et a se consecratam reponit in sacrario, vel hierotheca. Tamb. [4] card. de Lugo [5].

Dubium IV. Quale vinum sit materia eucharistiae.

206. *Quale vinum non est materia apta. 1. Sicera etc. 2. Agresta. 3. Acetum. 4. Uvae. 5. Mustum decoctum.*

207. *Quale est materia valida, sed illicita. 1. Mustum. 2. Vinum permixtum. 3. An acescens. Vide infra qu. 1. 4. An congelatum. Vide infra qu. 2.*

208. *An sub praecepto gravi aqua miscenda sit vino. Et qualis aqua, et in quanam quantitate. Et an mixtio facienda in calice.*

209. *An aqua mixta vino immediate convertatur in sanguinem.*

210. *Quaenam quantitas aquae immiscenda in calice. Quid si sanguis cadat super altare, lintea, aut corporale etc.*

206. » Resp. 1. Solum vinum vitis, ut docet fides, et definitum est in florentino.

Unde resolves:

» Non est materia apta ad validam consecrationem 1. Sicera, et quicumque liquor ex moris, malogranatis etc., sive dicatur vinum, sive non. 2. Agresta, sive omphacium, id est, succus ex uvis immaturis expressus: quia non est vinum, sed in via ad vinum, cuius naturam nondum induit; habetque se, sicut massa cruda respectu panis. Laym. [6] Succum tamen ex uvis passis expressum consecrabilem esse putat Franc. Amic. apud Dian. [7] eo quod verum sit vinum. 3. Acetum, quod est vinum substantialiter corruptum [8]. Quod si post sumptionem (imo etiam ante eam, post consecrationem calicis) dubium incidat, fueritne acetum an vinum, esse praesumendum quod fuerit vinum, docet Tamb.[9]. (Sed vide mox dicenda subsequenti adnotatione). 4. Uvae, seu vinum intra uvas contentum vel imbibitum in offa panis, tum quia non tam est potus, quam cibus; tum quia succus ille non dicitur proprie vinum, donec sit expressus; tum quia in eo statu non satis ad sensum demonstratur per formam. Card. de Lugo [10] Laym. etc. 5. Sapa, seu defrutum, id est mustum ad dimidiam seu tertiam partem decoctum, quia non est amplius vinum, nec potus, sed cibus. Bon.[11]. 6. Lora, id est aqua expressis acinis superfusa. Fill.[12] card. de Lugo [13]. »

Adverte quae de his habentur in rubr. missalis [14]: *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum.* Notandum autem quod vinum *de uvis acerbis* tunc est ineptum, quando nullam habet speciem vini, ut docet d. Th.[15] qui ait: *Agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini, et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum.*

Quoad autem vinum acetum, si post consecrationem sacerdos prudenter dubitat an vinum fuerit verum acetum, dicunt Tamb.[16] et Spor.[17] cui adhaerent Bus. *ut supra,* et Mazzot. [18] iudicandum fuisse materiam aptam, tum quia possessio stat pro substantia vini, tum quia non est turbandum sacrificium sine certo fundamento. Verumtamen La Croix [19] Pasq.[20] et Aversa [21] recte censent supplendam esse consecrationem illam, ne sacrificium relinquatur in periculo non integritatis, contra praeceptum faciendi sacrificium

(1) L. c. (2) Locc. cc. (3) L. c. (4) L. c. (5) D. 19. sect. 4. (6) L. 5. t. 4. c. 2. n. 5. et 6. (7) P. 7. c. 12. r. 3. (8) Ibid. (9) L. 2. de exped. sacrif. c. 3. (10) D. 4. n. 11. et 12. (11) L. c. (12) T. 4. c. 3. (13) D. 4. sect. 1. n. 9.

(14) Tit. 4. n. 1.. (15) 3. p. q. 74. a. 5. ad 3
(16) De sacrif. miss. l. 2. c. 3. §. 5. n. 6.
(17) C. 3. n. 157. (18) Tr. 5. d. 4. q. 1. c. 2. §. 2
(19) L. 6. p. 2. n. 535. (20) Q. 501.
(21) Q. 11. s. 16.

integrum. Debiles autem sunt rationes oppositae; quomodo enim possessio potest esse pro vino, quando dubitatur an tempore consecrationis vinum fuerit vel ne? Ex alia vice ad discernendum an vere facta fuerit consecratio, hic non praesumptio, sed rei veritas attendenda est. Sacramentum autem non est quidem turbandum sine certo fundamento, sed dicimus iam certum existere fundamentum sive obligationem integrandi sacrificium, quando certum est dubium de consecratione peracta. Puto tamen non esse aliud vinum certum rursus consecrandum absolute, quia tunc idem urgeret periculum faciendi secundum sacrificium mutilatum, si forte prior materia fuerit vere apta: dico igitur hanc secundam consecrationem fieri debere sub conditione, nempe si prior materia non fuerit consecrata, periculum enim non relinquendi sacrificium mutilatum, iusta erit causa repetendi consecrationem sub praedicta conditione.

207. « 2. Valida quidem consecratio, sed illicita est. 1. In musto (In quo valide consecratur, ut ex communi Salm.[1] cum Pal. Lugo etc.), quia non est vinum simpliciter, sed impurum, habens admixtas faeces, non consecrabiles: ideoque obstat praeceptum ecclesiae, obligans secundum Suarez sub mortali, saltem extra necessitatem, qualis esset defectus vini veteris; et secundum quosdam etiam devotio populi; quomodo multi excusant contra Suarez, quod in quibusdam locis primitiae uvarum in calice exprimantur. Vide Bon. [2]. 2. In vino liquoribus aliis, vel aromatibus ita modice permixto, ut naturam vini retineat. Si vero permixtio sit immodica, erit materia dubia. 3. In vino acescente: quia adhuc est vinum, sicut panis mucidus est panis. (*Vide infra Qu.* 1.). 4. Probabilius etiam in vino congelato (etsi a quibusdam propter negantium auctoritatem dicatur esse materia dubia), tum quia adhuc retinet substantiam et denominationem vini, estque natura sua potabile; tum quia Christus sub eo ante consecrato manet. Card. de Lugo [3]. Nec refert 1. quod aqua congelata non sit materia baptismi; quia hic essentialiter consistit in ablutione, eucharistia vero non in sumptione. Nec refert 2. quod non sit proxime potabile: quia est per accidens, et facile tolli potest, estque par ratio in pane indurato. Non est autem idem in liquore nondum ex uvis expresso, cum non sit vinum simpliciter et per se, ac natura sua non sit potabilis, sed comestibilis, quod vino congelato non convenit; alioqui enim ieiunium frangeret. Bon.[4] (*Vide infra Qu.* 2.).

» Peccat tamen qui in congelato consecrat, ideoque si hyeme congelavit calix, calore manuum aut halitus, aliove modo solvendus est. Fill. [5] Laym.[6].

» 3. Valida et licita est consecratio in vino, sive albo sive rubro, etsi etiam specie physica differant: cum utrumque habeatur et sit simpliciter vinum de vite. Bon.[7] card. de Lugo [8]. »

Quaeritur 1. An peccet mortaliter sacerdos qui consecrat in vino acescente. Dicunt Salm. [9] Pal. [10] cum Suarez Vict. Vasq. Laym. et Conc. ac Bon. [11] cum aliis, tunc peccare mortaliter, quando vinum est proximum aceti naturae, ita ut dubitetur an qualitates vini iam amiserit. Veneror auctoritatem tantorum dd., sed nescio quomodo haec opinio sustineri possit, cum expresse adversetur rubr.[12] ubi sic dicitur: *Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Rubrica igitur damnat de mortali, non solum qui adhibet vinum aceto proximum, sed etiam vinum *quod coeperit acescere, vel fuerit aliquantulum acre.* Verum hoc

(1) De euchar. c. 4. p. 2. n. 30. (2) L. c. (3) L. cit. (4) L. cit. n. 10. (5) T. 4. c. 3. (6) L. 5. t. 4. c. 2. (7) P. 2. n. 2. (8) L. 4. (9) De eucharistia c. 4. p. 2. n. 26. (10) Eod. tit. p. 4. n. 9. (11) P. 2. n. 5. (12) Tit. 4. n. 2.

principium acrimoniae, sive acescentiae intelligendum est iuxta id quod docet s. Th. [1]: *Potest tamen confici* (sacrificium) *de vino acescenti, sicut et de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Itaque in vino acescenti diversi considerandi sunt gradus, alii extra, alii intra viam corruptionis. Hinc rubrica iuxta s. Thom. intelligi debet, quando vinum, vel panis iam ingressus est corruptionis limites, ita ut ad principium acrimoniae iam accesserit, id est *se già sia arrivato ad esser colla punta,* uti loquitur card. Lambert. [2]. Dicit praeterea idem Lamb. citans Meratum [3] cum Quarti: *Si urgeat necessitas celebrandi, seu non possit sacerdos absque nota omittere sacrum, ut inter regulares contingit, qui secundum regulam celebrare tenentur, et non sit in eorum potestate aliud vinum habere, non peccant subditi eo vino utentes . . . Et quamvis tali vino uti sit contra reverentiam sacrificii, ea tamen irreverentia non imputatur celebranti, sed superiori vel ministro qui est causa voluntaria illius.* Praeterea quando vinum est ita proximum aceto, ut dubitetur an amiserit naturam vini, consecratio erit quidem dubia, ac in rubrica huiusmodi consecratio habetur pro certa, cum ibi dicatur, *conficitur sacramentum,* ergo iuxta rubricam, et iuxta sententiam, quam tenent alii auctores, prout Abelly [4] et Mazz. [5] omnino dicendum, esse mortale consecrare in vino acescenti, non solum quando est materia dubia, sed etiam quando est certe valida, at reputatur illicita ob irreverentiam sacramenti. Neque huic dissentit Suarez citatus ab adversariis pro sua sententia, cum dicat posse in hoc graviter peccari, *ratione dubii vel irreverentiae.* Et expresse id docet d. Thom. [6] qui ait: *Potest confici* (sacramentum) *de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Probabiliter tamen dicunt Gob. [7] Spor. [8] et Croix [9] quod, deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Adduntque Spor. et Mazzotta, quod, urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum.

Quaeritur 2. An vinum congelatum sit materia valida.

Adsunt tres sententiae.

Prima sententia negat, quam tenent Lessius [10] Conc. [11]. Item Armilla Led. Alan. Henr. etc. apud Renzi [12] et probabilem putant Salm. [13]. Ratio (ut dicunt) quia sicut panis consecrandus debet esse aptus ad comestionem, sic vinum ad potum; vinum autem congelatum non est potui idoneum.

Secunda sententia tamen verior affirmat, et hanc tenent Sporer [14] Salm. [15] Anacl. [16] Renzius [17] cum Pontio Pasq. Tamb. Leand. etc. et probabiliorem putant Holzm. [18] Suar. [19] Ratio quia vinum congelatum, quamvis actu non sit potabile, est tamen potabile de sua natura, sicut est comestibilis panis durus. Idque clare probatur ex rubr. missal. [20] ubi s. Pius v. sic statuit: *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc. donec liquefiat.* Ergo supponit pontifex per congelationem minime corrumpi species vini, alias ibi desineret esse sanguis Christi; vinum enim, cum semel suam amisit naturam, non potest amplius eam reacquirere, nam ex vulgari philosophorum axiomate, *a privatione ad habitum non datur regressus.* Ergo vinum congelatum est verum vinum. Huic rationi nescio quomodo responderi possit.

Tertia sententia vero, quam tenent Pal. [21] Cont. Tourn. [22] et Salm. [23] docet esse materiam dubiam, cum prima

(1) 3. p. q. 74. a. 5. ad 2. (2) Notif. 77. n. 2. (3) T. 1. p. 3. tit. 4. (4) De euchar. s. 3. n. 4. (5) Tr. 5. q. 1. c. 2. §. 2. (6) 3. p. q. 74. a. 5. ad 2. (7) Cas. 2. n. 154. (8) T. 3. p. 112. n. 153. (9) L. 6. p. 2. n. 546. (10) 3. p. q. 74. a. 5. n. 24. (11) T. 3. p. 251. n. 7. (12) De euch. c. 1

(13) De euchar. c. 4. p. 2. n. 54. (14) N. 159. (15) Ibid. n. 32. et 55. (16) P. 536. n. 25. (17) L. c. (18) N. 347. (19) D. 45. sect. 1. (20) De defect. §. In hyeme. (21) P. 4. n. 3. (22) De eucharist. c. 3. a. 2. sect. 1. concl. 1.

sententia non careat omni probabilitate. Caeterum ego censeo nulli licitum esse consecrare in vino congelato, saltem propter reverentiam erga tantum sacramentum. Sed si vinum fuerit congelatum, et postea liquefiat, valde probabile videtur cum Suar. Salm. [1] et Con. licite posse fieri in eo consecrationem. At casu quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec ille licite posset alterum vinum consecrare, quia puto primam sententiam nulla pollere solida probabilitate.

208. « Resp. 2. Vino consecrando debet, non ex necessitate sacramenti, sed gravis praecepti sub mortali obligantis secundum card. de Lugo [2] misceri aqua (Cum catech. rom. [3]). Idque caeremonialiter et in ordine ad sacrificium. Est certum, ut constat ex Trid.[4] (Et prius praescriptum fuit *c.* 2. *de Consecr. dist.* 2. Utrum vero hoc praeceptum sit etiam divinum. Affirmant Valent. Gran. etc. Negant Suar. et Vasquez : utraque sententia est probabilis). An autem aqua ista immediate convertatur in sanguinem, necne, disputant schol. Vide Con. vel Praep. *hic*, card. de Lugo [5]. (*Vide mox dicenda n.* 209).

Unde resolves:

» 1. Si mixtio haec omittatur, valida tamen est consecratio, etsi illicita mortaliter. Ita omnes communiter.

» 2. Miscenda est aqua naturalis, eaque modicissima, ut habet florentinum, una scilicet vel altera gutta ; ita tamen ut sit sensibilis, et saltem non excedat tertiam partem vini : alioqui reddet materiam dubiam. Bon. [6] ex s. Th. Conc. etc. (*Vide dicenda n.* 210.). Qui autem misceret rosaceam vel aliam artificialem, etsi in necessitate, etsi valide consecraret, peccaret tamen mortaliter. S. Th. Mol. Diana [7] quia ageret contra praeceptum et consuetudinem ecclesiae in re gravi (Est commune cum Salm. [8]. Quam ob causam etiam mortale censet Fagund.[9] Pers. etc. miscere calidam : quod tamen aliis quibusdam nimis durum videtur apud Dian. [10] qui addit, si in frigidissima regione consuetudo id habeat, ne forte vinum congelescat, posse sine ullo peccato fieri.

» 3. Mixtio illa facienda est non in dolio vel ampolla, aliove vase, sed in ipso calice, neque domi, sed in ipso sacro, ut fit communiter, vel ante offertorium, vel certe immediate ante sacrum, ut fit apud quosdam, idque vel ab ipso sacerdote, ut in missa privata; vel a subdiacono, ut in solemni: neque enim sufficit, si caupo illud diluerit. Bon.[11]. (Cum s. Thoma [12], quod, ut ait, si apponeretur aqua dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti).

» 4. Si mixtio haec sit omissa, idque notetur ante consecrationem calicis, adhuc facienda est, secus si post. Bon.[13]

» 5. Praeceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam, quae fit post communionem, ad ablutionem oris et digitorum. Vide de his missale romanum. item Bon. [14] Laym. [15] ».

209. Quaeritur 1. An aqua vino permixta convertatur in sanguinem Christi ; et an immediate. Non est quidem de fide, aquam in sanguinem converti : tantum enim Innocentius III. dixit in *c. Cum Marthae, de cel. miss.*, probabiliorem esse sententiam affirmativam, quae revera hodie est communis inter theologos, ut omnes docent cum s. Th. [16] qui ait opinionem oppositam subsistere non posse. Circa modum autem conversionis, alii dixerunt quod, sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam que fluxit e latere Christi; sed idem s. doctor [17] ait: *Nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc aqua seorsim consecraretur a vino, sicut vinum a pane.* Alii vero, ut idem s. Th.[18] Scotus[19] Gonet [20] Frassen [21] et communissime

(1) Ibid. n. 35. (2) De euch. d. 15. s. 2. n. 22. (3) N. 16. (4) Sess. 22. c. 7. et 9. (5) Dist. 4. sess. 3. (6) P. 4. n. 4. (7) P. 6. t. 7. r. 13. (8) De euch. c. 4. p. 4. n. 63. (9) P. 2. l. 2. c. 4. (10) L. c. (11) L. c. (12) P. 3. q. 74. a. 3. ad 3 (13) L. cit. n. 5. (14) D. 4. q. 2. p. 4. (15) L. 5. tr. 4. c. 2. (16) 3. p. q. 74. a. 3. (17) L. c. (18) L. c. (19) D. 11. q. 7. n. 2. (20) Man. t. 6. tr. 4. c. 2. (21) T. 11. p. 94.

tomistae et scotistae cum catech. romano [1] dicunt aquam immediate converti in vinum, et mediate in sanguinem Christi. Ratio quia non convertitur in sanguinem, nisi materia consecrabilis, quae tantum est vinum de vite, ex conciliis florentino et tridentino: unde aqua non potest converti in sanguinem, nisi prius convertatur in vinum. Nec obstare dicunt rubricam missalis, quae iubet ut si ex oblivione non sit aqua immissa in calicem, apponatur statim ante consecrationem; quo casu videtur non posse tam cito fieri conversio aquae in vinum, et tunc adesset periculum idololatriae, quia adoraretur materia non consecrata. Nam respondent, tunc adorari contentum substantiale, quod per calicem repraesentatur, id est sanguinem Christi, non autem caetera quae per calicem non demonstrantur, prout non quidem adoratur musca, quae casu in calicem cecidisset. Alii tamen, ut Tourn.[2] et eius Cont. [3] Laym. [4] Tol. [5] Lugo [6] cum Praep. Renzi [7] cum Alano Baron. ac Con. (et probabile putat Anacl.) sentiunt aquam immediate transire in sanguinem Christi. Et probant 1. auctoritate patrum qui dicunt ex vino et aqua fieri sanguinem, sic enim ait s. Hieronymus: *Format sanguinem suum ex vino et aqua mixtis.* S. Ambrosius: *Vinum cum aqua in calice mixtum, fit sanguis consecratione.* Alios patres videre potes apud Lugo [8]. Probant 2. ratione, quia iuxta recentiores physicos negatur transmutatio elementorum, eo quod ipsa arte chymica bene possunt separari, ut diximus *de baptismo n.* 104. Et huic opinioni favere aiunt Innocentium in *dict. c. Cum Marthae,* cum pontifex ibi dicat probabilius esse, *aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Non dicit aquam conversam in vinum, sed *aquam cum vino;* ergo ante consecrationem aqua remanet aqua. Nec obstare dicunt quod non possit converti in sanguinem alia materia quam vinum: respondent enim, quod vinum mixtum cum modica aqua fit verum vinum usuale, unde fit tota materia consecrabilis, sicut si in pane triticeo miscetur modicum alterius frumenti, tota materia consecratur, ut dictum est *n.* 201. et docet d. Th.[9] quia (ut ait) *modica permixtio non solvit speciem.* Idem ergo dicendum de aqua mixta vino. Utraque sententia est satis probabilis.

210. Quaeritur 2. Quaenam quantitas aquae sit in calice immiscenda. Habert [10] dicit non esse probandos sacerdotes qui unam aquae guttulam infundunt: sed hoc sine scrupulo fieri posse censent Bonac.[11] Wigandt [12] Anac.[13] et pro certo id habet Suar. [14] ex decreto Eugenii IV. qui dixit: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet;* et ex d. Th.[15] qui ait, non requiri ut quantitas aquae sit magna, sed sufficere ut sit sensibilis. E converso Lay. [16] Pal. [17] et Diana [18] probabiliter dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam partem; et Lugo [19] Viva [20] ac Croix [21] cum Gob. (contra Bernal.) usque ad quintam partem, quia (ut aiunt) nullum vinum adeo debile creditur, ut tam modica aqua corrumpatur. Imo Bus. *ut supra* et Sporer [22] putant sufficere ut aqua non excedat tertiam partem; idque videtur probari ex *c. Perniciosus,* 13. *de cel. miss.* ubi Honor. III. tantum praescribit: *Plus* (in calice) *de vino, quam de aqua ponendum.* Et in concilio triburiensi (apud Cont. Tourn. [23]) sic dictum fuit: *Duae sint partes vini, tertia aquae.* Verumtamen in praxi Escob. [24] Viva et Pal. [25] hanc opinionem tertiae partis non admittunt, nisi (ut dicunt Escob. et Pal.) vinum sit generosum.

Hic autem notandum id quod habe-

(1) P. 2. c. 4. n. 17. (2) Prael. theol. de euch. q. 4. a. 7. concl. 2. (3) Hic c. 3. a. 2. sect. 2. concl. 3. (4) C. 2. n. 9. (5) L. 2. c. 25. (6) D. 4. sect. 3. (7) C. 1. q. 39. (8) Num. 48. (9) Q. 74. a. 3. ad 3. (10) T. 5 de eucharistia p. 1. c. 7. q. 2. (11) D. 4. q. 2. d. 4. n, 4. (12) Ex. 2. n. 9.

(13) P. 553. n. 32. (14) D. 45. sect. 3. (15) Q. 74. a. 8. ad 1. (16) C. 2. n. 9. (17) P. 3. n. 6. (18) P. 3. tr. 4. r. 47. (19) D. 4. n. 53. (20) Q. 4. a. 3. n. 3. (21) L. 6. p. 1. n. 439. (22) T. 3. p. 115. n. 163. (23) De euch. c. 3. a. 2. sect. 1. concl. 2. v. Quaer. 1. (24) T. 3. probl. 29. (25) Locc. cc.

tur in rubrica [1]: *Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram sive super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium proiiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, calice supposito; et aqua ablutionis in sacrario proiiciatur.* Et idem ibi dicitur, si sanguis cadat super corporale, vestes, aut tapetum.

Dubium V. Quae conditiones ad materiam consecrationis requirantur.

211. *Ad validam consecrationem requiritur 1. ut materia sit moraliter et sensibiliter praesens.*
212. *Hinc valide consecrantur hostiae in ciborio clausae, vel in tenebris, etc.*
213. *Invalide tamen consecratur 1. materia post tergum aut parietem. 2. Materia remota. 3. Materia valde modica.*
214. *Requiritur 2. ut materia sit certa et determinata.*
215. *An consecretur hostia inscio sacerdote. Et an guttae vini separatae.*
216. *Valida est consecratio: 1. Si sacerdos determinet quoquo modo. 2. Si putet, hostias esse minores numero. 3. Si postquam intenderit eas consecrare, earum obliviscatur.*
217. *Quid si ciborium ex oblivione relinquatur extra corporale. 4. Si hostiae deferantur post oblationem.*
218. *Quae requirantur ad licitam consecrationem.*
219. *Quibus casibus peccet celebrans in consecrando.*

211. « Resp. 1. Ad validam consecrationem requiruntur duae conditiones: *Prima* est, ut materia sacerdoti consecranti *moraliter* et *sensibiliter sit praesens*. Ita communiter, et est certum. Ratio petitur tum ex institutione Christi, et verbis formae *Hoc* et *Hic*, quae non verificarentur, cum sint demonstrativa: tum ex perpetua ecclesiae praxi, numquam consecrantis, vel etiam benedicentis res absentes: tum etiam ratione sacrificii, quod requirit hostiam praesentem. Vide Bon. [2] Layman [3].

Unde resolves:

212. » 1. Valide consecratur vinum in calice cooperto, vase vel cantharo clauso: panis in canistro; hostiae in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectae, v. gr. sub corporali, vel mappa, vel etiam in missali, ut ex Suarez Henriq. Concin. docet Bonac. contra Laym. [4] (unde hoc postremum dubium videri potest: et saltem peccaret graviter, qui sic tectas aut latentes consecraret). Item valide consecrantur hostiae praesentes a caeco, vel alio sacerdote in tenebris. (Est communis cum Salm. [5]. Et sufficit si ex relatione alterius certificatur de praesentia materiae, ut Sot. Henr. Praep. etc. ap. Salm. [6]). Ratio horum omnium est, quia ad praesentiam et sensibilitatem non requiritur ut materia videatur, vel tangatur, vel feriatur sono verborum (unde communiter non probatur praxis eorum qui os proxime admovent, ut halitum in calicem et panem inspirent), dummodo videri possit sive in se sive in alio, v. gr. in suo toto, vel continente vel vase ad illam continendam destinato. Vide Bon. [7].

213. » 2. Invalide consecratur 1. Materia post parietem aut post tergum posita, vel clausa in tabernaculo ut docent Fill. Bon. [8] et alii. Ratio est quia moraliter censetur abesse, cum non possit demonstrari per *to Hoc* et *Hic;* neque paries habet se, ut continens aut tangens. 2. Materia valde procul, v. gr. centum passibus distans, etsi videri possit. Ratio est eadem. Quanta autem propinquitas sufficiat, dubium est, et ex morali prudentum iudicio pendet. Henr. [9] docet 20. aut 30. passuum (Putant Lugo et Gabr. apud Salmant. [10] consecrationem in 20. passus esse certam), quod Bon. [11] et alii putant non esse certum. Vide schol. 3. Materia tam modica, ut sensu percipi non possit: tum quia non potest demonstrari, tum quia sacramentum debet esse signum sensibile. Ita Suar. Vasq

(1) Tit. 10. n. 12. (2) D. 4. q. 2. p. 6.
(3) C. 2. (4) L. 5. t. 4. c. 2.
(5) De eucharistia c. 4 p. 6. n. 120.

(6) Ibid. (7) D. 4. q. 2. p. 5.
(8) Q. 2. p. 6. (9) L. 8. c. 34.
(10) De [illegible] (11) Loc. c.

et alii contra Sotum Henriq. quod intellige, si non sit in toto, sed extra illud, quia in toto etiam minimae eius particulae consecrantur: ut constat ex Trident. [1] Bon. [2].

214. » *Secunda* conditio, ut materia sit *certa, et a consecrantis intentione et in individuo determinata.* Est communis apud Bon. et alios: tum quia hoc requirunt pronomina *Hoc* et *Hic:* tum quia actiones sunt circa singularia, quae debent esse certa et determinata. Vide Bon. [3].

Unde resolves:

» 1. Invalide consecraret, qui vellet tantum consecrare tertiam, vel mediam hostiae partem, eam non determinando, vel ex multis, v. gr. viginti praesentibus, tantum quatuor aut quinque, nullas designando; quia non est ratio, cur una magis quam altera consecraretur. Item, qui ex multis hostiis intenderet illas consecrare, vel illas partes hostiarum aut vini, quas Deus elegerit aut Titius designarit, aut partes illas quae fractis speciebus sunt mansurae in continuo, non quae excident: quia non est materia definita. Bon. [4].

215. « 2. Non consecratur hostia inscio sacerdote posita, sive in corporali (seiuncta tamen a cumulo), sive infra illud. Con.[5] et alii. Ratio est, quia non est determinata in mente sacerdotis, cuius voluntas non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur guttae quae exterius calici adhaerent, quia non intenduntur, imo ut probabilius docent Suarez Reg. [6] Layman [7] Con. [8] contra Tann. et Bonac., nec eae guttae quae interius adhaerent; quia intentio ecclesiae esse videtur, ideoque et sacerdotis esse debet, consecrare id quod per modum unius continui est in calice. Unde, ne opus sit de detergendis guttis sollicitum esse, bene faciet sacerdos, si semel pro semper intendat eas non consecrare, uti nec micas hostiae adhaerentes. Vide Dian.[9] Escob.[10] qui docet, sacerdotem vi particulae *Hic,* tantum intendere id consecrare, quod per modum unius continui potabilis est in calice, ideoque guttulas illas non consecrari. Quae sententia probabilis est ex Reg. Suarez et Laym. [11].

Quaeritur an consecrentur guttae vini, quae sunt in calice separatae, quando sacerdos nihil circa eas intenderit. Alii negant, ut Busemb. Alii affirmant, ut Croix[12] cum Praep. Dic. etc. Alii denique affirmant de guttis propinquis, negant de remotis. Monet Platel apud Croix [13] quod sacerdos advertens statim ante consecrationem tales guttas, si sint vicinae, admisceat; si vero remotae, vel abstergat (quod ait Tanner. apud Bus. *in fin. hui. dub.* haud expedire), vel excludat ab intentione. Sed Croix dicit etiam posse licite includere eas in intentione, ne in calice sit vinum quod non sit consecratum [14]. Sic etiam dicit Croix contra Busemb. quod sacerdos debet consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in patena vel corporali; nec obstat quod eas sumendo laederetur ieiunium, nam magis videtur tunc praecavenda irreverentia sacramenti, quam laesio ieiunii. Si vero micae sint in ciborio, eas etiam (ait) intendat consecrare, cum absit periculum eas perdendi.

216. « 3. Valida est consecratio, 1. Si sacerdos intendat consecrare ex pluribus hostiis praesentibus tantum quinque, eas determinando, vel omnes, praeter infimam et supremam cumuli, vel omnes pares, v. gr. secundam, quartam, sextam, si sint ordine collocatae, et determinetur unde numerandi initium sumendum sit; quod tamen grave peccatum erit. Quod si autem hoc vel alio casu, non consecratae misceantur consecratis, totus cumulus ad altare est deferendus, ut sacerdos intendat consecrare non consecratas: vel

(1) Sess. 13. c. 3. et 4. (2) L. c. (3) L. c. p. 3. (4) Ibid. (5) 3. p. q. 74. a. 2. d. 3. (6) C. 2. l. 29. (7) L. 5. t. 4. c. 2. n. 15. (8) Q. 74. d. 2. (9) P. 2. t. 3. m. r. 16. et p. 3. t. 4. r. 32. (10) L. 7. c. 6. (11) L. 5. t. 4. c. 2. n. 15. (12) L. 6. p. 1. n. 449. (13) Ibid. (14) Quoad guttas vini separatas, sed inter calicem existentes, ait La Croix expedire ut sacerdos intendat eas consecrare; sed melius mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis. Hom. Ap. Exam. Ord. n. 99.

potius totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratae. (Et hoc potius faciendum est quia in consecrando hostias non consecratas, deficit vera determinatio materiae, nec potest verificare verbum *Hoc*, unde debent consecrari omnes hostiae sub conditione, ut valide consecrentur; ita Lugo [1] Salmant. [2] cum Laym. Dic. Avers. Leand. Diana etc. Et hoc etiam licite fieri potest, ut dicunt Salmant. [3] cum Laym. Dic. Dian. Leand. contra Lugo et Silvestr. de Afflicto). Card. de Lugo [4]. 2. Etsi putet, unam vel duas vel sex hostias consecrandas adesse, cum sint plures, sive a se sive ab alio positae, quia error speculativus et privatus non obstat intentioni practicae et absolutae consecrandi omnes praesentes, quam tamquam ecclesiae consuetudini conformem, quisque censetur habere implicite; ut docent Sylv. Henr. et Suar. (Cum Nav. Bonac. Vasq. Coninch. Lugo et communi apud Salmant.[5]). Unde si sacerdos advertat post consecrationem esse duas simul iunctas, utramque ut consecratam sumet, ut habet missale. Si vero ante consecrationem postquam obtulit, advertat, alteram seponet, et post missam ipse vel alius sumat, tamquam panem benedictum. 3. Si quis plures hostias ad altare tulerit, aut rationabili modo adverterit, ab alio adferri a se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari iam positis. Ratio; omnes enim consecrantur, etsi dum consecrat, earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad oblationem non detegat, modo sint praesentes in corporali vel saltem in altari. Ita Regin. [6] Laym. [7] Bonac. [8] et alii ab ipso citati, estque sententia in praxi tuta. Quia intentio praecedens respectu illarum virtualiter perseverat.»

217. Quando ciborium consecrandum positum est a clerico in corporali, te advertente, et illud iam intenderis consecrare, certum est quod consecras, licet postea ad illud non advertas. Est communis sententia, ut ait Croix [9] cum Pal. Dicast. et Salm.[10] cum Gavant. et Suarez. Sed dubium est, utrum censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum.

Prima sententia cum Tann. et Praep. apud Croix[11] qui probabilem vocat, affirmat, quia, ut dicunt, voluntas consecrandi iam adfuit, et non fuit retractata.

Secunda sententia tamen communis et probabilior negat cum Suar. Diana Pal. Less. etc. cum Croix[12]. Ratio quia, cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, illam tu habuisse non praesumeris. Sed quia prima sententia non videtur improbabilis, cum res sit dubia, rationabiliter ait Bened. XIV.[13] ciborium denuo consecrandum: vel ut dicit Cont. Tour. [14] in praxi illas particulas esse sumendas post sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem: quia reliquiae sanguinis sunt certe sacramentum, sed hostiae illae in ciborio sunt dubie. Censent autem Continuat. Tourn. et Croix [15] posse eas etiam consecrari in alia missa sub conditione: sed hoc mihi non placet, quia non videtur adesse iusta causa illas consecrandi sub conditione, cum iam sumi possint.

« 4. Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem (addit Avers. [16] ante coeptam praefationem) licite eas consecrari, suppleta oblatione mentaliter, ex Gavant. et Possev. docent Diana [17] et Tann.[18] (Et hoc etiamsi canon sit incoeptus, ut Tamb.[19] cum Gobat. Burg. Quarti Diana et Possev. ap. Croix[20] Salm. quando plures sine communione remanerent; et consentit Benedict. XIV.[21]. Si vero remaneret tantum unus, Benedict. suadet potius dari illi partem hostiae magnae; quod licite

(1) D. 4. n. 136. (2) De euch. c. 4. p. 7. n. 129. (3) Ibid. (4) D. 4. de euchar. n. 56. (5) Ibid. n. 128. (6) L. 27. n. 19. (7) L. 5. t. 2. c. 2. (8) T. 1. d. 4. p. 2. q. 2. (9) L. 6. p. 1. n. 456. (10) De euch. c. 4. p. 7. n. 125. (11) Loc. cit.

(12) Ibid. (13) De sacrif. miss. l. 3. c. 18. n. 6. (14) De euchar. c. 3. a. 2. sect. 1. post concl. 2. v. Quaeres 3. (15) Locc. cc. (16) Q. 11. s. 12. (17) P. 2. t. 14. r. 71. (18) De exped. sacrific. l. 2. c. 5. (19) C. 5. §. 2. (20) N. 460. (21) De sacr. miss. l. 3. c. 18. n. 5.

fam fieri potest, ut ait Croix [1] cum s. Anton. Sylv. Bonac. Sa Tamb. etc. Et sufficit pro causa, si communicaturus diu expectare deberet communionem).

218. » Resp. 2. Ad licitam materiae consecrationem requiritur, 1. ut non sit maior quantitas, quam tempore opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species computrescerent. Bonac.[2]. 2. Ut ab usu ecclesiae, praesertim in missali praescripto, non recedat.

Unde resolves:

219. » Peccat 1. Qui vas, in quo hostiae consecrandae sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam positam extra corporale. 3. Qui intendit consecrare guttas calici adhaerentes exterius, quod esset grave; de interius adhaerentibus est dubium, quia non constat satis de mente ecclesiae, ad quod evitandum Gavant.[3] iubet eas abstergi, quod consuetudo probat. Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet Tambur.[4], imo nec expedire, si eas advertas, quando discooperto calice iamiam es consecraturus, et elevationem populus expectat. Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendae. 4. Qui ante consecrationem ita statueret: nolo consecrare hostias appositas, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor. Ita Praep. [5] Lay. [6] etsi Tamb. [7] eo casu nullum peccatum agnoscat.

DUBIUM VI. Quae sit forma consecrationis eucharistiae.

220. *Quae verba sint de essentia in consecratione panis. Et quae vini. Et an verba sint proferenda simul recitative et significative.*
221. *Quae forma sit illicita. Quae invalida. Et quae dubia.*
222. *Qu. 1. An in consecratione panis praerequirantur verba:* Qui pridie etc.
223. *Qu. 2. An in consecratione calicis omnia verba sint de essentia. Qu. 3. Quid significent Tò* hoc *et* hic. *Qu. 4. An conficiatur eucharistia si omittatur verbum* est.
224. *Vide plura circa variationem verborum. Quid si sacerdos se distrahit in consecrando.*

220. « Resp. Est duplex, una panis, et est haec: *Hoc est enim corpus meum*: ubi omnia sunt de essentia, praeter tò *enim;* cuius omissio esset veniale. (Cum Suarez Conc. Bon. Pal. etc. apud Salmant.[8]. Sed non improbabiliter Ronc. et Conc. damnant de mortali. Revera enim in re tam gravi non videtur levis materia quaecumque levis mutatio deliberate apposita). Altera vini, et est haec: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi etsi verior et communior sit sententia s. Bonav. Suarez Bell. et aliorum contra s. Th. et thomistas, quod essentialia sint tantum haec: *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, aut eis aequivalentia; graviter tamen peccaret qui aliqua ex reliquis omitteret vel mutaret. Debent autem formae proferri in persona Christi formaliter et significative, sive assertive (Id est simul recitative et significative, scilicet referendo verba Christi et applicando eorum significationem ad materiam praesentem, nempe ad panem et vinum, quae sacerdos in manibus habet, ut illa transmutet in corpus et sanguinem Christi; ita Conc. [9] et Salm. [10] cum s. Th.[11] et non tantum recitative sive historice, licet ea quae in canone praecedunt, dicantur tantum recitative, seu historice. Vide Laym.[12] Bon.[13] Card. de Lugo [14].

Unde resolves:

221. » 1. Valida, sed illicita est consecratio. 1. Si consecrans dicat: *Hic cibus, hic potus, hic calix:* vel *haec res*, vel *contentum sub his speciebus, est corpus meum* vel *sanguis meus*. Bonac.[15]. 2. Si dicat: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*, ut habet s. Lucas[16]. 3. *Hoc est corpus meum, quod de virgine sumpsi: hic est sanguis meus infiniti valoris.* 4. *Hoc est meum corpus, hic est meus sanguis*, vel, *hoc est sanguis meus.* Ratio horum est, quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis. Bon. [17].

» 2. Invalida erit consecratio, si di-

(1) N. 508. (2) Loc. cit. (3) P. 2. tit. 7.
(4) L. 3. c. 1. §. 3. (5) Hic art. 3. d. 3.
(6) Loc. cit. (7) De exped. sacrif. c. 1. §. 3.
(8) De eucharistia c. 5. p. 5. n. 13.
(9) P. 261. n. 14. (10) De euch. c. 5. p. 5. n. 51.
(11) 3. p. q. 78. a. 5. (12) C. 3. (13) Q. 3. p. 2.
(14) D. 11. s. 5. (15) Loc. cit. p. 1.
(16) C. 22 (17) Loc cit.

cas: 1. *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum.* Si autem to *Hic* ponatur masculine pro neutro, valet, etsi non secundum grammaticam. Escob. Gran. (Cum Suarez Diana Bonac. et multis ap. Salmant. [1]). 2. *Hoc corpus est meum. Hic sanguis est meus.* Fag. [2]. 3. *Ecce corpus meum. Ecce sanguis meus.* 4. *Hoc fit*, vel *hoc sit corpus meum:* vel, *hic panis convertitur in corpus meum*, vel *hic ponitur corpus meum.* 5. *Illud est corpus meum: ille est sanguis meus.* 6. *Hoc est substantia mea;* vel *hoc est corpus Christi.* Bon. [3].

» 3. Dubia erit consecratio, *Haec est caro mea*: quam tamen Laym. contra Conc. putat valere. 3. Secundum quosdam forma ex s. Luca primo casu allata. Vide Bon. [4] Reg. [5].

222. Quaeritur 1. An in consecratione panis praerequirantur verba illa: *Qui pridie etc.* Ambrosius Catharinus apud Habert propugnavit consecrationem perfici per preces antecedentes, verba autem Christi ex praecepto historice tantum recitari; sed haec opinio reiicitur a s. Pio v. *in Rubr. Missal.* [6] ubi postquam dictum fuit [7] quod forma corporis sunt verba illa: *Hoc est enim corpus meum;* dicitur: *Si autem, semiprolata forma corporis, obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut missa per alium suppleatur.* Ergo consecratio non fit nisi per verba: *Hoc est* etc. Idque confirmatur in decreto Eugenii, ubi habetur: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.* Ergo sacramentum non conficitur, nisi per verba Christi, quae certe alia non sunt, nisi illa: *Hoc est* etc. Scotus autem [8] non dubitat quin forma consecrationis panis et vini utique sint verba: *Hoc est corpus* etc. *Hic est calix* etc. Sed si haec sola verba proferantur, praetermissis illis, *Qui pridie* etc., an fiat consecratio dubitat et dicit tunc sacramentum sub conditione adorandum. Ratio quia verba, *Hoc est* etc., prolata sine praecedentibus, per se non significant corpus Christi, sed corpus sacerdotis; unde oportet ut per antecedentia verba significetur quod sacerdos loquatur in persona Christi. Et hanc sententiam sequuntur Angel. [9] Dupasquier [10]. Atque Contin. Tourn.[11] ac Frassen [12], dicunt non carere omni probabilitate. Alii vero communiter, ut Iuen. [13] Tourn. [14] Gonet [15] Conc.[16] Frass. [17] et Lugo [18] (qui ait opinionem Scoti ab omnibus reiici) docent ad consecrationem sufficere sola verba: *Hoc est* etc. Probatur ex decreto Eug., ubi dicitur consecratio non aliis fieri nisi verbis Christi: *Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens conficit sacramentum.* Et ut sacerdos loquatur *in persona Christi*, sufficit quod corpus Christi satis designetur ex institutione Christi et ex intentione sacerdotis, prout si rex aliqua instituerit verba, quae, quoties dicerentur a iudice, repraesentarent personam regis, hoc ipso quod a iudice proferuntur regis personam repraesentant. Haec quidem sententia est communis et probabilissima; sed oppositam non audeo dicere improbabilem: tanto magis, quia rubrica [19] quando forma est repetenda ratione materiae dubiae, vel ex eo quod forma calicis fuerit semiprolata, praecipit ut sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie* etc. et *Simili modo* etc.

223. Quaeritur 2. An in consecratione calicis sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sint de essentia.

Prima sententia negat, et hanc tenent Gonet [20] et Salmant. [21] cum s. Anton. Sylvest. Palud. Hurtad. Arav. Richar. etc., qui dicunt, omnia verba sequentia, *Novi et aeterni testamenti etc.* ad

(1) L. c. p. 1. n. 5. (2) P. 3. q. 78. c. 2. et 3. (3) Disp. 4. q. 3. p. 1. (4) Q. 3. p. 1. et 2. (5) L. 29. n. 53. (6) Tit. 10. n. 3. (7) Tit. 5. n. 1. (8) 4. d. 8. q. 2. n. 5. (9) V. Eucharistia n. 24. (10) T. 7. p. 585. (11) De euchar. c. 4. a. 2. concl. 5. (12) T. 11. p. 122. (13) T. 7. n. 259. (14) Prael. theol. de euchar. q. 4. c. 8. concl. 5. (15) Man. t. 6. tr. 4. c. 8. (16) T. 8. p. 259. n. 7 (17) Loc. cit. (18) D. 11. n. 59. (19) Tit. 3. n. 5. tit. 10. n. 3. et alibi. (20) Man. t. 2. p. 284. ibid. (21) De eucharistia c. 5. p. 2. n. 25.

essentiam pertinere: et pro hac sententia videtur esse d. Th. [1] qui ait: *Et ideo illa quae sequuntur sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur et ideo oportet quod sint de substantia formae.* Ergo ait Gonet, si verba illa sunt essentialia sanguini, sunt etiam essentialia formae. Ratio huius sententiae est quia eucharistia non solum est instituta ad significandum corpus et sanguinem Christi per modum cibi et potus, sed etiam ad explicandam virtutem passionis Christi, id est peccatorum remissionem quae habetur per effusionem sanguinis ex novo testamento etc. Ergo verba sequentia quae hanc exprimunt virtutem, dicendum est ad essentiam formae pertinere. Censent vero Salm. [2] non omnia verba subsequentia esse essentialia, nam verbum *aeterni* virtualiter includitur in illis, *novi testamenti*, et verba *mysterium fidei* includuntur in illis, *qui pro vobis effundetur* etc.

Secunda sententia vero communior, quam tenent Scotus [3] Petroc. [4] Holz. [5] Iuen. [6] Cont. Tourn. [7] Lugo [8] cum Bellarm. Sporer [9] cum s. Bonav. et Suar. ac plures ex thomistis, ut Sot. Contens. Wig. et Conc., dicit sola verba, *Hic est calix sanguinis mei,* esse ad formam essentialia. Probant 1. ex verbis d. Pauli [10]: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Unde dicunt non esse credibile quod apostolus aliquid essentiale ad formam omiserit. Probant 2. ratione, quia haec sola verba significant praesentiam sanguinis Christi sub speciebus vini; alia vero pertinent ad integritatem quidem formae, non autem ad essentiam. Et hanc fuisse mentem d. Thom. censent thomistae qui huius sunt sententiae, dum s. doctor, quando loquitur de primis verbis [11] dicit ea spectare ad *essentiam;* cum vero loquitur de sequentibus, inquit spectare ad *substantiam* formae. Haec autem explicatio an vere sit iuxta mentem d. Th., non satis percipitur: unde bene ait Petr. in hac quaestione sententiam Angelici esse valde dubiam. Caeterum utraque sententia est speculative probabilis, sed in praxi certum est quod sacerdos graviter peccaret, si non proferret omnia verba quae in consecratione calicis habentur; et si forte tantum prima verba dixisset, deberet utique sub conditione integram repetere formam, ut recte advertit Nat. Alex. [12]. Et hoc omnes dicere debent, iuxta Rubr. [13] ubi dicitur: *Si obierit* (sacerdos) *semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequitur missam, et super eumdem calicem repetat integram formam* (intellige sub conditione, si forte iam dixerit verba, *Hic est calix sanguinis mei*) *ab eo loco:* Simili modo etc. *Vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis et sanguinem a se consecratum sumere, et deinde calicem relictum semiconsecratum.*

Quaeritur 3. Quid significent verba *Hoc* et *Hic*. Resp. cum Suar. [14] Contin. Tourn. [15] Holz. [16] qui citat Scot. Spor. et alios communiter, quod verbum *Hoc* et *Hic* significant: *Hoc* ens, quod est cibus, *est corpus meum: Hic calix*, sive hic potus, *est sanguis meus;* omnis enim propositio in fine prolationis habet suam veritatem et effectum.

Quaeritur 4. An conficiatur eucharistia dicendo tantum: *Hoc enim corpus meum.* Affirmat Bern. dicens, quod verbum *est* in latino idiomate sane subintelligatur. At merito negant alii communiter apud Croix [17]. Nam licet to *est* ex aliis verbis adiunctis quandoque satis subintelligatur; tamen hic ex ipsa propositione absoluta minime percipitur, dum hic non habentur alia adiuncta quae denotent subaudiri verbum *est.*

224. Hic autem notandum quoad mutationem verborum formae id quod habetur in *rubrica missalis* [18]: *Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret*

(1) 4. d. 8. a. 2. q. 2. (2) De euch. c. 5. p. 2. n. 31. (3) 4. d. 8. q. 2. (4) T. 3. p. 326. q. 2. (5) P. 57. n. 264. (6) T. 7. p. 262. (7) Loc. supra cit. art. 3. concl. 1. (8) D. 11. n. 60.

(9) N. 183. (10) 1. Cor. c. 11. v. 25. (11) Qu. 78. art. 1. (12) Prop. unic. reg. 4 (13) Tit. 10. de defect. n. 3. (14) D. 58. sect. 7 (15) Eod. art. 3. (16) N. 272 (17) L. 6. p 1. num. 35. (18) Tit. 5. num. 1.

de forma consecrationis, et verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret. Valida est autem consecratio, si quis dicat: *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum:* ita Croix [1] cum Suar. Lugo et aliis communiter; pariter ac diximus *n. 110. de baptismo, ex c. Retulerunt, dist. 4. de consecr.* ubi Zacharias papa declaravit validum baptismum collatum *in nomine Patria, Filia etc.* Ratio quia voces ita constitutae sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent; sufficit enim, ut verba formae ingerant sensum a Christo intentum; secus si alium sensum ingererent, ut si quis diceret, *Hic* (adverbialiter prolato) *est corpus meum*, prout docet s. Thom. [2]. Valide etiam consecraret, qui adderet verba sensum non corrumpentia v. gr. *Hoc est corpus meum reale.* Secus si diceret: *Hoc est corpus meum figuratum.* Et ita pariter invalide consecraret si quis diceret: *Hoc corpus est meum*, ut dicunt Bon. Conc. Antoin. et Elb. quia per haec verba non significaretur transubstantiatio panis in corpus Christi.

Dicunt Salm. [3] cum Soto repellendum esse scrupulum, si quis vice *corpus meum*, proferat *corpus meun.* Pariter, si pro *est* proferat *es*, ut Dian. [4]. Si pro *calix*, dicat *calis*, ut Henriq. Si pro *sanguinis*, proferat *zanguinis;* (et Sotus hoc excusat ab omni culpa, etsi omittatur diligentia ad proferendum: sed melius Dian. Leand. etc. excusant tantum a mortali apud Salm. [5]. Ratio quia in his remanet forma et significatio substantialis, cum communiter tunc *calis* vere percipiatur pro *calix*, et sic de aliis.

Notandum quod si sacerdos se distrahit in conficiendis sacramentis, vix fieri potest ut sacramentum reddatur invalidum ob distractionem ministri; nisi distractio esset totalis, ait Croix [6]. Sed hanc limitationem minime esse probabilem probavimus *n. 14. de Sacram. in gen.* In conficiendis aliis sacramentis minister voluntarie se distrahens, non peccat plus quam venialiter, ut dicit Gobat cum communi apud Croix [7]. Sed Tambur. [8] advertit, quod in consecranda eucharistia sacerdos voluntarie et advertenter se distrahens, ratione gravis irreverentiae graviter peccaret.

Advertendum autem quod verba consecrationis minime repetenda sint, nisi *valde probabiliter* dubitet sacerdos aliquid omisisse, ut loquitur rubrica [9] his verbis: *Si celebrans non recordetur se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constat se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.*

DUBIUM VII. Quamdiu Christus maneat in eucharistia.

225. *Infra quantum tempus species consummentur.*
226. *Quando recipiatur gratia.*
227. *Quid si sacerdos se disponeret inter sumptionem.*
228. *An recipiatur plus gratiae si sumatur utraque species, vel maior materia.*
229. *Quid si vinum consecratum in aliud vinum aut liquorem iniiciatur.*

225. « Resp. 1. Manet sub speciebus etiam divisis, et sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, ut consueta substantia panis et vini corrumpatur. Ita communiter cum s. Thom. Et est certum. »

Certum est apud omnes, saltem inter spatium horae species in omnibus immutari. Bene tamen advertit Tambur. [10] quod iuxta qualitatem stomachi magis vel minus calidi aut validi, species consummentur. Caeterum, generaliter loquendo, refert Lugo [11] plures medicos a se Romae consultos putasse in laicis species intra minutum corrumpi, et in sacerdote intra medium quadrantem: quod utrumque approbat

(1) L. 6. p. 1. n. 36. (2) 3 p. q. 60. a. 8.
(3) De eucharist. c. 5. p. 1. n. 16. (4) Ibid.
(5) Ibid. n. 17. (6) L. 6. p. 1. n. 85.
(7) L. c. (8) Ibid. (9) Tit. 5. n. 2.
(10) De commun. c. 3. §. 4. (11) D. 10. n. 54.

Bernal ap. Croix [1]. Imo Arriaga [2] censet in laico consummari intra 5. *pater* et *ave*, et in sacerdote postquam vestibus est exutus. Saltem post quadrantem a communione, etiam in sacerdote, tenet ut certum Lugo, et consentit Croix quoad sanos, species consummari.

226. « 1. Gratia datur in prima manducatione etiam primae partis, cum sit totum sacramentum. Manducatio autem dicitur traiectio ex ore versus stomachum, etsi alii dicant gratiam tum primum dari, cum pars aliqua est in stomachum recepta. Dian.[3] ex Henriq. Sylv. et Fag. Item card. de Lugo [4].

» 2. Species non sunt retinendae in ore tamdiu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia sacramenti conferretur; uti nec si moriaris, dum hostia adhuc est in ore. Diana [5] contra Bec. [6]. Vide Bon.[7].

227. » 3. Si quis partem vini vel hostiae sumpsisset indispositus, et deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis. (Ita Salmant. [8] cum Suarez Con. Sot. Caiet. (contra Bonacina et Henriq.) quia adhuc tunc eucharistia habet vim conferendi gratiam ex opere operato). Quod etiam aliqui, ut Gabr. Caiet. et alii probabiliter dicunt futurum, si se disponat antequam species consummentur in stomacho. Diana [9] ex Nug. Vide card. de Lugo [10] qui illud posterius negat. Vide Bon. [11].

228. » 4. Non videtur reprehendendus laicus qui desiderat esse sacerdos, ut possit communicare sub utraque specie, quod putet plus gratiae dari sub utraque, quam sub una: quia id fieri non est improbabile, ut docent Vasq. Merat. card. Lugo [12] et alii (Cum Alensi Hurt. Leand. Pal. et pluribus apud Salm. [13] contra Bellar. Suar. Soto etc. ambas probabiles Salm. [14] merito vocant): uti nec carpenda devotio illius qui multum materiae sumit ad consecrationem ea mente, ne tam cito in stomacho species consummentur, et sic diutius secum Christus maneat, et saepius gratiam augeat: quod fieri non est improbabile, si dispositio subiecti fiat melior; ut docent Suar. Conink. Item Fagund. et Becan. apud Dian. [15] (Idem sentiunt Gonet [16] Lugo [17] Cont. Tourn. [18] cum Iuen. Holz. [19] cum Reg. Mastr. Bos. et aliis; item Suar. Leand. etc. (contra Sot. et Vasq.) ap. Salm. [20] qui merito id probabile putant. Ratio quia, ut ait Florentinum, hoc sacramentum institutum est per modum cibi; unde sicut cibus toto tempore, quo in stomacho manet, corpus nutrit, ita pariter semper ac eucharistia in corpore manet, nutrit animam augendo gratiam. Hic tamen notandum ex Dupasquier quod Innoc. XI. post decretum s. c. damnavit abusum tradendi communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores).

» 5. Species per vomitum reiectae, si tales sint ut sub illis panis vel vinum possit existere, vere sunt adorandae; et si iterum sumantur, iterum conferre gratiam, docet card. Lugo [21].

229. » 6. Etsi, si modicum vini consecrati misceatur perfecte cum alio liquore ita ut non maneat substantia vini, desinat ibi esse Christus, non tamen desinit, si misceatur cum vino alio, saltem eiusdem speciei. Card. de Lugo [22]. Unde si gutta consecrata lapsa sit in dolium vini eiusdem speciei, totum illud vinum adhibendum tantum est pro sacrificio; licet quidam dicant bibi posse a laicis. »

Dicunt autem Suar. Dicast. Arriag. et Bernal apud Croix [23] quod Christus desinit esse praesens, si guttula vini consecrati iniiciatur in altero vino non consecrato potentiori, vel in altero liquore, in quo species vini corrumpantur. In dubio autem, dicit Croix [24] tenendum, species non esse corruptas.

« 7. Si species consecratae liquorem

(1) L. 6. p. 1. n. 476. (2) Ibid. (3) P. 3. t. 7. m. r. 96. (4) D. 12. s. 2. (5) L. c. (6) C. 22. (7) D. 4. q. 5. p. 2. n. 2. (8) De euch. c. 6. p. 1. n. 10. (9) L. cit. r. 96. (10) D. 12. s. 2. n. 46. 55. et 64. (11) Loc. cit. (12) Dub. 12. s. 3.

(13) Ib. n. 15. (14) Ib. (15) P. 3. t. 6. m. r. 97 (16) T. 6 tract. 4. c. 9. (17) D. 12. n. 43. (18) De euchar. in fin. p. 1. (19) P. 66. n. 296 (20) Ibid. n. 12. et 13 (21) Loc. cit. n. 53. (22) D. 10. s. 3. (23) L. 6. p. 2 n. 474. (24) Ibid.

specie diversum sibi permixtum convertant in vinum similis substantiae ei, in quo facta est consecratio, species priores manent consecratae: non item posteriores adiunctae. »

CAP. II. DE CAUSIS ET SUBIECTO EUCHARISTIAE.

DUBIUM I. De causis.

« Ago hic tantum de efficiente, id est de ministro, in quo quid requiratur ad confectionem validam, constat tum ex dictis *de Sacramentis in genere,* tum ex superioris capitis *dubio* 5. Quid ad licitam requiratur, patebit ex sequenti dub. de subiecto suscipiente eucharistiam: quia omnes dispositiones quae ad digne suscipiendam sunt necessariae, requiruntur etiam ad licitam confectionem; cum conficiens necessario suscipere debeat. Hic ergo tantum quaeritur, 1. Cuius sit dispensare eucharistiam. 2. Quid ex parte ministri requiratur ad licitam dispensationem. »

ART. I. Ad quem spectet dispensatio eucharistiae.

230. *An solis sacerdotibus liceat eucharistiam ministrare.*
231. *An soli sacerdotes valide consecrent.*
232. *Quid notandum de sacerdotibus consecrantibus simul unam hostiam, sive cum episcopo.*
233. *An parochus tempore pestis teneatur ministrare eucharistiam.*
234. *An inferior sacerdote ministrando incurrat irregularitatem.*
235. *An sufficiat consensus pastoris.*
236. *Quid si ministrandum sit viaticum.*
237. *Quaer.* 1. *Quando liceat diaconis ministrare. Qu.* 2. *An liceat clericis, aut etiam laicis in necessitate sumere eucharistiam per seipsos. Qu.* 3. *An liceat laico in necessitate alteri viaticum ministrare.*
238. *An sacerdos extra articulum mortis possit seipsum communicare.*
239. *An alii praeter pastores possint ministrare eucharistiam in articulo mortis, et in paschate.*
240. *Quibus casibus liceat regularibus tunc ministrare.*

230. « Resp. eucharistiam dispensare ex officio potest solus sacerdos habens iurisdictionem ordinariam, delegatam, aut saltem rationabiliter praesumptam vel privilegium. Ratio est quia pastorum proprium est pascere, quod praecipue fit per sacramenta. Vide Bonac. [1] card. de Lugo [2]. »

(1) D. 4. q. 5. p. 1. (2) Q. 18. sect. 3.
(3) C. 14. (4) C. 1. (5) Dec. pro Inst. Arm.
(6) Sess. 23. can. 1. (7) C. 26. v. 26. (8) C. 22. v. 19.
(9) De euchar. c. 9. p. 1. n. 3. (10) Ibid. n. 5.

231. Fide certum est, solos sacerdotes valide consecrare eucharistiam, ut constat ex traditione, et ex definitionibus conciliorum nicaeni 1. [3] lateranensis sub Innoc. III. [4] florentini [5] et tridentini [6]. Infertque id Tridentinum ex Matth. [7] et Luca [8]: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis tantum apostolis, et sacerdotibus successoribus potestas consecrandi a Christo collata apparet: merito enim ad tantum ministerium ministros singulari modo consecratos esse oportebat.

232. Notandum hic quod si plures sacerdotes eodem tempore consecrent unam hostiam, omnes quidem sacramentum conficiunt, ut est commune cum Salm. [9] ex Suar. Fill. E converso, si unus eorum ante alios formam compleat independenter ab aliorum intentione, iam conficit sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolverent. Hinc Salm. [10] cum Suar. Fill. Pal. Con. Dian. et aliis pluribus inferunt, quod sacerdotes novi, qui cum episcopo consecrant, primo curare debent, quoad fieri potest, simul cum episcopo formam absolvere: praeterea habere debent intentionem consecrandi tunc tantum quando in eodem tempore cum episcopo formam absolvunt: imo, ultra hoc, in consecratione calicis intendant etiam non consecrare, si panem forte ipsi non consecraverint. Cum autem certum sit solos sacerdotes posse consecrare; hinc etiam certum est tantum ad ipsos pertinere ministrationem eucharistiae.

233. Quaeritur hic an parochus tempore pestis teneatur eucharistiam ministrare cum periculo vitae.

Prima sententia valde gravis affirmat, et hanc tenent Merbes. [11] Conc. [12] Holzm. [13] Pal. [14] et Cont. Tourn. [15] cum Suar. Vasq. Tann. Barb. Et eamdem probabiliorem putat Sylv. [16] qui ait: *Securior et verosimilior aliorum sententia est parochum sub mortali teneri*

(11) T. 2. p. 334. q. 19. (12) T. 8. p. 303. n. 15.
(13) P. 64. n. 286. (14) De euchar. p. 20. n. 2.
(15) De euch. c. 5. a. 2. post concl. 4. v. Quaer. 5.
(16) Suppl. q. 32. a. 3.

administrare eucharistiam parochianis peste vel alio morbo contagioso infectis: etiam cum propriae suae vitae periculo, nisi per aliquem alium id fiat, et nisi occurrant quaedam circumstantiae, propter quas merito possit excusari. Ratio, quia licet hoc sacramentum non sit necessarium ad peccata delenda, est tamen moraliter necessarium ad perseverandum in iustitia. Excipit vero Sylvius (post Suar. et Barb.) 1. *Si aliqui infirmi alias essent absque confessione morituri.* 2. *Si sit grave parocho periculum: et eius mors futura sit magna populi iactura, sicut si ipse solus sit, nec facile habendus sit alius.*

Secunda sententia vero negat, quam tenent Salm. [1] cum Dic. Gabr. et Ant. a Sp. s. Diana [2] cum Maior Vill. et Molf. item Gobat et Lohn. apud Croix [3]. Ratio quia hoc sacramentum non est tantae necessitatis, ut parochus causa illud ministrandi teneatur prodere vitam. Et haec sententia est etiam valde probabilis ex declaratione Gregorii XIII. apud Fagn. [4] qui refert quod, instante s. Carolo Borromaeo, an parochi tenerentur ministrare sacramenta tempore pestis, praefatus pontifex die 12. oct. 1576. approbans decretum s. c. concilii, sic declaravit: *Parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et poenitentiam; posse autem ministrare vel per se vel per alium idoneum, ut parochus possit audire confessiones sanorum, quia alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes.* Deinde Fagnanus refert quod idem Gregorius die 26. oct. 1576. archiepiscopo florentino qui decreverat parochos suae dioecesis teneri tempore pestis ministrare sacramenta, praecipit ei rescribi ab eadem s. c. concilii: *Parochos teneri omnino ministrare* (tantum) *baptismum et poenitentiam.* Et sic de facto s. c. rescripsit addito insuper verbo *per alios;* dixit enim s. c. hanc fuisse mentem pontificis, prohibendi scilicet, ne parochi per seipsos, etiam volentes, ministrent baptismum et poenitentiam, ad commodum parochianorum qui sani essent. Ita Fagnanus.

Deinde hic sedulo notandum quod, cum circa idem tempus quaesitum fuerit an parochi tempore pestis tenerentur residere; refert idem Fag. [5] quod s. c. die 6. dec. 1576. decrevit *teneri, sed hoc non per legem generalem statuendum, sed per litteras s. c. significandum eidem praefato archiepiscopo, ut non omnes parochos cogeret, sed aliquos partiendo opus, vel deputaret alios sacerdotes; cum Tab. Arm. et Barb. sentirent parochos excusari tempore pestis a residentia, et quia sani fugerent parochos, et quia parochi omnes morerentur.* Sed facta relatione, pontifex decrevit: *Scribendas simpliciter litteras ad cardinalem s. Praxedis, quibus significetur sanctitatem suam decrevisse, parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis, posse tamen per alium idoneum ministrare sacramenta baptismi et poenitentiae: et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini* [6].

Tandem dubitatum fuit a nonnullis ecclesiarum praelatis, quodnam sit proprium officium episcoporum tempore pestis, an scilicet teneantur residere, et etiam suis curatis ministrare sacramenta. Refert Fagnan. [7] pontificem die 18. decemb. 1576. sic declarasse: *Decretum factum in parochis multo magis procedere in episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse episcopos in locis tutioribus manere, et inde providere.* Et hic observare oportet, quod hoc decretum fuit proprium pontificis, quo generaliter explicatum fuit officium episcoporum: revera enim, si episcopus in huiusmodi necessitatibus oves suas deserat, quis alius eis satis providere curabit?

234. « 1. Peccat mortaliter, qui sine omni iurisdictione eucharistiam dispensat. Conc. [8] quia violat alterius iurisdictionem in re gravi. Inferior au-

(1) De euch. c. 9. p. 3. n. 30. (2) P. 3. tr. 4. r. 174. (3) N. 484. (4) T. 5. c. In clericos, de cler. non resident. ex n. 38. (5) L. c. (6) Sess. 33. c. 1. (7) N. 46. (8) L. c. p. 2.

tem sacerdote incurrit insuper irregularitatem, ut docet Coninch (Idem docent Layman [1] cum Coninch Sporer [2] Mazzotta [3] cum Bonacina et Salmanticens. [4] qui dicunt idem de clerico ministrante baptismum solemniter. Ratio quia, cum horum sacramentorum solus sacerdos sit minister, et diaconus nonnisi ex commissione; ideo etiam diaconus sine commissione ministrans haec sacramenta, cum ipsorum non sit minister ordinarius, irregularitatem incurrit [5]. *Vide dicta de bapt. n.* 116. *v. dub.* 2.). Hinc religiosi etiam ipso facto incurrunt excommunicationem papae reservatam, si scilicet sine licentia parochi et quidem speciali praesumant clericis vel laicis dare extremam unctionem, vel eucharistiam, vel matrimonium solemnizare: nisi habeant privilegium, vel parochus absit, aut iniuste nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione excusare ignorantiam, etiam crassam, ex Praep. etc. notat Dian. [6], idque propter verbum *praesumant*.

235. » 2. Licite ministrat eucharistiam qui praesumit rationabiliter, pastorem factum suum approbaturum esse. Reg.[7] Bon.[8] (Pal.[9] dicit ex consuetudine communiter praesumi consensum parochi, quoties communio non fit ex obligatione. Hinc recte ait Ronc. [10] cum communi, quod cui conceditur facultas celebrandi intelligitur etiam concessa facultas eucharistiam ministrandi. Et sic revera ubique usus habet. Dicit tamen Pal. [11] hanc praesumptionem tantum locum habere, cum communio fit ex devotione, non vero si ex obligatione: sed Laym. [12] illam admittit etiam in praecepto paschali, si praesumptio sit rationabilis, puta si persona frequenter communicet. Caeterum Croix [13] et Lugo [14] cum Suar. Fag. Dian., et aliis recte dicunt, hanc praesumptionem in communione ex obligatione non esse de facili habendam: imo merito addit Croix non semper sufficere, quod certa parochus daturus esset licentiam si peteretur; si enim peteretur iam recognosceretur ut pastor, et ipse saltem confuse cognosceret ovem suam).

236. » 3. Si infirmus sacro viatico muniendus sit, et proprius pastor absit, vel praesens non possit deferre eucharistiam, quivis alius sacerdos vel regularis vel saecularis, et hoc deficiente, etiam diaconus, ei conferre potest, quia tunc praesumitur voluntas episcopi aut papae. Ita Lay. [15] Bon. [16] Suar. (Etsi parochus renuat, sed iniuste. Salm. [17] cum Tol. Lug. Sa Dic., est commune apud Ronc. [18] cum s. Th.).

237. » Dixi in resp. *ex officio*, quia extraordinarie, in statu necessitatis, id potest diaconus ex commissione parochi, et secundum Quint. si absit, sine ea, v. gr. in magno festo, quo sacerdos confessionibus, concionibus etc. est occupatus. Dian. [19] ex Praep. In extrema vero necessitate, v. g. articulo mortis, si non esset alius, etiam diacono, imo laico licere, secluso scandalo, et alios, et seipsum communicare probabile est, ut contra Henr. Vasq. et Sa docent Suar. Conc. Laym. Praep. [20] confirmatque Diana [21] ex Aversa et Franciscus Lugo. Sed Amic. limitat ad casum, quo moriturus peccati mortalis conscius aliud sacramentum suscipere non posset. Dian. [22] in praxi tamen id non facile faciendum, ob contrariam consuetudinem. Lugo [23] Bon. [24]. »

Quaeritur hic 1. Quando diaconus possit eucharistiam ministrare. Nulli dubium quod diaconus potest ministrare eucharistiam in necessitate, ut habetur in carthagin. IV. canon. 39 ubi dicitur: *Diaconus praesente presbytero eucharistiam caritatis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.* Sed dubitatur an haec necessitas debeat esse extrema. Affirmat Contin.

(1) De euch. c. 7. n. 3. (2) Eod. tit. c. 5. n. 309. (3) Tr. 5. disp. 4. q. 1. c. 3. §. 2. (4) De bapt. c. 4. p. 2. n. 20. (5) Ex cap. 1. de cler. non ord. (6) P. 3. t. 2. r. 31. (7) L. 2. n. 91. (8) L. c. n. 8 (9) Punct. 18. n. 4. (10) C. 4. q. 2. resp. 1. (11) Ibid. (12) C. 7. n. 4. (13) N. 623. (14) D. 18. n. 5. (15) L. 5. tr. 4. c. 7. n. 3. (16) L. c. n. 10. (17) De euch. c. 9. p. 2. n. 15. (18) C. 4. q. 2. r. 2. (19) P. 9. t. 6. r. 39. (20) Hic d. 2. n. 11. (21) P. 8. t. 1. r. 49 (22) P. 9. t. 6. r. 39. (23) D. 18. s. 2. (24) D. 1. q. 3. p. 1.

Tourn.[1] cum Habert et Witasse dicens requiri necessitatem praebendi viaticum, dum abest sacerdos; quia alias non vitaretur scandalum, cum iam obsoleverit usus, qui primitus in ecclesia invaluerat (ut testantur Alensis Sotus Sylvester etc.) nempe quod diaconi universe eucharistiam populo ministrabant. Sed negant communiter Suar.[2] Pal.[3] Lug.[4] Laym.[5] et Salm.[6] cum Rod. Dic. Hen. qui dicunt sufficere necessitatem gravem, nempe cum nullus adsit sacerdos, qui commode possit ministrare. Et huic non dissentit P. Conc., admittens sufficere ad id iustam causam. Imo Sylv.[7] ait satis esse praeceptum episcopi vel parochi, etiamsi nulla causa subsit. Et Quintanad. apud Renz.[8] tenet quod, absente sacerdote, etiam sine commissione, et nulla urgente necessitate, possit diaconus ministrare. Sed merito has duas opiniones reiicit P. Suarez. Omnes vero conveniunt quod in necessitate extrema, absente sacerdote, diaconus poterit et tenebitur viaticum ministrare, adhuc sine commissione: ita Tolet.[9] Holz.[10] et Laym.[11] cum Sot. Vict. Henr. Miranda, etc. Diaconus autem, dum eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo, et stola transversa, ut bene advertunt Holz.[12] Croix[13] et alii.

Quaeritur 2. An liceat clericis aut etiam laicis in necessitate sumere eucharistiam per seipsos.

Prima sententia negat, et hanc tenent Lugo[14] qui vocat communem, Gonet[15] Cont. Tour.[16] Bon.[17] cum Henr. Sa Vict. Sylv. Palud. Possev. etc. ac Salm.[18] cum Vasq. Sot. Fag. et Dicast. Ratio, quia laicus non potest eucharistiam sumere, nisi de manu sacerdotis, vel saltem diaconi; e converso hoc sacramentum non est necessarium ad salutem.

(1) De euch. c. 5. a. 2. concl. 2. v. Obi. 2.
(2) D. 72. s. 2. concl. 3. (3) P. 17. n. 6. (4) D. 18. n. 27. (5) C. 7. n. 2. (6) De euch. c. 9. p. 1. n. 8.
(7) V. Diaconus. (8) C. 3. q. 2. (9) L. 3. c. 28. n. 2.
(10) N. 230. (11) L. c. (12) L. c. (13) L. 6. p. 1. n. 489. (14) D. 18. n. 24. (15) D. 10. n. 18.
(16) Loc. cit. concl. 4. (17) P. 1. n. 5.
(18) De eucharistia c. 9. p. 1. n. 11

Secunda sententia vero affirmat, quam tenent Suar.[19] Caiet.[20] Fill.[21] Val.[22] Esc.[23] Diana[24], et probabilem putant Lugo[25] et Conc.[26]. Ratio quia in tali casu necessitatis, puta in articulo mortis, urget praeceptum divinum communicandi; e converso nullo praecepto divino vel ecclesiastico id apparet prohibitum; imo notum est quod olim fideles laici eucharistiam in suas domos deferebant, et seipsos propriis manibus communicabant: et hoc quidem propter necessitatem permittebatur; cur autem eadem necessitate occurrente aliquando permitti non poterit?

Deinde hic quaeritur 3. an liceat laico in necessitate ministrare viaticum moribundo. Negat d. Th.[27] qui postquam dixit licere laico tangere corpus Christi in necessitate, puta ut extrahat eucharistiam e loco immundo, subdit: *Sed non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio huius sacramenti non est necessitatis.* Et idem sentiunt Lugo[28] Petroc.[29] et Cont. Tour.[30] cum Contens. Conc. Henr. a s. Ign. et Henno. Ratio, tum quia hoc esset contra universalem ecclesiae consuetudinem; tum quia hoc sacramentum non est tantae necessitatis, ut mox supra dictum est; tum demum quia in *c. Pervenit* 29. *de consecr. dist.* 2. expresse prohibetur sacerdotibus committere laico ministrationem huius sacramenti. Excipit Cont. Tour.[31] solum casum quo infirmus non posset aliud sumere sacramentum, et dubitaret de perfecta contritione; quia tunc eucharistia fit sacramentum necessitatis. Affirmant vero Suar.[32] ac Cai. Fill. Val. Escob. cum Dian.[33] ac valde adhaeret Lay.[34]. Ratio, quia nulla fit sacramento iniuria, si in tali necessitate morienti ministretur eucharistia a laico. Nec obstat textus in *cit. c. Pervenit;* quia ille

(19) D. 72. sect. 1. (20) In Matth. 26.
(21) Tract. 4. n. 235. (22) Q. 10. n. 4.
(23) L. 6. n. 455. (24) P. 3. tr. 4. r. 47.
(25) D. 18. n. 23. (26) Q. 82. n. 27.
(27) In 4. d. 15. q. 1. a. 3. (28) D. 18. n. 22.
(29) T. 3. p. 448. q. 4. (30) Ibid. v. Quaer. 1.
(31) Loc. cit. (32) Dicta d. 72. s. 3.
(33) Loc. cit. (34) C. 7. n. 4.

loquitur de sacerdote, qui ministrationem committebat laico etiam extra casum necessitatis. Neque obstat contraria consuetudo; cum enim hic casus rarissime accidat, consuetudo contraria minime probari potest. Hanc sententiam tenet etiam Hab.[1] qui dicit quod, occurrente necessitate, nempe tempore pestis bene poterit iudicio episcopi etiam laicis permitti eucharistiam ministrare.

238. « Probabile est, etiam extra mortis articulum, ex gravi causa licere sacerdoti, praeciso scandalo, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel a diacono allatam sibi ipsi dare, v. g. si in longo morbo diu non communicasset, ut contra Suarez et Conc. docent Fag.[2] Praepos. Escob.[3] (Immo Croix[4] cum Suar. Bon. Lug. etc. Roncag.[5] Salm.[6] cum Sylvio etc. dicunt, sola devotionis causa, sacerdotem semper posse seipsum communicare, quia, praeciso scandalo, nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius sacerdos: et id non improbabile putat Conc.[7]. Ibique addit cum Vasq. Dic. et Leand. hoc permitti etiam diacono, quia ex concilio nicaeno[8] id ei conceditur. Tandem concludit disciplinam hodiernam in hoc spectandam esse).

239. » Dixi 2. *vel privilegium*, quale habent religiosi mendicantes, et nominatim societatis Iesu, ex Pauli III. bulla et aliorum, ut scilicet in suis templis per se, vel per alios sacerdotes illic celebrantes communicare possint quoscumque Christi fideles, praeterquam in mortis articulo (in quo tamen, si urget necessitas, praesumitur ratihabitio papae, etiam invito parocho, ut habet Bon. *hic*), et festo paschali. (Et praeterquam, si episcopus rationabiliter alicui communionem prohibeat). Vide card. de Lugo[9]. Porro per festum paschatis pontifices hic videntur intelligere, et prohibere communionem illam, qua satisfit praecepto annuae communionis, ut docent Sa Fill. et comm. Per mortis articulum intelligitur tempus quo vel mors proxime instat, et moraliter certa et inevitabilis est, vel quo est mortis periculum, id est probabile dubium de vitae conservatione, tali casu, quo valde frequenter mors solet accidere. Suar.[10]. et alii.

240. » Ex dictis resolves, quod regulares licite dent eucharistiam in articulo mortis, uti et in paschate sequentibus casibus :

» 1. Si extrema sit necessitas, ut si periclitetur de salute aeterna.

» 2. Si sit gravis necessitas, id est probabile mortis periculum, et parochus nolit, vel non possit dare. Lugo[11] (Cum Ronc.[12] et pluribus, contra aliquos).

». 3. Si a pontifice vel episcopo habeant privilegium: quale hoc tempore habent religiosi aliqui quibusdam locis ab episcopis communionem paschalem dandi.

» 4. Si quis in paschate non possit in sua parochia communicare, nec petere veniam a parocho.

» 5. Si ratione communionis paschalis parochiae suae ante satisfecerint, aut postea satisfacturi putentur, quia tunc parochis nihil decedit, cum ipso die paschatis abstinere a communione possint (Ita Suar.[13] Pal.[14] Anac.[15] cum communi). Sic contra Henr. et Navar. docent Sa Fill. et Laym. qui addit, nisi constaret parochum esse invitum, ac rationabiliter id prohibere, v. gr. quod alias rationem communicantium habere in sua parochia non possit; tunc enim ad parochiam esse reiiciendos. Card. Lugo[16] Bon.[17] (Refert n. ss. p. Bened. XIV.[18] declarasse s. c. non posse regulares die paschatis ministrare eucharistiam ex devotione communicantibus. Sed Ronc.[19] et Wigandt[20] in hoc constantem (aiunt) esse consuetudinem in contrarium, quae iurisdictionem praebet).

» 6. Si aegrotus necdum perveneri

(1) T. 5. p. 311. q. 2. (2) P. 3. l. 3. c. 2.
(3) T. 7. c. 6. l. c. (4) N. 481. (5) C. 4. q. 4.
(6) De euch. c. 9. p. 2. n. 18. (7) Pag. 307. n. 12.
(8) Can. 14. (9) Loc. cit. s. 2. n. 53. et 49.
(10) [illegible] de rel. l. 2. c. 5. et 5. p. d. 26. s. 4.
(11) D. 18. s. 2. n. 55. (12) C. 4. q. 2. r. 2.
(13) D. 72. s. 5. (14) C. 19. n. 5.
(15) P. 101. n. 40. (16) D. 18. s. 2. n. 50
(17) Loc. cit. (18) De synodo l. 7. c. 42
(19) C. 4. n. 9 [illegible] (20) Ex. 4. n. 48.

ad eum statum. ut ex praecepto teneatur ad communionem, etsi tunc maneat obligatus suscipere communionem ex manu parochi in articulo mortis.

» 7. Si aegrotus satisfecerit praecepto de viatico, cum intentione illud implendi: quia administratio eucharistiae tantum est vetita regularibus quando praeceptum communionis obligat. Numquam tamen, sine licentia episcopi vel parochi, licet religiosis publice eucharistiam deferre per plateas, cum id iuri parochorum consuetudine obtento deroget: proinde eo casu in aegroti oratorio, aliove honesto domus loco, de licentia ordinarii, privatim facto sacro, eucharistia est danda. Ita Suar. Vide Diana [1].

» 8. Quibusdam qui frequenter communicant apud religiosos, nec possunt adduci ut communicent in parochia; idque ex tacito et praesumpto consensu, quem Laym.[2] putat facilius posse praesumi in militibus praesidiariis, item in aulicis, studiosis, aliisque academicis etc. qui frequenter communicantes extra suspicionem esse solent. Vide Laym. [3].

» 9. Si in paschate sint vagi, peregrini et advenae, secundum sententiam probabilem multorum, ut Sanch.[4] Fagund. [5] card. de Lugo [6] Dian.[7].»

Huic adversantur Cont. Tourn. [8] et Ronc. [9] cum Barbosa et Passer., dicentes quod advenae debent sumere communionem paschalem de manu parochi loci, quia iste tunc censendus est proprius eorum pastor. Sed cum Busemb. communissime oppositum docent Sanch. [10] Suar. [11] Lugo [12] (qui vocat fere communem), Viva [13] Anacl. [14] Pal. [15] et Salm. [16] cum Nav. Sot. Cai. Azor. etc. Ratio, quia peregrini et vagi non habent proprium pastorem; et favet declaratio Eugenii IV. (apud Sanch.) qui concessit peregrinis ut possint in parochiae hospitiis communicare, non autem coegit, sed reliquit eos dispositioni iuris communis.

« 10. Si sint famuli vel domestici vel familiares eorum qui circa tales habent privilegium. Vide Comp. privil. Soc. Iesu. *v. Familiaris*, et Diana [17].»

Bon.[18] refert quamdam declar. s. c. (apud Sa), qua dictum fuit, famulos saeculares monasteriorum teneri sumere communionem paschalem in parochia. Hoc autem ait Bon. non intelligendum de iis qui degunt in monasteriis, vel in locis exemptis a cura parochorum: et idem sentiunt Anac.[19] cum comm. ut asserunt, Ronc. [20] Pal. [21] et Salm.[22] cum Dic. Attamen Wig.[23] et Bened. XIV.[24] sentiunt oppositum; nam (ut ait praefatus Bened.) tantum illi servientes monasteriis sunt exempti a iurisdictione sui ordinarii, qui, ut habetur in Trident.,[25] *actu inserviunt*, *intra eorum septa ac domus resident*, *sub eorumque obedientia vivunt*. Unde, ut ait, non eximuntur ab obligatione communionis paschalis in parochia famuli monasteriorum, nisi vivant intra ipsam clausuram, et sub obedientia praelatorum regularium. Et huic conformia esse refert idem Bened. plura decr. s. c. et signanter illud editum 22. nov. 1721. ubi dictum fuit teneri recipere communionem in parochia famulos monialium degentes in domibus sitis in atriis monasteriorum, muro circumvallatis, quae sunt contigua monasteriis, cum ianua quae clauditur. Sed hoc non obstante, refert Croix [26] societati Iesu expressum privilegium concessum fuisse, ut famuli domestici, intra septa religiosa habitantes, possint satisfacere communioni paschali communicando in templis societatis. Sed notat ibi p. Zacharia pluries decrevisse s. c. hoc privilegium non extendi ad alias religiones.

(1) T. 4. p. 4. r. 14. et p. 9. t. 9. r. 63.
(2) L. 3. t. 4. c. 7. n. 4. (3) L. c. (4) De matr. l. 3. d. 37. (5) Praec. 1. eccl. l. c. c. 8. (6) L. c.
(7) P. 2. t. 2. r. 12. (8) De euchar. c. 8. a. 2 (post concl. 4. Quaer. 2. (9) C. 4. q. 2. r 2.
(10) D. disp. 23. n. 17. (11) 3. p. d. 72. s 2.
(12) D. 18. n. 50. (13) Q. 4. a. 10. (14) P. 101. n. 4
(15) P. 19. n. 7. (16) De euch. c. 8. p. 2. n. 31.
(17) P. 2. t. 1. de dubiis regularium r. 12.
(18) Q. 7. p. 2. n. 10. (19) P. 401. n. 40.
(20) C. 4. q. 2. r. 2. (21) P. 15. n. 10.
(22) De euch. c. 8. p. 2. n. 30. (23) Ex. 4. n. 48.
(24) Notif. 55. t. 2. (25) Sess. 24. c. 11.
(26) L. 6. p. 1. n. 635

ART. II. Quid requiratur in ministro ad licitam administrationem eucharistiae.

241. *An eucharistia deferenda ad infirmum cum stola, superpelliceo, ac lumine. Quid de extrema unctione.*
242. *An in necessitate liceat currere.*
243. *An deferre eucharistiam in equo. Et an tantum ad eam adorandam.*
244. *An liceat dispensare, vel celebrare posterioribus digitis. Et an medio instrumento tempore pestis.*
245. *Quando peccet dispensans ob defectum ritus ecclesiae.*
246. *Quibus subiectis non liceat porrigere communionem.*
247. *An autem communio porrigenda reis capite damnatis. Et an semifatuis, et obsessis.*
248. *Quomodo pastor debeat asservare eucharistiam. Et an eucharistia asservanda, et deferenda semper sit cum lumine.*
249. *An ministranda communio in missa* de requiem.
250. *Quid faciendum, si hostia decidat in terram.*
251. *Quid faciendum de fragmentis hostiarum.*
252. *Qua hora, et qua die possit dari communio.*
253. *Quoties parochus teneatur ministrare communionem.*
254. *Quid notandum circa communionem quotidianam.*

241. « Resp. 1. Ut minister circa eucharistiae distributionem non peccet, praeter gratiam, etiam reverentiam in eo tum ratio tum canones requirunt; ita ut praestet hoc sacramentum omitti (cum eius susceptio saepe non sit necessaria ad salutem), quam admitti positivam irreverentiam.

Unde resolves:

» 1. Eucharistia non est deferenda ad infirmum, nisi cum habitu decenti, id est cum stola et superpelliceo, ac praecedente lumine : secus est de extrema unctione, cuius materia, cum non sit sacramentum, non requirit tantam venerationem. (Ita etiam Mazz. cum Croix et communi). Putant tamen quidam, si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam si sacerdos eucharistiam in pyxide vel corporali involutam in sinu suo clam deferat. Quod certius videtur licere in locis haereticis, ubi etiam necessitate, et clam, praeciso scandalo, poterit porrigere sine stola et superpelliceo; etsi nullo modo celebrandum sit sine vestibus sacris ob viaticum dandum. Bon. [1]. »

Ministrare eucharistiam sine lumine et solita confessione reputatur tantum veniale, uti comm. dicunt Suar.[2] Ronc.[3] cum Quarti Croix[4] cum Gob. et Salm.[5] cum Fill. Gran. et Fag. ac Mazz.[6] cum communi ut asserit. Ministrare autem sine stola et superpelliceo, comm. censent dd. esse mortale ex genere suo, ut Suar. et Ronc. [7] ac Fill. [8]. Omissa tamen tantum stola, dicit Ronc. pluribus videri solum veniale. Utrum autem in necessitate liceat ministrare viaticum sine lumine et vestibus sacris. Negat Bon. [9] cum Sylvest. et Possev., quia (ut ait) praestat potius reverentiam servari tanto sacramento, quam infirmum communicare. Sed communius et satis probabiliter affirmant Croix et Mazz.[10] Gob.[11] Elb.[12] et Renzi [13] cum Fill. Avers. Gran. etc. Ratio quia non rationabiliter praesumitur quod Christus qui hoc sacramentum ad subsidium animarum instituit, et ecclesia quae tam benigna est mater, voluerint moribundos tanto bono privari, ne praescriptae caeremoniae omittantur. Deferre autem eucharistiam ad aliud altare sine vestibus sacris, dicit Croix [14] cum Diana et comm., non excedere peccatum veniale. Censet etiam Pasq. apud Croix [15] quod episcopus potest dispensare, ut deferatur viaticum cum pileolo in villis et pagis.

242. « 2. Praestat aegrum non communicatum mori, quam sacerdotem in habitu cum sacramento per publicum currere, etsi festinare valde debeat, ut dicit Quint.[16]. (Sed probabile est posse sine irreverentia currere in necessitate ut Croix [17] cum Gob. item contra Salm.[18] cum Bon.). Secus est in baptismo et poenitentia, si probabiliter timeretur ne aegrotus decederet in mortali; tunc enim currendum esset, ut habet Bon.[19] ex s. Th. Possev. et aliis

243. » 3. Ad infirmum longe distan-

(1) D. 4. q. 5. p. 2. (2) Dist. 72. s. 4. v. Tertio. (3) C. 4. q. 3. r 2. (4) N. 489. (5) De euch. c. 9. p. 2. n. 24. (6) Tr. 5. d. 4. q. 1. c. 3. § 2. (7) Locc. cc. (8) C. 9. n. 270. (9) Q. 5. p. 2. n 8.
(10) Locc. cc. (11) Tr. 4. n. 417. (12) T. 3 p. 85. n. 65. (13) Q. 15. (14) Loc. cit. (15) N. 611. (16) T. 4. s. 8. (17) N. 614. (18) De euch. c. 9. p. 2. n. 25. (19) Loc. c.

tem licere parocho eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus, docet Quint.[1]. (Idem tenet Elb. [2] cum Gob. si fiat causa tempestatis vel distantiae, vel quia periculum est in mora. Idque concessit s. Carolus [3]). Sed negant Possev. et Barb., nisi loci consuetudo permittat, adduntque non licere pyxidem dare portandam laico, quantumvis pastor sit fatigatus, sed potius ex collo suspendendam bursam.

» 4. Eucharistia non deferenda ad aegrum, venerationis tantum causa, ut adoret vel osculetur, si sumere non possit. Quod etiam prohibuit congregatio cardinalium: quae tamen non videtur prohibere ut venerationis causa deferatur ad lectum, si in domo celebretur. (In hoc attendendum omnino decr. s. congregationis concil. [4] (apud Lugo [5]) ubi sic declaratum fuit: *Non licet sanctam eucharistiam ad aegrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius* v. *prohibuit*).

244. » 5. Non licet dare eucharistiam aliis digitis, si indice et pollice ob chiragram dari non possit, ut docent Bon. [6] et Possev. contra Tolet. cuius sententia tuta videtur, si alias aeger sine viatico esset moriturus: praesertim si tunc detur duobus indicibus. »

Quaer. an qui laborat chiragra, possit aliis digitis quam pollice et indice ministrare eucharistiam. Affirmant Mazz. [7] et Croix [8] cum Arriaga Leand. et Gob., quia, licet soli primi digiti sacerdotis inungantur, tamen tota manus consecratur. Probabilius vero negant Diana [9] Renzi [10] et Bonac. [11] cum Possev. Ratio quia, etsi tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu ecclesiae ad hoc ministerium deputantur. Et quamvis communiter admittant cum Bus. Diana et Renzi [12] item Conc. [13] Salm. [14] Cont. Tour.[15] et Ronc. [16] (contra Bon.) posse ministrari eucharistiam posterioribus digitis in casu extremae, vel gravissimae necessitatis: pariter tamen communiter dicunt Pal.[17] et Lay.[18] Bon.[19] cum Suar. Mol. Sayro Avila Fill. et Reg. quod si quis haberet pollicem ita infirmum, ut non posset cum eo hostiam frangere, non posset quidem celebrare. Idque infertur ex *c. ult. de corp. vitiat.* ubi dictum fuit, tum tantum permittendum alicui sacerdotio initiari, cum habet pollicem aptum ad frangendam hostiam. Regula autem generalis est, id quod est impedimentum ad suscipiendum ordinem, post susceptionem exercitium ordinis impedire; vide Salmant.[20]. Et idem dicunt Bon.[21] Viva[22] et Mazzott.[23] de sacerdote qui indicem haberet ineptum ad usum.

» 6. Non licet tempore pestis porrigere eucharistiam medio aliquo instrumento (multo minus deponere alicui in scutella, ut ab ipsomet aegro sumatur), sed manu danda est, ut docet Bon.[24] ex Suar. et aliis. Quamvis Possev.[25] non improbabiliter dicat, posse, praeciso scandalo, et periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari. (Puta in cochleari; id tamen negant Diana [26] et Renzi [27] cum Fagund. et concilio mediol. 5. ubi id vetitum fuit. Sed merito putant non improbabiliter licitum in tali necessitate cum Bus. Bon. [28] item Mancin. et Marc. ap. Croix [29] et Salm.[30] cum Gavant. Leand. etc., quia necessitas satis videtur excusare a solito ritu ecclesiae. Quod in praxi pro aegroto, qui non potest traiicere hostiam, ut scilicet ei detur eucharistia, imposita particula hostiae cum vino in cochlea-

(1) C. 4. s. 3. (2) N. 74. (3) Act. Mediol. p. 4. sub num. 51. (4) In s. 13. can. 7. (5) Resp. mor. lib. 1. d. 11. n. 3. (6) D. 5. q. 4. p. 2. (7) Tr. 5. d. 4. q. 1. c. 3. n. 111. (8) L. 6. p. 1. n. 490. (9) P. 10. tr. 11. r. 40. (10) C. 3. q. 16. (11) D. 4. p. 2. n. 10. (12) L. c. (13) P. 109. n. 15. (14) De euch. c. 9. p. 2. n. 26. (15) De euch. c. 5 a. 2. post concl. 4. ante v. Quaer. 6.

(16) C. 4. q. 3. r. 2. (17) Tr. 29. d. 6. p. 11. n. 3. (18) De irreg. tr. 5. c. 7. n. 6. (19) Eod. tit. d. 7. q. 2. c. 2. n. 16. (20) De cens. c. 7. p. 1. n. 2. (21) Loc. cit. (22) De irreg. q. 9. art. 4. n. 15. (23) Ibid. (24) D. 4. q. 5. p. 2. (25) C. 8 (26) P. 5. tr. 3. r. 50. (27) C. 3. q. 16. (28) P. 2. n. 10. (29) N. 436. (30) De euchar. c. 9. p. 2. n. 27.

ri, admittunt Praep. [1] Esc. [2] Dian. [3]. (*Vide dicenda n.* 288. *v. Dicunt*).

» 7. Sacerdos podagra laborans potest deferri ad altare, ut ibi eucharistiam administret; seclusa tamen alia prohibitione. Ita Possev. [4] Bon. [5].

245. » Resp. 2. Requiritur praeterea ut eam dispenset ritu ecclesiae consueto: deinde, ut eam neget (per se loquendo) indispositis animo vel corpore; denique, si pastor sit, ut ministret eam ovibus, quoties rationabiliter petunt. Bon. [6].

» Dixi 1. *ritu ecclesiae;* quia legitimus ecclesiae ordo sub peccato obligat.

Unde resolves:

» Peccat 1. qui eucharistiam dat sub utraque specie, locis vel personis quibus a pontifice non est concessum. Item si morituro, qui ob linguae ariditatem non potest hostiam traiicere, det species vini (Ut communissime dicunt Tab. [7] cum Fag. et Dian. item Croix [8] cum Suar. Lugo Dic. etc. contra Ochag. etc. quia praeceptum viatici non obligat, quando nequit sumi debito modo et ecclesiae ritu); licet talem a mortali excusare conetur Amic. apud Dian. [9] Bon. [10] Sanch. Poss. Barb. contra ipsum Dian. [11]. 2. Qui dispensat sine veste sacra, vel lumine, aut praevia confessionis generalis formula. (*Vide d. num.* 241). 3. Qui laico dat hostiam maiorem; in necessitate tamen, vel in casu magnae devotionis, licet ex maiore particulam defractam dare (Id si fit sine causa non est licitum, sed non excedit veniale, ut recte ait Cont. Tourn. cum Possev. Sufficit autem ad illud excusandum si communicandus sit infirmus, vir nobilis, famulus, vel alius qui sine incommodo expectare non potest, etiamsi tantum ex devotione communicet, ut dicunt communiter idem Cont. Tour. [12] et Conc. [13] Salm. [14] cum Dic. Diana Gran. etc. ac Elb. [15] cum s. Anton. Sylvest. et Bon.) vel etiam in defectu minorum, plures maiores consecrare; easque deinde in minores partes (non tamen adeo parvas ut honeste dari non possint) divisas distribuere. Ita Sa [16].

» Dixi 2. *Per se neget:* quia alias cooperabitur peccato. Per accidens tamen saepe dare potest, v. g. si sine scandalo, aut gravi damno suo vel poenitentis, negari non possit. V. Bon. [17] Possev. [18].

Unde resolves:

246. » 1. Peccat 1. Qui dat pueris ante annum discretionis (nisi in articulo mortis) qui forte circa annum decimum incipit. (*Vide infra n.* 301.). 2. Qui dat amentibus, quando nunquam sunt usi ratione. Si vero usi sint, potest et debet illis dari in articulo mortis, si possit sine periculo irreverentiae, et non constet, incidisse in amentiam, in statu peccati mortalis. Lay. [19] (*Vide dicenda n.* 302. *qu.* 2.). 3. Qui dat peccatori publico, v. g. histrioni turpes comoedias cum mortali repraesentanti, usurario, meretrici, concubinario, de quibus vide Fill. [20] (*Vide dicta n.* 46.).

» Dixi *publico:* quia, si occulte tantum scias esse indispositum, occulte quidem, non tamen publice petenti est neganda, nisi indispositio ex confessione sit nota; tunc enim extra eam ne licet quidem monere, ut docent Sanch. Bonac. Laym. [21] card. Lugo [22] (*Vide n.* 49. et 50.).

247. » 2. Peccat item qui negat reis morte plectendis (quibus etiam potest dari aliquot, imo una hora ante mortem, ut habet Sa: danda vero est, si fieri potest, non in carcere, vel alio loco inhonesto), etiam ob crimen sagarum captis, dummodo poenitentiam prae se ferant: etiamsi crimen negent, et violenta duret suspicio. Tann. [23]. (Negat Contens. [24] posse dari communionem capite damnatis, nisi diu prius poenitentia sua crimina expiaverint.

(1) 2. p. q. 80. a. 5. d. 6. (2) T. 7. c. 6. (3) P. 4. t. 4. r. 104. (4) C. 5. n. 50. (5) L. c. (6) D. 4. q. 5. p. 1. n. 13. (7) C. 5. n. 3. (8) N. 611. (9) P. 8. t. 1. r. 24. (10) L. c. (11) P. 9. t. 9. et r. 64. (12 L. cit. v. Quaer. 8. (13) P. 307. n. 12. (14) De euch. c. 9. p. 2. n. 19. (15 T. 5. n. 59. (16) V. Euch. d. 4. q. 5. p. 1. n. 14. (17) L. c. (18) C. 5. n. 8. (19) Hic c. 4. n. 4. (20) T. 4. n. 166. et seq. (21) L. 5. t. 4. c. 6. (22) D. 8 de sacram. sect. 8. n. 189. (23) T. 5. q. 3. d. 4. (24) D. 4. c. 1 sp. 3.

Sed recte affirmant laudabilius posse dari dispositis per confessionem p. Concina [1] et Iuenin. [2] ut usus habet in Italia et Germania (secus in Gallia et Hispania); et etiam una hora ante mortem, si necessitas urgeat, ut admittit Concina: ex concilio enim nicaeno can. 13. praescribitur, quod eucharistia danda est omnibus, qui ad vitae exitum veniunt).

» 3. Recte facit 1. qui raro, v. g. in paschate, dat communionem semifatuis, et qui debilem habent rationis usum, si saltem hunc cibum a profano distinguere norint, ut habent Henr. et Possev. Idem fere dicendum est de surdis et mutis a nativitate. Vide Laym. *hic*. 2. Qui dat obsessis a daemone, dummodo sine irreverentia possint sumere. Ita Suar. Bon. Reg. (*Vide dicenda n.* 303.).

» Dixi 3. *Si pastor sit.*

Unde resolves:

» 1. Talis peccat graviter contra iustitiam et caritatem, si subditis in periculo mortis, licet peste infectis, non det. (*Vide dicenda n.* 233.). Alius vero sacerdos, qui in tali casu, absente vel nolente parocho, nollet dare, peccaret tantum contra caritatem, etsi secundum Chapeauv. mortaliter [3].

248. » 2. Pastor, ut eucharistiam opportune petentibus possit ministrare, tenetur eam asservare cum lumine in ecclesia; nec licet alibi, ne in sacellis quidem nobilium, vel choro monialium, aut inter septa monasterii earum, ut habet Trid. [4] (nisi cum facultate in solemni festo) in pyxide; quae non necessario est consecrata, licet, si consecrata non sit, debeat interius vestiri vitta linea ex tela consecrata, ut ex s. Th. docent Vasq. Azor. Regin. [5]. (*V. de hoc dicenda n.* 424. *circa finem*).

» 3. Si ob graviter culpabilem negligentiam parochi, vel eius cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile sacramentum, peccare eum mortaliter (secus si per horam tantum) docet Quint.[6] item Dian.[7], licet Marchant. [8] obligationem et consuetudinem tam universalem neget: uti et de lumine praeferendo, quando defertur sacramentum foras, atque ex causa id posse omitti, ut cum defertur ad aegrum longe distantem, nec commode fieri potest cum lumine. (*Vide dicta hic n.* 241. *v. Ministrare*).»

249. Plura quaesita diversa et utilia ad praxim hic sunt resolvenda. Quaeritur 1. An in missa *de Requiem* possit dari communio. Hic tria dubia occurrunt. Dubit. 1. An liceat communionem ministrare intra missam. Negant Gavant.[9] et Croix [10] ex decr. s. c. rituum edito die 22. ann. 1701. Sed affirmant merito Pignatel. [11] Quarti [12] et Merati [13] cum Castaldo et aliis pluribus. Prob. ex Trid.[14] ubi dicitur: *Optaret sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes eucharistiae perceptione communicarent.* Nota *in singulis missis:* ergo etiam in missis defunctorum. Item quia in canone etiam missalis defunctorum dicitur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus* etc. Deinde ibidem inferius post communionem celebrantis, sic habetur: *Si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet.* Refertque Merati, haec verba inserta fuisse in missali defunctorum tempore Urbani VIII. qui haec praescripsit inter caetera: *Communicando fra la messa de Requiem si faccia lo stesso; nè si dia alcuna benedizione.* Nec obstat decretum oppositum an. 1701. Nam asserit idem Merati invenisse adnotatum in directorio ecclesiae genuensis an. 1715. quod licet an. 1701. a s. c. vetita fuisset communio fieri in missis defunctorum, tamen ab eadem s. c. ex novis motivis prohibitum fuit extra dari copiam praedicti decreti. Deinde refert idem auctor, quod die 21. martii 1711. reproposito hoc dubio, eadem s. c. cen-

(1) P. 310. n. 5. (2) P. 272. concl. 3.
(3) Q. 37. n. 2. (4) Sess. 13. de reform c. 10.
(5) In praxi t. 2. l. 29. c 9. (6) T. 4. s. 1. et 7.
(7) P. 9. t. 6. resp. 34.
(8) Resp. pastor. t. 4. c. 5. q. 4.
(9) P. 2. tit. 10. n. 6. lit. n. (10) L. 6. p. 1. n. 492.
(11) T. 9. cons. 90. n. 38. (12) P. 2. tit. 10. n. 6
(13) L. c. in Gav. n. 28. (14) Sess. 22 c. 6.

suit praefatum decretum an. 1701. suspendendum esse. Hinc hodie ubique viget usus communionem dispensandi intra missam *de Requiem;* imo hodie certum est licere ex decreto mox referendo.

Dubitat 2. An in missa defunctorum liceat dare communionem ex particulis praeconsecratis in alia missa. Affirmant p. Merati [1] et Bened. XIV.[2] dicentes opinionem oppositam aliorum nullo modo esse admittendam prout noviter adinventam, cum omnes auctoritates et rubricae numquam de hac limitatione verbum faciant. Nec refert quod particulae praeconsecratae non spectent ad idem sacrificium, nam ad totum fructum sacramenti percipiendum sufficit ut fideles de eadem victima participent. Suppositititium autem pro certo reputat Merati quoddam decretum in contrarium, quod refertur in quodam calendario anni 1736. Dicit enim ipse omnem diligentiam adhibuisse in evolvendis regestis s. c. rituum in quibus numquam potuit tale decretum invenire. Sed his non obstantibus, die 2. sept. 1741. novum prodiit decr. s. c. rit. in aquensi, quo dictum fuit: *In missis defunctorum, quae in paramentis nigris celebrantur, non ministretur eucharistia per modum sacramenti, scilicet cum particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a custodia. Potest tamen ministrari per modum sacrificii; prout est quando fidelibus praebetur communio cum particulis infra eamdem missam consecratis*[3]. Hic autem notandum, quod antea die 21. iunii 1670. in pritana aliud fuit decretum emanatum, nimirum: *Missae defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo.* His positis, nempe quod tantum in paramentis nigris prohibetur eucharistia ministrari, et alias permittitur celebrare missas *de requiem* in violaceis, infertur licite posse in missis defunctorum, quae celebrantur in violaceis, ministrari eucharistiam cum particulis praeconsecratis: et insuper ministrari posse tam ante quam post missam.

Dubit. 3. An communio possit ministrari a celebrante ante vel post missam defunctorum. Merito id negat Merati; quia extra missam numquam in paramentis nigris est distribuenda communio, cum iuxta rituale rom. praescribatur in administratione eucharistiae utendum esse stola coloris officio illius diei convenientis, vel saltem coloris albi, ut censet idem Merati cum pluribus dd. Quod etiam approbavit s. Carolus [4]. Caeterum certum est ex rit. romano, intra missas vivorum communionem populi statim post sacerdotis sumptionem fieri debere, nisi iusta causa suadeat fieri ante vel post missam, uti si plurimi interessent, et suspicio esset, quòd aliqui eorum missae longioris taedio caperentur, ut docet n. p. Bened. XIV. [5].

(1) N. 30. (2) De sacrif. miss. t. 9. l. 3. c. 18. (3) S. Alphonsus in suis operibus dogmaticis *Istoria dell'eresie*, confut. 10. n. 41. affirmativam quidem sententiam tenuerat; ast in posterioribus editionibus theologiae moralis, cuius revisionem an. 1775. in manibus ultimo habuit, negativam probavit, hocce decretum s. c. r. 2. sept. 1741. authenticum agnoscens. Falsum itaque est, s. Alphonsum praesentem hanc suam sententiam, quod non liceat in missa defunctorum dare communionem ex particulis praeconsecratis, in laudato opere dogmatico iam anno 1772. edito retractasse. Ita Editor Mekliniensis. Sed audi ipsum s. Alphonsum in *Istoria dell'eresie* confut. 10. n. 41.: Giova qui avvertire su di tal materia, che va in giro un certo decreto della s. c. de' riti a'2. settembre 1741., in cui si vieta di dar la comunione al popolo nelle messe de'morti colle particole preconsagrate, estraendo la pisside dalla custodia, per ragione che con paramenti negri non si può dar la benedizione (come si pratica) a coloro che si son comunicati. Ma scrive il nominato p. Agnello Cirillo pag. 368., che questo decreto non obbliga per non essere stato approvato dal pontefice, che in quel tempo era Benedetto XIV. E ciò in verità ben si deduce dal vedere, che 'l medesimo pontefice, avendo già prima, quando era arcivescovo di Bologna, nel suo libro del sacrificio della messa approvata la sentenza del dotto Merati, che ben si potea nella messa de' morti dar la comunione colle particole preconsagrate; essendo poi fatto papa, e ricomponendo il detto trattato della messa, non si prese pensiero di ritrattar la sua sentenza, come avrebbe fatto se avesse avuto per valido, ed avesse approvato il supposto decreto, il quale era già stato formato nel suo pontificato. Aggiunge il nominato p. Cirillo, aver egli inteso da un consultore della stessa congregazione de' s. riti, che quantunque nell'anno 1741. fu formato il decreto, nondimeno p ù consultori non vollero soscriverlo, e perciò quello restò sospeso e non si pubblicò. (4) Syn. prov. 1. v. 1 (5) De sacrif. missae t. 9. l. 3. c. 18.

250. Quaer. 2. Quid faciendum casu quo decidat hostia. Primo tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abluendus, ut praecipiunt rubricae, quae tamen non obligant sub gravi, ut notat Pasq. apud Croix [1] Holzm. [2] qui addit cum Gob. Pelliz. Tamb. et Lohn. apud Croix [3] ordinarie omitti posse ablutionem vestis aut barbae, ad evitandam turbationem populi. Locus vero ubi incidunt species vini, semper debet ablui, cum ipsae imbibantur, etsi non sit opus eas comburere. Si hostia decidat super ubera mulieris, non debet sacerdos ipse auferre, sed ipsa mulier manu abstrahat, et reponat in ciborio. Croix [4] cum Gob. Pasq. et Lohn.

251. Quaer. 3. Quid faciendum de fragmentis hostiarum. In rubrica missalis [5] sic habetur: *Si deprehendat* (sacerdos) *post sumptionem corporis et sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint sive magnae, quia ad idem sacrificium spectant.* Et hoc non solum immediate post missam, ut commune est apud Croix[6], sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris, ut dicunt [7] Gob. Granad. Diana etc. ac consentit Bened. XIV.[8] contra Lugo [9]. Idque posse fieri dicunt Tamb. et March.[10] etiamsi fragmenta illa sint reliquiae alterius sacrificii, quia (ut aiunt) omnes missae censentur unum specie sacrificium; et hoc probabile putat Contin. Tour.[11], sed melius id negant communiter Caiet. Sylv. Nav Vasq. et Bon. ap. Cont. Tour., item Lugo[12] ac Croix[13] cum Suar. et Tann. nisi adsit periculum irreverentiae; alias non licebit, tum quia ex rubrica, ut supra, sacerdos non potest sumere reliquias post ablutionem, nisi eas tantum quae *ad idem sacrificium spectant;* tum quia sumptio reliquiarum alterius sacrificii non pertinet ad illius perfectionem, sicut sumptio reliquiarum eiusdem sacrificii. Dictum est, *adhuc indutus;* nam si sacerdos iam se exuerit vestibus sacris, tunc censet praefatus Bened. XIV.[14] cum clero patavino reliquias vel reponendas in tabernaculo, si adsit, vel reservandas alteri sacerdoti celebraturo eodem mane, alioquin ab eodem qui celebravit esse sumendas.

Hic autem advertendum 1. quod si sacerdos deferat communionem infirmo in valetudinario, et remaneant reliquiae in patena vel calice, poterit sacerdos eas sumere, si adhuc sit sacris indutus vestibus, ut aiunt Pal. Tamb. et Burgh. apud Croix[15]. Bene vero poterit etiam eas dare infirmo statim post particulam ipsi traditam, quia tunc censetur moraliter una communio, prout recte dicunt iidem Tambur. Burg. cum Marchin.[16] et Lugo[17] qui testatur sic usum ferre, ut post communionem aegri abluatur pyxis, et ablutio ipsi tradatur. Item advertendum id quod additur in praedicta rubrica [18]: *Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo reponat; si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti sumendam relinquat; si neutrum fieri possit, in ipso calice decenter conservet; quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.* Particulae autem inventae extra corporale, in dubio an sint consecratae, sumendae sunt etiam post ablutionem[19], ut dicunt Bonac. Henr. et Gob. apud Croix [20].

252. Quaeritur 4. Quanam hora possit dispensari communio. Respondetur: Per se loquendo, qualibet diei hora dispensari potest, quia circa hoc nulla adest prohibitio; ita communiter docent Pal.[21] Ronc.[22] Salm.[23] cum Angel. Con. et Fag. ac Bon. [24] cum Sylv. Sa Tab. Azor. Possev. Henr. et Suarez [25], qui affert s. Ambr. dicentem, suo tempore fuisse consuetudinem celebrandi et dandi communionem circa finem

(1) L. 6. p. 1. n. 49. (2) N. 37. (3) L. c. (4) N. 495. (5) Tit. 7. n. 2. (6) L. 6. p. 1. n. 496. (7) Ibid. (8) De sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 5. et 6. (9) D. 15. n. 32. (10) Ibid (11) De euch. c. 6. a. 2. sect. 1. dub. 1. v. Haec opinio. (12) L. c. n. 8. (13) N. 497 (14) L. c. (15) L. c (16) Ibid.

(17) D. 15. n. 30. (18) N. 3. (19) Sed melius cum eadem ablutione. Hom. Apost. tr. 15. n. 8. (20) N. 498. (21) Punct. 16. n. 3. (22) C. 4. q. 6. (23) De euch. c. 8. p. 3. n. 3[illegible] (24) Quaest. 7. p. 1. n. 14. (25) 3. p. d. 80. sect. [illegible]

diei. Diximus, *per se loquendo;* nam, ut dicunt omnes aa. citati, non licet eucharistiam ministrare noctu vel sub vesperis, (id est in extrema diei parte) tum propter scandalum, tum propter hodiernam ecclesiae consuetudinem, contra Aversa apud Croix [1] qui dicit esse quidem congruum, ut communio fiat mane, sed licere etiam sub vesperis; sed hoc tantum admittunt Pal. [2] cum Coninch Tamb. cum Sa, et Suarez ac Iordanus apud Croix [3] si accedat aliqua specialis causa: et hoc probabile videtur si fiat sub vesperis; nam intempesta nocte puto cum Salmant. [4] et Bon. non licere nisi in solo casu necessitatis.

Sic etiam non licet dare communionem in missa nativit. Dom., quae dicitur media nocte, ex decr. s. c. r. ap. Bened. XIV. [5] nec in die parasceves ex decreto eiusd. s. c. die 19. febr. 1622. apud Gavant. [6]. Et licet hoc decretum in registris non reperiri testetur Merati, tamen s. c. conc. die 12. feb. 1679. apud Bened. XIV. [7] mandat ordinariis, *ut circa communionem in feria sexta in parasceve, missalis rubricae et ecclesiae romanae usus servetur.* Ex quo recte infert noster pontifex vetitam esse tali die communionem, tum quia in rubrica missalis feriae v. dicitur, debere asservari quasdam particulas pro infirmis, et sic sani excluduntur; tum quia iuxta romanam consuetudinem feria sexta non distribuitur eucharistia. In die autem sabbati sancti nullum adest decretum prohibens communionem; at Macrus [8] ait: *In missa sabbati sancti non dicitur ea antiphona quae appellatur* communio, *quia non fiebat populi communio, quae ne nunc quidem facienda esset.* Haec tamen ratio non suadet; nam perdoctus p. Merati [9] cum Grancolas, Moretto et aliis satis probat quod olim in missa sabbati sancti omnes communicabant, non solum parvuli, sed etiam reliqui fideles, ut patere dicit ex quodam antiquo *ordine romano*, ubi legitur inter caetera: *Omnes communicent.* Additque cum Gavant. Grancolas et Durando, non ob aliud hodie omitti *communio et postcom.*, nisi quia loco earum suffectae sunt vesperae, quae gratiarum actio potius dicendae sunt, quam officium vesperarum. Non habemus igitur ubi vetita sit communio in tali die; unde ait Viva [10] quolibet die permitti susceptionem eucharistiae, excepta feria sexta parasceves: imo notum est quod in pluribus ecclesiis regni et urbis Neapolis ac praesertim in eius cathedrali communio post missam solemnem populo ministratur.

253. Quaer. 5. Quoties parochus teneatur ministrare eucharistiam suis ovibus. Aliqui dixerunt parochum teneri tantum tempore praecepti et in articulo mortis. Ita Sylv. et Rich. Sed communiter hi reiiciuntur ab illis qui docent teneri ministrare, quoties oves rationabiliter et opportune petunt. Ita communiter cum Busemb. *n.* 245. Sot. Suar. Fill. Pal. Dic. Vasq. Azor. et alii cum Salm. [11]. Ratio quia pastori incumbit providere, non solum ut oves adimpleant praecepta, sed etiam ut habeant ea quae valde prosunt suo profectui.

254. Quaer. 6. Quid sentiendum de usu quotidianae communionis. Male quidem locuti sunt aliqui qui dixerunt communionem quotidianam suadendam, imo praecipiendam esse omnibus illis qui sunt in gratia. Licet enim s. Aug. dixerit: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit;* subiungit tamen: *sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Hinc dicit s. Th. [12]: *Requiritur ut cum magna devotione et reverentia.... accedat... sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt... non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere.* Unde merito damnata fuit ab Innoc. XI. prop. 56. quae dicebat: *Frequens confessio et communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prae-*

(1) L. 6 p. 1. n. 495. (2) L. c. (3) L. c. (4) Cit. n. 58. (5) T. 9. l. 3. c. 18. (6) Tit. 9. §. 4. n. 23 (7) L. c. (8) Vocabulario excl. (9) P. 4. tit. 10. n. 56. (10) De eucharist. q. 4. art. 9. num. 1. (11) C. 9. n. 29 (12) P. 3. q. 80. art. 10.

destinationis. Melius dicere debebant, *est nota reprobationis*.

Nimis rigorose e converso alii sentiunt de quotidiana vel frequenti communione, qui ab illa animas arcent, si hae valde extraordinaria puritate et fervore non polleant. Damnata enim fuit prop. 23. ab Alex. VIII. quae dicebat: *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers*. Nec mirum si aliquis magister antiquus cum rigore de hoc sit locutus; tunc enim temporis usu vigebat talis rigor qui hodie non viget. Ideo super hoc puncto sedulo attendendum est ad decretum s. c. editum an. 1679. et approbatum a pontifice Innoc. XI., prout in extensum refertur a Croix *n.* 665. ubi inter alia primo loco dicitur usus frequens vel quotidianus eucharistiae semper fuisse in ecclesia approbatus a ss. patribus; sed, ratione diversitatis conscientiarum, nihil de ipso constitui posse. Deinde pronuntiatur sic: *Frequens accessus* (ad eucharistiam) *confessariorum iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.*

Postea additur: *In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sumptione, unica praecepti formula deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur. Sed magis quid singulis permittendum per se, aut parochus, seu confessarius sibi decernendum putet* (loquitur de episcopo) *illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, sive frequenter sive quotidie accesserit, repellatur.*

Denique concluditur quod episcopi, *ubi viget huiusmodi devotio* (id est usus frequentis communionis), *pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et iudicii temperamento, alere debebunt.*

Quoad hoc pontificium decretum notandum est 1. praecipi ibi quod episcopi, et tanto minus parochi, quamvis possint alicui ex suis ovibus in particulari taxare communiones, minime tamen generaliter pro omnibus dies communionis praescribere possunt. Imo providere debent omnino ut nemo repellatur a frequenti vel quotidiana communione, cuius usum ipsi iuxta prudentiae regulas potius alere tenentur.

Notandum 2. ibi praecipi ut talis usus frequentis sive quotidianae communionis (etiam pro negotiatoribus et coniugatis) relinquatur arbitrio confessariorum, qui iuxta conscientiarum puritatem et profectum communiones praescribant. Hinc dicendum, quod confessarius, praesertim ex fructu frequentiae, et ex desiderio poenitentis regulam sumere debeat augendi vel minuendi usum communionis. *Vide quae de hoc puncto fusius dicemus in praxi confessariorum*, §. *ult.*

An autem dispensans eucharistiam in mortali peccet mortaliter, *vide num.* 35., ubi sententiam affirmativam amplexi sumus.

DUBIUM II. De subiecto seu suscipiente eucharistiam.

ART. I. Quae requiratur in eo dispositio animae.

255. *De praecepto praemittendi confessionem ad communionem.*

256. *Qu.* 1. *An hoc praeceptum sit divinum vel ecclesiasticum.*

257. *Qu.* 2. *An qui post confessionem recordatur mortalis, teneatur ante communionem illud confiteri. Qu.* 3. *An teneatur conteri.*

258. *Quid si sacerdos dubitat de peccato commisso. Remissive ad n.* 474. *de sacramento poenitentiae.*

259. *Non excusat a confessione celebritas, devotio, aut paupertas.*

260. *Excusat vero* 1. *Periculum mortis, et necessitas ministrandi Viaticum.* 2. *Scandalum, aut nota infamiae. Quid si deferatur Viaticum infirmo, qui nequit tam cito explere confessionem.*

261. *Quid si populus, aut ipse sacerdos deberet carere missa, vel communione paschali.*

262. *Quid si sacerdos inter celebrandum graviter peccet, vel recordetur peccati praeteriti, an teneatur confiteri si possit. Et an teneatur missam deserere, si nequeat confiteri.*

263. *Quid si laicus recordetur mortalis in scamno communicantium.*

264. *Quando censeatur deesse copia confessarii. Et quae distantia confessarii excuset. Quid si non adsit nisi sacerdos simplex, vel confessarius excommunicatus etc.*

265. *Qu.* 1. *Quid si sacerdos habeat peccatum reservatum, et desit confessarius habens facultatem. Qu.* 2. *An tunc teneatur confiteri mortalia tam reservata, quam non reservata. Qu.* 3. *Quid si habeat excommunicationem reservatam.*
266. *Qu.* 4. *Quomodo intelligendum praeceptum confitendi quamprimum. Qu.* 5. *An ad illud teneatur sacerdos celebrans sacrilege.*
267. *Qu.* 6. *An celebrans confessus, et oblitus peccati. Qu.* 7. *An sacerdos non confessus, qui meminit peccati post consecrationem.*
268. *Qu.* 8. *An praeceptum confitendi quamprimum obliget etiam laicos.*
269. *Effectus eucharistiae.*
270. *Quaer.* 1. *An accedere ad eucharistiam cum veniali habituali sit novum veniale. Qu.* 2. *An communicans cum veniali actuali peccet venialiter, et fructum amittat.*

255. « Resp. Qui est in mortali tenetur sub mortali ante sumptionem eucharistiae confiteri, nisi sit necessitas celebrandi vel communicandi et confessarius desit (Utrumque enim concurrere debet ad excusandum a confessione, ex Trid.) Ita Trid. [1] ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo [2]: *Probet autem seipsum homo etc.* Et parum refert ad praxim, utrum tantum sit praeceptum ecclesiasticum an tantum divinum, quod est probabilius, ut docent Suar. Fill. et alii commun.

» Dixi 1. *In peccato mortali;* tum quia eucharistia delet venialia, ex opere operato, tum quia venialia (esto commitentur, imo reddant venialiter malam ipsam sumptionem) non ponunt obicem gratiae sanctificanti. Quod si tamen multa sint, et intra genus suum gravia, de quibus nulla poenitentia concipitur, actualem devotionem et fructum maiorem impediunt. Suar. Lay. et alii. »

256. Quaer. 1. An hoc praeceptum praemittendi confessionem ad communionem sit divinum, vel ecclesiasticum. In Trid. [3] sic habetur: *Praesertim cum illa plena formidinis verba apud apostolum legamus:* Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum:* Probet seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat.* Super autem his verbis, alii ut Navar. Med. Palac. apud Pal. [4] dicunt praeceptum confessionis esse tantum ecclesiasticum, idque inferunt ex verbis illis: *Communicare volenti revocandum est in memoriam eius* (nempe apostoli) *praeceptum.* Ergo concilium non agnovit praeceptum illud esse Christi, sed apostoli. Communis tamen et vera sententia, quam tenent Suar. [5] Pal. [6] Lug. [7] Conc. [8] Cont. Tourn. [9] et Salm. [10] cum aliis, docet praeceptum hoc esse divinum. Ratio, quia ex una parte constat quod ex praecepto Christi praemittenda sit probatio, dum apostolus testatur illud a Domino accepisse; ex alia parte, ex eodem concilio clare patet quod haec requisita probatio sit confessio; nam licet tò *eius praeceptum* referatur ad apostolum, ut probabilius intelligit Lugo; tamen concilium non dixit, hoc praeceptum confessionis ab ecclesiastica consuetudine introductum fuisse, sed per eam tale praeceptum fuisse declaratum, unde ex praecepto divino confessio iubetur. Neque huic obstat quod dicatur praeceptum apostoli, quia revera est praeceptum Christi per apostolum promulgatum.

257. Quaer. 2. An si quis post confessionem recordetur alicuius peccati mortalis inculpabiliter obliti, teneatur ante communionem illud confiteri. Et casus est, quando per dolorem universalem peccatum iam sit indirecte remissum.

Prima sententia inter dd. communissima affirmat, et hanc tenent Lugo [11] Suar. [12] Pal. [13] Bon. [14] Conc. [15] Nat. Alex. [16] Tamb. [17] Dian. [18] Croix [19] et Salm. [20] cum

(1) Sess. 13. c. 7. et can. 11. (2) 1. Cor. 11. 28.
(3) Sess. 13. c. 7. (4) P. 12. n. 2. (5) D. 66. s. 5.
(6) L. c. n. 3. (7) D. 14. n. 69. (8) P. 337. n. 2.
(9) De euch. c. 6. a. 3. concl. 4. v. Atque hinc.
(10) De euch. c. 7. p. 3. n. 25
(11) D. 14. n. 126. (12) D. 66. s. 5. (13) P. 11.
(14) P. 1. n. 17. (15) P. 335 n. 6. (16) A. 2. §. 1
(17) De commun. c. 1. §. 3. num. 62.
(18) P. 9. tr. 3. r. 4. (19) N. 559.
(20) De euch. c. 7. p. 3. n. 30.

Conc. etc. Ratio quia id videtur expresse praeceptum in Trid.[1] ex verbis illis supra relatis: *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat.* Ergo qui ante communionem est conscius peccati obliti, debet ex praefato praecepto illud ante communionem confiteri. Tanto magis quia tale praeceptum sic explicatur ab universali ecclesiae praxi. Excipiunt tamen communiter, ut dicunt Conc.[2] Cont. Tourn.[3] Bonac.[4] cum Suar. Conc. Reg. etc. ac Tamb.[5] cum Henr. et Vict. casum, si sine periculo scandali vel infamiae quis non possit confiteri, puta si celebret, vel sit iam in scamno communicantium, a quo non valeat recedere sine nota. Hic tamen sedulo advertendum cum Bon.[6] quod scandalum tunc dicitur quando datur occasio detrahendi vel temere iudicandi, non vero quando datur solum occasio admirationis.

Secunda sententia vero negat, et hanc tenent Garcia[7] Praepos.[8] (qui saltem speculative loquendo eam enixe tuetur) Hieronymus Ferrantinus[9] item Honorius et Fabri apud Croix[10] ac probabilem putant Corn. et Reg. apud Dian.[11] atque mordicus eam novissime tuetur perdoctus Cont. Tourn.[12] cum Arriaga Gibert et Pontas; dicens primam sententiam nulla niti ratione probabili. Scio quod Dian., qui licet in seligendis sententiis ut plurimum in benignam partem declinet, et non raro declinat plus quam par est, tamen in praesenti quaestione suae benignitatis oblitus, hanc secundam sententiam omnino improbabilem vocat, refertque iussu inquisitionis hispanicae expunctam eam fuisse ab operibus Patris Corneio. Sed hoc non obstante, spectato intrinseco fundamento, haec sententia (salvo meliori sapientiorum iudicio, quibus me submitto) mihi videtur cum Cont. Tour. omnino rationi consentanea. Ratio quia qui confessionem communioni praemisit, iam implevit praeceptum confessionis, vi cuius peccatum oblitum iam est indirecte remissum, et poenitens iam probatus existit. Quamvis autem teneatur ipse peccatum illud deinde clavibus subiicere ante mortem, vel quando urgebit praeceptum confessionis, minime tamen constat ex Trident. adesse praeceptum, ut statim ante communionem de illo confiteatur. Dices: In concilio iubetur ut conscius peccati non communicet nisi praemissa confessione, quantumvis sit contritus; ergo qui recordatur peccati obliti ante communionem, debet necessario illud confiteri. Sed respondetur quod in Tridentino ibi tantum praecipitur ut poenitens accedat ad communionem iustificatus non per solam contritionem, sed etiam per confessionem; at hic iam est etiam per confessionem iustificatus, ideoque non tenetur statim ante communionem iterum confiteri. Praxis autem fidelium quae opponitur, non est habenda ut regula certa obligationis, sed potius ut pius et laudabilis usus, quem ego etiam quam maxime, praecisis circumstantiis, suadendum puto; nihilominus illustrissimus et doctissimus magister meus d. Iulius Torni, et alius theologus examinator synodalis in urbe Neapoli in re morali valde versatus, cum aliis doctis recentioribus a me consultis, mihi affirmarunt hanc secundam sententiam esse valde probabilem.

Quaer. 3. An talis poenitens qui recordatur peccati mortalis, inculpabiliter obliti in confessione, et qui confiteri vel nequeat vel nolit iuxta mox allatam sententiam in praecedenti quaestione, teneatur ante communionem actum contritionis elicere. Affirmat Medina ap. Lugo[13] et a Diana[14] citantur pro hac sententia etiam Reg. Suar. et Graff. Sed dicunt Lugo[15] et Esc.[16] nequaquam invenisse loca ubi aa. praefati hanc sententiam docuerint. Alii

(1) Sess. 13. c. 7. (2) Pag. 343. n. 18.
(3) Loc. cit. post concl. 4. (4) Loc. cit. n. 18.
(5) Num. 63. (6) D. 4. q. 6. p. 1. n. 19.
(7) Summ. tr. 3. diff. 5. dub. 1. p. 5. n. 50.
(8) Q. 30. a. 3. dub. 3. n. 15. (9) De scand. q. 10
(10) N. 559. (11) L. c. (12) Ibid. v. Quaer. 2.
(13) D. 14. n. 121. (14) P. 2. tr. 14. r. 13
(15) L. c (16) L. 20. de euch. prob. 36.

vero, ut Lugo [1] Holzm. [2] Escob. [3] cum Praepos. et Gran. ac Cont. Tour. [4] cum Sylvio et Quarti, primam sententiam communiter reiiciunt; hac quidem nixi ratione, quia homini integre iustificato (ut supponitur) sufficit iustificatio sua; nec ullum apparet fundamentum, unde et ad quid haec contritio requiratur; non ex praecepto, quia hoc nullibi invenitur praescriptum; non ad delendum peccatum, quia hoc iam deletum est per confessionem antea factam.

258. « 1. Qui dubitat an peccarit mortaliter, vel an mortale sit rite confessus, tenetur ante communionem confiteri. Ita Bonac. [5] ex Sanch. Reg. Suar. et aliis (*Sed vide dicenda de sacramento poenitentiae n.* 474.).

259. « 2. Dixi *nisi sit necessitas* (non quaecumque, v. g. festi celebritas, vel magna devotio, ut quidam volunt. (Et ita sentit Armilla; sed oppositum tenendum cum Bus. et Salm. [6] cum Suarez Led. Fill. Bonac. et communissima. Sicut neque excusat paupertas sacerdotis celebraturi, nisi esset valde gravis, ut ait Croix [7]), sed gravis sive urgens, qualis esse censetur in sequentibus casibus, praemissa tamen semper contritione; ad quam tunc teneris, nisi de peccato quod occurrit fueris ante contritus. Praep. Lugo [8].

260. « 1. Periculum mortis vel ut consecretur hostia pro morituro. Suar. Con. card. de Lugo [9] (Cum Concina [10] et Cont. Tour. [11] et Ant. [12]. 2. Si sacrificium vel communio non possint omitti absque gravi infamia vel scandalo. Iidem auct. (Cum Conc. et Cont. Tour. [13] modo confessarius desit; vel si confessio ob angustiam temporis perfici non possit, ut Tamb. [14] cum Granad. quo casu recte ait Cont. Tourn. [15] quod si infirmus sit in imminenti periculo mortis, tunc confessarius audiat peccata graviora, et illum absolvat, imposita illi obligatione perficiendi confessionem, si convaluerit: si vero absit tale periculum, tunc censet Cont. Tourn. quod sacerdos conetur, ut infirmus eliciat contritionem et det communionem, si sine infamia non possit communio omitti. Sed melius dicunt Roncaglia [16] et Sporer [17] (et Tamb. [18] probabile putat) posse tunc dimidiari confessionem, sub eadem obligatione illam postea perficiendi).

261. » 3. Si parochus debet celebrare ex officio, ut populus sacrum audiat [19] (Nec adsit alius qui celebret, ut notant recte Pal. [20] Antoine [21] et Salm. [22], et non possit parochus omittere celebrationem sine infamia). Ob quam causam etiam alteri qui non est parochus, id licere putat Diana cum aliis undecim [23] contra Palaum Avers. etc. (Qui verius contradicunt cum Salm. [24] Lugo [25] et Ronc. [26] quia populus sacrum non audiendo, tunc minime peccaret).

» 4. Si urgeat praeceptum de annua communione, ut docet Henriq. et probabile putat Praepost. vel si sacerdos non possit audire missam, nisi celebret, ut habent Henriq. Sotus Diana [27] nec improbat Lugo [28]. Probabilius tamen videntur docere Con. Sa Suarez et alii, cessante scandalo et infamia, praestare tunc sacrum, et communionem etiam paschalem intermittere, eo quod haec praecepta non obligent quando non possunt impleri convenienter iuri divino. (Quoad missam audiendam, licite posse sacerdotem celebrare, tenent Sylv. et Palud. ac probabile putant Suar. Lugo et Fill. apud Salm. [29]. Sed melius contradicunt Cont. Tour. [30] Lugo [31] Conc. [32] cum Suar. Laym. et Bonac. quia praeferendum est praeceptum divinum ecclesiastico. Quoad communionem vero Pal. [33] cum Soto Palud. etc. Lugo [34] cum Con. Henriq.

(1) N. 122. (2) T. 1. p. 330. n. 69. (3) N. 290. (4) Loc. cit. v. Quaer. 3. (5) D. 4. q. 6. p. 1. (6) De euchar. c. 7. p. 3. n. 42. (7) N. 555. (8) D. 14. sect. 6. n. 152. (9) D. 4. sect. 5. n. 107. (10) P. 344. n. 18. (11) De euchar. c. 6. art. 3. concl. 4. v. Dico 2. (12) De euchar. c. 2. q. 3. (13) Locc. cc. (14) De comm. c. 1. n. 36. (15) Ibid. v. Quaeres 1. (16) De poenit. cap. 3. qu. 1. resp. 2. (17) Eod. tit. n. 466. (18) Num. 37. (19) Ibid. (20) Num. 7. (21) Loc. cit. (22) De euchar. c. 7. p. 3. n. 32. (23) P. 9. t. 3. r. 9. (24) Ib. n. 63. (25) D. 14. n. 11. (26) Q. 3. (27) R. 63. et 64. (28) Loc. cit. (29) Ibid. n. 54. (30) Loc. cit. v. 1. (31) D. 14. n. 115. (32) P. 345. n. 26. (33) P. 12. n. 7. (34) Num. 116.

et communi, ut asserit, affirmant posse fieri communionem sine confessione; sed negat Cont. Tourn. [1] et Salm. [2] cum Suarez et Reginald., quia praeceptum annuae communionis non obligat, quando nequit impleri debito modo. Utraque est probabilis).

262. » 5. Si sacerdos post consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur, tenetur elicita contritione sacrificium prosequi: si vero id fiat ante consecrationem, et praesertim ante canonem, debet confiteri, si absque nota infamiae potest, vel recedere, ut docent Sylv. Nav. Diana et alii contra Sot. et Henriq. qui negant teneri, ob .honorem sacrificii; putantque practice esse probabile Laym. et Bon., eo quod vix sine aliqua nota confessio decenter fieri posset; nisi forte in missa solemni, sub cantu vel concione: quo casu tenebitur confiteri, ut notat Sylv. Quod si vero nec contritionem possit elicere, secundum communem sententiam esset confitendum, vel desistendum: licet Vasq. [3] et Hurt. [4] putent probabile esse saltem non peccaturum mortaliter, quando non potest sine nota recedere; intellige, si conatus sit elicere, vel fecit quod potuit. Vide Dian. [5] card. de Lugo [6] qui idem docet. Notat autem Diana ex Praepos. satis esse si quis bona fide putet se esse contritum, licet subdubitet. »

Hic dubitatur 1. An sacerdos qui inter celebrandum recordatur peccati mortalis, teneatur ante consecrationem et praesertim ante canonem interrumpere missam, accersendo confessarium, ut confiteatur si possit sine nota. Negant Leand. et alii apud Diana [7] et dicunt sufficere ut conteratur, quia praeceptum praemittendae confessionis intelligendum videtur ante communionem inchoatam; non enim decet sacrificium incoeptum abrumpere. Sed melius distinguunt cum Bus. Suarez [8] Lugo [9] Pal. [10] cum Vasq. et Bonac. et Salm. [11] cum Con. et aliis multis, et dicunt quod si sacerdos recordetur peccati post consecrationem, tunc missa non est interrumpenda, ut docet etiam d. Th. [12] et expressum habetur in rubr. [13]. Si vero recordetur ante consecrationem et praesertim ante canonem, tunc debet confiteri si possit; quia, cum talis pars sit extrinseca sacrificio, bene potest missa interrumpi ob hanc rationabilem causam, uti fieri solet etiam ob concionem vel oblationes populi.

Dubitatur 2. An sacerdos eo casu ante consecrationem, si nequeat confiteri, teneatur etiam missam deserere. Negant Pal. [14] Suar. [15] cum s. Bonav. Vict. etc. ac Navar. [16] qui ait quod sacerdos peccatum *advertens post inchoatam missam non debet desistere, etiamsi absque scandalo posset*. Ratio quia licet illa prior pars non sit de substantia sacrificii, est tamen ex institutione coniuncta sacrificio per modum unius actionis sacrae; et ideo, postquam est inchoata, debet absolvi. Sed probabilius affirmant Lugo [17] et Cont. Tour. [18] cum Sylvest. Sylvio etc. ac d. Th. [19] qui dicit hanc opinionem esse tutiorem. Idque confirmat rubr. [20] ubi sic habetur: *Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali aut se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, si non timetur scandalum debet missam incoeptam deserere*. Dixi *probabilius*, non certe, nam certum non est an rubrica sub verbo *debet* imponat praeceptum grave. Caeterum bene advertunt Cont. Tourn. et Pal. [21] cum Vasq. et Laym. quod eo casu vix nota infamiae vitari poterit.

263. « 6. Si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis quod oblitus es confiteri, nec sine nota aut scandalo gravi possis recedere, ut habent Navar. Filliuc. Reg. card. Lugo [22]

(1) Ibid. v. 2. (2) Ibid. n. 55.
(3) 3. p. t. 3. d. 207. n. 3. (4) De euch. d. 8.
(5) P. 4. t. 4. r. 93. (6) D. 9. sect. 2. n. 8.
(7) P. 3. tr. 4. r. 77. (8) D. 67. sect. 4.
(9) D. 14. n. 115. (10) P. 12. n. 7. (11) De euch. n. 7. p. 3. n. 49. et 50. (12) 3. p. q. 85. a. 6. ad 2.
(13) De defect. t. 3. n. 4. (14) Loc. cit.
(15) Dict. sect. 4. (16) C. 25. n. 76.
(17) D. 14. n. 115. (18) De eucharist. c. 6. a 3. concl. 4. (19) 3. p. q. 83. art. 6. ad 2.
(20) 3. p. tit. 3. n. 4. et 5. (21) Loc. cit.
(22) Loc. cit. n. 112.

et alii. (Cum Salm. [1] et commun. *Vide dicta n.* 258.). Porrigenti autem eucharistiam confiteri non expedit nec detet, quo casu, etiamsi ne possis quidem elicere contritionem, excusat a peccato Hurt. [2] (Modo coneris conteri, ut Vasq. Lugo etc. apud Croix [3]. *Sed vide dicta hoc lib.* 6. *n.* 33.). Imo quidam dd. apud Henriq. excusant laicum ante confessum, etiam praecisa nota et scandalo, non recedentem; eo quod is dicatur iustificatus et probatus per confessionem. Quam sententiam probat Tamb. [4] potestque servire pro scrupulosis. Vide Reg. [5] Bon. [6] Esc. [7]. (*Vide dicta n.* 257.).

264. » Dixi 3. *Et desit confessarius;* deesse autem censetur, non, ut quidam volunt, si absit is cui solet et cuperet confiteri, vel cui devotius aut utilius confiteretur: neque etsi religiosus non possit nisi saeculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia religionis. Amicus Diana [8] sed in sequentibus casibus:

» 1. Si nullus sit praesens, absentem vero sine magna difficultate (spectata tum debilitate, aetate et negotiis personae, tum aliis circumstantiis, ut aeris, brevitatis temporis) adire non possis. Bonac. [9] ex Suar. Con. etc. (Hinc quodcumque grave incommodum excusat Salm. [10] cum Pal. Vasq. et aliis passim. Excusare etiam distantiam confessarii causa itineris duarum horarum, dicit Gobat cum March.; Rhodes unam leucam, id est tria milliaria; Canus autem ait sufficere iter quinque quadrantium; ita apud Croix [11] qui recte ait cum Aversa, et Dic. hoc iudicandum ex circumstantiis: inde ait Palaus [12] quod aliquando, spectata imbecillitate sacerdotis et brevitate temporis in quo celebrare debet, poterit excusare adhuc distantia 50. passuum).

» 2. Si non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens iurisdictione, vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno, vel si habeas peccatum tantum reservatum, nec pateat aditus ad superiorem; vel superior semel iterumque per pium confessarium rogatus negaverit potestatem absolvendi. Tambur. [13] ex Fagund. Limitat autem Dian. [14] si absque gravi nota praetermittere non possis. Ita Sylv. et alii. Requiritur tamen in his etiam casibus contritio et propositum confitendi: imo ex praecepto Trid. sacerdos qui in tali casu celebravit, tenetur prima occasione confiteri. Quod praeceptum extendendum non videtur ad laicos vel sacerdotes communicantes tantum, ut contra Nav. et Fag. docent Sylv. Dian. et Bonac. [15]. »

265. Hic plures oportet quaestiones enucleare. Quaer. 1. An qui habet peccatum reservatum, et non habet copiam confessarii habentis facultatem, teneatur confiteri apud inferiorem, ut possit communicare. Si iste nullum aliud mortale habeat nisi reservatum, conveniunt dd. non teneri ad confessionem, sed sufficere ut conteratur; ita Lugo [16] Bon. [17] Pal. [18] Elb. [19] Suar. [20] cum Palud. Arm. et Adrian. ac Salm. [21] cum Con. Reg. et Led. Censent tamen Lug. et Bon. [22] cum Suarez Bon. Nug. et Reg. quod eo casu sacerdos advertens se non habere contritionem, sed solam attritionem, tunc tenetur confiteri venialia quae habet, vel mortale alias confessum, ut sic a reservato saltem indirecte absolvatur, et in statu gratiae communicet (et hoc probabilius est iuxta sententiam mox dicendam). Imo docet Lugo [23] quod hoc poterit semper facere, etiamsi habeat contritionem, ut securius eucharistiam recipiat. Sed quid, si hic habeat simul mortalia reservata, et non reservata?

Prima sententia negat teneri ad confessionem, et dicit posse hunc commu-

(1) De euch. c. 7. p. 3. n. 47. (2) Loc. cit. (3) Num. 517. (4) In exp. comm. c. 1. §. 8. (5) L. 29. n. 105. (6) D. 4. p. 10. (7) T. 7. c. 6. (8) P. 9. t. 3. r. 13. (9) Loc. cit. n. 30. (10) De euchar. c. 7. p. 3. n. 32. (11) N. 534. (12) P. 12. n. 6. (13) Exp. comm. c. 1. §. 6. (14) P. 9. t. 3. r. 13. (15) D. 3. q. 6. p. 1. (16) De eucharistia d. 14. n. 87. in fine. (17) Eod. tit. d. 6. p. 1. n. 31. (18) P. 12. n. 3. (19) T. 3. p. 94. n. 102. (20) 3. p. d. 65. sect. 4. q. 80. art. 5. (21) De euch. c. 7. p. 3. n. 37. (22) Locc. cc. (23) N. 105

nicare, praemissa tantum contritione; ita Vasq. [1] Cont. Tourn. [2] item Gers. et Ales apud Lugo [3] Sylv. et Rich. ap. Diana [4], item Armill. Praep. Trull. etc. apud Viva [5] et merito hanc probabilem vocant Suar. [6] Pal. et Fill. apud Viva [7]. Ratio quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret iudici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus gravatur poenitens, caret omni potestate super illo; unde sicut non potest dividi absolutio ad remittendum unum peccatum sine alio, ita nec confessio.

Secunda sententia vero probabilior et communissima quam tenent Suar. Pal. Viva [8] Conc. [9] Lugo [10], qui communem vocat, et Salm. [11] cum Con. Reg. Led. et communi, ut etiam asserunt, docet hunc omnino teneri ad confessionem. Ratio quia, cum urgeat praeceptum divinum praemittendi confessionem communioni, debet fieri confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri integra materialiter.

Quaer. 2. An hic praemittendo confessionem, teneatur confiteri tam mortalia non reservata, quam reservata.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suar. Viva Conc. Bonac. et Salmant. [12] cum Fill. Nug. Soto, et hanc esse satis communem fatetur Lugo [13]. Nullam tamen praefati aa. rationem pro hac sententia praebent; sed videtur haec assignari posse, nempe quia confessarius debet agnoscere totam poenitentis conscientiam, ut debitum formet iudicium, an ille sit capax absolutionis, vel non, forte quia est recidivus in reservatis.

Secunda sententia vero non minus probabilis, imo forte probabilior, negat hunc teneri per se ad confessionem reservatorum; et hanc tenent Palaus [14] Elbel [15] item Gerson Alens. et Castrop. ap. Lugo [16] qui probabilem censet cum Maior. Petr. Soto s. Ant. Led. et Salas. Ratio tum quia alias hic teneretur bis peccata illa reservata confiteri, primo inferiori, deinceps superiori; tum quia, ut supra dictum est, nulla videtur esse obligatio confitendi peccata illa, super quibus confessarius nequit esse iudex, cum nullam super eis iurisdictionem habeat. Dixi *per se*, non dubito enim quin talis poenitens aliquando, puta (ut diximus) si sit recidivus in reservatis, vel in occasione proxima recidendi, teneatur etiam reservata inferiori aperire, ut confessarius de sua dispositione recte possit iudicare, sed hoc esset quidem per accidens, non autem per se, sive ex obligatione integritatis confessionis, cum eo casu bene sufficiat integritas formalis.

Quaer. 3. Quid si poenitens habeat excommunicationem reservatam? Alii, ut Sot. Sylv. Covar. et Rosell. apud Lugo [17] dicunt hunc extra mortis articulum numquam posse communicare. Sed communiter contradicunt Suarez [18] Lugo [19] et Con. [20] ac recte censent, eum bene posse eucharistiam recipere, urgente scandalo vel nota infamiae. Ratio quia praeceptum ecclesiae prohibens excommunicatis suscipere sacramenta, non obligat concurrente praecepto naturali vitandi scandalum, vel non obligat cum tanto incommodo perferendi infamiam. Sed dubium superest an excommunicatus possit tunc confiteri non habenti facultatem super excommunicationem.

Prima sententia negat, et hanc tenent Vasq. et Sylv. apud Lugo [21], item Sot. Canus et Led. apud Suar. [22] ac probabilem putant Lugo [23] Salm. [24] et Diana [25] cum Palud. s. Anton. Sylvest. Gabr. et Megala. Hunc dicunt posse quidem communicare, praemissa contritione, licet habeat alia peccata mortalia non reservata; non posse tamen confiteri, cum sit innodatus excommunicatione, quae ipsi interdicit a susceptione sacramenti poenitentiae.

(1) T. 4. q. 91. a. 3. dub. 9. (2) De euchar. c. 6. a. 3. concl. 4. v. Hinc 2. (3) Loc. cit. (4) P. 3. tr. 4. r. 104. (5) De euch. q. 4. a. 7. n. 6. (6) D. 66. sect. 4. §. Quartus. (7) Loc. cit. (8) Locc. cc. (9) T. 8. p. 348. n. 32. (10) N. 87. (11) De euchar. p. 3. c. 7. n. 36. (12) Locc. cc. (13) N. 87. (14) P. 12. n. 6. (15) N. 102. (16) D. 14. n. 86. (17) D. 14. n. 99. (18) T. 4. d. 51. s. 3. n. 6. (19) N. 100. (20) D. 8. n. 107. (21) N. 105. (22) L. c. n. 1. (23) N. 102. (24) De eucharistia c. 7. p. 3. n. 36. (25) P. 4. tr. 3. r. 104.

Haec est probabilis, sed probabilior est *secunda sententia* affirmans, quam tenent Lugo [1] Sanchez [2] Suarez [3] cum Ang. et Salm. [4] cum Con. Ratio quia eo casu excommunicatio, sicut non privat susceptione eucharistiae, ita nec poenitentiae, quae debet suscipi cum possit, ut servetur divinum praeceptum praemittendae confessionis ad communionem. Recte autem probant Suarez Sanch. Lugo et Salm. [5] valide posse aliquem a peccato absolvi, non praemissa absolutione a censura: ratio, ut bene ait Suar., quia prohibitio ecclesiae ne excommunicatur sacramenta recipiat, non potest irritare sacramenti valorem, qui pendet a iure divino. In tantum enim excommunicatus invalide reciperet sacramentum poenitentiae, in quantum, stante prohibitione ecclesiae, accederet indispositus; sed quando urget necessitas, haec bene ipsum eximit pro illo tunc a prohibitione ecclesiae, unde valide tunc et licite poenitentiam suscipit.

266. Quaer. 4. Quomodo intelligendum praeceptum illud a Trid. sacerdotibus impositum, confitendi quamprimum. In conc. Trident. [6] sic habetur: *Nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec s. synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Damnata autem fuit ab Alex. VII. propos. 38. quae dicebat: *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.*

Posito igitur hoc praecepto concilii, dubitatur quomodo illud *quamprimum* intelligendum. Damnata quidem fuit ab eodem Alexandro VII. propos. 39. ubi dicebatur: *Illa particula* quamprimum *intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur.* Alii vero, ut Molfes. etc. apud Diana [7] dicebant intelligi, cum primum talis sacerdos celebraverit: sed haec opinio est omnino improbabilis, ut bene aiunt Escob. [8] Croix [9] et Diana [10] quia tunc ipse ratione ipsius celebrationis teneretur ad confessionem, sed Trident., praecisa celebratione, praeceptum confitendi quamprimum imponit. Alii autem e converso censent intelligi statim ac cesset necessitas, et sacerdos commode possit ad confessarium accedere, adhuc in ipsa die celebrationis: ita Wig. [11] Conc. [12] et Sancius apud Diana [13] hancque opinionem uti tutiorem amplectitur Continuat. Tournely [14]. Sed melius p. Milante cum comm. dd. ut ait [15] Lugo [16] Diana [17] cum Garcia Coninch et Cand. Esc. [18] cum Zerola Viva [19] cum Trullench. et Bassaeo ac Croix [20] qui affert de hoc s. c. declarationem, dicunt sufficere, si sacerdos intra triduum confiteatur: pariter ac in *c. Eos qui, de sentent. excomm. in* 6. praecipitur ut ii qui in articulo mortis absolvuntur ab excommunicatione reservata, teneantur cum convaluerint se praesentare ad superiorem, *quam cito commode poterunt*, alias reincidunt in eamdem censuram; et hoc non obstante (ut aiunt Lugo Milante et Garcia), non iudicantur reincidere, si intra triduum se praesentant. Sic etiam Sanchez [21] cum Ugolino et Sayro, dicit praeceptum deferendi libros haereticorum ad inquisitores non violare graviter eum qui per biduum illos retinet. Ratio autem intrinseca mihi videtur; quia cum hoc praeceptum sit tantum ecclesiasticum (ut bene probat Suar. [22]), non censetur ecclesia velle ad illud obligare cum tanto rigore; unde illud *quamprimum* moraliter debet intelligi, prout intelligi-

(1) Dict. n. 402. (2) Dec. l. 2. c. 8. n. 5.
(3) L. cit. n. 6. (4) Cit. n. 58. (5) Locc. cc.
(6) Sess. 13. c. 7. (7) P. 9. tract. 3. resp. 23.
(8) De euchar. n. 512. (9) L. 6. p. 1. n. 545.
(10) L. c. (11) Tr. 11. ex. 4. n. 59. (12) P. 548. n. 55.
(13) Loc. cit. (14) C. 6. art. 3. concl. 4. q. 6.
(15) In d. prop. 59. (16) D. 14. n. 165. (17) L. c.
(18) Dict. n. 512. (19) In ead. prop. n. 5.
(20) N. 545. (21) Dec. l. 2. c. 10. n. 55
(22) D. 66. s. 6.

tur in aliis legibus humanis, nempe in *l. fin. c. de iudic. et l. fin. c. de err. advoc.* ubi verbum *statim*, *quamprimum*, *continuo*, aut simile, ut interpretantur Bald. Felin. Mendos. ap. Milante, bene extenditur ad spatium trium dierum. Communiter tamen dicunt Lugo [1] Viva [2] Milante et Diana [3] cum Garcia et Candido, quod aliquando per accidens ex tali praecepto sacerdos ille teneretur confiteri eadem die, et forte eadem hora, puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri.

Quaeritur 5. An teneatur confiteri quamprimum sacerdos sacrilege celebrans, qui non habet necessitatem, vel qui stante necessitate habet tamen copiam confessarii. Affirmant Sylvius et alii apud Croix [4]. Sed communissime et verius negant Suar. [5] Lugo [6] Dian. [7] cum Granad. Fill. Nugno etc. item Vasquez Sayr. March. Dic. Aversa Gob. Pell. etc. apud Croix [8] et fere communis sententia ut testatur Moya [9]. Ratio quia praeceptum Tridentini ordinatum est ad metum incutiendum iis qui praetextu necessitatis differunt confessionem, non autem sacrilege celebrantibus, quibus praeceptum hoc valde raro esset profuturum: illi enim qui, contempto praecepto divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum. Bene autem docet Lugo [10] quod in praeceptis positivis non valet argumentum de minori ad maius, quando minus in maiori non continetur, prout est in nostro casu, in quo praecepta sunt disparata. Recte tamen advertit Lugo[11] quod si talis sacerdos ex necessitate, omissa contritione, celebraret, utique teneretur ad confitendum quamprimum, quia praeceptum Tridentini minime distinguit inter sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed loquitur de quocumque sacerdote ex necessitate celebrante. Hoc vero puto intelligendum (quidquid dicat Croix[12]) tantum de eo, qui ante celebrationem non habuit copiam confessarii; nam si habuerit, primus quidem recurrit casus in quo ille vere sacrilege et sine necessitate celebraret.

(1) N. 162. et 163. (2) N. 6. (3) Locc. cc. (4) N. 546. (5) D. 66. sect. 7. (6) D. 14. n. 150. (7) P. 9. tr. 2. res. 26. (8) L. c. (9) Q. 6. §. 4. (10) Resp. mor. l. 4. d. 47. n. 5. (11) D. 14. n. 150.

267. Quaer. 6. An teneatur confiteri quamprimum celebrans post confessionem, in qua inculpabiliter oblitus est alicuius mortalis. Resp. si meminerit post celebrationem, utique non tenetur, ut recte docent Suarez [13] et Marc. Gob. et Dic. apud Croix[14]. Imo hoc probabiliter admittunt Bonacin. Avers. et Lean. [15] etiamsi in missa post communionem recordetur mortalis; quia revera nec iste celebrasset conscius peccati, ut loquitur Tridentinum. Si vero meminerit ante celebrationem, sed post confessionem, dicunt teneri tunc ad praeceptum confitendi quamprimum Suar. [16] et alii plurimi cum Lugo Dic. Pell. etc. apud Croix [17]. Sed Croix merito oppositam sententiam putat probabilem, quia hic revera non potest dici celebrasse conscius peccati sine praevia confessione. *V. omnino de hoc dicta n.* 257.

Quaer. 7. An sacerdos, qui post consecrationem recordatur peccati obliti, nulla praemissa confessione, teneatur confiteri *quamprimum*. Affirmant Suarez [13] et Bon. Reg. Molf. Meg. etc. apud Diana ut refert Lugo[19]. Ratio quia tunc vere accidit casus, in quo urget praeceptum Tridentini, tunc enim sacerdos iam celebrat conscius peccati in necessitate, et sine confessione. Sed negant Vasq. Diana et Praepos. apud Lugo [20] ac Pell. apud Croix [21] et merito probabile putat Lugo [22]. Quia in rubr. [23] dicitur quod sacerdos qui ante missam recordatur peccati, et celebrat ex necessitate non habens copiam confessarii, tenetur postea confiteri cum primum; sed de eo qui meminit peccati post consecrationem, loquens rubr. [24] dicit: *Conteratur cum proposito confi-*

(12) Loc. cit. (13) Dist. 66. sect. 7. v. Secundo. (14) N. 547. (15) Ibid. (16) L. c. (17) L. c. (18) Cit. sect. 7. (19) D. 14. n. 140. (20) N. 141. (21) N. 548. (22) N. 144. et 146. (23) Tit. 8. n. 3. (24) N. 4

tendi, absque eo quod adiungatur *cum primum*.

268. Quaer. 8. An praefatum praeceptum Trid. confitendi quamprimum, obliget etiam laicos.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Navarr. apud Lugo [1] Conc. [2] et Cont. Tour. [3] cum Azor. Henr. et Sa. Quia, ut dicunt, eadem ratio valet in laicis, quam in sacerdotibus, ubi enim eadem ratio currit, eadem currit legis dispositio.

Secunda sententia vero communissima et satis probabilis negat, et eam tenent Suarez [4] Lugo [5] qui asserit oppositam communiter reiici. Wigandt [6] Milante [7] Pal. [8] Elbel [9] qui asserit communem, Ronc. [10] cum Candido Aversa et Diana Esc. [11] cum Vasq. Con. etc. item Lay. Bon. Fill. etc. apud Conc. [12]. Ratio, tum quia praedicta regula ex paritate rationis currit quidem in correlativis, aequiparatis, vel connexis, non autem hic, tanto magis quia sumus in odiosis, iuxta dicta in *lib.* 1. *n.* 200. *v. Quaeritur;* tum quia differt ratio sacerdotum et laicorum. In sacerdotibus enim qui (generice loquendo) frequentius communicant quam laici, facilius occurrit necessitas communicandi sine confessione, ideoque facilius praetextu huius necessitatis sacerdotes praetermissa confessione celebrarent. Idque confirmat Wigandt auctoritate sancti Thomae, qui dicit in eo cui deest copia confessarii, et communis necessitas urget, requiri propositum confitendi et satisfaciendi, nihil addens de obligatione statim postea confitendi. Ex quo recte inferunt idem Wig. et Lugo [13] cum Suar. etc. quod si sacerdos in necessitate sine confessione more laicorum communicaret, non teneretur statim confiteri, secus vero (addunt) si deberet complere sacrificium ab alio incoeptum: vel si officium perageret die parasceves, quia etsi tunc non diceret proprie missam, diceretur tamen simpliciter celebrare, ut loquitur rubr. miss. de illo die.

269. Hic ultimo refert adnotare quinam sint effectus eucharistiae. Effectus 1. praecipuus est conferre augmentum gratiae, ut patet ex concilio florentino et tridentino [14]. Et aliquando per accidens conferre etiam primam gratiam, nempe si quis ignorans esse in peccato mortali; vel credens habere contritionem; accedit ad communionem cum sola attritione; tunc de attrito fit contritus. Ita s. Th. [15] Ronc. [16] Salm. [17] cum Scoto Suarez Tol. et fere communi (contra Lugo Vasq. etc.). Quia de ratione generica sacramentorum est, ut gratiam conferant supernaturali dolore dispositis, et obicem non ponentibus. (*Vide dicta in hoc l.* 6. *n.* 6.).

Effectus 2. eucharistiae est remittere venialia, ut docet s. Th. [18] cum comm. ex Trid. [19], ubi dicitur hoc sacramentum esse *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur*. Et dicunt Salm. [20] cum s. Th. [21] Pal. Bon. Con. Corneio, remitti venialia (modo non habeatur de eis complacentia) ex vi huius sacramenti, non solum mediante actu caritatis quem hoc sacramentum excitat, verum etiam immediate ex opere operato per infusionem gratiae nutrientis, et restaurantis damna quae ex venialibus nobis sequuntur. Pro hac sententia Salm. citant d. Th. [22] sed non bene, nam s. doctor sic ait: *Res autem* (scil. effectus) *sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur*. Unde melius addit Cont. Tourn. [23] hoc sacramentum non immediate, sed tantum mediate per actum caritatis remittere venialia.

Effectus 3. est praeservare a mortalibus per auxilium gratiae sacramen-

(1) D. 14. n. 138. (2) P. 341. n. 15. (3) De eucharistia c. 6. art. 3. concl. 4. v. Quaer. 5. (4) D. 66. sect. 7. (5) N. 139. (6) Tr. 12. n. 32. r. 5. (7) In prop. 15. Alex. VII. (8) P. 12. n. 9. (9) P. 95. n. 106. (10) Tr. 18. q. 1. c. 5. r. 2. (11) L. 20. n. 92. (12) L. c. (13) N. 139.

(14) Sess 13. c. 2. (15) P. 3. q. 72. a. 7. ad 2. et q. 79. art. 3. (16) De eucharistia c. 7. q. 1. (17) De sacramentis in genere c. 5. p. 2. n. 12. (18) P. 3. q. 79. art. 4. (19) Sess. 13. c. 2. (20) De euch. c. 6. p. 2. n. 25. (21) D. art. 4. (22) 3. p. q. 79. a. 4. (23) C. 8. concl 3.

talis, qua excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur daemones etc. ut docet s. Cyrillus. Imo asserunt Salm. [1] cum Montesin. eucharistiam conferre divinam etiam externam protectionem, qua Deus non permittet ut homo versetur in occasionibus, in quibus praevidet Deus illum casurum.

Effectus 4. est remittere poenam temporalem debitam pro peccatis; hoc autem non directe, sed indirecte ratione actuum caritatis, qui per sacramentum excitantur, ut docet s. Th. [2] cum Salm. [3] et Conc. [4].

Effectus 5. est actualis dulcedo spiritualis, qui effectus est quidem infallibilis, si non impeditur ex parte subiecti: consistit autem haec suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas.

Effectus 6. est unio specialis cum Christo et membris eius, ex *Ioann. c.* 6. v. 7.: *In me manet, et ego in illo.*

Effectus 7. est adeptio gloriae: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Alios etiam effectus habet hoc sacramentum erga corpus, ut tenent Lugo Pal. et Suar. cum Salm. [5], scilicet diminuendi fomitem concupiscentiae, excitandi bonas imaginationes, ipsum corpus sanctificandi, corpori tribuendi resurrectionem et gloriam. Valde autem probabile est, species consecratas, quamdiu sunt in stomacho, maiores gratias causare, maiori dispositione accedente, ut Croix [6] cum Con. Suar. Cai. Val. Lugo. *Vide dicta n.* 227.

270. Quaer. 1. An accedere ad eucharistiam cum peccato veniali habituali sit novum veniale. Affirmant Lay.[7] et Con. ac Dic. apud Salm. [8]. Probabiliter vero negant Sotus Sa Vasq. etc. tum iisdem Salm. [9]. Ratio tum quia haec potius esset deficientia perfectae reverentiae, quam positiva irreverentia; tum quia ipsa voluntas recipiendi eucharistiam et eius effectum est quaedam virtualis venialium detestatio, qua culpae removentur, ita ut ipsae minime sacramenti fructum impediant.

Quaeritur 2. An qui communicat cum peccato veniali actuali, peccet venialiter, et fructum sacramenti amittat. Quando culpa afficit ipsam communionem, puta cum quis communicat ob inanem gloriam vel alium finem venialem, nemo dubitat quin venialiter etiam peccet, ut dicunt tamquam certum Salm. [10] et Tamb. [11]. Dubium est an peccet venialiter qui communicat cum actuali vel virtuali affectu peccandi venialiter, vel cum veniali concomitante, puta cum voluntaria distractione, vel proferendo verba otiosa et simili. Negant Vasq. Sa Leand. etc. ap. Croix[12] et probabile putat Tamb.[13]. Verius tamen affirmant cum communi Suar.[14] Lugo[15] Salm.[16] cum Fill. et Reg. ac Croix [17] cum Laym. Tann. Rodriq. Gob. etc. ex d. Aug. relato in *c. Quotidie de consecr. dist.* 2. qui dicit: *Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico eucharistiae perceptione, quam purificari.* Ratio, quia talis communicans positivam irrogat iniuriam sacramento. Hoc quoad culpam: quoad fructum vero sive effectum sacramenti, alii dicunt quod accedens sine actuali dispositione (quae consistit in exclusione culpae venialis in actu communionis, et in aliquo pio devotionis motu), nullum recipit fructum sacramenti, et ita tenent s. Th.[18] Cai.[19] Petrocor. [20] item s. Bonav. s. Anton. Alens. et Durand. apud Cont. Tour.[21]. Idque probant, tum ex d. Aug.[22] qui: *Non iustificat* (Deus) *non quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te.* Tum propter experientiam, qua observantur plures sacerdotes quotidie celebrare in statu

(1) De euchar. c. 6. p. 2. n. 30. (2) P. 3. q. 79. art. 5. (3) Ibid. n. 31. (4) P. 330. n. 7. (5) Ib. n. 36. (6) N. 324. (7) Tr. 4. c. 6. n. 3. (8) Tr. cit. c. 7. p. 2. n. 20. (9) Ibid. n. 21. (10) De eucharist. c. 7. p. 2. n. 22. (11) Meth. comm. c. 1. §. 4. n. 9. (12) L. 6. p. 1. n. 323. (13) Loc. cit. (14) D. 66. sect. 1. v. Dicendum. (15) D. 14. n. 31. (16) Ibid. n. 23. (17) Loc. c. (18) 4. d. 12. q. 2. a. 1. q 3. (19) 3. p. q. 78. a. 1. (20) T. 3. p. 26. (21) C. 3. concl. 3 (22) Serm. 13. de verb apost.

gratiae, et tamen nihil proficere. Sed alii communius aiunt talem non privari omni fructu, ut Suarez [1] Gonet [2] Tourn.[3] Lugo [4] cum Sylvio Soto Vasq. Led. et aliis communiter ut asserit. Nec dubitandum quin d. Thomas mutaverit sententiam in 3. *p. q.* 79. *a.* 8. ubi expresse docet, quod, licet qui communicat cum veniali concomitante communionem, v. g. cum voluntaria distractione, non recipiat actualem refectionem spiritualis dulcedinis, tamen recipit *augmentum habitualis gratiae vel caritatis.* Haec sententia est quidem longe communior, sed prima non videtur improbabilis.

ART. II. Quae requiratur dispositio corporis.

271. *An pollutio et actus coniugalis impediant a communione.*
272. *Qu.* 1. *Quid si pollutio fuerit voluntaria; et quid si involuntaria.*
273. *Qu.* 2. *An semper sit veniale accedere ad eucharistiam post copulam coniugalem.*
274. *Qu.* 3. *An coniux reddens debitum teneatur ea die abstinere a communione.*
275. *An macula externa, ut lepra etc. impediat a communione, et an a celebratione. An menstrua. An latio armorum.*
276. *An sacerdos communicans extra missam debeat esse stola indutus.*
277. *De ieiunio naturali ad communionem praerequisito.*
278. *Praenot.* 1. *hoc non esse de praecepto divino. Praenot.* 2. *non dari in eo parvitatem materiae. Praenot.* 3. *tria requiri ad solvendum hoc ieiunium, ex tribus regulis, videl.*
279. *Regula* 1. *Ut res sumatur ab extrinseco. Dub.* 1. *An frangat ieiunium voluntaria traiectio reliquiarum cibi. Dub.* 2. *An guttulae aquae commixtae cum saliva, aut iusculi degustati. An saccharum ante mediam noctem in ore immissum. An aqua hausta a lapso in flumen. An sanguis haustus e digito. Quid si defluat e capite.*
280. *Regula* 2. *Ut res sumatur ad modum comestionis aut potationis. Dub.* 1. *An frangat ieiunium pulvis tabaci sumptus per nares. Dub.* 2. *An fumus tabaci. Dub.* 3. *An tabaci folia, vel aromata dentibus contrita.*
281. *Regula* 3. *Ut sumatur res habens rationem cibi aut potus. Hinc quaeritur, an solvat ieiunium comestio capillorum, lanae, ligni, chartae, lapillorum, cretae, et similium.*
282. *An liceat sequi ultimum inter horologia. Et quid si quis deglutiat cibum post primum ictum. An in dubio soluti ieiunii liceat communicare.*
283. *An sit peccatum sumere cibum, vel expuere statim post communionem.*
284. *In quibus casibus possit quis communicare non ieiunus.*
285. *An liceat iterum dare viaticum infirmo non ieiuno. Dub.* 1. *Quanto tempore una communio debeat ab alia distare. Dub.* 2. *An qui communicaverit paucis ante diebus ex devotione, teneatur, adveniente periculo mortis, sumere viaticum. Dub.* 3. *An qui mane communionem receperit. Dub.* 4. *An sacerdos possit aliquando omittere verba* Accipe Viaticum etc.
286. *An sacerdos possit celebrare non ieiunus ad dandum alteri viaticum. An ad dandum sibi ipsi.*
287. *An liceat communicare post cibum, ne eucharistia pereat, aut male tractetur. An ad vitandum scandalum.*
288. *An ad perficiendum sacrificium, vel communionem.*
289. *An ad vitandam mortem. An liceat communicare ante somnum vel digestionem.*

271. « Resp. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem eucharistiae, cum parum faciat ad bonitatem vel malitiam moralem; potest tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus secutos. Ita comm.

Unde resolves:

» 1. Non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria per poenitentiam expiata, nisi effectum malignum, v. g. turpem recordationem, ac delectationem, vel distractionem et perturbationem animi relinquat: eo enim casu, uti et semper post culpabilem, praestat, ac secundum sententiam communem sub veniali debet differri, nisi aliud suadeat iusta aliqua causa, v. g. magnus fructus festivitatis, regula ordinis; vel si a daemone excitata putetur, ad communionis frequentiam impediendam. Sanch. [5] Bon. [6] Lugo [7].

» 2. Neque actus coniugalis impedit, etsi decens et consilii sit, abstinuisse saltem nocte proxime antecedente, si raro communicet. Ita Fill. et Sanch.[8] Escob. [9]. Intellige, si debitum petitum ex necessitate reddidit, nec ullam inde animi perturbationem aut affectum ad res venereas patitur: si vero voluptatis causa fecisset, eo die abstinendum esse (praesertim si malignus effectus subsecutus fuisset) docent Reg.[10] Lay. [11] Mart. Perez [12] addens esse tan-

(1) D. 65. sect. 3. (2) Disp. 8. art. 3.
(3) Pract. theol. de euch. q. 7. concl. 3. v. Quaer. 1. v. 5. (4) D. 14. n. 56. (5) L. 9. de matr. d. 15
(6) D. 4. q. 6. p. 2. (7) D. 15. sect. 1. (8) L. 6
(9) L. 7. c. 6. n. 85. (10) L. 29. t. 117.
(11) L. 5. t. 4. c. 6. n. 10. et 16.
(12) P. 49. sect. 5. n. 8.

tum veniale; imo indecentiam iusta causa posse resarciri. (*Vide dicenda hic n.* 273. *et de matr. n.* 930.).

» 3. Similiter, etsi decens et consilii sit, sumpta communione, abstinere eo die a copula, licita nihilominus est ex bono fine, v. gr. ex amore prolis, ad evitandum incontinentiae periculum, vel ad debitum reddendum. Tamb. [1] ex Sanchez [2] et March.»

272. Quaer. 1. An pollutio semper impediat a communione. Hic distinguendum inter pollutionem voluntariam et involuntariam. Si fuerit voluntaria, dicunt Nav. et alii apud Leandr. esse peccatum mortale, statim post illam ad eucharistiam accedere, quamvis contritio et confessio praecesserint. Sed id negat communis sententia cum Lugo [3] (qui refert Navar. in posteriori editione mutasse sententiam) Habert [4] Nat. Alex. [5] Conc. [6] et aliis passim. Caeterum (quidquid dicant Azor. Con. et Trull. apud Diana [7]) communiter docent dd. saltem sub veniali teneri huiusmodi poenitentem abstinere ea die a communione propter reverentiam tanto sacramento debitam. Ita Lugo [8] (qui oppositam opinionem vocat falsam), Conc. [9] Salm. [10] Bonac. [11] Viva [12] ex d. Thom. [13] qui docuit: *Non esse consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale etiam contritus et confessus ad eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.* Et patet etiam ex *can. Testamentum* 1. *dist.* 6., ubi d. Gregorius scribens ad August. anglorum episcopum, et loquens de tali poenitente, dicit eum *a sacro mysterio ea die abstinere oportet.* Hoc tamen intelligendum, ut dicunt Salmant. [14] Viva [15] et Bon. [16] cum Henriq. Gran. Led. Nugno et aliis passim, nisi scandalum vel alia iusta causa exigat communionem, prout prudenti confessario videtur, ut dicitur in rubr. missal. [17]. Hic autem notanda est prop. 22. damnata ab Alex. VIII. quae dicebat: *Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* Hoc tamen non obstante, bene poterit confessarius, si expedire iudicabit, magno peccatori aliquando susceptionem eucharistiae differre, sicut etiam disposito potest quandoque differre absolutionem, ut constantiam eius experiatur, vel ad horrorem incutiendum adversus aliquod enorme peccatum, ut recte aiunt Viva [18] Ronc. [19] Regin. [20] et Holzm. [21] cum Michael et aliis. Imo addit Ronc. [22] bonum esse suadere tali peccatori, ut antequam ad communionem accedat, curet operibus delere reatum poenae; sed hoc esse tantum consilii, iuxta dicenda *de Poenit. n.* 599.

Si vero pollutio fuerit involuntaria, dicit d. Thom. [23] quod si illa frequenter accidat ex operatione daemonum, non impedit a communione: secus si proveniat ex alia causa, adhuc sine ulla culpa; tunc enim ait, hominem teneri sub veniali a communione abstinere propter decentiam, tum ratione foeditatis a corpore contractae, tum ratione perturbationis quae pollutionem consequitur. Alii vero communiter et rectius dicunt quod si pollutio habita nullam perturbationem relinquit, ea minime a communione impedit; sola enim corporalis macula non obligat ad abstinendum ab eucharistia; ita Lay. [24] cum s. Bonav. Gerson Gabr. Vict. Nav. et Vasq. ac Suar. [25] cum Soto Ales Palud. Adrian. Maior. etc. et Salm. [26]. Ratio quia externa macula, cum iam sit praeterita, ad moralem honestatem non pertinet. Et hoc etiamsi pollutio proveniat a causa venialiter culpabili: tunc enim tantum ex consilio abstinere hortantur Sanch. [27] cum Covar. etc. Pal. [28] cum Vasq. et Salm. [29] cum Suar. Con.

(1) C. 3. §. 6. (2) L. 9. d. 13. (3) D. 15. n. 1. (4) T. 5. de euch. c. 20. (5) A. 2. §. 2. n. 11. (6) T. 3. p. 367. n. 18. (7) P. 3. tr. 4. r. 30. (8) L. c. n. 4. (9) L. c. (10) De euch. c. 7. p. 4. n. 59. (11) P. 2. n. 4. (12) Qu. 4. a. 3. n. 3. (13) 4. d. 7. n. 1. a. 4. q. 2. ad 2. (14) Cit. n. 59.

(15) N. 3. (16) D. 4. q. 6. (17) De defect. n. 9. (18) In d. prop. (19) De euch. c. 5. (20) In prax. 2. (21) T. 1. p. 353. n. 81. (22) Loc. cit. (23) In 4. loc. c. (24) L. 5. tr. 7. c. 6. n. 14. (25) 3. p. disp. 63. sect. 2. v. Dico 1. (26) De euch. c. 7. p. 4. n. 62. (27) De matr. l. 9. disp. 15. (28) P. 15. n. 2. (29) Ibid. n. 60.

Henriq. et Fill. Idque probatur 1. ex d. Greg. *in cit. c. Testamentum,* ubi pontifex ait quod si pollutio provenit ex superfluitate cibi vel potus, haec *a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed* (homo) *ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet.* Ubi Glossa *v. Humiliter,* dicit: *Ergo est consilium, bene enim potest celebrare si vult.* Probatur 2. ex rubr. missal. [1] ubi sic praescribitur: *Si dubium est an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis: si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

Omnes autem dd. conveniunt, esse veniale accedere ad eucharistiam cum praedicta perturbatione, orta ex delectatione habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante; saltem usquedum perdurat mentis evagatio: nisi homo conetur eam repellere, faciens quantum in se est ut devote accedat, ut dicunt Salm. [2] Pal. [3] Holz. [4] Laym. [5] Suar. [6] qui affert s. Iustinum dicentem: *Non est aequum propter hanc involuntariam passionem abstinere a mysteriis;* et Sanch. [7] cum Gerson Gabr. et Maior.: vel nisi aliqua iusta causa necessitatis aut devotionis aliud expostulet, ut dicunt praefati aa. et docet idem d. Thom. [8] dicens: *Si necessitas immineat, vel devotio exposcat, talis non impeditur.*

273. Quaer. 2. An copula coniugalis impediat ab eucharistia. Alii absolute putant non excusari a culpa veniali coniugem copulam habentem die communionis, ita Alens. Sotus Sa etc. ap. Sanch. [9]. Idque inferunt ex *c. Sciatis, caus.* 33. *q.* 4. ubi s. Hieron. scripsit: *Quicumque uxori debitum reddit..., nec de carnibus Agni comedere debet.* E converso alii nullam in hoc culpam agnoscunt, ut Nav. Philiar. apud Sanch. [10] dicentes tantum esse de honestate ut a communione abstineat. Sed dicendum cum communi dd. esse veniale, accedere ad communionem eodem die quo habita est copula causa voluptatis, quia id excusari non potest ab aliqua indecentia; ita s. Thom. [11] Cont. Tourn. [12] Salm. [13] et Sanch. [14] cum s. Bonav. s. Anton. Suar. Sylvest. Led. Lop. et aliis pluribus; et probatur ex *can. Vir cum propria* 7. *caus.* 33. *q.* 4. ubi d. Gregorius ait: *Cum vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc sacramentum.* Recte autem dicunt Sanch. [15] Antoin. [16] et Salmant. [17] cum aliis, quod a praedicta indecentia excusare valeat quaevis honesta causa: puta solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notae, iubilaeum sive indulgentia lucranda, specialis devotio etc.

Si vero copula fiat sine peccato, puta primo, causa generandae prolis, tunc certum est apud omnes quod, licet congruum sit abstinere illa die a communione, ut docet s. Th. [18] hoc tamen est tantum consilii sine obligatione; ita Lugo [19] Sanch. [20] Salmant. [21] Concina [22] Petr. [23] cum Glossa *in dict. cap. Sciatis,* et Glossa *cap. Omnis de Consecr. dist.* 2. et alii communiter, ex d. Greg. qui in *cit. c. Vir cum propria,* sic scripsit ad Augustinum: *Si quis sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, ipse profecto de sumendo corporis dominici mysterio suo est relinquendus iudicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere:* ubi Glossa explicat ibi to *prohiberi,* id est *dissuaderi.* Ratio autem huius communis sententiae

(1) De defect. n. 9. (2) De euchar. c. 7. p. 4. n. 60. (3) P. 13. n. 2. (4) T. 1. p. 553. n. 31. (5) D. c. 6. n. 15. (6) D. 68. s. 2. v. Ex hac. (7) De matr. l. 9. d. 13. n. 15. (8) Loc. cit. (9) De matr. l. 9. d. 13. n. 2. (10) Num. 3. (11) 3. p. q. 80. a. 7. ad. 2. (12) De euch. c. 6. a. 2. sect. 2. concl. 3. (13) De matr. c. 15. p. 5. n. 59. (14) Eod. tit. l. 9. d. 13. n. 8. (15) N. 8. (16) De euch. c. 2. q. 3. (17) De euch. c. 7. p. 4. n. 65. (18) D. a. 7. ad 2. (19) D. 15. n. 14 (20) L. c. n. 4. et 5. (21) De euch. c. 7. p. 4. n. 65 (22) P. 553. (23) T. 3. p. 452.

est, quia finis procreationis, cum sit omnino honestus, et a Deo volitus, satis reparat quamdam illam indecentiam quae adest in communicando post copulam. Nec obstat textus in *cit. cap. Sciatis;* nam respondet d. Thom. [1] ex magistro sententiarum, ibi sermonem fieri tantum de ecclesiae ministris coniugatis, quales sunt graeci, quibus interdicitur celebrare die qua accedunt ad uxores.

274. Quaer. 3. An coniux reddens debitum teneatur illa die a communione abstinere. Affirmant Caiet. Led. Manuel etc. ap. Sanch. [2] quia (ut aiunt) adhuc redditio relinquit mentis hebetationem. Sed communiter s. Anton. [3] et idem Sanch. [4] cum d. Thom. d. Bonav. d. Anton. Alb. Magno Carth. Suarez Soto Palud. Sylvest. Turrecrem. et aliis pluribus docent abstinentiam tunc esse meri consilii, non autem obligationis, quia bonum iustitiae satisfaciendi debito bene evagationem illam compensat et cohonestat. De hoc autem puncto loquens s. Francisc. Salesius [5] inquit, coniugem qui debitum exigit, indecenter quidem ad communionem accedere, non vero arcendum esse qui reddit, dicens quod in veteri lege vetabatur ne diebus festis debita exigerentur, non autem ut solverentur. Et huic congruit id quod scripsit d. August.[6]: *Si non exigis, redde: pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur uxori.* Ratio quia, cum redditio debiti sit actus virtutis, non est cur hominem a communione impediat. Et idem procedere censet Sanchez [7] cum Gerson. et Maiore, si copula sit ad incontinentiam vitandam, quia amor continentiae et non voluptatis, causam satis cohonestantem praebet. Recteque hic advertunt Salmant. [8] et Sanch. [9] cum Caiet. Suarez Soto Alens. Palud. etc., quod coniux ratione eucharistiae suscipiendae minime eximitur ab obligatione reddendi debitum: tantum poterit, ut ait Sanch. cum Soto, honestis precibus resistere, non autem importunis.

Quid autem confessarius respondere debeat si interrogatur a coniuge an reddere teneatur debitum die communionis. Sapienter Lay.[10] Sanch.[11] et Suar.[12] docent respondendum quod si coniux frequenter communicare solet, v. gr. omnibus festis, eum obligari ad reddendum, ne periculo exponatur peccandi contra iustitiam vel caritatem; si vero non frequenter communicet, sed tantum in praecipuis festivitatibus, tunc illi suadeat ut roget alterum coniugem abstinere in honorem communionis, modo non incurrat illius indignationem; tunc enim, si rogatio non proficit, poterit communicare; nisi patiatur ex redditione insolitam distractionem, nec conetur, ut diximus, eam repellere.

Die autem, qua coniux iam communicavit, debitum reddere nullam esse culpam dicunt Alex. de Nevo et Anton. apud Sanch. [13]. Petere vero censent esse veniale [14] s. Antonin. Sylv. Palud. Turrecrem. Ang. etc. Sed Navarrus [15] et Sanchez cum Victor. ac Tabiena dicunt abstinentiam a petendo esse tantum consilii, non obligationis [16].

275. Pertinet etiam quodammodo ad dispositionem corporis accedere ad eucharistiam corpore mundo, sine aliqua macula notabili, quae sit externa et delebilis; nam si esset occulta, non obest, neque si esset perpetua, ut lepra, fistula et similis, prout dicunt communiter Suar.[17] Pal.[18] et Laym.[19]. Sacerdos vero lepra infectus, vel alio morbo horrorem afferente, prohibetur celebrare in publico, ex *cap. Tua nos, de clerico aegrot.*, ubi dicitur, *pro scandalo et abominatione populi;* unde in secreto

(1) 4. dist. 32. q. 1. (2) N. 11. (3) P. 3. tit. 1. c. 20. §. 7. (4) N. 12. (5) Introd. etc. p. 2. c. 20. (6) Super Ps. 149. (7) N. 6. (8) De matr. c. 15. p. 5. n. 53. (9) N. 9. (10) De euch. c. 6. n. 16. (11) De matr. l. 9. d. 2. n. 16. (12) D. 63. s. 2. (13) D. n. 16. (14) Ibid. (15) C. 21. n. 51.

(16) Petere (debitum) post communionem, alii dicunt esse veniale, et quidem probabiliter, nisi iusta adsit causa, sed communius sentiunt id esse tantum consilii. Hom. Apost. tr. 15. n. 57. (17) D. 63 sect. 2. v. Dico igitur. (18) P. 15. n. 1. (19) L. 5. tr. 6. c. 6. n. 24

potest celebrare. Palaus [1] Salmant. [2].

An vero mulieres tempore menstrui possint communicare. Sentit Suarez [3] quod si ipsae commode communionem differre possunt, tenentur differre sub veniali, ex d. Dionysio Alexandrino qui dicit tales foeminas *non debere sic affectas attingere corpus et sanguinem Domini*. Sed communius et probabilius censent Palaus [4] Salmantic. [5] et Layman [6] cum Alensi ac Palud. hoc esse tantum de consilio, ex d. Gregorio (apud Laym. [7] qui in epistola ad Augustinum, loquens de muliere menstruata, sic scripsit: *Si ex veneratione magna percipere non praesumit, laudanda est; sed si percipiat non iudicanda; bonarum quippe mentium est ibi etiam culpas agnoscere ubi culpa non est*. Debent autem mulieres ad communionem modeste accedere, pectore cooperto et sine vano ornatu: unde, si quae nimis immodeste accedat, huic neganda est communio. Vide Conc. [8].

Congruum etiam est accedere ad eucharistiam depositis armis. Caeterum communicare gladiatum nulla lege est vetitum per se loquendo; nam per accidens potest esse veniale ratione scandali, ut dicunt Wigandt [9] et Holzm. [10] cum Gob. Tamb. et aliis. Milites vero s. Ioannis Hierosolymitani omnino decet cum gladio accedere, quia hoc signo ipsi profitentur zelum pro tuenda fide. Vide Holzm. [11].

276. Insuper hic notandum quod sacerdos, quando eucharistiam suscipit more laicorum, ut dicit Croix [12] debet esse stola indutus, sub interminatione excommunicationis, ex concilio bracharensi III. relato in *can. Ecclesiastica* 9. *dist*. 23. ubi dicitur: *Modis omnibus convenit ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat et in oblatione, vel perceptione salutis, scil. ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se sacrificium oblaturus, ac sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus. Si quis autem aliter egerit excommunicationi debitae subiaceat*. Dicunt vero Azor. [13] cum Turr. et Tamb. [14] praefatum decretum concilii bracharensis hodie per consuetudinem videri abrogatum; unde excusant etiam a veniali sacerdotem qui sine stola extra missam communicaret. Sed verius et communiter Suar. [15] Gavant. [16] Bon. [17] cum Reg. et Graff. item Barb. Henr. et Gob. ap. Croix [18] quamvis excusent a peccato mortali, quia res non est admodum gravis, vel quia ex communi usu non videtur sub gravi recepta: merito tamen non excusant a veniali: tanto magis quia hoc praecipitur a rituali rom. ubi dicitur: *Sacerdotes vero cum stola communicent;* et Glossa in *dict. c. Ecclesiastica*, dicit: *Idem servandum est, si sacerdos est communicaturus in aegritudine.*

277. « Resp. 2. Ex praecepto ecclesiae tenetur communicaturus sub mortali regulariter esse ieiunus ieiunio naturali; id est, ut a medio noctis nihil omnino per modum cibi, potus aut medicinae sumpserit. Ita commun. Et est certum ex conciliis quae vide ap. Fill. Laym. card. de Lugo [19].

Unde resolves:

» 1. Etsi parvitas materiae non excuset hic, non obstat tamen communioni 1. reliquias ciborum inter dentes haerentes traiicere casu (negant enim Praep. Vasq. et alii, si fiat de industria, contra Tann. Con. [20] et Diana qui contrarium probabile affirmant) licet eas expuere omnino deceat, Dian. [21] vide Escob. [22] et card. Lugo [23] qui notat sententiam istam Tann. et Dian. ad hoc servire, ut studiose dentes ante expurgare, ne quid forte casu decidat, non tenearis. 2. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem, et gut-

(1) Loc. cit. (2) De euch. c. 7. p. 4. n. 56.
(3) L. c. (4) L. c. (5) Ibid. n. 57. (6) L. c.
(7) L. 1. tr. 1. c. ult. n. 2. v. Obiicere.
(8) T. 3. p. 370. n. 24. (9) Tr. 12. n. 45.
(10) T. 1. p. 352. n. 74. (11) Loc. cit.
(12) L. 6. p. 1. n. 556. (13) T. 1. l. 10. c. 23. q. 12.
(14) L. 2. c. 2. n. 10. (15) D. 68. s. 1.
(16) In rubrica t. 1. p. 4. tit. 3. num. 7.
(17) D. 4. q. 6. p. 2. (18) Loc. c.
(19) Loc. c. (20) Q. 30. art. 3. n. 47.
(21) T. 4. de sacr. res. 37. et p. 4. t. 4. res. 104.
(22) T. 7. c. 6. (23) N. 65

tulam aquae aut vini, casu per ablutionem oris, vel guttulam iusculi dum sapor exploratur, per modum salivae cui mixta est, vel culicem inter respirandum traiicere. Ratio est quia haec aut non sumuntur, scil. ab extrinseco, aut non per modum cibi aut potus. V. Fag. [1] card. Lugo [2]. 3. Si aromata, vel folium tabaci ex causa ori imponas, mastices, vel quid aliud gustes, modo nihil transmittas. Praepos. [3] card. Lugo [4]. Idem de fumo tabaci docet Gran. [5] (licet indecens valde id videatur, nisi iusta ex causa fiat) et Escob. [6] qui de eiusdem pulvere per nares attracto idem colligit ex Suar. et Fag. Idem tenent Diana [7] card. de Lugo [8].

» 2. Probabile est, non impedire communionem, si frustulum ligni, chartae, unguium, vel lapillum deglutias; quia non habet rationem cibi vel potus. Diana [9] ex Ledesm. et Sanch. contra Henriq. Regin. Layman et alios, quorum sententia tutior est. Vide card. de Lugo et Escob.

» 3. Non licet communicare his casibus: 1. Si saccharum, liquorem glycirizae ore solutum cum saliva traiicias. Si vero dubium sit num quid deglutiveris, vel an factum sit post duodecimam, probabiliter docet Laym.[10] contra Sanchez Fag. non impedire communionem vel sacrificium; vide Diana [11]. 2. Si vesperi decumbens aliquid ori contra raucedinem imposueris, nisi certus sis, post medium noctis te nihil transmisisse. Ita Suar. Fill. card. de Lugo [12] et alii. Licitum autem est, inter horologia dissonantia quodvis sequi, etiam ultimum, modo non constet errare: quia habet se ut auctor bonus, faciens opinionem probabilem, ut habent Sanchez [13] Fag. Io. Sancius card. Lugo [14] Diana [15] (*Vide infra n.* 282.). 3. Si aliquid sumpseris licet mox reieceris. 4. Si tabaci fumum in stomachum traieceris, ut docet Praepos. etsi alii merito dubitent. Tann.[16] Gran. autem [17] negat. 5. Si sacerdos nocte Nativitatis in prima missa ablutionem, vel lambendo digitos modicum aquae aut vini sumpserit. Vide Bonac. [18].

278. Ut haec omnia diligenter discutiantur, praenotandum est 1. ieiunium naturale ad communionem praerequisitum non esse quidem de iure divino, sed tantum ecclesiastico, ex *cap. Ex parte* 5. *de celebr. miss.* et variis conciliis, praesertim ex concil. constantiensi, *vide dicta l.* 1. *n.* 38. Praenotandum 2. quod in fractione huius ieiunii, etsi hoc praeceptum est de iure ecclesiastico, non datur tamen parvitas materiae: quia praeceptum non iam est accedendi ad eucharistiam ieiunus, sed non accedendi post cibum aut potum; qui autem communicat post quamcumque minimam partem, iam communicat post cibum aut potum. Ita omnes dd. quidquid dicant Gibert et Pasqual. qui non sunt audiendi. Praenotandum 3. quod ad hoc ieiunium frangendum iuxta communem sententiam tria requirantur, nempe 1. Ut quod sumitur sumatur ab extrinseco. 2. Ut sumatur per modum comestionis aut potationis. 3. Ut res sumpta habeat rationem cibi aut potus. De hac materia tractant Suar.[19] Lay.[20] Cont. Tourn.[21] Palaus [22] Bonac.[23] Lugo [24] Conc.[25] Esc.[26] Holz.[27] Renz.[28] Salm.[29] Wig.[30] Antoine[31] Roncag.[32] Viva [33] Tamb. [34] Croix [35] Spor.[36] Elb.[37]. His locis videre poteris praefatos auctores, cum infra invenies citatos.

279. Iuxta autem regulam 1. Ad frangendum ieiunium requiritur ut aliquid sumatur ab extrinseco; hanc tradunt Croix[38], Elb.[39] Viva[40] Spor.[41] et Suar.[42]

(1) Praec. 3. c. 5. (2) Loc. cit. n. 23. (3) 3. p. q. 9. art. 80. dist. 1. n. 39. (4) Resp. mor. l. 1. d. 9. (5) 3. p. c. 6. t. 10. d. 9. n. 4. (6) T. 7. e. 6. (7) P. 3. tr. 7. r. 5. (8) Resp. mor. t. 1. d. 9. (9) L. cit. r. 38. et tr. de celebr. r. 52. (10) L. 1. t. 1. c. 1. (11) Loc. cit. r. 29. (12) Loc. cit. n. 37. (13) L. 2. d. 1. de matr. (14) N. 45. (15) Loc. c. r. 36. (16) P. 4. d. 5. (17) 3. p. c. 6. t. 10. d. 8. (18) L. 4. q. 6. p. 2. (19) 3. p. d. 68. sect. 4. (20) L. 3 tr. 6. c. 6. (21) Hic c. 6. art. 2. sect. 1. concl. 2. (22) De euch. p. 13. (23) Eod. tit. d. 4. q. 6. p. 2. (24) D. 15. (25) T. 8. p. 139. (26) De euch. l. 20. (27) T. 1. de ieiun. p. 355. (28) Eod. tit. t. 2. c. 4. (29) De euchar. c. 7. p. 4. a n. 65. ad n. 82. (30) Tr. 12. exam. 4. (31) De euch. c. 2. q. 4. (32) De euch. c. 5. (33) Eod. tit. q. 4. a. 8. (34) Meth. comm. c. 2. §. 6. (35) L. 6. p. 1. n. 469. (36) T. 3. p. 158. (37) T. 3. p. 90. (38) N. 360. (39) N. 91. (40) N. 4. (41) P. 466. (42) D. sect. 4.

ex d. Th.[1] qui dicit quod omne quod ab intrinseco provenit et ore non sumitur ab extrinseco, non vere comeditur, et ideo non tollit ieiunium naturale.

Sed dubitatur 1. An voluntaria traiectio reliquiarum cibi frangat ieiunium.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar.[2] Elbel[3] Quarti[4] Pal.[5] cum Con. et Henr. Diana[6] cum Tabien. et probabilem putant Tambur.[7] Escob.[8] cum Molfes. Ochagav. Petig. etc. item Tanner. Leand. et Gob. apud Croix[9]. Ratio quia reliquiae cibi pridie sumpti, cum non recipiantur ab extrinseco die communionis, moraliter reputantur partes comestionis praecedentis diei; unde quamvis ex industria traiiciantur, moraliter non constituunt novam comestionem, sed praeteritam perficiunt. Addit aliam rationem Suarez, quia tales reliquiae non sumuntur per modum cibi, sed per modum salivae. Nec videtur haec sententia difformis esse rubricae missal.[10] ubi sic dicitur: *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.*

Secunda sententia vero communior affirmat, et hanc tenet d. Th.[11] qui dicit: *Reliquiae cibi remanentes in ore, si causaliter transglutiantur, non impediunt communionem.* Ergo, si transglutiantur ex proposito, impediunt; et ita censent etiam Cabas.[12] Fill.[13] Ronc.[14] Laym.[15] Tamb.[16] Bon.[17] Viva[18] Ant.[19] Cont. Tour.[20] cum Vasq. et Sylv. Ratio quia huiusmodi reliquiarum traiectio, cum ex industria fit, videtur nova comestio. Prima sententia non videtur improbabilis, sed haec secunda est probabilior et omnino consulenda: ut recte dicunt Suar. Salm. et Gav. *in dict. rubr.;* licet in hoc non sit scrupulose agendum, ut sapienter advertit p. Suarez. Unde libenter sequor sententiam Lugonis[21] quam amplectitur etiam n. p. Benedictus[22], nempe quod reliquiae a dentibus divulsae, quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendae; non vero est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi praevideantur deglutiendae, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur; alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur ecclesia voluisse obligare.

Dubitatur 2. an guttulae aquae cum saliva immixtae aut iusculi degustati, si ex proposito deglutiantur, frangant ieiunium. Si praedictae guttulae casu traiiciuntur, certum est eas non frangere ieiunium, modo non sint in magna quantitate, ita omnes cum d. Th.[23] qui ait: *Et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest.* Dubium est igitur si ex proposito deglutiantur. Sentiunt non frangere ieiunium Con. et Henr. apud Croix[24] modo sint immixtae salivae: et idem sentire videntur Lugo[25] et Tambur.[26] dum dicunt quod cum non sit potatio deglutire salivam, ideo nec violat ieiunium has guttulas per modum salivae traiiciens; sed omnino affirmandum cum sententia communi, quam sequuntur Suar.[27] Holz.[28] Cont. Tournely[29] cum Sylv. et Salm.[30] cum Pal. etc. communiter. Et hanc docet idem d. Thom.[31] qui postquam dixit, reliquias cibi non frangere ieiunium, si casualiter transglutiantur, dicit *eamdem rationem esse de reliquiis aquae, quibus os abluitur,* ut mox supra relatum est. Confirmatur ex rubrica[32] ubi sic habetur: *Idem dicendum* (scilicet non frangi ieiunium), *si lavando os deglutiatur stilla aquae, praeter intentionem.* Ergo, si ex intentione, frangitur.

(1) 4. d. 8. q. 1. a. 4. q. 2. (2) Sect. 4. v. Tertio. (3) N. 99. (4) P. 3. tit. 9. sect. 1. diff. 1. (5) N. 9. (6) P. 3. tr. 4. r. 37. (7) N. 25. (8) N. 511. (9) N. 567. (10) De defect. n. 3. (11) 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. (12) T. 1. c. 5. n. 7. (13) De euch. n. 556. (14) Q. 6. r. 2. (15) N. 18. (16) N. 25. (17) P. 2. n. 5. (18) Q. 4. a. 8. n. 4. (19) Ibid. (20) Loc. cit. (21) D. 15. n. 56. (22) De sacrif. miss. t. 9. l. 3. c. 17. (23) Dict. q. 80. art. 8. ad 4. (24) N. 566. (25) N. 55. (26) N. 25. (27) Sect. 4. v. Tertio. (28) N. 75. (29) C. 6. art. 2. sect. 1. concl. 2. (30) De euch. c. 7. p. 4. n. 67. (31) L. c. (32) L. c.

Idem dicendum, si quis noctu immittit saccharum in ore, et post mediam noctem aliquid traiicit, ut docet Lugo [1] Pal. [2] Fill. [3] Salm. [4] et Renzi [5] cum Con. Vasq. Bon. Reg. etc. communiter, quidquid dicant aliqui, ap. Diana [6]. Ratio quia non est illa reliquia comestionis praecedentis diei, sed est continuata comestio.

Sic etiam frangit ieiunium qui sumit aquam, licet involuntarie, vel quia labitur in flumen, vel quia alius per vim illam in os eius infundit, ut dicunt Conc. [7] et Croix [8] cum Lugo Tamb. et aliis communiter contra Bosco.

Ita etiam si quis sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manantes, ut dicunt communiter Viva Mazzotta et Croix cum Lugo et Tamb.

Secus vero dicendum si quis deglutit sanguinem defluentem e capite vel gingivis, aut saniem ex pustula oris emanantem, etiam ex industria, ut communiter docent Suarez [9] Cabas. [10] Habert [11] Elb. [12] Antoine [13] Conc. [14] Ronc. [15] Laym. [16] Bon. [17] et Salmant. cum communi (contra Cont. Tournely [18]). Ratio quia ut supra dictum est ex d. Thoma, quidquid ab intrinseco provenit, non vere comeditur, nec solvit ieiunium.

280. Regula autem 2. est, quod ad frangendum ieiunium requiratur ut sumatur aliquid per modum comestionis aut potationis; hanc regulam tradunt communiter Suar. [19] Laym. [20] Lugo [21] Bon. [22] Sylv. [23] et alii passim.

Sed dubitatur 1. An solvat ieiunium pulvis tabaci sumptus per nares. Affirmant Antoine, de Leone et Lez. ap. Lugo [24] et valde dubitat Cont. Tour. [25]. Sed communiter negant alii, etiamsi aliquid in stomachum transmittatur; quia licet talis materia sit nutritiva, tamen non sumitur per modum comestionis, sed attractionis. Ita Suarez [26] Holzm. [27] Ronc. [28] Lugo [29] Concina [30] Elbel [31] Croix [32] cum Aversa Renzi [33] Esc. [34] et Diana [35] cum Marchant. Machad. Pasqual. et Leand. Haec sententia est quidem probabilissima, tum ob allatam regulam, tum ob universalem consuetudinem, qua undique permittitur praefatus tabaci usus ante missam, ut docet papa Bened. XIV. [36] qui obiter refert olim ab Innoc. X. et XII. emanatam fuisse excommunicationem in eos qui sumerent tabacum per nares in vaticano, idemque praescripsisse Urbanum VIII. in ecclesiis dioecesis hispalensis; sed deinde hanc prohibitionem abstulisse Benedictum XIII. Unde sic concludit: *Hodie tamen a communi consuetudine adeo est cohonestatus* (usus tabaci), *ut nulli scandalum praebeat*. Idem autem quod dictum est de tabaco, dicunt de aqua casu traiecta per nares Suar. et Fagund. apud Viva Tamb. [37] et Barth. a s. Fausto ap. Diana. Id tamen non admitterem, si quis ex proposito tabacum vel aquam per nares in stomachum traiiceret, quia id non sumeret tunc per simplicem attractionem, sed per voluntatem directam traiiciendi, quod nullo modo videtur permissum ab ecclesia. Sed dices: Actio attractiva non est potativa vel manducativa. Respondetur quod licet haec actio non sit a natura ordinata ad traiiciendum in stomachum potum vel cibum, tamen ad id ordinatur ab ipso attrahente: et ideo ex tali intentione induit moraliter rationem potationis sive comestionis, cum interveniat debita materia et actio apta ad finem traiectionis in stomachum.

Idem dicendum de illo qui pulverem aut pluviam, flocum nivis, culicem, sive muscam deglutiret; nam si hoc accideret casu per respirationem, utique non solveret ieiunium, ut communiter docent Suar. [38] Lugo [39] Habert [40] Cont. Tourn. [41] Conc. [42] Salmant. [43] Ronc. [44]

(1) N. 37. (2) N. 8. (3) N. 136. (4) De euch. c. 7. p. 4. n. 68. (5) T. 1. l. 3. tr. 4. c. 4. q. 7. (6) P. 2. tr. 14. r. 51. (7) P. 162. (8) N. 568. (9) Sect. 4. v. Quaeres. (10) C. 5. n. 7. (11) De eucharist. p. 1. c. 20. (12) N. 99. (13) Ibid. (14) N. 6. (15) Quaest. 6. r. 2. (16) N. 16. (17) N. 6. (18) Loc. cit. v. Veram. (19) Sect. 4. (20) N. 18. (21) D. 15. n. 23. (22) N. 8. (23) 3. p. q. 80. (24) Resp. mor. l. 1. dub. 9. n. 1. (25) Ibid. 3. v. Quoad tabac. (26) Sect. 4. (27) N. 31. (28) Q. 7. (29) L. c. (30) P. 362. (31) N. 92. (32) N. 570. (33) Q. 7. (34) N. 62. (35) P. 8. tr. 7. r. 3. (36) De synodo l. 7. c. 63. (37) N. 32. (38) V. Quaeres. (39) N. 34. (40) Ibid. (41) Loc. cit. r. 2. (42) N. 6. (43) De euch. c. 7. p. 4. n. 68. (44) Q. 6.

Renzi [1] cum Nav. Bon. et aliis passim: quia talis actio non est comestio, sed respiratio, quam ecclesia noluit quidem prohibere; quis enim posset effugere, ne aliquid pulveris cum vento deglutiat? Secus vero esset (ut recte docet Lugo[2]), si quis ex proposito vellet culicem aut pulverem traiicere, quia haec non esset mera respiratio sed voluntaria deglutitio. Et idem dicendum merito ait Lugo [3] si quis deglutiret aliquid, puta uvam ab altero in os eius immissam, etiamsi ipse id non adverteret, et casu respirando traiiceret, quia noluit quidem ecclesia impedire communionem ob sumptionem rerum quae per respirationem cum aere attrahuntur, sed earum quae non deferuntur cum aere.

Dubitatur 2. An solvat ieiunium fumus tabaci aut similis. Affirmant pariter Lezana et Antoine de Leone apud Salm. [4] quia (ut dicunt) fumus etiam aliquo modo nutrit. Negant vero communiter et probabilius Holz. [5] Sporer[6] Croix [7] cum Aversa et Boudev. Viva [8] cum Trull. Tamb. Praepos. et Salm. [9] cum Suar. Dian. ac Villal. Eamdemque sententiam sequitur Bened. XIV. [10] testans hanc communi dd. consensu hodierno die confirmari. Ratio quia fumus tabaci neque est cibus aut potus, neque sumitur per comestionem vel potationem; alias dicere deberemus frangere ieiunium etiam eos qui in culina ciborum fumum exciperent. Et hoc currit, etiamsi fumus voluntarie immitteretur in stomachum, ut probabiliter dicunt Esc. [11] Viva [12] cum Praepos. Spor. [13] Renzi [14] Diana [15] Tamb. [16] et March. et Burg. apud Croix[17] contra Salm. [18] cum Hurtad. etc. qui dicunt, sed minime probant, hanc esse veram comestionem.

Dubitatur 3. An solvat ieiunium qui sumit folium tabaci vel aroma, ut dentibus conterat, et phlegmata expuat. Affirmat idem Antoine de Leone apud Salm. [19] et Henno apud Cont. Tourn. [20] quia (ut dicunt) semper traiicitur aliquid in stomachum, et propter hoc phlegmata eiiciuntur. Sed negant Lugo [21] Holzman [22] Bonacina [23] Sporer [24] Viva [25] Escob. [26] cum Pasq. Renzi [27] et Diana [28] cum Concina Tambur. Praep. Trullench. etc. Et merito id probabile putant Salmantic. [29] cum Bonasp. Ratio quia ad phlegmata eiicienda non requiritur ut succus in stomachum descendat, sed sufficit tabacum ad os applicare, ut virtutem expuendi ad stomachum immittat per nervos qui ad stomachum respondent. Et hoc etiamsi deglutiatur, sed praeter intentionem, aliquid modicum succi, salivae inseparabiliter admixti, ut dicunt Lugo [30] Tamb. [31] Viva et Escob. [32] cum Tann. et Fausto apud Diana; quia si casu id deglutitur non per modum cibi, sed per modum salivae traiicitur. Imo Lorich. apud Diana excusat, etiamsi casu granum deglutiatur; sed hoc recte non admittunt Bon. et Tamb., quia illud tunc videtur potius sumi per modum cibi. Hoc tamen intelligendum, si granum, non autem si aliqua minima pars deglutiatur, quae insensibiliter cum saliva sit immixta, quia haec vere per modum salivae traiicitur. Omnes vero conveniunt, huiusmodi masticationem esse indecentem ante communionem; unde puto eam non excusari a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit.

281. Regula 3. est, quod ad frangendum ieiunium requiritur ut res sumpta habeat rationem cibi aut potus. Hinc dubitatur an comestio capillorum, unguium, vel ligni, papiri, lapillorum et similium impediat communionem. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia universe negat, quia omnia haec non habent rationem cibi, vel saltem quia usu non habentur ut comestibilia. Ita Diana [33] Renzi [34] cum

(1) Q. 5. (2) N. 56. (3) N. 55. (4) De euch. c. 7. p. 4. n. 71. (5) N. 32. (6) N. 467. (7) N. 570. (8) N. 8. (9) Ibid. (10) De missa t. 9. lib. 5. c. 17. (11) N. 438. (12) N. 7. (13) N. 467. (14) Q. 7. (15) L. c. (16) N. 23. (17) N. 569. (18) Cit. n. 71. (19) Ibid. n. 72. (20) Ibid. r. ad 1. (21) Resp. mor. l. 1. d. 9. n. 2. (22) N. 8. (23) N. 9. (24) N. 467. (25) N. 7. (26) N. 438. (27) Q. 7. (28) P. 5. tr. 15. r. 1. (29) De euch. c. 7. p. 4. n. 72. (30) N. 7. (31) N. 6. (32) Locc. cc. (33) P. 5. tract 4. resp. 28. (34) Quaest. 4.

Io. Delacrux Ludov. de Sancto Io. etc. Et probabile putant Bus. *ut supra* et Ledesm. apud Salm.[1].

Secunda sententia e converso universe affirmat, quia (ut dicunt) reverentia ad eucharistiam requirit non solum ut nihil cibi comedatur, sed etiam ut nihil ad modum cibi deglutiatur. Ita Laym.[2] Ronc.[3] Salmant.[4] Wig.[5] Pal.[6] et pro hac sententia citant etiam d. Th.[7] ubi dicit: *Nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, dummodo sumatur per modum cibi vel potus.*

Tertia sententia vero communis docet, minime frangi ieiunium si edantur res omnino indigestibiles, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana, ossicula fructuum omnino depurata: quia haec nec nutriunt, nec rationem habent cibi; ecclesia autem tantum prohibet ne sumatur eucharistia post cibum aut potum, ut patet ex concil. tolet. 8.[8] ubi dicitur: *Nullus post cibum potumque minimum sumptum missas facere praesumat.* Et ex concil. matisconensi, ubi: *Ne coelesti cibo terrenus praeponatur.* Idem dicit s. August.[9]: *Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius corpus dominicum intraret, quam caeteri cibi.* Ita Conc.[10] Cont. Tourn.[11] Viva[12] Spor.[13] Holz.[14] Escob.[15] et Lugo[16] cum Henr. Nugno Vill. Reg. etc. Neque huic sententiae adversatur d. Thom.[17]: nam oportet integrum textum animadvertere s. doctoris qui sic ait: *Et ideo neque post assumptionem aquae vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinae, licet hoc sacramentum accipere, nec refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat.* Nota *to aliquid huiusmodi.* Ergo illud *nutriat vel non nutriat* d. Thom. refert solum ad res mox a se recensitas *cibi aut potus*, inter quas etiam numerat medicinam quae multoties non est nutritiva. Praeterea posset accidere quod cibus illico evomatur, et sic non nutriret, et ideo dixit *aliquid huiusmodi* impedire communionem, sive *nutriat* sive *non nutriat.*

Secus vero dicendum cum praefatis aa. de rebus digestibilibus, quae a stomacho alterari, et in substantiam hominis converti possunt, prout sunt charta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis, cera (cum cera fere semper retineat aliquid mellis admixtum); ita Tamb.[18] Viva[19] Conc.[20] et Mazz.[21] (contra Diana et Bern.). Idem dicunt probabilius Croix[22] Lugo[23] Esc.[24] Viva et Mazz.[25] Wig.[26] de terra seu creta, quam mulieres edere solent, cum in ea aliquid inveniatur a stomacho alterabile et nutritivum.

282. Utrum autem inter plura horologia dissonantia liceat alicui ultimum sequi ad communionem accipiendam. Negant Merolla et Salas apud Diana[27]. Sed communissime affirmant Sanch.[28] Quarti[29] Merati[30] Diana[31] Spor.[32] Holzman[33] cum communi ut asserit, Croix[34] Lugo[35] cum Fag. Sanctio et Vill. Esc.[36] cum Trull. et Salm.[37] cum Pasq. Gabr. et Anton. a Spir. s., dummodo de errore non constet, ut bene advertunt Lugo et Escob., vel modo, addo cum Croix, horologium non sit de illis quae ut plurimum errant, quia haec praesumuntur semper errare.

Num autem possit communicare qui cibum deglutit post primum ictum, sed ante ultimum. Affirmant Salm.[38] cum Trullenc. Bressero etc. ac Gobat. apud Croix[39]. Quia (ut dicunt) ultimus ictus moraliter eamdem complet horam, ita ut omnes ictus pro unico computentur. Sed melius id negant Lugo[40] Contin. Tourn.[41] Sanchez[42] Escob.[43] et Croix cum Conc. Sanch. et communiori. Ratio, quia ad primum horae ictum media nox iam expleta est, uti mihi et-

(1) Ib. n. 70. (2) N. 18. (3) Q. 8. (4) Cit. n. 70. (5) N. 44. (6) N. 7. (7) P. 3. q. 80. a. 8. ad 4. (8) Can. 2. (9) Epist. 18. ad Ianuar. (10) N. 6. (11) Ibid. (12) N. 5. (13) N. 467. (14) N. 72. (15) N. 532. (16) N. 23. (17) Loco mox cit. (18) N. 20. (19) N. 5. (20) N. 6. (21) Tr. 5. d. 4. q. 1. c. 4. §. 3. (22) N. 562. (23) N. 52. (24) N. 555. (25) Locc. cc. (26) N. 44.

(27) P. 4. tract. 3. r. 19. (28) De matrim. l. 2. dist. 41. n. 40. (29) P. 3. tit. 9. dub. 3. (30) In rubrica de defect. §. 9. (31) Loc. cit. (32) P. 159. n. 471. (33) T. 1. p. 38. n. 180. (34) N. 581. (35) D. 15. n. 45. (36) N. 555. (37) De euch. c. 7. p. 4. n. 69. (38) Ibid. n. 62. (39) N. 580. (40) D. 15. n. 57. (41) De euchar. c. 6. a. 2. sect. 1. (42) N. 40. (43) N. 553.

iam confirmavit peritissimus horologiorum faber. Sentio autem tanquam certum tenendum, quod tempus mediae noctis non moraliter, sed physice accipiendum est; nam si moraliter posset accipi, cur non deberet admitti opinio Caramuelis, qui dicit non impediri a communione illum qui cibum prius sumptum deglutit parum post ultimum horologii ictum? Sed hoc communiter a dd. et ab ipsis Salm. [1] reiicitur. Utrum autem in dubio negativo, an transacta vel ne sit media nox, possit aliquis communicare. Valde probabilis est, imo forte probabilior sententia affirmativa, quam observa in *l.* 1. *n.* 39. cum Busemb. Laym. Pal. Spor. etc. quibus adde hic Carden. [2] Diana [3] Gob.[4] Elb.[5] cum Herincx Illsung etc., quia, cum hoc praeceptum sit negativum (ut probavimus *loc. cit. in l.* 1.) de non accedendo ad eucharistiam post comestionem, non teneris ab illa abstinere, quamdiu non es certus, et tanto magis si nullam habeas rationem probabilem te comedisse; tunc enim adhuc manes in possessione tuae libertatis.

283. « 4. Non est peccatum, per se loquendo, cibum sumere vel expuere, Tamb.[6], statim a communione, ut ex s. Thom. docent Azor. Sanch. Bon.[7]; unde eum qui paulo ante medium noctis coenasset in dominica pridie nativitatis Domini, posse nihilominus statim post mediam noctem celebrare, docent Diana et alii tres [8]. (*Vide n.* 289. *in fin.*) Etsi ob sacramenti reverentiam consilii sit abstinere, donec species sint consumptae; quod saltem intra dimidium quadrantem in laico (in sacerdote intra quadrantem) fieri certum videtur, card. de Lugo [9] ex iudicio medicorum a se consultorum. Tamb. autem [10] ex Io. Sanch.[11] notat citius a valido quam a debili stomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horam consumi; refertque infirmum quemdam post mediam horam species integras reiecisse.

Omnes conveniunt congruum quidem esse ut communicantes per aliquod temporis intervallum abstineant ab expuendo: dicunt tamen Holzm. [12] Wig. [13] et Croix [14] nullum esse peccatum expuere post communionem, si nullum hostiae fragmentum remanserit in ore. An autem liceat edere vel bibere statim post communionem. Olim [15] praecipiebatur ieiunium post communionem usque ad sextam, sed hoc praeceptum iamdiu est abrogatum, ut docuit adhuc suo tempore d. Th.[16]. Unde dicit Holzm.[17] hodie nullo modo peccare, qui comedit statim post communionem. Sed hoc rectius non admittit Croix[18] cum Suar. Aversa Quarti et Dicast., nisi adsit aliqua causa, puta si religiosus post missam dato signo debeat ad mensam accedere; alias talis comestio, dum adhuc in stomacho perseverant species consecratae, ob aliquam irreverentiam non excusatur a culpa veniali, ut dicunt aa. citati ex d. Thom. qui [19] docet: *Debet... esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti et reliquos cibos.* Quanto autem tempore perdurent in stomacho species consecratae, *vide dicta n.* 225.

284. « Dixi in respons. *regulariter:* quia non ieiunus licite communicat in sequentibus casibus, si quidem ieiunus non possit sine notabili incommodo, ut monent Conc. et Bon. ap. Diana [20].

» 1. In periculo mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia iudicis. Et quidem in eodem morbo, etsi non tenearis, potes tamen post aliquot, v. gr. 6. 7. vel etiam, ut putat Laym., duos dies (etsi quoad hoc potissimum attendendum esse ad consuetudinem, moneat (card. de Lugo) repetere viaticum non ieiunus, dummodo nequeas ieiunus sumere, et periculum mortis recurrat, ut docetur comm., vel etsi maneat, ut contra Vasquez Praepos. et alios docent Navar. Tol. Regin. Suar. de Lugo [21]. Imo, etsi

(1) Loc. cit. (2) In crisi 1. a. 26. n. 87 (3) P. 2. tr. 15. r. 2. (4) N. 280. (5) T. 3. de euch. n. 101. (6) C. 2. §. 1. (7) D. 4. q. 6. p. 1. n. 25. (8) P. 3. t. 4. r. 44. (9. D. 12. sect 5. n. 54. (10) C. 3. §. 4. (11) D. 38 (12) T. 1. de ieiun. p. 551. n. 76. (13) Tract. 12. n. 45 (14) L. 6. p. 1. n. 549. (15) Ex can. Tribus 33. de conseer. dist. 2. (16) 3. p. q. 80 a. 8. ad 6 (17) Loc. cit. (18. Ibid. 16 Loc. cit. (20) P. 9. c. 6. Sr. 42. (21) . 3. n. 62.

non liceat aegro ex sola devotione communicare, fracto ieiunio; si tamen morbus esset diuturnus, nec posset dari communio nisi post medicinam, probabile esse id licere, docent Armill. Tolet. Bonac. Regin. Henr. Suar. Escob. etc. quorum aliqui exigunt longum intervallum, v. gr. 30. dierum, ut Nav. et Vill. alii 8. vel 10. dies, ut Suarez Henr. Fag., alii 7. ut Sylv., alii 6. ut Arm. Zamb. Possev. et Fill. quos sequitur Dian.[1] alii permittunt toties quoties sano posset dari ieiuno: ita Escob.[2] ex Hurtad.; alii denique posse sequenti statim die dari, ob iustam causam, ut si propter consuetudinem, et desiderium aut devotionem difficulter abstineat, et moraliter videatur instare periculum mortis. Sic Laym.[3]. Verum ea in re loci consuetudo spectanda est, quae nunc saltem videtur permittere, ut quando morbus et periculum diu protrahitur post 7. vel 8. dies iterum detur communio non ieiuno. Vide de Lugo[4].»

285. Quaeritur an liceat communionem iterum ministrari infirmo non ieiuno, qui iam viatico munitus est. Quidquid dicant aliqui, vera et communis est sententia affirmans, quam tenent Suarez[5] Laym.[6] Conc.[7] Holz.[8] Cont. Tourn.[9] cum Tolet. Silv. Wit. etc. ac Lugo[10] cum Sa Armill. Soto Coninch. Vict. et aliis passim; testaturque Bened. XIV.[11] nullum theologum alicuius nominis hanc sententiam negare. Ratio est, quia hoc sacramentum aegrotis non datur praecise ad satisfaciendum praecepto, sed in praesidium contra tentationes quae tempore mortis magis urgent. Et hoc non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret, ut dicunt Sylvest.[12] Elb.[13] (qui testatur hanc esse communem praxim ecclesiae) et Suar. Laym. Holzm.[14] cum Soto Tol. etc. Idemque docet Bened. XIV.[15] qui sic addit: *Episcopus insinuet parochis posse et debere viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si aegrotus exposcit; et si velit, poenam decernat in parochos qui aegrotis devote postulantibus iterum et tertio eucharistiam deferre detrectent falsis praetextibus.* Neque huic adversari Vasq. dicit idem Bened. ut male asserunt Bus. et Lugo; nam Vasq. tantum loquitur de obligatione praecepti, cui censet satisfieri per unicam perceptionem eucharistiae.

Sed dubitatur 1. Quanto tempore debeat distare una communio ab alia. Communior sententia censet distare debere octo diebus circiter, ita Busemb. *ut supra*, Conc.[16] Cont. Tourn.[17] ex antiquo rituali rom. Esc.[18] cum Sylv. et Fill. ac Salm.[19] cum aliis. Sed non improbabiliter Lay.[20] Esc.[21] et Roncag.[22] cum Hurt. dicunt quod infirmus assuetus saepius ex devotione communicare, bene possit altero die statim post viaticum sumptum suscipere communionem non ieiunus. Idque in singulis diebus admittunt Pal.[23] et Arm. ac Dic. apud Croix[24] et probabile putat Zamb.[25].

Dubitatur 2. An si quis communicaverit paucis ante diebus ex devotione, teneatur sumere viaticum superveniente periculo mortis.

Prima sententia communior negat, etiamsi communio praecesserit octo circiter diebus: hanc tenent Laym.[26] Lugo[27] cum communi ut asserit, Ronc.[28] cum Con. Ang. Fill. Tab. Henr. Molf. Suarez[29] (qui cum Soto et Palud. eam tenet, si communio triduo antea sit suscepta) et probabilem putant Palaus[30] et Salm.[31]. Ratio, tum quia praeceptum communionis iam in substantia impletum est per communionem prius perceptam; tum quia ideo tenetur homo

(1) De celebr. r. 77. (2) T. 7. e. 6. (3) L. 5. tr. 4. c. 9. n. 20. (4) D. 15. sect. 3. de euchar. (5) 3. p. d. 68. s. 5. (6) L. 5. tr. 4. c. 6. n. 20. (7) T. 3. p. 320. n. 16. (8) T. 1. p. 551. n. 75. (9) C. 6. art. 2. sect. 1. (10) D. 15. n. 64. (11) De syn. l. 7. c. 12. (12) V. Eucharistia n. 5. (13) T. 3. P. 101. n. 129. (14) Locc. cc. (15) Loc. cit. n. 5. (16) Loc. cit. (17) Ibid. (18) L. 20. n. 364. (19) De euch. c. 7. p. 4. n. 76. (20) D. n. 20. (21) N. 363. (22) De euch. c. 6. q. 4. r. 3. (23) P. 15. n. 14. (24) N. 613 (25) Meth. c. 5. n. 24. (26) Tr. 4. c. 5. n. 4. (27) D. 16. n. 39. (28) C. 6. q. 4. r. 1. (29) D. 69. sect. 3. §. Rogabis. (30) P. 14. num. 7. (31) De eucharistia c. 8. n. 1. n. 5.

communicare in articulo mortis, ut hoc sacramento se praeparet ad transitum ex hac vita, sed iam censetur satis se praeparasse qui paulo ante communicavit. Haec sententia est satis probabilis, saltem (ut dicunt Suar. [1] et Lugo [2]) si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc in illo brevi tempore antecedenti iam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum.

Secunda sententia vero probabilior affirmat, quam tenent Vasqu. [3] Pal. [4] Conc.[5] Contin. Tournely [6] cum Habert Diana [7] cum Hurt. Turr. Ochag. etc. et huic magis adhaerent Salmant. [8]. Ratio quia hoc divinum mandatum ex interpretatione ecclesiae praecise obligat instante periculo mortis, ut contra hostes hoc divino praesidio muniamur; ergo non impletur per communionem ex devotione susceptam; sicut enim non potest satisfieri debito priusquam contrahatur, ita nec satisfieri praecepto antequam eius urgeat obligatio. Nec obstat dicere quod qui paulo ante communicavit, iam sufficienter se munierit, unde iam satisfecit fini praecepti; nam si hoc valeret, qui pridie palmarum communicasset, nec teneretur ad communionem paschalem, sed hoc nemo dicet. *Vide dicta n.* 297. *in fine.*

Dubitatur 3. An qui mane communicavit ex devotione, teneatur, aut possit urgente periculo mortis viaticum sumere. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia affirmat teneri, quia tunc suscipiendum est viaticum ad implendum praeceptum divinum; hanc tenet Diana [9] cum Hurt. Turr. Ochag. [10] cum Pell. Leand. Dic. etc.

Secunda sententia dicit non teneri, sed posse communicare; sic tenent Roncaglia [11] Gobat. et Marinus ap. Bened. XIV.[12] et probabilem putant Anac.[13] ac Diana[14] cum Hurt. Bressero etc. ac testatur deductam fuisse in praxim a pp. societatis Iesu Panormi an. 1638.

Tertia sententia, quam tenent Suar.[15] Laym. [16] Conc. [17] ac Con. Gran. Fag. dicit nec teneri, nec posse communicare, quia, cum praeceptum divinum obliget ex intentione ecclesiae, praxis ecclesiae est, ut nemo bis in die communicet: neque hic casus sine necessitate excipi debet: dubitat tamen Concina, an posset communicare qui ferventi amore suocensus viaticum postularet. Omnes has tres sententias probabiles putat n. p. Benedict. XIV.[18] sic dicens: *In tanta opinionum dd. discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit.* Caeterum probabilior mihi videtur sententia Lug.[19] qui distinguit inter morbum naturalem et violentum, et ait quod si quis fuerit vulnere percussus vel ex alto ceciderit, potest communicare (immo tenetur, iuxta nostram sententiam in *praeced. dubio* allatam) quia hic revera non accepit viaticum in mortis articulo constitutus; secus vero si quis iam in aegritudine positus mane ex devotione communicaverit, tunc enim bene potest dici moraliter in periculo mortis communicasse, cum morbus ille iam erat in se periculosus, etsi non adhuc notus. Et idem puto dicendum cum Suar. contra Lugonem, si morbus fuerit repentinus, puta apoplexia, vel quid simile; nam huiusmodi morbi iudicantur iam prius in suis causis dispositi existere, licet ignorentur.

Hic autem sedulo notandum cum Salmant.[20] Viva [21] et aliis quod si infirmus facile possit ieiunus sumere viaticum in sequenti die, tenetur utique expectare; secus tamen si adsit periculum mortis, vel si non possit commode expectare, puta si deberet differri medicina opportuna, vel esset deferenda eucharistia intempesta nocte, ut dicit Viva cum Coninch. De reliquo bene aiunt Salm.[22] cum Soto Nav. Gill. et Vict. in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in concilio constantiensi [23] simpliciter infirmi excipiantur a lege ieiu-

(1) L. c. (2) N. 53. (3) D. 214. c. 2. n. 14. (4) L. c. (5) P. 320. n. 14. (6) De euch. c. 7. a. 2. sect. 2. concl. 1. (7) P. 5. tract. 5. r. 33. (8) Ibid. n. 7. (9) P. 5. tr. 5. r. 33. (10) P. 10. tr. 11. r. 4. (11) C 6. q 4 1. (12) De syn. l. 7. c. 11. (13) P. 400. n. 36. (14) P. 6. tr. 6. r. 18. (15) D. 69. sect. 5. (16) C. 5. n. 5. (17) P. 320. n. 14. (18) L. c. (19) D. 16. n. 53. et 54. (20) De eucharistia c. 7. p. 4. n. 74. (21) Q 4. a. 8 n. 9. (22) L. c. (23) Sess. 13.

nii. Damnati autem ad mortem bene possunt communicare non ieiuni, si iudex nolit tamdiu executionem mortis differre, ut ieiuni communicare possint, ut recte dicunt Salm.[1] et Wig. [2].

Dubitatur 4. An sacerdos ministrans viaticum possit aliquando omittere verba illa in rituali praescripta: *Accipe viaticum etc.* Negant Clericat. [3] et Tambur. Quarti ac card. Brancat. apud de Alex. [4] tum quia (ut dicunt) praedicta verba sunt valde proficua, utpote ab ecclesia ordinata: tum quia rituale romanum facit ius quoad ea quae in ipso praescribuntur, cum Paulus v. in sua bulla dixerit, *inviolate observent.* Probabiliter vero affirmant ipse de Alex. et Tonell. [5] ex Pasq. casu quo infirmus magna animi tristitia communionem per modum viatici sit suscepturus. Ad satisfaciendum enim praecepto viatici non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit ut ponatur opus praeceptum, iuxta *dicta de Hor. can. l. 4. n.* 176., aut saltem sufficit intentio interpretativa satisfaciendi obligationi quae magis urget. Quoad illa autem verba a rituali praescripta, respondet de Alex. cum Pignatell. [6], quod non omnia in rituali praescripta cadunt sub praecepto, sed quaedam ibi praecipiuntur sub obligatione aliunde proveniente, quaedam vero praescribuntur tantum de decentia: nec pontifex extrahit ea ab ordine suo, sed solum efficit ut intra ordinem suum recte procedant; verba enim bullae haec sunt: *Quapropter hortamur episcopos, vicarios, parochos etc. ut in posterum constituto rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae catholica ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit inviolate observent.* Ergo to *inviolate observent* tantum respicit *ea quae* (aliunde) *ecclesia et probatus usus antiquitatis statuit.* Caeterum, quidquid sit de hoc puncto, etiamsi omnia in rituali caderent sub praecepto, nullo modo potest dici quod praeceptum proferendi illa verba inducat gravem obligationem; verba enim quae substituuntur, *Corpus Domini nostri Iesu Christi etc.*, reipsa idem significant et operantur. Ad excusandum vero a peccato veniali, in casu nostro bene sufficiens erit causa mutandi illa verba, ne infirmus magno moerore afficiatur.

286. « Denique, licet probabile videatur Filliuc. [7] et card. Lugo id quod docent Mai.[8] Fern.[9] (Laym. vero [10] limitat ad casum necessitatis, quo moriturus aliud sacramentum suscipere non posset, et scandalum cessaret) posse non ieiunum celebrare ad dandum alteri viaticum, eo quod hoc sit iuris divini, ieiunium vero ecclesiastici tantum; ideoque non tantum posse, sed etiam teneri dicat Granad.[11], id tamen merito communiter reiicitur, tum quia contrarium probat praxis; tum quia maior est habenda ratio sacramenti, quam aliqualis necessitatis proximi; tum quia praeceptum viatici non obligat, quando non potest rite dari. Ita Bon. ex Con. Hur. [12] Suar. Vasq. etc. commun., docetque Lugo esse probabilius. Vide Diana [13]. Sacerdos autem morti (sive naturali sive violentae) vicinus, celebrare sine dubio potest non ieiunus, ad dandum sibi viaticum, si illud aliter haberi non potest: quia non plus est celebrare, quam communicare sumpto cibo. Lugo [14] Lay. Diana [15]. »

Quaeritur utrum sacerdos, ad viaticum ministrandum possit celebrare non ieiunus.

Prima sententia affirmat, et tenet p. Conc.[16] item Maior. Fernan. et Zambr. ap. Lugo[17] et probabilem vocant Esc.[18] Viva [19] Diana [20] et Lugo [21] cum Fill. et Cont. Tourn. [22] eam non audet redarguere. Ratio, tum quia hoc casu praeferendum est praeceptum divinum ecclesiastico; tum quia idem praeceptum

(1) Ibid. n. 82. (2) Tr. 12. n. 49. (3) De euch. dec. 19. n. 12. (4) Conf. monial. c. 12. §. 6. q. 24. (5) L. 1. c. 1. §. 12. n. 6. (6) T. 9. consul. 36. §. Neque. (7) T. 1. tr. 4. n. 242. (8) 4. d. 9. c. 3. (9) De haered. (10) L. 5. t. 4. c. 6. n. 21. (11) 3. p. c. 6. t. 10. d. 8. n. 12.

(12) De euch. d. 9. diff. 17. (13) T. 1. tr. 4. r. 33. (14) D. 15. sect. 4. (15) P. 5. tr. 3. res. 36. (16) P. 362. n. 7. (17) D. 15. n. 67. (18) L. 20. n. 368. (19) Q. 4. art. 8. n. 9. (20) P. 8. tract. 2. resp. 78. (21) Loc. cit. (22) De eucharistia c. 9. art. 2. sect. 1.

ecclesiasticum, cum permittat moribundo communicare non ieiuno, etiam permittere censetur sacerdoti non ieiuno celebrare, ut infirmus communicet.

Secunda sententia vero communis et probabilior negat, et hanc tenent cum Busemb. *ut supra* (qui asserit oppositam communiter reiici, sed hoc immerito), Suar. [1] Cont. Tourn. [2] Salm. [3] Renzi [4] et Lugo [5] cum Nav. Sylvio s. Anton. Soto Con. Sylv. Armilla Vict. Henr. et Vasq. qui contrariam improbabilem vocat. Ratio quia licet praeceptum sumendi viaticum sit divinum, et praeceptum non celebrandi post cibum sit tantum ecclesiasticum, tamen hoc in substantia etiam est divinum propter reverentiam sacramento debitam, quae non excusatur eo casu ob utilitatem moribundi, cum sacramentum hoc non sit tantae necessitatis. Et sic respondetur ad primam rationem oppositae sententiae. Respondetur autem ad secundam, quod ideo permittatur moribundo non ieiuno communicare, quia in eodem concurrunt tam praeceptum ecclesiasticum de ieiunio, quam divinum de sumendo viatico, quod eo casu praeferri debet. Secus vero est de sacerdote, cum ipse unico tantum praecepto obstringatur, scilicet non celebrandi nisi ieiunus, nec ipse potest illud violare, ut moribundus suum adimpleat praeceptum, ad quod eo casu nec etiam moribundus tenetur, cum per ipsum non stet. Neque obstat dicere quod sicut potest sacerdos conscius mortalis celebrare sine praevia confessione ad dandum viaticum, ita etiam sine ieiunio; tunc enim ex Trid. ipsa necessitas ministrandi viaticum excusat; cum possit sacerdos per contritionem se disponere, et sic obicem auferre; sed non ieiunus, cum non possit deinde tollere obicem violati ieiunii, non potest irreverentiam evitare, iuxta dicta in simili casu *n.* 262. Primam sententiam probabilem puto, sed haec secunda probabilior mihi videtur, nisi (ut recte dicunt Laym. [6] Viva [7] et Esc. [8] moribundus non posset sacramento poenitentiae vel extremae unctionis muniri; nam eo casu eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus.

Secus vero dicendum si sacerdos, cum esset morti proximus, deberet celebrare ad dandum sibi viaticum; quia tunc bene poterit celebrare non ieiunus, ut praecepto viatici satisfaciat; tunc enim in eadem persona concurrunt praeceptum ecclesiasticum et divinum quod praeferendum est: ita communiter cum Busemb. Suar. [9] Lugo [10] Laym. [11] Renzi [12] et Salm. [13] cum aliis passim.

287. « 2. Si periculum sit ne eucharistia pereat vel male tractetur, potest sumi a non ieiuno, etiam laico si alius desit (Est commune apud Salmant. [14] *Vide dicta n.* 86.): imo probabiliter potest etiam a praesente sacerdote laicus accipere, ut docent Lugo [15] Suarez et Vasq. [16].

» 3. Si grave scandalum sit orituru ex omissione sacrificii vel communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri posse, eo quod occurri possit scandalo, dicendo, sacerdotem casu aliquid sumpsisse, ideoque impediri.

Si sacerdos recordatur post consecrationem se non esse ieiunum, certum est non teneri, nec posse missam deserere, cum praeceptum divinum perficiendi sacrificium praeponderet ecclesiastico communicandi ieiunus. Vide Azor. [17] et Bon. [18] qui cum Henriq. Rodr. Reg. et aliis communiter id docent. Si autem recordetur soluti ieiunii ante consecrationem, et praesertim ante canonem, debet utique desistere a missa, si possit sine infamiae nota aut scandalo, ut etiam communiter dicunt Lugo [19] Pal. [20] Bon. [21] Conc. [22] Contin. Tour. [23] Ronc. [24] et Salm. [25] cum Suar.

(1) D. 66. (2) Loc. cit. r. ad 2. (3) De euch. c. 7. p. 4. n. 77. (4) T. 1. de ieiun. c. 1. q. 4. (5) Loc. cit. n. 63. (6) Tract. 4. c. 6. n. 21. (7) Q. 5. a. 6. n. 3. (8) Loc. cit. (9) Loc. cit. (10) N. 69. (11) N. [illegible] (12) Q. 4. (13) C. 7. n. 78.

(14) De eucharistia c. 7. p. 4. n. 78. (15) N. 87 (16) D. 211. n. 48. (17) P. 1. l. 10. c. 33. q. 3. (18) D. 4. q. 6. p. 2. n. 19. (19) D. 15. n. 70. (20) P. 13. n. 22. (21) L. c. p. 1. n. 16. (22) T. 3. p. 364. n. 10. (23) De euch. c. 6. a. 2. sect. 1. (24) C. 5. q. 9. r. 3. (25) De euch. c. 7. p. 4. n. 79.

Laym. Gabr. etc. ex d. Th. [1] qui ait: *Tutius reputarem, maxime in casu manducationis, quod missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Censet autem s. Bonav. apud Bonac. [2] et probabile id putant Sot. Ang. Reg. etc. [3] propter hanc rationem scandali nunquam desistendum esse a missa inchoata, quia fere nunquam sine scandalo illa omitti posset. E converso dicit Concina raro in hoc posse scandalum accidere. Melius sentio dicendum cum Cont. Tourn. [4] semper scandalum posse timeri, nisi celebrans sit notae aut saltem praesumptae probitatis.

« Dixi *scandalum:* quia turbationem vel incommodum aliquod secuturum, v. gr. si celebraturus primitus aliquid sumpsisset, non sufficere notat Praep. (Nisi adessent graves circumstantiae. Croix [5] cum Gob. *Vide n.* 257.).

288. « 4. Si perfectio sacrificii vel communionis urgeat. Quod fieri potest quinque modis: 1. Si pro speciebus vini sumpsit aquam (quam si advertat, dum habet in ore, non est expuenda ob periculum eiiciendi fragmentum hostiae et irreverentiam, sed deglutienda, Tambur. [6] card. de Lugo [7] (Et idem recte dicit Conc. [8]) tunc enim tenetur denuo consecrare (utramque materiam) quod fieri etiam potest consecrando et offerendo statim, sine nova hostia (Ut Scotus Suar. Laym. etc. apud Croix [9]. At rubrica missalis [10] utramque sententiam (nempe quod debeat consecrare novam hostiam, vel possit tantum vinum) docet esse probabilem, si in publico celebretur). Vide ap. Suar. Quod si id post missam conclusam advertas in sacristia, omittas. (Cum Salmant. [11] Con. Laym. etc.). Si autem intra missam post sumptionem, vel etiam ante eam, post consecrationem tamen, dubites an fuerit vinum, pro vino praesumendum esse, et pergendum, ait Tamb. (Cum Gob. ap. Croix [12] qui tamen cum Pasq. et Aversa dicit consecrandum esse aliud vinum, quando pru-

(1) Q. 83. a. 6. ad 2. (2) Dict. n. 16. (3) Ibid. (4) Loc. cit. (5) N. 583. (6) De exped. sacrif. lib. 2. c. 3. (7) D. 15. (8) Pag. 563. n. 9. (9) L. 6. q. 2. n. 545. (10) De defect. c. 4. n. 5.

dens adest dubium; nisi diu alia materia esset expectanda. *Vide dicta n.* 206. *v. quoad*). 2. Si celebrans post consecrationem deficiat: tunc enim tenetur alius, etiam non ieiunus, si ieiunus haberi nequeat, perficere. 3. Si post consecrationem etiam unius speciei recordetur, se non esse ieiunum: tenetur enim pergere; imo etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur, et absque scandalo et nota non possit desistere, v. gr. in solemni sacro, ut docent Suar. Con. etc. Si tamen privatim celebret, et commode possit abrumpere, tenetur, uti ex s. Th. [13] docetur commun. (*V. dicta n.* 262. *dub.* 1.) 4. Si post ablutionem sumptam, licet diu communionem distribuerit, sumendae sunt reliquiae etiam grandiores consecratae eodem sacro (Ut Salm. [14] cum Con. Suar. Pal. Laym. Bon. Vasq. etc. *vide dicta num.* 251.); quod addo, quia non licet tunc sumere particulas alterius sacrificii quae sunt in ciborio, ad illud expurgandum, ut docent Suarez card. de Lugo [15] cum communi, licet contrarium probabile dicat Tambur. [16] ex March. [17]. Uti nec eiusdem sacrificii, si illud plane sit absolutum, et ab altari recesseris, sed debent servari donec sumantur a ieiuno, Esc. [18] Fag. etc., quia convivium iam finitum est. Nisi tamen aliud suadeat periculum indecentiae, v. gr. si plures missae eodem die istic futurae non essent; et sacramentum asservari non soleret: tunc enim minore irreverentia sumeret, quam asservaret. Imo cardin. Lugo [19] et Gran. non damnant sacerdotem qui prius quam sacras vestes exuat, particulam inventam absumit, eo quod non sit communio nova, sed complementum praecedentis. Vide Bon. card. de Lugo Escob. [20]. 5. Si pars hostiae post ablutionem sumptam, calici aut palato adhaereat (quae decentius nova ablutione, quam digito propellitur, ut docet Bon. ex Fill. et aliis, quamvis mis-

(11) De euch. c. 7. p. 4. n. 80. (12) L. 6. p. 2. n. 555. (13) P. 3. q. 83. art. 6. ad 2. (14) Ibid. n. 80. (15) Loc. cit. (16) De exped. com. c. 2. §. 3. (17) T. 3. p. 3. c. 3. (18) T. 7. c. 6. (19) D. 14. p. 4. n. 82. (20) Locc. cc.

sale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, et sumatur ante ablutionem): quo modo etiam ii excusantur qui ex devotione hostiam in ore diu retinentes, casu praemittunt aliquid ablutionis: sponte tamen id non licet, nisi bona fides et sancta simplicitas excuset. Ratio horum omnium est, quia talis sumptio moraliter censetur completio unius sacrificii. Regin. [1] Bonacina [2]. »

Dicunt Suarez Sylvest. Ang. et Fill. apud Salm. [3] et Croix [4] cum Tamb. licitum esse dare aegro minimam particulam simul cum ablutione, si ob siccitatem nequeat illam deglutire; imo p. Zacharia apud Croix [5] refert hanc fuisse consuetudinem monachorum cluniacensium. Praeterea, licite datur etiam sano ablutio aquae aut vini, ut possit deglutire particulae fragmenta quae ori haeserint, ut tradit Benedict. XIV. [6], utque pluribus in locis mos habet; eo quod, ut communiter docent Lugo [7] Pal. [8] Holz. [9] Croix [10] et Salm. [11] cum Suar. Vasq. Con. Laym. et Bonac., quamvis ablutio prius deglutiatur quam hostia vel hostiae fragmenta, hoc non obstat ieiunio. Ratio quia violatio non censetur moraliter communionem praecessisse; praeceptum enim ieiunii est, ut ante eucharistiae sumptionem nihil sumatur; quando autem una cum ablutione simul sumitur eucharistia, tunc totum illud ex ablutione et particulis sumitur unica sumptione, unde bene verificatur violationem ieiunii communionem non praecessisse. Et ideo in die parasceves instituit ecclesia ut simul cum vino sumatur particula consecrata in die praecedenti; atque in rubr. missal. [12] dicitur: si particula haereat calici, posse vinum infundi, et eam sumi; adduntque Lugo [13] et Salm. [14] posse iterum vinum infundi usque dum particula sumatur. Ex quibus omnibus Lugo [15] vocat falsam opinionem illorum qui dicunt huiusmodi sumptione frangi ieiunium. Saltem omnes concedunt hanc fractionem non obstare ieiunio ab ecclesia praecepto.

289. » Unus casus est, in metu mortis, ad quam evadendam, sicut sine altari vel calice consecrato aut vestibus sacris; ita etiam non ieiunum posse celebrare docet Dian. cum Sylv. etc. [16]; dummodo celebratio non exigatur in contemptum religionis, ecclesiae, vel eius praeceptorum. »

Quod ob metum mortis liceat post cibum celebrare, secluso contemptu, plures dd. admittunt praeter Sylvest. et Dian. ut supra; id concedunt etiam Viva [17] et Salm. [18] cum Ochag. Sed celebrare sine vestibus sacris vel sine altari, verius id numquam est licitum, cum sit intrinsece malum ob irreverentiam quae sacrificio inferretur; *vide dicenda n.* 377. *dub.* 2., neque ad dandum viaticum, ut recte docent Bened. XIV. [19] et Lugo ac Dicast. apud Croix [20] contra Iordan. At dices: cur propter metum mortis licebit celebrare sine ieiunio, et non licebit sine vestibus sacris? Procul dubio huic difficultati non inveni responsionem omnino adaequatam; tantum responderi posset, quod praeceptum celebrandi cum vestibus sacris sit adeo rigorose acceptum ab ecclesia, ut in nullo casu dispensasse sciatur, et propterea vestes reputantur quid intrinsecum cultui tanti sacrificii; praeceptum autem ieiunii non ita rigorose accipitur, cum in pluribus casibus ecclesia permittat communicare non ieiunis, prout dictum est *n.* 284.

Hic ultimo advertendum, quod si quis post comestionem non dormierit, vel non sit digestus, respectu ad praeceptum ieiunii, bene possit communicare, ut dicunt Suar. [21] Iuenin. [22] et Bonac. [23] cum Nav. Soto Reg. Fill. Henr. et aliis communiter, contra Panorm. etc. ap. Concin. [24]. Caeterum quandoque convenit

(1) Loc. cit. n. 123. (2) L. 1. d. 4. q. 6. p. 2. (3) De euch. c. 7. p. 4. n. 81. (4) L. 6. p. 1. n. 611. (5) Ad dict. n. 611. (6) De sacr. miss. l. 2. c. 22. (7) D. 15. n. 79. et 93. (8) P. 13. n. 21. (9) T. 1. p. 331. n. 75. (10) L. 6. p. 1. n. 573. (11) Loc. cit. (12) T. 10. n. 8. (13) N. 83. (14) Cit. n. 81. (15) D. n. 79. (16) P. 3. t. 6 r. 43. et p. 5. t. 3. r. 39. (17) Q. 4. a. 8. n. 9. (18) De euch. c. 7. p. 4. n. 82. (19) De sacrif. miss. l. 3. c. 19. n. 6. (20) L. 6. p. 1. n. 610s (21) D. 63. sect. 4. (22) T. 7. q. 550. (23) P. 2. n. 11. (24) P. 363. n. 15.

talem a communione abstinere propter animi torporem, ut recte dicunt Cont. Tourn. [1] et Conc. [2] ex d. Thom. [3] qui sic docet: *Nec refert utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem praecepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter indigestionem aut insomnietatem, ex quibus si mens multum perturbetur, homo ineptus fit ad sumptionem huius sacramenti.* Hoc tamen puto non procedere, si vigilia vel indigestio provenerit ex causa naturali, aut rationabili et honesta, nec si homo conetur turbationem illam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat, prout diximus de eo qui pollutionem est passus. *V. n.* 272. *in fine.*

ART. III. Quae et quanta sit obligatio sumendi eucharistiam.

290. *An communio in adultis sit necessaria necessitate medii.*
291. *An et quando quisque in periculo vitae teneatur sumere communionem.*
292. *Quid agendum in periculo vomitus, vel in casu delirii.*
293. *An pueris ministrandum viaticum.*
294. *De obligatione communicandi.*
295. *Quando obliget praeceptum divinum, et quando ecclesiasticum.*
296. *Dub.* 1. *Quomodo computandus annus obligationis.*
297. *Dub.* 2. *An qui non communicavit in paschate, teneatur communicare quamprimum. Quid si quis ad implendum praeceptum paschale, praevidens impedimentum, communionem anticipavit.*
298. *Dub.* 3. *An qui non potest communicare in paschate teneatur praevenire.*
299. *Dub.* 4. *An teneantur fideles tollere impedimentum, ut communionipaschali satisfaciant.*
300. *De obligatione communicandi in parochia. An eximantur sacerdotes peregrini. Famuli religiosorum. An alii ex consensu pastoris.*
301. *De obligatione puerorum communicandi in paschate. Quaer.* 1. *An pueri teneantur aut possint communicare statim post usum rationis. Dub.* 1. *Qua aetate censeantur obligati ad communionem. Dub.* 2. *An infantibus sit danda communio in articulo mortis.*
302. *Qu.* 2. *An possit ministrari communio amentibus.*
303. *Quaer.* 3. *An semifatuis, mutis, surdis et obsessis.*

290. « Resp. 1. Sumptio eucharistiae fidelibus adultis est necessaria necessitate non medii (*At vide dicta n.* 192.) sed praecepti divini obligantis tum in articulo mortis per modum viatici, tum etiam saepius in vita, ut docent Suar. Vasq. Laym. Fagund. et alii communiter; probantque tum ex scriptura, tum ex concil. nicaeno et tridentino [4], tum ex praxi ecclesiae, tum quia eucharistia est instituta per modum cibi, cuius usus saepius est necessarius. Bonacina [5].

Unde resolves:

291. » 1. Quisque fidelis in periculo vitae, quod praevidet vel merito timet, v. gr. in gravi morbo, ante conflictum vel puerperium, praesertim primum, ante navigationem etc. tenetur sub mortali communicare. Suar. Vasquez [6] (Ita Elb. [7] Antoine [8] et Roncagl. [9] cum Tamb. et communi). Nisi tamen paucis, v. gr. octo diebus ante communicasset: talis enim communio censeretur habere rationem viatici, ut docent Suar. Regin. Fill. contra quosdam, ut Gasp. Hurt.[10] ap. Esc., qui dicunt, eum qui mane communicavit, si a prandio incurrat periculum vitae, teneri iterum sumere communionem, tamquam viaticum (*Vide dicta n.* 285. *dub.* 3.); imo Sa et Sylv.[11] et Cai.[12] putant non esse saltem mortale, communionem omittere, dummodo in paschate sumpseris. (*Vide dicta n.* 297. *in fin. v. Dicit.*).

292. » 2. Si in aegro esset periculum vomitus, docet Sancius ap. Dian.[13] posse ei parvam particulam dari quae stomachum alteratura non putetur, aut si de hoc ipsi dubium sit, securitatis causa prius dari particulam non consecratam, quam si reiiciat, nullo modo dandam consecratam: secus, si retineat. Si vero independenter a cibo perpetuo evomat, nullo modo dandam, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuisset. »

In dubio an sumens sit particulam revomiturus, probabilius dicit Croix [14] cum aliis communius, non esse licitum communicare (contra Tamb. Gob. etc.),

(1) C. 6. a. 2. sect. 1. (2) L. c. (3) Q. 80. a. 8. ad 5. (4) Sess. 13. c. 6. (5) D. 4. q. 7. n. 1. n. 8. (6) D. 214. (7) P. 104. n. 131.
(8) C. 2. q. 1. (9) C. 6. q. 5. (10) D. 10. diff. 2. (11) V. Eucharistia. (12) V. Communio. (13) P. 5. t. 3. r. 55. (14) L. 6. p. 1. n. 522.

quia reverentia sacramenti praeferri debet utilitati infirmi. In casu autem delirii censent Salm.[1] cum Zamb., esse optimam praxim, ut detur infirmo antecedenter particula non consecrata ad experiendum si decenter possit inde sumere eucharistiam. Si vero aeger tussi vexetur, potest communicare, quia, licet phlegma quod eiicit, plerumque de pectore ascendat, non est tamen periculum reiiciendi sacras species, cum via per quam sputa tussiendo excutiuntur non sit oesophagus, seu via cibi et potus ad stomachum, sed est aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones; ita Croix[2] cum Palao et Gobat. Modo tamen, bene advertit Croix, particula possit in stomachum descendere: nam si tussis esset ita assidua, ut id non permitteret, abstinendum esset a communione, uti habetur in rit. rom.[3].

293. » 3. Pueris doli capacibus qui sciunt distinguere eucharistiam ab alio cibo, probabilius est in periculo mortis eam esse dandam pro viatico, ut contra Vasq. insinuat Laym.[4] et expresse docet Suar.[5] confirmatque card. de Lugo[6] cum Salm.[7] Pal. Diana etc. et addit (contra Sanchez) si de capacitate pueri sit dubium, posse nihilominus dari, etsi non sit necesse, cum Dian. et Possev. apud Salm.[8].

» 4. Qui post viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare. Ita Reg. Fill. card. de Lugo et alii (Cum Conc.[9] et Salmant.[10] Suarez Coninch. Bon. etc. Ratio quia nullibi talis obligatio praescribitur, cum sufficiat tunc sola confessio; est tamen contra Sot. Tab. et Armil. ap. Salm.[11]).

» 5. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere. Ita Bon.[12] ex Henr. Reg. etc.

» 6. Iudex tenetur, per se loquendo, reis concedere tempus communicandi, ut docent Suar. Bon.[13] et alii communiter, contra Nav. Quod si reus noluerit, potest iudex procedere. Fill.[14] (Alias daretur reis ansa non communicandi. Sot. Bon. Reg. cum Salm.[15]. *V. alias dicta n.* 247: quibus adde, s. Pium v. ut fert Ronc.[16] improbasse consuetudinem non ministrandi eucharistiam damnatis ultimo supplicio; et debet, si oportet, ministrari etiam non ieiunis. *Vide dicta n.* 285. *dub.* 3. *v. Hic autem*).

294. » Resp. 2. Etsi Christus tempus communionis, extra periculum mortis, non praeceperit: ecclesia tamen pro ea determinavit tempus paschale quod communiter numeratur a dominica Palmarum, usque ad dominicam in albis inclusive; alicubi tamen totam quadragesimam comprehendit; alibi extenditur ex consuetudine vel indulto, potestque confessarius ex iusta causa extendere, ut docent Sa et alii. V. Bon.[17].

Unde resolves:

» 1. Praeceptum hoc impletur etiam per communionem sacrilegam, ut habet communis, contra Durand. et Sylv. Et patet, quia ecclesia tantum praecepit actum externum; nec finis praecepti cadit super praeceptum (Hoc tamen damnatum est in propos. 55. ab Innoc. XI. quae dicebat: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem*). An vero qui non satisfecit teneatur postea implere, utrimque probabiliter defenditur, etsi affirmativa videatur probabilior. Bon. Suar.[18] Con. card. de Lugo etc.

» 2. Non tenetur praevenire, qui praevidet tempore paschali se impediendum, ut contra Vasq. Sylv. et Fagund. probabiliter docent Azor.[19] Suar. etc Qui vero sic praevenisset, et postea tolleretur impedimentum, teneretur rursus communicare, secundum Laym.[20] card. Lugo[21], quia non satisfecit praecepto obliganti ad communionem et ad illud tempus. Negat tamen Diana citans Fernand. et Suar. »

295. Quaeritur, quonam tempore fideles obligentur communicare. Duplex quidem de hac obligatione adest praeceptum, divinum et ecclesiasticum. Di-

(1) C. 8. n. 14. (2) N. 554. (3) Communio Infirm. (4) T. 4. de euch. c. 4. (5) D. 40. s. 1. (6) D. 13. sect. 4. n. 38. (7) De euch. c. 8. p. 1. n. 12. et 13. (8) Dict. n. 14. (9) P. 320. n. 13. (10) Ibid. n. 9. (11) L. c. (12) D. 4. q. 7. p. 1. (13) Loc. cit. (14) T. 4. c. 8 q. 11. n. 238. (15) Ibid. n. 11. (16) C. 6. q. 3 r. 1. (17) D. 4 q. 7. p. 2. (18) Loc. cit. (19) 1. l. 17. c. 11 (20) L. 5. t. 4. c. 5. (21) Sect. 4. n. 78.

vinum habetur ex illo Io. [1]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et hoc praecepto tenemur eucharistiam suscipere, non solum in periculo mortis, ut ait Bus., sed etiam saepius in vita, ut communiter docent Suar. [2] Contin. Tourn. [3] Escob. [4] cum Soto Con. Bon. et aliis passim, ex d. Th. [5]. Ratio quia sicut oportet saepius sumere cibum terrenum ad conservandam vitam corporalem, ita cibum coelestem ad conservandam vitam spiritualem. Imo recte dicunt Salmant. [6] cum Lugo Val. p. Soto Filliuc. etc. quod aliquando per accidens tenetur homo ex hoc divino praecepto ad communicandum forte etiam saepius in anno, si hoc censeret necessarium ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen dicit Suarez rarissime evenire posse, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, poenitentiae etc. Eo casu autem quo communio esset necessaria, homo illam omittendo non peccaret contra illius praeceptum, sed contra virtutem, adversus quam tentationem patitur. Caeterum certum est apud omnes, quod huic praecepto, per se loquendo, quisque satisfaciat communicando semel in anno.

Praeceptum autem ecclesiasticum habetur ex conc. lateranensi IV. Licet enim erat olim obligatio communicandi saltem ter in anno, nempe in paschate, pentecoste et natali Domini, ut statuit Fabianus papa[7]: tamen ex praefato concilio fideles hodie obligantur ad communicandum tantum semel in anno tempore paschali, ut patet ex *cap. Omnis de poenit. et remiss.* ubi dicitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur... suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum; nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eiusmodi susceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura*. Haec autem poena non incurritur nisi post sententiam, ut dicunt Palaus [8] Viva [9] et alii communiter; idque colligitur ex eodem textu citato.

296. Dubitatur 1. Quomodo computandus sit annus obligationis huius annuae communionis. Alii censent computandum esse a ianuario ad decembrem, ut sentiunt Lugo [10] et Palaus [11] cum Vasq. Sed ex communi dd. sententia, et consuetudine ubique recepta, tempus computatur a paschate ad pascha, quia hic censetur annus ecclesiasticus. Itaque Suar. [12] Laym. [13] Roncag. [14] Bon. [15] cum Azor. Henr. Sylv. et Salm. [16] cum Sa, Fill. Reg. et aliis communiter. Tempus autem paschale incipit a dominica palmarum, et terminatur dominica in albis, ex declaratione Eugenii IV. in bulla, *Fide digna*, anno 1440. Ex consuetudine tamen, necessitate, vel privilegio plus temporis conceditur, ut Cont. Tourn. [17] Lugo [18] Pal. [19] Salm. [20] et Ronc. [21].

297. Dubitatur 2. An qui in paschate communionem omisit, teneatur quamprimum communicare. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia communior, cui subscribo, et quam tenent Nav. [22] Suar. [23] Lugo [24] Gonet [25] Pal. [26] Cont. Tourn. [27] Bened. XIV. [28] Antoine [29] Elbel [30] cum Henno Salm. [31] cum Laym. Con. Bonac. et Vasq. ac Croix [32] cum Azor. Sylvest. Hurtad. Aversa etc. absolute affirmat, tum ex praecepto ecclesiastico, tum divino. Ex praecepto divino, quia licet Christus hoc praeceptum communionis non determinaverit, reliquit tamen determinandum ecclesiae, quae postea servandum esse determinavit saltem

(1) C. 6. v. 54. (2) 3. p. d. 69. s. 1. et 3. (3) C. 7. a. 2. sect. 2. concl. 1. (4) L. 20. n. 401. (5) 3. p. q. 80. a. 11. (6) De euch. c. 3. p. 1. n. 16. (7) In can. 16. de cons. dist. 2. (8) P. 15. n. 14. (9) Q. 4. a. 3. n. 5. (10) D. 16. n. 68. (11) Tr. 23. p. 20. §. 2. n. 10. (12) D. 36. sect. 3. n. 5. (13) L. 5. tr. 6. c. 5. n. 8. (14) De poen. c. 1. q. 4. r. 1. (15) D. 5. q. 5. p. 4. n. 19. (15) De poen. : 7. p. 4. (17) De praec. eccl. c. 5. (18) D. 16. n. 62 (19) P. 15. n. 2. (20) De euchar. c. 3. p. 2. n. 17 (21) C. 6. q. 5. (22) C. 12. n. 45. (23) D. 70 sect. 1. v. Dico ergo. (24) D. 16. n. 65. (25) T. 6 tract. 4. c. 10. v. Praeter. (26) P. 15. n. 7. (27) Loc. cit. v. Qu. 3. (28) T. 3. edict. p. 42. (29) C. 2 n. 3. (30) T. 3. p. 103. n. 127. (31) Ha (32) L. 6. p. 1. n 644.

semel in anno, ut dicunt Suar. [1] Gonet [2] Pal.[3] Bon.[4] Lugo [5] Cont. Tourn.[6] Croix [7] Antoine [8] et Salm. [9]. Ex praecepto ecclesiastico, tum quia tempus paschale non est ab ecclesia assignatum ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam; unde quando obligatio iam contracta nondum impleta est, quamprimum impleri debet; tum quia, ut dicunt Gonet [10] Lugo [11] Pal.[12] Continuator Tournely [13] Salmantic. [14] etc., ecclesia circa communionem duo imposuit praecepta, unum communicandi infra annum, alterum communicandi in paschate, ut colligitur ex citato *cap. Omnis* et ex Trident. [15] ubi dicitur: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis saltem in paschate, ad communicandum iuxta praeceptum s. matris ecclesiae, anathema sit.* Nota *singulis annis saltem in paschate;* ergo si communio in paschate fuit omissa, debet quamprimum impleri antequam terminetur annus. Dicunt autem Lug.[16] et Bernal. apud Croix[17] quod si quis omisit communicare in paschate, non peccat quoties data opportunitate communionem differt, sed tantum, si intra annum communionem omittit; quia tunc praeceptum communicandi in paschate non potest amplius observari; unde remanet sola obligatio alterius praecepti communicandi saltem semel in anno. Sed probabilius contradicunt Cont. Tour.[18] cum Az. Suar. etc. ac Croix [19] cum Vasq. Aversa etc., quia, ut communiter dicunt auctores huius primae sententiae, hoc praeceptum communicandi in paschate non est datum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem.

Secunda sententia, quam tenent Armilla et Tabiena apud Suar.[20] et Renzi[21] distinguit et dicit quod si quis omiserit communionem ex malitia, non tenetur quamprimum communicare, quia iam transgressus est praeceptum, quod tempori paschali affixum est; tenetur vero, si ex impotentia fuerit impeditus, quia tunc praesumitur ecclesia consensisse in dilationem, sed noluisse ab obligatione communionis hominem eximere.

Tertia sententia autem absolute negat teneri illo anno ad communionem, qui eam omisit sive ex malitia, sive ex impotentia; hanc tenent plures graves aa. prout Sot.[22] Sa[23] Tol.[24], item Sylv. Val. Med. Vict. et Led. ap. Diana [25] et probabilem putant Pal.[26] Bus. ut supra et Bonac. [27] cum Henriq. et s. Anton. qui eam absolute docet [28] ubi loquens de hoc casu, sic ait: *Non videtur teneri quod patet ex similibus. Omittendo ieiunium ecclesiae, quis dicit quod adhuc teneatur supplere in alia die? Et idem de violatione festorum, de omissione missae et aliis; hoc enim si verum esset, quod teneretur ex necessitate quousque supplere multa mortalia committeret facienda contra unum praeceptum, et sic ecclesia laqueos iniiceret animabus, quod cavet* [29]. Ratio huius sententiae est, quia praeceptum communionis est affixum tempori paschali, sicut praeceptum ieiunii et audiendi missam est addictum vigiliis et festis. Unde sicut quis non tenetur ieiunare, aut missam audire transacto die vigiliae aut festi, ita nec communicare elapso tempore paschali. Nisi (certe excipiendum) fuerit impeditus a communione de consilio confessarii, ut tenent Salm.[30] Pal.[31] et alii communiter; hoc enim expresse cautum est in *c. Omnis*, supra allato.

Negant autem auctores huius sententiae adesse hoc duplex praeceptum, nempe communicandi in anno et communicandi in paschate: sed unicum tantum praeceptum dicunt ecclesiam imposuisse, affixum tempori paschali, quo transacto, nulla remanet obligatio communicandi. Negant pariter extare

(1) D. 70. sect. 1. (2) Loc. c. (3) P. 15. n. 1. (4) Q. 6. p. 3. n. 9. (5) N. 28. (6) De euchar. c. 7. a. 2. sect. 2. concl. 2. (7) N. 599. (8) Ib. (9) De leg. c. 2. p. 10. n. 162. (10) Ibid. (11) D. 16. n. 65. (12) P. 15. n. 7. (13) De 5. praec. eccl. (14) De euchar. c. 8. p. 2. n. 21. (15) Sess. 13. can. 9. (16) N. 66. (17) N. 644 (18) Ibid. (19) L. c. (20) D. 70. sect. 2. v. Alii (21) T. 2. p. 547. q. 3. (22) 4. d. 18. q. 1. a. 4 (23) V. Eucharistia. (24) L. 6. c. 18. n. 3. (25) P. 3. tract. 4. r. 41. (26) P. 15. n. 6. (27) P. 2. n. 15. (28) P. 2. tit. 9. c. 9. §. 3. (29) C. Videas 27. q. 1. (30) N. 19. (31) N. 5.

praeceptum divinum communicandi semel in anno; nam licet adsit obligatio communicandi saepius in vita, praeceptum tamen communicandi semel in anno dicunt esse mere ecclesiasticum; non secus ac praeceptum saepius colendi Deum est quidem de iure etiam divino, sed obligatio audiendi missam in dominica, prout praescripsit ecclesia, est tantum de iure ecclesiastico, ut fuse tuentur ipsimet Salm. [1] cum Soto Caiet. s. Anton. Azor. Nav. Suar. Pal. Bon. et aliis communissime, ex d. Th. [2] qui ait: *Dicendum quod observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati; non ex vi praecepti legis, sed ex constitutione ecclesiae et consuetudine populi christiani. Vide alia dicta l. 4. num.* 265. Apud aa. secundae sententiae neminem reperi, qui huic paritati adaequate respondeat; unde hanc tertiam sententiam non contemnendam puto, saltem quia ex neutro praecepto, divino ac ecclesiastico, constat haec obligatio communicandi transacto tempore paschali. Hoc tamen non obstante, nolo recedere a prima sententia.

Dicit autem Tambur. [3] cum Diana, quod si quis communicaverit ante tempus paschale, praevidens impedimentum communicandi in paschate, cum intentione satisfaciendi praecepto illius anni, adhuc cessante postea impedimento non tenetur in paschate communicare. Sed hoc recte non admittunt Lugo [4] Pal. [5] Salm. [6] et Antoine [7] quia intentio non potest efficere ut actus positus tempore quo nondum coeperit obligatio, sit satisfactorius: sicut qui praevidet die dominico se impeditum fore, audiendo missam die praecedenti ex intentione satisfaciendi crastinae obligationi, certe non satisfacit. Id confirmatur ex rit. rom. [8] ubi sic dicitur: *Aegrotis quoque parochialibus, etiamsi communionem extra praescriptos paschales dies sumpserint, in paschalibus diebus illam parochus deferet ac ministrabit.*

298. Dubitatur 3. An qui non possit communicare tempore paschatis, teneatur praevenire.

Prima sententia negat, et nunc tenent Suarez [9] Holzm. [10] Bus. *ut supra*, Tamb. [11] Bon. [12] cum Con. Fill. Regin. Molf. et Renzi cum Azor. Vasquez etc. Ratio est eadem quae adducta est ab aa. tertiae sententiae in praecedenti quaestione, nempe quia hoc praeceptum addictum est tempore paschali, quo non incoepto nulla est obligatio.

Secunda sententia vero quam tenent Laym. [13] Lugo [14] Pal. [15] Habert [16] Elb. [17] Croix [18] et Antoine [19] Salm. [20] et Cont. Tourn. [21] dicit quod si communio non sit differenda ultra annum ab ultima communione facta, non teneris praevenire, cum antecedens illa communio non sit impletiva praecepti paschalis, et eamdem obligationem relinquat. Secus vero si ultra annum differri deberet, quia tunc teneris communionem anticipare, tum ex praecepto divino communicandi semel in anno, modo quo ab ecclesia est determinatum; tum ex praecepto ipsius ecclesiae, quae duas obligationes imponit, nempe communicandi infra annum, et communicandi in paschate, ut supra dictum est. Unde si obligatio communicandi in paschate nequit impleri, saltem implenda est obligatio communicandi semel in anno. Haec secunda sententia in se spectata multo probabilior mihi videtur; sed advertendum quod ipsa procederet tantum iuxta opinionem illorum qui dicunt obligationem huius annuae communionis incipere a ianuario et terminari ad decembrem. At quia communis sententia aliorum, et universali usu fidelium comprobata, ut diximus *num.* 296, quod huiusmodi obligatio urgeat a paschate ad pascha; hinc dicendum videtur nullam ei esse obligationem praeveniendi, qui praevidet non posse communicare tempore paschali, quia (ut bene advertit p. Suar. [22]) talis commu-

(1) De 3. praec. c. 1. p. 4. n. 38. (2) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. (3) N. 38. (4) D. 16. n. 77. (5) P. 15. n. 18. (6) De euch. c. 8. p. 2. n. 22. (7) C. 2. q. 1. r. 2. (8) De euch. (9) D. 70. s. 2. (10) T. 1. p. 347. n. 57. (11) Meth. comm. c. 4. §. 4. n. 37. (12) D. 4. q. 6. p. 2. n. 18. (13) C. 5. num. 9. (14) D. 16. n. 75. (15) P. 15. n. 8. (16) T. 5. de euch. p. 1. c. 22. q. 5. (17) T. 3. p. 103. n. 127. (18) L. 6. p. 1. n. 642. (19) C. 2. n. 9. (20) Cit. n. 22. (21) De praec. eccl. c. 5. (22) L. 6

nio non esset adimpletiva praecepti; tempore enim quo fieret non adhuc incoeptum esset tempus obligationis, cum nondum incoeperit tempus annuae communionis. E converso certum est quod, coepto tempore paschali, si quis impediendum a communione se praevidet, tenetur illico eam accipere, ut commun. docent Suar. Sa et Bon. cum Salm.[1].

299. Dubitatur 4. An teneantur fideles tollere impedimenta, ut praecepto annuae communionis satisfaciant. Communiter dicunt Lugo [2] Croix [3] Tamb.[4] Salmant. [5] Diana [6] Viva [7] cum Laym. quod excommunicatus tenetur obtinere absolutionem, ut possit praeceptum implere; quia communio valde confert ad animae salutem, unde ipsius praeceptum rigide obligat ad auferenda mala spiritualia quae obstant. Censent vero Tamb. et Viva[8] carcere detentos non teneri ad quaerendam libertatem ut communicent. Sed probabilius contradicunt Salmant.[9], cum probabilius sit hoc esse praeceptum divinum, iuxta dicta *n.* 297.

300. » Resp. 3. Tenetur quivis communionem paschalem sumere in parochia a pastore suo, nisi huius licentia, privilegio aut consuetudine eximatur. Nav. Suar. [10]. *Vide dicta n.* 295.

» 1. Sacerdos, ubivis celebrando, satisfacit. Bon.[11] (Ut communiter ex consuetudine dicunt Wig.[12] Ronc.[13] Ant.[14] et Salm.[15] cum Sa Pal. etc. Intellige, si celebret, alias tenetur communicare in parochia, ut alii laici).

» 2. Eximuntur peregrini et vagi, qui parochiam non habent, aut ab ea absunt. Bonac.[16] (Et ita absunt ut commode ad illam accedere nequeant. Nec tunc tenentur communicare in ecclesia matrice oppidi illius, neque in parochia in qua transeunter commorantur, ut Sanch.[17] Salm.[18]. *Vide dicta n.* 240. *v.* 9. *Si in paschate et seq.*).

» 3. Non eximuntur laici inservientes religiosis, ut habet Sa[19], nisi, ut dicit Bonac., degant in monasteriis, aliisque locis a cura parochorum exemptis. V. Sanch.[20] (*V. d. n.* 240. *v.* 10. *Si sint*).

» 4. Non satisfacit huic praecepto, qui in paschate extra parochiam sine consensu pastoris communicat, ut habent Nav. Azor. et alii commun., nisi tamen communicet in cathedrali ecclesia: hunc enim satisfacere praecepto censet Bonac. [21], sed negat card. Lugo [22], nisi episcopus expresse vel tacite consentiat. (Sed opinio Bonac. nescio an sit probabilis, nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum episcopi praesumere faciat, oves enim a proprio pastore agnosci debent). *Vide supra c.* 2. *d.* 1. *art.* 1. *cas.* 7. 8. *et* 9.

» Dixi, *sine consensu pastoris:* quia cum consensu summi pontificis vel episcopi, sive ordinarii, aut eius vicarii generalis, vel parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine pastoris) extra parochiam communicando satisfieri praecepto doctores concedunt. Et quidem sufficere consensum interpretativum sive praesumptum (Modo adsit certitudo moralis de voluntate parochi, ut Salmant.[23] cum Suar. Lugo Dian. et Tambur.) notat Tamb. [24]. Imo Bon. [25] Beia et quidam alii apud Tambur. [26] et de Lugo[27] item Diana[28] putant posse satisfieri praecepto communionis paschalis (praesertim extra diem paschae) apud mendicantes ex privilegio Nicolai v., Pii v. et Pauli IV. certis concesso, quod caeteri participent. Verum hoc alii communiter negant. Vide Aversa [29].

Cum Diana ut supra sentiunt Beia, Rodr. etc. apud Escob. [30] bene fideles satisfacere praecepto, communicando in ecclesiis regularium, vi privilegiorum a praedictis pontificibus concessorum monasteriis d. Hieronymi. Sed communiter et merito id reprobant Croix [31] et Salmant. [32] cum Lugo Fag.

(1) De euch. c. 8. p. 2, n. 25. (2) D. 16. n. 17. (3) L. 6. p. 1. n. 626. (4) C. 4. §. 4. n. 40. (5) De cens. c. 3. p. 7. n. 74. (6) P. 5. tr. 9. r. 73. (7) Q. 4. a. 2. n. 10. (8) Locc. cc. (9) L. c. (10) D. 72. s. 2. - Ex c. Omnis 12. de poen. et rem. (11) D. 4. q. 7. p. 2. (12) Tract. 12. n. 48. (13) C. 6. q. 7. (14) C. 2. n. 3. (15) De euch. c. 8. p. 2. n 29. (16) L. c. (17) De matr. l. 3. disp. 23. n. 17. (18) Ibid. n. 31. (19) V. Euch. (20) De matrim. d. 32. n. 12. (21) Loc. cit. (22) L. 1. res. mor. (23) De euch. c. 8. p. 2. n. 34. (24) De exp. comm. c. 4. §. 4. (25) Theol. mor. p. 1. t. 5. q. 19. (26) L. c. (27) D. 18. s. 2. n. 49. (28) P. 2. t. 14. r. 73. et p. 6. t. 7. r. 58. (29) Q. 10. sect. 4. (30) L. 20. n. 441. (31) p. 2. n. 651. (32) Cit. n. 34.

Tambur. et aliis qui dicunt neminem posse in ecclesiis regularium praeceptum communionis implere, nisi cum licentia parochi certo praesumpta; ita etiam Suar. [1] Bon. [2] et Esc. [3] cum Vill. Nugno Fag. etc. qui refert declarationem s. c. an. 1586. ap. Farinac. in Trid. [4] ubi dictum fuit minime satisfacere praecepto communicantes in ecclesiis regularium. Nec obstant praefata privilegia (quorum meminit Bus.); nam ut aiunt aa. citati, cum pontifices saepe declararint, quoad communionem obligatoriam semper servandum esse illaesum ius parochorum, tam praedicta monasteria d. Hieronymi, quam aliae religiones, numquam illis privilegiis usae sunt, nisi pro suis familiaribus. Unde Escob. [5] censet oppositam opinionem non esse practice probabilem. Et revera nostra sententia a communi consuetudine videtur approbata.

301. Pueri baptizati rationis impotes et perpetuo amentes eucharistiam sumendo vere gratiae augmentum percipiunt, quia sufficit hoc sacramentum in gratia suscipere, ad eius effectum sane percipiendum. Ita Suar. Vide Con. Pal. Laym. cum Salm. [6]. Ob maiorem tamen reverentiam huius sacramenti, ecclesia latina merito illud parvulis dari prohibuit, ut habetur ex communi sensu ecclesiae iuxta s. Th. [7]. Vide catech. rom. [8] et rit. rom. [9].

Sed quaeritur 1. An pueri statim ac habent usum rationis, possint ac debeant communicare.

Prima sententia affirmat, et hanc tenet s. Anton. [10] qui ait: *Cum* (puer) *est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad praeceptum de confessione, et per consequens de communione, quae simul dantur.* Idem dicunt Sanctius [11] et Palud. ac de la Crux apud Esc. [12], probabilemque putat Dian. [13] cum Tab. Ratio quia cum tales pueri iam sint capaces committendi peccatum mortale, et se disponendi ad absolutionem per debitum dolorem, etiam capaces fiunt communionis, ad quam minor requiritur rationis discretio.

Secunda sententia vero communissima et probabilior negat teneri, et hanc docent Suar. [14] Nav. [15] Laym. [16] Escob. [17] Pal. [18] Antoine [19] Croix [20] Salm. [21] cum Vasq. Soto Fill. Dicast. etc. ac Dian. [22] cum Tol. Con. Comit. Tann. Salas et communi, ut asserit. Ratio quia communis usus ecclesiae sic interpretata est obligationem huius praecepti, tum ut pueri cum maiori reverentia et fructu eucharistiam suscipiant; tum ne ipsi facile exponantur periculo transgressionis. Et quamvis obligentur ad confessionem, non ideo tamen tenentur suscipere eucharistiam, quae est maioris excellentiae et non tantae necessitatis. Nec obstat *cap. Omnis* 12. *de poenit.*, ubi dicitur quod omnis fidelis, *postquam ad annos discretionis pervenerit*, tenetur non tantum ad confessionem, sed etiam ad communionem; nam anni discretionis intelligendi sunt respective ad rationem materiae, nempe cum quis pervenerit ad discretionis annos pro confessione, confiteatur, quando ad discretionis annos pro communione, communicet. Sed notandum, quod ex huius sententiae fautoribus alii, ut Vasq. Hurt. Praepos. Gran. etc. apud Escob. [23] censent tales pueros nec teneri nec posse communicare, quia (ut dicunt) eucharistia non potest dari eis, qui non sunt capaces digne communicandi. Alii vero, ut Suar. [24] cum Soto et Lay. Pal. ac Croix [25], probabilius dicunt quod esto pueri non teneantur communicare statim post adeptum usum rationis, non tamen prohibentur ad eucharistiam accedere, semper ac sciant discernere hunc coelestem cibum a profano: tunc enim, ut inquit d. Thom. [26]: *Quia possunt ali-*

(1) De rel. tr. 10. l. 9. c. 5. n. 6. (2) D. 4. p. 1. n. 12. (3) N. 445. (4) Sess. 13. can. 9. (5) Loc. cit. (6) De eucharistia c. 7. p. 1. n. 6. (7) P. 3. qu. 80. art. 9. ad 3. (8) Num. 62. (9) De eucharistia. (10) Tit. 3. t. 14. c. 12. §. 5. (11) D. 26. (12) L. 2. n. 245. (13) P. 3. tr. 6. res. 70. (14) 3. p. d. 70. s. 1. v. Sed expectandum (15) C. 21. n. 57. (16) C. 4. n. 5. (17) N. 344. (18) P. 10. n. 11. (19) C. 2. v. Pueri. (20) L. 6. p. 2. n. 646. (21) Ibid. n. 16. (22) L. c. (23) N. 242. (24) L. c. v. Deinde. (25) L. c. (26) 3. p. q. 80 a. 9. ad 3.

quam devotionem concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Idque confirmatur in *cap. penultim. caus.* 26. *q.* 6. ubi dicitur: *Cui poenitentiae sacramentum conceditur, neque eucharistiae sacramentum negari debet, si desideret.*

Sed hic dubitatur 1. Quando censeantur pueri obligati ad communicandum. Sotus apud Suar. et Corduba ap. Pal.[1] sentiunt hanc obligationem incipere a 12. anno; quia (ut aiunt) in ea aetate pueri tenentur ad leges ecclesiasticas. Sed hoc communiter reiicitur, prout diximus de *leg. l.* 1. *n.* 155. Hinc communiter dicunt doctores, regulariter loquendo, pueros non obligari ad communionem ante nonum vel decimum annum; nec differendam eis esse communionem ultra duodecimum; ut sentiunt Pal.[2] et Salm.[3] cum Lugo Dic. Amico etc., vel saltem ultra decimum quartum, ut aiunt Suar. Laym. Wig. Antoine et Croix[4]. Hicque notandum id quod praescripsit s. Carolus Borromaeus[5]: *Parochi illos qui decennium attigerint, accersant, instruant ad cognitionem eucharistiae, doceantque quam reverenter ad eam accedant.* Dictum est *regulariter;* nam, ut advertunt auctores, citius possunt obligari pueri qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciuntur. Unde recte reprehendit Roncaglia[6] parochos qui indiscriminatim non admittunt ad communionem nisi pueros in certa aetate constitutos. Dicunt autem Nav.[7] et Croix[8] quod, licet pueri anno decimo possint ad communionem admitti, non tamen ipsi ad illam tenentur, sed tum solum cum a parocho vel parentibus moniti fuerint.

Dubitatur 2. An in periculo mortis communio tribuenda sit pueris qui rationis sunt impotes. Respondetur negative, tum quia idem adest periculum irreverentiae, tum quia talis est usus ecclesiae romanae. Ita communiter s. Th.[9], item Cai. Suar. Pal. Laym. Bonac. Lugo etc. cum Salm.[10]. Et qui aliter ageret graviter peccaret, ut notant Salm.[11] cum Led. qui ait huiusmodi usum universalem ecclesiae quippe aequivalere ac si esset prohibitio. Pueris vero qui iam sunt compotes rationis, in articulo mortis non solum communio dari potest, ut dicunt Navar.[12] et Cai. apud Wig.[13], sed etiam debet, ut communissime docent Suarez[14] Lugo[15] Lay.[16] Pal.[17] Wig.[18] Holzman[19] Antoine[20] Escob.[21] et Salm.[22] cum Henr., et idem docet Bened. XIV.[23] Ratio quia ex una parte pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare; ex alia utilitas eucharistiae tunc maiorem dispositionem non exposcit.

302. Quaeritur 2. An communio sit ministranda amentibus. Perpetuo amentibus omnino est neganda, ut omnes dicunt cum s. Thom.[24] ex rituali rom.[25] ubi dicitur: *Amentibus seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent; si nullum indecentiae periculum adsit.* Aliis vero amentibus qui non semper caruerunt usu rationis, sed nunc carent, censet Gobat.[26] quod in articulo mortis absolute potest eis dari communio. Sed in hoc sequenda est doctrina d. Th.[27] qui sic ait: *Si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel exspuitionis.* Idem fere docuit catechis. rom.[28] dicens: *Amentibus praeterea qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet; quamvis, si, antequam in insaniam inciderent, piam animi voluntatem prae se tulerint, licebit eis in fine vitae ex concilii carthaginensis decreto eucharistiam administrare, modo vomitionis vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum*

(1) Locc. cc. (2) L. c. (3) De euch. c. 7. n. 13. (4) Locc. cc. (5) In syn. dioec. 9. (6) C. 6. reg. 5. (7) C. 21. n. 87. (8) D. n. 646. (9) Loc. cit. (10) C. 7. p. 1. n. 7. (11) Ib. n. 8. (12) C. 21. n. 57. (13) Tr. 12. n. 46. (14) Dist. 70. s. 1. (15) Dist. 13. n. 37. (16) C. 4. n. 5. (17) P. 10. n. 11 (18) Loc. cit. (19) T. 1. p. 545. n. 45. v. Dist 2. (20) C. 2. q. 1. r. 2. (21) L. 20. n. 244. (22) Ibid. n. 15. (23) De synodo l. 7. c. 12. n. 5 (24) 3. p. q. 80. a. 9. (25) De eucharistia. (26) T. 4. n. 155. (27) L. c. (28) P. 2. c. 4. n. 65.

sit. Hinc sufficit quod talis aeger pie vixerit, ut recte dicunt Pal. [1] Holzm. [2] et Salm. [3] cum Suar. Vasq. Conc. Lay. Bonac. Filliuc. Hurt. etc. Ratio quia ex una parte praesumitur is interpretative communionem petere, ex altera huic eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit: excipiunt tamen dd. apud Salm. [4] si certo praesumatur talis in amentiam incidisse penitus impoenitens. Extra tamen articulum mortis nullo modo eucharistia amentibus est concedenda, ut Salm. [5] cum Suar. Laym. et communi.

303. Quaeritur 3. Quando concedenda sit eucharistia semifatuis, mutis et obsessis. Respondetur quod *semifatuis* semper ac sciant distinguere hunc coelestem cibum ab aliis, tantum in articulo mortis et tempore praecepti communio danda est. Ita Holzm. [6] Laym. [7] Wig.[8] et Salm. [9] cum Pal. Hurt. Dian. Henr. (contra Sanch. et Leand. qui concedunt toties quoties postulaverint). Idem agendum est cum *mutis* et *surdis* a nativitate, modo ex signis constet eos discretionem habere, ut Laym. Pal. et Salm. [10]. Imo recte ait Holzm. [11] quod si isti sint praediti non qualicumque discretione, saepius possunt communicare. Verum mutis, surdis et simul caecis a nativitate omnino neganda est communio, cum Wig.[12]. Epilepticis autem negatur communio tantum in paroxysmo, ut Holzm.[13] Elb.[14] cum Lay. et Pal. Idem agendum cum *obsessis* a daemone, quando non sunt sui compotes. Caeterum Salm.[15] cum Suar. Sot. Bon. Laym. et aliis ex doctrina s. Th.[16] recte aiunt eucharistiam pluries in anno, iuxta prudentiam confessarii istis concedendam esse, cum sit speciale remedium ad daemones arcendos; hinc ait Cassianus [17]: *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus communionem a senioribus numquam meminimus interdictam.*

(1) P. 10. n. 7. (2) T. 1. p. 345. n. 46.
(3) De eucharistia c. 7. p. 1. n. 9. et 10.
(4) Ibid. n. 11. (5) Cit. n. 11. (6) N. 45.
(7) C. 4. n. 4 (8) Tr. 12. n. 37.

CAP. III. DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM

DUBIUM I. Quid sit missa et quae obligatio sacerdotum circa illam.

304. *Definitio sacrificii missae. Not. 1. Quomodo definiatur sacrificium in genere. Not. 2. Quomodo distinguantur sacrificia. Et quomodo sacrificium eucharistiae omnia illa contineat. Et in quo differat a sacrificio crucis. Not. 3. An missa sit verum sacrificium.*
305. *In quo consistat essentia sacrificii missae.*
306. *An ad essentiam sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei.*
307. *Quinam sint offerentes in sacrificio missae.*
308. *Pro quibus possit offerri missa.*
309. *Dub. 1. An pro excommunicatis. Dub. 2. An pro infidelibus.*
310. *Dub. 3. An pro defunctis.*
311. *Effectus sacrificii missae sunt quatuor: 1. Remissio peccatorum. 2. Remissio poenarum. 3. Augmentum gratiae. 4. Impetratio bonorum.*
312. *De valore et fructu missae. An missa habeat valorem infinitum. Et an fructus missae pendeat a probitate celebrantis.*
313. *De obligatione celebrandi, quam habent sacerdotes. Dub. 1. An ipsi ex praecepto gravi teneantur aliquando celebrare. Dub. 2. Quoties in anno teneantur celebrare simplices sacerdotes. Quoties parochi. Et quoties episcopi.*
314. *De missa conventuali, quotidie celebranda.*
315. *De obligatione dicendi tempore debito missas pro accepto stipendio.*
316. *Quaenam praenotanda circa originem stipendii.*
317. *Qu. 1. An liceat sacerdoti diviti accipere stipendium pro missis. Et an peccet graviter, qui principaliter celebrat pro stipendio. Qu. 2. Quomodo peccet sacerdos differendo celebrationem. Et quae dilatio censeatur modica. Quid si missae tradantur communitati. Qu. 3. An peccet graviter sacerdos omittens sacrum promissum pro parvo stipendio. Qu. 4. Quid si missa sit gratuito promissa.*
318. *An liceat accipere stipendium pro applicatione fructus specialissimi. Et an accipere plura stipendia pro una missa.*
319. *A quo et quomodo taxandum sit stipendium.*
320. *Dub. 1. An regulares teneantur servare taxam Episcopi. Dub. 2. An Episcopus possit prohibere, ne accipiatur stipendium majus taxa. Dub. 3. An ne accipiatur stipendium minus. An autem qui acceperit minus, possit minuere numerum missarum. Dub. 4. An liceat pacisci de stipendio. Dub. 5. Quomodo taxandum stipendium missarum quas reliquit testator.*
321. *Non licet celebrare per alium, retenta parte stipendii. Exceptio 1. Si stipendium detur intuitu personae. Exceptio 2. Si alter sacerdos vere sponte condonet partem. Excipitur 3. Beneficiarius, capellanus et sacerdos obligatus ex legato sibi relicto sua vita durante.*

(9) Ibid. n. 12. (10) Ibid. n. 13. (11) N. 50.
(12) N. 38. (13) N. 48. (14) N. 93
(15) Ibid. n. 14. (16) P. 3. q. 80. a. 9. ad 2.
(17) Ap. d. Thom. loc. cit.

522. *Dub.* 1. *An qui retinet partem stipendii teneatur ad restitutionem. Et cui restituendum. Dub.* 2. *Quid de procuratore, vel executore testamenti. Dub.* 3. *An colligens eleemosynas possit partem retinere pro suo labore. Dub.* 4. *An possint commutari missae maioris stipendii cum missis minoris. Dub.* 5. *An administratores Ecclesiarum possint aliquid retinere pro expensis.*

523. *De obligatione beneficiatorum et parochorum applicandi missas.*

524. *Qu.* 1. *Cui debeant applicare missas beneficiati et capellani monialium, aut confraternitatum. Quid si capitale fundationis beneficii, aut capellaniae sit infructiferum. Qu.* 2. *Quibus diebus parochi teneantur celebrare pro populo.*

525. *Vide sancita a Bened. XIV. super missa parochorum.*

526. *Super missa conventuali.*

527. *De obligatione celebrandi missas votivas sub stipendio.*

528. *De obligatione celebrandi loco et tempore designato a fundatore.*

529. *Quid si episcopus dispenset. Et an possit dari praescriptio ab obligatione missarum.*

530. *De obligatione beneficiarii celebrandi missas praescriptas, et celebrandi per seipsum.*

531. *De reductione missarum. An episcopus possit eam facere. Et an moderari officia et eleemosynas anniversariis annexa.*

532. *An beneficiarius possit aliquando celebrare pro suis propinquis aut amicis, vel omittere missam propter reverentiam.*

533. *An capellanus aegrotans, teneatur per alium satisfacere missis. De* 30. *missis Gregorianis. An liceat stipendium accipere pro prima missa quam neo-presbyter celebrat cum episcopo. (Remissive ad n.* 329. *v. An autem).*

304. « Resp. Missa est sacrificium consistens in consecratione panis et vini: id est actus latriae qui fit in recognitionem supremi dominii Dei et signum nostrae servitutis. Quod non obstat quin secundario possit etiam ad alium finem partialem offerri, ut ad agendas gratias, vel impetrationem beneficii, ad remissionem peccatorum, ad sanctos honorandos etc.»

Notandum est 1. quod sacrificium in genere *est oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei, in signum supremi dominii, ex legitima institutione.* Ita communiter Suar. Pal. Laym. Concin. et alii. Dicitur *oblatio* pro genere, in quo cum aliis oblationibus convenit. *Facta Deo*, quia soli Deo, non sanctis sacrificium offertur. *Per immutationem alicuius rei*, immutatio enim distinguit sacrificium ab aliis oblationibus. *In signum supremi dominii*, nam tali signo significamus, ita a Deo tamquam supremo domino nos et nostra destrui posse, sicuti res oblata immutatur. *Ex legitima institutione.* Haec autem institutio tria requirit, ut sacrificium fiat publica auctoritate, fiat nomine totius populi, et fiat a sacerdote tamquam legitimo ministro.

Notandum 2. Sacrificium dividi ex parte materiae, formae et finis. Ex parte *materiae* distinguitur in *victimam* seu *hostiam*, in qua aliquod animatum offertur: in *immolationem*, in qua offertur aliquod inanime, sed solidum: in *libamen*, in quo offertur aliquod liquidum. Ex parte *formae* distinguitur in *holocaustum*, in quo totum quod offertur, per ignem consumitur: *hostiam pro peccato*, in qua id quod offertur partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem: *hostiam pacificam*, in qua id quod offertur partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem, partim per illum qui donat. Ex parte *finis* distinguitur in *latreuticum*, quod offertur mere in obsequium Dei: *eucharisticum* in gratiarum actionem: *propitiatorium*, seu *expiatorium* in remissionem culpae vel poenae: *impetratorium* ad obtinenda bona a Deo. Sacrificium autem eucharistiae in lege gratiae institutum (quo omnia antiqua sacrificia cessarunt) omnium rationes illorum perfecte continet: est enim *holocaustum* in recognitionem divinae excellentiae: est *eucharisticum* in gratiarum actionem: est *impetratorium* gratiarum per merita Christi: est *expiatorium* peccatorum, quia per illud Deus ad misericordiam movetur; estque missae sacrificium incruentum idem profecto ac sacrificium cruentum crucis, non solum quia eadem persona offertur, sed etiam quia eadem est formalis ratio sacrificii, cum offeratur in protestationem supremi dominii, quod habet Deus vitae et mortis. Sacrificium igitur altaris, ut ait Trident., non quidem essentialiter differt a sacrificio crucis, sed tantum accidentaliter quoad modum offerendi, nempe quia 1. In illo crucis intercessit mors realis, in ho-

intervenit mystica. 2. Illud oblatum fuit per ipsum Redemptorem in ara crucis, hoc offertur ministerio sacerdotum. 3. Illud fuit meritorium, quia ibi solutum fuit pretium nostrae redemptionis; hoc vero non est meritorium, cum hic tantum applicentur merita Christi.

Notandum 3. certum esse et de fide quod missa est vere et proprie sacrificium, et a Christo institutum quoad id quod pertinet ad essentiam sacrificii: per consecrationem enim et per sumptionem, ut infra dicetur, mystice mactatur Christus, et sic habetur immutatio ad sacrificium requisita. Ita in Trid. [1].

305. Quaer. hic 1. In quo consistat essentia sacrificii missae. Magna haec est quaestio inter dd. Plures enim adsunt sententiae:

Prima sententia dicit consistere in sola sumptione; quia in illa tantum reperitur destructio sive immutatio victimae; et ita tenent Pignatelli [2] et Alb. Magnus Led. et alii ap. Suar. [3].

Secunda sententia dicit consistere in oblatione, cum sacrificium nihil aliud sit quam oblatio; ita Azor. [4] et Sot. ac Covarr. ap. Dic. [5] et Gabr. Echius etc. apud Croix [6].

Tertia sententia communior docet consistere in sola consecratione, et ita tenent Suarez [7] Gonet [8] Contin. Tourn. [9] Petroc. [10] Habert [11] Iuenin [12] Frassen [13] Conc. [14] Holz. [15] Ronc. [16] Croix [17] et Salmant. [18] cum s. Anton. Lug. Pal. Vasq. et aliis. Ratio quia in consecratione omnia adsunt requisita ad sacrificium, nempe oblatio quae iam fit in actu exercito prout Christus quoque tum in coena, tum in cruce non verbis, sed facto Deo Patri se obtulit: adest etiam destructio seu immutatio victimae, dum vi verborum iam corpus a sanguine Christi separatur. Haec sententia est quidem valde probabilis et communior, sed probabilior mihi videtur

Quarta sententia (licet tertiae adhaeserim) quam tenent Bell. [19] Tourn. [20] Sot. [21] Bon. [22] et alii apud Dicast. Haec sententia dicit essentiam eucharistiae consistere partialiter in consecratione et partialiter in sumptione: in consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consumitur. Ratio 1. quia verum et reale sacrificium veram requirit et realem destructionem rei oblatae, quae non habetur nisi per sumptionem sacerdotis qua destruitur sacramentalis essentia Christi. Nec obstat dicere quod in consecratione iam habeatur mors mystica, et in tantum non habetur mors realis, in quantum propter naturalem concomitantiam, nequeunt Christi sanguis et anima a corpore separari. Nam respondetur quod si concomitantia illa naturalis impediat mortem, impediat etiam sacrificium quod sine vera et reali destructione non consumitur. Ratio 2. quia si destructio non fieret per sumptionem, sequeretur quod sacrificium fieret in coelo, non in altari; nam ut in altari fiat sacrificium, opus est ut prius ibi victima ponatur integra, et deinde destruatur. Cum autem in consecratione panis vi verborum veniat tantum corpus a sanguine separatum: sequitur praesupponi destructio iam facta in coelo ubi Christus integer manet. Nec obstat dicere quod, licet per se vi verborum corpus veniat separatum a sanguine, ratione tamen concomitantiae Christus integer venit, ac proinde mystice destruitur. Nam respondetur quod hoc esset per accidens non per se; sed cum sacrificium (ut supponunt auctores tertiae sententiae) fiat per se vi verborum, ratione separationis sanguinis a corpore, necesse est, ut etiam per se vi verborum ponatur integer Christus, prius quam destruatur. Caeterum ipsi adversarii dicunt quod sumptio, quamvis non spectet ad essentiam

(1) Sess. 22. c. 1. et can. 1. 3. et 4. (2) In suo Propitiatorio. (3) 3. p. d. 74. s. 5. (4) L. 10. c. 19. (5) D. 1. n. 142. (6) L. 6. p. 2. n. 12. (7) D. 75. sect. 5. (8) Man. t. 6. tr. 4. c. 12. (9) De sacr. miss. c. 3. a. 2. sect. 2. concl. 6. (10) T. 3. p. 496. (11) T. 3. p. 2. c. 1. r. 3. (12) T. 7. n. 209. concl. 4.

(13) T. 11. p. 382. (14) T. 8. p. 424. n. 6. (15) P. 70. n. 305. (16) C. 1. q. 2. (17) L. 6. p. 2. n. 13. (18) De sacrif. missae tr. 3. c. 1. p. 2. dub. unic. n. 14. (19) L. 2. de missa c. 27. (20) Prael. theol. de sacr. miss. a. 2. concl. 4. et 5. (21) 4. d. 13. q. 1. (22) D. 4. q. ult. p. 2.

sacrificii, spectet tamen ad eius integritatem, ut sacerdos participet de re oblata. Quapropter rubrica missalis [1] sic monet: *Si sacerdos graviter infirmetur aut moriatur post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit; et in casu necessitatis etiam per non ieiunum.* Et idem docet s. Th. [2] ex conc. tolet. VII. [3].

306. Quaeritur 2. An de essentia sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei.

Prima sententia negat, quam tenent Cont. Tourn. [4] cum Maior. Adriano Isamberto etc. ac Bon. [5] cum Henr. Petig. Nugno etc., probabilemque putat Croix[6]. Ratio, tum quia per ipsam consecrationem unius speciei totus Christus ponitur et offertur, simulque iam repraesentatur mors Christi, cum vi verborum ponatur tantum corpus sine sanguine, vel sanguis sine corpore, quo mors Christi designatur; tum quia, ut alii dicunt, in consecratione et sumptione unius speciei iam habetur oblatio et mactatio victimae, quod satis est ad essentiam sacrificii.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, et hanc tenent Suar. [7] Tourn. [8] Lugo [9] cum communi, ut asserit Pal. [10] et favet d. Th. [11] qui dicit: *Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari.* Ratio igitur est, quia sacramentum altaris debet esse rememorativum sacrificii cruenti a Christo in cruce peracti, ut declarat Trident. [12] qui docet, quod Christus obtulit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini, *ut... suae ecclesiae visibile.... relinqueret sacrificium, quo cruentum* (nota) *illud semel in cruce peragendum repraesentaretur.* Unde si una tantum species consecraretur, etsi vi verborum poneretur corpus exsangue, vel etsi per sumptionem haberetur mactatio; non tamen exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam proprie significatur separatio sanguinis a corpore, iuxta dictum s. Cyrilli: *Gladio verborum sanguis separatur a corpore.*

Hic autem advertendum id quod habetur in rubrica missalis [13]: *Si materia quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem corporis aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit ne sacrificium remaneat imperfectum.* Hinc notant Gavant.[14] et Azor.[15] quod, si difficillime haberi possit species deficiens, et notabilis inde oriretur offensio populi, missa absolvi debet, quia ius naturale vitandi scandalum praevalet iuri divino positivo integrandi sacrificium.

307. Est autem de fide quod Christus Dominus sit praecipuus sacerdos offerens in sacrificio missae, ut communiter dd. cum s. Th.[16] et Trid.[17]. Post Christum, ministri huius sacrificii sunt sacerdotes, qui soli potestatem habent consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi; et consecrant etiamsi sint haeretici, degradati etc. ex Trid.[18]. Tota ecclesia etiam dicitur offerre sacrificium per sacerdotem, ut multi dicunt apud Croix[19]. Post sacerdotes omnes fideles offerunt sacrificium mediate per sacerdotum manus, tribus utique modis: 1. Modo generali, nempe per sacerdotes, qui, offerendo sacrificium ut publici ministri, pro quocumque fideli dicuntur etiam offerre. 2.

(1) Tit. 10. de defect. n. 3. (2) 3. p. q. 83. art. 6. ad 1. (3) In c. Nihil, caus. 7. quaest. 1. (4) Hic c. 3. a. 2. sect. 3. concl. 2. (5) D. 4. q. ult. p. 2. n. 7. (6) L. 6. p. 2. n. 15. (7) 3. p. d. 75. sect. 6. v. Dico 2. (8) Praelect. theol. art. 3.

(9) De euch. d. 19. n. 106. (10) Eod. tit. p. 2. n. 6. (11) 3. p. q. 80. a. 2. ad 3. (12) Sess. 22. c. 1. (13) Tit. 4. (14) Hic. (15) L. 10. c. 35. q. 6. (16) Q. 83. a. 1. ad 3. (17) Sess. 22. c. 2. (18) Sess. 23. c. 1. (19) Loc. c. n. 19.

Magis speciali, procurando ut sacerdotes celebrent pro seipsis. 3. Assistendo sacrificio.

308. Certum etiam est posse offerri hoc sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus vel energumenis vel peccatoribus non excommunicatis, quoad fructum tantum impetrationis. Pro excommunicato vitando tamen licite sacerdos potest offerre missam privatim, quatenus est opus proprium suae privatae personae, non autem nomine ecclesiae, vel ut minister Christi [1]. Quamvis, si offerret tamquam Christi minister, valide quidem, sed illicite offerret, ut Croix [2] Salm. [3] cum Suar. Nav. Dic. etc.

309. Sed dubitatur 1. an licite sacerdos possit orare aut offerre missam nomine ecclesiae vel ut minister Christi pro excommunicato tolerato. Negant Suar. Bon. Sotus et alii cum Salmant. [4] quia ecclesia, ut dicunt, excludit excommunicatos omnino a communicatione suffragiorum; concilium enim constantiense in extravag. Mart. v. *Ad evitanda* nihil ipsis indulsit, sed tantum favorem praebuit aliis, ut cum excommunicato tolerato communicare possent. Sed probabilior est opposita sententia, quam tenent Lugo [5] Croix [6] cum Sanch. Nav. Con. etc. Ratio quia in d. extrav. quamvis nihil indulgeatur excommunicatis toleratis, conceditur tamen fidelibus communicare cum illis, etiam in divinis, iuxta dicenda *de censur. l. 7. n. 164.*

Dubitatur 2. an possit offerri missa pro infidelibus. Negant Vasq. Sotus Leand. Pal. etc. apud Salm. [7]. Effectus enim sacrificii, ut dicunt, non est communicandus iis quibus non possunt communicari sacramenta. Probabilius tamen affirmant Lugo [8] et Bellarm. Suar. Sa Laym. etc. cum Salm.[9] (Tum quia in lege veteri iudaei soliti fuerunt sacrificare pro gentibus, ut in *l. 1. Mach. c. 12. v. 11.* pro spartanis, ubi: *Memores sumus vestri in sacrificiis quae offerimus;* tum quia sic celebrans magis conformatur Christo qui pro omnibus se obtulit.

310. Pro defunctis autem existentibus in purgatorio certum est quod licite et utiliter offertur missa, ut docet d. Th.[10] et constat ex Trid.[11], ubi dicitur quod sacrificium missae *non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis rite iuxta apostolorum traditionem offertur.* Et rursus [12] habetur: *Si quis dixerit, missae sacrificium vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis etc. offerri debere, anathema sit.*

Rogabis 1. an missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi. Negant Canus Sotus et Corduba apud Salm.[13]. Sed verius et communius affirmant Suar.[14] et ipsi Salm.[15] cum Az. Nav. Hen. Dic. p. Soto Fag. Philib. etc. Ratio quia cum sit de fide (ut vidimus ex Trid.) missam utiliter offerri pro defunctis, id non potest fieri nisi ex opere operato, id est ex promissione Christi, quae utique habetur in verbis illis [16]: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (in textu graeco legitur *effunditur*) *in remissionem peccatorum.* Confirmatur ex verbis formae qua ordinantur presbyteri: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.*

Rogabis 2. an missa *de requiem* prosit defunctis magis quam missa de sanctis. Respondet s. Th. [17] dicens: *Ex parte sacrificii oblati aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae, sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit missam, vel eius qui iubet dici, vel iterum per intercessionem sancti, cuius suffragium in missa imploratur.*

311. De effectibus sacrificii missae.

(1) Ex c. 2. de sent. excomm. (2) N. 33.
(3) Tr. 5. c. 2. p. 2. n. 14. (4) Ibid. n. 19.
(5) Disp. 19. n. 187. (6) N. 34. (7) Ibid. n. 13.
(8) D. n. 173. (9) Ib. n. 19. (10) Suppl. q. 73. a. 9.
(11) Sess. 22. c. 2. (12) Can. 3.
(13) Tr. 5. c. 2. p. 3. n. 24. (14) D. 79. s. 10.
(15) Loc. cit. (16) Matth. 26. 28.
(17) Suppl. qu. 73. art. 9. ad 5.

1. Effectus est remissio peccatorum circa quam quaeritur an hoc sacrificium remittat peccata mortalia per se immediate in homine attrito, instar sacramenti poenitentiae. Affirmat Cassalius [1], sed oppositum est tenendum, nempe missam non habere virtutem remittendi mortalia per se immediate, sed solum impetrandi auxilium ad poenitentiam, qua remittantur, ut communiter docent Bellarm. [2] Tourn. [3] Suar. [4] Holzm. [5] Ronc. [6] Conc. [7] ac Salm. [8] cum Nav. Caiet. Azor. Pal. et aliis passim; ex d. Th. [9] qui ait quod missa *peccata mortalia delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis impetrat*. Et probatur ex Tridentino [10] ubi dicitur: *Huius* (sacrificii) *oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit*. Ergo Deus intuitu huius sacrificii immediate placatur, et deinde movetur ad poenitentiae donum concedendum, per quam immediate delentur peccata. Confirmatur ratione, quia sacrificium missae offertur a Christo summo sacerdote, qui nunc non potest satisfacere, cum non sit viator, et ideo nequit mereri, sed tantum ipse impetrat nobis gratias interpellans pro nobis. Idemque dicendum de culpis venialibus cum s. Th. [11] ac Holzm. Ronc. Conc. Suar. Con. Laym. Pal. Vasq. et Salm. [12] contra Canum et Valent., qui volunt venialia remitti per se virtute sacrificii. Quia, cum venialia sint quaedam maculae animae, propria voluntate contractae, non tolluntur sine pia animi actione, quae venialibus illis repugnet.

2. Effectus huius sacrificii est per se immediate remittere poenas peccatorum hominibus iustis, pro quibus offertur; ita communiter Suar. [13] Pal. [14] Concina [15] Wigandt [16] et Salmantic. [17] cum Gonet Conin. P. Navarr. Layman Gabr. etc. ex d. Thoma [18], qui ait quod hoc sacramentum, *in quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam*. Et patet ex Tridentino [19], ubi habetur: *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari*. Alia autem via defuncti iuvari non possunt, quam immediata poenarum remissione.

3. Effectus est augmentum gratiae, circa quod quaeritur an sacrificium missae de se ex opere operato conferat hoc augmentum. Affirmant Leand. Card. et Manch. Sed negandum cum Suar. [20] Pal. [21] et Salmant. [22], qui citant Vasq. Lugo Hurt. Bonac. et alios communiter, quia de hoc nullibi fundamentum habetur. Verius ergo dicendum per missam impetrari auxilia ad perficiendos actus, quibus gratia accrescit.

4. Effectus est impetratio bonorum spiritualium, et etiam temporalium, quatenus ista animae prosint, ex Trident. [23]. Vide Salm. [24].

312. « Principalis fructus missae ex opere operato est independens a probitate sacerdotis, a quo pro omnibus seu vivis seu defunctis, etiam accepto stipendio, applicabilis est, estque actu tam intensive quam extensive finitus: etsi enim hostia ipsa et principalis offerens, id est Christus, infinite sit Deo gratus, atque ita Deus per hoc sacrificium infinito honore afficiatur; videtur tamen Christi esse voluntas ut offeratur et prosit tantum ad certum et finitum effectum. Quod etiam patet ex usu et sensu ecclesiae, dum missae pro eadem re repetuntur: quod signum est, non habere infinitum effectum. V. Bon. [25].

Notandum 1. alium esse valorem, alium fructum missae. *Valor* est efficacia illa quam habet missa ex dignitate offerentis et rei oblatae ad conferenda bona offerenti, et iis pro quibus offertur. *Fructus* autem sunt bona

(1) L. 2. de sacr. miss. (2) L. 2. de miss. c. 4. (3) Prael. theol. de sacrif. a. 5. (4) D. 79. s. 3. et 4. (5) N. 350. (6) C. 1. q. 3. (7) P. 428. n. 3. (8) Tr. 5. c. 3. p. 1. n. 3. (9) 4. d. 12. q. 2. a. 2. (10) Sess. 22. c. 2. (11) Loc. cit. qu. 1. ad 1. (12) Ibid. n. 8. (13) D. 79. s. 6 (14) P. 6. n. 7. (15) P. 429. n. 11. (16) Tr. 12. n. 81. r. 4. (17) Ibid. n. 11. (18) 3. p. q. 79. art. 5. (19) Sess. 25. c. 1. (20) D. 79. sect. 4. (21) P. 6. n. 5. (22) Tr. 5. c. 3. p. 1. n. 13. (23) Sess. 22. c. 2. (24) Ibid. n. 15. (25) D. 4. q. ult. p. 4.

ipsa quae intuitu sacrificii Deus confert. Unde valor a fructu differt, velut causa ab effectu.

Notandum 2. Fructum missae distingui ex triplici capite: distinguitur enim 1. ex parte causae, id est ex opere operato et opere operantis. Fructus *ex opere operato* est ille qui confertur intuitu meritorum Christi et eius promissionis: fructus vero *ex opere operantis* est ille qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis. Distinguitur 2. ex parte rei, in meritorium, satisfactorium et impetratorium, iuxta dicta *n. praeced.* 311. Distinguitur 3. in generalem, specialem et specialissimum. Fructus *generalis* obtingit omnibus fidelibus vivis et defunctis. *Specialis* (ab aliis dictus *medius* vel *ministerialis*) obtingit tam eis pro quibus applicatur, quam assistentibus et concurrentibus ministrando paramenta, luminaria, hostias etc. *Specialissimus* demum obtingit soli sacerdoti.

Hic autem magna occurrit quaestio valde inter dd. controversa, an sacrificium missae infinitum habeat valorem. Duplex adest sententia:

Prima dicit habere valorem actu tam intensive quam extensive finitum, ita ut pluribus applicatum minus prosit singulis, quam si uni tantum applicetur. Ita cum Bus. ut supra, tenent Scotus [1] s. Bonav. [2] Ronc.[3], item Pal. Rich. Mai. Barb. Covarr. et Fag. ap. Salm. [4]. Idemque expresse docet Sotus [5] qui ait: *Intentioni* (sacerdotis) *quia est de essentia sacrificii, etiam ex opere operato respondet certus et taxatus gradus satisfactionis, et ideo quanto in plures illud distribuerit, tanto minus singulis obvenit.* Diversa autem auctores huius sententiae ratione utuntur: alii, quia valor missae non sumitur ex re oblata, sed ex ipsa oblatione, sive ex actione sacerdotis offerentis, quae certe non potest esse infiniti valoris; dicunt enim in sacrificio missae Christum non esse proprie offerentem, sed tantum remote, quatenus illud per sacerdotes offerendum instituit. Sed haec ratio communiter reiicitur, et merito, tum quia, sicut sacrificium oblatum a sacerdote malo, non perinde ab eius malitia inquinatur, ut docet Trid.[6], ita neque ab offerente limitato limitationem recipit; tum quia certum est quod in hoc sacrificio Christus est simul victima et principalis offerens, ut patet ex conc. later. IV. [7] ubi dictum fuit: *In ecclesia Christus Iesus et sacerdos et sacrificium est.* Et clarius ex Trid. [8] ubi habetur: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Alii vero hac ratione utuntur; quia, licet missa in se et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, tamen quoad effectum, hic est limitatus ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut ex opere operato (independenter ab hominum dispositione) determinatum produceret effectum, sive satisfactionis gradum, quamvis ex opere operantis possit crescere iuxta maiorem devotionem offerentis, vel eius pro quo offertur. Et huic sententiae videtur favere d. Th. [9] qui ait: *Quamvis virtus Christi, quae continetur sub sacramento eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur.* Hinc s. doctor [10] infert minus esse probabilem opinionem asserentem quod suffragia pro uno facta non magis ei prosint quam aliis qui magis digni sunt, sic dicens: *Si ergo suffragium pro multis factum tantum valeret singulis, ac si pro uno tantum fieret, videtur quod ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter missa vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum.* Ratio huius sententiae probatur ex prohibitione ecclesiae, quae vetat ne pluribus missam petentibus uno sacrificio satisfiat. Hinc sacerdos qui a pluribus stipendia ac-

(1) Quodl. 20. n. 20. (2) 4. dist. 55. a. 3. q. 3. (3) C. 7. q. 7. r. 2. (4) Tr. 5. c. 3. p. 3. dub. unic. n. 58. (5) 4. dist. 13. q. 2. a. 1.

(6) Sess. 22. c. 1. (7) Can. 3. (8) D. sess. 22. c. 2 (9) 4. dist. 45. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. (10) Dict. art. 4. q. 2. v. Sed contra.

cepit, nequit unicam missam pro illis offerre, quod utique facere posset, si missa aeque omnibus ac uni prodesset: sed hoc fuit proscriptum ab Alex. VII. in propos. 10. quae dicebat: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.*

Secunda sententia vero a recentioribus hodie communissime recepta docet, valorem missae esse intensive et extensive infinitum quoad sufficientiam, ratione infinitae dignitatis Christi, qui in hoc sacrificio est victima et principalis offerens. Dicitur *intensive infinitum*, quatenus potest causare fructum maiorem et minorem, iuxta mensuram dispositionis hominis. *Extensive* autem, quatenus potest infinitos effectus producere, et iuvare ita uni soli ac infinitis hominibus. Et ratio est, quia (ut docet Trid.) missae sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, cum crucis sacrificio quod fuit infiniti valoris. Quoad effectum vero, dicitur hoc sacrificium esse finitum, non iam ex sua institutione, nempe, ut ait prima sententia, quia fuit a Christo in eo determinatus certus gradus satisfactionis, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque uberiorem percipit fructum iuxta suam et offerentis dispositionem; pariter ac etiam fuit sacrificium crucis, quod esto in genere satisfactionis fuerit infiniti valoris, nullum tamen actu effectum in nobis infinitum operatur, cum se habeat per modum causae universalis supernaturalis quae operatur iuxta subiectorum dispositionem: prout operantur etiam sacramenta, quae, licet infinitam virtutem habeant, actu tamen limitate operantur. Unde iuxta hanc sententiam missa aeque prodest singulis pluribus applicata, ac si uni applicetur. Ita tenent Gonet [1] Habert [2] Iuenin. [3] Petr. [4] Pignat. [5] Tourn. [6] et eius Cont. [7] Conc. [8] Holz. [9] Wigandt [10] Bonac. [11] Croix [12] cum Suar. Vasq. Sylv. et Salm. [13] cum Cano Cai. Nav. et aliis plurimis. Et pro hac sententia clare est etiam d. Th. [14] qui sic ait: *Quamvis haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria pro illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.* Nec sibi contradicit s. doctor in locis supra citatis; nam ubi dicit missam habere effectum determinatum, sane intelligi debet de determinatione non ex parte Christi, sed subiecti iuxta mensuram suae dispositionis. Ubi autem dicit quod missa pluribus applicata, minus prodest singulis; non quidem loquitur de missa uti sacrificio, sed uti suffragio ab ecclesia instituto, quod effectum certe finitum habet, et ideo quo pluribus illud applicatur, eo minus singulis iuvat; certum enim est quod preces missae ab ecclesia institutae magis prosunt alicui, si singulariter ei, quam si pluribus a sacerdote applicentur, ut patet ex conc. constantiensi, ubi damnatus fuit hic articulus Wiclefi: *Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales caeteris paribus.*

Nec obstat 1. prohibitio ecclesiae accipiendi plura stipendia pro una missa. Nam respondetur 1. quod stipendium non datur ut pretium fructus missae, sed pro sustentatione ministri, ut diximus *de simonia l.* 3. *n.* 55. Unde semper ac minister suam habet sustentationem, deficit titulus quo aliud stipendium possit accipere. Respondetur 2. quod, cum sententia opposita non sit improbabilis, non potest sacerdos pro stipendio certo incertum missae fructum applicare.

Neque obstat 2. quod si haec sententia valeret, frustra ecclesia missas multiplicaret; nam respondetur (ut diximus), quod fructus sacrificii non percipitur iuxta suum proprium valorem,

(1) Man. t. 6. p. 556. (2) T. 5. p. 671. (3) T. 7. p. 575. concl. 4. (4) T. 3. p. 512. q. 8. (5) Propitiatorio l. 4. q. 11. (6) Praelect. theol. de sacrif. missae art. 6. (7) Hic c. 6. (8) T. 8. p. 527. n. 5. (9) T. 2. p. 74. n. 320. (10) Tr. 12. n. 78. (11) P. 4. n. 3. (12) L. 6. p. 2. n. 42. (13) Tr. 5. c. 3. p. 5. dub unic. n. 40. (14) 3. p. q. 79. a. 5.

sed iuxta dispositionem illius cui applicatur, et ex hoc evenit quod quo pluries pro uno repetuntur sacrificia, eo pluries fructus participatur.

Haec secunda sententia speculative loquendo, videtur probabilior; at quia contraria adhuc est probabilis, non licet quidem sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare missam pro illo in generali cum aliis; nisi saltem sub conditione, nempe modo ille non defraudetur.

Notandum hic quod sacrificium missae, in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur a malo sacerdote, quam a bono, cum valor missae sit ex opere operato pendens a meritis Christi: in quantum autem pertinet ad fructum precum, quae in missa dicuntur, ipsae etiam valent factae a sacerdote peccatore, quatenus hic orat nomine ecclesiae, quia ecclesia semper est Deo grata; secus quatenus orat nomine proprio. Ita s. Th. [1]. Hinc dixit Alexander papa [2]: *Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus clamant exaudiuntur.* Censet autem d. Thom. [3] quod si celebrans est excommunicatus, *quia est ab ecclesiae unitate separatus, orationes eius efficaciam non habent.* Et hoc puto verius dicendum, loquendo de excommunicato vitando, cum Ronc. [4] Spor. [5] et Laym. [6] contra Holzm. [7] et Croix [8] cum Soto Gabr. Dic. etc. Probabiliter vero dicit Laym. cum Avila et communi, secus esse de excommunicato tolerato, quia ecclesia permittendo quod fideles postulent missas ab eo, consequenter etiam permittit ut omnino ipsae fructuosae sint postulantibus. *Vide n.* 309.

313. « 1. Sacerdotes ordinarie peccant graviter, si non aliquoties in anno, saltem ter vel quater solemnioribus festis celebrent, nisi legitime sint impediti. Ita Sylv. Reg. Suar. Con. et alii comm. contra Ang. Bon. Dian. [9], item card. de Lugo et Tamb.[10] qui excusant saltem a mortali, dummodo communicent in paschate, absitque contemptus et scandalum: imo, ubi Trid. est receptum, tenentur ex mandato episcopi sub gravi culpa celebrare saltem dominicis et festis; excusantur tamen si episcopi nullum mandatum extet.»

Dubitatur hic 1. An sacerdotes teneantur sub culpa gravi aliquando celebrare.

Prima sententia communior, quam tenent d. Th.[11] Suar.[12] Laym.[13] Bon.[14] Iuenin.[15] Holz.[16] Cont. Tourn.[17] Elb.[18] Habert [19] Conc. [20] et Pal. [21] cum Vasq. Navar. Valent. Azor. etc. docet, teneri tam ex praecepto divino quam ecclesiastico. Divinum praeceptum probatur 1. ex illo apostoli [22]: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Prob. 2. ex verbis Christi [23]: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quae verba declarat Trident.[24] continere verum praeceptum, dicens: *Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba, Hoc facite etc.* Praeceptum autem ecclesiasticum probatur 1. ex *c. Dolentes* 9. *de celebrat. miss* ubi Innoc. III. sic dixit: *Dolentes referimus quod non solum quidam minores clerici, verum aliqui ecclesiarum praelati, circa comessationes superfluas fere medietatem noctis expendunt.... Sunt et alii qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno, et quod deterius est interesse contemnunt: et si quando, dum haec celebrantur, intersunt, intendunt exterius collocutionibus laicorum etc. Haec igitur et similia sub poena suspensionis penitus inhibemus, districte praecipientes in virtute obedientiae, ut officium nocturnum pariter et diurnum studiose celebrent pariter et devote.* Ra-

(1) 3. p. q. 82. a. 6. (2) Can. 91. causa 1. q. 1.
(3) Loc. cit. a. 7. ad 3. (4) C. 1. q. 3. r. 2.
(5) P. 153. n. 322. (6) De sacr. miss. c. 1. n. 12.
(7) P. 75. n. 324. (8) Lib. 6. p. 2. n. 49.
(9) P. 2. t. 14. r. 19. (10) L. 1. exped. com. c. 6.
(11) 3. p. q. 82. a. 10. (12) D. 80. sect. 1.
(13) L. 3. tr. 5. c. 3. n. 1. (14) P. 7. n. 1.
(15) T. 7. p. 377. (16) P. 78. n. 538.
(17) Hic c. 9. a. 2. s. 1. (18) P. 125. n. 195.
(19) T. 5. p. 634. q. 9. (20) T. 8. p. 496. n. 1
(21) P. 12. n. 2. (22) Hebr. 5. 1.
(23) Luc. 22. 19. (24) Sess. 22. c. 1.

tio autem huius sententiae quam affert d. Th. est: *Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud* [1]: Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur.* Hinc referunt Pal. [2] et Cont. Tourn. [3] opinionem Caietani [4] sentientem non peccare graviter sacerdotes, qui numquam celebrant, iussu s. Pii v. expunctam fuisse ex eius commentario.

Secunda sententia vero, quam tenent s. Bonav. [5] et Caiet. [6], item Alensis et Victoria apud Pal. [7] ac probabilem putant Suar. Pal. et Laym. dicit, secluso scandalo, sacerdotem praecise ex sua ordinatione non teneri ad celebrandum; et huic valde adhaeret Lug. [8] dicens rationes primae sententiae nequaquam convincere. Ratio huius secundae sententiae est quia non constat de praecepto; non de divino, nam praeceptum illud, *Hoc facite* etc., non est datum singulis sacerdotibus, sed ipsorum communitati, nempe ut curent ne in ecclesia Dei desit oblatio huius sacrificii. In textu autem apostoli: *Omnis namque pontifex*, exprimitur tantum potestas quam singuli sacerdotes habent sacrificandi, non autem obligatio. Ad praeceptum vero suppositum in *c. Dolentes* respondet Lug. 1. quod poena suspensionis respicit solummodo colloquentes in choro. 2. Quod poena illa non inducit peccatum grave, cum non sit latae, sed ferendae sententiae. 3. Quod ibi textus circa missarum celebrationem loquitur tantum de praelatis ecclesiarum. Ad rationem autem d. Thomae responderi posset ex ea non inferri praeceptum, sed tantum consilium, iuxta verbum apostoli, *exhortamur*. Et deo plures ex huius sententiae auctoribus non eximunt sacerdotem, numquam celebrantem in anno, saltem a culpa venali propter bonum quo privat se et ecclesiam; eximunt vero a mortali. Dicit autem Pal. [9] s. Pium expunxisse opinionem Caiet. non ut falsam, sed ut minus probabilem et contrariam sententiae d. Thomae.

His tamen non obstantibus, ego cum Salmant. [10] primae sententiae, ut longe communiori et tutiori, me subscribo: tanto magis quia ipse Lug. [11] ait sacerdotem negligentem celebrare in anno hodie non posse excusari a peccato gravi ratione scandali, quia hoc esset signum malae conscientiae. Imo Suar. [12] hoc merito sentit etiam de sacerdote non celebrante per diuturnum tempus, puta per sex vel octo menses, ut dicunt Pal. [13] et Salm. [14]. Ex quo tandem concluditur, sententiam oppositam, saltem propter scandalum, vix esse practice probabilem.

Dubitat. 2. Quoties in anno teneatur sub gravi quisque sacerdos celebrare. In hoc dd. valde discrepant. D. Th. [15] sic ait: *Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur quod celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt.* Haec autem praecipua festa, explicat Sotus apud Bened. [16] intelligi de nativ. Domini, paschate et pentecoste, in quibus ait olim fideles consuevisse communicare. Sed Iuenin. [17] his addit festa ascensionis, corporis Christi, nativitatis b. Virginis Mariae, annuntiationis, purificationis et assumptionis. Imo Merbes. [18] et Hab. [19] sentiunt obligari ad celebrandum singulis dominicis et festis praesertim solemnioribus. Et idem sentit p. Conc. [20] dicens: *Qua lege tenentur fideles interesse sacrificio, eadem sacerdotes tenentur offerre.* Id colligunt ex Trid. [21] ubi habetur: *Curet episcopus, ut sacerdotes sal-*

(1) 2. Cor. 6. 1. (2) P. 12. n. 1. (3) Loc. cit. v. Confirmatur iterum. (4) In cit. loc. d. Thom. (5) D. 12. p. 2. a. 2. q. 1. (6) L. c. (7) 2. (8) D. 20. n. 2. (9) N. 2. (10) Tr. 5. n. 45. (11) N. 13. (12) Loc. cit. (13) N. 3. (14) Ibid. n. 4a. (15) Dict. q. 82. art. 10. (16) T. 9. l. 5. c. 1. (17) T. 7. p. 378. (18) P. 3. q. 21. (19) P. 685. q. 10. (21) Sess. 25. de ref. c. 14

tem diebus dominicis et festis solemnibus missas celebrent. Cont. Tourn.[1] sic ait: *Gravis peccati suspectos esse tot sacerdotes qui semel in anno celebrant.* Alii tandem cum sententia longe communiori sentiunt sacerdotes non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, in festis solemnioribus; ita Bus. *ub supra* et Nav.[2] Laym.[3] cum Soto Rich. Palud. Sylv. et Val. ac Elbel[4] cum Soto Gob. et Anacl. Imo Suar.[5] Lugo[6] Bonac.[7] et Holzm.[8] dicunt sufficere si celebrent ter vel quater in anno quibuslibet diebus; et non immerito id probabile putant Salm.[9] cum Soto Tol. Vasq. Azor. Henr. Gavanto Hurt. etc., modo servetur debita distantia, prout dictum est in fine primi dubii. Et haec sententia est conformis decreto s. c. concilii edito mense novemb. 1696. (apud Monacell.[10]) ubi dictum fuit: *Qui sine iusta causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab episcopo puniri.*

Dicunt tamen Salm.[11] cum Tamb. et Garzia, quod sacerdotes religiosi tenentur saltem singulis mensibus celebrare; quia omnes religiosi sive moniales, ut praecipitur in Clem. 1. *Ne in agro*, §. *sane, de statu monach.* (et idem dicitur de monialibus in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 10. *de regul.*), tenentur singulis mensibus confiteri, et prima dominica mensis communicare, nisi abstineant ex iudicio praelati vel confessarii. Sed ex hoc textu video induci obligationem tantum communicandi semel in mense, non autem celebrandi. Praeterquam quod non improbabiliter docet Suar.[12] haec decreta non exprimere clare praeceptum, sed dumtaxat consilium, dum ibi tantum dicitur: *Accedant ad confessionem et communicent.* Unde Trid. (*l. c.* ubi in margine notatur praefata Clementina) sic ait: *Attendant diligenter episcopi, et caeteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur* (nota) *sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam eucharistiam suscipiant.* Unde concludit Suarez: *Nisi speciale votum intercedat, aut nisi ex instituto religionis constet constitutiones obligare sub mortali, nulla talis est rigorosa obligatio.*

Parochus autem, dicit Habert[13] teneri celebrare non quotidie, sed saepius quam dominicis et festis. Sed communiter et verius dicunt alii teneri ad celebrandum tantum diebus festis, in quibus tenentur parochiani missam audire; cum hae obligationes sint correlativae: in quibus enim diebus tenetur populus missam audire, tenetur parochus illam celebrare. Nav.[14] Bon.[15] Azor.[16] Barb.[17] cum Graff. Homob. Molf. Vill. Diana Fag. Philib. Marchin. etc. ex conc. trid.[18] ubi dicitur: *Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent.* Satis igitur munus suum implent, si sacrificant quoties populus missam audire debet. Et huius sententiae est etiam Bened. XIV.[19].

Quoad autem episcopos, dicit Hab.[20] eos non decere ullam diem transigere sine missa, remota rationabili causa: sed advertendum quod textus non loquitur absolute de celebratione, sed vel de celebratione vel de auditione missae.

314. « 2. Etsi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus (ubi est competens sacerdotum numerus) quotidie debeat una saltem missa privata celebrari et altera cantari, peccentque mortaliter dictarum ecclesiarum rectores si in hoc deficiant, Suar. Con. Laym. March. etc., non esse tamen mortale (praescindendo a peculiari obligatione talis ecclesiae) semel vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet Tambur.[21], uti neque si in ecclesiis collegiatis die festo cadente in feriam privilegiatam, v. gr. vigiliae,

(1) C. 9. a. 2. sect. 1. v. Ex his. (2) Man. c. 25. n. 82. (3) C. 3. n. 1. (4) P. 125. n. 195. (5) D. 80. s. 1. (6) D. 20. n. 15. (7) P. 7. n. 2. (8) P. 79. n. 343. (9) Tr. 5. c. 5. p. 4. n. 44. (10) P. 1. tit. 5. form. 9. n. 15.

(12) 3. p. t. 3. d. 70. s. 2. v. Dico 1. (13) Loc. cit. (14) Man. c. 25. n. 153. (15) P. 7. n. 3. (16) L. 10. c. 24. q. 2. et 3. (17) In Trident. sect. 25. c. 14. (18) Loc. cit. (19) Loc. cit. c. 3. (20) Ib. ex c. ult. de privil. in [illegible] (21) L. 1. c. 6.

quatuor temporum, quadragesimae vel rogationum, missa solemnis de feria post nonam canenda semel omittatur: ex Abbat. March. etc. (Circa missam conventualem, vide sancita a nostro p. Benedict. XIV. *n.* 326.).

» 3. Peccat graviter qui tenetur pro alio offerre missam, fructum tamen principalem applicat aliis, quia id aliis est fraudi in re gravi.

315. » 4. Graviter peccat 1. qui ad sacrum ex iustitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. Sylv. Reg.[1] Fernand. etc., multoque magis, si plane omittit; teneturque hoc casu ad stipendii restitutionem. Tamb.[2]. 2. Si quis accipiat plura stipendia, quibus nonnisi post longum tempus possit satisfacere. Ratio eadem est. Sylv. Reg. Fernand.[3]. 3. Qui sacrum animo se obligandi promisit et non praestat. Bon.[4] etsi probabile sit, hoc non esse mortale, ut habet Sanchez[5]. V. Diana[6] qui citat Cai. Vasq. Hurt. etc. affirmantes quod, qui pluribus missam gratis promisit, possit unica satisfacere: quod tamen alii communiter negant.»

316. Quoad stipendium missae, refert hic breviter aliqua praenotare sapienter tradita ab eruditissimo nostro pontifice Bened. XIV. in suis operibus *de Synodo*, *de Missa etc.* Olim fideles sacerdotibus offerebant panem et vinum pro sacrificiis, e quibus quod supererat, in usum cedebat ipsorum sacerdotum et clericorum. Deinde permissum fuit offerri etiam oleum, spicas, uvas et similia. Demum permissum etiam offerri pecunias, quae prius non applicabantur sacerdotibus, sed mittebantur in arcam, distribuendae in sustentationem ministrorum et pauperum; sed successu temporis traditae sunt ipsis sacerdotibus ut pro offerentibus missas applicarent. Quod alias merito approbavit ecclesia, contra wiclefistas qui id improbant; nam, ut docet d. Th.[7]: *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis eucharistiae, hoc enim simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis.* Et hoc est iuxta illud apostoli[8]: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

Sed quamvis res ita se habeat, hinc tamen erupit avaritia sacerdotum, qui propter hoc lucrum pluries in die celebrabant: propterea id prohibuit Innoc. III.[9]. Sed huic prohibitioni alia successit nequitia; etenim sacerdotes in eadem missa tot hostias consecrabant, quot erant eleemosynam offerentes. Alii vero missam diei legebant ter vel quater, usque ad offertorium, deinde tot secretas iterabant, quot orationes legerant, et tandem sub uno canone missam perficiebant, tot repetitis collectis in fine, quot initio recitaverant: et sic pro numero repetitionum accipiebant stipendia; vocabanturque hae missae *bifaciatae et trifaciatae.* Sed ipsae adhuc fuerunt eliminatae. Postea alii plures errores in medium irrepserunt, qui ab Alex. VII. fuerunt proscripti in propos. 8. 9. et 10. quas referemus *n.* 318. et 321.

317. Quaer. 1. An sacerdotes divites possint pro missis stipendia accipere. Negant Cai.[10] Sylv. et Graf. ap. Esc.[11], quia stipendium traditur in sustentationem celebrantium; divites autem iam habent unde alantur. Sed communiter et recte affirmant Suar.[12] Lugo[13] Conc.[14] Cont. Tourn.[15] cum Gers. et Thomassin. Salm.[16] Pal.[17] et Escob.[18] cum Nav. Soto Con. Bon. et aliis passim; et favet d. Thomas[19]. Ratio, tum quia hodie id permittitur a consuetudine universalis ecclesiae, tum quia quisque operarius (sive dives sive pauper) dignus est mercede sua, et ut inquit apostolus: *Quis suis stipendiis militat umquam*[20]? *Vide dicta l.* 3. *n.* 55.

(1) L. 23. n. 236. (2) De exped. sacrif. l. 3. c. 1. §. 8. (3) P. 3. c. 5. (4) D. 4. q. ult. p. 8. (5) De matr. l. 1. dub. 5. (6) T. 3. mis. r. 9. item p. 4. t. 4. r. 196. et p. 6. t. 6. r. 6. et p. 5. t. 14. r. 81. (7) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. (8) 1. Cor. 9. 13.

(9) In c. Consuluisti de celeb. miss. (10) 2. 2. q. 100. a. 2. (11) L. 21. n. 590. (12) D. 36. s. 3. (13) D. 21. n. 13. (14) T. 8. p. 461. n. 4. (15) C. 9. a. 2. s. 4. (16) Tr. 5. c. 5. p. 1. n. 2. (17) P. 14. n. 3. (18) Loc. cit. n. 592. (19) Quodlib. 7. a. 10. (20) 1. Cor. 9. 7.

qu. 5. Utrum autem sit simonia celebrare principaliter ob stipendium. Probabilius negatur. *Vide dicta ib. qu.* 6.

Quaer. 2. Quomodo peccet sacerdos, differendo celebrare missas accepto stipendio. Utique graviter peccat, si diu differt, ut habetur in decretis s. c. conc. editis die 21. iun. 1625. ex auctoritate Urbani VIII. illi specialiter attributa, et ab Innoc. XII. in sua bulla quae incipit *Nuper etc.* confirmatis. Omnia haec in extensum affert p. La Croix [1]. Et signanter [2] affert decretum, ubi sic sancitum fuit: *Eleemosynas manuales et quotidianas ita demum sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant.* Sed cum inde quaesitum fuisset, an qui non satisfecerint oneribus susceptis, possint nova onera suscipere eadem sacra congregatio auctoritate eiusdem Urbani (vide ap. eumdem Croix[3]) declaravit, decretum non intelligi absolute, sed sacerdotes *posse nova onera suscipere, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

Sed hic dubium fit, quantum temporis spatium intelligatur per illud *modicum temporis.* Certum est 1. peccare sacerdotem, si petitam missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, evadendo periculo, lite vincenda etc., ille omittat celebrare intra tempus celebrationi aptum. Ratio quia (ut bene ait Lugo [4]) circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitae; unde, transacto eo tempore, merito aiunt Ronc. [5] et Cont. Tourn. [6] quod sacerdos tenetur stipendium restituere, etiamsi postea celebraverit. Imo recte addit Sporer non sufficere, si stipendium restituatur, sed monendum esse insuper eam qui stipendium dedit, de missis tempore apto omissis. Certum est 2. quod si quis tibi det eleemosynam ut celebres pro ipso in festivitate hodierna, peccas si postea sacrum facias; quamvis admittat Lugo [7] posse illud facere die crastina. Certum est 3. te non peccare differendo, si dans eleemosynam, audito impedimento, consentiat in dilationem, ut explicavit s. c. l. c. in responso ad 12.

Praecisis autem his casibus, laxe dixit Peyrinus [8] modicam esse dilationem trium annorum, vel sex mensium, ut censuit Arriaga. Necnon nimiam puto dilationem trium mensium, quidquid dicant Pasqual.[9] Renzi [10] et Tambur.[11] qui male citat pro hac opinione Lugon. [12] cum Led. et Vill.; nam Lugo approbat doctrinam praefatorum aa. dicentium spatium tantum duorum mensium esse modicum; et sic etiam sentiunt Garzia Philib. Ripa Cerbulus etc. ap. Salm.[13] idque colligunt ex *c. Praesentium, caus.* 7. *qu.* 1. ubi pastor, absens a sua ecclesia per duos menses, non dicitur suae ecclesiae defuisse, et ex Trid. [14] ubi spatium duorum mensium modicum reputatur. Istae paritates mihi non satisfaciunt: nihilominus probabile videtur id quod dicit Lugo [15] nempe nequaquam peccare sacerdotem qui dicit missam promissam infra duos menses, et hanc sententiam approbat etiam Cont. Tourn. [16], asseritque esse communem, sic dicens: *Potest quis missarum stipendia ad menses duos acceptare, prout cum communi diximus antea de oratione.* Unde rationabiliter putat Conc. [17] dilationem duorum mensium non esse modicam, ex declaratione s. c. eiusdem concilii edita 17. iulii 1655. quam refert Bened. XIV.[18], ubi imo dictum fuit, *modicum tempus non reputandum spatium duorum vel trium mensium, sed intelligi infra mensem.* In missis autem pro defunctis dilationem unius mensis merito gravem reputant Salm.[19] Pal.[20] Esc.[21] et ab hac sententia non dissentiunt Sporer Ronc. Cont. Tourn. et Croix [22] dum dicunt missas pro defunctis celebrandas citius quam pro vivis.

(1) L. 6. p. 2. n. 63. (2) N. 68. (3) N. 98. (4) D. 20. n. 45. (5) C. 6. q. 10. r. 2. (6) L. c. (7) D. n. 45. (8) In declar. const. 9. Urb. VIII. (9) Q. 965. (10) C. 4. q. 50. (11) Meth. celebr. miss. c. 1. §. 9. n. 4. (12) D. 21. n. 54. (13) Tr. 5. c. 5. p. 3. n. 57. (14) Sess. 25. c. 1. de ref. (15) N. 45. (16) Ibid. (17) T. 8. p. 469. n. 24 (18) Notif. 56. n. 14. (19) L. c. (20) P. 15. n. 21 (21) L. 21. n. 161. (22) Loc. cit.

Advertit autem Cont. Tourn. [1] quod, cum missae traduntur celebrandae alicui communitati plurium sacerdotum, tunc praesumitur, qui dat eleemosynam pro multis missis, velle citius eas celebrari. Hoc tamen non intelligendum, quod omnes sacerdotes illius communitatis debeant se occupare in satisfaciendis huiusmodi missis, sed quod non debeant tamdiu differre, quamdiu oporteret si missae illae uni committerentur. Hinc dico tunc posse totum numerum distribui in singulos communitatis, vel saltem in maiorem eius partem, si illa numerosior sit: et hac distributione facta, tota communitas poterit intra tantum temporis satisfacere, quantum concederetur unicuique communitatis pro sua rata satisfacienda. Bene enim ait Holz. [2] quod has numerosas missas committentes facile praevidere possunt, quod communitas alias habeat obligationes.

Quaeritur 3. An sacerdos omittens celebrare missam peccet graviter, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pal. [3] Spor. [4] Elbel [5] Renzius [6] et Salm. [7] cum Henriq. Pell. Sanctio Fagund. etc. Ratio, tum quia gravitas materiae hic non est pensanda ex fructu spirituali missae, alias omittens quamlibet orationem promissam graviter peccaret, sed ex damno illato, quod in hoc casu per se non censetur grave, cum illud levi stipendio redimi possit; tum quia huiusmodi damnum spirituale non videtur grave in aestimatione hominum, cum ex omissione unius sacri promissi non reputentur homines gravem iniuriam pati.

Secunda sententia vero probabilior affirmat, et hanc tenent Holz. [8] Croix [9] cum Aversa Roncag. [10] cum Passer. et P. Nav. Steph. ac Bon. apud Salm. [11]. Ratio quia gravitas materiae probabilius hic est mensuranda non in ordine ad stipendium, sed ad fructum missae quo privatur eleemosynam tradens, cui ex huiusmodi privatione certe grave damnum infertur. Prout si v. gr. dato exiguo stipendio tu fossorem conduceres, ut tibi aditum aperiat ad aquam pluviam in tuum agrum inducendam, non levis damni causa tibi erit, si operam suam ponere negligat. Nec valet dicere quod tale damnum levi stipendio redimi potest; nam redimi utique posset, si alter qui stipem tradidit certior fieret de omissione missae; alias, si manet inscius, certe non poterit damnum illud redimere. Quod autem tale damnum in aestimatione hominum leve reputetur, hoc non satis probatur; interim de se grave est.

Quaeritur 4. An autem peccet graviter omittens dicere unicam missam gratis promissam. Affirmant Concina [12] Navarr. Ledes. et Bonac. apud Renz. [13] ob eamdem rationem, ut supra, quia per talem omissionem grave damnum spirituale promissario infertur. Sed probabiliter negant Croix [14] Elbel [15] Ronc. [16] Sanch. [17] Diana [18] Spor. [19] cum Cai. Mol. et Suar. ac Renz. [20] cum Fag. Portell. ac Pell. Ratio est, vel quia simplex promissio non obligat sub gravi, ut hic dicunt Elbel et Spor. iuxta sententiam allatam *l.* 3. *n.* 720. quam tenent Cai. Bann. Salm. et Lugo [21], saltem ut ait Lugo, nisi promittens expresse sub gravi se obliget. Vel quia, ut aiunt Sanch. Ronc. Busemb. Croix et Elbel, promittens unam missam non censetur gravem obligationem sibi imponere. Omnes autem conveniunt peccare graviter, qui omittit missam debitam ex voto, aut praecepto praelati: quia nemo dubitare potest hanc esse materiam gravem in voto vel praecepto; vide Salm. [22].

318. « 5. Si quis det iustum stipendium (id a consuetudine vel lege taxatum esse debet, aut si non est, secundum Sot. Caiet. est frugalis victus

(1) L. c. (2) P. 39. n. 183. (3) P. 24. n. 2. (4) T. 3. p. 142. n. 333. (5) P. 132. n. 217. (6) L. 1. c. 4. q. 40. (7) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 39. (8) P. 83. n. 566. (9) L. 6. part. 2. n. 154. (10) C. 6. q. 10. n. 1. (11) L. c. (12) P. 463. n. 9. (13) C. 4. q. 40. (14) L. 3. p. 2. n. 776. (15) P. 132. n. 218. (16) Loc. c. (17) De matr. l. 1. d. 6. n. 25. (18) P. 2. tract. 17. r. 9. (19) P. 142. n. 332. (20) L. c. (21) De contr. d. 25. n. 39. (22) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 39.

unius diei, quod Suarez Laym. et alii reprobant, putantque sufficere mediam vel tertiam partem sustentationis diei), ut pro se dicatur missa, non potest secundum accipi ab alio, et pro duobus una tantum missa dici. Card. Lugo [1]. Secus, si ambo dimidium tantum iusti darent, uti contra Vasq. Regin. et alios probabiliter docent Sot. Henr. Filliuc. Con. card. de Lugo [2] quod tamen iam est prohibitum per bullam Urbani VIII. Vide Bon. Diana [3].

Hic autem ante omnia advertendae sunt duae propositiones damnatae ab Alex. VII. *Prima n.* 8. dicebat: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani* VIII. Ratio damnationis est, quia applicatio fructus specialissimi valde incerta est; nam licet Filliuc. [4] et alii plures (ut ait Croix [5] qui id probabile putat cum Aversa et Sporer [6] dicunt valde probabiliter posse applicari fructum specialissimum; attamen id negant Laym. [7] Lugo [8] Tamb. [9] item Suar. Vasq. Turr. et alii apud Spor. [10], quia sicut ex institutione Christi fructus generalis non potest alteri applicari, ita neque hic specialissimus. *Secunda* propositio damnata *n.* 10. dicebat: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, iuramento promissione etiam firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

319. Circa taxam autem iusti stipendii communiter dicunt dd. (Vide Suar. [11] Viva [12] Croix [13] et Salm. [14] ex decreto s. c.) stipendium iustum missae non esse quidem victum unius diei, ut dixerunt Sotus et Cai.: nam sacerdos praeter actionem sacrificandi potest in reliquo diei se occupare in concionando, docendo, et similibus exercitiis licitis, ut lucretur integram sustentationem, sed esse illud quod taxatum est ab episcopo, vel a consuetudine, vel saltem a viro prudenti, si deest taxa a consuetudine vel ab episcopo facta. Ita Suarez [15] Conc. [16] Tamb. [17] et Bon. [18] cum Coninch. Fill. Reg. et communi, ex declaratione s. c. conc. (ap. Bened. XIV. [19]) edita die 15. novemb. 1698. ubi dictum fuit, *attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem, quatenus adsit: sin minus, statuendam esse per episcopum eleemosynam competentem eius arbitrio.*

320. Dubitatur hic 1. An regulares teneantur stare taxae episcopi sub gravi obligatione. Negat Navar. ap. Tambur. [20]. Sed omnino affirmandum, ut dicunt Conc. [21] Viva [22] cum Vasq. Molina et aliis communiter, ex decreto s. c. conc. sub die 15. ian. 1639., quo sic sancitum fuit: *Eleemosynam pro qualibet missa, per regulares celebranda in eorum ecclesiis, esse taxandam arbitrio ordinarii iuxta morem regionis.* Ita ap. eumdem Bened. XIV. [23].

Dubitat. 2. an episcopus possit prohibere ne detur eleemosyna pinguior taxa. Certum est 1. quod lex episcopi vel consuetudo taxans stipendium non prohibet quominus fideles possint dare maius, et sacerdotes recipere minus, si velint, ut docent communiter Suar. Vasq. Barb. etc. cum Salm. [24]. Certum est 2. non posse sacerdotes tale stipendium excedens exigere, quia hoc magna pareret scandala. Ita etiam communiter Suar. [25] et Bonac. [26] cum Corduba Reg. et aliis. Caeterum episcopus id non potest prohibere, si eleemosyna sponte offeratur, ut docent Lugo [27] Suar. [28] Less. [29] et Bon. [30] cum Reg. Poss. etc.; ita decisum fuit a s. c. concilii die 16. ian. 1649. (ap. Benedictum XIV. [31]) contra episcopum pistoriensem,

(1) D. 19. n. 259. (2) L. c. (3) Tr. 14. res. 7. (4) Tr. 15. c. 6. n. 151. (5) L. 6. p. 2. n. 50. (6) P. 255. n. 255. (7) C. 2. n. 18. (8) D. 21. n. 53. (9) §. 3. n. 68. (10) N. 365. (11) D. 36. s. 2. (12) Q. 5. art. ult. n. 2. (13) L. 6. p. 2. n. 126. (14) Tr. 5. p. 1. n. 4. (15) L. c. (16) T. 3. p. 460. n. 2. (17) Meth. l. 3. c. 1. §. 1. n. 2. (18) P. 8. n. 3. (19) Notif. 56. n. 10. (20) L. c. (21) P. 461. n. 5. (22) Loc. cit. n. 5. (23) L. c. (24) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 5. (25) D. 36. sect. 2. (26) Loc. cit. n. 9. (27) Resp. mor. l. 5. dub. 18 (28) L. c. (29) L. 2. c. 4. n. 37. (30) N. 11. (31) Dict. notif. 56. n. 11.

qui promulgaverat edictum hoc prohibens, sed s. c. respondit: *Prohiberi non posse, ideoque moderandum decretum.*

Dubitat. 3. an episcopus possit prohibere ne sacerdotes accipiant stipendium minus iusto (nota quod inferius stipendium in Italia est argenteum, sive carolenus in nostro regno): negant Sotus [1] Nav. [2] d. Thom. [3]. Sed probabilius affirmant Suar. [4] Ronc. [5] Bon. [6] cum Regin. Card. etc. ac Bened. XIV. [7] ex declaratione s. c. concilii die 16. iulii 1689. ubi dictum fuit bene posse episcopum prohibere, et imponere poenam celebrantibus pro minori quantitate taxae. Ratio quia alias quodammodo vilesceret missae sacrificium. Quapropter casu quo episcopus id prohibet, omnino sacerdotes tenentur ei obedire: certum enim est subditos teneri obedire superiori praecipienti cum opinione probabili, ut diximus *l. 4. n.* 47. Opinio autem nostra non solum est probabilis, sed etiam probabilior auctoritate et ratione. Quid autem, si ex hac prohibitione sacerdos grave pateretur incommodum? *vide dicta l. c. v. Limitant.*

Casu autem quo sacerdos iam acceptarit exiguum stipendium pro missis celebrandis ab uno vel a pluribus (quidquid dicat Bus. ut supra cum Soto Coninch. Lugo etc.), non potest numerum missarum minuere, nec unam missam applicare pro duobus, qui singuli dimidium dederint stipendium, prout sancivit Innocentius XII. in bulla cit. incipiente, *Nuper etc.* (Vide ap. Croix[8]), ubi confirmavit decretum s. c. concilii editum iussu Urbani VIII., quo sic fuerat statutum: *Pro pluribus missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab una sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferantur in futurum sacerdotibus et clericis, s. c. sub obtestatione divini iudicii mandat, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint.* Hoc tamen sane intelligendum, quando sacerdos scienter acceptavit pro tali stipendio tot missas celebrare; secus si ignoranter, ut recte dicunt Cont. Tourn. [9] et Roncag. [10] cum Laym. Barb. et Passer. Sacerdos autem qui promisit haeredi quam cito celebrare missas pro testatore defuncto, credito stipendio in posterum solvendo, tenetur quidem celebrare ante stipendii solutionem, ut fidem servet, prout bene aiunt Salm.[11] cum Tap. Vill. etc.

Dubitat. 4. an licitum sit pacisci de missarum stipendio. Negat absolute p. Conc.[12] eo quod canones prohibent omnia pacta et conventiones circa stipendium missae [13]. Affirmant vero communiter Less.[14] Pal.[15] Sanch.[16] Ronc.[17] cum Layman et Gutt. ac Salm. [18] cum Mald. Sanch. Soto Villal. Ledesm. etc. Et hoc probabile videtur, si pactum sit de iusto stipendio secundum taxam vel consuetudinem, prout diximus *l.* 3. *n.* 55. Ratio quia, licet stipendium non detur ut pretium missae, attamen cum tribuatur ex iustitia pro sustentatione sacerdotis, ut docet d. Th. *supra n.* 316. nihil obstat quod possit in pactum deduci. Neque obstant canones citati, eo quod ipsi vel usu abrogati fuerint, ut dicunt Less. et Sanch., vel quia intelligi debent de pactis illicitis, ut melius ait Ronc. cum Glossa [19] qui dicit: *In spiritualibus omnis pactio illicita cessare debet.* Et haec sola pacta circa celebrationem missarum reprobantur a Trid.[20] ubi sancitur quod episcopi *importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, prohibeant.* Ergo (bene ait Lugo[21] loquens de hoc textu concilii) non postulationes iustae, sed exactiones illiberales et importunae (scilicet excedentes) prohibentur, quae utique avaritiam sapiunt. Caeterum in huiusmodi pactionibus, quantum fieri potest, scandala caveri debent.

(1) De iust. l. 9. q. 6. a. 1. ad 2. (2) C. 23. n. 106. (3) 2. 2. q. 102. a. 3. (4) L. c. (5) C. 6. q. 1. r. 3. (6) N. 9. (7) D. not. 56. n. 11. (8) L. 6. p. 2. n. 64. (9) C. 6. a. 2. sect. 4. qu. 4. (10) C. 6. q. 4. r. 2. (11) De contr. c. 5. p. 11. n. 157. (12) T. 8. p. 102. n. 6. (13) Ex c. fin. de pactis, c. Si nos de simonia. (14) L. 2. c. 35. n. 48. (15) De simonia p. 9. n. 1. (16) Cons. L. 2. c. 3. d. 11. n. 8. (17) De sim. c. 2. q. 2. p. 208. (18) De sim. c. 5 p. 3. n. 22. (19) In dict. c. fin. de pactis, v. Cessare. (20) Sess. 22. de observ. in celebr. miss. (21) Resp. mor. l. 5. d. 18. n. 7.

Dubitatur 5. Quomodo taxandum sit stipendium missarum quas reliquit testator. Si testator taxaverit, tribuendum est iuxta taxam; sin autem, recte censet Ronc. [1] taxandum esse ab episcopo iuxta morem loci, ut declaravit s. c. concilii ad 5. (Vide apud Croix [2] habita ratione, ut ait Ronc., haereditatis pinguis vel tenuis.

321. « 6. Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret, aut fieri curet, per se loquendo, potest curare missam per alium bonum sacerdotem dici, minus dando, quam accepit.

» Dixi 1. *Per se;* quia Urban. VIII. ob speciem turpis quaestus id fieri vetuit.

» Dixi 2. *Bonum;* quia, si per malum curet, perditur fructus, qui est ex opere operantis. Vide card. de Lugo [3].»

In decreto s. c. conc. approbato ab Urb. VIII. et confirmato ab Innoc. XII. (Vide apud Croix [4]) sic sancitum fuit: *Omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Post hoc decretum aliqui etiam contendebant licitum esse retinere partem eleemosynae, celebratione alteri commissa, asserentes non fuisse hoc decretum acceptatum. Ideoque praefatus Alex. VII. proscripsit prop. 9. quae dicebat: *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Hinc noster ss. p. Bened. XIV. in sua epistola encyclica emanata die 30. iunii 1741. quae incipit, *Quanta cura,* (vide in fine operis) ut metu poenae facilius ab huiusmodi turpi quaestu fideles amoveret praecepit ordinariis, ut per edictum notum facerent, *quemcumque* (verba sunt epistolae) *qui.... stipendia maioris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retenta sibi parte.... eorumdem stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero, sive quemcumque sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu romanum pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.*

Ab hac tamen prohibitione excipiunt 1. Ronc. [5] cum Passer. Tamb. [6] Salm. [7] cum Dicast. et Diana, item Pasqual. ac Mendo apud Croix [8] (et probabile putat Viva [9]), casum quo aliquis daret maiorem illam stipem, non tam intuitu missae quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis etc.; potest enim tunc sacerdos excessum retinere, committendo alteri missae celebrationem. Hoc vero non admittit Croix [10] cum Stephano; nisi dans eleemosynam hunc suum specialem affectum verbis expresserit: sed haec limitatio superflua videtur, si ex circumstantiis moraliter constet eleemosynam praestitam fuisse intuitu personae.

Excipiunt 2. Cont. Tourn. [11] Ronc. [12] Viva [13] et Tamb. [14] casum quo sacerdos cui committitur celebratio, liberaliter et omnino sponte tibi condonet excessum illum; tunc enim licite posses retinere; sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem. Verumtamen hoc minime admittendum, si tu indices maius pretium acceptum, et sacerdotem roges ut remittat: vel ab eo quaeras an consentiat ut tu partem retineas; tunc enim nequis eam retinere, etiamsi ille annuat; nam hoc in praefata bulla Bened. XIV. asseritur tanquam execrabilis abusus vetitus a pluribus pontificibus, qui *decretum voluerunt* (verba bullae) *nimirum a quolibet sacerdote, stipendio maioris pretii pro celebratione missae accepto, non posse*

(1) Q. 2. (2) N. 43. (3) L. c. (4) N. 66. (5) C. 6. q. 8. r. 2. v. Secundo. (6) Meth. miss. l. 3. c. 1. §. 5. n. 13. (7) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 15. (8) Lib. 6. p. 2. n. 133.

(9) In d. prop. 9. damn. ab Alex. VII. n. 8. (10) L. c. (11) De sacrif. c. 9. a. 2. sect. 4. v. Quaer. 7. (12) Loc. cit. v. Haec. (13) Loc. cit. n. 7. (14) §. 5. n. 14.

alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti et consentienti (nota) *se maioris pretii eleemosynam accepisse indicasset.*

Excipitur 3. beneficiarius, qui bene potest committere alteri sacerdoti celebrationem missae debitam pro beneficio, tradito stipendio congruo iuxta morem loci, sine eo quod tradat totam ratam fructuum correspondentem celebrationi illius diei. Ita communiter Croix [1] Ronc. [2] Viva [3] Suar. [4] Pal. [5] et Salm. [6] cum Sa Vasq. Laym. Bonac. et aliis. Et patet ex decreto s. c. approbato ab Innoc. XII. in sua bulla *Nuper*, (ut diximus) ubi dictum fuit, decretum Urbani *non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud tautum fuerit.* Vide apud Croix [7].

Idem licet capellano amovibili, ut dicunt Viva [8] Ronc. Lugo [9] Holz. [10] cum aliis passim; et die 15. martii 1745. confirmatum fuit a s. c. conc. per decretum quod egomet observavi, ubi dictum fuit id licere, *modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo capellano assignati; secus vero, si huiusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna.* Idem licet illi cui commissa est celebratio missae perpetuae, ut dicunt Viva [11] Croix [12] cum Gob. et Pasq. Et idem dicunt Tamb. [13] cum Riccio et Ronc. [14] cum Passerin. Ant. de Spir. s. et aliis, de sacerdote cui commissa est celebratio ex pingui legato ad vitam ipsi relicto cum onere missarum. Ratio omnium horum est, quia decreta prohibentia retinere partem stipendii, tantum loquuntur de missis manualibus.

Hic autem bene advertunt Croix [15] Pasq. [16] et Conc. [17] quod si tradatur eleemosyna pinguior sacerdoti singularis pietatis fama praedito, is nec etiam tradito eodem stipendio poterit alteri committere missam, nisi similis probitatis habeatur, vel nisi aliqua causa excuset. Hoc tamen ait Conc. non videri esse mortale, quia maior devotionis fervor tanti communiter non est, ut variatio celebrantis gravem inducat culpam; sed melius dicit Croix, id quidem non facile damnandum de mortali, sed aliquando bene posse accidere, aliquem graviter ferre, quod missa per alium celebretur, et tunc erit mortale.

322. Dubitatur 1. an qui retinet partem stipendii, iuxta propositionem damnatam, *ut supra*, non solum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar. [18] Pal. [19] et Bonac. [20] cum Sa Nav. Vasq. Fill. Possev. Rodr. Reg. et aliis, eamque probabilitate non carere dicit Viva [21]. Ratio quia accipiens stipendium iam acquirit illius dominium; et licet acquirat cum onere dicendi missam, huic tamen bene per alium iam satisfacit.

Secunda sententia vero tenenda, quam prius docuerunt Diana [22] et Esc. [23] cum Maior. Arag. Led. etc., et post propositionem damnatam recentiores communiter tenent ut Vidal. [24] Corel. [25] Croix [26] Spor. [27] Conc. [28] Holzm. [29] Cont. Tour. [30] Mazzotta [31] hancque ad minus probabiliorem putat Viva [32] contra Bordon. Ratio 1. deducitur ex ipsa propositione damnata: cum enim ipsa dicebat posse sacerdotem per alium satisfacere, parte stipendii sibi retenta, sequitur veram esse propositionem contradictoriam, nempe quod non possit satisfacere; satisfactio autem non solum respicit honestatem actus, sed etiam iustitiam; qui ergo non satisfacit obligationi iustitiae, tenetur ad restitutionem. Ratio 2. quae fortius urget, est,

(1) L. 4. n. 320. (2) C. 6. q. 8. r. 2.
(3) In dict. prop. 9. n. 9. (4) D. 36. sect. 3.
(5) P. 14. n. 9. (6) Tr. 5. c. 3. p. 2. n. 15.
(7) N. 96. (8) N. 9. (9) D. 21. n. 30.
(10) P. 83. n. 365. v. Dixi. (11) N. 9. (12) N. 131.
(13) N. 10. (14) D. q. 8. v. Tertio. (15) N. 132.
(16) Q. 976. (17) P. 466. n. 15. (18) D. 33. s. 3.
(19) P. 14. n. 9. (20) D. 4. q. ult. p. 8. n. 13
(21) In d. prop. 9. n. 6. (22) P. 2. tr. 14. r. 10
(23) Lib. 21. n. 621. (24) In dict. prop. 9.
(25) Ibid. n. 64. (26) L. 6. p. 2. n. 135
(27) P. 146. n. 569. (28) T. 8. p. 474. n. 10
(29) P. 82. n. 365. (30) Ibid.
(31) Tr. 4. d. 2. q. 1. §. 3. (32) Loc. c.

quia, tametsi sacerdos eleemosynam accipiens acquirat eius dominium, illud tamen non aliter acquirit, nisi iuxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, non solum ut missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio; cum enim pinguem tradit stipem, ea intentione dat, ut uberiorem fructum ex missa celebranda percipiat; ergo qui, tradito minori stipendio, per alium celebrare facit, peccat contra iustitiam, non quia defraudat fructu missae dantem eleemosynam; fructum enim iam hic percipit ex sua ante habita pia dispositione; sed quia non exequitur dantis intentionem, qua vult ut illa missa, unde percipit fructum, tali stipendio celebretur, et quia huiusmodi intentio intrat in substantiam contractus, ideo, si sacerdos partem stipendii retinet, iniuste contra dantis voluntatem retinet.

Cui autem eo casu fieri debeat restitutio? Croix[1] cum Pasqual. dicit posse fieri vel danti eleemosynam, vel sacerdoti celebranti: sed communius et probabilius censent Cont. Tourn. Holzm. et Spor.[2] restitutionem faciendam esse celebranti, quia, translato in eum onere, etiam ius ad integrum stipendium iuxta voluntatem domini transfertur.

Dubitatur 2. An procurator vel executor testamenti, faciens celebrare alibi missas sibi commissas, ubi minor est taxa, possit excessum sibi retinere. Affirmat Tamb.[3] quia excessus ille erit fructus suae industriae. Sed merito hoc communiter reprobant Conc.[4] Viva[5] Renzi[6] Diana[7] Ronc.[8] cum Passer. Ratio, tum quia talis procurator turpem faceret quaestum ex eleemosynis; tum quia nullum is titulum habet, quo lucrum illud sibi retineat, cum nunquam dominium illarum eleemosynarum acquisierit.

Dubitatur 3. an sacerdos colligens eleemosynas pro celebrandis missis, possit aliquid retinere pro suo labore, si missae non tradantur ipsi ut ab ipso celebrentur. Negat Conc.[9] dicitque hoc vetitum esse a bulla Benedicti XIV. ex verbis supra citatis *num.* 321. *v. in Decreto.* Affirmat tamen Viva[10] si talis sacerdos moderatam retineat mercedem iuxta rationem sui laboris. Idque non videtur improbabile, si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur; tunc enim huiusmodi merces ei debetur ex naturali aequitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium. Pontifex autem censetur tantum eos damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex eis turpem faciant quaestum, nempe colligendo stipendia praescripta in uno loco, et alibi missas curando celebrari, ubi eleemosynae sunt minoris pretii, quam illic ubi excipiuntur.

Dubitatur 4. an sacerdos, cui hodie offeruntur tres iulii ut celebret, possit procurare ut alius celebret pro ipso, promittens die crastina celebrare pro illo qui pro sua crastina missa accepit unum iulium. Affirmant Croix[11] et Mazzotta[12], quia hoc non esset retinere partem pretii, quod pontifex damnavit, sed tantum permutare missas et dies. Recte vero negat Conc.[13], quia hoc non posset excusari a specie turpis mercimonii; merito tamen id non audet damnare de peccato gravi: et an paupertas possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentum iudicio.

Dubitatur 5. an administratores ecclesiarum ex eleemosynis datis propter missas possint aliquid retinere pro expensis altarium, inservientium, luminum etc. S. c. concilii in decreto confirmato ab Innoc. XII. ad *n.* 7. (vide apud Croix[14]) sic respondit: *Permittendum non esse ut loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum in missarum celebratione, nisi alios non habeant reditus; et tunc nullatenus debere excedere valorem expensa-*

(1) Loc. c. (2) Loc. c. (3) De meth. missae l. 3. c. 1. §. 3. n. 15. (4) T. 3. p. 464. n. 12. (5) In propos. 9 damn. ab Alexand. VII. n. 3. (6) C. 4. n. 45. (7) P. 10. tr. 16. r. 68. (8) C. 6. q. 3. r. 2. v. Nullatenus. (9) P. 465. n. 15. (10) Loc. sup. cit. (11) L. 6. p. 2. n. 154. (12) Tr. 4. d. 2. q. 1. (13) P. 466. n. 16. (14) L. 6. p. 2. n. 95.

rum quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae. Et hic adverte aliud decretum eiusdem s. c. editum die 6. iulii 1726. (ut habetur apud Bened. XIV. [1]) ubi statutum fuit: *Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii sive capellaniae. Quoad missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari, nec teneri ad has missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.*

323. » 7. Beneficiati, etiam curati, ad missas obligati, possunt pro iis accipere stipendium, et applicare cui volunt; quia non semper habent obligationem applicandi ob certam intentionem; nisi tamen contrarium constet, ut de missa conventuali docet Bonac. Ita c. de Lugo [2] et Suar. Vasquez etc. contra Gavant. Barb. et Diana qui negant de parocho: refertque Diana [3] determinasse congregationem card., quod ei non licet pro missa accipere eleemosynam manualem, quando tenetur celebrare; de missa tamen conventuali, contra Bon. etc. ipse affirmat [4] ex aliis tribus.

324. Quaeritur 1. An qui alicubi tenetur celebrare sine expressa obligatione applicandi missas, possit aliud stipendium recipere. Respondetur: Si in fundatione beneficii vel capellaniae expressum sit non esse obligationem applicandi pro fundatore, certe poterit aliud stipendium accipere, prout habetur ex decreto s. c. concilii edito die 13. iulii 1630. (apud Bened. XIV. [5]) ubi sic dictum fuit: *Quando in fundatione beneficii seu capellae expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unica missa satisfacere obligationi beneficii seu capellae, et item danti novum stipendium.* Et huic simile decretum affert Merati [6] editum 13. febr. 1630. Secus vero dicendum, contra Bussemb. et alios, ut supra, si in fundatione nihil fuerit expressum; ut habetur ex decreto eiusdem s. c. approbato ab Innoc. XII. (apud Croix [7]) ubi dicitur: *Sacerdotes quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligatione satisfacere.* Et (quidquid respondeat Lugo [8]) decretum hoc clarius explicatum fuit alio decreto ab eadem s. c. die 18. martii anno 1686. (ap. Bened. XIV. [9]) ubi decisum fuit teneri celebrantem applicare pro anima testatoris, semper ac in fundatione nulla sit adiecta declaratio, ad cuius suffragium applicandum sit sacrificium. Et idem declaratum fuit ab eadem s. c. 6. feb. 1627. (vide apud eumdem Bened. [10]) de capellanis *confraternitatum et monialium, qui celebrant, ut confratres vel moniales satisfaciant praecepto audiendi missam.*

Hic autem notandum aliud decretum eiusdem s. c. emanatum 7. iulii 1686. (vide apud Pittonum [11]) ubi dictum fuit quod capellani et beneficiati celebrantes pro capellaniae seu beneficii fundatore, non tenentur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum, sine eorum culpa. Et novissime hoc idem confirmatum fuit die 8. augusti 1705. ap. eumdem Pitton.

Fit dubium, an circa onera missarum et conditiones in fundatione appositas possit dari praescriptio. Affirmant Laym. [12] cum Nav. item Tamb. [13] et ap. Croix [14] Pelliz. Hurt. Pasq. et Gobat. cum rota rom. ut testatur Tuschus. Ratio quia praescriptio legitima vale contra qualecumque ius; nec exceptio reperitur in iure, quod circa onera missarum non detur praescriptio. Ex his autem auctoribus alii ut Tambur. etc requirunt, ad praescribenda praefata onera, spatium 20. annorum cum titu

(1) Notif. 56 n. 13. (2) D. 81. s. 1. n. 21.
(3) P. 4. t. 4 r. 232. (4) P. 5. t. 13.
(5) Notif. 56. n 8. (6) P 3 tit. 12. n 4.
(7) N. 92 ad 4 (8) D. 21 n. 12 (9) L. 2. n. 9.
(10) N. 8. (11) Constit. pro paroch. n. 1697.
(12) L. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.
(13) Meth. miss. l. 3. c. 7. §. 1. n. 1.
(14) L. 4. n. 852.

lo, et 30. sine titulo. Alii vero ut Pasqual. Tuschus etc. apud Croix, dicunt requiri 40. annos, cum agatur contra bona ecclesiae, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 510. Sed quidquid sit de hoc, verius videtur nullo modo posse praescribi onera missarum et conditiones a fundatoribus requisitae, tum quia (ut ait Corradus [1]) primaeva fundatio maiorem habet vim, quam consuetudo; tum quia in beneficiariis difficulter praesumi potest bona fides, cum ipsi facile praesumantur ex fundatione cognovisse leges beneficii; tum denique (et haec ratio est potior), quia in Trid. sic sancitum fuit: *Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur.* Ergo qualitatibus requisitis ex fundatione, et oneribus iniunctis, sive in collatione, sive in quacumque alia pia dispositione, statuit concilium numquam derogari posse. Accedit bulla Pii IV. quam confirmat Trid., irritat quidquid contra illud factum fuerit; clausula autem decreti irritantis ligat etiam ignorantes, et in casis beneficialibus inficit titulum et possessionem, ut dicit Croix [3] cum Gar. Nicol. et aliis comm. Accedit bulla Innoc. XIII. *Apostolici ministerii* (ampliata a Bened. XIII. per totum orbem ia bulla, *In supremo*), ubi dicitur quidquaecumque praescriptio etiam centenaria et immemorabilis non dat contra ea quae in conc. Trid. praescripta sunt.

Quaerit. 2. Quibus diebus teneatur parochus applicare missam pro populo. Ante sanctionem ss. pp. Bened. XIV. de qua mox infra demus *n.* 325. olim plures adfuerunt sententiae.

Prima sententia dixit teneri quotidie, si reditus sint pingues; vero tenues, teneri tantum diebus festis. Ita Ronc.[4] et probat ex pluribus decretis s. c. id decernentibus; et hoc etiamsi parochus non habeat congruam; nec satisfieri ait Ronc. cum Passer. si applicetur pro populo missa conventualis, cum haec sit applicanda absolute pro benefactoribus, ex *cap. Cum Creatura de celebrat. miss.*, cum Pignatell.

Secunda sententia vero dixit 1. nullum esse dubium, quod aliquoties in anno teneatur parochus iure divino celebrare pro populo, ut Salmant. [5] cum Laym. Barbos. Con. et communiter; et infertur ex Trid.[6] ubi: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre etc.* Dixit 2. e converso non teneri parochum de se quotidie pro populo missam applicare: nam sic teneretur quotidie celebrare, quod nullibi praeceptum est. Ita Salm. [7] cum Suar. Vasq. Barb. Bon. etc. Immo, praeciso pacto, consuetudine, aut synodo in contrarium, dicunt Nav. Suar. Barb. et alii cum Salm. [8], nec omnibus diebus festis teneri pro populo celebrare, sed tantum aliquoties in anno, arbitrio prudentum, ut Salm. [9] vel in praecipuis festis Domini, et diebus dominicis, aut saltem semel in hebdomada, ut Bonac.

Tertia sententia dixit quod ex vi parochiae non tenetur parochus applicare fructum missae specialiter pro ovibus. Ita Pal.[10] cum Nav. Suar. Vasq. Coninch. Nal., etc. item Lug. Regin. Steph. et Gob. apud Croix, qui probabilem putat [11]. Ratio istorum, quia officium curati est pascere oves verbo, exemplo, sacramentorum administratione, et sacrificii dispensatione; hoc autem dixerunt fieri, si illud generali tantum applicatione pro omnibus fidelibus, et praecipue interessentibus applicatur, et ita censuerunt intelligendum esse Tridentinum. Hinc intulerunt pro omnibus illis missis posse quotidie parochum accipere stipendium, nisi tamen ex fundatione aut consuetudine, vel praelati praecepto

(1) L. 2. c. 10. n. 90. (2) s. 25. de ref. c. 5. (3) L. 4. n. 657. (4) De sacr. missae c. 2. q. 8. (5) De sacrif. missae c. 5. p. 2 50. (6) Sess. 23. c. 1. de ref. (7) Ibid. n. 51. (8) Ibid. n. 52. (9) Ibid. n. 53. (10) Tr. 22. disp. un. p. 15. n. 7. (11) L. 3. part. 5. n. 762.

alias tencatur pro populo sacrificare

325. Verum hodie ex epistola encyclica ss. nostri pontificis Bened. XIV. edita die 19. augusti 1744. quae incipit *Cum semper* sancitum habemus, omnes parochos teneri applicare missam pro populo, saltem in diebus festis, etiamsi congruam non habeant, his verbis: *Ista mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam .... regulares ... aeque teneantur missam parochialem* (omnibus diebus festis ut infra) *applicare pro populo ipsorum curae commisso.*

Et quia alii allegabant non habere congruos reditus, alii dicebant contrariam alicubi esse consuetudinem: *Nos autem* (sic praescribit et loquitur pontifex) *ad praecedentes praedictae congregationis concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus quod, licet parochi seu alii, ut supra ..., congruis reditibus destituantur, quamvis immemorabili consuetudine in eorum parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

Et quamvis (additur) *alias a congregatione concilii responsum fuerit parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere etc., tamen cum nobis perspectae sint controversiae supra hoc ipso exortae; idcirco opportunum censemus declarare nobis abunde satis esse posse, dum ii qui animarum curam exercent, sacrificium missae pro populo celebrent, atque applicent in dominicis, aliisque per annum diebus festis de praecepto.*

(1) Nemo non novit, haud multo abhinc tempore plures reverendissimos dd. episcopos ex Belgio et Gallia a s. sede petiisse, an obligatio incumberet parochis aliisque curam animarum habentibus applicandi missam pro populo etiam festis indulto 9. aprilis 1802. a Pio . suppressis aut translatis; ac s. congregationem Concilii affirmative respondisse dictisque episcopis facultatem impertitam esse absolvendi singulos parochos super omnibus omissionibus iniuncta unicae celebratione unius missae

Item declarat ibi pontifex hoc valere etiam pro iis locis et diebus in quibus populus missae interesse debet, at aliunde servilibus operibus vacare potest [1]. Proinde casu quo aliquis parochus sit adeo pauper, ut vivere cogatur ex eleemosynis missarum, facultatem concedit episcopis cum eo dispensandi, ut ipse possit etiam diebus festis missan applicare pro eleemosynam offerenibus, modo intra eamdem hebdomadan missas omissas pro populo applicet. Et quoad oeconomos qui deputanur ad curam animarum, vacante ecclesia parochiali, tribuit episcopis facutatem assignandi illis congruam portonem ex fructibus parochiae pro oere celebrandi pro populo diebus festis, licet ipsi fructus ad cameram apstolicam partineant, et quamvis potio iam eis sit assignata, iuxta constit. s. Pii v., sed non sit sufficiens.

326. Deinc decrevit pontifex sua apostolica auoritate, *ut missa conventualis quae ingulis diebus canitur a clero praediarum ecclesiarum pro earumdem benfactoribus quotidie applicetur, respiendo benefactores in genere cuiuslibet ecosiae.* Et hoc, quavis consuetudine nc obstante. Nisi autem alicubi adsit msuetudo applicandi pro benefactoribu ecclesiae primam et etiam secundar missam conventualem, declarat nonsse obligationem applicandi secundn, modo in *Memento* secundae missapro defunctis fiat ipsorum commenratio.

In fine auta huius bullae loquitur pontifex de digatione canonicorum canendi aut pllendi in choro, alias restituendi frtus praebendarum et distributionun si tantum assistant et non psallant a canant; quo improbabiles reddidit ôniones oppositas. *Vide de hoc dicta l., n.* 675. *v. Dub.* 3.

Postquam aem haec notavi, alia insurrexit quatiô. quam apud nul-

um auctorem usque adhuc discussam neque inditam inveni, scilicet an parochus infirmus (sive episcopus · nam quod dicitur de parocho, fortius dicendum est de episcopo), si non possit celebrare pro populo per seipsum, teneatur celebrare per alium; plures doctos super hoc dubio consului: alii negarunt dicentes hanc obligationem celebrandi pro populo includi in obligatione orandi pro populo, quam habet parochus; at cum obligatio haec orandi sit mere personalis, sicut parochus impeditus orare pro populo non tenetur per alium orare, ita impeditus celebrare nec tenetur celebrare per alium. Sed ego cum aliis oppositum censeo omnino tenendum. Ratio, quia parochus non solum tenetur celebrare pro populo, sed etiam missam populo applicare, ut idem papa Benedictus declaravit an. 1744. in eadem bulla, *Cum semper*. Idque procedit iuxta effata s. Pauli[1]: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Et deinde idem confirmat dicens: *Et propter ea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Obligatio autem pastoris orandi pro populo est equidem personalis, sed obligatio applicandi populo fructum missae simul est personalis (quia si potest celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium)[2], et etiam realis, cum sit una ex obligationibus muneri pastoris annexis, prout dictum fuit in concilio tridentino[3], ubi mandatum fuit sacerdotibus curam animarum habentibus missas celebrare *tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant.* Onus autem hoc offerendi missas pro populo est ex praecepto divino, ut idem concilium expressit[4] dicens: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione etc.* Illud autem praeceptum divinum habetur apud Ioannem[5]: *Pasce oves meas.* Sicut igitur tenetur pastor suas oves pascere praedicatione, sacramentorum administratione, correptione etc., sic etiam tenetur pascere applicando eis fructum sacrificii; quapropter sicut pastor impeditus praedicare, vel sacramenta administrare tenetur praedicare et administrare sacramenta per alium: ita impeditus applicare per seipsum populo missam, tenetur per alium applicare sacrificii fructum, quod est pasculum utilius quo populum iuvare potest.

Si autem parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in dominicis et festis de praecepto missam celebrare, et applicare pro populo; tanto magis ad id tenentur episcopi, tamquam principaliores animarum pastores. Non autem ad hoc tenentur quotidie, quidquid dicatur in *cap. Quoniam, de privileg. in* 6.; nam eodem *cap.* dicitur quod divina celebratio missae vel auditio (quoad episcopos) est tantum de decentia, non vero de obligatione. *Quoniam* (verba textus) *episcopi, eorumque superiores, se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec possunt semper commode ad ecclesias accedere pro missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eas transire non decet* (nota *non decet*) *absque causa rationabili ullam diem: praesenti constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare ac facere celebrare, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina.*

327. » 8. Qui stipendium pro sacro accepit, tenetur dicere missam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc aut isto altari, prout pecuniam offerens petivit (quantum tamen rubricae permittunt, quibus neglectis, ecclesiae ordinem invertere, ob alterius devotio-

(1) Hebr. 5. 1. (2) Hoc optime confirmatur ex rescripto s. congregationis de propaganda fide, quae die 11. martii 1843. vicario apostolico Syriae-Ducis Bois-le-Duc) facultatem concessit indulgendi parochis vicariatus, ut per sacellanos missam pro populo applicare possint in casibus verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat. (3) Sess. 23. de ref. c. 14. (4) Cit. sess. 23. c. 1. (5) C. 21. v. 17.

nem, non convenit); quia ob eius devotionem et speciales orationes, maior fructus provenire solet. Si tamen aliter faciat, non erit grave; imo nullum, si fiat iusta de causa. Vide Dian.[1] Lug.[2].

328. » 9. Is qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem missae non satisfacit, sine iusta causa, voluntati fundatoris, peccat et quidem graviter, si saepe faciat, esto consentiant haeredes: cum ii in hoc voluntati testatoris non possint derogare, ut docent Sylv. Nav. Azor. etc. Episcopus tamen potest in hoc dispensare ex causa, ut habent Henr. Sylv. et Tambur. Quod si quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, ut habent Azor.[3] et Sa[4] Dian.[5] qui docet ex Navarr. Rodr. Fag. et Azor. esse mortale celebrare in alio templo vel altari, quam quis tenetur: quod negat card. de Lugo, si raro et ex causa fiat. Vide Lug.[6]. Imo nec esse veniale, si obligatus quotidie celebrare, raro et ex rationabili causa celebret alibi. Similiter Tamb.[7] excusat a mortali eum qui uno alterove die singulis mensibus alibi celebrat, nisi tamen teneatur celebrare in altari privilegiato; notatque posse sacerdotem contra hoc onus missarum, v. g. certum earum numerum praescribere annis 30. si adsit possessio, titulus et bona fides. »

329. Notandum igitur 1. circa locum celebrandi, quod si capellanus celebret in alia ecclesia, vel altari, vel hora, quam a fundatore est constitutum, peccet mortaliter. Ita communiter Lugo[8] Pal.[9] Contin. Tourn.[10] Salmantic.[11] cum Navarr. Azor. etc. modo id faciat saepius, aut sine causa, aut sine dispensatione, et modo fundator altare illud destinaverit ob gravem causam. Dixi *saepius;* nam peccabit tantum venialiter si faciat raro, puta si semel vel bis in mense; et facilius, si mutabit tantum altare et non ecclesiam. Item dixi *sine causa;* nam minime peccabit, si celebrabit alibi ex iusta causa, puta si altare sit execratum, vel quia egressus a sacristia viderit illud ab alio occupatum. Lugo[12] Salm.[13] ac Elbel[14] cum Henriq. etc. Item dixi *sine dispensatione;* nam bene potest episcopus dispensare ut celebretur in alio loco ex rationabili causa, puta ob utilitatem propriae ecclesiae, applicationem studii, infirmitatem, aut negotium, aut nimiam molestiam adeundi ecclesiam, et similia; ut dicunt cum Bus. Pal.[15] Conc.[16] Croix[17] cum Pasq. Salm.[18] cum Henr. Barb. Ant. a Sp. s. Ronc.[19] cum Passer. et Ricc. Tamb.[20] Mazzot.[21] qui vocat communem. Ratio quia in tali dispensatione voluntas testatoris tantum in accidentibus omittitur, et altiori bono compensatur; licet enim Tridentinum[22] prohibeat mutari qualitates fundationum, istas tamen voluntates testatorum episcopi interpretando, bene reducere possunt ad aequitatem; ita Mazz. et Croix[23] cum Pasq. Tanto magis quia idem concilium[24] expresse concedit praelatis in quibusdam casibus, etiam omnino commutare ultimas voluntates. Recte tamen Croix et Pasq. dicunt in nostro casu non posse dispensare episcopos, si testator designando ecclesiam vel horam in fundatione, specialiter respexerit commoditatem populi audituri missam. Praeterea dixi, *modo fundator altare illud destinaverit ob gravem causam*, puta ob memoriam, vel commodum familiae aut populi, vel ob specialem cultum sancti, et similia. Nam si nullum habuerit specialem finem, vel si causa cessaverit, nempe si familia sit extincta, vel alibi moretur, tunc sacerdos, mutando altare, tantum venialiter peccabit; et ne venialiter quidem, si celebrabit in altari privilegia-

(1) De celeb. miss. r. 29. et 31. (2) De sacram. disp. 21. num. 35. (3) T. 1. l. 10. cap. 14. (4) V. Missae. (5) Loc. cit. r. 29. (6) N. 36. (7) De exped. sacr. l. 3. c. 2. (8) De sacram. d. 21. n. 36. (9) Tract. 13. d. 1. p. 6. n. 26. (10) C. 9. art. 2. sect. 1. concl. 4.
(11) De sacrif. missae c. 5. p. 2. n. 17.

(12) Loc. cit. (13) Ibid. n. 18. et 20.
(14) De sacr. missae n. 216. (15) Loc. cit. n. 27
(16) T. 3. p. 470. n. 28. (17) L. 6. p. 2. n. 120.
(18) Ibid. n. 19. (19) De sacr. miss. c. 8. q. 6. r. 2.
(20) Meth. celebr. miss. l. 3. c. 2. §. 2. n. 1.
(21) Tr. 4. d. 2. q. 1. §. 3. (22) Sess. 25. c. 5 de ref. (23) Locc. cc. (24) Sess. 25. c. 4.

ro, quia ibi melius consulet fundatori; ita Lugo[1] et Cont. Tourn.[2]. Caeterum advertendum apud p. Ferraris[3] reperi plura decreta s. c. concilii, quibus dicitur pro huiusmodi dispensatione semper adeundam esse sedem apostolicam.

Notandum 2. quod si quis, stipendio accepto, deberet missam celebrare in altari privilegiato, et in alio celebraret, non iam teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas indulgentias applicabiles pro defunctis; ita Elbel[4] cum Anacl. et Babenst. Spor.[5] ac Ronc.[6] qui addit non esse quidem obligationem restituendi, si eleemosyna data sit ordinaria, secus vero si pinguis. Non autem satisfacit qui celebrat in alio altari non privilegiato, applicando indulgentias calculi benedicti, imaginis etc., quia hae indulgentiae non sunt tam certae quam indulgentiae altaris privilegiati, ut dicunt Salm.[7] cum Nav. Azor. Bon. Dian. et Dic. Et idem censent Lugo[8] et Salm.[9] cum aliis communiter (contra Dian. Pasq. Megal. etc.) de calculo benedicto cum indulgentia ad liberandam animam purgatorii in celebratione missae.

330. « 10. Beneficiatus ex iustitia obligatur sub mortali et poena compensationis, ad eum numerum missarum, per se, vel (prout mens fundatoris ex verbis colligenda permittit) saltem per alium (Nisi exprimatur in institutione capellaniae, quod capellanus per seipsum celebret, semper per alium celebrare potest. Sic recte docent Salm.[10] cum Dic. et Dian.[11] qui cum Campanili testatur ita declaratum a s. c. Et sic etiam fuit decisum a s. rota rom. apud Pitton.[12] qui[13] affert aliam declar. s. c. editam 17. sept. 1683.) quem numerum litterae fundationis requirunt; eum vero numerum ex iusta causa, v. gr. si reditus iam non sufficienter respondeant, potest minuere episcopus in synodo: quam potestatem Bon. restringit ad missas defunctorum, et quidem post Trid. impositas. V. Bon.[14]. »

331. Reductio missarum hodie tantum a sede apostolica, non ab episcopis fieri potest, ut patet ex decreto s. c concilii edito iussu Urbani VIII. et confirmato ab Innocent. XII. (vide apud Croix[15]) ubi sic dicitur: *Districte prohibet ne episcopi in dioecesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apostolicam sedem recurratur etc. Alioquin reductiones, moderationes et commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas et inanes decernit.* Facultas autem, ut clare explicat idem decretum (quidquid dicant Salm.[16]) data per Tridentinum[17] episcopis et aliis, tantum fuit pro reducendis missis ante concilium relictis, et non impositis in limine fundationis. E converso in ipsomet decreto Urbani (apud Croix[18]) declaratum fuit bene posse episcopos reducere missas, si testator expresse hanc ipsis dederit facultatem.

Causae autem, ex quibus sedes apostolica solet missas reducere, sunt paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio redituum monasterii, vel maiores expensae necessariae ad victum etc.; denique si urgeret necessitas fratrum, vel fabricae ecclesiae aut monasterii; ita Pal.[19] Wigandt[20] et Salm.[21] cum Azor. Philib. Barb. Lez. et aliis.

Dubitatur 1. An episcopus possit minuere missas quarum onus non est qui suscipiat ob eleemosynae tenuitatem. Affirmat Croix[22] cum Pasq. et Tamb. Sed negandum cum p. Conc. ex decre-

(1) N. 56. et 37. (2) Loc. cit. (3) Bibl. verb. Capellania, n. 14. (4) N. 210. (5) N. 137. et 355. (6) C. 6. q. 7. r. 1. et 2. (7) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 21. (8) D. 21. n. 59. (9) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 22. (10) Ibid. n. 55. (11) Part. 4. tr. 4. r. 87

(12) De paroch. n. 1171. (13) N. 1514. (14) D. 4. q. ult. p. 8. (15) L. 6. p. 2. n. 65. (16) Tr. 15. de statu rel. c. 7. p. 5. §. 8. n. 148. (17) Sess. 25. c. 4. (18) N. 89. (19) P. 15. n. 3. (20) Tract. 12. n. 80. (21) Tract. 15. p. 5. §. 8. (22) N. 119

to s. c. mox supra citato, ubi declaratur nullo modo posse episcopos onera missarum reducere vel moderari; idque expressius declaravit eadem s. c. in alio decreto, quod refert Conc. [1] iterum confirmato per aliud decretum editum die 20. iulii 1682. Sed hoc intelligendum procedere, ait Fagnan. [2] cum Fel., quando antea huiusmodi onera missarum de iure vel de facto adimpleri poterant, sed casu quo reditus a principio fuerint sufficientes, et postea ita imminuantur, ut nullo modo sufficiant ad onera ferenda, tunc dicit Fagnanus non videri sublatam episcopis facultatem quam habent de iure communi, missas moderandi, vel commutandi ex c. *Nos quidem*, *de testam.* et ex Trid. [3] ubi conceditur episcopis, ut una cum haerede vel executore possint ultimas voluntates in alium pium usum commutare.

Dubitatur 2. An possit capellanus ex se minuere numerum missarum, si deficiant reditus. Si deficiant in totum sine ipsius culpa, certum est non teneri missas celebrare, ut communiter Croix [4] Tambur. [5] Roncaglia [6] cum Pasqual. et Passer. ac Escob. [7] cum Bordon. et Aversa. Idque declaratum fuit a s. c. ut diximus *n.* 324. *in med.* Si vero reditus deficiant in parte, etiam videtur certum cum Escob. [8] posse capellanum minuere missas, casu quo testator congruam eleemosynam designaverit, v. gr. tarenum pro qualibet missa; quia tunc, sicut augendus esset numerus missarum si reditus augerentur, ita minuendus est si reditus diminuuntur. Maior difficultas est an possit capellanus minuere missas, si testator designaverit numerum missarum, et deficit stipendium adhuc ordinarium. Negant Tambur. [9] Diana [10] Mazz. [11] Pal. [12] et Salm. [13] cum Azor. Gav. Philib. Pell. et Lezana. Hi dicunt pro hac moderatione omnino recurrendum ad sedem apostolicam, tum ex decreto supra allato, ubi dictum fuit: *Pro his omnibus reducendis aut moderandis ad apostolicam sedem recurratur;* tum ex alio decreto (vide apud Croix [14]) ubi ad quaesitum: *Quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et si recurrendum sit ad sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?* sic declaratum fuit: *Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis ad quos pertinet, sedem apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet quod in Domino expedire arbitrabitur.* His tamen non obstantibus, affirmant cum Busemb. *ut supra*, Franc. de Lugo [15] Esc. [16], item Bordon. apud Croix [17] et Pasq. ac alii apud Roncag. [18] qui [19] id probabile putat. Ratio horum est quia id censetur esse iuxta mentem ipsius testatoris, qui non praesumitur voluisse gratis, aut stipe minori iusto cogere capellanum ad celebrandum, vel ad supplendum stipendium ex propriis bonis, si vellet per alium celebrare, alioquin voluntas testatoris esset iniusta, quae servari non debet. At quia in hoc facile interveniri posset periculum hallucinationis, advertit Ronc., generaliter loquendo, recurrendum esse ad iudicium episcopi (quod necessario requirunt Croix [20] et Cont. Tourn. [21], vel saltem viri docti et pii, qui non auctoritative, sed tamquam iustus arbiter numerum missarum moderetur. Ad decreta autem praefata respondet Ronc. cum Pasq. in tali casu hanc non esse proprie reductionem aut moderationem stabilem, quam sedes apostolica sibi reservat, sed esse cessationem de iure obligationis pro rata redituum deficientium; decreta enim loquuntur iuxta mentem Trident. [22] ubi sermo est

(1) L. c. (2) In c. Ex parte, de constit. n. 28.
(3) Sess. 25. c. 4. et 8. (4) Lib. 4. n. 855.
(5) Meth. miss. l. 3. c. 1. §. 2. n. 2. et §. 3. n. 89.
(6) C. 8. (7) L. 21. n. 657. (8) N. 658.
(9) L. c. n. 1, et 2. (10) P. 10. tr. 16. r. 65.
(11) Ibid. (12) T. 2. tr. 3. d. 1. p. 6. n. 95.
(13) De statu relig. c. 7. p. 5. §. 9. n. 152.
(14) N. 89. (15) L. 5. de sacr. c. 12. q. 9. n. 98
(16) Loc. cit. (17) N. 118. (18) Loc. cit.
(19) Reg. 3. in praxi. (20) L. 4. n. 855
(21) Cap. 9. art. 2. sect. 4. v. Quaer. 13.
(22) Sess. 25. c. 4. de ref.

non iam de reditibus diminutis, sed de tenui eleemosyna ab initio designata pro missis, quas non facile reperiatur qui velit celebrare, et de illis, re integra, ob tenuitatem stipendii, vel paucitatem sacerdotum fieri vellet reductio. An autem haec opinio sit probabilis, iudicio sapientiorum remitto. Caeterum, si staret haec sententia, omnino servandum esset id quod advertit Tamb. [1], nempe, quod si capellanus per annos praeteritos acceperit stipendium maius solito, tenetur compensare, eumdem numerum missarum celebrando: qui enim ante stetit commodo, deinde stare debet incommodo.

Dubitatur 3. An episcopus possit moderari officia, preces et eleemosynas anniversariis annexas. Negat Tamb. apud Croix [2]. Sed affirmat Pasqual. [3], quia prohibitio non loquitur de his, sed tantum de missarum reductione; uti etiam nec de illis missis, ad quas aliquis sacerdos se obligasset sine congruo stipendio; id enim esset in praeiudicium ecclesiae et successorum. Sed hoc ultimum nullo modo admittendum, quia esset contra decreta relata supra *in dub.* 1.

332. « 11. Qui ratione beneficii tenetur quotidie celebrare, tenetur etiam missas pro fundatore (nisi de huius intentione contraria constet) applicare. Bon. et alii, Diana [4], qui tamen concedit posse eum pro seipso quater aut sexies in anno. (Vel pro valde sibi coniuncto, aut carissimo amico, aut benefactore: sic enim praesumitur consensisse fundator, ut Salm. [5] cum Lezan. Dian. Steph. Homob. Nald. Philib. etc. passim. Modo non accipiatur stipendium, ut recte advertunt Holzm. [6] et Elbel [7] cum Pasq. et Gob. ac Salm. [8] cum Bonac. Gavant. Dian. et communi, contra Vidal. quia hoc esset contra mentem fundatoris: et in die commemorationis omnium defunctorum pro particulari defuncto celebrare (*Vide infra n.* 338.). Item quavis hebdomada unam missam omittere devotionis et reverentiae causa, idque ex praesumpta intentione fundatoris: quod Tamb. [9] ex Gav. [10] limitat, nisi de contraria fundatoris voluntate constet, vel sit onus ecclesiae, aut monasterii, curare missam quotidianam. Vide Tamb. [11] Diana [12]. Id ipsum limitat card. Lugo [13] si obligatio dirigatur ad ipsum sacerdotem, v. gr. si dicatur (qui debet quotidie celebrare), quo casu concedit. (Ita etiam Salm. [14] communiter cum Suar. Bon. Azor. Leand. Sylv. ex *c. Significatum*, *de praebend. ubi dicitur* capellanum teneri quotidie celebrare, salva honestate et debita devotione. Advertit tamen Bon. [15] quod nullo die capellanus poterit vacare, si in fundatione expresse cautum sit, ut missa celebretur per seipsum vel per alium, ex declarat. s. c. die 30. maii 1699.). Si vero dirigatur ad celebrationem in tali loco, v. gr. volo ut in tali ecclesia celebretur quotidie missa, teneri eum pro se alium substituere eo die quo ipse non celebret. (Ita Salmant. [16] cum aliis communiter).

» 12. Qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non tenetur si brevis sit, v. g. 15 dierum, ut docet Bonac., aut etiam unius alteriusve mensis, (ut probabiliter docet card. de Lugo [17] substituere alium, aut compensare, cum tam stricte ne domini quidem honesti cum famulis agant; secus tamen, si sit diuturnus morbus; nisi reditus sint nimis tenues, aut in morbum absumantur, ut contra Sylv. et Azor. docent Bonac. Rodriq. Impeditus vero aliis negotiis, licet iustis (cum haec non debeant obesse fundatori), debet satisfacere per alium, vel compensare postea, praesertim si fiat saepius. Ita Bon. [18]»

333. Quaeritur an capellanus aegrotus teneatur interim alteri dare stipendium ut missas celebret. Commune est (contra Henriq.) non teneri si in-

(1) Dict. c. 1. §. 3. n. 96. (2) N. 121. (3) Ibid. (4) P. 6. t. 6. r. 15. (5) De sacr. miss. c. 5. p. 2. n. 56. (6) N. 551. (7) N. 215. (8) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 53. (9) L. 5. exoed. sacr. c. 3. §. 1.

(10) P. 3. t. 12. (11) Loc. c. (13) P. 2. t. 14 r. 28. et p. 4. t. 4. r. 36. et p. 5 t. 5. r. 25. et t 15. r. 51. (13) R. mor. l. 5. d. 9 (14) Ib. n. 37 (15) C. 8. q. 3. (16) Num. cit. (17) N. 49. (18) D. 4. q. ult. p. 7.

firmitas sit brevis, ut cum Busemb. *hic* tenent Lugo [1] Salm. [2] cum Dic. Dian. Lez. etc., nisi fundator voluerit non deficere missam in tali loco etc. Quaenam autem sit infirmitas brevis. Alii dicunt, si durat per decem dies, ut Barbos. Molfes. Graff. etc. Alii extendunt ad 15 dies, ut Bon. et Dian. item Elbel [3] cum Anacl. Et de hoc habetur declaratio s. c. conc. edita die 17. nov. 1695. (apud Pitton. [4]) ubi dictum fuit non teneri capellanum per alium supplere, tempore infirmitatis non excedentis 15. dies. Alii ad mensem, ut Laym. [5] et Salmant. [6] cum Hurtad. et concil. mediol. VII. [7] ubi: *Si capellanus saltem per annum celebravit in aliquo loco, si etiam per mensem aegrotet, adhuc integram eleemosynam iudicio episcopi accipere potest.* Alii denique extendunt ad duos menses, ut Lug.[8] cum Nav. item Philib. Dic. Nald. Leand. et Ant. a Sp. s. apud Salm. [9] et adhaeret Conc. [10] ac probabile putant Busemb. *ut supra*, ac Dicast. Pal. Nav. etc. apud Salmant.[11]. Omnes autem hae opiniones videntur esse probabiles.

Nota hic obiter id quod advertit Bened. XIV. [12] prohibuisse s. c. triginta missas Gregorianas, utpote rebus non convenientibus refertas. An autem liceat accipere stipendium pro prima missa, quam neopresbyter celebrat cum episcopo. *Vide dicenda n.* 829. *v. An autem.*

Dubium II. Cuius sit applicare fructum sacrificii.

334. *A quo applicandus sit fructus missae. An religiosus valide missam applicet contra voluntatem praelati.*
335. *Applicatio debet fieri ante celebrationem. Qu.* 1. *An sufficiat applicatio habitualis. Qu.* 2. *An si quis accepit stipendia a diversis, sufficiat applicare missas pro eis in confuso.*
336. *Quid si applicatio nulli fiat vel incapaci.*
337. *An valeat applicatio conditionata. Et an applicatio facta pro primo offerente sit illicita et invalida.*
338. *An in die mortuorum possit applicari missa pro particularibus ex stipendio.*
339. *De altare privilegiato. Qu.* 1. *An ad tales indulgentias lucrandas requiratur missa de requiem. Qu.* 2. *Quomodo intelligenda est clausula* modo in ecclesia quotidie dicantur septem missae. *Qu.* 3. *Quomodo clausula*, modo in ecclesia non sit aliud altare privilegiatum.

334. « Resp. Solus sacerdos offerens valide id facit per suam intentionem; quia est actus potestatis sacerdotalis. Ita commun. Suar. card. Lugo [13] etc.

Unde resolves:

» 1. Is valide applicat, etsi peccet sacrificando vel applicando contra voluntatem superiorum. Ita Suar. Laym. Diana card. Lugo [14] contra Nav. Led. et alios, quorum sententiam probabilem dicit Diana [15]. »

Quaeritur an religiosus valide applicet missam contra voluntatem praelati.

Prima sententia negat, quam tenent Scot.[16] Gav.[17] item Gabr. Arm. et alii apud Cont. Tour.[18] ac Cordub. et Led. apud Diana [19] qui probabilem putat. Ratio, quia voluntas religiosi subditur voluntati superioris; unde, sicut superior potest irritare contractus et vota subditi, ita etiam applicationes missarum.

Secunda sententia vero communior et probabilior dicit talem applicationem subditi esse quidem illicitam, sed non invalidam, et hanc tenent cum Bus. Suar.[20] Lay.[21] Lugo[22] qui ait oppositam reiici fere ab omnibus recentioribus, Salm.[23] Anac.[24] Spor.[25] Cont. Tour.[26] cum Vasq. et Elbel[27] cum Mastrio, Croix et Gob. Ratio quia subditus, uti utitur potestate ordinis (ut est in hoc casu), minime subiicitur voluntati praelati. Limitat Marchantius[28], si sacerdos applicationem faceret ex vi pacti initi cum offerente; quia sicut pactum sine voluntate praelati est nullum, ita et applicatio. Hoc tamen sane intelligendum, quando subditus ita alligaret applicationem pacto, ut abso-

(1) D. 21. n. 48. (2) Tr. 5. c. 5. p. 2. n. 34. (3) P. 131. n. 214. (4) De paroch. n. 1595. (5) C. 3. n. 7. (6) Ib. n. 35. (7) Tit. de missis. (8) N. 49. (9) Loc. cit. (10) P. 471. n. 31. (11) Ibid. (12) De sacr. m'ss. l. 3. c. 23. n. 2. (13) D. 14. s. 10. n. 241. (14) L. c. (15) T. 14. r. 72.

(16) Quodl. 20. (17) In rubr. miss. p. 3. tit. 12. n. 23 (18) De sacrif. c. 9. art. 2. sect. 9. (19) P. 2. tr. 14. res. 72. (20) D. 79. sect. 9. v. Sed circa (21) C. 2. n. 11. (22) De euchar. d. 19. n. 211 (23) De sacrific. missae c. 3. p. 3. num. 25. (24) P. 576. n. 72. (25) N. 259. (26) Loc. c. (27) P. 119. n. 130. (28) In tribun. n. 2. d. 2.

lute intenderet non applicare, si non satisfaceret obligationi contractae (quod bene ait Spor.[1] in facto raro accidere); quando tamen absolute applicat, non restringendo intentionem ad satisfactionem pacti, tunc valide applicat ex potestate generali quam ipse habet applicandi sacrificium, cui vult, etiamsi errore ductus missam applicaret pro obligatione contracta.

335. 2. Sacrificium, quod neque formaliter neque virtualiter ulli applicatum est, vel ante, vel in ipsa consecratione, saltem secundae speciei, non potest postea ulli applicari, saltem adaequate, quia producit effectum, quando existit, neque is suspenditur; ideoque nec licet accipere stipendium pro missa praeterita. Vide Laym. [2].

» Dixi, *vel ante;* quia non requiritur ut applicatio fiat in ipso sacrificio: sufficitque, si pridie facta sit, etsi ipso die de ea non cogitet. Bon. [3] ex Suar. Diana [4] contra Vasq. »

Quaeritur 1. An ad applicandam missam sufficiat applicatio habitualis, nempe aliquando habita et non revocata. Negant Vasq. [5] et Abelly [6] cum Isamb. dicentes quod sicut ad consecrandum requiritur ministri intentio actualis, vel saltem virtualis, sic etiam requiritur ad fructum missae applicandum. Sed verius et communiter affirmant Suar.[7] Bon.[8] Lugo[9] cum Molf. et Dian. item Cont. Tourn.[10] Holzm.[11] Elbel [12] Mazz.[13] Spor.[14] cum Gob. qui testatur hanc esse omnium praxim, et Croix[15] cum Con. Tamb. et Pasq. Et ab hac doctrina in substantia non est difformis p. Conc. [16]; nam, licet requirat intentionem virtualem; tamen virtualis illa (modo quo ipse explicat) coincidit cum nostra habituali, dum inquit, quod si quis acceperit 20 eleemosynas, et hodie celebrationem incipit cum voluntate sequentibus diebus celebrandi pro offerente, tunc sufficere primam intentionem; etiamsi caeteris singulis diebus alio distractus illam non renovet. Ratio nostra est, quia applicatio missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet donec expresse revocetur. Respondetur autem ad rationem oppositam, quod in sacramentis ideo requiritur intentio actualis vel virtualis, quia intentio efficit sacramentum, seu actualiter influit in eius confectionem; sed in applicatione missae intentio non efficit fructum illius, dum adhuc sine applicatione de se oritur fructus ex celebratione missae, et ideo sufficit applicatio aliquando facta, per quam fructus fuit alicui donatus.

Quaeritur 2. An si quis accipit stipendium a decem personis pro decem missis, satisfaciat applicando primas decem missas quas legit pro ipsis in confuso. Negat Sylv. apud Bonac.[17] et Conc.[18]. Sed melius videtur sic distinguendum: Si singula sacrificia applicantur pro singulis indeterminate, non videtur satisfieri, quidquid dicant Aversa et Diana apud Croix [19]. Ratio, quia ad satisfactionem requiritur intentio applicandi fructum determinatae personae, ut illi prosit; unde sicut non consecraret, qui decies proferret formam consecrationis super decem hostias, cum intentione consecrandi unaquaque forma unam hostiam ex eis in confuso; ita qui applicat decem missas indeterminate. Si vero sacerdos unamquamque missam intenderet applicare omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam partem uniuscuiusque missae, non videtur ratio cur non satisfaciat, cum nemo dubitet quin fructus sacrificii sit divisibilis, et ideo tribuitur unicuique quod debetur; unusquisque enim in singulis missis decimam partem accipiendo, in celebratione decimae missae iam totum suum fructum percipit. Et ita tenent Bonacina [20] Roncaglia [21]

(1) N. 290. (2) L. 5. t. 5. c. 2. (3) Q. 5. p 2. (4) L. c. r. 47. (5) De sacr. d. 38. c. 6. n. 74. (6) De sacr. miss. §. 5. n. 5. (7) 3. p. d. 15. s. 5. v. Dico 2. (8) De sacr. d. 1. q. 3 p. 2. §. 3. n. 11. (9) Eod. tit. d. 8. n 95 (10) Ib v. Quaer. 6 r ad 2. (11) P. 5. n. 22. v. Dices. (12) P. 118. n. 174. (13) De sacrif. missae tr. 5. d. 4. q. 2. c. 2. (14) Eod. tit. n. 340. (15) L. 6. p. 2. n. 205. (16) T. 8. p. 473. n. 36. (17) D. 4. p. 7. §. 3. n. 1 (18) T. 8. p. 474. n. 38. (19) L. 6. p. 2. n. 209 (20) Loc. cit. (21) C. 6. n. 9. r. 2.

Tamb. [1], Item Aversa, Henno et alii apud Croix [2] contra Pasq. et Possev.

336. « 3. Si nulli applicetur, vel incapaci, fructus manet in thesauro ecclesiae, ut docet Suarez, vel cedit ipsi sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, quod ita implicite censeatur intendisse. Ita Laym. [3] Vide card. de Lugo [4].

Si fructus sacrificii applicatur incapaci, tunc ille remanet in thesauro ecclesiae. In praxi autem quando dubitatur an is pro quo offerimus sit vel ne capax fructus, consultum est in missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis vel alteri sub conditione, si persona cui applicantur non sit capax; in missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex eius implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut praeiudicium non fiat cui obligatio adsit applicandi; ita Elb. [5] et Spor. [6] cum Marchant.

337. » 4. Applicatio, sub conditione iam impleta, est valida, v. gr. ad intentionem quam habuit hodie superior, non autem sub conditione futura contingente, v. gr. applico illi, cui Titius interrogatus voluerit; vel ei qui prius morietur; vel qui primo stipendium offeret: ita Suar. [7] Lay. [8] Dian. [9] card. Lugo [10] contra Bonac. [11] qui tamen ipse in praxi dissuadet.

» 5. Non satisfecit, qui te mortuum putans, missas, quas pro defuncto teneretur, celebravit.

» 6. Sacerdotes societatis non satisfaciunt, celebrando pro defunctis per anticipationem, nisi tamen iam mortui sint, etsi postea promulgentur. Lay. [12].

Dicunt Lugo [13] et Pal. [14] applicationem missae factam pro primo offerente esse validam, sed illicitam ex prohibitione Clementis VIII. quam promulgavit Paulus V. die 15. nov. 1605. vetans hanc consuetudinem, *tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque a vetusto ecclesiae more nimium aberrantem.* At probabilius (ut recte ait Croix [15]) talis applicatio non solum erit illicita, sed saepe invalida, quia saepe accidet quod missa tunc dicatur pro causa quae adhuc non existit, puta si stipendium offerens postulabit missam pro liberatione a carcere, ab infirmitate etc., quae causa, cum nunc non adsit, effectus missae suspensus remanere deberet, quod non videtur credibile. Bene tamen advertit Cont. Tourn. [16] cum Vasq. Aver. et Quarti, quod si sacerdos praevideat quod postulabuntur missae pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre, et deinde stipendium percipere, quia hoc casu iam offerentur pro persona determinata.

338. » 7. Non omnes sacerdotes tenentur die animarum applicare missam pro omnibus defunctis. Tamb. [17] et Gav. [18]. (De hoc adest decretum s. c. apud Merati [19] editum die 4. aug. 1663. ubi dictum fuit: *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum.* Hoc decreto posito, bene ait Cont. Tourn. [20] nihil obesse, quin pro talibus missis accipi possit stipendium).

339. « 8. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi sit de requiem. Dian. [21].

Hoc privilegium altaris in hoc consistit, ut ex indulgentiis, sive fructibus qui sunt in thesauro ecclesiae, liberetur a purgatorio anima pro qua missa in illo altari applicatur; et hoc vi potestatis clavium, quam habet papa applicandi indulgentias, vivis quidem per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii sive solutionis.

(1) De miss. l. 2. c. 2. §. 11. n. 4. (2) L. 6. p. 2. n. 210. (3) T. 5. c. 2. (4) N. 215. (5) N. 194. (6) N. 284. (7) 3. p. t. 3. d. 79. s. 9. (8) l. c. (9) Loc. cit. r. 15. (10) D. 19. n. 209. (11) Q. ult. p. 7. §. 5. (12) Loc. cit.

(13) De poen. d. 13. n. 137. (14) P. 6. (15) N. 222 (16) De sacr. c. 9. a. 2. s. 4. v. Quaer. 3. Si tamen (17) L. 3. exp. sacr. c. 3. §. 2. (18) P. 4. t. 15. (19) In indice n. 411. (20) Loc. c. v. Quaer. 11 (21) P. 4. t. 4 r. 255. ex decl. card. et p. 9. t. 2. r. 3

Quaer. 1. An ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati semper requiratur ut celebretur missa *de requiem*. Resp. negative; nam licet olim anno 1601. die 1. iunii respondisset s. c. affirmative, ut fert Diana [1]; attamen Alexander VII. die 22. ianuar. an. 1667. in decreto incipiente *Creditae nobis*, declaravit quod in iis diebus, quibus non licent missae *de requiem*, missae de festo currente easdem habent indulgentias quas habent missae *de requiem*: idque extendit ad altaria privilegiata etiam non perpetua, et pro aliquo die in hebdomada. Deinde Innoc. XI. die 4. maii anno 1688. declaravit id valere etiam in diebus dominicis et diebus infra octavas paschatis, pentecostes, corporis Christi et aliis annuis diebus, quibus missae *de requiem* non possunt celebrari. Demum haec omnia decreta confirmavit Clem. XI. die 29. sept. an. 1714. (Vide decreta praefata apud Merati). Ex his omnibus colligitur quod missae in altari privilegiato, aut perpetuo, aut ad tempus concesso, suffragantur defunctis, sive dicantur *de requiem*, sive de die currenti, quando non licet eas *de requiem* dicere. Si vero currat festum semiduplex, omnino debet dici *de requiem* in altari privilegiato; alias non acquiritur indulgentia, etiamsi in ecclesia solemnitas celebretur, ex declaratione s. c. quam refert p. Zaccharia apud Croix [2]; cum autem privilegium conceditur ad tempus, declaravit s. c. (in decreto quod affert Croix [3]) quod tempus incipit non a die publicationis brevis, sed a die concessionis.

Quaeres 2. Quid si in ecclesia, ubi concessum est altare privilegiatum per aliquod tempus, non dicantur septem vel quinque missae iuxta clausulam quae in indultis apponi solet. Sylvius apud Croix [4] putat privilegium etiam suffragari, si bis vel ter missae non legantur. Sed verius oppositum docet Benedictus XIV.[5] decreto s. c. concilii, edito die 11. sept. 1694. et approbato ab Innoc. XI. qui id mandavit publicari; ibi dictum fuit, *celebrationem missarum indultis praefatis praefinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem ecclesia*. Declaravit tamen eadem s. c. die 30. iulii 1706. alio decreto (inserto in bullario Clemen. XI) quod pro tempore quo religiosi vel sacerdotes saeculares per aliquot dies vel menses propter absentiam non celebrant missas praefinitas, indulgentiae non amittuntur, sed pro illo tunc suspenduntur. Insuper declaravit quod si missae non legantur ob sacerdotum infirmitatem, vel quia religiosi occasione festivitatis vel funerum alibi celebrare debeant ex iussu praelati, si raro id fiat, indulgentiae etiam suffragantur. Vide praedicta decreta apud Benedict. XIV. [6] et apud Sporer [7] qui illa in extensum affert.

Quaer. 3. quomodo intelligenda clausula, *si in ecclesia aliud altare privilegiatum non est erectum*. Probabiliter respondent Sporer[8] et Gobat.[9] intelligendam esse, quod si altare privilegiatum antea concessum fuerit generatim pro quibuscumque defunctis, idque in secunda petitione non sit expressum, posterior concessio, etiam generatim facta, nihil valet; secus vero si concessio fiat pro aliquibus particularibus personis. Et sic pariter videtur dicendum, si prima concessio fuerit particularis et secunda generalis.

Notandum hic 1. privilegium altaris privilegiati non esse communicabile per generalem communicationem privilegiorum, ex decreto s. c. indulgentiarum dato die 5. feb. an. 1748. et approbato a Benedicto XIV. die 2. martii eiusdem anni; ita refert p. Ferrarius[10]. Notandum 2. quod Clemens XII. praevio voto eiusdem s. c. die 19. maii 1719. indulsit omnibus ecclesiis parochialibus altare privilegiatum quotidianum ad septennium; quo expleto, praecepit omnibus episcopis, abbatibus, vicariis-

(1) P. 4. tr. 4. r. 233. (2) L. 6. p. 2. ad n. 509.
(3) L. 6. p. 2. n. 525. (4) Num. 522.
(5) Notif. 56. n. 16.
(6) Loc. cit. n. 17. (7) T. 5. p. 238.
(8) P. 238. n. 133. (9) N. 519.
(10) Bibl. v. Indulgentia in app. n. 15.

que capitularibus, pro suis paroeciis confirmationem eiusdem privilegii ad septennium petere. Vide Ferrar. [1].

Dubium III. Quando et quoties liceat celebrare.

340. *An possit dici missa ante auroram, vel post meridiem.*
341. *A quo tempore incipiat aurora. An tempus tam aurorae quam meridiei moraliter accipiendum.*
342. *Quid de privilegiis regularium.*
343. *Casus in quibus licet celebrare ante auroram, vel post meridiem. An in nocte Nativitatis omnes tres missae dici possint ante auroram.*
344. *An liceat anticipare missam vel postponere ob festivitatem, vel causa itineris, vel ex dispensatione episcopi.*
345. *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram, vel post meridiem.*
346. *Quaenam in hoc sit parvitas materiae.*
347. *Quale peccatum sit celebrare ante matutinum.*
348. *Quid si esset missa conventualis et solemnis.*
349. *An liceat celebrare (et ministrare communionem) in quolibet anni die.*
350. *An in die Coenae Domini, et sabbati sancti liceat privatim celebrare.*
351. *An et quando liceat celebrare pluries in die.*
352. *An aliquando liceat interrumpere missam, vel de novo incipere.*
353. *An si superveniat princeps, vel turba peregrinorum; vel si sacerdos recordetur alicuius impedimenti.*
354. *An si urgeat necessitas propria vel aliena.*
355. *Quomodo missa interrupta supplenda sit ab alio sacerdote.*

340. » Resp. 1. Ordinarie non licet celebrare post meridiem, sed debet inchoari ante duodecimam, nec ante auroram, quam ante solis ortum, Regin. quadrantem horae, Henriquez, et Con. mediam horam, Azor. horam cum quadrante, Suar. et Fernand. et Possev., sesquihoram comprehendere dicunt, et consequenter, cum, secundum Henriq. Suar. et alios, missa possit inchoari tanto ante auroram, ut sub eius initium finiatur, licet duabus horis ante solis ortum incipere. Ita Rodriquez et alii. Unde ulterius inferunt quidam cum Suarez, religiosis habentibus privilegium celebrandi hora ante diem, licere tribus horis ante ortum solis incipere: quod card. de Lugo [2] non improbat, etsi Laym. tantum permittat horis duabus post mediam noctem. Card. de Lugo [3]. Quacumque autem hora licite (sive ex, sive sine privilegio) celebrent eadem etiam atque adeo in missa quae nocte Nativitatis, caeterisque quae post illam celebrantur licere iis eucharistiam aliis ministrare, contra Bordon. docet Diana [4] (Sed hoc vetitum nunc est. V. hac de re hoc *l.* 6. *n.* 252. *v. Sic etiam*). »

341. In rubrica missalis n. 15. habetur: *Missa privata, saltem post matutinum et laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Non licet igitur celebrare ante auroram, quae non iam intelligitur ortus solis, sed tempus illud quod est medium inter noctem et diem. Hinc dicunt Salmant. [5] licitum esse inchoare missam fere per duas horas ante ortum solis: sed melius aiunt Croix [6] Cont Tourn.[7] et Benedict. XIV. [8] auroram computandam esse ex temporum varietate, iuxta tabellas quae directoriis officii divini apponi solent. Idcirco asserunt Croix et Cont. Tourn. in mense iunii auroram incipere fere duabus horis cum quadrante ante ortum solis: mensibus februarii et septembris hora cum dimidia: in mense martii hora cum quadrante: in reliquis vero mensibus hora et tribus quadrantibus circiter.

Omnes autem conveniunt cum Lug.[9] Cont. Tourn. [10] Wigandt [11] Bonac. [12] et Salm.[13] qui citant Suar. Nav. Sa Henr. et alios, quod nulla sit culpa missas terminare in aurora, et eas incipere parum ante meridiem; ratio, quia tempus tam aurorae, quam meridiei (de qua infra dicemus *n.* 345.), non mathematice, sed moraliter accipiendum. Et quamvis olim (ut fert Bened. XIV.[14]) Clemens XI. secus praeceperit in quodam suo edicto, ubi sic dixit: *Comandiamo che le messe non possano incominciarsi prima dell' aurora, e che a mezzo giorno debbano essere del tutto terminate*, nihilominus postea, cum hoc punctum rursus examini manda-

(1) Bibl. (2) D. 20. sect. 1. n. 32. (3) l. c.
(4) P. 9. t. 7. r. 45. (5) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 55.
(6) L. 6. p. 2. n. 226. (7) C. 9. art. 2. sect. 5.
v. Quaer. 1 (8) Notif. 12. n. 12.
(9) D. 20. n. 37. (10) Loc. cit. v. Quaer. 2. et 3
(11) Tract. 15. n. 32. (12) P. 9. n. 2.
(13) Tract. 5. c. 4. p. 1. n. 55. et 42.
(14) Notif. 12. n. 3 et 4.

tum fuisset; Bened. XIII. annuit posse tolerari latitudinem tertiae partis horae tum ante auroram, tum post meridiem: idque per edictum publicatum fuit sub Clem. XII. (apud Bened. [1]).

342. Circa autem religiosos, affert Lugo [2], plura privilegia, quibus regularibus conceditur celebrare duabus horis post mediam noctem: item Salmant. [3] afferunt privilegium Eug. IV. celebrandi tertia hora post meridiem ex iusta causa. An autem huiusmodi privilegia fuerint revocata per Tridentinum. Affirmat Fag. cum aliis apud Lugo [4] quia in praefato concilio [5] sic praecipitur: *Ordinarii caveant, ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent... non obstantibus privilegiis quibuscumque.* At negant Wigandt [6] Lugo [7] cum Rodriq. Salas Diana et aliis pluribus, et id probabile putat Ronc. [8] cum Tamb. Ratio quia Tridentinum ibi tantum imponit episcopis, ut praedicta curent observari: ergo ubi episcopi non repugnant, non est cur regulares suis privilegiis frui nequeant. Sed hoc non obstante, oppositum omnino tenendum ex decreto Clementis XI. edito 15. decemb. 1703. (in extensum relato ap. Croix [9]) ubi pontifex declarat privilegia regularibus concessa circa missarum celebrationem omnino revocata esse per concil. Trident. [10]. Et quamvis Clemens ibi tantum loquatur de privilegio altaris portatilis, tamen hac declaratione proculdubio ostendit pariter revocatum esse privilegium celebrandi extra debitas horas, quas concilium expresse servari iubet ab omnibus sacerdotibus; non obstantibus (ut supra) privilegiis quibuscumque.

343. » Dixi, *ordinarie*, quia antevertere licet sequentibus casibus, in quibus etiam paulo post meridiem, v. g. uno vel altero quadrante, inchoari potest, ut etiam secundum Sot. et Pal. ex quavis rationabili causa, v. g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem, ob funus principis, vel quia sacerdos die festo propter iter fuit impeditus, quo casu etiam integra hora post licere inchoare dicunt. Vide Laym. [11] Fer. [12].

» 1. In necessitate, v. g. ut moriturro detur viaticum, quo casu licere media nocte celebrare, ait Diana [13] ex Laym. etc. (cum Lugo [14] et Salmant. [15] cum Vasquez Pal. Dic. Hurt. etc. communiter).

» 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire sacrum. Laym. [16] ex Nav. etc. (Vide Diana [17] non tamen idcirco post meridiem licebit.

» 3. Ex privilegio, de quo supra.

» 4. In nocte nativitatis, in qua omnes tres missas ante auroram dici posse, probabiliter docent Suar. Con. Layman Diana [18] contra Sylv. Fern. et alios (Lugo [19] Salmant. [20] cum Fagund. et Nugno).

Quaeres an liceat in nocte nativitatis Domini legere omnes tres missas ante auroram. Affirmant Suarez [21] Lugo [22] Salm. [23] Diana [24] cum Vasq. Lay. Con. Molf. etc. Quia (ut dicunt) in *c. Nocte sancta, de Consecr. dist.* 1. absolute conceditur, quod in nocte nativitatis *missas celebrent presbyteri.* Sed verius id negandum cum Holz. [25] Conc. [26] Elbel [27]. Ratio quia hoc esset contra expressam rubricam missalis, ubi notatur: *Prima missa dicitur in nocte; secunda in aurora; tertia in die.* Et hodie adest decretum s. c. rituum, editum die 18. dec. 1702. (apud Holzm. et Elbel) ubi dicitur: *Non licet in media nocte nativitatis Domini celebrare successive alias duas* (missas), *et communionem sacram exhibere.* Si autem quis unam missam celebrare vellet in tali die, nulla apparet ratio, ut recte ait p. Concina, cur primam potius, quam alias celebrare debeat.

(1) L. c. (2) D. 20. n. 27. (3) Ibid. n. 32. (4) N. 29. (5) Sess. 22. decr. de vitand. in celeb. mis. (6) T. 15. n. 5. (7) Ibid. (8) C. 5. q. 8. (9) N. 258. (10) In dict. decr. sess. 22. c. unic. (11) L. c. (12) Hic c. 3. (13) P. 2. t. 14. r. 33. (14) Disp. 20. n. 25. (15) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 27. (16) L. 5. t. 5. c. 4. n. 3. (17) P. 2. t. 14. r. 34. (18) P. 4. t. 4. r. 256. (19) N. 25. (20) Ib. n. 26. (21) D. 80. sect. 4. v. Tertio. (22) D. 20. n. 25. (23) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 10. et 26. (24) P. 1. tr. 14. r. 35. (25) P. 85. n. 372. (26) P. 488. n. 4. (27) P. 136. n. 250.

344. Adde 5. Posse celebrari missam privatam post solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam et amplius post meridiem, ut probabiliter dicunt Wigandt [1] et Salm. [2] cum Lay. Pal. Suar. Roncagl. Led. Vill. etc. Imo probabiliter Suar. Vasquez Fill. Rodr. Possev. et alii apud Bonac. [3] (qui tamen non facile id concedit sine licentia episcopi) admittunt etiam post duas horas posse celebrari, ne magna pars populi missa careat. Adde 6. ex causa itineris per horam post meridiem (vel ante auroram), ut cum Bus. dicunt communissime Conc. [4] Wigandt [5] et Salm. [6] cum Soto Suar. Pal. Laym. et aliis citatis. Sic etiam ex causa funeris alicuius magnatis, ut Busemb. Conc. et Salm. [7] cum Henr. etc. Ex causa concionis, Busemb. et Wigandt. Ex causa publicae supplicationis, Bus. et Conc. Item quando episcopus confert ordines, Laym. [8] et Salm. [9] cum Soto s. Anton. Palud. Henr. etc. Ex his enim causis missa potest anticipari, ut supra, vel postponi per horam. Adde 7. Si episcopus dispenset in aliquo casu particulari ex rationabili causa; iuxta quam facultatem possunt episcopi secum etiam dispensare. Ita Lugo [10] Wigandt [11] Salm. [12] cum Nav. Laym. Pal. Conc. Et recte dicit Croix [13] eamdem facultatem habere omnes superiores, secluso privilegio, erga suos religiosos, cum sint eorum ordinarii.

345. « 1. Graviter peccat qui sine aliqua harum, aut saltem iusta causa citius mane, vel serius post prandium celebrat, ubi Azor. tertiam horae partem, Laym. mediam horam, Bon. tres quadrantes, Sylvius horam requirit, ut differendo peccet mortaliter. Vide Dian. [14] qui notat, religiosos ex suis privilegiis posse celebrare usque ad tres horas post meridiem, post tertiam vero nullo modo. Vide Bon. [15].

Quaeritur an sit cuique licitum celebrare missam sub hora nona, scilicet hora tertia post meridiem. Affirman Scotus s. Anton. Palud. Nav. Vivald. Durand. etc. ap. Pal. [16] et ap. Esc. [17] qui cum Less. id probabile putat; quia (ut dicunt) sacrificium altaris correspondere debet sacrificio crucis, quod hora nona fuit consummatum. Nec obstare aiunt ecclesiae contrariam consuetudinem, quia haec est tantum introducta ob fragilitatem hominum non valentium tamdiu ieiunare; unde non censetur obligationem induxisse, sed potius favorem, cui quilibet potest renuntiare. Sed hodie oppositum omnino tenendum, ut docent Suar. [18] Lay. [19] Bon. [20] Pal. [21] qui opinionem contrariam merito improbabilem vocat, et Salm. [22] cum Vasq. Con. et aliis passim. Ratio eruitur tum ex Trident. [23] ubi sic habetur: *Sancta synodus decernit,... ut ordinarii..... edicto et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent.* Tum ex universali ecclesiae consuetudine, quae utique nunc servanda est, cum sit praescripta a rubrica missalis ut supra, et insuper expresse approbata a s. Piov. in sua bulla incipiente, *SS. in Christo Pater*, ubi pontifex prohibet *in virtute s. obedientiae, ne quis sub poena perpetuae suspensionis a divinis praesumat quovis praetextu, etiam licentiarum, in vesperis celebrare.* Ergo celebratio sub veperis non poterit excusari a culpa gravi, cum talis celebratio praesumptio a pontifice declaretur, et expressa in obedientia.

346. Communiter autem dd. in hoc admittunt parvitatem materiae, quae excuset a mortali; et cum causa etiam a veniali, nempe si missa terminetur parum ante auroram, et incipiatur parum post meridiem; sed valde discrepant in assignanda tali materia. Azorius [24] assignat pro materia gravi tertiam horae partem; Laym. [25] mediam horam: communius vero et probabi-

(1) T. 15. n. 52. (2) Ib. n. 55. (3) P. 9. n. 7. (4) T. 3. p. 437. n. 2. (5) L. c. (6) Ibid. n. 56. (7) Ibid. n. 41. (8) C. 4. n. 4. (9) Ibid. n. 40. (10) D. 20. n. 27. (11) Loc. cit. (12) Tr. 5. t. 4. p. 1. e 28. et 57. (13) L. 6. n. 2. n. 225.

(14) T. 14. r. 34. (15) L. c. (16) P. 7. n. 14. (17) L. 21. n. 554. (18) D. 34. s. 4. (19) C. 4. n. 5. (20) P. 9. n. 1. et 7. (21) L. c. (22) Ibid. n. 54. (23) Sess. 22. in decr. de observ. in cel. miss. (24) P. 1. lib. 10. c. 25. q. 5. (25) L. 5. t. 5. c. 4. n. 4.

lius censent Sylv. [1] Pal.[2] Bon.[3] Ronc. [4] Viva apud Concin. [5] qui non reprobat, et Salmant. [6] cum Gab. et aliis censent non esse materiam gravem, nisi incipiatur missa hora ante auroram, vel hora post meridiem. Item valde probabiliter dicunt hic Suar. [7] Bon. [8] Merati [9] et Fill. [10] cum aliis, privilegium celebrandi hora post meridiem, vel ante auroram, intelligi una hora ante vel post tempus ut supra a dd. concessum etiam non privilegiatis, alioquin privilegium parum prodesset.

Circa autem praedictam parvam materiam (id est minus quam hora, ut supra) in celebrando post meridiem, dixit quidam recentior non sufficere ad excusandum a veniali causam differendi celebrationem usque ad illud tempus, sed insuper requiri iustam causam eo tunc celebrandi, puta si sit dies festus, vel ut alii audiant missam, et similia: ali oquin dicebat celebrationem non excusari a culpa veniali. Sed haec distinctio sive opinatio a nullo auctore tradita est, et videtur omnino insubsistens, ut mihi et aliis doctis visa est, quia eadem causa quae permittit dilationem, permittit etiam celebrationem eo tunc fieri.

347. » 2. Non est peccatum celebrare ante dictam primam, vel etsi ob infirmitatem non possis horas dicere (Ut docent etiam Salm. [11] cum communi), vel etiam ante matutinum, si causa subsit, sine qua erit veniale, ut docent Fill. Laym. et alii, videturque sententia tuta contra multos dicentes esse mortale. »

Quaeritur quale peccatum sit celebrare missam ante recitationem matutini. Adsunt tres sententiae:

Prima dicit esse mortale, et hanc tenent s. Ant. [12] Antoine [13] Iuen. [14] et alii cum Gav. [15] quamvis Merat. [16] dicat Gav. postea alibi suam temperasse opinionem. Hanc sententiam aa. praefati probant ex quadam constit. Innoc. IV. edita 1254. et relata apud Cont. Tournely [17] ubi dicitur: *Sacerdotes missas celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non praesumant.* Item ex rubrica missalis *tit.* 1. *de praepar. sac.* ubi legitur: *Sacerdos celebraturus missam, saltem matutino cum laudibus absoluto, etc.* Item *tit.* 10. *de defect.* ubi videtur hic numerari inter defectus graviores.

Secunda sententia autem nullam in hoc culpam agnoscit, et hanc tenent Tamb. [18] Holz. [19] cum Gob. et Cherub. item March. et Quarti apud Croix [20]. Ratio istorum, quia nulla apparet lex sub culpa hoc praecipiens: et rubrica est tantum de consilio, non de praecepto.

Tertia sententia vero communior et probabilior est, quam tenent Palaus [21] Less. [22] Anac. [23] Conc. [24] Elb. [25] Merati [26] Cont. Tour. [27] cum Soto Sylv. Tol. Nav. Bell. Henr. a s. Ign. Croix [28] cum Val. Sanc. Vasq. Bon. Vict. et aliis, Salm. [29] cum Sylv. Laym. Fill. Barb. etc. Haec sententia docet contra primam id nequaquam esse mortale, tum quia nulla adest connexio inter officium et missam, ac ideo recitatio matutini non videtur necessaria dispositio ad celebrandum; cum sacerdos aliter orando possit etiam se disponere: tum quia huiusmodi gravis obligatio neque exprimitur in rubrica, neque communiter sub gravi est recepta. Docet autem contra secundam sententiam non excusari a culpa veniali, quia in rubrica id iam inter defectus numeratur; ea enim quae inter defectus computantur, non amplius possunt esse de consilio, et ideo nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. Hanc nostram sententiam amplectitur etiam Bened. XIV. [30]. Ab huiusmodi

(1) Q. 83. art. 2. q. 4. (2) P. 7. n. 14.
(3) P. 9. n. 6. (4) C. 4. q. 8. r. 1. (5) P. 487 n. 2.
(6) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 54. (7) D. 30. s. 4. v. Tertio.
(8) N. 7. (9) P. 248. (10) Tr. 5. c. 4. q. 7. n. 105
(11) Ibid. n. 43. et 44. (12) 3. p. tr. 13. c. 6.
(13) P. 154. v. Secundum. (14) T. 7. p 393. q. 1.
(15) P. 3. tit. 11. n. 5. (16) T. 1. p. 799. n. 7.
(17) Cap. 9. art. 2. sect. 8. v. Quaer. 2.
(18) De sacrif. miss. l. 1. c. 7. §. 2. n. 3.
(19) T. 1. p. 447. n. 469. (20) L. 6. p. 2. n. 230.
(21) D. un. p. 10. n. 14. (22) L. cit. c. 37. n. 81.
(23) P. 200. qu. 6. (24) T. 2. p. 490. n. 11.
(25) De sacr. miss. n. 253. (26) L. c. (27) L. c
(28) L. c. (29) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 45.
(30) De sacrific. l. 3. c. 13.

autem culpa veniali, ut recte dicunt Cont. Tourn. [1] Croix [2] et Salm. [3] excusabit quaelibet mediocris causa rationabilis, puta si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior praecipiat, tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris et similia.

348. An vero sit mortale canere missam conventualem et solemnem antequam matutinum in choro dicatur. Negat Sanch. [4]. Sed Pal. [5] Bon. [6] Merati [7] Bened. XIV. [8] Salm. [9] cum Navar. Sot. Sylv. Laym. Garcia Suar. et aliis communiter et verius affirmant esse mortale, nisi intercedat iusta causa (et gravis et publica ac sine scandalo, ut addit Suar.). Ratio, quia talis est consuetudo recepta in omnibus ecclesiis, ubi preces publicae dicuntur: ita ut, aliter agendo, graviter laederetur publicus Dei cultus, bonum commune et conveniens regimen ecclesiae, praeter scandalum populi.

349. » Resp. 2. Per se loquendo, quotidie licet celebrare. Dico *per se*, quia praecepto obligante sub mortali prohibemur die veneris sancto (*Can. sabbato, de consecr. dist.* 3. ubi dicitur: *isto biduo penitus non celebrari;* et respectu ad hoc biduum certe manet in observantia apud omnes, id est die veneris et sabbati sancti); non tamen eucharistiam sumere, vel aliis praebere, ut habent Hurt. [10] Quintan. ex Suarez Vasq. Tann. etc., licet suppositis declarationibus Card. non licere ministrare, nisi solis infirmis, velit Diana [11] ex Barb. Gav. etc. (Notandum hic decretum pro communione quotidiana, approbatum ab Innoc. XI. relatum a Croix [12] in quo dicitur: *Curent etiam (episcopi et parochi) ut circa communionem in feria* VI. *parasceve missalis rubricae et romanae ecclesiae usus servetur.* Ex quo recte infert Carden. apud Croix [13] (quidquid dubitet Leand.) nunc graviter prohiberi communionem etiam privatim in illa die). In coena Domini vero, etsi ex consuetudine, uno celebrante, reliqui communicare debeant; plures tamen ex causa licite privatim celebrant, non tamen post finitam missam solemnem et sacrarium reconditum, ut vult Pal. [14], licet alii id non admittant apud Diana [15]. Sabbato sancto alii negant licere, ut Vasq. etc., alii probabilius affirmant, ut Suar. Fag. Diana Gasp. Hurt. [16] Pal. [17] (qui non vult fieri ante inchoatam missam solemnem), et card. de Lugo [18] qui addit, non esse tunc legendas prophetias, quia non sunt pars missae: neque benedictionem cerei, imo nec litanias, quia est ratio eadem. V. Lugo [19] et Bon. [20] qui notat quod usus id vix habeat. Vide etiam Diana [21] qui cum Mercero contra alios permittit eo die ante missam solemnem celebrare de sancto incidente, vel votivam. »

350. Quaeritur an liceat celebrare privatim in coena Domini et in sabbato sancto. Affirmant Viva [22] Mazz. [23] Dian. [24] Croix [25] cum Suar. Nav. Vasq. et Lugo: item Sot. Henr. Con. Laym. Pal. Barb. etc. ap. Salm. [26] qui huic opinioni adhaerent. Ad decreta autem opposita s. c. respondent praefati aa. ea vel non esse ubique publicata, vel non ubique recepta. Eidem sententiae olim ego adhaesi; sed nunc, cum alia decreta novissime edita observassem, dico omnino tenendum non licere, ut sentiunt Holzm. [27] Cont. Tourn. [28] Antoine [29] et Bened. XIV. [30]. Nam de die sabbati sancti adest decretum s. c. rituum (apud Monacel. [31]) editum die 11. martii 1690. ubi sic dictum fuit: *Nec licitum est missas celebrare in die sabbati sancti in quibuscumque ecclesiis et oratoriis, non obstante quacumque contraria consuetudine, prout, papa approbante suo de-*

(1) Ibid. v. Quaer. 5. (2) L. c. (3) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 46. et 47. (4) Cons. l. 7. c. 2. d. 39. (5) Disp. un. p. 10. n. 14. (6) P. 9. n. 8. (7) D. p. 799. (8) Loc. cit. (9) Ibid. n. 48. (10) De sacrif. d. 4. dif. 3. (11) P. 4. t. 4. r. 237. p. 6. t. 6. r. 19 et p. 9. t. 9. r. 24. (12) L. 6. p. 1. n. 665. (13) Ib. n. 495. (14) Tr. 22. disp. un p. 7. n. 2. (15) P. 9. t. 9. r. 24. (16) D. 4. dif. 3. (17) N. 5. (18) Sect. 1. n. 18. (19) L. c. n. 20. (20) P. 2. (21) P. 4. t. 4. r. 237. (22) Q. 5. a. 6. n. 1. (23) Tract. 5. d. 4. q. 2. c. 4. §. 1. (24) P. 6. tr. 6. r. 19. (25) L. 6. p. 2. n. 231. et 234. (26) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 2. et 7. (27) P. 79. n. 541. (28) Cap. 9. art. 2. sect. 2. concl. 3. (29) P. 490. q. 4. (30) Notif. 58. n. 9. (31) Tital. 15. form. 3. in fin.

creto generali, *statuit eadem s. c.* Quoad diem autem Iovis sanctum, adest aliud decretum prohibens relatum a Pittonio [1]. Sed quod magis refert, haec omnia decreta fuerunt expresse confirmata a papa Clemente XI. (ut legitur apud eumdem Bened. XIV. [2] et ap. Pitton. [3]) per decretum proprium ipsius pontificis emanatum die 15. martii an. 1712. ubi sic habetur: *Dichiarando per ultimo, che colla suddetta proibizione per lo venerdì santo non intende la santità sua di permettere che ne' giorni di giovedì e sabbato santo si celebrino messe private, ma solo la conventuale, secondo il rito della s. chiesa, e i replicati decreti della s. c. de' riti.* Hocque decretum confirmatum fuit ab Innoc. XII., ut refert Merati [4], et ab ipso Clemente XI. [5] a quo statutum fuit quod occurrente festo ss. annuntiationis, vel s. Iosephi in die coenae Domini, tantum aliquae privatae missae celebrentur, iuxta iudicium episcopi; ergò sacerdotes extra hunc casum nequeunt tali die celebrare. His igitur stantibus decretis, non video quomodo opinio contraria hodie sustineri possit. Occurrente vero festo s. Iosephi et annuntiationis b. Virginis, die coenae Domini episcopus curabit ut aliquae missae privatae ante solemnem celebrentur; si autem festum b. V. occurrat sabbato sancto, non possunt celebrari missae privatae, et festum transfertur ad feriam 2. post dominicam in albis, iuxta decreta s. c. apud Merati [6].

351. » Resp. 3. Saepius in die celebrare non licet ordinarie, quod addo, quia, si sis ieiunus, licitum est sequentibus casibus, bis vel etiam ter, requisito tamen, si facile haberi possit, episcopi iudicio, praeterquam in primo:

» 1. Nocte nativitatis, qua tamen non tenetur, ne parochus quidem, celebrare tres missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere. Diana [7]. Neque ter communicare, vel semel communicare, et bis celebrare [8].

» 2. Si pastor habeat duas parochias dissitas [9] Fill. card. de Lugo [10]. »

Modo non sit alius qui commodè possit in altera celebrare, ut Salm. [11] cum communi. Et hoc iuxta decretum n. p. Bened. XIV. editum die 16. martii 1746. [12], ubi prohibetur parocho, adhuc ratione paupertatis, bis in festo celebrare; et tantum id conceditur, si alius non sit sacerdos qui in alia parochia celebrare valeat. Idem dicunt Salm. [13] cum Dicast. etc. de sacerdote simplici, si ibi desit alius sacerdos. Et hoc licere etiam in die feriali, ne populus (sufficiens in numero) privetur missa, dicunt Suar. Pal. Leand. Diana. In hoc tamen vero dicunt Salm. [14] cum Ledesm. etc. standum esse consuetudini, alias videtur id absque scandalo fieri non posse. Idque omnino reprobat Bened. XIV. [15] cum decl. s. c. Refert autem idem Bened. XIV. [16] opinionem aliquorum affirmantium posse parochum in die festivo celebrare secundam missam pro defuncto, praesente cadavere, ex *c. Consuluisti*, *de celebr. miss.* ubi dicitur: *Excepto die nativitatis Domini, nisi summa causa necessitatis suadeat, sufficiat sacerdoti semel in die celebrare.* Et Glossa *v. Necessitatis*, dicit: *Si celebravit de die, potest et aliam missam dicere pro defuncto.* Et hanc opinionem admisit Bened. XIV. [17], modo sacerdos sit ieiunus et non sit alius qui pro defuncto celebret. Attamen idem Benedictus deinde in *Indulto celebrandi tres missas* etc. incipiente, *Quod expensis*, dato sub die 26. augusti anno 1748. [18] in §. *Novam*, circa finem declaravit, stante quod parochus potest aliquando missam pro populo in dominica celebrandam transferre in diem infra hebdomadam, amplius non permitti duo sacra in eadem

(1) De ritib. t. 1. n. 1703. (2) Notif. 38. (3) L. cit. n. 1703. (4) In indice decret. n. 501. (5) Vide ib. n. 632. (6) T. 1. p. 2. in indice n. 501. et 504. et n. 632. (7) P. 4. res. 236. (8) P. 3. t. 1. r. 87. (9) Advertit tamen Bened. XIV. in brevi *Declarasti* edito 16. mart. 1746. quod de hac re semper impetranda est facultas ab episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. Hom. Ap. Exam. ord. n. 127. (10) D. 20. n. 45. (11) Tr. 2. c. 4. p. 1. n. 12. (12) V. in suo bullar. (13) N. cit. (14) Ib. n. 14. (15) De sacrif. miss. l. 3. c. 5. n. 3. (16) Notif. 36. n. 15. (17) Serm. 6. de purg. (18) Vide in bullario.

dominica peragere. Haec sunt verba pontificis: *Neque vero haec in praesenti a nobis commemorantur, quasi nunc etiam praesente cadavere duae missae ab eodem sacerdote celebrari possint, cum iuxta hodiernam disciplinam liceat presbytero, relicta missa de die, missam pro defuncto, si praesens sit corpus, cum cantu celebrare.*

« 3. Si concursus populi sit tantus, ut ecclesia non capiat, ut habet Lay.[1]. Vide card. de Lugo [2], etsi tunc potius expediat celebrare extra (Cum Salm.[3] Suar. Con. Pal. etc.).

» 4. Si ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam iam hostiam sumpserit, nec sit alius sacerdos. Sylv. Nav. Sed casum esse metaphysicum, dicit card. de Lugo [4] (Aut vix practicum, ut Salm. [5]).

» 5. Si die festo adveniant personae, quas non deceat sacrum omittere, v. gr. rex aut princeps (Aut episcopus, ut tenent s. Ant. Hurt. Dic. apud Salmant. [6] contra Con. Vasq. et Lug. qui probabilius quoad omnes hoc negant), quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu. Vide Bon. [7] card. de Lugo [8] et Laym.[9] Con. Diana [10] qui recte monet, in his omnibus attendendum ad loci consuetudinem, quae fere omnes nunc sustulerit (Ut etiam Salm. [11] cum Bon. et aliis).

252. » Quaeres an aliquando liceat interrumpere missam.

» Resp. Etsi abrumpere essentialiter sive unam tantum speciem consecrare, nullo casu liceat, ut dictum est supra *c. 1. d. 2.*, accidentaliter tamen abrumpere vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his casibus. »

Notandum hic, quod mutilare sacrificium ex proposito numquam licet, etiam ad mortem evitandam; verum mutilare per accidens et indirecte, licet aliquando, puta, irruente incendio, vel hoste ad necandum; tum enim posset sacerdos sumere hostiam consecratam, vel secum ferre calicem non consecrando: quia tunc non mutilat sacrificium, sed excusatur a perficiendo illud. Ita Laym. Bon.[12] Pal.[13] et Salm.[14] cum Garcia Arav. et communiter.

« 1. Ob concionem post evangelium, vel processionem excipiendam.

353. » 2. In gratiam supervenientis principis, vel turbae peregrinorum die festo, quo alias missam audire non possent, vel simili iusta causa; ex qua, si non sit facta oblatio, posse incipere de novo, ut totum sacrum audiant (Cum Laym. Azor. Nav. Pal. Dic. etc. apud Salm.[15]. Et idem posse fieri in adventu episcopi, cardinalis, aut processionis populi, dd. citati), etsi non teneantur, docent varii auctores cum Sa ap. Bonac. [16], qui bene monet, consuetudini locorum standum. Henriq. autem docet, id tantum licere finita epistola vel evangelio. Tamb. plane improbat.

» 3. Si ante canonem sacerdos recordetur alicuius impedimenti, v. gr. se non esse ieiunum, vel in gratia, vel irregularem, et excommunicatum (Ita etiam Salm.[17] cum s. Th. et communi, modo possit relinqui missa sine scandalo aut gravi nota, ut bene advertunt Salm. [18] cum Con. et Pal. *Vide hic dicta supra n.* 262.), vel excommunicatus non toleratus praesumat interesse, nec possit expelli.

354. » 4. Si urgeat gravis necessitas vel propria, v. gr. morbus, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus, Trull. Diana[19]: in aliis tamen sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere, vel nisi poenitentiae sacramentum ob phrenesim suscipere non posset, Laym. Tamb.[20]. Revertens autem ad sacrificium sacerdos, si fuerit ante facta consecratio, incipiet ubi desierit, uti, etsi facta non fuerit, et parva mora intercesserit, v. gr. minor

(1) L. 5. t. 5. c. 4. n. 6. (2) Loc. cit.
(3) Tr. 5. c. 4. p. 1. n. 22. (4) D. 20. n. 44.
(5) Ib. n. 16. (6) Ibid. n. 19. (7) D. 4. q. ult. p. 7. n. 9. (8) Loc. cit. (9) T. 5. c. 4.
(10) P. 2. t. 14. res. 65. (11) Ibid.
(12) D. 3. q. 3. p. 2. (13) P. 11. n. 2. (14) Ibid p. 4. n. 103. (15) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 111.
(16) D. ult. p. 7. n. 9. (17) Ibid. n. 105.
(18) Ibid. (19) P. 5. t. 3. res. 70.
(20) L. 2. exped. sacrif. c. 7.

quam unius horae; si autem longior, ordietur ab initio. Tamb. [1]. »

355. Quomodo missa ab uno sacerdote interrupta ab alio sit supplenda. Si deficiat sacerdos ante consecrationem, nihil per alium suppleri debet, ut Croix [2] cum s. Thom. Avers. Pasq. contra alios. Si vero deficiat post consecrationem, etiam unius tantum speciei, tunc supplere debet sacerdos ieiunus, si adsit, alias etiam non ieiunus, cum urgeat maius praeceptum de integritate sacrificii. Ita Salm. [3] cum aliis et Croix [4]. Omnia haec habentur in rubrica miss. [5]. Et etiam sacerdos excommunicatus atque irregularis supplere debet, si alii desint, et ipse possit sine gravissimo incommodo, ut ait Croix [6] cum Pasq. contra Sot. Sa etc. Si autem deficiat post sumptionem solius corporis Christi, Bon. putat calicem posse sumi in alia missa; sed communius contradicunt Croix [7] Avers. Pasqual. et alii, et aiunt tunc ab alio calicem esse sumendum. Dicit Tambur. quaerendum esse qui suppleat, post septem etiam horas; sed probabiliter Gob., cui adhaeret Pasq. apud Croix[8], ait non esse ultra quaerendum quam per unam circiter horam, alias non censetur unum sacrificium. Si vero sacrificium posset suppleri ab eodem sacerdote, melius hoc esset, quam suppleri ab alio, etiamsi ille non esset ieiunus. Croix cum Gob. [9].

DUBIUM IV. Quo loco celebrandum sit.

356. *An et in quali necessitate liceat extra ecclesiam celebrare. Et an in mari.*
357. *An et quando liceat celebrare in oratoriis ex dispensatione episcopi. Licet 1. In oratoriis benedictis. 2. In oratoriis communitatum. 3. In oratoriis erectis in palatiis episcoporum.*
358. *An episcopi possint celebrare in domibus privatis.*
359. *An possint dispensare, ut aliquando in illis celebretur. Not. 1. Privilegium non perit per mortem papae vel episcopi. Not. 2. Quid si privilegiatus mutet habitationem. Not. 3. Quibus diebus non liceat celebrare in oratoriis privatis. Et an regulares vel episcopi possint celebrare in domibus privatis, praeter missam in indulto concessam.*
360. *An religiosi possint ex privilegio celebrare in quocumque altari portatili.*
361. *An semper peccent mortaliter celebrantes in ecclesia violata. Et an aliquam poenam incurrant.*
362. *An polluantur oratoria non benedicta. Et an sacristiae, cryptae etc.*
363. *A quibus ecclesia debet reconciliari.*
364. *Quomodo crimen, per quod polluitur ecclesia vel coemeterium, oporteat esse notorium. Quando ecclesia polluatur per homicidium. An ecclesia violetur, si vulnus intra eam infligatur, et mors (sive effusio sanguinis) sequatur extra.*
365. *Quando ecclesia polluatur per effusionem sanguinis vel seminis.*
366. *Quando per sepulturam excommunicati, infidelis vel haeretici.*
367. *Quando per destructionem ecclesiae.*
368. *Quomodo fiat execratio rei consecratae, nempe ecclesiae, altaris, calicis et vestium. Et vide de execratione ecclesiae.*
369. *De execratione altaris; et 1. Si lapis removeatur. 2. Si frangatur. 3. Si spolietur sepulcrum. Dub. 1. An reliquiae sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris. Dub. 2. Quid si frangatur sigillum, vel removeatur sepulcrum.*
370. *De execratione calicis. Dub. 1. An execretur calix, si destruatur inauratio. Dub. 2. An calix de novo inauratus nova indigeat consecratione. Dub. 3. An liceat celebrare in calice numquam inaurato.*
371. *De execratione vestium.*

356. « Resp. Communiter non licet celebrare, nisi in ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta et non violata, vel execrata nec interdicta. Patet ex Trid. [10] Lugo [11].

» Dixi *communiter:* quia in decenti loco et altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia episcopi, si adsit, vel sine ea, si absit (Ut advertunt etiam Salm.[12] cum Lugo), licet sequentibus casibus: extra quos si fiat, esse mortale docent Fill. Laym. et alii communiter (Cum Lugo Sanch. Laym. Suar. et Salm.[13] cum communi) contra Sot. et Sa.

» Primo, si sit necessitas, qualis esse censetur, 1. Si ecclesiae dirutae sint (Et alias populus careret missa, et sic conceditur in *can. Concedimus*, *de consecr. dist.* 1. Salm.[14].). 2. Si populum in solemni festo templum non capit (Lug.[15] Bened. XIV.[16] Salm.[17] cum Pal. Laym. Vasq. Dic. Con. Suar.). 3.

(1) L. c. exped. sacrif. c. 3. §. 7. (2) N. 547.
(3) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 107. (4) Loc. cit.
(5) Tit. 10. n. 3. ex c. Nihil 7. q. 1. (6) N. 550.
(7) N. 548. (8) N. 549. (9) N. 552. (10) Sess. 22.
(11) D. 20. n. 43. (12) Tr. 5. c. 4. p. 2. n. 54.
(13) Ibid. n. 49. (14) Ibid. n. 52. (15) Disp. 20. n. 43. s. 2. (16) De missa lib. 3. c. 6.
(17) Ibid. n. 53.

in castris pro exercitu; sed festis tantum diebus. Fag. c. de Lugo etc. Licet Pasqual. apud Dian.[1] etiam non festis censeat posse permitti generalibus et primariis ducibus in suis tentoriis (In his tamen et similibus casibus impetranda est semper ac potest licentia ordinarii, ut Lugo[2] et Salmant.[3] cum Pal. Laym. et Vasq.). 4. In portu pro appulsu navis (Ne navigantes, qui navem deserere nequeunt, missa in die festo preventur. Pal. Laym. Lug. Dic. cum Salm.[4]. Et quamvis in *c. Sicut*, *de consecr. dist.* 1. dicat pontifex non licere extra ecclesiam celebrare, *nisi summa coegerit necessitas*, attamen respondent Salm.[5] cum Vasq. Con. Pal. et aliis, minorem necessitatem sufficere, ex consuetudine iam recepta, ut est in praedictis casibus, quibus addunt Lugo[6] et Salm.[7] cum Pal. Laym. Suar. et Sa Con. etc. casum, si quis per loca deserta peregrinans diu cogatur missa carere, nisi extra ecclesiam celebret). Non tamen in flumine vel mari propter periculum effusionis sanguinis, ut commun. docetur apud Bon. Contrarium tamen dicitur iam habere praxis lusitanorum euntium in Indiam, ex permissione Clem. VIII. et Pauli V. ex qua licite nunc fieri docent Fagund. Gran., nec improbat c. de Lugo[8]. Limitat autem Dian.[9] cum Hurt. Merc. Trul. etc. si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsitque praeter celebrantem sacerdos alius qui post consecrationem firmiter teneat calicem. Cum qua cautione etiam episcopum posse ad hoc concedere facultatem in necessitate (v. g. ne magna multitudo non audiat sacrum, vel moribundus decedat sine viatico) docet Gran. apud Dian.[10] contra Con. et Tur. (Imo approbat Lugo[11]) qui soli papae eam reservatam volunt, ut etiam Diana[12] qui adducit declarationem cardinalium, qua iubentur episcopi id prohibere. (Et de hoc non videtur dubitandum, ut mox dicemus num. seq. ex Tridentino, ubi omnino vetitum est episcopis concedere usum altaris portatilis, et licentiam celebrandi extra ecclesiam. Caeterum certum est cum facultate obtenta a pontifice licere celebrare in mari, non solum ob concessionem Clem. VIII. et Pauli V. ut supra, sed etiam ob indultum Clementis XI. ut referunt Bened. XIV.[13] et Cont. Tourn.[14] quo concessum fuit equitibus hierosolymitanis anno 1706. celebrare in mari, hac tamen lege, 1. ut adsit longa distantia a littore; 2. ut mare sit tranquillum; 3. ut assistat alius sacerdos vel diaconus, qui, si quis concitetur motus, calicem firmum teneat).

» Secundo. Ex dispensatione episcoporum, ob rationabilem causam, etsi in Trid.[15] id permittere prohibeantur, nisi ex iusta causa, in oratoriis privatis divino cultui destinatis, licet non benedictis. Verum etiam hanc potestatem illis nunc esse ademptam, docent Gav.[16] et Diana[17], ea tamen non obstante, posse eos in aliquo casu particulari ex iusta causa permittere ut celebretur extra ecclesiam, in altari portatili, docet idem Diana[18] ex March. Garc. Hurt. de Lugo Avers. Pers. etc. »

357. Quaeritur, in quibus oratoriis episcopi possint dare licentiam celebrandi. Olim episcopi poterant hanc licentiam ubique impertiri ex *can. Missarum* 12. *de consecr. dist.* 1. ubi habetur: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Verum haec facultas adempta fuit episcopis circa domos privatas ex Trid.[19] ubi sic dictum fuit: *Ne patiatur, privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Hoc igitur decreto non fuit vetitum episcopis dare licentiam celebrandi 1. in oratorio benedicto et designato ad

(1) Pag. 9. t. 1. res. 44. (2) D. 20. d. n. 48. (3) Supra cit. n. 54. (4) Ibid. (5) Ibid. n. 55. (6) D. 20. d. n. 48. (7) Ibid. n. 51. (8) Loc. cit. (9) P. 5. t. 3. r. 40. (10) L. c. (11) D. 20. n. 36. (12) P. 9. t. 1. r. 45. (13) De sac. miss. l. 3. c. 6. (14) C. 9. sect. 6. v. Quaer. 1. (15) Sess. 22. (16) L. c. (17) P. 9. t. 9. r. 42. (18) L. c. r. 45. (19) Sess. 22. in decreto de celebr. miss.

usus sacros, in quo est ianua habens ingressum per viam publicam, etsi sit ianua privata affixa domui alicuius saecularis; illud etiam non dicitur privatum, sed publicum oratorium, ut recte dicunt Viva [1] et Croix [2] cum Avers. Quarti Nald. Homob. et Dian.; qui addit cum Pasq. posse in tali oratorio nihilominus celebrari ianuis clausis: non enim praecipitur ut publice celebretur, sed ut in publico oratorio. Advertit etiam Croix [3] non esse opus quatuor muris qui oratorium separent ab aliis locis, sed posse pro quarto muro aptari telam, quae aperiatur ad commoditatem audientium missam. Quapropter qui ibi pranderet, vel in alios usus profanos adhiberet per modum habitus, peccaret mortaliter, quia oratorium illud est vera ecclesia; venialiter tamen, si aliquando et sine necessitate, ut dicunt dd. apud Bonac. et Suar.

Neque 2. in oratoriis erectis in domibus regularium, vel alterius communitatis, ut recte ait Tambur. [4] cum Lezana. Hinc bene potest episcopus dare licentiam celebrandi in oratoriis hospitalium, seminariorum et conservatoriorum, ut praxis habet: hae enim domus non dicuntur privatae. Et idem ait Croix [5] cum Quarti et Dian. de capellis erectis in publicis carceribus: dicit enim Illsung. apud Croix [6] prohibitionem Tridentini respicere tantum oratoria privata laicorum, vel clericorum saecularium. Hinc Fagn. [7] refert s. congregationem pluries declarasse, huiusmodi oratoria carcerum, confraternitatum, hospitalium et communitatum non comprehendi in prohibitione concilii, quia haec sunt oratoria fixe ad divinum cultum dedicata. Et propterea in huiusmodi oratoriis quicumque audientes missam satisfaciunt, et a quocumque sacerdote possunt utique missae celebrari, ac omni die etiam ex solemnioribus, ex declaratione s. c. rit. 2. sept. 1661. (apud Merati [8]) ubi sic dictum fuit: *Missa sacrificium potest peragi in publico oratorio de licentia episcopi constructo in diebus solemnioribus anni, dummodo habeat omnia requisita ad ecclesiam vel ad publicum oratorium constituendum.*

Neque 3. in oratoriis erectis in palatiis episcoporum, ut dicunt communiter Gav. [9] Merat. [10] Renz. [11] et Croix [12]. In talibus enim oratoriis omnes possunt celebrare, et praecepto missae satisfacere, ut declaravit s. c. concilii die 22. septemb. 1640. apud Diana [13]. Ratio quia domus episcopi non censetur privata, cum ipsa gaudeat immunitate ecclesiastica, ex c. 36. *caus.* 17. *q.* 4. ubi dicitur: *Id constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex romana constituit, ut ab ecclesiae atriis, vel domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat.* Unde docet Bened. XIV. [14] cum Brancatio et Clericato huiusmodi oratoria episcoporum et cardinalium, quoad celebrationem missarum, gaudere fere iisdem privilegiis quibus ecclesiae consecratae. Et idem dicunt Viva [15] Tamb. [16] et Diana [17] de domo rusticana, quam haberet episcopus extra dioecesim, adhuc sine licentia ordinarii, et adhuc absente ipso episcopo, ut dixit Viva; modo talis domus alteri non locetur; idque videtur admitti ab eadem declaratione s. c. apud Dian. *ut supra*, ubi dictum fuit, interessentes sacrificio missae in privato episcopi sacello satisfacere praecepto ecclesiastico tam in dioecesi, quam extra.

358. Sed dubitatur 1. An episcopi possint celebrare, vel celebrari facere in domibus ubi reperiuntur, extra domum propriae habitationis. Respondetur affirmative ex *cap. ult. de priv. in* 6. ubi sic habetur: *Quoniam episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro missa celebranda vel audienda in ipsis,*

(1) Q. 5. a. 6. n. 5. (2) L. 6. p. 2. n. 265. (3) N. 266. (4) De meth. celebr. miss. l. 1. c. 4. §. 3. n. 2. (5) N. 264. (6) L. 5. p. 1. n. 626. (7) Loc. In his, de priv. n. 25. (8) Ind. n. 592. (9) P. 1. t. 20. lit. m. (10) Ibid. n. 3. (11) L. 1. c. 3. q. 31. (12) L. c. (13) P. 6. tr. 8. r. 40. (14) De miss. l. 3. c. 6. (15) Q. 5. a. 6 n. 5. (16) C. 6 §. 2. n. 12. (17) P. 6. tr. 8. r. 40

sine qua eos transire non decet, absque causa rationabili ullam diem, praesenti constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare ac facere celebrari ubicumque, absque interdicti transgressione. Et quamvis causa concessionis hic sit sola absentia episcopi a sua ecclesia, tamen advertit recte Tamb. [1] concessionem esse universalem sine limitatione distantiae in textu expressae. Neque obstat decretum Clementis XI. editum die 15. decemb. 1703. (relatum apud Croix[2]) ubi haec facultas episcopis ablata fuit, his verbis: *Episcopis et cardinalibus nullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi erigere altare, ibique sacrificium missae celebrare, sive celebrari facere.* Nam ipsis talis facultas restituta fuit ab Innocentio XIII. die 3. maii 1723. in bulla, *Apostolici ministerii*, ubi dictum fuit: *Huiusmodi prohibitio* (scil. facta episcopis non celebrandi sive non faciendi celebrari) *intelligenda non est de domibus etiam laicis, in quibus dicti episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiuntur: ut nec etiam quando episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali sedis apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis.* Ita apud Merati [3]. Haecque bulla confirmata fuit a Benedicto XIII. die 17. sept. 1724. in constit. habita in synodo romana. Bene tamen advertit Tamb. [4] ex Portella, quod cum tale privilegium sit personale episcopi, non poterunt alii sacerdotes eo absente in talibus domibus privatis celebrare.

359. Dubitatur 2. An episcopi possint aliquando dispensare ut celebretur in oratorio domus privatae. Iure ordinario non permittitur, nec umquam permissum fuit sacerdotibus missam celebrare, nisi in locis ab episcopo consecratis vel saltem benedictis, ut habetur ex *can.* (Felicis papae) *Sicut* 11. *dist.* 1. *de consecr.* Sed excipitur primo casus necessitatis, uti exprimitur in eodem textu. Casus necessitatis sunt: 1. Si ecclesia sit diruta, ut dicitur in *can. Concedimus* 30. *dist.* 1. *de Cons.* 2. Si quis sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium, ut habetur in eod. can. *Concedimus.* 3. Quando ecclesia non est capax populi, ita ut multi missa carerent. 4. Si exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris; ita communiter dd. apud card. Petr. [5] et apud Salm. [6]. Et in his casibus quilibet sacerdos celebrare potest extra ecclesiam in altari portatili Advertit tamen Laym. [7] cum Suar. et Sot., quod si episcopus sit praesens, decet ut ab ipso obtineatur licentia: item advertit Castrop. [8] quod cum casus necessitatis dubius foret, episcopus bene dispensare valet, iuxta dicta *l.* 1. *n.* 192., utque dicemus *hoc lib.* 6. *n.* 902. *v. Caeterum probabiliter.*

Praeterea excipitur, cum episcopus in aliquo casu particulari ob iustam causam dispensat ut extra ecclesiam celebretur; nam episcopi, licet hodie facultate careant permittendi ad sui libitum, ut in privatis domibus sacrum fiat, quam olim habebant, sicut apparet ex *can. Missarum dist.* 1. *de Consecr.* ubi permitti dicitur celebrare *in locis ab episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit.* Et ex *can. Hic ergo*, ubi: *In locis in quibus episcopus proprius iusserit.* Et melius expressum fuit in *cap. In his* 30. *de privil.* ubi decrevit Honorius III. quod fratres minores et praedicatores propter eorumdem privilegium apostolicum celebrare poterant in altari portatili absque licentia episcopi loci; et rationem adduxit, quia alias inutile ipsis fuisset privilegium, cum absque illo iam celebrare valuissent extra ecclesiam, accedente ordinarii permissione. *Cum autem* (ver-

(1) Meth. de celebr. miss. c. 6. §. 2. n. 9.
(2) L. 6. p. 2. n. 258. (3) T. 1. p. 2. indic. decr. n. 649.
(4) L. c. n. 10. (5) T. 4. in const. 2. Urb. v. n. 31.
(6) Tr. 5. de miss. sacr. c. 4. p. 2. n. 54.
(7) L. 1. tr. 1. c. 1. n. 3.
(8) Tr. 22. de sacr. miss. d. 1. p. 3. n. 1.

ba sunt pontificis) *eis nihil conferret memorata indulgentia, sine qua id praelatis annuentibus liceret.* Unde probe animadvertit p. Suarez[1] cum Sylvestr. Sot. et Navarr., episcopos non caruisse antiquitus hac facultate permittendi celebrationem assidue et absque ulla necessitate, quia illa (ait Suarez) non erat dispensatio, sed usus propriae potestatis. Deinde tamen facultas haec ablata fuit episcopis per Tridentinum[2]. Hoc tamen non obstante, communiter sentiunt dd., hoc intelligendum esse de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus, iuxta facultatem quam episcopi prius habebant; at minime esse eis vetitum huiusmodi concedere licentiam per modum actus pro aliquo tempore, si iusta adsit causa. Ita p. Suar. [3] qui postquam necessitatis casum excepit, ait: *Item facultas haec est per modum dispensationis; concilium autem ab episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in huiusmodi rebus, maxime cum revera sit moraliter necessaria.* Et subdit: *Tandem usus hoc confirmat, quia ita fit sine ullo scrupulo.* Idem dicit Bonac. [4]: *Episcopus potest in casu aliquo, iusta concurrente causa, dispensare ut missa extra ecclesiam in loco honesto celebretur.* Et citat Reginaldum Beia et Cenedo. Et deinde Bonac. se refert ad id quod alibi [5] scripsit, ubi sermonem faciens de opinione ab aliquibus dd. defensa, et a nobis relata *lib. 1. n. 191.* (quae quidem Bon. non arridet, neque nobis, nempe quod episcopus dispensare valeat in omnibus canonicis legibus, in quibus non est ipsi ab apostolica sede expresse reservata dispensatio), inquit hanc sententiam habere saltem locum in iis quae saepe accidunt, et dispensationem requirunt; vel si occurrat aliqua gravis necessitas vel gravis utilitas, et non pateat facilis ad sanctam sedem recursus. Idem tenet Tamb. [6] qui eamdem rationem affert, nempe quia, cum huiusmodi casus frequentes sint, episcopis est moraliter necessaria haec potestas dispensandi, iuxta dicta *l. 1. n. 192.* Idem docet Barbosa [7] dicens: *Concilium loquitur de communi modo celebrandi, non vero abstulit episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, stante necessitate vel iusta causa.* Idem scribit Escob. [8] dicens: *Talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri; unde potest episcopus hanc concedere facultatem* (celebrandi extra locum sacrum) *quando persona nobilis ratione senectutis vel infirmitatis nequit adire ecclesiam, ut missam audiat et eucharistiam recipiat.* Idem tenet Laym. [9]: *Non videtur haec potestas ablata* (episcopis) *occurrente casu necessitatis dispensandi, ut semel aut saepius, quatenus rationabilis causa suaserit, in loco honesto, sed profanis usibus destinato, super altari sacrato missam celebrare liceat.* Idem ait Holzm.[10]: *Excipiendus est praeterea casus quo episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis aedibus, v. g. alicuius infirmi, super altari portatili celebrari possit.* Idem dicunt Salm. [11] Elbel [12] et Croix [13] cum Coninch. Rodriq. Pasq. Quarti Dian. March. Hurt. et Fagund. Igitur supradicta sententia merito communis dici potest. Et notetur quod quando a supra citatis dd. vocatur *necessitas*, loquendo de dispensatione, non intelligitur necessitas celebrandi, quia haec dispensatione non indiget, ut superius in priori exceptione observatum est; sed intelligitur necessitas, qua dispensatus celebrandi vel ad ecclesiam pergendi, ut missam audiat, impos efficitur, et iusta concurrit causa dispensandi.

Nec doctrinae traditae obstat decretum Clem. XI. quod opponit p. Mazz., sicuti nec etiam obstant decreta Pauli

(1) T. 3. in 3. p. d. 31. sect. 3. v. Secundo.
(2) Sess. 22. in decreto de celebr. miss. etc. relato supra n. 357. (3) Loc. cit. v. Secundo in fine.
(4) De eucharistia d. 4. q. ult. n. 11.
(5) Tr. de leg. d. 1. q. 2. part. 1. n. 17.
(6) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 6. n. 7.
(7) De potest. episc. alleg. 23. n. 9.
(8) T. 3. de euch. c. 6. n. 37. (9) L. 5. tr. 5 c. 5. n. 3. (10) T. 2. de euch. c. 2. n. 370.
(11) De sacrif. miss. tr. 5. c. 4. n. 56.
(12) Theol. mor. eod. tit. p. 156. n. 255.
(13) L. 6. p. 2. n. 265.

v. et Urbani VIII., in quibus vetatur episcopis huiusmodi dispensationem concedere, quia decreta intelliguntur iuxta Tridentini sanctionem, ut aiunt Escob. Salm.[1] cum Philib. Hurtad. Navarr. Quintan. Dian. Fagund., scilicet de dispensatione per modum *habitus*, sed non per modum *actus*, ad tempus pro aliquo casu particulari, quando rationabilis causa dispensandi habeatur. Et quoniam post Tridentini decretum non defuerunt auctores, uti Sotus et Emmanuel Sa, qui dixerunt non esse peccatum grave extra ecclesiam celebrare, si in loco honesto celebretur; imo Sotus scripsit (ut refert p. Suar.[2]) se nullam in hoc agnoscere culpam, semper ac secreto celebraretur et scandalum abesset; ideo fortasse memorati pontifices hoc prohibere episcopis urgentioribus clarioribusque decretis iudicantur.

Dubitatur deinde, quoties concedi possit huiusmodi dispensatio. Salm.[3] dicunt semel vel bis: sed alii, ut Suar. Laym. Bon. Escob. Holz. et Elb. cum Pasq. etc., indefinite loquuntur, et intelligunt concedi posse, durante infirmitate, vel alia causa accidentali. Et merito indefinite loquuntur; nam prohibitio dispensandi est strictae interpretationis, ac intelligenda est (ut superius vidimus) tantum pro dispensationibus continuo permanentibus, non vero pro iis quae ad tempus conceduntur respectu alicuius causae transeuntis. Accedit his declaratio quam refert Gallemart[4] ubi dictum fuit: *Permittit pontifex ordinarii arbitrio, necessitate personali et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Idem admittit card. Petra[5] dicens bene licere episcopo potestatem facere, ut in alicuius insignis viri morbo laborantis domo missae sacrificium peragatur, ut et sacro ille intersit, et sacra reficiatur communione. Accedit etiam, quod Honorius III.[6] verba faciens de licentiis celebrandi, fassus est in hac materia *benignam potius interpretationem faciendam esse.* Atque si haec licentia concedi potest ab episcopis pro saecularibus infirmis, ne missam audire priventur, ut supra dictum est, tanto magis concedi valet sacerdotibus qui saepe habent quamdam celebrandi necessitatem, prout colligitur ex Trid.[7] ubi dicitur: *Curent episcopi ut ii* (id est sacerdotes) *saltem diebus dominicis et festis solemnioribus missam celebrent.* Quapropter nescirem a culpa levi excusare sacerdotem illum qui quotidie celebrare posset (una hebdomadis die excepta ob reverentiam) et sine ulla iusta causa, sed tantum ob desidiam a celebrando abstineret; sacerdos enim non solum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius ecclesiae populique christiani, cuius minister et intercessor est constitutus, iuxta illud apostoli: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum; ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*[8]. Hinc oritur (prout dicebam) quaedam necessitas, quam sacerdos habet celebrandi; et ideo facilius episcopi concedere possunt sacerdotibus celebrandi licentiam in ipsorum domibus, durante eorumdem infirmitate.

Notandum 1. quod indultum oratorii privati a papa concessum durat usque ad mortem privilegiati tantum; nec perit mortuo papa vel episcopo qui illud designavit, quia gratia semel facta non expirat morte concedentis. Vide Croix[9].

Notandum 2. quod si privilegiatus mutet domicilium in aliam dioecesim, non amittit privilegium oratorii, quod cum sit personale, personam sequitur, quamvis requiratur nova approbatio episcopi, et nova inspectio loci. Croix[10] cum Sylv. Bon. Barb. Pell. Tamb. etc. Quia inspectio requiritur, etiam dum mutatur habitatio in eodem oppido, ut

(1) Tr. 5. c. 4. p. 2. n. 53. (2) 3. p. t. 3. dec. 81. sect. 3. in princ. (3) Loc. cit.
(4) In Trid. sess. 22. decr. de observ. etc. n. 6.
(5) T. 4. in constit. 2. Urbani II. n. 31.
(6) In cit. c. In his 30. de priv. (7) Sess. 23. c. 14.
(8) Hebr. 5. 1. (9) L. 6. p. 2. n. 267. (10) N. 269

bene ait Croix [1] cum Tambur. contra Dian. et Quintan. Utrum autem privilegiatus possit duo oratoria habere, unum in oppido, alterum in villa. Negat Croix, sed affirmat Pasq. apud ipsum, cui non dissentio, si privilegiatus non sit ibi per modum transitus, et locus sit ab ordinario iam approbatus.

Notandum 3. id quod habetur in decreto emanato a Clem. XI. die 15. decembr. 1703. quod in extensum affert Croix [2] ubi sic dicitur: *Nonnulli episcopi et complures regulares sub praetextu privilegiorum ea sibi licere putant quae prohibita sunt. Regulares in quibusdam nobilium personarum privatis oratoriis, quae certis quandoque ex causis a sede apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures missas quam in iis sit indultum, vel absque praesentia personarum quarum contemplatione concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem, vel illis etiam diebus quibus per constitutiones dioecesanas, aut etiam decreta s. c. concilii celebrari prohibetur, aut quae in ipsis indultis apostolicis excipiuntur.* Deinde declaratur: *In oratoriis privatis quae per s. sedem concessa fuerint, non licere regularibus cuiusvis ordinis aut aliis quibuscumque sacerdotibus, etiamsi essent episcopi, in iis celebrare in diebus paschatis, pentecostes, nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis ... In reliquis vero diebus praedictis regularibus et sacerdotibus quibuscumque, etiam episcopis, in praefatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa quae in indulto conceditur, fuerit celebrata: super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare. Atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius in omnibus huiusmodi casibus, personas quascumque dictas missas audientes nullatenus praecepto ecclesiae satisfacere etc.*

Ex quo deducitur 1. prohiberi celebratio in oratoriis privatis non solum die paschatis, pentecostes, nat. Christi Domini, ut exprimitur in decreto, sed etiam in die epiphaniae, feriae quintae in coena Domini, annuntiationis, ascensionis, assumptionis b. Mariae V., festo ss. Petri et Pauli et omnium sanctorum, iuxta decretum s. c. rit. editum 17. nov. 1607. (apud Merati [3]), cuius meminit Clemens XI. in decr. supra citato. Advertendum tamen cum Croix [4] 1. quod ubi tale oratorium concessum est propter infirmitatem, potest omnibus diebus, etiam exceptis, ibi celebrari; et sic decrevit s. c. ut refert p. Zaccharia apud Croix[5], decernens insuper quod in die nativitatis Domini una tantum missa ibi celebretur. Advertendum 2. quod hoc procedit tantum in oratoriis privatis, non vero publicis de licentia episcopi benedictis, ut supra diximus, in quibus omni die etiam solemniori celebrari potest, ut patet ex decreto s. c. rit. 3. septemb. 1671. apud Merati [6].

Deducitur 2. quod si in indulto dicatur, una missa quotidie celebretur, nequit sub mortali a quibuscumque sacerdotibus etiam episcopis et regularibus sub praetextu privilegiorum praeter illam missam alia celebrari, ut recte inquiunt Bened. XIV. [7] et Quarti apud Croix [8] et Tonellius [9] cum communi contra Marchantium [10] qui censet non vetari plures missas celebrari, nisi dicatur in indulto, *unica missa celebretur, vel una tantum*: quia, ut ait, to *una* non est particula taxativa, prout si in fundatione dicatur, *volumus ut quotidie una missa celebretur in tali altari*, non ideo plures prohibentur missae. Haec tamen opinio videtur omnino improbabilis; nam privilegia sive concessiones adversus aliquam legem prohibitivam stricte sunt accipienda; unde particula *una* idem importat ac *unica*, et quod pro una vice conceditur, non potest ad plures vices extendi; prout si quis pro una vice concedat alicui transire per suum a-

(1) Loc. cit. (2) L. 6. p. 2. n. 258.
(3) In indice t. 1. p. 2. n. 74. (4) N. 271
(5) L. 6. p. 2. n. 271. (6) In indice n. 592.
(7) Not. 29. n. 8. (8) L. 6. p. 2. n. 268.
(9) Enchir. p. 55. n. 6. (10) Ref. misc. cas. 5.

grum, non posset ille pluries transire. Et hoc patet clare ex citato decreto, ubi reprobantur *regulares qui privatis in oratoriis celebrare audent plures missas quam in iis sit indultum*. Cum autem in indulto sit una missa expressa, qui plures missas celebrarent, iam auderent celebrare ultra concessionem in indulto expressam. Nec valet paritas adducta fundationis; nam ibi non vetantur aliunde plures missae celebrari, nec fundator prohibere posset; sed in oratoriis privatis non potest celebrari alia missa, nisi quae in indulto exprimitur, cum aliunde sit generaliter prohibitum ibi celebrari; unde idem est, cum in indulto dicitur *unica missa*, quam *una quae indulto conceditur;* in utraque enim dictione mens pontificis est, secundam missam non posse celebrari.

Dices: Pluries celebrari non prohibetur respectu celebrantium, sed respectu audientium, qui in aliis missis, prima concessa celebrata, non satisfacerent praecepto. At respondeo quod prohibitio est non solum respectu audientium, sed etiam celebrantium: primo quia omnibus vetitum est celebrare in oratoriis cultui divino non destinatis per consecrationem vel benedictionem episcopi; secundo quia in decreto praefato Clementis duo quidem seiunctim per se prohibentur, et sacerdotibus alias missas praeter unam concessam celebrare, et audientibus in iis praecepto satisfacere. Primum habetur ex illis verbis: *Regularibus et sacerdotibus quibuscumque, etiam episcopis, in praefatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa quae in indulto conceditur, fuerit celebrata.* Alterum: *Demandando ulterius in omnibus huiusmodi casibus personas quascumque dictas missas audientes nullatenus praecepto ecclesiae satisfacere.* Post haec scripta inveni bullam n. ss. p. Bened. XIV. *Magno*, die 2. iun. 1751. qua lis finita est; nam pontifex declarans ibi quomodo intelligenda sint huiusmodi indulta, dicit: *Haec pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma brevis, quae conceduntur, colligere est... Nec plures in die, sed unica tantum missa in oratorio celebretur.* Ergo prohibitio non tantum respicit audientes, sed praecipue celebrantes, cum in privato oratorio pluries celebrari vetetur.

Quaeres hic an liceat in oratoriis privatis ministrari eucharistia sine licentia episcopi. Certum est episcopum prohibere posse ministrationem communionis in oratorio privato, ut declaravit Benedict. XIV. in dicta bulla *Magno*. At si non adsit prohibitio, affirmat Clericatus[1], potitus ratione, quia per Tridentinum optatur ut in singulis missis fideles adstantes sacramentaliter communicent. Nec dissentit Portella apud Diana[2], dicens quod susceptio eucharistiae in oratorio privato nullam parocho iniuriam infert, quando non fit de praecepto. Negant vero[3] Diana Quarti et Giribaldus apud Bened. XIV.[4] qui refert Innocentium III. olim Romae negasse cuidam nobili matronae licentiam communicandi in oratorio privato, excepto casu infirmitatis. Negant etiam Pignatelli[5] Pasq.[6] et P. Gattico[7] quia ministratio eucharistiae pertinet ad iurisdictionem ordinarii, cum sit actus pascendi oves; et ideo regulares, ut eucharistiam ministrarent, specialibus indiguerunt privilegiis. Hinc idem papa Benedict. XIV. in encyclica ad episcopos regni Poloniae, edita eadem die 2. iun. 1751., prohibuit dari communionem in privatis oratoriis iis qui intersunt absque licentia episcopi. Quoad sacramentum autem poenitentiae, certum est non esse licitum illud ministrare sine iusta causa in oratorio privato, ut habetur in rituali rom.[8] ubi dicitur: *In ecclesia, non autem in privatis aedibus* (sacerdos) *confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti*

(1) De euch. dec. 8. n. 54. (2) P. 4. tr. 4. r. 14.
(3) Communius. Hom. Ap. Exam. ord. n. 114.
(4) Notif. 29. n. 11. (5) Cons. 96. n. 86.
(6) De sacr. miss. q. 644. (7) C. 40. n. 6
(8) De sacr. poenit.

loco praestare. Idque confirmatum fuit in cit. bulla *Magno* §. 20. Quinam autem satisfaciant audiendo missam in oratoriis privatis. *Vide dicta l. 3. n.* 319.

360. « Tertio. Ex privilegio, quale dicuntur habere minores et qui cum iis participant; quod esse revocatum a Trid. [1] licet multi velint, negant tamen Diana [2] Joan. Salas Rodriq. etc. Idque secundum card. de Lugo [3] probabiliter, et Tamb. [4] probabilius. Vide Barb. [5] Item religiosi societatis Jesu a Gregorio XIII. ut possint tum in missionibus, cum facultate superioris in quovis loco decenti, tum in domibus suis in loco honesto, a provinciali designato, missas dicere; in quo idem licebit aliis. »

Hanc sententiam, nimirum quod privilegium regularium circa oratoria privata non fuerit revocatum a Trident. tenent Roncaglia [6] et alii; sed haec sententia hodie non est amplius probabilis post decretum Clementis XI. editum die 15. dec. 1703. (apud Croix [7]), ut bene docet Holzman [8] cum Anacl Elbel et aliis communiter; in praefato enim decreto sic declaratur: *Privilegia concessa nonnullis regularibus in c. In his de privileg. et per aliquos summos pontifices communicata aliis regularibus utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi sine ordinariorum licentia in locis in quibus degunt, omnino revocata sunt per idem concilium Tridentinum.* Et idem declaravit Benedict. XIV. in cit. bulla *Magno* §. 29. Dicit autem P. Mazzot. [9] hoc tantum intelligendum de domibus privatis, non vero de domibus ipsorum religiosorum. Sed hic advertenda constitutio Innocent. XIII. edita 13. maii 1723. quae incipit, *Apostolici ministerii* (apud Merati [10]) ubi sic habetur: *Circa missarum celebrationem in privatis oratoriis, iuxta Clement. XI. Decretum* (supra relatum), *episcopi debent operam dare, ut omnia ibidem statuta ubique serventur: addita etiam prohibitione, ne in privatis regularium cellis seu cubiculis erigatur altare pro re sacra facienda.... remota quacumque in contrarium consuetudine.*

361. « Dixi *non violata;* quia in ecclesia interius violata, nisi prius reconcilietur, non licebit sub gravi peccato, ut Laym. [11] ex Nav. Suar. Conc. etc. nisi in necessitate, cum venia episcopi (si is adiri possit, alioquin sine ea, ut habet card. Lugo [12]) celebrare, aut mortuos sepelire (Ita etiam Salm. [13] cum Lugo et Philib. Necessitas autem sufficiens censetur, si populus non habet aliam ecclesiam, ubi missam audiat. Si vero ecclesia polluatur incoepto canone, sacerdos utique missam prosequi debet. Palaus Suarez Conin. Laym. cum Salm. [14]). »

Quaeritur an celebrans in ecclesia polluta incurrat aliquam poenam. Sylvest. [15] Azor. [16] et Graff. Nav. etc. ap. Escob. [17] dicunt incurrere suspensionem ab ingressu ecclesiae, ex *c. Episcoporum, de privil. in* 6., ubi celebrantes in locis interdictis (ut ibi dicitur) *ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum.* Sed negant probabilius Suarez [18] Laym. [19] Lugo [20] Bened. XIV. [21] Salm. [22] et Esc. [23]. Ratio, quia textus non loquitur de celebrantibus in templo polluto, sed interdicto per interdictum generale; differt autem templum esse interdictum et esse pollutum. Tanto minus incurret irregularitatem, ut recte aiunt Escob. Salmant. et Benedict. XIV. [24] contra Hostiensem, quia violatio ecclesiae non est censura, per cuius violationem incurratur irregularitas.

362. « Addo 1. *Ecclesia:* quia oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis extet altare ad facienda divina, ut Bonac. [25], non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter

(1) Sess. 22. c. 8. (2) P. 3. t. 2. res. 30. p. 4. t. 4. r. 106. (3) D. 20. s. 2. n. 51. (4) De exped. celebr. l. 1. c. 3. §. 3. (5) In Trident. loc. cit. (6) De sacrif. c. 5. q. 2. (7) L. 6. p. 2. n. 253. (8) T. 2. p. 34. (9) Tr. 5. d. 4. q. 2. c. 3. (10) T. 1. p. 2. in indice n. 643. (11) L. 5. t. 5. c. 5. n. 7. (12) L. cit. n. 65. (13) Tr. 5. c. 4. p. 2. n. 64. (14) Ibid. in fine. (15) V. Consecratio, 2. q. 9. (16) L. 10. c. 26. q. 16. (17) L. 21. n. 366. (18) D. 31. s. 4. (19) C. 5. n. 6. (20) D. 20. n. 52. (21) De sacr. miss. l. 3. (22) Cit. n. 64. (23) L. c. n. 363. (24) Locc. cc. (25) De matr. q. 4. r. ult. n. 9.

de hospitalibus docent Nav. Sot. etc., sed probabilius contrarium docent alii, cum c. de Lugo [1].

» Addo 2. *Interius:* quia quod fit in turri, sacristia, supra tectum, vel fornicem, in crypta, sub pavimento (nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta), non violat ecclesiam (Cum Salmant.[2] cum Dic. etc.).

363. » Addo 3. *Nisi reconcilietur:* quod fieri debet ab episcopo vel sacerdote, ex privilegio papae, quale superiores regularium pro suis ecclesiis habere, ex Avila notat Diana [3] si fuit consecrata (Modo adhibeatur aqua benedicta ab episcopo, vel a seipsis, si distet episcopus duabus dietis, ut ait Ronc. [4] cum aliis), quod praesumendum est si celebretur festum dedicationis. Si vero tantum fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio a simplici sacerdote aspersione aquae benedictae (Debet tamen praecedere episcopi delegatio, ut notat Palaus [5] et habetur in rituali rom.[6]. Aqua autem potest benedici ab ipso sacerdote, ut Salm. [7] et Palaus [8] cum Barb. Henr. Laym. etc. contra Tolet. Imo Bened. XIV. [9] ait: *Si* (ecclesia) *simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Gregorius* IX. *in* cap. Si ecclesia, de consecr. eccl. *statuit, nulla praeobtenta delegatione, per simplicem sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam sanctam sive lustralem vocant, posse ecclesiam pollutam reconciliari*), cum facultate episcopi, vel sine ea, secundum Dian.[10]. Censeri etiam reconciliatam, si sacrificium in ea peractum fuerit, docet Tamb. [11] ex Henr. Sa, et Diana esse probabile putat: negat autem card. de Lugo [12] (Et cum de Lugo idem merito sentiunt Nav. [13] Laym. [14] et Pal.[15] cum Az., quia nullibi habetur celebratio succedere loco reconciliationis. *Vide dicenda n.* 380.).

» Porro ecclesia, uti et coemeterium violantur seu polluuntur sequentibus casibus: non tamen, nisi postquam res evulgata fuerit. Laym. [16]. »

364. Nisi factum publice constat, ecclesia non censetur polluta, etiam respectu ipsius delinquentis. Salm. [17] et communiter. Putat autem Elbel [18], et citat Diana Moya et Laym. cum aliis, quod ad ecclesiae pollutionem requiratur non solum notorietas facti, sed etiam iuris per sententiam declaratoriam iudicis: sed hanc opinionem non censeo esse tutam, cum sit contra communem, quam tenent ipse Lay. [19] Pal.[20] Salm.[21] Mazz.[22] Spor.[23] Croix[24] Roncag. [25] qui omnes dicunt, sufficere ad pollutionem notorietatem sive iuris sive facti; et hoc patet clare ex *c. Significasti, de adult.* ubi ob notorietatem tantum facti fuit declaratum, ecclesiam esse reconciliandam. Et ex eodem textu manifeste pariter deducitur, ut dicunt etiam Less. [26] et Esc. [27] cum Nav. Sanch. Azor. etc., quod, cum crimen etiam secretum fuerit, si tamen postea fit publicum, sine nova culpa ecclesia censetur violata.

« 1. Per factum in ea homicidium mortaliter malum seu iniuriosum, saltem immunitati ecclesiae, quale etiam est, quod alias iustum esset per sententiam iudicis, nisi tamen reip. perturbator aliter capi non posset. Non est autem tale 1. quod fit casu vel ab amente; 2. quod in sui defensionem; 3. cuius causa data est extra ecclesiam: quia requiritur ut vulnus sive causa physica fiat intra ecclesiam. Vide c. de Lugo [28]. »

Quaeritur an violetur ecclesia, si infertur vulnus lethale sine sanguinis effusione intra ecclesiam, et mors extra eam contingit. Negant Suar.[29] Az.[30] et Diana [31] cum Praep. et Regin. quia in *cap. Proposuisti, de consecr. eccl.* requiritur, ut dicunt, quod mors intra

(1) N. 69. (2) Ib. n. 67. (3) P. 4. t. 4. r. 91. (4) C. 5. q. 6. (5) P. 3. n. 14. (6) Tit. de bened. (7) Tract. 5. c. 4. p. 2. n. 66. (8) Loc. cit. (9) De syn. l. 3. c. 15. n. 2. (10) P. 4. t. 4. r. 91. (11) L. c. §. 4. (12) De euch. d. 20. s. 2. n. 62. (13) C. 27. n. 236. (14) C. 5. n. 13. v. Adv. 4. (15) P. 3. n. 14. (16) L. 5. t. 6. c. 5. (17) Ib. n. 67. (18) De sacrif. n. 578. (19) Tr. 5. t. 5. n. 3. (20) Tr. 11. p. 1. n. 2. (21) De sacr. miss. c. 4. p. 2. n. 67. (22) De sacr. miss. c. 3. §. 2. (23) Eod. tit. c. 6. n. 441. (24) L. 6. p. 2. n. 289 (25) Eod. tit. c. 5. qu. 4. (26) L. 4. c. 3. n. 37. (27) De missa probl. 71. n. 398. (28) D. 20. s. 2. n. 55. (29) D. 31. s. 4. (30) Lib. 10. c. 26. quaest. 15. (31) P. 6. tr. 6. r. 25.

ecclesiam sequatur. Sed probabilius affirmant Lugo[1] cum communi, Laym.[2] Salmantic.[3] et Escob.[4] cum Nav. Con. et Marchino; tum quia textus non exprimit requiri mortem intra ecclesiam, cum ibi dicatur tantum: *Homicidia contingunt fieri; et aliquando vulnera inferuntur;* et tunc requiri reconciliationem: ergo ex textu nequaquam requiritur mors intra ecclesiam secuta; tum quia sufficit ad violationem ecclesiae, ut causa mortis physica intra ecclesiam data sit (dicimus *physica;* nam bene aiunt Escob. et Lugo [5] non sufficere causam moralem, nempe mandatum, sive consilium homicidii datum in ecclesia). Et sic etiam violatur ecclesia, ut dicunt Lugo[6] et Escob.[7] cum Suar. Graff. Sylv. Azor. Navar. Tolet. Avil. Reg. et Sayr. (contra Dian. [8] et Persicum apud Escob. [9]) si vulnus fiat intra ecclesiam, et sanguis fundatur extra; quia ecclesia polluitur non tam per sanguinis effusionem, quam per actionem iniuriosam qua causatur effusio: in textu autem *cap. Si ecclesia, de consecr. eccl.* qui mox infra adducetur, ubi dicitur per sanguinis effusionem ecclesiam violari, non requiritur effusio intra ecclesiam, unde semper, si adest percussio iniuriosa cum sanguinis effusione, violatur ecclesia. Idem dicendum si aliquis existens extra ecclesiam sagitta vel sclopo alterum occidat, ut Salm. [10]. Secus vero dicendum, ut bene ait Lug.[11], si vulnus infligatur extra, et intra ecclesiam mors eveniat aut sanguis effundatur, quia tunc abest iniuria in ecclesiam.

365. « 2. Per mortaliter malam effusionem proprii vel alterius sanguinis vel seminis causatam vel factam in templo, licet non in templum. Unde non violat 1. Si pauculae guttae effluant; quia non est effusio. (Ut dicunt etiam communiter Bened. XIV.[12] Elb.[13] cum Fel. Pot. et Salm. [14] cum Dicast. Phil. et aliis, idque patet ex *cap. Si ecclesia* 10. *de consecrat. eccl.* ubi dicitur: *Si ecclesia non consecrata cuiuscumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur.* Nota to *sanguinis effusione* quae copiam significat). 2. Si ex percussione vel vulnere levi, v. gr. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat (Ita etiam Elb. [15] Lug.[16] quia in hoc communiter non adest peccatum mortale. Imo Sa [17] Dian.[18] et Sotus Vict. Fag. Marchin. ac Graff. apud Escob. [19] id extendunt etiam ad adultos, quia sanguis e naribus effluens non dicitur proprie effluere e vulnere cum e naso facile soleat sanguis emanare. Sed probabilius Bonac. [20] et Escob. [21] cum Sylvio Con. et Franc. Lugo putant violari ecclesiam, si talis effusio accidat cum peccato mortali, quia tunc iam adest effusio graviter in ecclesiam iniuriosa). 3. Si fiat ex sectione venae. 4. Actus coniugalis, quando excusatur a sacrilegio (*Vide dicta de hoc l.* 3. *n.* 458.). 5. Fornicatio facta ab amente. 6. Pollutio inculpata; vide de Lugo [22].

366. » 3. Per sepulturam excommunicati non tolerati, vel infidelis (quo nomine hic non comprehendi haereticum docet card. de Lugo[23]), etiam infantis, ut ex *c. Ecclesiam, de consecr. dist.* 1. docet Praep. Quamvis, si pueri parentes sint fideles, negat Sayr. Vide Bon. [24].

367. » 4. Per destructionem ecclesiae ex toto vel maiore parte (Parietum vel crustae. Pal. [25] Salm.[26] cum Suar. Laym. et Bus. *infra n.* 2.); quamquam eo casu dicatur potius execrari, quam pollui; non autem si solum tectum, vel si successive per partes modicas destruatur et reficiatur (Etsi ecclesia tota renovetur. Palaus [27] Salmanticenses [28] cum Navarro Barbosa. Notant Salm. [29] cum Gabr. quod polluta ec-

(1) D. 20. n. 53. (2) C. 5. n. 8. (3) Ib. n. 63. (4) L. 21. n. 371. (5) Locc. cc. (6) N. 55. (7) N. 377. (8) P. 6. tr. 6. r. 47. (9) N. 375. (10) Tr. 5. c. 4. p. 2. n. 68. (11) Dict. n. 53. (12) De miss. t. 9. l. 3 c. 7. (13) De sacril. n. 578. (14) Ibid. n. 69. (15) Loc. cit. (16) D. 20. n. 54. (17) V. Ecclesia n. 13. (18) P. 5. tr. 6. r. 24. (19) L. 21. n. 372. (20) De matr. d. 9. p. ult. n. 23. (21) n. 374. (22) D. 20. n. 54. et 55. (23) Loc. c. n. 57. (24) De euch. et matr. d. 4. q. 4. p. ult. (25) P. 7. n. 18. (26) Tr. 5. c. 4. p. 2. n. 74. (27) Ibid. (28) Loc. cit. n. 76. (29) Ibid.

clesia, polluitur etiam coemeterium; sed non contra). Neque etiam per desolationem, exercitium haereticum, spurcitias hominum vel animalium istic stabulatorum etc., etsi deceat, et praxis habeat, ut per episcopum, vel saltem sacerdotem cum aliqua caeremonia reconcilietur et abluatur: quod in simili casu intellige de altari. Laym. [1].

368. » Quaeres, quid sit et quando fiat execratio, seu resecratio.

» Resp. Execratio dicitur, cum res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit quando ita destruitur, ut formam et usum suum perdat.

Unde resolves:

» 1. Polluta ecclesia, polluta etiam sunt altaria eius fixa: non tamen, execrata ecclesia, execrantur altaria, nec contra.

» 2. Ecclesia execratur, si parietes secundum maiorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut maior saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post alteram. Vide Lug.[2] (Et hoc etiamsi per intervalla hebdomadarum vel dierum ecclesia tota nova fiat, ut Suar. [3] Laym. [4] et Pal. [5] cum Sylvest. Sa et Barb., quia quaecumque pars accedens manet consecrata, cum magis dignum trahat ad se minus dignum. Idque procedit, etiamsi adsit animus totam ecclesiam destruendi, ut ait Pal. [6] cum Navar. Suarez Barb. etc., quia intentio illa non officit quin consecratio perduret). Non autem si tectum corruat, quia consecratio est in parietibus. Vide Laym. [7].

369. » 3. Altare execratur 1. Si, cum fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiori structura. »

Ita ex *c. Ad haec* et *c. Ligneis*, *de consecr. eccl.* Intellige hoc de mensa totaliter consecrata, ita ut in qualibet eius parte possit sacrificari. Non execratur tamen altare, si aliqui tantum lapides structurae dimoveantur, ut docent Suar.[8] Laym.[9] Pal.[10]. Imo Vasq et Suar. apud eumdem dicunt non execrari altare, si tota mensa cum lapidibus quibus inhaeret, alibi transferatur; quia textus non loquuntur de separatione a loco, sed de separatione a structura. Haec de altari fixo; sed altare portatile minime execratur, si ara moveatur a lignis, sive a capsula, ubi ara est inclusa; capsula enim illa non pro forma, sed ad custodiam et ornatum tantum instituta est, ut recte dicunt Suar.[11] Laym.[12] et Pal. cum Sa Sylvest. Abb. et Con. contra Palud. et Ang. Textus autem prohibentes separationem loquuntur tantum de altari fixo.

Nota hic autem decretum s. c. rit. editum die 3. dec. 1661. ap. Merati [13] ubi sic dictum fuit: *Habens indultum a sede apostolica erigendi oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi aedificare altare ligneum, non indiget facultate apostolica; dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non prae se ferat. Vide n.* 424. 13.

« 2. Si ita frangatur (sive fixum sive portatile sit), ut in nulla eius integra parte calix cum patena possit consistere (Secus si in aliqua parte calix et patena cum hostia consistere possit, ut Salmant.[14] Lugo Palaus etc. item Cont. Tournely [15] ex *cap.* 3. *de consecrat. eccles.* ubi praecipitur, altaris tabula denuo consecrari *si enormiter fracta fuerit*, saltem ex maiore parte, ut ait Tamb.[16]. An autem ara possit fieri ex duobus lapidibus coniunctis. Affirmant Hurt. et Pasq. apud Croix [17]. Sed communissime et rectius negant Salm. [18] Tourn. [19] Tamb. [20] cum aliis).

» 3. Si spolietur sepulcrum: quod tamen quidam negant, ut Lugo Tamb.[21].»

Dubitatur hic 1. An reliquiae sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris.

(1) L. 3. t. 3. c. 3. (2) D. 20. n. 63. (3) D. 81. sess. 4. cas. 6. (4) C. 3. n. 16. (5) P. 3. n. 15. (6) Loc. c. (7) Loc. c. (8) D. 81. sect. 5. (9) C. 6. n. 6. (10) P. 11. n. 9. (11) Loc. c. (12) N. 3. (13) T. 1. p. 12. in indice n. 395. (14) Tr. 3. c. 4. p. 3. n. 79. (15) De sacrif. c. 9. n. 2. sect. 7. quaer. 7. r. 3. (16) C. 1. § 1. n. 3. (17) N. 314. (18) Ib. n. 80. (19) P. 804. q. 2. (20) C. 3. §. 1. n. 6. (21) L. 1 c. 3.

Prima sententia affirmat, quam tenent Sylv. [1] Azor. [2] Habert [3] Contin. Tourn. [4] Armilla etc. apud Escob. [5]. Probatur 1. ex *c. Placuit*, *de consecr. dist.* 1. ubi praecipitur everti altaria quae carent reliquiis: et idem habetur in conc. carthag. 5. *c.* 14. Probatur 2. *can.* 7. vel 9. conc. nicaeni 2. ubi dicitur nullum templum consecrari sine sanctorum reliquiis. Probatur 3. ex consuetudine ecclesiae, quae satis indicatur per orationem illam quae dicitur in missa: *Oramus te*, *Domine*, *per merita sanctorum tuorum quorum reliquiae hic sunt etc.*

Secunda sententia vero communior negat reliquias esse necessarias; et hanc tenent Suar. [6] Laym. [7] Lugo [8] Pal. [9] cum Panor. Vasq. et Con. Viva [10] Elb. [11] ac Escob. [12] cum Ang. Host. etc. et probabilem putant Croix [13] et Merati [14]. Ratio quia (ut dicunt) nullibi habetur de reliquiis ponendis expressum praeceptum; illud enim quod extat in *cit. c. Placuit*, *et can.* 14. carthaginensis, aiunt non esse alicuius concilii generalis. Illud autem quod habetur in concilio nicaeno, dicunt intelligi de reliquiis requisitis in ecclesia, non autem in omni altari; saltem tale praeceptum, ut censent, si unquam adfuit, per contrariam consuetudinem est abrogatum. Ad orationem autem illam missae, *Quorum reliquiae etc.* respondent intelligi sub conditione si adsint. His tamen non obstantibus, puto non recedendum a prima sententia tum propter universalem contrariam consuetudinem, quam non immerito Cont. Tour. [15] censet firmatam ex eo quod (ut advertit cum Sylvio) in antiquo missali praecipiebatur omitti praedicta oratio in missa, si desint reliquiae, at posteriora missalia hanc exceptionem abstulerunt; tum propter decreta s. c. rituum, mox infra adducenda, ubi declaratur execratum altare a quo removentur reliquiae, vel frangitur sigillum; unde satis probatur reliquias esse necessarias ad altaris consecrationem. Et clarius hoc declaratum fuit alio decreto 19. ian. 1614. apud Croix [16] ubi dictum fuit, permitti altare portatile ligneum, *dummodo habeat reliquiarum repositorium*.

Dubitatur 2. An altare amittat consecrationem si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum reliquiis. Nomine *sepulchri* intelligitur loculus ille in quo reliquiae reconduntur: nomine vero *sigilli* intelligitur parvulus ille lapis quo sepulchrum clauditur.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar. [17] Elb. [18] cum Anacl. et Escob. [19] cum Francisco Lugo et Aversa, item Soto Vasq. Con. Tamb. ap. Croix [20] qui probabilem putat cum Laym. [21] Utuntur eadem ratione qua supra, nempe quia non constat de praecepto, quod reliquiae sint necessariae ad consecrationem altaris.

Secunda sententia tamen communior affirmat, et hanc tenent Holz. [22] Spor. [23] Cont. Tourn. [24] cum Pontas Habert [25] Lay. [26] cum Sylv. Ang. Durand. Henr. etc. communiter, ut asserit, item Bon. Sa etc. apud Pal. [27]. Ratio quia (ut ait Laym.) talis est consuetudo ecclesiarum, ut altaria, fracto sigillo vel amoto sepulchro, iterum consecrentur. Et hanc sententiam tenendam censeo ex decreto s. c. rituum; nam die 5. martii 1603. sic declaravit: *Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium reliquiarum* (ap. Pitton. [28]). Item die 5. martii 1623. declaravit: *Celebrari non potest super altare, a quo furtim, non amota vel fracta mensa, subtractae fuerint reliquiae a militibus, nisi altare de novo consecretur* (apud eumd. Pitton. [29]). Item die 21. iunii

(1) V. Altare, q. 1. (2) T. 1. l. 10. c. 27. q. 8. (3) T. 5. p. 2. c. 15. q. 3. (4) L. cit. v. Quaer. 5. (5) L. 21. n. 421. (6) D. 31. sect. 5. (7) C. 6. n. 8. (8) D. 20. n. 75. (9) P. 9. n. 5. (10) Q. 5. art. 6. n. 9. (11) P. 145. n. 159. (12) L. 21. n. 422. (13) L. 6. p. 2. n. 306. (14) T. 1. p. 2. n. 398. (15) Ibid. (16) L. 6. p. 2. n. 2055. decr. 145. (17) D. 21. sect. 1. (18) P. 154. n. 259 (19) Lib. 21. n. 426. (20) N. 396. (21) C. 6. n. 3. (22) P. 85. n. 371 (23) P. 147. n. 376. (24) L. cit. quaer. 7, r. 3 An execretur. (25) T. 5. p. 2. c. 5. q. 3. (26) Loc. cit. (27) P. 9. n. 6. (28) Tit. 1. de rit. n. 184. (29) N. 769.

1710. sic respondit: *Si altare fuerit consecratum ad modum altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, sed tantum quando frangitur sepulchrum reliquiarum* (ap. Pitton. [1]). Attamen dicunt Cont. Tourn.[2] et Spor., quod urgente necessitate non erit illicitum in tali altari celebrare.

Hic obiter notandum aliud decr. s. c. editum 10 nov. 1599 (apud Pitton.[3]) ubi dictum fuit: *Si sub altari, vel sub eius gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda missa, donec alio transferantur.* Idem confirmatum fuit die 13. iunii 1635. apud Pitton.[4]. Notat tamen Croix [5] quod si cadavera sint humata profunde in cella aliqua, sub alto fornice constructa, non videtur prohiberi super illam dici missam: tunc enim cadavera videntur satis separata ab altari, neque tunc super ea cadent verba, *quorum reliquiae hic sunt.*

370. « 4. Calix execratur, si notabiliter frangatur, vel ita ut fiat inutilis ad usum sacrificii: v. g. si foramen sit in fundo, licet minutissimum (Non vero si foramen sit in loco superiori, ita ut calix bene possit sacras species retinere. Ronc. [6] cum Diana), vel si figura destruatur: non tamen si in tornatili pes separetur a cuppa, quia in tornatili consecratur sola cuppa. Bon. [7] ex Suar. etc. (*Vide infra hic Dubitat.* 4.). Neque execratur, si pereat inauratio. Unde, licet communiter calix et patena, post novam inaurationem, quoad eam partem qua Christi corpus vel sanguinem contingunt, denuo consecrentur, id tamen necessarium non esse, docent Durand. Con. et alii contra Suar. Bon. et alios, etsi decet ut abluantur aqua benedicta. Ita Diana [8] et Laym. *hic*, item Lugo [9].

Dubitatur 1. An execretur calix, si pereat inauratio. Affirmant Az. Palud. etc. apud Escob.[10] quia tollitur subiectum immediatum consecrationis, cum tota unctio in superficie calicis fiat. Negant vero probabilius cum sententia communi Lugo[11] Spor.[12] Cont. Tour.[13] cum Suar. Laym. Sylvest. Ang. et aliis passim, ut asserit, et Esc.[14] cum Con. Fill. Arm. etc. communiter, ut ait. Ratio quia, licet unctio non fiat nisi in superficie, tamen tota moles calicis consecratur; et patet, quia si calix non sit tornatilis, et eius pes frangatur, etiamsi cuppa integra maneat, calix erit execratus, ut omnes communiter dicunt; ergo non in sola superficie consistit consecratio, sed in toto calice.

Dub. 2. An calix qui de novo inauratur, nova indigeat consecratione. Affirmant Suar. [15] Azor. [16] Bon. [17] item Vasq. Sylv. Ang. Tamb. etc. apud Salm.[18] quia calix consecratur propter contactum sanguinis Christi; unde quando illius superficies non est consecrata, necessario requiritur ut calix de novo consecretur. Negant vero probabilius Lay.[19] Lugo[20] Elb.[21] Tamb.[22] Escob.[23] cum Durando et Dian. item Con. Sa et Gab. apud Salm.[24]. Et probabile putat Pal.[25] atque valde adhaeret Cont. Tourn.[26]. Ratio quia cum sit communis doctrina, ut mox supra vidimus, quod calix, amittendo inaurationem, non amittat consecrationem; ita pariter consecrationem non amittit, si de novo inauretur, prout si ecclesia consecrata de novo dealbetur, nova non indiget consecratione, ut communiter dd. sentiunt; aut si corporali lacero aliqua exigua pars assuatur, haec etiam manet benedicta, ut clare infertur ex *c. unic. de consecr. eccles. in* 6. ubi dicitur maius dignum trahere ad se minus dignum. Obiiciunt: licet calix remaneat consecratus, non est tamen consecrata superficies illa aurea quae sola immediate tangit sanguinem Christi; pari modo si intra cuppam calicis alia subtilior cuppa poneretur, ista non fieret sacra, ita Suar. et Vasq. Sed facile respondetur cum Lugo: Super-

(1) N. 1687. (2) Ibid. (3) N. 100. (4) N. 672. (5) L. 6. p. 2. n. 2067. (6) C. 5. q. 4. (7) D. 4. c. ult. p. 9. (8) T. 1. misc. r. 3. (9) D. 20. n. 94. (10) L. 21. n. 468. (11) D. 20. n. 94. (12) N. 399. (13) C. 9. a. 2. sect. 8. q. 6. r. ad 5. (14) N. 470. (15) Dub. 81. s. 3. (16) C. 28. q. 4. (17) P. 9. n. 19. (18) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 90. (19) C. 6. n. 7. (20) D. 20. n. 95. (21) N. 281. (22) §. 5. n. 6. (23) L. 21. n. 475. (24) L. c. (25) P. 10. n. 12. (26) Loc. cit. v. Maior est.

ficies illa per coniunctionem ad calicem consecratum, bene fit etiam sacra, sicut dealbatio ecclesiae et pars corporalis fiunt sacrae per adiunctionem, ut diximus; item si oleum non consecratum in minori parte consecrato immisceatur, ex ipsa mixtione consecratur, ut patet ex *c. Quod in dubiis* 3. *de consecr. eccl.* ubi dicitur: *Non negamus quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Alia autem est ratio cuppae in aliam immissae, quae utique est vas distinctum, ac superficiei aureae, quae fit pars eiusdem calicis, et facit unum cum illo.

Omnibus tamen his praedictis non obstantibus, cum melius rem perpenderem, iudicavi quod, nova peracta inauratione calicis, denuo ipse est consecrandus; ratio quia tunc superficies calicis quae immediatum contactum habet sanguinis Christi, sine consecratione remanet; tanto magis quod, ut testantur Barb. et alii plurimi, talis est praxis ecclesiae et recepta consuetudo calices denuo consecrandi, cum denuo inaurantur. Casu autem quo per longum usum inauratio deperdatur, puto probabilius dicendum cum Sylvio et Ferraris, non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum huiusmodi calice; quia tunc viget ratio, quod calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. Cum vero nova fit inauratio, intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, immediate sanguinem tangens.

Dubitatur 3. An liceat celebrare in calice numquam deaurato. Affirmat Tamb.[1], quia (ut ait) ita usus obtinuit; sed haec ratio saltem hodie non videtur subsistere cum undique hodie usus sit in contrarium. Id autem probabile censet Croix [2] cum aliis passim ut asserit, forte alia ratione ductus, nimirum quia, etsi in rubrica [3] dicatur: *Calix debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata:* attamen in alia rubrica [4] sic habetur: *Calicis cuppa debet esse aurea vel argentea vel stannea: non aerea vel vitrea*, nulla mentione facta de inauratione; ex quo infertur illius deficientiam non esse inter defectus computandam. Et in prima rubrica dici posset requiri inaurationem tantum de congruitate et ad maiorem decentiam, cum ibi simul expresse requiratur calix aureus, vel saltem argenteus, et nihilominus, in secunda rubrica etiam stanneus admittitur: alii vero ut Cont. Tourn. [5] et Lugo [6] dicunt non eximi a culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset. Et hoc videtur probabilius, cum in prima rubrica dicatur quod calix debet saltem habere cuppam argenteam inauratam etc. Idque confirmatum est ex communi consuetudine. Nec obstat secunda rubrica, ubi permittitur calix stanneus; haec enim intelligi debet iuxta textum in *can. Ut calix* 45. *de consecr. dist.* 1. ubi permittitur consecrare in calice stanneo, tantum ratione paupertatis; nec putandum est, rubricam in hoc voluisse textui derogare: unde, ne dicatur rubricam sibi contradixisse, dicendum est quod prima rubrica intelligenda est iuxta secundam, nempe requirere calicem argenteum, nisi excuset paupertas, et sub eadem limitatione intelligi debet, cum requirit inaurationem. Hic autem obiter notandum quod rubrica permittit calicem stanneum, sed non *aereum*: verum dicit Holzm. [7] in hac rubrica non prohiberi calicem ex aere vel aurichalco inauratum; nam in cit. textu *Ut calix*, in tantum talis calix vetatur, in quantum hic *ob virtutem vini aeruginem parit*, *quae vomitum provocat:* sed calix aereus inauratus aeruginem non parit; et ideo ait Holzm. hoc usitari in Germania pro ecclesiis pauperculis.

Dubitatur 4. An calix amittat consecrationem si cuppa separetur a pede. Si cuppa sit fixa pedi, certum est

(1) Meth. miss. etc. cap. 1. §. 1. n. 3.
(2) L. 6. p. 2. n. 346. (3) Tit. 1. de praepar.
(4) De defect. tit. 10. n. 2. (5) C. 9. a. 1. s. 8. v. Quaer. 6
(6) D. 20. n. 90. (7) N. 373.

apud omnes amittere consecrationem; si vero pes sit tornatilis, etiam affirmant s. Antonin.[1] et Palud. Sylv. etc. apud Escob.[2] quia calix per separationem iam formam amittit. Sed communiter negant Suar.[3] Bon.[4] Lugo[5] Ronc.[6] et Escob.[7] cum Fill. Aversa Hurt. et aliis. Ratio quia per talem separationem calix revera formam non perdit, cum eius partes sine novo artificio iungi possint.

371. « 5. Vestes sacrae execrantur quando ita destruuntur, ut perdant suum usum; ut si cinguli parte te non amplius cingere possis, vel si manica ab alba separetur, etiamsi postea reparetur. Non perdunt autem, etsi attritis pars aliqua assuatur; vel cinguli parti aptae adhuc ad cingendum altera annectatur, quia tunc accessorium sequitur principale. Lugo Tamb.[8]. (Ita etiam dicunt Cont. Tour.[9] Salm.[10] cum communi, Tamb.[11] Elbel[12] cum Laym. Gav. et aliis passim. Unde dicunt Suarez[13] Bon.[14] Laym.[15] Cont. Tourn.[16] et Pal.[17] cum Nav. et Con. quod corporale tum amittit benedictionem, cum redditur ineptum diminutione vel fractione ad decenter continendum calicem cum patena: alba, cum ab ea manica abscinditur: cingulum, cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit: stola, cum non potest humeros operire; et idem dicendum, si aliqua eius pars scinditur, quamvis statim sarciatur, quia iam suam formam amisit). Similiter, si stola vel casula duplicata, facili separatione, fiant duae, quarum utraque apta sit ad sacrificium, non perdunt benedictionem. Tamb.[18]. (Ita communissime dd. cum Suar.[19] Salm.[20] et Sa apud Pal.[21].

» 6. Partes avulsae a re consecrata, destructa eius forma, desinunt esse sacrae, v. g. ligna et lapides ecclesiae dirutae, vel altaris: ob respectum tamen ad rem sacram cuius sunt reliquiae, non possunt applicari ad usus profanos, aut divendi, sine licentia papae. Statuae autem sacrae et imagines templi destructi debent in alio collocari, et in loco ecclesiae crux erigi. Lacera etiam paramenta, aut vetustate consumpta debent igne absumi, et non adhiberi ad usus profanos, ut habetur in *c. Altaris*, *de Consecr. dist.* 1. Vide Suar. et Sa[22] et Laym.[23]. Tamb. tamen[24] ex Pal., item Dian.[25] docent probabile esse quod non sit saltem mortale, si mutata forma ad profanos usus applicetur, v. g. calix confractus, alba dissoluta, frustula corporalis etc. {*Vide dicta l.* 3. *num.* 41. Quibus adde id quod habetur in *cap. Ligna*, *de Consecr. dist.* 1. ubi Hyginus papa sic statuit: *Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud opus iungi*, *nisi ad aliam ecclesiam*, *vel igni sunt comburenda*, *vel ad profectum in monasterio.* Advertunt tamen Salm.[26] cum aliis communiter, huiusmodi ligna non debere consumi in religiosorum coquina. Praeterea dicit Sylv.[27] lapides ecclesiae dirutae in religiosorum aedificiis collocandos esse; sed hoc nemo dicit eorum quos observavi, nec ullo textu video probatum}. »

Quaeres hic an liceat saecularibus sacerdotibus celebrare in ecclesiis regularium contra prohibitionem episcopi. Videtur obstare Trident.[28] ubi: *Singuli* (episcopi) *in suis dioecesibus interdicant*, *ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.* Sed responderi potest ibi dici in *dioecesibus suis;* sed ecclesiae regularium sunt exemptae a iurisdictione episcoporum, unde quasi loca extra dioecesim sita reputantur, ut probabiliter dictum est *l.* 1. *n.* 156. *in fine.* Verumtamen refert Lez.[29] s. c. concilii sub die 2. iunii 1620. declarasse, non licere regularibus in suis ecclesiis ad celebrandum admittere pre-

(1) 3. P. tit. 13. §. 5. (2) L. 21. n. 474.
(3) D. 31. s. 7. (4) P. 9. n. 20. (5) D. 20. n. 95.
(6) C. 6. q. 4. (7) N. 476. (8) De exp. sacr. l. 1. c. 3. §. 2. (9) Loc. cit. sect. 8. v. Dico 5.
(10) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 94. (11) C. 5. §. 2.
(12) N. 232. (13) D. 32. s. 2. et 3. (14) P. 9. n. 26.
(15) C. 6. n. 6. (16) Ibid. qu. 11. r. 4. et intra v. Dico 5. (17) P. 10. n. 12. (18) Loc. cit.
(19) D. 32. s. 2. (20) Cit. n. 94. (21) P. 10 n. 8. (22) V. Missa. (23) Loc. cit. c. 6
(24) L. 1. de exped. sacrif. c. 2. §. 3.
(25) P. 5. tr. 15. res. 76. (26) Tr. 21. c. 10. p 11. §. 2. n. 146. (27) V. Benedictio q. 7.
(28) Sess. 22. decret. de observ. in celebr. missae.
(29) In summ. q. regul. t. 1. cap. 12. num. 41. v Ad duodecim.

sbyteros seculares contra prohibitionem episcopi. An autem huiusmodi declarationes obligent ut leges. *Vide dicta l. 1. n. 106.*

DUBIUM V. Quae sint requisita ad missam.

372. *Praenotantur quae sunt praescripta in rubrica.*
373. 1. *Requiritur altare consecratum.*
374. 2. Mappa *triplex.*
375. *Dub.* 1. *An sufficiant duae mappae, vel una duplicata. Dub.* 2. *An mappae debeant esse benedictae. Dub.* 3. *An tam mappae quam corporale debeant ex lino confici.*
376. 3. Vestes *sacrae et mundae.*
377. *Dub.* 1. *An sit mortale celebrare sine stola, manipulo aut cingulo. Dub.* 2. *An ob metum mortis liceat celebrare sine ulla veste sacra.*
378. *Dub.* 3. *An praelati regulares possint sacras vestes benedicere. Dub.* 4. *An episcopi possint aliis delegare licentiam benedicendi vestes. (Vide etiam num.* 381.*) Dub.* 5. *An color vestium sit de praecepto.*
379. 4. Calix et patena *consecrata.*
380. *An calices, vestes, etc. remaneant consecrata vel benedicta, si quis in eis celebret.*
381. *An abbates possint benedicere calices, paramenta etc. etiam pro ecclesiis alienis.*
382. *Quibus sit licitum tangere vasa sacra corporalia et vestes.*
383. *De* pyxide *et materia eiusdem, vel calicis.*
384. *Dub.* 1. *An pyxis debeat consecrari.*
385. *Dub.* 2. *An debeat benedici.*
386. 5. Corporale *benedictum.*
387. *Quibus liceat lavare corporalia. Et an aqua lotionis omnino mittenda sit in sacrarium.*
388. 6. Palla *linea. An sit mortale celebrare sine palla, vel ea non benedicta. Et an liceat duas pallas adhibere.*
389. 7. Purificatorium. *An hoc debeat esse benedictum.*
390. 8. Missale. *An liceat in necessitate celebrare sine missali, vel cum missali ritus diversi.*
391. 9. Minister *masculus. Dub.* 1. *Quale peccatum sit celebrare sine ministro.*
392. *Dub.* 2. *An peccet graviter sacerdos celebrans ministrante vel respondente femina.*
393. 10. Crucifixus. *Dub.* 1. *An sit mortale celebrare sine crucе aut crucifixo. Dub.* 2. *An manente in altari magna imagine crucifixi, alia crux requiratur. Et an crux et aliae imagines sanctorum debeant esse benedictae.*
394. 11. Candelae *ex cera. Dub.* 1. *An liceat celebrare cum candelis ex sebo vel oleo. Dub.* 2. *An cum uno lumine cereo. Et an cum quatuor candelis.*
395. 12. Antipendium, pulvillus, bursa, velum et manutergium.
396. 13. Capitis nudatio.
397. *Dub.* 1. *An sit mortale celebrare capite cooperto. Quid si adsit causa sic celebrandi.*
398. *Dub.* 2. *An liceat celebrare cum caesarie ficta.*
399. *An rubricae missalis sint directivae vel praeceptivae.*
400. *An sit mortale omittere caeremonias leviores in notabili parte. Et quantum temporis sit in celebratione insumendum. Monitum.*
401. *An omnia decreta s. c. rituum rigorose obligent.*
402. *An liceat celebrare nudis pedibus, aut cum baculo etc.*
403. *De omissione partium missae; et an repetenda omissa.*
404. *De partibus ordinariis omissis.*
405. *Quae omissio sit mortalis, et signanter in canone.*
406. *Quae vero sit tantum venialis.*
407. *Quae mutilatio sit mortalis.*
408. *De purificatione calicis facienda.*
409. *De partibus extraordinariis omissis; et signanter de lotione manuum.*
410. *Dub.* 1. *Quomodo peccent regulares nominantes in canone nomen generalis vice episcopi. Et quinam episcopus nominandus. Dub.* 2. *An peccet omittens orationes ante vel post missam. Dub.* 3. *An peccet omittens orationes ad vestes. Dub.* 4. *An peccet sacerdos non recitans in missa solemni, quae cantantur a choro. Dub.* 5. *Quomodo peccet celebrans voluntarie distractus.*
411. *Quomodo peccet sacerdos addens aliqua in missa.*
412. *An liceat dicere missam ante matutinum et laudes. Remissive ad n.* 347.
413. *De iis, quae voce alta, vel submissa dicenda sunt.*
414. *Dub.* 1. *An peccet ita submisse celebrans ut nec seipsum audiat.*
415. *Dub.* 2. *An peccet recitans submisse, quae alte dicenda sunt.*
416. *An sit mortale alte dicere, quae submisse sunt recitanda.*
417. *An et quando liceat mutare missam.*
418. *In quibus diebus prohibentur missae votivae.*
419. *In quibus vero permittuntur. Et an tunc pro arbitrio passim dici possint.*
420. *Qu.* 1. *An sit mortale dicere missam votivam in diebus vetitis.*
421. *Qu.* 2. *Ob quas causas in dictis diebus possint dici missae votivae.* 1. *Ob necessitatem publicam.* 2. *Si in illa ecclesia celebretur festum duplex.* 3. *Si exponatur ss. Sacramentum.* 4. *Si praesens sit cadaver, vel dicenda sit missa anniversaria.*
422. *Qu.* 3. *An obligatus dicere missam votivam, satisfaciat si dicat diei propriam.*
423. *Qu.* 4. *Quaenam sint advertenda circa modum dicendi missas votivas. Et* 1. *De numero orationum.* 2. *De missis habentibus introitum particularem etc.* 3. *De missis Beatorum concessis alicui ordini, vel loco.* 4. *De missa ss. Trinitatis, Angelorum, Spiritus sancti, beatae Virgin. Mariae et de Requiem etc.*
424. *Afferuntur aliqua decreta magis notabilia circa missarum celebrationem.*

Quaeritur hic obiter, quanam ex causa liceat exponere ss. Sacramentum. Deinde quaeritur, quibus in ecclesiis possit asservari Sacramentum Eucharistiae.

372. Ante omnia hic refert praenotare rubricam missalis, quae facit ad

ea quae infra membratim dicenda sunt. In rubrica [1] sic habetur: *Altare in quo ss. missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum ab episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab episcopo consecrata in eo inserta, quae tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab episcopo, vel ab alio habente potestatem, benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere. Ad crucis pedem ponatur tabella, secretarium appellata: in cornu epistolae cussinus supponendus missali, et ab eadem parte epistolae paretur cereus ad elevationem sacramenti accendendus, parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad haec praeparata. Super altare nihil omnino ponatur, quod ad missae sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat.*

373. « Resp. Haec sequentia : 1. Et quidem sub gravi sacrilegio requiritur *altare* consecratum ab episcopo vel abbate (hunc enim altaria calices et campanas posse consecrare, etiam ad usum alienarum ecclesiarum, docet Diana [2] cum Barbos. et aliis 4. ex declaratione cardin. et privilegio Innoc. III.) vel sacerdote privilegiato, stabile vel portatile: utrumque tamen ex integro lapide, quantum ad superiorem mensam quae consecratur; debetque esse tanta ut possit capere calicem cum patena. Non sufficit autem hostias esse in ara consecrata, dum consecrantur, verum etiam debent tam parvae, quam magnae in eadem relinqui tempore sacrificii, et non alibi, licet supra aliud corporale, deponi, v. gr. propter loci angustias (Non igitur licet ante communionem ponere particulas consecratas extra aram, ut communiter Tamb. [3] Salm. [4] cum Lugo. Secus vero post communionem, ut Croix [5] cum Avers. et communi contra Vasq.): quia omnes sunt unica victima, et per modum unius offeruntur. Quapropter rubricae missal. eas supra corporale, ante vel post calicem poni volunt. Hinc etiam minus recte faciunt qui, consecratione facta, mox hostias minores a se consecratas dant alteri sacerdoti distribuendas populo, quia, sicut sacerdos non debet de sua hostia dare priusquam ipse sumpserit, sic nec de aliis, cum sint una victima et hostia, omnesque orationes, oblationes et benedictiones sequentes non minus spectent ad parvas hostias quam ad magnam, neque ante sumptionem sacerdotis perfecte et integre sacrificata sit victima. Card. de Lugo [6]. Eum tamen qui contrarium fecerit, a peccato saltem mortali, imo si necessitas fuit expediendi communionem populi, ab omni excusat Tamb. [7].

374. » 2. Mappa linea triplex; etsi enim secundum quosdam una duplicata, imo secundum Sa Angel. Azor. [8] et Laym. [9] una simplex sufficiat in necessitate: missale tamen romanum, auctoritate Clementis VIII. et Pii V. editum, expresse tres requirit [10], uti et Gav. Vide card. de Lugo. Ut ea benedicta sit, non est omnino necessarium, ut habet Sylv. Unde in necessitate vulgaris adhiberi potest et aliis usibus reddi. Laym. [11].»

375. Repetamus hic ea quae in rubrica missalis, ut supra, circa mappas praescribuntur: *Hoc altare operiatur tribus mappis, sive tobaleis mundis, ab episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat* (quod tamen hodie non est in usu) *duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.*

Sed dubitatur 1. An sufficiant duae

(1) P. 1. tit. 20. (2) L. 3. tr. 2. res. 15. (3) Lib. 1. c. 5. §. 1. n. 4. (4) De sacrif. missae t. 4. p. 5. n. 79. (5) Lib. 6. p. 1. n. 310. (6) Q. 20. s. 2. n. 69. (7) L. 5. exped. sacr. c. 5 (8) C. 28. q. 8. (9) L. 5. t. 5. c. 6. n. 17 (10) Tit. de defect. (11) Loc. cit.

mappae, vel una duplicata. Affirmant Suarez [1] Laym. [2] Holzm. [3] Pal. [4] cum Sa Azor., item Bon. Henr. et Gob. ap. Croix [5] etiamsi hae duae mappae totum altare non tegant: ratio, ut dicunt, quia sic usus habet. Attamen puto a rubrica non recedendum, ut sentiunt Lugo [6] Cont. Tonrn. [7] Gav. [8] (qui ait contrariam opinionem non esse tutam) Ronc. [9] et Escob. [10] qui cum Angel. et Avers. miratur, quomodo aliqui dd. hanc obligationem non advertant post praefatam rubricam praescriptam a Clemente VIII. Tanto magis quod rubrica [11] inter alios hunc enumerat defectum: *Si altare non sit tribus mappis ornatum.* Probabiliter tamen aiunt Esc. et Ronc. cum Pasq. id culpam venialem non excedere. Celebrare autem sine ulla mappa non excusatur a mortali, ut communiter docent dd. apud Roncag. [12] cum p. Conc. [13], qui addit e converso nullam committi culpam si adsit gravis necessitas sic celebrandi.

Dubit. 2. An mappae necessario debeant esse benedictae. Negant Suarez Laym. et Pal. cum Sa [14], item Tamb. [15] et consentit Wig. [16] dicens, benedictionem fieri tantum de decentia. Ratio quia (ut aiunt) nullo iure id cavetur nec consuetudine observatur. Haec sententia non videtur improbabilis propter auctoritatem horum aa., praesertim Suar., qui testatur consuetudinem esse in contrarium. Hoc tamen non obstante, magis adhaereo sententiae oppositae quam tenent Azor. [17] Bonac. [18] Cont. Tour. [19] Ronc. [20] cum Pasq. Gav. [21] Escob. cum Sylvest. Aversa et Gabr. Ratio quia in rub. (ut supra) ita praescribitur, et in *tit. de defect. n. 4.* numeratur eodem modo pro defectu adhibere vestes non sacras ac mappas non benedictas. Talis vero defectus, ut probabiliter dicunt Escob. et Ronc. cum Pasq., non excedit culpam venialem; unde recte docent Azor. Bonac. Esc. et Cont. Tourn. [22] cum Gav. Sylv. et Quarti [23] nullum esse peccatum uti mappis non benedictis in necessitate, puta (ut ait Escob.) si adsit dies festus et non possint haberi benedictae, sed minorem causam sentio excusare, cum ad excusandum a veniali sufficiat quaevis causa rationabilis.

Dubit. 3. An mappae et corporale debeant ex lino confici vel sufficiat esse ex cannabe. Cont. Tourn. [24] Suar. [25] Fill. [26] dicunt omnino debere confici ex lino, et probant ex *can. Consulto* 46. *de consecr. dist.* 1. ubi sic dicitur: *Sacrificium altaris non in serico panno* (scil. corporali, ut explicat Glossa) *aut tincto quisquam celebrare praesumat, sed in puro linteo ab episcopo consecrato, scil. lino procreato.* Et ex *c.* 27. *dist.* 2. *de consecr.* ubi mappae vocantur *linteae,* nempe ex lino confectae. Sed probabilius et communissime sufficere esse ex cannabe tenent Bon. [27] et Croix [28] cum Gob., item Azor. et Quarti apud cit. Cont. [29] ac Arm. Tab. et Reg. ap. Escob. [30]. Ratio, quia cannabe et linum iuxta communem usum indifferenter sumuntur.

376. « 3. Sub gravi sacrilegio *vestes sacrae,* hoc est benedictae ab episcopo vel sacerdote habente privilegium, ut habent mendicantium saltem superiores sive praelati. Vide Tamb. [31]. Quarum tamen colores non esse praecepti, sed directionis, notat Homob. ap. Diana [32]. In gravi autem necessitate, etsi praestet, si sine scandalo fieri possit, missam, cuius audiendi vel faciendi obligatio tunc cessat, omittere, licere celebrare sine stola vel manipulo, vel etiam uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere, vel stola pro manipulo et manipulo pro stola, docent Laym. [33] Diana [34] contra Fill. [35], qui tamen concedit in necessitate sine

(1) Dist. 21. s. 6. (2) C. 6. n. 11. (3) N. 571.
(4) P. 10. n. 1. (5) N. 322. (6) D. 20. n. 6.
(7) De sacrif. c. 9. art. 2. sect. 7. v. Quaer. 9.
(8) In dict. rubr. (9) C. 6. q. 5. (10) L. 21. n. 434.
(11) Tit. de defect. §. 10. n. 4. (12) Loc. cit.
(13) P. 502. n. 19. (14) Locis supra cit.
(15) L. 1. c. 6. §. 2. n. 2. (16) Tr. 15. n. 63.
(17) P. 1. l. 10. c. 23. q. 8. (18) P. 9. n. 25.
(19) Loc. cit. r. ad 1. et 2. (20) Cap. 5. q. 5.
(21) Q. 1. tit. 20. (22) Ibid. (23) Locc. cc.
(24) Ibid. r. ad 3. (25) D. 81. sect. 6.
(26) Tr. 5. n. 125. (27) P. 9. n. 24.
(28) N. 333. (29) Ibid. (30) N. 446.
(31) L. 1. c. 3. §. 2. exped. sacr.
(32) P. 2. t. 14. r. 57. (33) L. 5. t. 5. c. 6.
(34) P. 1. r. 57. et 67. (35) T. 1. l. 5. c. 5.

una vel altera ex minoribus, v. gr. stola vel cingulo celebrare non esse mortale. Vide Diana [1], qui contra Fill. et Henr. et alios sex docet esse probabile quod ex parvitate materiae excusari possit a mortali qui (secluso scandalo et contemptu) aliquam harum citra necessitatem omittit, v. gr. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel eius loco utitur alia re. Denique metu mortis aut gravissimi damni licere aliquando celebrare sine sacris vestibus et altari, dummodo non fiat in contemptum religionis, ex Azor. [2] docent Escob. [3] Navar. Hurt. etc. Limitat autem Tamb. [4], ita ut permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri, ob scandalum et irreverentiam. V. Dian. [5]. Porro huiusmodi sacras vestes conficere ex profanis, v. gr. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum. Suar. Palaus Tamb. [6] qui monet [7] cavendum esse ne sint valde attritae; ut et ne reliqua supellex sacra sit valde immunda, in quo graviter peccari potest. Suar. Laym. Tamb. [8] (*In c. Relinqui, de cust. euch.* sic habetur: *Praecipimus, ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta munda et nitida conserventur*. Notat autem Tamb. [9] ex Suarez illud *valde sive enormiter immunda* difficulter evenire. Uti vero corporali et aliis paramentis non enormiter immundis esse tantum veniale, imo nullum peccatum, si alia haberi non possint, ut Croix [10] cum Suar. et Gob. Additque Cont. Tourn. [11] non peccare qui uteretur corporali etiam notabiliter immundo in necessitate, nempe si ipse vel alii deberent alias omittere sacrum de praecepto. Uti vestibus sacris, etiam attritis, ad usus profanos est mortale, ut dicunt Suar. [12] Spor. [13] et Wigandt [14]. Vestes tamen sacrae in usibus profanis adhibitae non amittunt benedictionem. Spor. et Wig. [15]).

Censuit Walfridus [16] primis temporibus missas lectas fuisse a sacerdotibus in communi indumento: et Honorius [17] refert s. Clementem usum sacrarum vestium decrevisse. Sed Baron. Raynaud. Bona Waldens. etc. apud Benedict. XIV. [18] sentiunt etiam apostolos usos fuisse peculiaribus vestibus in sacrificio: atque ex huiusmodi vestibus putant [19] Calmet Visconti etc. fuisse penulam, quam memorat d. Paulus [20].

377. Certum est autem apud omnes, mortale peccatum esse celebrare sine ullis vestibus sacris, ex *cap. Vestimenta, de consecr. dist.* 1. et praesertim procul dubio sine casula vel alba (*vide dicta n.* 289.). Sed dubitatur 1. An peccet mortaliter celebrans sine stola aut manipulo aut cingulo. Negant Palud. Sylv. Henriq. ac Ricch. apud Escob. [21] (qui id probabile vocat), quia censent hanc non esse gravem materiam. Sed loquendo de stola et manipulo, verius affirmandum cum communi sententia, quam tenent Suar. Fill. [22] Laym. [23] Bonac. [24] Tamb. [25] Diana [26] et Escob. [27] cum Vasq. Ratio quia deficiente alterutra istarum vestium, quae communiter maiores aestimantur, deficit cultus sacrificio debitus. Idem dicendum cum eisdem aa. de celebrante cum stola vel manipulo non benedictis. Probabiliter tamen excusat gravis necessitas, ut docent Lay. et Fill. [28] Ronc. [29] Wigandt [30] et Elbel [31] cum Sporer et Rodr. Idem quod de stola et manipulo censent de cingulo Fill. [32] Suar. [33] Nav. [34], item Vasquez Villalob. Molf. etc. apud Dian. [35]. Sed probabiliter negant esse mortale sine cingulo celebrare, vel non benedicto, Ronc. [36] Sylv. [37] Sa [38], et probabile putant Lugo [39] Salm. [40] et Diana [41] cum

(1) P. 5. t. 5. r. 62. (2) T. 1. l. 1. c. 11. q. 11. (5) E. 2. c. 2. (4) De exped. sacr. l. 1. c. 5. §. 1. (5) P. 5. t. 6. r. 48. et p. 5. t. 5. r. 59. (6) Exped. sacr. l. 1. c. 2. §. 4. (7) L. c. §. 1. (8) Loc. cit. (9) Dict. n. 1. (10) N. 556. (11) De sacrif. c. 9. art. 2. sect. 8. quaer. 11. r. 5. (12) D. 81. sect. 8. (13) N. 414. (14) Tr. 15. n. 62. ex c. 59. et 45. de consecr. dist. 1. (15) Locc. cc. (16) C. 24. (17) In Gemma l. 1. c. 89. (18) Not. 21. n. 6. (19) Ibid. (20) 2. Tim. 4 (21) L. 21. n. 485. (22) Tr. 5. c. 5. n. 147. et 148 (23) C. 6. n. 17. (24) P. 9. n. 27. (25) L 1. c 5. §. 1. n. 5. (26) P. 2. tr. 14. r. 57. (27) N. 485 (28) Locc. cc. (29) C. 6. q. 5. (30) Tr. 15. n. 62 (31) P. 260. (32) N. 148. (33) Loc. cit (34) Man. c. 25. n. 84. (35) P. 2. tr. 14. r. 65 (36) C. 6. q. 5. (37) V. Missa 1. n. 2. (38) Eodem v. num. 10. (39) D. 20. n. 102. 4. p. 4. n. 92. (41) P. 2. tr. 14. r. 66

Scoto Palud. Henriq. Fag. et Ricc. Et idem sentit Croix [1] cum Pasq. de celebrante sine amictu, saltem pro eis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros; et consequenter probabile est, ut ait Tambur. [2] cum Diana, nullum esse peccatum celebrare sine cingulo vel amictu, si desint, et adsit aliqua rationabilis causa celebrandi, nempe fervor devotionis vel opportunitas eleemosynae sacerdoti non diviti.

Dubit. 2. An ob metum mortis liceat celebrare missam sine ulla veste sacra.

Prima sententia affirmat, modo absit contemptus; et hanc praeter Az. Nav. Hurt. etc. ut supra ap. Busemb. tenent Laym. [3] Quarti [4] Escob. [5] Sylv. apud Cont. Tourn. [6] Diana [7] cum Val. Vasq. Bec. et Salas, item Salon. Bon. Pasq. Gob. et Spor. apud Croix [8]. Ratio quia vestes sacrae requiruntur tantum de ecclesiae praecepto, quod non obligat cum tanto dispendio.

Secunda sententia vero, quam sequimur, negat, eamque tenent Suarez [9] Tamb.[10] cum Fag. et Marchino, Cont. Tourn. [11] cum Merati Ronc. [12] Conc. [13], item Caiet. Nugn. Sanch. Pal. Filliuc. etc. apud Croix[14]. Ratio, tum quia celebrare sine ulla veste sacra vix potest accidere sine contemptu, ut fatentur ipsimet Laym. et Escob.; unde ait Croix cum Aversa contrariam sententiam in praxi vix esse probabilem; tum quia id non potest fieri sine scandalo aut saltem sine magna irreverentia; quapropter hic subintrat praeceptum naturale reverentiae in quocumque casu debitae sacrificio, a quo praecepto metus mortis non excusat. Utrum autem ob talem metum liceat aliquando celebrare sine aliqua ex vestibus etiam ex maioribus, puta stola vel manipulo. Non improbabiliter secluso contemptu, affirmant Ronc. et Tamb. cum Fag.[15] favetque Suar.[16], quia haec non videtur esse tanta irreverentia, ut celebratio cohonestari non possit ob metum mortis; *vide mox dicta n.* 377.

378. Dubit. 3. An praelati regulares possint sacras vestes benedicere. Certum est apud omnes posse pro suis ecclesiis, ex pluribus privilegiis eisdem concessis. Nam (ut refert Tamb.[17]) Innoc. VIII. id concessit vivae vocis oraculo congregationi s. Iustinae de Padua, et consequenter aliis communicantibus; item Leo X. per bullam hoc privilegium impertivit fratribus minoribus pro suo usu tantum; illudque confirmavit Sixtus IV., exceptis corporalibus, sed Alexander VII. die 27. sept. 1659. (ut refert Bened. XIV. [18]) per decretum quod incipit *Sacrorum rituum*, indefinite praebuit facultatem abbatibus benedicendi ecclesiasticam supellectilem, dumtaxat pro suis ecclesiis. Dubium autem vertit inter dd. an praelati regulares possint etiam benedicere pro alienis ecclesiis.

Prima sententia negat, et hanc tenent Cont. Tourn. [19] cum Barb. Gav. [20] Merati[21] et Bened. XIV. [22] ex decreto s. c. rit. die 24. aug. 1609. (apud Gav.) ubi dictum fuit: *Superiores regularium neque abbates posse benedicere paramenta ecclesiarum non sibi subditarum.*

Secunda sententia vero affirmat, eamque tenent Salm. [23] Holzm. [24] cum Anacl. et Elbel [25] ex privilegio enuntiato Innocent. VIII. Idemque censet Tamb.[26] cum Marchino et Tamb.[27] pro omnibus regularibus, ut ait, exceptis tantum superioribus societatis, et fratrum minorum, quibus a Leone X. ut supra privilegium restrictum fuit. Nec obstare ait Tamb. decretum s. c., quia constat de privilegio, non vero de eius revocatione. Sed hoc non obstante, omnino tenenda est prima sententia ex decreto praefato Alexandri VII. (quod referunt Merati et noster papa Bened. [28])

(1) N. 327. (2) N. 4. (3) L. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. (4) P. 2. tit. 1. q. 4. dub. 6. (5) L. 21. n. 489. (6) De sacrif. c. 9. n. 2. sect. 8. c. Utrum. (7) P. 3. tr. 6. r. 48. (8) L. 6. p. 2. n. 559. (9) Dub. 82. s. 3. v. Secundo. (10) Meth. de miss. l. c. 3. §. 1. n. 6. (11) L. c. (12) [illegible] r. 3.

(13) P. 501. n. 13. (14) Loc. c. (15) Locc. cc. (16) Dict. sect. 3. (17) L. 1. c. 3. §. 2. n. 8. (18) Not. 21. n. 19. (19) Ibid. v. Porro. (20) P. 4. tit. 19. n. 22. (21) T. 1. part. 2. p. 1525. n. 27. (22) Notif. 21. n. 14. (23) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 83. (24) N. 574. (25) P. 144. n. 261. (26) L. c. n. 7. (27) De iure abb. (28) L. c.

in quo sic sancitum fuit: *Praelati inferiores episcopis, qui pontificalium usu fruuntur, ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum benedicant.* Pariter ibi declaratum fuit: *Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subiecta vel pro servitio alienae ecclesiae aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec minorum ordinum collationes.* At quia praedicti praelati recurrebant ad privilegia pro benedicendis paramentis etiam aliarum ecclesiarum, s. c. habita coram eod. Alex. VII. die 20. iulii 1660. mandavit *exhiberi indultum authenticum, ac interim abstinere.* Sed hoc indultum, ut testatur Benedictus, numquam deinde exhibitum fuit.

Dubitat. 4. An episcopi possint aliis delegare facultatem benedicendi sacra paramenta. Negant Tamb. [1] et Gav. [2] cum Tabien. ac Ugolin., et Aversa (ap. Croix [3]) affert de hoc decr. s. c. r. die 14. nov. 1615. ubi dictum fuit: *Nec episcopus potest absque licentia hanc benedictionem aliis delegare.* Ratio quia haec benedictio est de potestate ordinis, unde ab episcopo non potest delegari sicut delegari potest potestas iurisdictionis. Sed contradicit Nicol. Luc. [4] dicens 1. Quod de hoc decreto non constat authentice. 2. Quod tale decretum non est usu receptum, praesertim Romae, ubi r. d. vicesgerens passim auctoritate ordinaria quibusvis sacerdotibus hanc delegat facultatem. 3. Quod haec benedictio non est ordinis episcopalis, sed sacerdotalis, et ideo bene potest ab episcopo delegari. Addit Monacell. [5] cum Pirhing. [6] episcopos rite posse delegare ea quae ipsis competunt ex privilegio speciali ratione dignitatis; cum enim facultas officio sit annexa, transit in iurisdictionem ordinariam. His tamen non obstantibus, huic opinioni non acquiesco, cum nullibi audierim episcopos huiusmodi facultatem aliis delegasse: imo (ut refert Gav.) plurimi episcopi illam a s. c. curarunt obtinere: et Bened. XIV. cum erat archiepiscopus Bononiae, hanc facultatem ad quinquennium obtinuit, ut ipse testatur [7].

Dubitat. 5. An color vestium sit de praecepto (In rubr. missalis [8] de colore sic habetur: *Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et missae diei, secundum usum romanae ecclesiae*). Negant Tambur.[9] Quarti [10] Diana [11] cum Homobono, item Suar. et Aversa ap. Croix [12] quia (ut dicunt) rubrica hoc praescribens est tantum directiva. Sed contradicunt Sporer [13] et Quarti [14]. Et hoc puto probabilius, iuxta nostram sententiam adducendam *n.* 399., nempe quod omnes rubricae tractantes de rebus quae missam concomitantur sint praeceptivae. Eo magis, quia rubrica dicit sic usum esse ecclesiae romanae. Bene tamen censent Sporer et Quarti, hanc rubricam non obligare sub gravi, nisi scaudalum adsit, puta si in die paschatis (ut ait Sporer) vel in quacumque missa festiva (ut ait Ronc. [15]) celebraretur vestibus nigris. Addit Spor. satius esse quocumque die facere sacrum in quolibet colore, quam illud omittere; hinc recte dicit a fortiori excusare omnem rationabilem causam, ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris. Putant autem Quarti [16] et Merati [17] (contra Turrinum) quod color croceus sive flavus aequivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt.

379. « 4. Sub mortali requiritur *calix* et *patena* consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis bona, imo addunt Bordon. et Tambur., mala fide celebrasset, licet sic celebrando peccasset mortaliter, probabile esse quod hoc ipso censeantur consecrata, liceatque in iis celebrare, contra de Lugo et

(1) Meth. miss. l. 1. c. 3. §. 2. n. 4. (2) P. 4. tit. 19. n. 23. (3) N. 353. (4) C. l. 3. n. 35. de privil. n. 18. (5) T. 4. n. 1. (6) In ius can. l. 1. tit. 29. n. 54. (7) L. c. (8) P. 1. tit. 18. n. 1 (9) L. 1. c. 3 §. 1. n. 1. (10) p. 1. tit. 18. dub. 1. (11) P. 2. tr. 14. r. 37. (12) N. 340. (13) P. 131. n. 415. (14) P. 1. tit. 18. dub. 1. (15) C. 6. q. 1. res. 2. (16) Loc. cit. d. 2. (17) T. 1. p. 1. p. 269.

Laym. docet Diana [1] ex aliis octo. Idemque de sacris vestibus, item de corporali, pyxide etc. quae immediate tangunt species censet Tamb. [2].

380. Quaeritur 1. An calices et alia remaneant benedicta, si quis in illis sacrificet nondum benedictis.

Prima sententia communior negat, quam tenent Croix[3] et Salm.[4] cum Lugo Laym. Az. etc. Et hanc probabilem vocat Tamb.[5]. Ratio (ut ait Tamb.) quia, licet per contactum specierum sacrarum res consecrentur, ut indicat s. Augustin. apud Tamb., *Vasa... ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur:* attamen aliud est rem sacrari, aliud ad sacrificium deputari, quod oportet, quodque tantum fit per benedictionem.

Secunda sententia vero cum Diana Con. Peyr. ac aliis apud Tamb.[6], quam ipse pariter vocat probabilem, affirmat illa remanere benedicta, quia per contactum specierum iam aequivalenter, immo eminenter talis deputatio habetur: et hoc evenire ait Tambur. [7] cum Sa, tam si bona fide, quam si mala fide celebretur. Et idem probabile esse etiam pro vestibus sacris et ornamentis altaris ait Tamburin. [8] cum Gav. et Dian. cum haec ab ipso ministerio sacro consecrationem recipiant.

His non obstantibus, recte putant Salm. [9] nullo modo recedendum a prima sententia, dum asserit Lugo [10] contrariam merito communiter reiici a Laym. Nav. Azor. etc. Ratio, quia nec etiam est certum, immo omnino negatur, quod per contactum sacramenti res remaneant consecratae, prout pavimentum, si ibi decidat sacramentum, nullo modo remanet sacratum. Quare secunda sententia non satis tuta apparet, ut bene ait Esc.[11], dum saltem videtur esse dubiae probabilitatis. An vero liceat celebrare cum calice non deaurato. *Vide dicta n.* 370. *dub.* 3. Et an cum calice ex stanno vel aere aut aurichalco. *Vide ibid. d. dub.* 3. *in fine.*

381. Dicunt autem Gav. Avers. Bon. et Tamb. apud Croix[12] quod abbates exercentes pontificalia possunt benedicere calices et indumenta sacra: indumenta pro suis tantum ecclesiis, calices vero etiam pro alienis. Sed adverte decretum Alexandri VII. allatum *n.* 378. ubi declaratum fuit, abbates tantum pro suis ecclesiis, non vero pro alienis, etiam de licentia ordinariorum, posse benedicere calices, campanas etc. quibus adhibetur sacra unctio, necnon vestes sacras. Idque confirmatum fuit per aliud decretum noviter emanatum a nostro p. Benedicto XIV. ad instantiam cardinalis Spinelli archiepiscopi neapolitani.

382. Quaer. 2. Quibus sit licitum tangere vasa sacra, corporalia, aut vestes. Nemo dubitat quin, exceptis sacerdotibus et diaconis, aliis sit mortale tangere vasa sacra, dum continent eucharistiam, ut communiter dicunt (contra Ochagavium et Gob.) Spor. [13] Croix [14] et Pal. [15] cum Suar. Fill. et aliis passim, ex *c. Non oportet* 26. *dist.* 23. Difficultas est, an liceat laicis sacra vasa tangere dum eucharistiam non continent. Affirmant Sot. Henr. et Fag. apud Croix[16] et perquam fuse id defendit Tamb. [17] cum Scot. Barth. ab Ang. et Sa [18], qui sic ait: *Sacra tangi a laicis sine contemptu aut nullum peccatum est aut levissimum.* Sed communissima et verior sententia negat, quam tenent Suar.[19] Bon.[20] Lay.[21] Cont. Tour.[22] Holzm. [23] Hab. [24] Salm.[25] Antoine [26] et Pal.[27] cum Vasq. Sanch. et Con. Hi docent laicos tangentes sacra vasa peccare (sed non plus quam venialiter, cum non reputetur haec materia gravis: et minime, si adsit rationabilis causa, secluso scandalo et contemptu) ut probant ex *c. In sancta, de consecr.*

(1) P. 2. t. 14. r. 69. p. 5. tr. 15. r. 60. et p. 9. t. 7. r. 18. (2) De exp. sacr. l. 1. c. 3. §. 1. (3) L. 6. p. 2. n. 552. (4) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 96. (5) L. 1. c. 1. §. 4. n. 1. (6) Ibid. (7) N. 2. (8) N. 4. (9) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 98. (10) D. 20. n. 2. n. 62. (11) L. 21. n. 477. (12) L. c. n. 555. (13) N. 405. (14) N. 569. (15) P. 10. n. 13.

(16) L. 6. p. 2. n. 558. (17) Meth. miss. l. 1. c. 2. §. 1. n. 12. (18) V. Sacra n. 3. (19) D. 31. s. 3. §. Tertium. (20) P. 9. n. 31. (21) C. 6. n. 19. (22) C. 9. a. 2. s. 3. v. Quaer. 3. (23) P. 86. n. 575. (24) T. 5. p. 2. c. 14. q. 2. (25) Tr. 21. c. 10. p. 11. §. 1. n. 127. (26) P. 495. n. 10. (27) P. 10. n. 45.

dist. 1. *c.* 41. ubi dicitur: *Indignum valde est, ut sacra Domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant: aut ab aliis* (nota) *quam Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris.* Pro huiusmodi autem sacratis viris intelliguntur non solum diaconi et subdiaconi, sed etiam acolythi, ut ex *c. Non liceat, dist.* 23. ubi: *Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolytho in secretario vasa dominica.* Insuper nunc possunt etiam ea tangere tonsurati ex consuetudine introducta, ut dicunt Suar. [1] Tambur. [2] Croix [3] cum Quarti etc., et idem docet Bened. XIV.[4] cum Pasq. Id quoque concessum est laicis regularibus sacristis, ex privilegio Calixti III. et Sixti IV. apud Salm. [5]. Necnon monialibus sacristis, ex communicatione privilegiorum. Salmant.[6]. Et hodie potest dici ex consuetudine hoc licere etiam laicis oblatis congregationum sacerdotum saecularium sacristis, et omnibus qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt; hi enim in ecclesia muneribus clericorum funguntur: saltem, dico, hos a culpa excusari, quia dum officium sacristae exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi. Et idem quod dictum est de tactu sacrorum vasorum, dicendum est de tactu corporalium, ut ait Merati [7] cum Quarti Pasq. et communi.

Minime autem peccant laici tangentes vestes sacras aut alia non immediate attingentia corpus et sanguinem Christi, ut Pal. Suar. Con. Laym. et alii ut supra [8] ex sententia (ut bene ait Pal.) in praxi recepta. Nec obstat textus in *c. Altaris et c. Vestimenta, de consecr. dist.* 1. ubi hoc videtur vetitum; nam dicit Suar. nullum ibi de hoc esse praeceptum, vel saltem, inquit Suar cum Gloss. in d. *c. Altaris, verb. Vela*, quod, si ibi aliquod adest praeceptum, hoc usu est abrogatum.

383. « Ac licet decens sit, ut etiam *pyxis*, sive ciborium et luna, seu sphaerula hierothecae, et quodcumque vas continens et immediate tangens eucharistiam, ut etiam secundum Laym.[9] vasculum chrisma continens, benedicatur (benedicere autem praeter ea in quibus unctio adhibetur, potest idem qui caetera ornamenta), cum in rit. romano propria sit pyxidis benedictio; id tamen necesse esse negant Suar. Hurt. Lugo Tamb. [10] nec esse necesse imponere pyxidi vas lineum benedictum benedictione corporalis.

» Porro calix et patena confecta esse debent ex auro, argento vel stanno, saltem quoad cuppam (admittunt etiam aliqui ex plumbo) sed non ex aere, *c. Ut calix, de consecr. d.* 1. *(Vide dicta n.* 370. *dub.* 3. *in fine*) quamvis Tambur.[11] cum Hurt. Fagn. et Gav. admittat etiam ex gemma, quae aeque pretiosa sit ac aurum vel argentum, modo species non imbibat, nec sit periculum ne effringatur. Ac, licet rubrica praescribat ut saltem cuppa et superior pars patenae sit deaurata, eam tamen non obligare sub mortali Gran., imo nec sub veniali, propter usum contrarium, vult Tamb. [12]. »

384. Dubit. 1. An pyxis debeat consecrari. Affirmat Trull. ap. Croix [13]. Sed verius et communiter negant Laym. [14] Bon.[15] Cont. Tour. [16] Ronc. [17] et Croix cum Gav. Pasq. et aliis passim. Ratio quia in pontificali rom. tantum habetur benedictio de pyxide, nulla autem ibi mentio fit de unctione chrismatis. Item in rituali rom. benedictio pyxidis annotatur inter eas quae non indigent unctione chrismatis.

385. Dubit. 2. An pyxis debeat saltem benedici de praecepto.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Cont. Tourn.[18] cum Sylv. Salm.[19] cum Gav. et Reg., item Durand. Barb March. et Dic. apud Croix [20], item Bened. XIV. [21] et Esc. [22], qui tamen putat omissionem huius benedictionis non

(1) Loc. cit. (2) N. 9. (3) N. 337.
(4) Notif. 29. n. 18. (5) Loc. cit. n. 130. et 131.
(6) Ibid. n. 132. (7) P. 313. (8) Locc. cc.
(9) L. 5. t. 5. c. 6. (10) L. 1. exp. sacr. c. 1. §. 6.
(11) Ibid. (12) Loc. cit. (13) N. 343.
(14) Tr. 8. c. 6. n. 22. (15) P. 9. n. 23.
(16) Loc. cit. v. Quaer. 7.
(17) C. 6. q. 4. (18) Ibid.
(19) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 99. (20) N. 343.
(21) Notif. 21. n. 12. (22) L. 22. n. 419.

excedere culpam venialem. Probatur ex rubrica missalis [1] ubi dicitur: *Si sacerdos est consecraturus plures hostias pro communione facienda, locet eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato vel vase mundo benedicto.* Praeterea probatur ratione, quia hoc valde convenit; si enim corporale in quo sacrae species ad modicum tempus manent benedici debet, quanto magis benedicendum est vasculum in quo diu noctuque illae conservantur? Et ideo in rituali assignatur specialis benedictio pro *tabernaculo* (ut ibi dicitur) *seu vasculo pro sacrosancta eucharistia.* Accedit doctrina d. Thom. [2] qui, ad probandum quod pertineat ad sacerdotem dispensatio eucharistiae, dicit: *In reverentiam huius sacramenti, a nulla re contingitur* (sacramentum) *nisi consecrata, unde et corporale et calix consecrantur et similiter manus sacerdotis.*

Secunda sententia attamen negat, et hanc tenent quamplures graves aa., nempe Suar. [3] Azor. [4] Fill. [5] Bonac. [6] Sylv. [7] Sporer [8] cum Vasq. et Pasq. item Sot. Con. Tab. ac Nugn. apud Escob.[9], et probabilem putant Dian.[10] ac Lugo [11] cum Henr. et Fagn. Ratio quia (ut aiunt) de hoc nullibi habetur expressum praeceptum; nec pontificale certos nos reddit, cum ibi assignentur benedictiones etiam pro campanis et thecis reliquiarum, quae tamen non de praecepto, sed tantum de congruentia benedicuntur. Haec secunda sententia non videtur improbabilis, saltem ob tantorum dd. auctoritatem; sed primam probabiliorem puto, quia conformior est rubricae et rationi: et ideo in praxi est consulenda, ut recte dicunt Suar. Fill. et Bened.[12]. Idem dicendum de circulo seu lunula, ubi reponitur hostia consecrata, cum exponitur in ostensorio.

386. « 5. *Corporale* lineum (Vel ex cannabe, ut probat usus; *vide dicta n.* 375. *dub.* 3.) saltem quoad eam partem, qua hostiam vel calicem tangit, *c. Consulto, de consecr. d.* 1. (nam in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum) et benedictum ab episcopo vel privilegiato [13]. Non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. S. Th. Sylv. Bon.[14] Lugo [15] et Gav.[16] qui addit ex Sa (et dicit esse communem), peccare mortaliter qui utitur notabiliter immundo. (*Vide n.* 376.). »

387. Notandum 1. quod celebrare sine corporali aut cum eo non benedicto nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi, certum est apud omnes. Vide Suarez [17] et Croix [18].

Notandum 2. id quod spectat ad lotionem corporalium. In *can. Nemo* 40. *de cons. dist.* 1. Clemens papa duo statuit: *primum*, ut sacrae pallae tantum a diaconis laventur; *secundum*, ut lotio mittatur in sacrarium. Quoad *primum* pertinet, dicunt Suar.[19] Merati [20] et Croix [21] cum Bon. quod licet convenientius sit secundam et tertiam lotionem pallarum (id est, ut explicat Suarez, corporalium, parvarum pallarum et purificatoriorum) fieri a persona sacrata, tamen nullum est peccatum si illae fiant a laicis; prima autem lotio omnino debet fieri a diaconis vel subdiaconis, quia hodie horum ordo inter sacros numeratur, et ut commun. dd. aiunt, hoc est peculiare officium subdiaconi: imo probabiliter dicit Croix [22] cum Suar. et Pasq. posse hanc primam lotionem fieri etiam a clerico tonsurato; dum in dicto *can. Nemo* dicitur: *Diaconi cum humilibus ministris lavent.* Hodie autem clerici tonsurati iam ex consuetudine inter inferiores clericos numerantur, ex qua eis permittitur sacra vasa tangere. Utrum autem peccaret mortaliter laicus qui hanc primam lotionem faceret. Affirmat Villal.[23]. Sed communius Croix[24] ac Quarti

(1) P. 2. tit. 2. n. 3. (2) 3. P. q. 82. art. 3. (3) D. 81. s. 7. (4) P. 1. l. 10. c. 27. q. 7. (5) De eucharistia n. 133. (6) P. 9. n. 23. (7) V. Euchar. 3. q. 4. (8) N. 401. (9) N. 427. (10) P. 2. tr. 1. r. 130. (11) D. 20. n. 96.

(12) Locc. cc. (13) Vide comp. privil. soc. Iesu, v. Bened. (14) D. 4. q. ult. p. 9. (15) D. 20. s. 2. n. 76. (16) P. 2. t. 1. (17) D. 81. s. 6. (18) N. 333. (19) D. 81. s. 8. (20) T. 1. p. 1. n. 16. (21) N. 334. (22) L. c. (23) Tr 8. diff. 29 n. 5. (24) L. c.

Pasq. etc. apud Merati [1] censent id esse tantum veniale, et nullum si ex iusta causa fieret. Quoad secundam vero, putat ex Croix cum Pasq. nullum esse peccatum; si aqua lotionis non in sacrarium, sed in locum decentem proiiceretur. Sed omnino tenendum est oppositum cum Merati, dum in praefato textu *Nemo* expresse dicitur, quod foras eiicere lotionem *erit operanti peccatum*. Et Sylv. apud Suar. dicit quod huic nulla contraria consuetudine derogari potest. Id tamen intelligitur tantum pro corporalibus, pallis et purificatoriis; licet enim in textu idem dicatur de lotione albae et mapparum altaris, attamen recte ait ibi Glossa *lit. l., Hoc generali consuetudine abrogatum esse*.

388. « 6. *Palla* item linea, qua parte calicem tangit (superiore enim parte potest auro constare vel serico); quae cum habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cuius pars antiquitus fuit, pro eodem servire posse, docet idem Lugo [2] si sit satis capax. »

Palla debet esse ex lino, ut requiritur in rubrica [3] vel ex cannabe, ut diximus de corporali *n.* 375. *dub.* 3. Unde bene advertit Merati [4] non bene agere qui adhibent pallam de papyro aut drappo serico. Imo in decreto s. c. die 22. ian. 1706. (apud Cont. Tourn. [5]) dictum fuit: *In sacrificio missae non adhibenda est palla a parte superiori drappo serico cooperta*. Quamvis p. Suarez [6] putat non esse vetitum adhibere pallam tantum exteriori parte sericam vel auro elaboratam, corporale vero dicit tantum in extremitatibus posse auro vel serico ornari, et hoc probabile est, cum in rubrica [7] dicatur: *Corporale, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio* (nota) *intextum, sed totum album*. Palla autem benedicenda est cum corporali eadem benedictione, ut communiter docent Gavant. [8] Suarez et Continuator Tournely [9] cum Quarti et Vasq. qui contrariam opinionem improbabilem putant.

An vero sit mortale celebrare sine palla aut cum ea non benedicta. Affirmant probabiliter Suar. [10] Fill. [11] Cont. Tourn. [12] cum Quarti, et Escob. [13] cum Vasq. Reg. Ratio quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur; unde, licet hodie palla sit ab illo separata, tamen est aeque necessaria et benedicenda ac corporale; et ecclesia, separationem permittendo, nihil circa materiam et benedictionem immutavit. Non minus vero probabiliter negat Sotus [14], item Manuel et Moure apud Escob. [15] ac Rodr. apud Croix [16]. Ratio, tametsi ecclesia eadem benedictione statuerit benedici pallam ac corporale, eo quod illa moraliter pars corporalis censetur; tamen cum hodie palla sit separata a corporali, non eadem ratio reverentiae currit pro corporali quod immediate tangit sacras species, quam pro palla quae non tangit.

Dicunt autem Spor. [17] et Croix [18] cum Gob., quod si palla desit aut per quadrantem expectari debet, poterit loco eius adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente, purificatorium aut bursa.

Dicit autem Gav. quod illi qui adhibent duas pallas, unam pro calice, alteram pro hostia, non sunt quidem reprehendendi, sed non imitandi sine pontificia facultate; hoc enim esset additio ritus vetita a s. Pio v. Et huic opinioni adhaerent Quarti et Megal. apud Merati [19]. Unde dicunt sacerdotes hanc facultatem a pontifice non habentes non posse has duas pallas adhibere. Sed Molfes. Pasq. Silos et Magius apud Merati [20] tenent quod non solum Teatini, quibus hoc privilegium sive usus approbatus fuit a Clem. VII., sed omnes sacerdotes exteri possunt illis uti, quia hoc non est additio, sed potius quaedam accessio ad romanum ritum ob maiorem decentiam, utque commodius fragmenta colligantur. Hinc censet Merati cum Pasq. unumquemque posse hanc observantiam sequi; refertque car-

(1) N. 76. (2) L. c. (3) P. 2. tit. 1. n. 1. (4) Ibid. (5) L. cit. v. Quaer. 10. (6) D. 81. s. 6. (7) P. 2. tit. 1. n. 1. (8) In praefata rubr. tit. 9. (9) Ut supra. (10) L. c. (11) De euch. n. 125. (12) Ibid. ad 5. (13) N. 452. (14) In 4. d. 13. quaest. 2. art. 5. (15) N. 430. (16) N. 532. (17) N. 598. (18) Loc. cit. (19) T. 1. p. 1. p. 510. n. 12. (20) L. c.

dinalem Baronium id suasisse alicui ad praxim.

389. « 7. *purificatorium* item lineum, non tamen necessario benedictum, ut contra Laym. docent Suar. Gav. et Lugo; neque ulla reperitur in ritualibus eius benedictio. »

Quaeritur an purificatorium sit benedicendum. Affirmat Layman [1], item Franciscus Lugo et Fagund. apud Escob. [2], qui huic opinioni adhaeret tamquam tutiori, licet contrariam etiam tutam vocet. Ratio 1. quia, ut dixit d. Th. [3], hoc sacramentum a nulla re contingi debet, nisi consecrata. Ratio 2. quia rubrica praecipit benedici mappas altaris; ergo tanto magis benedicendum purificatorium, quod forte potest tangere reliquias sanguinis. Nec obstat quod in benedictionibus non reperiatur peculiaris benedictio quoad purificatoria; nam pro iis sumitur benedictio linteaminum, mutata voce *altare* in *calicem*, si separatim purificatoria benedicantur. Sed communiter et probabilius negant Gav. [4] Suar. [5] Pal. [6] Salm. [7] Lugo [8] Croix [9] Bon. [10] Ronc. [11] et Cont. Tourn. [12] cum Sylv. qui dicit, hanc benedictionem fieri tantum de convenientia. Ratio quia in rituali nulla adest benedictio propria de purificatoriis, sicut nec veli nec bursae. Gratis autem asseritur eamdem benedictionem quae adhibetur pro mappis, aptandam esse pro purificatoriis, cum pro his nullo modo possint verificari verba orationis, quae habentur in rituali, nempe, *consecrare digneris haec linteamina ad tegendum, involvendumque altare Filii tui.* Hinc non sufficit (ut aiunt contrarii) mutare solam vocem *altare* in *calicem*, sed etiam oportere mutare verba *tegendum involvendumque* in *abstergendum*, quod esset potius novam orationem conficere, quam mutare; dicunt tamen Salm. [13] quod, licet non sit obligatio benedicendi purificatorium, tamen ipsum licite benedici potest. Si autem purificatorium non facile haberi possit, probabiliter dicunt Wig. [14] ac Suar. Spor. Avers. et Gob. apud Croix [15] licitum esse sine eo celebrare, eiusque loco adhibere posse strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur.

390. « 8. Sub gravi peccato *missale*, canonem saltem continens, ut habent Bon. et alii commun., etsi Ledesm. et Laym. doceant in gravi necessitate licitum esse celebrare sine libro ei qui moraliter sit certus se non erraturum; et sic Lug. [16] cum Dian. etc. probabiliter excusat eum qui propter visus debilitatem legere non potest (Tabella autem secretarum non requiritur ex praecepto, sed tantum ad maiorem celebrantium commoditatem, ut bene ait Gav. [17]). »

Quaeritur an liceat umquam sacerdotibus celebrare sine missali.

Prima sententia negat, et hanc tenent Cont. Tourn. [18] Habert [19], item Nav. et Henr. apud Pal. [20], ac Coninch. Fag. apud Escob. [21], etiamsi aliquis firmiter sciat memoriter quae dicenda sunt. Ratio quia in re tam gravi vitandum est omne errandi periculum, quod recitando memoriter semper timeri potest. Idque videtur confirmari ex eo quod s. c. concilii (ut fert Ben. XIV. [22]) licentiam impertiendo alicui sacerdoti caecutienti celebrandi in festo duplici missam votivam de b. Virgine, et die feriali missam pro defunctis, hanc solet clausulam apponere: *Quod non sit omnino caecus et memoriter non recitet.*

Secunda sententia vero communissima, quam tenent Lugo [23] Lay. [24] Pal. [25] Suar. [26] Vasq. [27] Diana [28] Escob. [29] cum Avers. Spor. [30] Salm. [31] cum Villal. Led. et Croix [32] cum Vericelli et Gob. pro-

(1) C. 6. n. 12. (2) L. 21. n. 434. (3) L. cit. n. 534. (4) P. 2. tit. 1. (5) D. 31. s. 3. (6) N. 2. (7) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 35. (8) D. 20. n. 76. (9) N. 551. (10) P. 9. n. 22. (11) C. 6. q. 4. (12) C. 9. a. 2. sect. 3. v. Quaer. 9. (13) L. c. (14) Tr. 15. n. 64. (15) N. 551. (16) L. c. (17) P. 1. tit. 10. n. 20. lit. z. (18) Hic c. 9. a. 2. sect. 9. v. Quaer. 2. (19) T. 5. p. 2. c. 13. (20) P. 9. n. 4. (21) L. 21. n. 462. (22) Notif 29. n. 5. (23) D. 20. n. 78. (24) C. 6. n. 17 (25) L. c. (26) D. 31. s. 6. (27) T. 255. c. 5. (28) P. 2. tr. 14. r. 46. (29) N. 464. (30) T. 3. p. 143. num. 388. (31) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 37. (32) N. 563.

babiliter dicit posse quandoque sacerdotem celebrare sine missali, si hoc facile non posset habere, et ob praeteritam experientiam abesset morale periculum errandi. Hinc probabiliter inferunt Lugo Pal. Vasq. Sal. et Escob. licite celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter missam recitat, modo discernat calicem et hostiam quantum sufficit ad evitandam irreverentiam: et modo ad notam effugiendam habeat missale in altari vel alium librum loco ipsius, ut aiunt Croix [1] cum Gob. et Salm. [2] cum Lugo et Pal. Per clausulam autem quae solet a s. c. apponi, *ut supra*, non satis probatur hanc secundam opinionem tamquam improbabilem reiici: tutius tamen semper erit hanc facultatem a s. c. obtinere. Certum autem est apud omnes, sacerdoti penitus caeco illicitum esse celebrare, quamvis referat Bened. [3] die 23. augusti 1727. sacram c. concilii hanc licentiam concessisse cuidam parocho pauperi ex speciali gratia, cum assistentia tamen sacerdotis.

Sacerdos autem ritus romani graviter peccaret, si uteretur missali regularium etiam in eorum ecclesiis vel locorum qua transit dicendo missam diversi ritus, ut recte censet Croix cum Pasq. Quarti et Aversa (contra Pal. et Praep.) ex decreto s. c. 19. novem. 1622. apud Gav. [4]. Hoc tamen intelligitur, si talis sacerdos posset ritum suum servare: nam alias licite posset uti peregrinus ritu et missali illius dioecesis in qua reperitur, ut probabiliter ait idem Croix [5] cum Con. Tamb. et aliis communiter. Olim missalia habentia in canone, *pro rege nostro*, erant suspensa; sed hodie recte dicit Croix [6] cum aliis recentioribus in hoc non esse faciendum scrupulum ex consuetudine introducta.

Confessarii autem et capellani monialium possunt quidem dicere missas sanctorum de quibus ipsae recitant officium, non tamen missas proprias illius ordinis, sed cum missali romano et de communi; ita s. c. r. annuente Clem. XI. die 1. decembr. 1717. apud Pitton. [7].

391. « 9. *Minister*, secundum Navarr. Fag. Zerol. sub mortali et quidem masculus; in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi vel dandi viaticum, posset quis sibi respondere, inquiunt Sa Bon. et Diana [8] ex aliis. In quo casu etiam foeminam adhiberi posse docent Nug. [9] et Sylv., idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse docet March. [10] contra communem, apud Laym. Fern. et Diana [11] Tamb. [12] et March. [13] qui vult id esse mortale. Ministrante tamen circa altare viro qui nesciat respondere, moniales ex choro respondere non esse prohibitum notant card. Lugo et Tamb. [14] qui etiam cum Henriq. et Hurt. permittunt celebranti missam coeptam prosequi sine ministro, si hic forte absit, et aliquantulum expectatus non revertatur. »

Dubitatur 1. quale peccatum sit celebrare sine ministro. Certum est apud omnes esse mortale ex *cap. Proposuit* 6. *de fil. presb.* ubi dicitur: *Non enim solus presbyter missarum solemnia potest sine ministri suffragio celebrare.* Verum communiter dicunt dd. licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi viaticum. Ita Lugo [15] cum Suar. Lay. Fag. Diana [16] cum Cler. Vill. et Petig., item Ronc. [17] cum Glossa [18] Cont. Tourn. [19] et Sylv. [20]. Et idem concedunt Cont. Tourn. Lugo et Dian. cum aliis ab ipsis citatis, ut populus audiat missam de praecepto: celebrantem autem, ut ipse solus missam audiat de praecepto, etiam excusat Diana [21]: et Cont. Tour. cum Sylv. non damnat, licet non approbet.

Probabiliter autem dicunt (praeter Lugo Tamb. Henr. et Hurt. apud Bus. Cont. Tour. [22] et Salm. [23] cum Dicast.

(1) N. 364. (2) Loc. cit. (3) Loc. cit. (4) P. 3. tit. 10. (5) N. 368. (6) N. 369. (7) De ritib. n. 1768. (8) Tract. 14. res. 43. (9) Art. 6. d. 1. (10) Res. past. tr. 4. c. 5. q. 10. (11) L. c. (12) L. c. (13) De ord. t. 3. c. 15.

(14) Loc. c. (15) D. 20. n. 103. (16) P. 2. tr. 14. r. 43. (17) C. 6. q. 6. (18) In c. Quaesivit, de verb. signif. (19) Ead. sect. 9. q. 1. v. Hinc licet. (20) 3. p. q. 83. (21) Loc. c. (22) Loc. c. (23) Tr. 3. c. 4. p. 4. n. 101.

quod, incoepta missa, maxime si sit facta oblatio, permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur. Probabiliter etiam dicunt Salm. [1] quod celebrans non faciat scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet seipsum vel circumstantes vel ordinem missae; quamvis moneat Croix cum Gobat. quod celebrans suppleat omissa a ministro. Dicit autem [2] cum Quarti, rubricas circa ritum a ministro servandum, esse tantum directivas, et non obligare ad culpam; sed huic non acquiesco. Rationabiliter vero advertit Lugo[3] minorem necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro.

Illud autem quod habetur in c. *Hoc quoque* 61. *de consecrat. dist.* 1. ubi Soter papa sic ait: *Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare praesumat, nisi duobus praesentibus sibique respondentibus, ipse tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiscum, *et* Orate pro me, *aptissime convenit ut ipsius respondeatur salutationi.* Explicant d. Thom. [4] et Bellarm. Laym. Soto et alii communiter apud Escob. [5] hoc intelligi de missa solemni. In missis tamen *privatis* (ait d. Thomas) *sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.*

392. Dubitatur 2. An sacerdos celebrans, respondente muliere, peccet graviter. Affirmat Nugnus ap. Dian. [6]. Sed communiter negant Laym. [7] Suarez [8] Contin. Tourn. [9] et Diana[10] cum Molf. Homob. Zanardo Fern. etc. Hinc dicunt Wig. [11] Cont. Tourn. cum Lugo et Laym. cum Palud. et Hurtad. bene permitti, ut foeminae quandoque respondeant a longe, maxime si sint sanctimoniales, modo non immediate ministrent in altari, porrigendo urceolos etc.; id enim non posse excusari a mortali, ex c. 1. *Inhibendum de cohab. cleric.* ubi foeminis omnino interdicitur celebranti ministrare. Et ideo bene advertit Laym. [12] quod urgente necessitate satius esset celebrare sine ministro, quam cum foemina ministrante.

393. « 10. *Crucifixus;* nisi sit expositum venerabile sacramentum, non tamen sub obligatione gravi; idem est de velo. Lugo [13] Gav. »

In rubrica missalis [14] hoc tantum habetur: *Super altare collocetur crux inter candelabra.* Sed a s. c. rituum in decreto edito die 14. maii 1707. (apud Merati[15]) dictum fuit: *Super altare, in quo ss. sacramentum expositum est, crux de more collocari debet, cum imagine crucifixi apposita.* Quod tamen intelligendum est, ut ait Merati [16], tantum dum missa celebratur. Item in caeremoniali episcoporum [17] sic praescribitur: *Crux parva cum imagine crucifixi super tabernaculum, in quo asservatur ss. sacramentum in altari, non est sufficiens in missa, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum.* Idque confirmatum fuit a s. c. die 16. iunii 1663. ap. Merati [18].

Sed dubitatur 1. An sit mortale celebrare sine cruce. Affirmant Renzi [19] et Aversa[20] quia res est gravis, cum in sacrificio altaris repraesentetur sacrificium crucis: negant vero communissime Suar. [21] Laym. [22] Cont. Tourn. [23] Bon. [24] Fill. [25] Merati [26] et Esc. [27] cum Vasq. et aliis pluribus, quibus consentit Habert [28] et Conc. [29] qui dicit crucem non esse tantae necessitatis, ut sine ea non possit celebrari cum rationabili causa. Caeterum nullo modo excusari potest saltem a veniali sacerdos qui celebrat sine cruce, ex decr. Benedict. XIV. edito an. 1746. ubi dicitur: *Ut nullo modo fiat sacrificium*,

(1) Loc. cit. (2) N. 390. (3) D. 20. n. 303. (4) Q. 83. a. 5. ad 12. (5) N. 640. (6) P. 2. tr. 14. r. 44. (7) C. 6. n. 13. (8) D. 87. sect. 1. (9) Ibid. v. Hinc in casu. (10) L. c. (11) Tr. 13. n. 69. (12) L. c. (13) D. 20. sect. 2. n. 79. (14) P. 1. tit. 20. (15) T. 1. p. 2. in indice n. 604. (16) T. 1. p. 1. p. 693. v, Super. (17) L. 2. c. 12. (18) In ind. n. 400. (19) C. 4. q. 15. (20) Q. 11. s. 3 (21) D. 31. sect. 3. (22) C. 6. n. 17. (23) C. 9 art. 2. sect. 7. v. Quaer. 10. (24) P. 9. n. 50. (25) N. 123. (26) T. 1. p. 1. p. 297. (27) N. 461 (28) T. 5. p. 708. (29) P. 303. n. 19.

nisi crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos ac populus eumdem crucifixum facile et commode intueri possit: et imago non sit ita tenuis et exigua, ut ipsius sacerdotis et populi oculos pene effugiat. Idemque praescribitur in caeremoniali episcoporum. Et s. c. rituum decrevit etiam in altari, ubi expositum est ven. sacramentum, collocandam esse crucem cum imagine crucifixi, ut habetur apud Meratum et La Croix [1]. Crucifixus autem in altari non requiritur cum tanto rigore quo requiritur crux, nam per solam crucem iam habetur sacrificii cruenti repraesentatio; ita Bissus apud Merati [2] et Suar. Vasq. Dic. etc. ap. Croix [3].

Dubitatur 2. An quando in altari est statua crucifixi requiratur alia crux. Affirmant Gav. [4] et Wigandt [5] quia ex rubrica requiritur, ut crux inter candelabra collocetur. Sed negandum requiri in caeremoniali episcoporum [6] ubi dicitur: *At in altari, in quo adest magna statua ss. crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux dum celebratur missa.* Idque confirmatum fuit per decretum s. c. rit. 16. iunii 1663. apud Merati [7]. Et idem dicendum esse de imagine crucifixi depicta, scribunt Pasqualig. Quarti et Girib. ex decreto s. c., ut refert Bened. XIV. *in constit. Accepimus* sub die 16. iulii 1746. *in bullario.*

Crux autem non debet esse de praecepto benedicta, iuxta decr. s. c. 12. iulii 1704. apud Merat. [8]. Et idem docet Pign. [9] de omnibus imaginibus in altari collocandis, dicens eas posse, sed non debere necessario benedici.

394. « 11. *Candela* accensa duplex, ex cera et quidem, secundum Fagund. Reg. Vasq. et alios, sub mortali, contra Nugn. et March. In necessitate tamen, praeciso scandalo, sufficit una, etiam ex sebo, vel lucerna aut lampas ex oleo. Vide Diana [10] Lay. [11] Azor. [12] Sine omni autem lumine celebrare numquam licet, Lugo [13]; adeo ut, si extingueretur ante consecrationem, et aliud haberi non posset, missam esse relinquendam, etiam in necessitate consecrandi pro moribundo viaticum, dicant Fagund. [14] et Quint. [15]. »

In rubrica [16] sic habetur: *Super altare collocentur candelabra saltem duo candelis accensis hinc et inde in utroque latere.* Certum est apud omnes esse mortale celebrare sine ullo lumine, ex *c. Litteras ult. de celebrat. miss.*, ubi graviter culpatur sacerdos qui *sine igne*, id est sine lumine celebrat. Et hoc etiamsi urgeat necessitas ministrandi viatici, ut dicunt communiter Ronc.[17] Cont. Tourn.[18] cum Bell., item Lugo Quarti etc. apud Renzi[19], et idem sentit Croix [20] (contra Pasq. cuius tamen opinionem ipse Croix probabilem putat). Unde recte censent Ronc. Cont. Tourn. [21] ac Tamb. [22] Renzi [23] (contra Croix [24] cum Gob. et Leand. Lugo autem[25] et Spor.[26] quos ipse citat, id minime dicnut, imo potius oppositae sententiae adhaerent); quod si ante consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando; secus si post consecrationem. Quo casu, si candelae statim possint reaccendi, dicit Pasq. apud Croix [27] melius esse pergere, quia continuatio missae pertinet ad unitatem sacrificii, et idem dicendum ait [28] Quintanad. si candelae non possint ita facile reaccendi, ut expectandum sit ad quadrantem, ob eamdem rationem. Recitare autem evangelium s. Ioannis, extinctis candelis, nullum esse peccatum dicit Quarti cum Croix [29], quia tale evangelium non est pars missae, nam dicitur post *Ite missa est.* Sed probabilius dicit Gav.[30] cum Merati [31] candelas non debere extingui nisi post evangelium, ut re-

(1) L. 6. p. 2. n. 521. — Laudatum decretum fuit 14. maii 1707. editum, ast decreto 12. sept. 1741. s. r. c. relinquit, quando est expositum ss. sacramentum, unumquemque in suo usu apponendi crucem vel non. (2) P. 295. (3) N. 318. (4) P. 1. tit. 20. lit. ult. (5) Tract. 75. n. 55. (6) Loc. cit. (7) In indice n. 400. (8) Dict. p. 297. (9) T. 9. consult. 89. (10) Loc. cit. (11) C. 6. n. 17. (12) C. 28. q. 13. (13) D. 30. sect. 2 n. 77. (14) P. 22. c. 22. (15) T. 2. s. 1. (16) P. 1. t. 20. (17) C. 6. q. 5. (18) Ead. sect. 7. v. Quaer. 11. (19) C. 4. q. 17. (20) N. 592. (21) Locc. cc. (22) C. 5. § 4. (23) C. 4. q. 17. (24) N. 592. (25) D. 20. n. 77. (26) N. 381. (27) N. 594. (28) Ibid. (29) N. 597. (30) P. 2. tit. 12. lit. f. (31) Ibid.

vera praescribit rubrica: licet enim hoc evangelium olim ex arbitrio dicebatur, hodie tamen, ut advertit Butrius cum aliis communiter, dicitur ex obligatione ob mandatum s. Pii v. Non debet autem angi sacerdos, si, dum legit evangelium, minister candelas extinguit. Item probabiliter ait Croix [1] cum Sporer nullam esse obligationem accendendi tertiam candelam post *Sanctus;* sic enim hodie communis usus habet.

Dubitatur 1. An liceat celebrare cum candelis ex sebo vel oleo. Affirmat Tolet. [2]. Sed communiter dd. docent id esse mortale, quia talis usus est indecentissimus et prorsus alienus ab universali ecclesiae consuetudine. Et hoc etiam in necessitate, ut sentiunt Suar. [3] (loquens hic de candelis sebaceis) et Escob. [4] cum Villal. et Fag. Verum communiter et probabiliter Azorius [5] Wigandt [6] Cont. Tournely [7] Sporer [8] cum Tanner et Tamb. Fill. [9] et Bonac. [10] cum Vasquez Reg. Nugno Graff. dicunt licitum esse celebrare cum oleo vel sebo in necessitate: et probabile putat Esc. [11] modo, ut bene advertit, scandalum absit. Non approbo autem id quod dicunt Pasq. Gobat. et alii (quibus consentit Suarez loquendo de lumine ex oleo), nempe non esse illicitum celebrare cum candelis ex oleo vel sebo, etiam ex sola devotione, si aliae haberi non possint; nam haec non videtur causa gravis sufficiens ad excusandum a mortali, ut supra dictum est.

Dubitatur 2. An liceat celebrare cum uno lumine cereo. Fagund. ap. Ronc. [12] negat et dicit hoc esse mortale. E converso Fill. [13] Azor. [14] et Bonac. [15] cum Suar. Vasq. Con. Regin. etc. censent nullum esse peccatum, praeciso scandalo. Sed probabilius et communius puto cum Cont. Tour. [16] Tol. [17] et Esc. [18], qui citat Franc. Lugo, id esse tantum veniale; a quo puto perinde quamcumque causam rationabilem, adhuc solae devotionis, secluso scandalo, excusare.

Advertendum autem hic non esse licitum cuicumque nec etiam vicariis generalibus, celebrare cum quatuor candelis, ut declaravit s. c. die 7. aug. 1627. apud Gav. [19]. Et sic pariter id vetitum est aliis sacerdotibus, nisi sint cardinales, episcopi et abbates usum pontificalium habentes, tum solum tamen, cum in ipsis celebrant; ex decreto 9. febr. 1675. apud Bened. XIV. [20].

395. «12. Requiritur etiam antipendium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; sed non benedicta: et si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis mutuo accipi, et deinde priori usui reddi potest. Tamb. [21]. »

Recte dicit Busemb. ista non benedici, quia ipsa requiruntur tantum ad decentiam. Celebrare sine antipendio putat Pasq. [22] nullum esse peccatum, maxime si ob paupertatem omittatur; sed Quarti apud Croix [23] dicit esse veniale, et hoc puto probabilius, cum antipendium requiratur ex rubrica [24] ubi dicitur: *Altare pallio quoque ornetur, coloris quoad fieri potest diei festo vel officio convenientis.* Excipienda tamen sunt altaria ex marmore, vel illa quae vulgo dicuntur *alla paolina*, quorum usus communissime hodie invaluit.

Requiritur etiam *pulvillus* ex eadem rubrica: *In cornu epistolae* (collocetur) *cussinus supponendus missali.* Bene vero pro cussino licite subrogatur legile, vulgo *lettorino:* item *manutergium* cum pelvicula: *Parentur ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio mundo.* De velo et bursa dicitur in rubrica [25]: *Tegit* (sacerdos hostiam) *parva palla linea, tum velo serico. Super velo ponit bursam coloris paramentorum intus habentem corporale plicatum.* Unde non bene agunt qui extra bursam deferunt corporale, ut recte ait Gavant. [26], qui refert s.

(1) N. 393. (2) C. 2. n. 14. (3) D. 81. sect. 6. (4) L. 21. n. 457. (5) T. 1. l. 10. c. 28. q. 15. (6) Tr. 15. n. 65. (7) Loc. cit. (8) N. 383. (9) N. 126. (10) Part. 9. n. 31. (11) N. 458. (12) C. 6. q. 5. (13) N. 126. (14) C. 28. q. 15. (15) P. 9. n. 31. (16) lib. r. ad 3. (17) C. 2. n. 14 (18) N. 455. (19) P. 1. tit. 20. n. 20. lit. y. (20) Notif. 29. n. 16. (21) L. 1. c. 3. §. 3. (22) Q. 713. (23) N. 526. (24) Tit. 19. n. 20. (25) Tit. 1. n. 1. (26) In dict. rubr.

Pium v. dispensasse cum hispanis, ut corporale extra bursam ferre possint. Dicit autem Croix [1] quod celebrare sine velo, quando nullum habetur, non est peccatum, nam velum, manutergium, pulvillum ait requiri tantum ob decentiam: et idem censet de bursa cum Spor.

396. «13. Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, sine licentia, ut docent Fagund. Laym. Diana [2], et quidem summi pontificis, ut ex declaratione cardinalium notant Gavant. et Tambur. [3], licet Layman et Scotus episcopis et cum regularibus eorum praelatis permittant. Quod Tambur. [4] recte limitat ad casum necessitatis, in quo ad papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine venia faceret, cum non peccare mortaliter, secluso contemptu et scandalo, volunt Led. et Tamb. [5]. Quod Dian. [6] censet probabile, si tempus canonis excipiatur.»

397. Dub. 1. An sit licitum celebrare capite cooperto. Certum est hoc non licere ex *cap. Nullus, de cons. dist.* 1. ubi dicitur: *Nullus episcopus, presbyter, aut diaconus praesumat velato capite altari Dei assistere.* Accedit praeceptum Urbani VIII. in missali rom. appositum in quo praescribitur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione missae sine expressa licentia sedis apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine.* Bene vero notat Croix [7], hoc praecepto non obligari chinenses, apud quos tegere caput est signum honoris, et detegere est irreverentiae. An autem sit mortale facere sacrum cum pileolo, vulgo dicto *berrettino.* Affirmant Angel. [8] et Armilla [9], quia hanc reputant materiam gravem, cum graviter repugnet reverentiae sacramenti. Negat vero Ledesm. et probabile id putant Diana et Sporer apud Croix [10]. Sed non minus probabiliter Quarti [11] Pasq. [12] et Escob. [13] cum Vill. et Franc. Lugo, praeter Tamb. et alios apud Busemb. ut supra distinguunt, et dicunt esse mortale celebrare totam missam cooperto capite, secus si usque ad canonem, secluso contemptu et scandalo; et consequenter probabile est id quod dicit Pal. [14] cum Sa Vasq. Azor. et Laym.[15] cum Nav. Sylv. et Henr. ac Croix[16] cum Gobat. et Dic., nempe non esse illicitum sine dispensatione celebrare cum pileolo (excepto canone et praeciso scandalo) ex rationabili causa, si celebretur in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem sacerdotis, vel loci frigus, ita ut quis non posset celebrare capite nudo sine notabili incommodo. Hinc aiunt Contin. Tourn.[17] Parisiis, et Vasq. apud Croix Coloniae tempore hiemali esse in usu celebrare cum pileolo usque ad secretas. Idque approbat Bened. XIV.[18] saltem pro eo qui graviori laboraret morbo; neque obstare dicit statutum Urbani VIII.: non enim censendum, ait, sedem apostolicam in casu extremo et in morbo minime diuturno rem hanc illicitam declarare.

Dicunt autem Suar. [19] Bon.[20] Laym. cum Azor. et Sa, item Sporer Filliuc. Rodriq. et alii ap. Croix [21], quod, accedente causa, v. gr. infirmitatis, potest episcopus vel praelatus ordinis dare licentiam celebrandi capite operto amictu vel pileolo. Sed id negandum cum Gavant. et Aversa apud eumdem Croix ex decreto allato Urbani VIII. ubi expresse omnibus prohibetur sacrificare cum pileolo sine dispensatione apostolica. Idque confirmatum fuit a decreto s. c. rit. die 24. aprilis 1626. ubi dictum fuit: *Facultas concedendi usum pileoli in missa spectat ad papam.* Item hic obiter notandum aliud decretum eiusdem s. c. 13. aug. 1695. ubi: *Parochis ministraturis ss. sacramentum infirmis non est licitum de die neque de nocte uti parvo pileolo sub praetextu infirmitatis, absque speciali s. sedis licentia.*

398. Dubitatur 2. An liceat celebrare

(1) N. 550. (2) R. 58. (3) De exp. sacr. loc. c. (4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) P. 2. t. 14. r. 58 (7) N. 400. (8) V. Missa. (9) Eod vero (10) N 400. (11) P. 2 t 2. dub. 5 (12) Q. 326. (13) N. 495. (14) P. 10. n. 10. (15) C. 6. n. 16. (16) L. c. (17) De. sacr. c. 9. a. 2. s. 9. v. Quaer. 5 (18) De sacrif. miss. c. 9. l. 1. c. 7 et 9. (19) D 82. s. 3. (20) P. 9. n. 29 (21) Q. 400

cum capillitio ficto, vulgo dicto *perrucca*. Adest decretum s. c. rit. editum 3. aug. 1652. ubi dictum fuit: *Missa non potest celebrari cum caesarie ficta.* Dicit vero Pasq. licere ex rationabili causa celebrare cum illa. Sed advertit Croix [1] hoc etiam hodie vetitum esse per decretum Innocentii XI. promulgatum in dioecesi coloniensi die 21. martii 1689. ubi sancitum fuit, *non posse episcopos et nuntios apostolicos concedere licentiam sacerdotibus eiusmodi comas in actu celebrationis gestandi,* omnibus et singulis praescribens ob reverentiam tanto sacrificio debitam, ut *altari Dei non nisi detecto ac nudato capite assistere praesumant;* idque *sub poena suspensionis a divinis officiis.*

« Plura de his omnibus vide apud auctores citatos Gavant. Diana Laym. Bonac. c. de Lugo [2] Escob. [3] qui notat, etsi gravis sit obligatio servandi ritum celebrandi praescriptum in rubricis missalis, ideoque grave sit omittere, v. gr. oblationem hostiae vel calicis vel infusionem modicae aquae (Tambur.[4]); nihilominus levitatem materiae saepe excusare a culpa mortali omissionem, etiam intra canonem, monet Esc. [5]. »

399. Quaeritur an rubricae missalis sint tantum directivae, sive de consilio ad instruendum, vel sint praeceptivae obligantes ad culpam. Ante omnia in hoc puncto praenotandum id quod habetur in bulla s. Pii v. apposita in fronte missalis ubi sic dicitur: *Mandantes et districte omnibus et singulis praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ut caeteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis missalibus in posterum penitus omissis, missam iuxta ritum, modum ac normam, quae per missale hoc a nobis nunc traditur decantent ac legant. Neque in missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae in hoc missali continentur, addere vel recitare praesumant.*

(1) N. 401. (2) D. 20. sect. 4. (3) Ez. 11. (4) De exped. sacrif. l. 2. c. 5. (5) Loc. cit. (6) Loc. cit. sect. 8. v. Sub initio. (7) Q. prooem. sect. 2. p. 1. (8) In memor. cler. 2. p. 9. (9) D. 85. sect. 3. (10) T. 1. l. 10. c. 29. q. 6

Ad quaesitum autem quatuor adsunt sententiae doctorum qui in hoc puncto valde confuse loquuntur.

Prima sententia, quam tenent Fag. et Henno apud Contin. Tour. [6], dicit omnes rubricas esse directivas, cum ipsae non praecipiant, sed tantum consulant vel instruant. Sed hanc sententiam merito reiiciunt Quarti [7] et Victor [8].

Secunda sententia, quam tenent Suarez [9] Azor.[10] Bon.[11] cum Possev., item Con. Avers. Lez. et Molf. ap. Merati [12], dicit omnes rubricas esse praeceptivas ex praefata bulla s. Pii; unde censent omnes rubricas obligare sub gravi de genere suo, et tantum ratione levis materiae posse committi veniale.

Tertia sententia vero, quam tenent Gavant. [13] Lugo [14] Concina [15] Sporer [16] Holz. [17] Elb. [18] Diana [19] Renzi [20] Tambur. [21] cum March. et probabilem putat Quarti [22], censet alias rubricas esse praeceptivas, alias directivas: dicunt enim esse praeceptivas rubricas illas in quibus apponitur verbum *graviter peccat*, vel quae aliunde sunt praescriptae a iure vel a consuetudine, prout sunt rubricae circa integritatem sacrificii, materiam et formam, ieiunium, vasa, vestes etc. Directivas autem esse, v. gr. orare ante vel post missam, numerum collectarum, lotionem manuum, genuflexiones, cruces etc. Ex auctoribus vero huius sententiae alii, ut Conc. Tamb. et Sporer, dicunt praeceptivas obligare sub gravi, directivas autem sub levi. Sed pace ipsorum haec doctrina non sibi congruit; repugnat enim dicere rubricas esse tantum directivas, et obligare ad culpam, quia si obligant, revera potius praeceptivae quam directivae dici debent. Melius igitur dicunt alii, ut Gav. Lugo Holzm. et Elb., rubricas praeceptivas obligare quidem ad culpam, non vero directivas, cum hae sint tantum materia instructionis et directionis, non praecepti.

(11) D. 4. q. ult. p. 7. §. 3. n. 3. (12) T. 1. p. 2. n. 786. (13) P. 3. tit. 21. n. 1. et 7. (14) D. 20. n. 105 (15) p. 509. n. 1. (16) N. 423. (17) P. 86. n. 576. (18) N. 263. (19) P. 2. tr. 14. r. 70. (20) C. 9. q. 14 (21) De sacr. miss. c. 5. §. 1. n. 1. (22) A. 7. n. 1

Quarta sententia vero quam sequor, et tenent Merati Contin. Tournely [1] et Quarti [2], distinguit rubricas in eas quae servantur intra missam, sive in actu celebrationis, et in eas quae servantur extra missam. Dicimus igitur rubricas intra missam tantum esse praeceptivas, et has tantum obligare et quidem sub gravi, nisi levitas materiae excuset. Probatur 1. ex Trid.[3] ubi dicitur: *Si quis dixerit... approbatos ecclesiae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios... mutari posse, anathema sit.* Certum est quod celebratio missae etiam ad sacramenti eucharistiae administrationem pertinet. Probatur 2. et expressius ex enuntiata bulla s. Pii, ubi ita dictum fuit: *Mandantes et omnibus districte praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ut missam iuxta ritum, modum et normam in missali praescriptam decantent ac legant.* Deinde additur: *Neque in missae celebratione alias caeremonias vel preces addere vel recitare praesumant.* Ex quo patet falsam esse primam sententiam, necnon opinionem Pellizarii et Renzii dicentium hanc bullam non obligare sub gravi, eo quod in ipsa tantum vetetur inductio novi ritus, non autem mutatio aut variatio caeremoniarum vel precum: nam bulla duplex quidem praeceptum continet, et utique grave (cum praecipiat *districte et in virtute sanctae obedientiae*), unum de non addendis aliis caeremoniis et aliis precibus non recitandis, praeter praescriptas in missali: alterum de celebrando iuxta *ritum, modum* (nota) *et normam missalis.* Ad modum et normam quidem spectat, ne varientur caeremoniae in missali praescriptae.

400. Unde recte ait Croix [4] cum Pasqual. non excusari a veniali sacerdotem qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones etc. uti praescribuntur in rubrica. Et idem sentit cum Concina [5] de eo qui advertenter non genuflectit usque ad terram, vel tantum signat deosculari altare, vel perturbat benedictiones contra rubricae praescriptum. Item dicit Croix [6] cum Pasqualigo esse veniale facere ea nimis celeriter vel nimis prolixe. Praeterea rationabiliter addunt Conc.[7] Wigandt [8] Croix [9] et Roncag. [10] posse esse etiam mortale, si quis has caeremonias, esto non ex gravioribus, omitteret in notabili parte. Hinc probabiliter asserunt Roncag. Quarti [11] et Pasq. [12] non excusari a mortali sacerdotem absolventem sacrum infra quadrantem, a quo non videtur dissentire Gobat. [13] dicens non posse intra quadrantem perfici missam sine multis imperfectionibus. Unde merito ait Roncaglia cum Quarti et Pasq. episcopos et praelatos regularium teneri sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem extirpare. Et ab hoc reatu non excusari, recte consequenter ait Conc. [14] qui ex crassa negligentia non curat caeremonias addiscere. Optime hinc docet Benedict. XIV.[15] cum Quarti Gob. Coton. Bisso Clericat. Roncaglia et communi, missam non breviorem triente, nec longiorem dimidia hora debere esse; quia breviori spatio non possunt omnia debito decore peragi, et longiori, taedio esset adstantibus.

Hinc dicimus difficulter posse excusari a mortali sacerdotem qui infra quadrantem missam absolveret, etiamsi missa sit ex brevioribus, vel de s. Maria in sabbato, quia in tam brevi spatio necessario committere debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiae erga sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Et ne sine fundamento loqui videamur, ad trutinam utrumque vocemus, rem a suis principiis assumendo. Nequit negari quod rubricae, in quantum pertinent ad caeremonias intra missam servandas, omnes sint praeceptivae, ut

(1) Ibid. (2) D. q. prooem. sect. 2. p. 2. (3) Sess. 7. can. 13. (4) N. 422. (5) P. 309. n. 2. (6) Ibid. (7) Ibid. (8) Tr. 13. n. 73. (9) L. c. (10) C. 3. q. 4. (11) P. 1. tit. 16. p. 6. diff. (12) Q. 29. n. 7. (13) C. 23. n. 814. (14) p. 309 n. 1 (15) Notif. 54. n. 30.

probavimus *n.* 399. cum Cont. Tourn Quarti et Merati ex Trident. [1] et ex bulla s. Pii v. ubi praecipitur, *districte in virtute sanctae obedientiae, iuxta ritum, modum et normam in missali praescriptum decantari ac legi.* Ex quibus verbis, *districte et in virtute etc.* non dubitandum quin tale praeceptum circa missae caeremonias sit quidem grave. Quamobrem, sicut qui omittit caeremonias in materia levi non excusatur a levi culpa, ita qui in materia gravi a gravi culpa non excusabitur, ut diximus mox supra cum Croix Ronc. Wigandt et Conc. Impossibile autem est missam perfici infra quadrantem, quin omittantur aut verba aut caeremoniae, vel saltem quin notabiliter imminuatur decentia et gravitas tanto sacrificio debita. Hoc sedulo animadvertendum: aliquis enim forte dicet quod ipse bene pronuntiat integra missalis verba, et bene adimplet cunctas missae caeremonias. Verum, licet detur aliquis ita lingua et motu expeditus, ut infra tale tempus satisfaceret omnibus missalis verbis et caeremoniis, attamen saltem est moraliter impossibile quod iste celebret quin notabiliter detrahat ex una parte reverentiae ab eo praestandae erga sacrificium, et ex alia quin ipse sit causa ut populus assistens non deficiat in veneratione quae eidem sacrificio debetur.

Porro loquendo in primis de reverentia ab ipso celebrante erga missam exhibenda, Tridentinum [2] ita nos instruit: *Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium . . . satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotioms ac pietatis specie peragatur.* Proinde addit: *Cum igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem restituatur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia (idolorum servitus) vel irreverentia quae ab impietate* (nota) *vix seiuncta esse potest, vel superstitio (verae pietatis falsa imitatrix) induxit.* Primo igitur concilium declarat maledictionem a *Ierem.* 48. prolatam in negligenter exequentes functiones cultui divino addictas intelligi praecise fulminatam in sacerdotes celebrantes sine debita reverentia ac gravitate, subdens huiusmodi negligentiam eam invehere irreverentiam *quae ab impietate vix seiuncta esse potest.* Si autem caeremoniae in missa ad eum quippe finem ab ecclesia praescribuntur, ut debita praestetur reverentia erga tam venerabile mysterium, ipsas exhibendo cum eo decore et gravitate, quae maiestati tanti sacrificii conveniunt; quomodo umquam levis censeri poterit irreverentia missae irrogata ab eo celebrante, qui tam celeriter illam solvendo, non poterit quidem celebrare absque plurimis defectibus, nimirum quin verba, benedictiones et genuflexiones mutilet, quin indecenter se moveat et convertat, et quod magis dedecet, quin verba cum caeremoniis complicet, aut ipsa contra rubricarum praescriptum anticipet vel postponat? Quae sic agendo non poterit non notabiliter detrahere intrinsecae decentiae debitae sacrificio, quod expostulat ut non tantum caeremoniae persolvantur, sed persolvantur cum gravitate convenienti quae intra spatium tam breve sane adhiberi non potest.

Hoc quoad reverentiam ab ipso celebrante praestandam. Respectu autem ad venerationem ingerendam adstan-

(1) Sess. 7. can. 13. (2) Sess. 22

tibus erga missam, attende id quod tradit idem Trident.[1]: *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam instituit, caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones etc. ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Ergo, sicut concilium docet, ad hoc sacrae caeremoniae institutae sunt, ut per talia visibilia signa fideles sacrificii maiestatem et mysteriorum in eo contentorum sublimitatem animadvertant. Sed cum huiusmodi caeremoniae exhibentur nimis festinanter, sicut quidem oportet eas persolvere intra tempus tam breve, tunc ipsae non tantum minime ingerunt debitam venerationem erga missam, sed insuper sunt causa ut in populo veneratio deficiat. Ideoque, cum graviter laedatur finis caeremoniarum, sacerdos ita celebrans non valet excusari a gravi culpa propter grave scandalum quod populo praebet. Ac propterea apposite concilium turonense anno 1583. praecepit ut sacerdotes bene instruantur in missae caeremoniis, *ne populum* (verba concilii) *sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem et debitam eis impendendam venerationem invitent.* Qui autem cum excessiva festinatione, et consequenter sine convenienti decentia missam persolvit, non solum non invitat assistentes ad contemplanda mysteria, nec ad exhibendam eis debitam venerationem, sed potius invitat ad venerationem abiiciendam, imo potius adstantium mentibus tentationes adversus fidem ingerit, auferendo aut saltem imminuendo credulitatem, quod ibi Christus Dominus realiter adsit, dum spectant eum tam irreverenter a celebrante recognitum. Et hoc quidem est illud scandalum et documentum quod a gravi culpa nequit excusari.

Ita res se habet, sed heu quot sunt superiores isti et quot sacerdotes, qui de hoc sibi scrupulum iniiciunt! Exclamant concionatores, exclamant scriptores recte docentes, quod ingens divexatio caeremoniarum, et consequenter quod missae absolutio infra quadrantem non potest excusari a culpa gravi; sed quot sunt ii qui curam habent haec vitandi? Huiusmodi corruptela non quidem calamo, sed lacrymis esset persequenda, dum quotidie cernimus, non solum maximam partem sacerdotum saecularium hoc tremendum sacrificium peragere peius quam tractant res temporales levioris momenti, ita oscitanter, ut nullam de tanto mysterio fidem habere videantur, sed quod deplorabilius, etiam religiosi adhuc arctioris observantiae, qui in aliis rebus spiritualibus agendis magnam diei partem insumunt, missam vero, quae omnium est divinissimum, non dubitant brevissimo tempore perficere, nec ipsi ab hoc detestabili abusu se abstinere, nec praelati eos corripere curant. En quomodo de hoc conqueritur ven. card. Bellarm. relatus in bulla *Annus qui etc.* n. ss. p. Bened. XIV.: *Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum sacerdotum incuriam aut impietatem sacrosancta mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant videantur non credere maiestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent.*

401. Dicit autem Merati[2] praeter rubricas missalis quae considerantur tamquam regula proxima sacrorum rituum, adesse etiam decreta s. c. rituum, quae censeri debent pariter ut regula proxima, cum haec s. c. facultatem habeat declarandi omnia dubia

(1) Sess. 22, c. 5. de sacr. missae.

(2) P. 788, n. 5.

quae circa ritus insurgunt, prout colligitur ex *constitutione* 74. Sixti v. et ideo eius resolutiones habentur tamquam pontificis oracula. Notat vero non omnes eius declarationes dici decreta rigorose sumpta, sed tantum ea quae emanant in forma rigorosa decreti, vel saltem in fine habent aliquam decreti clausulam, puta, *ab omnibus servetur: servari ab omnibus mandavit etc.* Si vero sunt declarationes tantum dubiorum, tunc iuxta nonnullorum opinionem censentur dumtaxat directivae, reputantur enim sapientissimorum virorum responsa. Verum ait Ursaia huiusmodi resolutiones praeferendas esse aliorum doctorum opinionibus. Hucusque Merati. Idem sentit Euseb. Amort[1]. Quaerit quid agendum, si in aliqua dioecesi vel ordine religioso vigeat consuetudo contraria rubricis, et sic respondet: *S. c. rituum constanter tolerat consuetudinem, saltem immemorialem contrariam rubricis. Itaque, tuta conscientia, licet se conformare consuetudini dioecesanae, praesertim in rebus levioris momenti, quae non cedunt in deformitatem cultus publici.* Idque eruit ex pluribus decretis s. c. apud Merati, ubi ait apparere non reiici consuetudines, nisi contineant positivam indecentiam, quae nequeat decenter tolerari.

402. Praescribit autem rubrica celebrantem debere esse calceatum. Ad hoc tamen sufficit ut sit indutus crepidis, vulgo dictis *pianelle*, seu *pantofole*, recte ait Croix[2], et communis usus habet. Commune autem est, quod celebrare sine causa nudis pedibus, secluso contemptu, non excedit veniale. Ita Suar.[3] Laym.[4] Croix[5] Lugo[6] Pal.[7] Ronc.[8] Bon.[9] et Salm.[10] cum Vasq. Sa Conc. et aliis passim contra Sylv. Diximus *sine causa*, nam ex necessitate aut rationabili causa, dicunt Croix[11] cum Sp. et Pasq. item Laym. et Phil. apud Salm.[12] nullum esse peccatum.

Dicit etiam Croix[13] cum Vasq. Dic. et Gob. eum qui non posset celebrare sine baculo licite posse illo uti. Additque[14] Gob. quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licite sic celebraret privatim non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. Dicunt etiam Croix[15] et p. Conc.[16] quod si quis non possit elevare hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur, sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret.

403. « Unde veniale tantum erit: 1. Omittere orationes dici solitas, dum sacerdos se induit, ut contra Nav. Sylv. et Azor. docent Laym. Fag. Diana[17]. Lotionem autem manuum ante vel post missam, etsi facile omitti non debeat, non videri sufficientem materiam rigorosi praecepti, tenent Suar. et Tamb.[18].

» 2. Omittere *Gloria* vel *Credo*, vel in canone nomen alicuius sancti, vel ea quae tempore paschali interponuntur inter Communicantes aut Infra actionem. Diana[19] ex Fill. Quint. etc. In missa autem quae canitur, non legere evangelium submissa voce, Diana[20] negat esse peccatum ex Sanch. et aliis 10., quod rubrica sit tantum directiva. Si quis autem in missa advertat aliquid a se omissum, regulariter non esse repetendum, ait Suar. et Tamb.[21]. Dicit regulariter, quia 1. si sit de substantia, v. g. aliquid pertinens ad consecrationem, certum est debere repeti. 2. Si dum secreto orat, post pauca verba certo advertat se aliquid notabile omisisse, v. g. die paschae Communicantes, paululum regrediendum esse et repetendum censet Tamb.[22]. Ita Fill. Diana[23] Escob. (Ita communiter

(1) T. 3. de sacr. ord. §. 25. q. 9. (2) N. 599. (3) D. 32. sect. 3. (4) C. 6. n. 16. (5) Loc c. (6) D. 20. n. 102. (7) P. 10. n. 9. (8) C. 3. q. 3 r. 1. (9) P. 9. n 29. (10) Tr. 5. c. 5. p. 4 n. 100. (11) Ibid. (12) Loc. c. (13) N. 402. (14) Ibid. (15) N. 427. (16) P. 510. n. 4. (17) R. 21. (18) §. 6. (19) p. 2. t. 14. res. 49. et 89. (20) L. c. res. 4. (21) De cap. sacr. l. 2. c. 5. (22) Loc. cit. (23) Res. 59.

omnes cum Sporer [1] qui recte infert cum aliis, nullo modo esse repetenda Gloria aut Credo, aut praefationem, sive Communicantes, Hanc igitur, propria, si omissa fuerint, vel evangelium aut epistolam, si dicta est una pro alia). »

404. Quoad omissionem partium missae, oportet distinguere partes ordinarias ab extraordinariis. Partes *ordinariae* sunt illae quae semper dicuntur vel aguntur, et has omittere de se est peccatum grave, nisi levitas materiae excuset. Hinc communiter dd. dicunt esse mortale omittere confessionem cum aliis in principio missae, epistolam, evangelium, collectas principales, offertorium, fractionem hostiae et illius mixtionem in sanguinem. Ita Suar. [2] Cont. Tourn. [3] Spor. [4] Conc. [5] Mazz. [6] Ronc. [7] Viva [8] Tamb. [9] et alii passim; licet non omnia haec reperias apud omnes hos aa. Idem dicendum cum Cont. Tourn. [10] de omissione praefationis.

405. In canone autem mortale est omittere quamlibet orationem, vel eius verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt. Conc. [11] et Croix [12] cum Dian. Filliuc. et Aversa. Idem dicendum de omissione *Pater noster* vel *Agnus Dei* cum Mazzot. Pasq. Conc. et Cont. Tour., licet Croix [13] id vocet satis rigidum, sed immerito. Idem cum Cont. Tourn. de *Libera nos*, *Domine non sum dignus* et *Quid retribuam;* idem dicendum de purificatione patenae et calicis post sumptionem, Pasq. [14] et Cont. Tour. [15]. Idem dicendum si quis omitteret decem vel octo nomina sanctorum, ut verius censent Salm. [16] et Dian. [17] (contra Bernal. et Pasq.). Putant autem Conc. et Nugnus apud Renz. [18] esse etiam mortale omittere unius vel alterius sancti nomen, sed rectius et communiter id negant Cont. Tour. Ronc. [19] Salm. [20] Croix [21] cum Fill. Aversa et Diana Elb. [22] Spor. [23] Renzi [24] cum Suar. et Granado. Et probabiliter Quarti [25] Cont. Tourn. et Ronc. excusant a culpa gravi omittere tria vel quatuor nomina sanctorum.

406. Veniale autem est omittere *Kyrie eleison*, ut Ronc. [26] Dian. [27] Wig. [28] et Elbel [29]. Idem dicunt Mazzot. [30] Lugo [31] et Tamb. [32] de evangelio s. Ioannis contra Ronc. [33] qui non improbabiliter ait cum Suar. huius omissionem esse mortale, saltem dico, si adsit scandalum. Veniale est omittere unam vel alteram crucem super oblata, vel tunsionem pectoris, aut lavationem manuum. Ronc. [34] et Dian. [35]. Idem ait Croix [36] cum Quarti de omissione psalmi *Iudica*, signi crucis super aquam, ablutionis digitorum in missa et similium. Veniale etiam est omittere unam ex tribus collectis principalibus, ut communiter dicunt Cont. Tourn. [37] Conc. [38] Elb. [39] et Croix [40] cum Quarti; imo Tamb. [41] putat nec etiam esse mortale omittere duas ex his orationibus; sed alii rectius contradicunt, ut Suar. [42] Pal. [43] Conc. [44] Salm. [45] et Spor. [46] qui addit quod si omissa sit prima oratio, ipsa cum secreta est recitanda, non vero postea. Ita de collecta propria, nam aliae orationes quae praeter eam adduntur in missa, non erit mortale eas omittere, ut Pal. et Conc. [47].

Si autem in missali verba canonis sint detrita, et non possit aliud missale haberi, nisi post longum tempus, illa omittere, cum memoria non tenentur, nullum est peccatum, Mazz. [48] et Croix [49] cum Pasq. et Verric. Id tamen intelligendum si sacerdos hoc prius non adverterit.

(1) N. 443. (2) D. 83. sect. 3. (3) De sacrif. c. 9. art. 2. sect. 8. (4) N. 43. (5) P. 510. (6) T. 5. d. 4. q. 2. c. 2. §. 2. (7) C. 3. q. 4. (8) Q. 5. a. 7. (9) C. 5. §. 2. (10) Loc. cit. (11) Loc. cit. (12) N. 418. (13) N. 419. (14) Q. 208. (15) Ib. (16) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 118. (17) P. 10. tract. 16. r. 56. (18) C. 4. q. 16. (19) C. 3. q. 4. (20) Loc. cit. (21) N. 418. (22) N. 235. (23) N. 425. (24) L. c. (25) Sect. 3. p. 3. (26) Q. 4. r. 2. (27) P. 2. tr. 14. r. 59. (28) Tr. 15. n. 75. (29) N. 230. (30) Ibid. (31) Dist. 20. n. 104. (32) C. 5. §. 2. n. 5. (33) Q. 4. r. 1. (34) Q. 4. r. 3. (35) Part. 5. tr. 5. r. 45. (36) N. 147. (37) Ib. (38) P. 510. n. 3. (39) N. 235. (40) N. 421. (41) C. 5. §. 2. n. 5. (42) Dist. 83. sect. 3. (43) P. 11. n. 1. (44) L. c. (45) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 112. (46) N. 455. (47) Locc. cc. (48) Ibid. (49) N. 418.

407. Mutilare autem verba, aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, non est plus quam veniale, Croix [1] cum Pasq. et Quarti, ac Mazz. [2] qui probabiliter addit nullum esse peccatum, si id ex naturali defectu fiat.

408. Peccaret quidem sacerdos si in purificatione calicis sola aqua uteretur, *cap. Ex parte* 5. *de cel. mis.* ubi dicitur: *Semper sacerdos vino perfundere debet postquam totum acceperit eucharistiae sacramentum*. Sed hoc non erit plus quam veniale, ut communiter dicunt Conc. [3] Pasq. [4] et Croix [5] Tamb. qui id etiam a veniali excusat, si sacerdos sit abstemius contra Gavant. In ablutione autem digitorum dicunt Pasqual.[6] Quart.[7] Gob. ap. Croix et Bissus apud Merati [8] nullum esse peccatum, solam aquam adhibere, sed melius dicunt Conc.[9] ac Bonamic. Cosett. et Arnaud ap. Mer.[10] id non excusari a veniali, si fiat sine dispensatione pontificis: excusabitur tamen, ut dicunt, si adsit rationabilis causa, pro qua puto quidem sufficere aliquem esse abstemium, vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. Hic obiter advertendum decentius esse ut sanguis sumatur unico haustu, prout communiter docetur; permittunt vero Bauld. Cabrinus Arnaud et alii apud Merati [11] posse calicem secunda et tertia vice ad os admoveri, ut reliquiae sanguinis absumantur, sed melius dicunt Tonnel. Castald. et Crassus [12] semel calicem ori admovendum, aliquantulum immorando, ut reliquiae omnes (quantum fieri potest) attrahantur. Monuit autem s. Pius v. in quadam epist. apud Gav. [13] ut in calicem infundatur eadem vini quantitas in qua fuerunt species sanguinis, et sumatur per eamdem partem qua sumptus sit sanguis.

409. Haec hactenus quoad partes ordinarias: quoad vero partes *extraordinarias*, scil. quae non in omni missa dicuntur, eas omittere non est nisi veniale; ita comm. omnes, nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem materiam constituerent, ut bene advertunt Conc.[14] et Wig.[15], quidquid dicant Quarti et Pasq. apud Croix[16]. *V. dicta n.* 400. Veniale autem tantum erit omittere *Gloria*, aut *Credo*, sequentiam, collectas (praeter propriam missae), tractum, praefationem, vel Communicantes, aut Hanc igitur, specialia. Ita comm. Conc. et Wig.[17] Pal.[18] Ronc.[19] Mazz.[20] Elb.[21] cum Henno et Croix [22] cum Lugo Diana et Filliuc.

Lotio manuum ante missam debet fieri saltem sub veniali et sub gravi, si manus sint valde immundae, propter reverentiam sacrificii, ut recte dicunt Ronc.[23] Cont. Tourn.[24] cum Quarti et aliis. Omittere vero lotionem post missam nullum erit peccatum, ut recte ait Croix[25] cum Quarti.

410. Dubitatur 1. An peccent mortaliter regulares qui in canone nominant nomen sui generalis vice episcopi. Affirmant Viva[26] Renzi[27] et Diana[28] ex quadam declar. s. c. apud Rodr. et Vill. Sed negant Spor. Rodr. Tamb. et Bordon. apud Croix[29] quia, ut dicunt, haec non videtur gravis materia, et de tali declar. authentice non constat. Notandum autem quod in canone debet nominari episcopus non celebrantis (ut putat Croix[30]), sed loci, ut universalis usus habet (saltem apud nos), et cum communi sententia tenent Merati [31] et Gavant. Gob. etc. apud Croix[32] ex declar. s. c. Et probatur clare ex rubrica [33] ubi dicitur quod si episcopus loci sit vita functus, omittitur nominari episcopus.

Dubitatur 2. An sit veniale omittere orationes ante vel post missam. Affirmant Salm. [34] cum Fag. et Leand. lo-

(1) N. 442. (2) Ibid. (3) P. 510. n. 3. (4) Q. 209. n. 8. (5) N. 425. (6) Loc. cit. (7) In qu. prooem. p. 6. (8) P. 594. (9) Loc. cit. (10) Loc. cit. n. 21. (11) P. 593. (12) Ibid. (13) Part. 2. tit. 10. (14) P. 510. num. 3. (15) Tr. 15. n. 75. (16) N. 420. (17) Locc. cc.

(18) P. 14. n. 11. (19) Q. 4. r. 2. (20) Tr. 5. d. 4. q. 2. c. 2. §. 2. (21) N. 284. (22) N. 420. (23) Q. 1. r. 2. (24) C. 9. a. 2. sect. 3. v. Quaer. 4. (25) N. 415. (26) Art. 7. n. 1. (27) C. 4. q. 16. (28) P. 2. tr. 14. r. 50. (29) N. 456. (30) N. 562. (31) P. 457. (32) L. c. (33) P. 2. tit. 8. n. 2. (34) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 95.

quendo tamen de illis quae post missam assignantur. Sed communiter negant Gav. [1] Cont. Tournely [2] Antoine [3] Holzm. [4] Pal. [5] Tamb. [6] Elbel [7] et Roncaglia [8], quia in rubrica non adest de illis praeceptum, sed tantum insinuatio, cum ibi in praeparatione missae solummodo dicatur: *Orationes pro temporis opportunitate* (hoc est commoditate) *dicendae*. Qua de re Gavant. ait: *Inde patet nullum esse peccatum, si celebraturus eas omittat, et communius... a sacerdotibus omittuntur*. Hoc tamen non obstante, sacerdos qui sine ulla alia praeparatione, saltem domi facta, ad sacrificandum accederet, puto ab aliqua culpa non excusandum.

Dubitatur 3. An omittere orationes induendo vestes sit peccatum. Negant Suar. [9] et Buchardus apud Gav. [10]. E converso Az. [11] Nav. [12] et Sylvest. ap. Escob. [13] censent esse mortale, quia, ut dicunt (sed non satis probabiliter), sicut est mortale celebrare sine vestibus, ita sine orationibus ad vestes. Tenendum igitur cum communi sententia hanc omissionem esse culpabilem, sed non plus quam venialem, ut putant Lugo [14] Bon. [15] Lay. [16] Cont. Tour. [17] Salm. [18] Pal. [19] cum Henriq. et Petig. et Escob. [20] cum Fag. Aversa Man. Vega etc. Aliter autem quidem sunt necessariae vestes sacrae ad reverentiam sacrificii, aliter orationes ad vestes.

Dubitatur 4. An peccet sacerdos, si in missa solemni non recitet quae cantantur a choro. Negat Wig. [21] Navar. [22] Dian. [23], item Led. Vill. Vega ap. Esc. [24] ac Pelliz. Tamb. et Quarti ap. Mazz. [25]. Hi dicunt sufficere, quod sacerdos attendat ad ea quae cantantur; ea enim quae ex utraque parte dicuntur, ad invicem communicantur, ut fit in horis canonicis. Alii vero, ut Conc. [26] et Pasqual. apud Mazzotta, dicunt teneri sub mortali iuxta quantitatem materiae, quia id iam praescribitur in rubrica [27]. Alii tandem, ut Lugo [28] et Avers. [29], non improbabiliter dicunt teneri tantum sub veniali. Ratio, quia tunc revera non omittitur epistola vel evangelium in missa, siquidem illa iam cantatur solemniter a ministris ad instructionem populi, pro quo alte ea legi vel cantari instituta sunt; unde lectio illa submissa magis videtur praescribi privatim pro ipso sacerdote, quam pro populo: potest ergo eadem materia omissa in se gravis fieri levis, si non a sacerdote, sed tantum a ministris dicatur, cum sacerdos et ministri in celebranda illa missa faciant unum.

Dubitatur 5. An sit mortale celebrare missam cum notabili voluntaria distractione. Negat Croix [30] cum Diana et Bardi, ac probabile putat Mazzotta [31]. Et hoc, etiamsi distractio esset sub consecratione aut sumptione; quia (ut dicunt) attentio interna in oratione non praecipitur sub gravi, iuxta opinionem plurium dd. relatam *l. 4. n.* 177. Affirmant vero Conc. [32] Ronc. [33] et consentit Tamb. [34] quoad ea quae recitantur in canone, et signanter sub consecratione et communione. Huic sententiae potius ego adhaereo: ratio quia (praetermissa quaestione an attentio interna sit vel ne de essentia orationis, de qua *dicto n.* 177. satis locuti sumus) sacrificium, praeter rationem orationis, habet insuper rationem cultus excellentissimi religionis, cui gravem videtur ille irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu religioso Deum colere, voluntarie se distrahit.

411. « 3. Ex devotione leve aliquid in missa, etiam dum secreto orat, addere, v. gr. orationem dominicam vel psalmum aliquem, vel in canone nominibus sanctorum nomen patroni loci, Tamb. [35]. Dixi *leve:* quia notabiliter addere esse mortale vult idem Tamb. [36] ex Bon. [37]. »

(1) P. 2. tit. 1. n. 1. (2) Loc. cit. v. Quaer. 3. (3) P. 492. n. 2. (4) N. 576. (5) P. 4. n. 2. (6) C. 7. §. 1. n. 1. (7) N. 267. (8) Q. 1. r. 2. (9) D. 82. (10) N. 6. (11) L. 10. c. 29. q. 5. (12) Man. c. 25. n. 75. (13) N. 505. (14) Dist. 20. n. 106. (15) P. 9. n. 52. (16) C. 6. n. 12. (17) Ibid. post quaer. 11. v. Dico 4. (18) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 95. (19) P. 10. n. 8. (20) N. 507.

(21) Tr. 15. n. 75. (22) C. 10. n. 34. (23) P. 1 tr. 14. r. 42. (24) N. 511. (25) Ibid. (26) P. 510. n. 3. (27) Tit. 4. n. 7. et tit. 5. n. 4. et 5. (28) D. 20. n. 107. (29) Q. 11. s. 12. (30) N. 445. (31) T. 5. ibid. (32) P. 515. n. 15. (33) C. 5. q. 2. r. 3. (34) C. 5. n. 8. et 9. (35) L. 5. exped. sacrif. c. 5. (36) Loc. cit. (37) Art. 4. quaest. ult.

Certum est apud omnes, esse mortale addere aliqua in missa, animo introducendi novum ritum. Vide Suar. [1] Pal. [2] et alios passim. Hinc recte p. Conc. [3] dicit peccare graviter qui adderet in missa novas publicas preces. Si vero ex importuna devotione addantur plures collectae ex eodem missali, vel *Credo*, aut *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile, id non excedit culpam venialem: ita communiter Conc.[4] Spor.[5] Pal. [6] cum Con. et Mazz. [7] cum Suar. et Gob. Rationabiliter tamen censet Aversa apud Croix [8] esse mortale addere *Gloria* et *Credo* in missa *de requiem*, quia haec videtur satis gravis inordinatio.

Probabiliter autem dicunt Concina [9] et Croix[10] cum Pasq. quod, licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa vel ex devotione addere unam collectam; adduntque Gobat. et Piscara apud Croix[11] hoc fieri posse etiam in festo secundae classis, si adsit peculiaris causa. Collecta autem pro publica necessitate potest esse tertia ad libitum, vel addi pro quarta, Croix [12]: communior vero opinio est [13], quod omittenda sit in festo 1. et 2. classis. Notandum hic ex decreto s. c. rit. ap. Croix[14] quod cum expositum est ss. sacramentum, adhuc in missa duplici, potest de eo fieri commemoratio; tunc tamen praefatio debet esse communis vel propria illius missae, ut ex aliis decretis eiusdem s. c. apud Pitton.[15]. In missis autem votivis pro re gravi et causa publica, semper dicitur *Gloria;* Croix[16]. Et in missa solemni pro re gravi aut causa publica, v. gr. 40. horarum, dicitur etiam *Credo;* Croix [17]. In oratione *A cunctis* non vetatur nominari quivis sanctus canonizatus, et etiam duo, sed non plures; Croix[18]. Vetitum est vero addere in confessione, et tanto magis in canone nomen alicuius sancti, ut bene advertit Tamb.[19]. Et ita etiam vetitum est addere nomen aliorum sanctorum in litaniis publicis coram populo, ex decreto s. c. 22. martii 1671. ap. Gav. [20].

412. « 4. Celebrare ante dictum matutinum, ut contra Azor. et Regin. docent Sylvest. Valent. Suarez Vasquez Less. Fagund. Laym. etc. quorum plerique tamen cum Palao dicunt esse veniale si fiat sine causa: licet et hoc Tamb.[21] in dubium vocet (De hac quaestione, an liceat celebrare ante dictum matutinum et laudes, *vide dicta n.* 347.).

413. » 5. Quae alta voce dicenda praescribuntur, adeo submissa dicere, ut adstantes audire non possint. Tamb.[22], quidquid dicat Navar. apud Sa [23]. Imo notat idem Tamb. ex card. de Lugo [24] a timoratis passim sine scrupulo voce pressa legi.

Ante omnia hic notandum id quod habetur in rubrica [25] ubi dicitur: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut quae clara voce dicenda sunt distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit; nec nimis morose* (notent qui in mis

(1) D. 85. s. 1. (2) P. 11. n. 1. (3) P. 510. n. 5. (4) L. c. (5) N. 428. (6) D. n. 1. (7) Tr. 5. ib. (8) N. 429. (9) N. 5. (10) N. 429. (11) Ibid. (12) L. c. (13) Ib. (14) N. 452. (15) N. 1214. et n. 1647. (16) N. 464. (17) N. 466. (18) N. 462. (19) C. 5. §. 3. n. 9. (20) Man. episc. v. Litaniae n. 5. — Orationes missae extraordinariae, quae in certis circumstantiis iniunguntur, semper dicendae sunt post ordinarias orationes assignatas *de die* vel *de tempore*, nulla ex his omissa, ne illa quidem quae *ad libitum* dicitur; ita s. r. c. 17. augusti 1709. Ad orationes extraordinarias pertinent:

a) Oratio ab episcopo vel superiore praescripta, quae in festis dupl. 1. cl. omittitur; in festis vero dupl. 2. cl. dici aut omitti poterit in missa privata, sed in solemni omittenda. S. r. c. 15. mai. 1819. In dominicis 1. et 2. cl. non omittenda, exceptis dom. Palmarum et dom. 4. Advent., si in eam vigil. Nativitatis cadit. S. r. c. 20. april. 1822.

b) Oratio de ss. Sacramento, quae e s. r. c. 23. iun. 1736. dicenda est in missa cantata, durante expositione, sub unica conclusione, si duae tantum sint orationes; si plures sint, unienda est in fine aliarum commemorationum; item in missis privatis, si expositio fit pro publica causa etiamsi in pyxide. S. r. c. 7. maii 1746.; sed in festis 1. et 2. cl. omittenda est. S. r. c. 2. dec. 1684.

Notandum. In oratione *A cunctis* ad litt. N. exprimi debet titularis ecclesiae in qua celebratur; quod si iam in oratione occurrit, alius sanctus nominari vel penitus omitti poterit. Si titul. sit angelus, s. Ioan. Baptista, s. Ioseph, horum nomina praeponenda sunt ss. apostolis. Ex concessione Pii VII. 17. sept. 1815. sic dici potest pro s. Iosepho... *Maria cum b. Iosepho eius sponso et cum b. apostolis. etc.*

(21) L. 1 art. 7. §. 1. de exped. sacrif.
(22) De exp. sacr. l. 1. c. 9. (23) V. missa.
(24) D. 94 sect. 2. (25) P. 1. tit. 16.

sa indiscretam devotionem protrahunt), *ne audientes taedio afficiat: neque etiam voce nimis elata* (et in hoc plures errant), *ne perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur intelligant, quae vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.*

414. Dubitatur 1. An peccet qui ita submisse pronuntiat verba, ut nè seipsum quidem audire possit. Tamb. [1] ex Nav. dicit hunc non peccare, quia ut oratio sit vocalis sufficit ut exterius proferatur. Alii vero, ut Croix [2] Gav. [3] Conc. [4] Pal. [5] Suar. [6] et alii dicunt hunc peccare mortaliter, quia verba quae non audiuntur, vocalem orationem non constituunt. Attamen probabiliter sentit Cont. Tourn. [7] id non esse mortale, cum satis sit probabilis opinio enuntiata (nempe ad orationem externam non esse necessarium ut orans se audiat), quam tenent Laym. Azor. Sylvius Salm. et alii plures quos adduximus *l. 4. n.* 163. cum Continuat. Tournely [8], qui hanc asserit esse communem; et ad hoc facit id quod habetur in *l. 1. Regum c. 1.* ubi dicitur: *Anna... oravit ad Dominum... dicens Domine* etc. En oratio vocalis; deinde additur: *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantum labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur.* Sed recte idem Cont. ait in missa hoc non excusari a culpa veniali, cum in rubrica supra allata expresse praecipiatur ut celebrans *ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat.* Bene vero dicit Quarti [9] non excusari a mortali qui sic proferret verba consecrationis. Ratio quia cum opposita sententia Palai et aliorum, ut supra, sit etiam probabilis, exponeretur sacramentum periculo nullitatis, quod certe illicitum est ex prop. 1. damnata ab Innocent. XI.

415. Dubit. 2. An peccet qui recital submisse, quae alta voce recitanda praecipiuntur. Videtur omnino negare Tamb. [10] dum asserit a viris timoratis voce omnino depressa missam sine scrupulo recitari. E converso Nav. et Cai. apud Cont. Tourn. [11] dicunt esse mortale. Sed melius sentio dicendum cum Cont. Tour. [12] id non esse mortale, cum non videatur gravis materia; sed minime posse excusari a veniali, cum oppositum expresse in rubrica praecipiatur. Dicunt autem Roncagl. [13] Croix [14] Mazz. [15] et Wigandt [16] non peccare qui alte dicenda submisse recitat, si excedat modum secretae recitationis: sed hoc nec mihi satisfacit, nam iuxta rubricam non semper sufficit excedere modum secretae orationis; praeter enim ea quae in missa submisse dicenda sunt, alia recitanda sunt voce alta, et alia voce mediocri, et omnia haec ita clare recitari debent, ut a circumstantibus audiantur; quamvis bene censeat p. Conc. [17] non iam oportere ut omnis populus vocem audiat, sed sufficere ut adstantes attenti, nempe qui prope sunt ad altare, percipere valeant quae leguntur.

416. Dubitatur 3. An sit mortale alte recitare quae submisse dicenda sunt. Communiter dicunt dd. nullum esse peccatum, si verba a solis ministris audiantur; ita Conc. [18] Gav. [19] et Croix [20] cum Gob. E converso putant Gav. [21] et Quarti [22] peccare mortaliter qui legit elata voce totum canonem vel, ut addit Quarti, notabilem partem eius aut aliarum precum quae submisse recitari debent. Ratio (ut dicunt), tum quia haec sacrosancta verba assiduitate aurium vilescerent; tum quia sacerdos sic verba proferens videretur velle novum ritum inducere, ideoque facile ex hoc contemptu scandalum oriretur. Et consentit Croix quoad verba consecrationis,

(1) C. 9. §. 5. n. 2. (2) N. 458. (3) P. 1. tr. 16. lit. g. (4) P. 511. n. 6. (5) De hor. canon. d. 2. p. 3. n. 6. (6) De rel. l. 4. c. 7. n. 6. (7) Hic c. 9. n. 2. sect. 9. ante quaer. 6. v. Verum. (8) Loc. cit. (9) P. 1. t. 16. dub. 1.

(10) C. 9. §. 1. n. 1. (11) L. c. (12) Ibid. (13) C. 3. q. 2. r. 1. (14) N. 439. (15) T. 5. d. 4. q. 2. c. 5. (16) Tr. 15. n. 76. (17) P. 511. n. 6. (18) P. 501. n. 7. (19) P. 1. tit. 6. lit. g. (20) N. 440. (21) L. c. (22) P. 1. tit. 16. dub. 1.

quia populus (ut ait), sciendo verba illa, postmodum temere et ad iocos eisdem uteretur. Deinde asserit communem esse sententiam, esse tantum veniale, si praefata verba consecrationis audiantur tantum ad 6. vel 8. passus; mortale vero, si ad 40. Sed ipse censet esse mortale etiam ad 10. passus, si intra tale spatium magna pars populi adest; quod tamen p. Conc. non audet approbare. Dicam circa haec quod sentio: Nullum dubium non posse excusari a veniali qui alte in missa profert quae submisse dicenda sunt, cum sit contra rubricam, quae ut supra praescribit ut sacerdos *se audiat et a circumstantibus non audiatur*. Facile insuper assentirem posse peccare mortaliter qui verba consecrationis vel canonis in magna parte tam alte proferret, ut audiri possent ad 40. passus; hic enim tunc deberet toto conatu vocem elevare, ut ad 300. fere palmos audiatur, et hoc videretur grave scandalum, sapiens revera aliquem contemptum verborum et ritus. Sed quis nisi mente captus hoc facturus est? Extra autem hunc casum agnoscere non valeo in hoc grave peccatum, cum rationes allatae minime convincant; non enim video unde oriri possit in hoc grave scandalum, praesertim si celebrans devote verba proferat: nec moveor ex eo quia verba illa vilescerent, aut audientes temere iis uterentur, nam si hoc esset, etiam evangelium s. Ioannis quod dicitur quotidie, ne vilesceret secreto dici deberet.

417. « 6. Mutare missam et die dominico vel festo duplici, v. g. vel iis diebus quibus prohibetur fieri de festo duplici, v. gr. infra octavas epiphaniae, paschatis etc., feria 4. cinerum, infra hebdomadam maiorem, vigilia nativitatis Domini, sine gravi causa legere votivam, vel pro defunctis, vel de alio sancto in numerum sanctorum relato. Suarez Diana Lugo [1] Escob. contra Quint. qui [2] putat in hebdomada sancta licere legere votivam, quod refutant Gav. Diana [3] ex declar. card.

(1) L. c. (2) T. 7. s. 40. (3) P. 9. t. 8. r. 53. (4) N. 430. (5) C. 6. §. 1. n. 4. (6) P. 1. t. 5.

» Dixi 1. *Sine gravi causa:* talis autem censetur, 1. quae spectat ad bonum reipublicae vel principis, v. gr. necessitas pluviae, ingruentis belli vel pestis vel similis mali universalis (Ita etiam Spor. [4] et Tamb. [5]). Item solemnis gratiarum actio, solemnis expositio eucharistiae, v. gr. diebus antecineralibus (*V. de hoc dicenda n.* 421. *infra n.* 3.). 2. Quando cadaver praesens est in ecclesia, ubi usus obtinuit. Gav.[6]. 3. Si quis celebret in ecclesia in qua agitur dies festus loci proprius: hunc enim non tantum posse, sed debere ex congruitate conformare se loco, notat Gav. Vide Tamb.[7] qui [8] addit, etiamsi sacerdos accepto stipendio, homini promiserit votivam vel pro defunctis, etiam in altari privilegiato, non solum posse, sed debere celebrare missam currentem diebus quibus istae prohibentur (Hoc intelligendum, quando missa pro illa die promissa est. Certum autem est hodie, post decretum allatum *n.* 339. *v. Quaer.* 1. quod indulgentiae altaris privilegiati bene etiam percipiuntur, quando dicitur missa duplex diei currentis. Hic quoque notandum quod, cum multae missae votivae sint acceptae, et non sufficiant dies non impediti, possunt applicari missae currentes, ut declaravit s. c. 19. maii 1614. ex gratia speciali pontificis apud Merati [9]), imo etsi Deo per votum tales missas promiserit, non tamen ad eas obligari istis diebus, eo quod votum non obliget quando impedit bonum maius, quale esse dicit conformitatem officii cum missa: secus diebus aliis.

» Dixi 2. *in numerum sanctorum relato:* quia si sit beatificatus tantum, de quo certis sacerdotibus v. gr. quorum ordinis fuit, concessum sit missam legere, docent Gran. [10] et Escob. contra Palaum, non licere aliis sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, de eo legere: eo quod sic expresse determinarit sacra rituum congregat. apud Gav. Vide Escob. [11] et Tamb. [12] qui Palaum

(7) L. 2. c. 6. (8) §. 2. et 4. (9) P 116.
(10) 2. 2. cont. 1. c. 7. d. 4. s. 2.
(11) N. 41. (12) L. c. cap. 6.

sequens dicit contrarium esse probabilius ac magis pium. Imo de sanctis societatis certum esse, si celebrent in templis eiusdem societ. ex concessione pontificum. Idem tenet Quint. [1].

»7. Si quis violet rubricam spectantem ad essentiam vel quasi essentiam missae, vel si nullam plane servet, peccat mortaliter. Escob. ex Fagund. [2].«

418. Sermo hic de *missis votivis*, nempe quando dici possint. Ex rubr.[3] missae votivae prohibentur in dominicis et in omni festo duplici. Item intra octavas epiphaniae, paschatis, pentecostes, in die cinerum, hebdomada maiori et in vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, ex decr. s. c. rit. 28. aug. 1627. apud Gavant.[4]. Item infra octavam corporis Christi, ex decreto eiusdem s. c. 21. iun. 1670. approbato a Clem. x. apud Croix [5]. Idem tanto magis dicendum de missis defunctorum, quae insuper nec dici possunt in expositione ss. sacramenti 40. horarum, et in ecclesia ubi celebratur de festo duplici, etiamsi illae ex praescripto testatorum essent celebrandae, ut in decreto 27. aprilis 1698. apud Merati [6].

419. Exceptis autem his diebus, semper dici possunt missae votivae vel *de requiem*. Advertendum vero 1. id quod habetur in rubr. [7] ubi dicitur: *Missae votivae in missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quacumque die officium non est duplex aut dominica... Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest missa cum officio conveniat*. Nota to *nisi rationabili de causa:* unde ait Merati [8] non sufficere pro causa ad passim missas votivas celebrandas, ut sacerdos cito se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio petitio facta a dante eleemosynam alicuius missae votivae, erit iusta causa illam celebrandi. Necnon probabiliter etiam censet Tamb.[9] sufficientem esse causam specialem devotionem erga aliquod mysterium vel sanctum, hoc enim (ut alt) faciunt viri timorati sine scrupulo. Imo Ronc.[10] ex Gav.[11] putat praefatam rubricam esse tantum de consilio, et nullo modo obligare, ita ut etiam ad passim missas votivas dicendas nulla causa requiratur; nam alias forte, dicit, videretur rubrica sibi contradicere, cum antea dixerit missas votivas celebrari posse *pro arbitrio sacerdotum*, arbitrium autem non limitatur ad causam; huic tamen opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa missas votivas recitare: rubrica enim per illa verba, *id vero passim non fiat*, restringit arbitrium, ita ut ipsae passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa. Advertendum 2. quod missae conventuales omnino semper debent concordare cum officio diei ex decretis s. c. 16. maii 1626. et 16. ian. 1627. apud Merat.[12]. Alias canonici non lucrantur distributiones, ex decr. 25. iunii 1611. et 28. ian. 1612. ap. Gav.[13].

420. Quaeritur 1. An sit mortale celebrare missam votivam vel *de requiem* in praefatis diebus vetitis. Affirmant Angel.[14] et Barth. ab Ang.[15], sed communiter negant, secluso scandalo et contemptu, Suar. [16] Bon.[17] Lugo [18] Filliuc. [19] Ronc. [20] Spor. [21] cum Laym. et Tamb. Salm.[22] cum Hurt. Gran. Dian. Vill. Miranda etc. ac Escob.[23] cum Soto Sylvest. Henr. Med. et Reg. Ratio quia non videtur in hoc adesse notabilis perversio ritus. Verum Escob. in festis solemnibus (licet oppositum etiam putet probabile ob dd auctoritatem) id censet mortale, et idem sentit Ronc.[24]; saltem in missa publica dicerem hoc difficulter posse excusari a gravi scandalo. Item ait Roncagl.[25] non excusari a mortali dicere missas *de requiem* in diebus vetitis, quia hoc districte prohibetur in decreto s. c. 5. aug. 1662. (ap. Merati [26]) approbato ab Alex. VII. ub dicitur: *Districte praecipitur ut missas*

(1) T. 7. sing. l. c. (2) P. 2. l. 3. c. 21. n. 9. (3) Tit. 4. n. 3. (4) P. 1. tit. 4. n. 3. (5) L. 6. p. 2. n. 498. item 2055. decr. 19. (6) In ind. n. 511. (7) Tit. 4. n. 3. (8) P. 116. n. 3. (9) L. 2. c. 2. §. 1. n. 3. (10) C. 4. q. 2. r. 1. (11) P. 1. tit. 4. lit. p.

(12) In ind. n. 198. et 204. (13) P. 1. tr. 4. n. 3. (14) V. missa n. 33. (15) §. 466. (16) D. 83. s. 3 (17) P. 7. §. 3. n. 2. et 3. (18) D. 20. n. 105. (19) De euch. n. 156. (20) C. 4. q. 2. r. 2. (21) N. 429 (22) Tr. 3. c. 4. p. 4. n. 114. (23) L. 21. n. 312 (24) L. c. (25) L. c. r. 3. (26) Ind. n. 396.

privatas de requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant..... Et curent ecclesiarum rectores etc. ut huiusmodi decretum inviolate servetur. Caeterum omnes conveniunt posse celebrari missas votivas vel *de requiem* ob causas graves. Quaenam autem hae sint, vide in sequenti quaesito.

421. Quaeres 2. Quaenam sint causae, ob quas possunt dici missae votivae vel pro defunctis etiam in diebus vetitis. Resp. 1. Si urgeat publica necessitas, ut supra dictum est apud Busemb. 2. Si in aliqua ecclesia celebretur festum duplex, quod facile accidere potest in ecclesiis regularium; ibi enim debet sacerdos missam festo conformem celebrare, ut recte notant Gav. [1] et Tamb. [2]. Et de hoc adest decretum s. c. 19. nov. 1622. ap. Croix[3]. Declaravit autem eadem s. c. 24. iulii 1683. apud Merati[4] professionem religiosorum aut monialium numerari non posse sub gravi, ita ut cantari possit missa votiva solemnis de Spiritu sancto; et consuetudinem in contrarium abusum dixit. 3. Si fit expositio ss. sacramenti in oratione 40. horarum. In illa autem servandum est id quod statuit Clem. XII. in con. 9. ed. 1. sept. an. 1730. (apud Merati [5]). Ibi pontifex praescribit quod in altari ubi fit expositio eucharistiae, celebretur missa votiva solemnis de ss. sacramento cum *Gloria* et *Credo*, prout celebrantur missae pro re gravi; exceptis tamen dominicis et festis 1. et 2. classis, nec non feria 5. cinerum et feriis 2., 3. et 4. hebdomadae maioris, diebus infra octavas paschatis et pentecostes, vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, et octavae epiphaniae; in his enim diebus statuit cantandam esse missam communem cum oratione ss. sacramenti sub una conclusione; quam commemorationem voluit fieri etiam in missis privatis: quae si celebrantur de ss. sacramento in diebus permissis, erunt votivae sine *Gloria* et *Credo*. 4. In die obitus praesente cadavere (etiamsi alicubi non esset usus, contra Gav. apud Busemb. *ut supra*) potest dici missa *de requiem*, adhuc dominicis et festis duplicibus ex decreto s. c. 23. maii 1603. apud Merati [6], exceptis vero festis 1. classis ex decreto 5. iulii 1698. [7]. Cum autem primum habetur notitia de obitu alicuius personae procul defunctae, potest cantari missa de die obitus, etiam in festo duplici, non tamen de praecepto; tunc enim differenda est ad sequentem diem, ex decr. 4. mai 1686. apud Croix[8]. Haec autem omnia decreta intelligenda sunt de missis solemnibus, non privatis, ex decr. 10. ianuar. 1693. apud Merati [9], contra id quod dicit Wig. [10]. Decreto vero quod affert Gav.[11] die 1. sept. 1607. ubi dictum fuit, *posse tolerari missas de requiem in duplici festo quod non est de praecepto, ut testatorum voluntates adimpleantur*, dicit Merati [12] derogatum esse aliis decretis, et praesertim decreto edito 5. augusti 1662. [13]. Insuper alio decr. 2. novem. 1662. [14], dictum fuit in festo duplici etiam maiori non de praecepto posse dici missas anniversarias solemnes relictas ex dispositione testatorum, ut quotannis dicantur in die ipsorum obitus. Idem dicitur de die tertio, septimo et trigesimo: missas vero privatas dicendas esse de die, et non differendas. Item eadem s. c. rit. 19. iunii 1700. apud Merat.[15] declaravit posse dici missas cantatas *de requiem*, in festo duplici minori, si parochiani saepius petant per annum pro aliquo defuncto, dummodo hoc fiat in die anniversaria obitus. Quod si accidat anniversarium vel dies tertius, septimus et trigesimus in festo de praecepto, debet transferri in sequentem diem, ex decr. 23. maii 1603.[16]. Anniversarium autem tunc potest etiam anticipari, et tunc dicitur missa prout in anniversario decr. 5. iulii 1698. [17].

422. Quaeritur 3. An obligatus dicere missam votivam de b. Virgine Maria

(1) P. 3. tit. 10. n. 16. v. Non tamen.
(2) C. 6. §. 1. n. 14. (3) N. 2055. decr. 263.
(4) Ind. n. 117. (5) P. 686. n. 10. (6) Ind. n. 16.
(7) Ibid. n. 525. (8) L. 6. p 2. n. 2055. decr. 82.
(9) In ind. n. 505. (10) Tr. 15. n. 63. (11) P. 1. tit. 5. n. 2. (12) P. 149. (13) In ind. n. 596
(14) In ind. n. 422. (15) In ind. n. 547.
(16) In cit. ind. n. 20. (17) In cit. ind. n. 529.

vel *de requiem*, ratione eleemosynae vel capellaniae, in diebus permissis celebrari, satisfaciat celebrando missam currentem. Negant Laym.[1] et Tamb.[2], quia sacerdos tenetur exequi voluntatem rationabilem praestantis stipendium. Sed affirmant communissime et etiam probabiliter Suar.[3] Azor.[4] Bon.[5] Croix[6] Pal.[7] cum Nav. Henr. Barbos. etc. ac Salm.[8] cum Sa Garz. Dic. etc. Ratio quia, licet tunc ecclesia permittat missas votivas, decentius tamen est te conformari universali eius praescripto, tunc enim preces missae votivae satis compensantur ab ecclesia eo die precibus praescriptis, et voluntas dantis eleemosynam compensatur executione voluntatis ecclesiae (quam semper decet praeferri) praescribentis missam assignatam; et ideo rubrica loquens de missis votivis eas permittit, sed in fine subdit: *Quoad fieri potest, missa officio conveniat*. Necnon hoc valere dicunt Salm.[9] cum Ant. a Sp. s. etiamsi sacerdos expresse missam promisisset; et etiamsi (addunt Croix[10] et iidem Salm.[11] cum Panorm. Suar. et Garz.) sacerdos vovisset illa die missam legere votivam, cum tale votum non sit de meliori bono. Omnino tamen excipiendum est, si missa dicenda sit in altari privilegiato quae in diebus permissis necessario celebranda est *de requiem*, ut diximus *n.* 339. *v. Quaeres* 1.

423. Quaeritur 4. Quaenam sint advertenda circa modum celebrandi missas votivas. Advertendum 1. quod in missis votivis non est opus dicere orationes impares numero, ut ait Merati[12]. Omnino tamen dicendae sunt tres orationes in missa privata, sed in solemni dicitur una tantum. Merati[13]. Advertendum 2. quod non debent dici missae votivae seu collectae missarum nativitatis Domini, epiphaniae, paschatis, assumptionis beatae Mariae et omnium similium festorum etiam sanctorum, quae proprios habent introitus et collectas, ut declaravit Paulus v. apud Mer.[14]. In aliis vero missis votivis, in quibus veritas et ritus verborum non violatur, nihil prohibet quin ipsae dici possint, licet melius sit dicere missam votivam quae habetur in missali; ita Merati qui[15] cum Gav. Guyeto etc. addit quod si possit omitti verbum *hodie* ubi reperitur, vel mutari in oratione verba *natalitia, festivitas, etc.* dicendo *commemoratio* aut *memoria*, tunc missa illa bene posset recitari.

Advertendum 3. quod bene possunt dici missae votivae de quocumque sancto, modo de eius canonizatione constet ex martyrologio vel aliunde; vide Merati[16] ex Gav. Bellarm. etc. Non vero de iis qui non coluntur publico et universali ecclesiae cultu. Unde missae de beatis concessae alicui religioni aut loco non possunt celebrari ab aliis personis, ecclesiis et diebus, quam conceduntur in diplomate, ut contra Pal. et Vasq. recte tenent Esc.[17] cum Molf. Aversa Gran. et Diana ac Merati[18] cum Quarti Bisso Guyeto et communi, ex decreto s. c. edito die 10. sept. 1652. et alio apud Croix[19].

Advertendum 4. id quod praescribitur in rubrica circa missas votivas particulares; et 1. in missa votiva de *ss. Trinitate*, quando dicitur pro gratiarum actione, cum prima oratione dicitur alia oratio tantum, *Deus cuius misericordiae etc.* sub una conclusione: hoc tamen procedit in missa solemni pro re gravi vel publica causa ecclesiae, non vero in privatis, in quibus secunda oratio erit diei et tertia de gratiarum actione: ita Merati[20] cum Gav. Bisso Guyeto etc. 2. In missa *de angelis* dicitur semper *Gloria*, quacumque die celebretur, secunda oratio erit diei et tertia illa quae alioquin esset secunda in missa currente. Si autem petatur missa votiva sancti Michaelis archangeli, poterit dici missa eius dedicationis in die 29. septembris, et sic etiam missa de angelis custodibus in

(1) C. 1. q. 5. (2) L. 2. c. 2. §. 2. n. 6.
(3) Dist. 85. sect. 3. (4) P. 1. l. 10. c. 32. q. 5.
(5) P. 7. §. 3. n. 4. (6) N. 371. (7) P. 14. n. 10.
(8) Tr. 5. c. 4. p. 4. n. 125. (9) Ibid. in fin.
(10) N. 371. (11) Ib. n. 127. (12) P. 155. n. 42.
(13) N. 44. (14) P. 121. n. 17. (15) P. 122.
(16) P. 119. n. 15. (17) L. 21. n. 555.
(18) P. 119. n. 16. (19) N. 2055. decr. 227
(20) P. 125. n. 24.

die 2. octobris, ita Merati. 3. In missa *de Spiritu s.* secunda oratio erit de die, tertia *A cunctis* vel *Concede* pro temporum varietate. Merati [1] cum Quarti et Tonnel. Et sic etiam dicuntur missa de ss. sacramento (Merati [2]), missa *de passione* et *de apostolis.* 4. In missa *de b. Maria Virgine* secunda oratio erit de die, tertia de Spiritu s. et in ferialibus secunda de Spiritu s., tertia ecclesiae vel pro papa. Hic notandum quod missa votiva solemnis de b. Maria potest celebrari cum *Gloria* et *Credo* ob publicam causam ratione concursus populi, ex decr. s. c. 8. iunii 1658. apud Mer. [3]. Item notandum quod si dicas missam votivam de b. Virgine in festo alicuius sancti semiduplici infra aliquam octavam b. Virginis, tunc non est dicenda missa votiva communis de b. V., sed de eius octava, sine tamen *Gloria* et *Credo*, ex decreto apud Croix[4] et apud Mer. [5]. Si autem petitur missa de ss. rosario vel de monte Carmelo, non potest dici missa concessa dominicanis vel carmelitis, ex decretis apud Mer. [6], sed bene potest dici missa de die festo. Merati [7]. 5. In missa *pro defunctis* non dicitur psalmus *Iudica;* celebrans cum incipit introitum non signat se cruce, sed librum, non dicit, *Iube Domne benedicere*, non osculatur librum post evangelium, non benedicit aquam, nec dicit *Gloria Patri* in psalmo *Lavabo;* ad *Agnus Dei* non dicit *miserere,* sed *dona eis requiem;* non dicitur oratio pro pace, nec *Ite missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*, nec datur benedictio.

424. Hic autem ultimo loco operae pretium est adnotare aliqua decreta s. c. rit. maioris momenti ad celebrationem missae pertinentia, excerpta ex plurimis quae affert Croix [8].

1. Missa conventualis canenda est quotidie in collegiatis, quarum clerus est numerosus et reditus non tenues. 14. ianuarii 1603.

2. Tenentur omnino canonici ad cantandam missam de die, ut lucrentur distributiones. 28. ianuarii 1612.

3. Sacerdos qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi tempore quo a choro cantatur symbolum praedictum. 17. dec. 1695.

4. Missae ad satisfaciendum eleemosynis alicui ecclesiae traditis non sunt celebrandae per exteros, ubi commode potest iis satisfieri per sacerdotes eiusdem ecclesiae. 28. ian. 1606.

5. Inferiores episcopo non debent sumere de altari paramenta pro missa. 7. iul. 1712. *Hoc tamen intelligendum, ut advertit Gavant., ne ponantur paramenta in medio altaris more episcoporum; nam si ponantur in angulo, id permittit ipsa rubrica* [9] *dicens:* Si vero (*sacerdos*) dimissurus sit paramenta apud altare ubi celebravit, finito evangelio ibidem illis se exuit. *Saltem, ait Croix* [10], *hoc permittendum ubi non est commoditas ea alibi deponendi.*

6. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obstante constitutione synodali, dummodo habeat solitum reliquiarum repositorium. 19. ianuarii 1614.

7. Solus episcopus potest habere fenestras in ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. 19. ian. 1614.

8. Non licet in ecclesiis, in quibus non asservatur ss. sacramentum, celebratio missae in coena Domini; nec eius asservatio in sepulcro. 24. iunii 1659.

9. Non permittitur ad altare maius celebratio missae, dum dicuntur in choro matutinum et horae. 15. sept. 1664.

10. Potest fieri commemoratio de ss. sacramento, si expositum sit, etiam in missa de festo duplici, quod non sit 1. vel 2. classis. 2. decemb. 1684.

11. Si in die commemorationis omnium defunctorum occurrerit dominica, officium cum missa defunctorum transferantur in sequentem diem etiam festo duplici impeditum. 5. oct. 1688.

12. Sacerdos in sacrificio missae con-

(1) P. 127. n. 28. (2) P. 2. n. 22. (3) P. 117.
(4) Lib. 6. p. 2. n. 505. (5) Ind. n. 474.
(6) In ind. n. 189. et 229. (7) P. 129. n. 30.
(8) L. 6. p. 2. n. 2055. (9) P. 2. tit. 12. n. 6.
(10) N. 2072.

gruentius utitur cingulo lineo, quam serico. 22. ian. 1701.

13. Habens indultum a sede apostolica erigendi oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi aedificare altare ligneum, non indiget facultate apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non prae se ferat. 3. dec. 1661. ap. Merati [1]. To *autem* colligatum *late videtur intelligendum, ita ut altare parieti adhaereat, et nullum inter ipsum et parietem intercedat spatium; sic enim verificatur quod altare non prae se fert imaginem altaris portatilis, idque saltem sic usus interpretatus est.*

14. Non potest prohiberi celebratio missae in oratorio ruri aedificato per laicum, antequam celebretur missa parochialis. 31. martii 1629. (apud Mer.[2]).

15. S. c. saepius censuit constitutiones synodales disponentes, ut diebus festis missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali, esse observandas, ita tamen ut missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur. 25. maii 1652. (apud Bened. XIV. [3]).

16. De rigore iuris non posse prohiberi (*scilicet a parocho*) ut missae non celebrentur ante missam a parocho non celebratam. 27. iunii 1641. (apud eumdem Bened. [4]).

Refert hic ultimo loco aliqua obiter adiicere circa eucharistiae expositionis usum, quem doctissimus Christianus Lupus [5] iamdiu in ecclesia fuisse probat; magnopere ipse promovet, dicens ex frequenti huiusmodi sacramenti expositione populum retrahi a vanis oblectamentis, concursum ecclesiarum augeri, et fideles magis ad devotionem excitari. Verumtamen s. Carolus Borromaeus [6] haec praescripsit: *Ne quavis causa eucharistia palam ....proponatur, sed publica tantum atque gravi; aliis vero de causis orationem licebit instituere, sed non sacramento aperte exposito.*

Item Benedictus XIV. [7] refert s. c. concilii die 17. aug. 1630. in una neapolitana sic praescripsisse: *S. c. censuit non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, ss. eucharistiae sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo ss. sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et si sit velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit.* Idque confirmatum fuit a nostro p. Bened. XIV. per aliud decretum datum 16. aprilis 1746. [8] ubi dicitur: *Non licere exponi publice divinam eucharistiam, nisi causa publica et episcopi facultas intervenerit.* Ex his igitur omnibus decretis certum videtur non licere exponere ss. sacramentum ob litis victoriam, ob valetudinem alicuius (nisi sit persona publica, cuius salus communitatis bono sit expediens), et sic pro aliis privatis causis. Num autem id liceat ob specialem devotionem alicuius particularis. Dubitat p. Concina. Ego dicam quid sentiam: Dico 1. quod si quis privatus hanc expositionem fieri procurat ad publicam devotionem promovendam, tunc ista potius publica, quam privata causa esse videtur. Dico 2. cum Concina in hoc spectandum an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus sacramenti magis augeatur vel minuatur, et iuxta hanc regulam censeo expositionem faciendam vel omittendam; ubi enim viget devotio et cultus augetur, debita semper obtenta ordinarii licentia, nescio, praesertim iuxta praesentem nostrarum regionum frequentem usum, cur potius non sit laudanda quam improbanda huiusmodi ss. sacramenti expositio; modo (exciperem) non sit nimis frequens, nimia enim frequentia esset quidem causa ut reverentia erga tantum sacramentum minueretur.

Hic insuper notandum quod etiam respectu ecclesiarum saecularium adest decret. s. c. episcop. et regul. prohibens extrahi pyxidem a tabernaculo,

(1) Ind. n. 395. (2) Ind. n. 242. (3) Notif. 44. n. 12. (4) Loc. cit. (5) P. 1. t. 11. ex cap. 9. (6) In syn. 11. dioeces. (7) Notif. 30. n. 11. (8) Vide in suo bullar.

cum illa ob privatam causam exponitur, his verbis: *Si quandocumque privata ex causa sacrosancta eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo numquam extrahatur, sed pyxide velata in aperto eiusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicuius sacerdotis, stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis saecularium servari mandamus.* Die 9. dec. 1602. Ita apud card. Lambert. [1]. Bened. autem XIV. in sua bulla, *Cum ut recte nosti,* mentionem faciens de praefatis decretis, dicit quod pro causa privata numquam potest extrahi pyxis, nec etiam ad populum benedicendum: *Si autem* .... (sunt eius verba) *non debet a tabernaculo educi, facile intelligitur in designatis casibus non esse illud afferendum ad ecclesiae ianuam, nec cum eodem benedictionem impertiendam.* Hic vero obiter advertendum id quod in praedicta bulla idem pontifex subdit: *Neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate novum ritum inducere.* Profertque ibi ad hoc canonem 13. Tridentini [2] ubi vetitum fuit immutari consuetos ritus circa administrationem sacramentorum, et declarat canonem illum procedere etiam quoad cultum ss. eucharistiae. Loquens autem de ritibus alicubi iam introductis, sic inquit: *Et quoties aliquem ritum eiusmodi induci contigit, etsi nihil continentem pietati oppositum, apostolica sedes eumdem interdicere non dubitavit ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus praevisis vel neglectis ab eo qui ritum invexit.*

Notandum etiam quod ex decreto Innocentii XI. 1. sept. 1680. (relato apud Merati [3]) prohibentur apponi statuae, reliquiae sanctorum ac imagines animarum purgatorii in altari ubi fit expositio. Ad illud autem: *Panem de coelo etc.* non est addendum *alleluia*, ex decreto s. c. apud Merati [4].

Hic ultimo loco operae pretium est quaerere et videre, quibus in ecclesiis asservari possit eucharistiae sacramentum. Docet cardin. Petra [5] cum Bark Riccio Genuensi etc. ac pluribus decisionibus s. c. certum esse tantum in ecclesiis parochialibus retineri posse, quia in hoc tantum sedes apostolica dispensare potest, non autem ordinarii: asservatur etiam in cathedralibus, quia ipsae primae dicuntur parochiae; verum ibi non est asservandum in altari maiori, sed in alia capella, propter functiones pontificales necessario peragendas ab episcopo retrorsum ad altare maius. Permittitur etiam asservari sacramentum in ecclesiis regularium, propter necessitatem praebendi ibidem communionem infirmis, ut dicunt Pelliz.[6] Petra[7] cum Glossa[8]. Idem permittitur in ecclesiis monialium viventium in clausura, decreto s. c. concilii in ulyssiponensi anno 1585. apud Petra[9]. Censuit etiam eadem s. c. in mexicana 15. maii 1700. concedendum patribus oratorii indultum asservandi eucharistiam intra claustra pro quatuor anni temporibus in quibus fiunt exercitia ab ordinandis. Non permittitur autem in collegiis solius ordinarii auctoritate constitutis, ut sunt conservatoria, quae non approbantur, sed tantum a sede apostolica tolerantur, et in quibus iura parochialia praeservantur parocho, ut decrevit s. c. concilii in salernitana 19. aug. 1702. et in neapolitana 4. iulii 1707, ubi specialiter declaratum fuit asservationem eucharistiae non licere conservatoriis absque apostolica auctoritate; vide Petra [10]. Idem decrevit s. c. respectu ad grangias regularium [11]. Idem respectu ad ecclesias collegiatas, nisi asservatio eucharistiae ibi esset pro servitio suarum parochiarum [12]. Idem quoad ecclesias confraternitatum et hospitalium [13]. Idem quoad ecclesias rurales aut alias intra fines parochiae [14], nisi esset aliqua ecclesia filialis parochiae et adesset ibi consuetudo asservandi sacramentum ac necessitas ad consulendum saluti animarum, ut ait et probat Petr. [15].

(1) Notif. 30. n. 27. (2) Sess. 7.
(3) P. 681. (4) In indice decret. 325.
(5) Comm. t. 3. ad const. 1. Urb. IV. n. 15. et 29.
(6) Man. reg. tract. 3. c. 6. n. 1. et 6.
(7) Loc. cit. n. 18. (8) In c. Permittimus, de sentent. excomm. (9) N. 19. (10) N. 21.
(11) Ibid. n. 23. (12) N. 24. (13) N. 30.
(14) N. 30. et 31. (15) N. 28.

Tandem declaravit Bened. XIV. in bulla *Quamvis iusto etc.* data 30. aprilis 1749. §. 24. ius retinendi eucharistiam privative pertinere ad pontificem, *ut canonica* (ait) *docet disciplina, iuxta quam eucharistia in ecclesiis quae parochiales non sunt, retineri non potest absque apostolico indulto vel consuetudine immemorabili* (seu centenaria, non vero quadragenaria, ut probat Petra [1]), *quae huiusmodi indulti praesumptionem inducit.* Advertit autem Petra [2] quod licet adsit immemorabilis consuetudo in aliqua ecclesia asservandi sacramentum, ipsa tamen non suffragatur, si constet ab initio fuisse asservatum ex sola licentia ordinarii: possessio enim illa minime valet, cum proveniat ex titulo infecto; et ita decrevit s. c. concilii in neapolitana 28. iulii 1708. Insuper sciendum, quod a sede apostolica huiusmodi licentia numquam conceditur pro oratoriis privatis et pro capellis ruralibus, nisi esset alicubi populi concursus et distantia a parochia; ita Petra [3]. Qui demum advertit, ius retinendi claves tabernaculi privative spectare ad parochum; idque non permittendum monialibus, neque laicis, etiam in feria quinta coenae Domini, nisi adsit in aliquo loco immemorabilis consuetudo, quam tolerandam esse censet Pignatellus, et testatur sic servari in Hispania et in regno Siciliae ac etiam neapolitano; vide Petra [4].

Insuper notandum ex decreto s. c. rituum sub die 15. septemb. 1737. apud Merati quod in communione ministranda monialibus non est danda benedictio cum pyxide e fenestella, sed tantum cum dextera manu, etiamsi ibi sit praesens sacramentum. Item quod sacerdos, descendendo ab altari cum pyxide, non per laterales gradus, sed anteriores descendere debet. Praeterea advertendum quod pontifex Clem. XIII. praecepit omnibus dominicis in missa dicendam praefationem de ss. Trinitate, modo non adsit praefatio propria illius diei.

(1) N. 55. (2) N. 52.
(3) N. 57. et 58. (4) Ib. n. 59. ad 44.

TRACTATUS QUARTUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

CAP. I. DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI

DUBIUM I. Quae sit eius materia et forma.

425. *De materia et forma huius sacramenti.*
426. *Monitum ad confessarios.*
427. *De* materia *remota. Dub.* 1. *An mortalia commissa in susceptione baptismi sint materia huius sacramenti. Dub.* 2. *An peccata alias confessa sint materia sufficiens huius sacramenti.*
428. *De* forma. *Qu.* 1. *An forma huius sacramenti consistat in verbis, et possit proferri in absentem.*
429. *Et quaenam praesentia moralis poenitentis requiratur.*
430. *Qu.* 2. *Quaenam forma in hoc sacramento sit proferenda. Dub.* 1. *In quibus verbis consistat essentia formae. Et an necessarium sit verbum* te. *Dub.* 2. *An verba* a peccatis tuis. *Dub.* 3. *An verba* in nomine Patris *etc. Et an preces adiunctae. Dub.* 4. *An per verba* te absolvo *possit sacerdos absolvere simul a peccatis et a censuris.*
431. *Qu.* 3. *An possit valide et licite dari absolutio sub conditione.*
432. *Causae iustae absolvendi sub conditione.*

425. « Resp. 1. materia remota et necessaria est omne peccatum mortale, post baptismum commissum, et non confessum (Dicitur vero commissum post baptismum, contra propos. 19. inter damnatas ab Alex. VIII. quae pro peccato originali perpetuam agendam poenitentiam asserebat). Materia sufficiens, etsi non necessaria, est omne veniale post baptismum commissum, vel etiam mortale, alias rite confessum. Materia proxima sunt actus poenitentis, contritio, confessio et satisfactio, quarum ultima est integralis tantum, ut patet in infirmo, qui si ratione destituatur, solet absolvi absque satisfactione: duae priores sunt essentiales, ut communiter docetur contra Scotum, qui totam essentiam ponit in absolutione. Porro peccata sunt tantum materia, circa quam, actus vero poenitentis, materia ex qua. Layman [5] ex communi.

Unde resolves:

» 1. Etsi peccatum mortale remissum quomodocumque sit, teneris tamen confiteri, si non fecisti. Trid. [6].

(5) L. 5. t. 6. c. 3.
(6) Sess. 14. c. 5.

» Omitti possunt venialia, vel omnia vel aliqua; item mortalia semel rite confessa, v. gr. in confessione generali, ut docent Diana [1] card. de Lugo [2] contra Vict. Ledesm. et alios. In qua etiam non esse necessarium addere peccato mortali, quod post ultimam confessionem sit commissum, docent Bonac. [3] Diana [4] card. de Lugo [5] ex Sanch. et Con., quod est probabile: nisi circumstantia aliqua, v. gr. speciem mutans, vel reservatio casus, vel proxima peccandi occasio aliud requirat, et poenitentia sufficiens imponatur. C. de Lugo Tamb. [6]. Tutius tamen est nova ab antiquis secernere.

» Ponenda semper est materia certa; qualem esse negat Sanc. [7] apud Dian. [8], quod quis non responderit divinis inspirationibus, non fecerit bonum quod potuit, et similes imperfectiones. In quibus tamen exponendis non tenetur confessarius impedire poenitentem, ut docet card. de Lugo [9] contra Sancium. Quod si haberi certa non possit, pro ratione dubii danda est absolutio; ut sub dubio, si materia prorsus dubia sit: vel absoluta, si certa videatur. Ita Suarez Laym. [10] et alii commun.

»Resp. 2. Forma sacramenti poenitentiae sunt verba absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis etc.;* ubi licet de essentia tantum sit *absolvo te*, debent tamen addi reliqua, praesertim in articulo mortis, secundum quosdam sub mortali, secundum alios sub veniali, ut vide Gran., voce prolata in praesentem; absentem enim Clem. VIII. absolvi prohibuit sub poena excommunicationis.

Unde resolves:

» 1. Invalidum est absolvere nutu, signo aut scripto, item absolvere absentem; quod docuit Alensis Medin. et alii, sed vetitum nunc, ut modo dictum.

» 2. Valida est absolutio, si reverentiae causa dicas: *Absolvo dominationem, excellentiam, vel maiestatem vestram, etc.* quia non mutatur essentialiter, et sunt verba aequivalentia. Aversa. *Vide supra tract. 1. c. 1. d. 2.* Non valet autem, si dicas: *Absolvat te Deus*, vel *absolvat te Christus.* Aversa [11].

» 3. Orationes praeviae et subsequentes formam, ut *Misereatur tui etc.* et *Passio Domini etc.* quae secundum Trid. laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis, et ex causa rationabili omitti possunt, v. g. si breves sint confessiones vel multi confitentes, ut vide Diana [12]; tunc enim sufficit dicere: *Absolvo te a peccatis tuis in nomine etc.* vel si timeatur censura, *Absolvo te a vinculo excommunicationis; deinde a peccatis tuis etc.* Vide Sa [13].

» 4. Elevatio manus eiusque impositio in caput, item formatio crucis est libera, etsi debeat servari consuetudo. Ita Laym. [14] qui idem dicit de apertione capitis. Forma autem Clement. VIII. ut tradit Sa et rituale romanum, est haec, qua ut omnes utantur suadet Paulus v., ideoque omnibus tenenda memoriter: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam, Amen:* deinde elevata manu pergit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus, Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis* (quae vox circa laicos omittitur) *et interdicti, in quantum possum et tu indiges: deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita b. Virginis, et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.* »

426. Acturi de hoc poenitentiae sacramento, quod Christus Dominus ad humanae imbecillitatis remedium instituit, ante omnia monitum velim confessarium ut suas agnoscat partes,

(1) P. 3. t. 4. res. 56. (2) D. 16. n. 56.
(3) D. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. (4) T. 2. tr 4. res. 12. et t. 3. res. 65. (5) D. 16. sect. 2. n. 47.
(6) De exped. conf. l. 2. c. 1. (7) In sel. d. 7.
(8) P. 3. t. 4. res. 52. (9) Loc. cit. n. 105.
(10) L. 3. t. 6. c. 3. (11) Q. 12. sect. 2.
(12) P. 3. t. 4. r. 97. (13) V. Absolutio.
(14) Cap. 5.

nempe iudicis, patris et medici ad munus suum aequa lance exercendum; sicut enim nimia benignitas iniquitatum fomentum est, sic nimia severitas fit pluribus via ad desperationem. Hinc Christus Dominus declaravit non esse spiritus sui eos qui nimis rigide cum peccatoribus agunt. Et ss. patres non solum invehunt in eos qui falsa pietate ducti indebite peccatoribus indulgent, sed etiam in eos qui indiscretum rigorem cum poenitentibus adhibent, ut conqueritur s. Ambrosius [1] dicens: *Sunt etiam in nobis, qui timorem Domini habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta quae non possit humana conditio sustinere.* Qua de re sapienter advertit s. Bonaventura: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem, prima saepe salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.* Imo Honorius III. in c. *Ex parte de transact.* dixit, caeteris paribus, magis inclinandum in rebus dubiis ad benignitatem, quam ad rigorem; cum enim ibi ageretur de modo procedendi contra quosdam, quorum aliqui celebrabant in ecclesiis interdictis, alii furtive sacris initiabantur, etc., sic inquit: *In his vero quibus ius non invenitur expressum, procedens (aequitate servata) semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare.*

Non dubito quin maiori quidem detrimento semper in ecclesia fuerint confessarii nimis indulgentes, cum maior hominum pars ad vitia proni sint; sed non modice etiam animarum saluti obsunt, qui per nimiam austeritatem poenitentes ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua reticeant, aut sic arctati iugum disciplinae abiiciant, laxisque habenis in vitiorum coenum miserabiliter deinde se immergant.

Aggrediamur opus ad hunc tractatum de sacramento poenitentiae exponendum, cui utique omni studio praecaeteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius theologiae moralis summa et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur; et ideo ego labori non peperci, ut desiderio lectorum satisfacerem, utque ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant.

427. In hoc *dubio* primo loco agatur de materia remota, et forma huius sacramenti. Quoad *materiam* pertinet, ad ea quae supra dixit Busemb. duo tantum dubia addere occurrit.

Dubitatur 1. An mortalia commissa in ipsa susceptione baptismi sint materia huius sacramenti. Affirmant communissime Suarez [2] Holzm. [3] Escob. [4] cum Vasq. et Henr. Salm. [5] ac Elbel [6] cum s. Bonav. Scoto Mastr. etc. ex d. Thom. [7] et ex s. Augustino relato in *can. Tunc valere* 42. *de consecr. dist.* 3. ubi ait: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recessit.* Ratio quia haec peccata, licet sint tempore simul cum baptismo, natura tamen sunt ipso posteriora. Ita aa. praefati, sed ratio quam adducunt videtur non convincere, saltem solummodo probare videtur pro peccatis quae baptismum suscipiens post baptismum patrare vellet, sed non pro peccato fictionis, nempe si ille susciperet baptismum existens in mortali sine dolore. Nec d. Thom. [8] dicit peccatum fictionis esse materiam sacramenti poenitentiae, sed tantum ait quod illud per poenitentiam removetur: per poenitentiam autem ibi s. doctor profecto non intelligit confessionem, sed dolorem de peccato. Nec obstat textus d. Augustini, nam ut explicat Glossa [9] per illud *veraci confessione* intelligit *cordis contritionem.*

Dubitatur 2. An sint materia sufficiens huius sacramenti peccata alias confessa. Dubium posset fieri ex eo quod videtur non posse esse materia sacramenti poenitentiae peccatum iam remissum, cum culpa deleta non possit amplius doleri. Sed sententia affirma-

(1) In psalmo 118. (2) Dub. 23. concl. 4.
(3) N. 454. (4) L. 14. n. 13.
(5) De sacram. poenit. c. 4. p. 1. n. 15.
(6) N. 8. (7) 3. p. q. 69. art. 10.
(8) Loc. cit (9) V. Ad salutem.

tiva est certa apud omnes, prout docet d. Thom.[1], quem communiter sequuntur Suar. [2] Pal. [3] cum Laym. et Salmant. [4] cum Con. Fill. et alii passim. Et clare patet ex *Extrav.* 1. *de privil. Inter cunctas*, §. *Verum*, *in fin.* ubi Bened. XI. dicit: *Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idque confirmatur ex communi praxi fidelium. Nec obstat dicere peccatum deletum non esse amplius peccatum; peccatum enim, etsi remissum, semper peccatum est commissum; sufficit autem ut sacramentum habeat effectum in actu primo, nempe quod praebeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in actu secundo peccatum non deleat.

428. Quoad *formam* vero huius sacramenti, plures hic quaestiones discutere oportet. Quaeritur 1. An forma huius sacramenti essentialiter in verbis consistat. Respond. Affirmative, cum forma non aliter quam voce, non autem scriptura aut aliis signis, exprimi possit: ita commune et certum est apud omnes cum d. Thom. [5] quem sequuntur Laym. [6] Lugo [7] Bonac. [8] Elbel [9] et Salm. [10] cum Caiet. Con. Suar. Val. et alii passim. Hinc Clemens VIII. in const. edita die 20. iunii 1602. proscripsit propositionem hanc ut falsam et temerariam: *Licere per litteras seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*: praecepitque sub excommunicatione sibi reservata, et ipso facto incurrenda, ne haec prop. *unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquo modo deducatur.* Ex quibus verbis recte inferunt Salm.[11] quod absolutio absenti in quocumque casu non solum datur illicite, sed etiam invalide; nam si pontifex tantum illicitam eam intendisset declarare, ipsa aliquando, urgente necessitate, valide et licite dari posset, cum leges ecclesiasticae non possint obligare cum gravissimo damno, et tanto magis si illud est spirituale. Unde, si pontifex voluit huiusmodi absolutionem in nullo casu esse licitam, consequenter declaravit in nullo casu esse validam. Paulus V. autem die 14. iulii 1605. insuper damnavit interpretationem aliquorum in praefatum decretum, dicentium posse absolutionem absenti conferri, modo confessio in praesentia praecessisset: explicavit enim bullam Clementis esse disiunctive, non copulative intelligendam.

429. Requiritur igitur ut forma a confessario voce proferatur, et ut poenitens ibi tunc moraliter sit praesens. Haec autem moralis praesentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent, ut dicunt Spor. [12] Tamb. [13] Holzm. [14] Elbel [15] qui cum Spor. et aliis addit talem praesentiam posse extendi ad 20. circiter passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu confessarii. Recte vero advertit Spor.[16] cum Reg. Gob. etc. revocandum esse poenitentem quando commode revocari potest. Caeterum censet cum Gob. et Bonac. sine scrupulo absolvi poenitentem qui recessit a confessionali, si certo scitur esse adhuc intra paucos passus. Merito autem Tamb. non approbat Leandrum, qui dicit satis esse ad praesentiam moralem, si sacerdos videat poenitentem, aut alio sensu percipiat: praesentia enim pro absolutione maiorem propinquitatem requirit, quam pro audienda concione vel missa. Unde censet Tamb.[17] quod si quis aliquando non posset nisi a longe absolvi, puta si rueret e tecto, tunc absolutio sub conditione danda esset. Ait Holz.[18] quod si confessarius ob periculum infectionis vel ob aliam causam non posset intrare in cubiculum ubi est infirmus, potest a ianua eum absolvere. Recte autem advertunt Spor.[19] Croix[20]

(1) In 4. dist. 17. q. 3. a. 3. et dist. 18. q. 1. a. 3. (2) 3. p. d. 18. s. 4. (3) Tr. 23. d. un. p. 6. n. 5. (4) Ibid. p. 2. n. 22. (5) 3. p. q. 84. a. 3. ad 3. (6) Tr. 6. c. 3. (7) D. 15. sect. 6. (8) Q. 5. p. 6. (9) N. 27. (10) Tr. 6. c. 3. p. 3. n. 30. (11) Ibid. p. 4. n. 25. (12) N. 610. (13) Lib. 5. de sacram. poenit. c. 2. n. 11. (14) N. 573. v. Dixi. (15) N. 29. (16) N. 615. (17) N. 13. (18) Ib. (19) N. 610. (20) N. 1201.

Elbel [1] cum Stoz non esse opus ut poenitens verba absolutionis audiat, et tanto minus ut eadem intelligat, sufficit enim ut sacerdos illa vere proferat. Quinimo sapienter dicit Croix, consultum esse ut in praesentia aliorum poenitentium praefata verba submisse dicantur, ne si aliquis dimittatur sine absolutione, id alii percipiant. Addit Tamb. bene posse absolvi poenitentem qui antea sua peccata in scripto legenda dederit, et deinde praesenti confessario dicat *de his me accuso*. Quod tamen advertunt Salm. [2] cum Cano Pal. Vasq. Cont. et aliis non permittendum, nisi ex gravi causa, nempe si quis ob angorem gutturis, impedimentum linguae, aut si puella ultra modum verecunda in explicando voce sua peccata valde gravem difficultatem sentiat. Rationem adducunt Holzm. [3] et Spor. [4] quia licet confessio nullo iure praecepta sit fieri vocaliter, tamen, cum communi ecclesiae usu sit receptus modus sic confitendi, hic nunc obtinet vim praecepti, et proinde sine gravi causa foret illicita confessio aliter facta.

430. Quaeritur 2. Quaenam forma in hoc sacramento proferenda sit. Plures graves auctores tenent, quod olim ecclesia usa fuerit forma deprecatoria (*Absolvat te Deus*) usque ad medium saeculum XIII. et quod etiam hodie haec sit in usu apud graecos; ita Tour.[5] Martene Vitass. apud Concin.[6]. Sed id negant Baronius Gonet et Nicol. apud eumdem Conc. Imo communissime nostri theologi morales, Suar. Soto Lugo Caiet. Vasq. Val. et alii plurimi cum Salm. [7] et Croix [8] censent formam deprecatoriam esse invalidam, ex eo quod Christus Dominus hoc sacramentum instituens [9] expressit sententiam proferendam esse a sacerdote uti iudice, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde compertum videtur necessarium esse ut peccata ab ipsis sacerdotibus tamquam Christi vicariis remittantur, nec sufficere quod ipsi Deum, ut remittat, deprecentur. Sed quidquid sit de hoc, hodie certum est et de fide, debitam formam esse formam indicativam, ut declaravit Trid.[10] his verbis: *Docet s. synodus sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*, Ego te absolvo etc., *quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur*. At super hac forma plura occurrunt dubia.

Dubitatur 1. In quibus verbis haec forma consistat. Certum est apud omnes, verba *Te absolvo* ad essentiam formae pertinere. Sed sentiunt Lugo [11] Wigandt [12] quod si dicatur, *Absolvo a peccatis tuis*, non est necessarium ad valorem formae verbum *te*, cum hoc satis exprimatur in verbo *tuis*. Attamen communissime huic opinioni contradicunt Suar.[13] Bon.[14] Holzm.[15] Concin.[16] et Pal.[17] cum Vasq. Prima opinio, speculative loquendo, spectata ratione, probabilior videtur; sed quia haec secunda est etiam probabilis, saltem ob auctoritatem doctorum, in praxi haec omnino sequenda est, ex proposit. 1. damnata ab Innoc. XI.

Dubitatur 2. An dicendo *Ego te absolvo*, requirantur verba *a peccatis tuis*. Negant communissime Milante [18] Conin.[19] Holz.[20] Ronc.[21] Spor.[22] Pal. [23] et Lugo [24] cum s. Anton. Sylv. Cai. Nav. etc. ex d. Thoma [25] et catech. rom. [26] ubi dicitur: *Est autem forma: Ego te absolvo*, et nihil aliud ibi additur. Omnes tamen hi aa. dicunt quod licet tò *a peccatis tuis* non sit necessarium ad essentiam formae; esset tamen mortale haec verba omittere, cum sit contra consuetudinem ecclesiae. Alii vero tenent ipsa pertinere ad essentiam, eo quod

(1) Loc. cit. (2) De poenit. c. 7. p. 2. n. 11. (3) N. 538. (4) N. 488. (5) Prael. theol. de poen. q. 9. a. 1. concl. 3. (6) De poen. t. 9. p. 579. (7) De poenit. c. 3. p. 2. n. 17. (8) L. 6. p. 2. n. 639. (9) Io. 20. (10) Sess. 14. c. 3. (11) De poenit. d. 13. n. 26. (12) Tr. 13. q. 3. res. 2. (13) De poen. d. 19. s. 1. n. 17. (14) Q. 4. p. 1. n. 1. (15) N. 482. (16) T. 9. p. 580. n. 5. (17) Tr. 23. d. un. p. 5. n. 2. (18) In propos. 1. Innoc. XI. (19) P. 580. n. 5. (20) N. 482. (21) De poenit. c. 2. q. 3. (22) Eod. tit. p. 244. n. 544. (23) P. 5. n. 2. (24) D. 13. n. 17. (25) 3. p. q. 84. a. 3. (26) P. 2. n. 14.

cum Christus dixerit: *Quorum remiseritis peccata etc.*, sicut quia pixit *quorum*, explicandum est *te*, ita quia dixit *peccata*, explicandum est *a peccatis;* sic Croix [1] cum Maior. et Pasqual. ac Mazz. [2] cum Gabr. Aversa Gorm. etc. item Palud. p. Soto et Gabr. apud Salmant. [3]. Nec obstare dicunt quod ex circumstantiis satis determinentur verba, *Ego te absolvo*, ad significandam etiam absolutionem a peccatis; nam si hoc valeret, posset adhuc reticeri verbum *te*, quod ex circumstantiis satis etiam percipitur. Prima opinio est probabilior, sed in praxi nec recedendum a secunda, cum etiam sit probabilis, ut bene advertunt Elb. [4] Salm. [5] Holz. et Ronc. [6].

Dubitatur 3. An verba, *In nomine Patris etc.* sint de essentia. Affirmant Durand. Maior. etc. apud Lugo [7]. Sed communis et vera sententia negat, cum in institutione huius sacramenti nullam mentionem Christus fecerit de hac invocatione ss. Trinitatis, sicut fecit in sacramento baptismi: ita Lugo [8] (qui dicit oppositam ab omnibus reiici) Ronc.[9] Bon.[10] cum Con.Vasq. Suar. etc. Croix [11] cum Arriaga et Bosco ac Salmant. [12] cum Soto Nav. et Caiet. Hanc autem omissionem putant Roncag. et Gran. apud Croix [13] esse mortalem: alii vero, ut Sotus Val. ap. Bon.[14] censent nullum esse peccatum, secluso scandalo et contemptu; sed haec opinio non videtur satis probabilis, cum talis invocatio sit iuxta consuetudinem ecclesiae. Hinc melius alii fere communiter dicunt esse tantum veniale ut Bonac.[15] Elbel [16] (qui dicit esse satis commune) Pal.[17] Salm.[18] Platell. Bosco et alii ap. Croix [19] qui absolute asserit id esse commune.

Verba autem *Dominus Iesus Christus etc.* putat Conc.[20] non posse omitti sine culpa; verba autem *Misereatur, Indulgentiam* et *Passio Domini nostri etc.* dicit posse omitti; et huic videtur favere rituale roman. [21] dicens : *In confessionibus autem frequentioribus omitti potest* Misereatur etc., *et satis erit dicere*, Dominus noster Iesus Christus etc. *usque ad illud*, Passio etc. *Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis breviter dicere poterit:* Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris etc. Sed communiter dd. dicunt, omnes has preces posse omitti sine ullo peccato; ita Lug [22] cum Nav. Holzm.[23] cum Sporer Viva[24] Mazzot.[25], item Sa Bosco Dic. et Gobat, apud Croix [26]. Hocque videtur verius, dum Trid.[27] dicit quod hae preces tantum *laudabiliter adiunguntur*, verbum enim *laudabiliter* nullum utique videtur importare praeceptum. Nemo tamen dubitat quin convenientius sit saltem in confessionibus longioribus huiusmodi preces adiicere: maxime illas quae sequuntur: *Passio Domini etc.* cum probabile sit cum d. Th. s. Ant. et aliis, prout infra dicemus agendo *de satisfactione,* quod per verba illa eleventur omnia bona opera poenitentis ad satisfactionem sacramentalem; saltem consulit Holzm. ut ea verba dicantur dum poenitens recedit.

Dubitatur 4. An per verba *te absolvo* possit sacerdos valide absolvere poenitentem tam a peccatis, quam a censuris. Communiter affirmant Palaus [28] Bon.[29] Ronc.[30] Salm.[31] Viva [32] Holz. [33]. Ratio quia nihil prohibet quin verba illa ex intentione sacerdotis dirigantur ad absolutionem tam a censuris, quam a peccatis. Merito tamen advertunt Ronc. et Salm.[34] cum Gran. et Leand., item Sot. Coninch. et Avila, id non excusari a culpa veniali, cum sit contra usum ecclesiae. Probabiliter vero Holzm.[35] et Viva [36] cum Granad. id omnino excusant, si nulla adsit proba-

(1) N. 633. (2) De poenit. t. 3. p. 561.
(3) De poenit. c. 3. p. 1. n. 1. (4) De poenit. n. 25.
(5) Ibid. n. 2. (6) Locc. cc. (7) D. 13. n. 11.
(8) N. 12. (9) C. 2. q. 3. (10) P. 1. n. 2.
(11) N. 629. (12) Ibid. n. 3. (13) N. 657.
(14) L. c. (15) L. c. (16) N. 26. (17) P. 5 n. 3.
(18) Tr. 6. c. 3. p. 1. n. 3. Dict. n. 657.
(20) P. 531. n. 10 Hom. Ap.
tract. 16. n. 5. (21) Tit. de forma absol.
(22) D. 13. n. 9. (23) P. 491. (24) De poenit. q. 7. a. 1. n. 3. (25) T. 3. p. 165. (26) N. 658
(27) Dict. sess. 14. c. 3. (28) P. 5.
(29) P. 1. n. 10. (30) C. 2. q. 3.
(31) Loc. cit. n. 11. (32) Q. 7. a. 1. n. 3.
(33) N. 482. (34) Tr. 6. c. 3. p. 1. n. 11.
(35) N. 491.

bilis suspicio quod poenitens aliquam censuram incurrerit. Caeterum recte ait p. Concina [1] peccare mortaliter sacerdotem qui contra prohibitionem ecclesiae vellet poenitentem absolvere prius a peccatis, et deinde a censuris. Quamvis satis communis sit sententia, quod valide possit poenitens absolvi (si ipse sit in bona fide) a peccatis non praemissa absolutione a censuris, ut docent Suar.[2] Sanch.[3] Lugo [4] et Salm.[5]. Ratio quia prohibitio ecclesiae nequit invalidare sacramentum, cuius valor pendet a iure divino, cum omnia ad illud requisita essentialia concurrunt.

431. Quaeritur 3. An possit valide et licite dari absolutio sub conditione. Omnes conveniunt, ut diximus *lib.* 6. *tr.* 1. *de sacram. in gen. n.* 26, validam quidem esse absolutionem quae datur sub conditione de praeterito vel praesenti. E converso communiter dicunt dd. invalidam esse, si conditio sit de futuro; et hoc etiamsi dicatur, *Absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues*, aut simile, ut tenuimus *dict. num.* 26. Difficultas est, an sit licitum absolvere sub conditione de praesenti vel praeterito. Resp. affirmative cum communi dd. contra aliquos, iuxta sententiam allatam *ibid. n.* 28. dummodo iusta adsit causa; nempe si negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis.

(1) P. 618. n. 9. (2) T. 4. de rel. d. 31. sect. 3. n. 6. (3) Dec. l. 2. c. 8. n. 5. (4) D. 14. n. 102. (5) Cit. n. 11. (6) D. 13. n. 107. (7) L. 6. p. 2. n. 1770. (8) N. 622. (9) De sacr. c. 4. q. 6. r. 3. (10) De poen. p. 3. n. 1. (11) De poen. c. 3. p. 3. n. 22. (12) Sed hoc puto non esse admittendum, nisi cum poenitens existeret in mortali, et alias multum temporis absolutione privari deberet. Praeterea hoc debet intelligi in solo dubio facti; quia si iurisdictio est positive dubia de iure, id est, si probabilis est ob dd. auctoritatem, bene potest absolutio absolute conferri, nam tunc supplet ecclesia, semper ac gravis adest causa. Hom. Ap. tr. 16. n. 6. Conf. infra 371. 372. 373. 901. 902. (13) D. n. 622. (14) Locc. cc. (15) In hoc distinguendum et videndum, inquit s. Alph. (revocans quod in 1. edit. moralis scripserat) in Hom. Ap. tr. 16. n. 6. an dubium sit de peccati actione aut de confessione peccati iam commissi, quia si poenitens est certus quod grave peccatum patravit et eius dispositio est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione, et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur

432. Causae autem iustae, secundum doctores infra citandos, videntur hae: 1. Si sacerdos prudenter dubitet an absolverit vel ne, ita Lugo[6] Croix[7] Spor.[8] Ronc. [9] Bon. [10] cum Suarez Fill. Molf. Reg. et Salm. [11] cum Vasq. Graff. Dic. etc. 2. Si confessarius dubitet an habeat iurisdictionem in poenitentem[12], ita Sporer[13]. Sed hoc non admitterem, nisi poenitens diu deberet carere absolutione: et in hoc casu censeo teneri confessarium patefacere poenitenti qui ei confessus sit mortalia, quod ipse tantum sub conditione absolutus sit, ut si postmodum forte notum fiat quod confessarius revera careret iurisdictione, poenitens iterum confiteatur peccata illa, ut debet. 3. Si urgeat necessitas suscipiendi eucharistiam, ut dicunt Mazzotta et Spor.[14]. Sed hic obiter advertendum quod licet aliquis posset in huiusmodi necessitate sub conditione absolvi, quia talis necessitas sufficientem praebet causam confessario absolvendi sub conditione; poenitens tamen non posset accedere ad communionem, nisi certo dispositus ad illam (vel saltem probabiliter, iuxta alios citandos infra *n.* 475.), ad hoc ut servet praeceptum apostoli quod omnes accedant probati; unde in mero dubio negativo suae dispositionis nemo potest communionem suscipere [15].

4. Si dubitetur an poenitens sit rite

Et in Hom. Ap. tr. 15. n. 34. quaestionem: An dubitans sit vel ne in gratia, possit communicare: s. Alphonsus ita solvit: Si quis dubitat an graviter peccaverit necne, tunc licite, non praemissa confessione potest ad communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum (sufficiendo sibi ut tutius fructum sacramenti percipiat, ut praemittat contritionem); quia praeceptum apostoli: *Probet autem seipsum homo*, ratione cuius intelligitur praecepta esse confessio, ut declaravit Tridentinum, ligat tantum eos qui sunt conscii, nempe certe sciunt se mortale commisisse, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem Tridentinum declaravit sess. 13. c. 7. dicens: *Ut nullus sibi conscius peccati mortalis, ad eucharistiam accedere debeat.* Itaque praeceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. Contra si quis est certus de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit, se per confessionem probatum fuisse, quia tunc certe possidet in eo praeceptum prohibitionis; unde ille cum dubio negativo aut positivo, an recuperaverit necne amissam gratiam (v. g. cum dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis, aut iurisdictionis, aut si dubitat de contri-

dispositus per verum dolorem et propositum; ita Sporer [1] Mazzotta [2] et Palaus [3] cum Vasq. etc. Sed huic doctrinae sic generaliter traditae nec valeo acquiescere: nam dico 1. non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria, prout infra dicemus *n.* 459., nisi esset in periculo mortis, vel nisi (excipit Schilder. ap. Croix [4]) prudenter timeatur quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet. Dico 2. idem dicendum esse de recidivo in venialia, qui sufficientem habet usum rationis; quia, cum possit hic confessarius de brevi certum se reddere de poenitentis dispositione per experimentum emendationis ei differendo absolutionem, non videtur adesse sufficiens causa absolvendi illum sub conditione. Dico 3. probabiliter posse absolvi puerum vel semifatuum sub conditione, quando dubitatur de ipsorum dispositione; et quidem, si urgeat periculum mortis vel praeceptum paschale, communissime dicunt dd. cum Less. [5] Lugo [6] et aliis, tales esse absolvendos sub conditione, si dubie sint dispositi, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale, quo casu ait Lugo non videri de hoc dubitandum, idque puto omnino dicendum (contra Lessium) etiam extra tempus mortis vel praecepti, ut verius dicunt Sporer [7] Mazzotta [8] et Laym. [9] qui ait absolvi posse sub conditione, saltem animo retenta; in eo enim casu non solum adest iusta causa utilitatis, ne poenitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte maneat in mortali; in tantum autem alii usu rationis praediti non debent absolvi, cum de ipsorum dispositione dubitatur, quia adest via et spes, fore ut dilata absolutione, brevi illi certo dispositi redeant, et absolvantur, sed quoad hos semifatuos et pueros nondum perfecte rationis compotes, deest haec via et spes, fore ut brevi afferant hanc certam dispositionem. Imo non improbabiliter dicunt Sporer Mazzot. [10] et Gob. Diana et Schild. apud Croix [11] posse absolvi sub conditione huiusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, ne diu priventur gratia sacramentali, et ne maneant in mortali, si forte habeant, ut loquitur Lugo [12]. Dico 4. probabiliter posse sub conditione absolvi (ut censet Bon. [13]) poenitentem pium, qui aliquas tantum imperfectiones confitetur, de quibus dubitatur an pertingant ad venialia; hoc tamen non admitterem saepe [14], neque si ille posset materiam certam de vita anteacta praebere. Caeterum, cum poenitens non dat materiam certam, non tenetur confessarius eam exquirere ut absolvat; et casu quo exquisierit, et non repererit certam materiam, ait Spor. [15], non tenetur absolvere sub conditione, cum poenitens tunc nullum ius certum habeat ad illam, quando non affert materiam certam aut saltem dubie necessariam.

DUBIUM II. Quae contritio requiratur.

432. *Vide quae habentur apud Busemb. de dolore et proposito.*

§. 1. De quaestionibus ad dolorem pertinentibus.

434. *Quid sit poenitentia ut virtus, et quid ut sacramentum.*

435. *Qu.* 1. *An contritio consistat in dolore, vel in detestatione.*

436. *Qu.* 2. *Ex quo motivo elicienda sit contritio.*

437. *Qu.* 3. *Quando obliget praeceptum contritionis. Dub.* 1. *An obliget extra periculum mortis. Et an eius dilatio sit speciale peccatum. Dub.* 2. *An qui in articulo mortis confessus sit cum attritione, teneatur deinde elicere contritionem. Dub.* 3. *An praeceptum contritionis obliget in diebus festis.*

438. *Qu.* 4. *An ad iustificationem requirantur singulae contritiones ad singula peccata.*

439. *Qu.* 5. *An in confessione requirantur explicite actus fidei et spei.*

440. *Qu.* 6. *An in sacramento sufficiat attritio sine amore praedominante.*

441. *An quaelibet contritio deleat peccatum extra sacramentum.*

tione in casu necessitatis communicandi), non potest communionem recipere; quia tunc agit contra praeceptum quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum. (1) L. c. (2) T. 3. p. 163. (3) P. 3. n. 9. (4) L. 6. p. 1. n. 110. (5) Auct. v. Confessio. c. 6 (6) D. 17. n. 22. (7) N. 622. (8) T. 3. p. 563 (9) C. 3. n. 7. (10) Locc. cc. (11) N. 1797 (12) L. c. (13) P. 3. n. 1. (14) Hoc tamen non admitterem, nisi semel in mense. Hom. Apost. tr 16. n. 6 (15) N. 36.

442. *Et an peccatum possit consistere cum charitate praedominante, si sit remissa. Solvuntur obiectiones, ubi probatur, amorem inchoatum concludi in attritione.*
443. *Qu. 7. An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium.*
444. *Qu. 8. An sacramentum poenitentiae possit esse aliquando validum et informe.*
445. *Qu. 9. An dolor debeat praecedere ad confessionem.*
446. *Qu. 10. Per quantum temporis actus doloris moraliter perseveret.*
447. *Qu. 11. An poenitens debeat elicere actum doloris cum intentione se confitendi.*
448. *Qu. 12. An qui confitetur peccatum oblitum statim post absolutionem, teneatur novum elicere dolorem.*
449. *Qu. 13. Quomodo eliciendus sit dolor in confessione venialium. Dub. 1. An sit mortale confiteri venialia sine ullo dolore. Dub. 2. An in confessione venialium sufficiat dolere de uno peccato sine alio. An sufficiat dolere de frequentia.*

§. II. De quaestionibus ad propositum.

450. *Qu. 1. An sufficiat propositum virtuale sive implicitum.*
451. *Qu. 2. Quae sint conditiones requisitae ad verum propositum. Et sunt, 1. Ut sit* firmum. *Quid si poenitens credat certo se relapsurum. 2. Ut sit* universale. *An requiratur universale propositum de mortalibus. 3. Ut sit* efficax.
452. *Qu. 3. Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis, qui sunt in occasione peccandi. Dub. 1. Quotuplex sit occasio, et quotuplex periculum peccandi. Et quae occasio vitari debeat.*
453. *Dub. 2. An possit absolvi, qui non vult amovere probabilem peccandi occasionem.*
454. *Dub. 3. An qui est in occasione proxima voluntaria, possit semel vel iterum absolvi.*
455. *Dub. 4. An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria. Praesertim causa suae artis vel officii.*
456. *Sententia tenenda circa absolutionem his differendam.*
457. *Dub. 5. An possit absolvi, qui in occasione necessaria, adhuc remediis adhibitis, eodem modo fuerit relapsus.*
458. *Adnotatur doctrina s. Caroli Borromaei.*
459. *Qu. 4. Quomodo se gerere debeat confessarius cum consuetudinariis ex intrinseca fragilitate; et quomodo cum recidivis. An recidivus possit pluries absolvi sine signis extraordinariis.*
460. *Quae sint signa extraordinaria.*
461. *Quae certitudo dispositionis poenitentis sufficiat ad eum absolvendum.*
462. *An liceat differre absolutionem poenitenti disposito sine eius consensu.*
463. *An expediat vel ne saepius differre absolutionem.*
464. *Cur potius differenda est absolutio iis qui sunt in occasione extrinseca et non recidivis ex fragilitate intrinseca.*

433. « Suppono quod contritio in communi sit dolor ac detestatio peccati commissi, cum proposito emendandi, ut habet Trident. [1]; qui eam dividit in perfectam, quae absolute sic dicitur; et in imperfectam, quae attritio dicitur. Perfecta est, quae elicitur ex motivo caritatis propter Deum summe dilectum: et haec ex se sola mox iustificat, etsi cum voto et ordine ad confessionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta est, quae ex inferiore motivo, supernaturali tamen, concipitur.

» Resp. Ad sacramentum hoc sufficit et requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax et universalis, respectu mortalium, concepta in ordine ad confessionem vel saltem absolutionem. Est communis. Vide Bon.[2] et schol. ac colligitur ex Trid. [3].

Unde resolves:

» 1. Non requiritur contritio existimata, ut voluit Gabr.

» 2. Non sufficit 1. Attritio existimata tantum, licet inculpabiliter, quia vera attritio est pars essentialis. 2. Nec desiderium absolutionis sine affectu ad peccata: idque etiamsi tantum confitearis venialia, ut habet sententia communis contra Angles et quosdam alios, quos sequitur Tamb. [4]. Vide Diana [5]. Unde peccat graviter, qui etiam sola venialia vel sola mortalia alias confessa sine omni formali dolore confitetur, quia non ponit materiam sacramenti, et saltem periculo sacrilegii se exponit. Ita c. de Lugo[6] etc. commun. Vide Dian.[7] Bon.[8]. Non tamen est necesse ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum sibi poenitens est conscius. Suar. Laym. Lugo. Imo notat Tamb. [9] satis esse de uno veniali dolere formaliter, etsi plurium sis conscius, de quibus nec dolorem nec propositum emendandi habeas, sive ea confitearis sive non.

» 3. Non absolvitur qui dolet, licet intensissime, tantum propter infamiam, damna aliasve poenas temporales praecise, etsi ex inculpabili ignorantia: quia non est dolor supernaturalis; nec ignorantia aut bona fides potest supplere

(1) Sess. 14. (2) D. 5. q. 5. (3) Loc. cit.
(4) L. 1. exped. conf. c. 3. (5) P. 9. t. 9. r. 31.
(6) D. 14. sect. 8. (7) P. 3. t. 4. r. 116.
(8) D. 5. q. 3. sect. 1. p. 3. (9) Loc. c.

defectum essentiale. Bonac.[1] etc. Limitat tamen Regin. cum Tamb. [2] nisi doleas propter istas, ut a Deo inflictas vel infligendas.

» 4. Ad attritionem non requiritur ulla intensio vel duratio temporis, ut vult Durand.

» 5. Etsi debeat esse de omnibus peccatis mortalibus, non requiruntur tamen singuli dolores de singulis, ut vult Angles; sed sufficit unus actus de omnibus simul sumptis, etiam oblitis: ideoque peccat graviter, qui sciens prudens non atteritur universaliter de omnibus mortalibus nondum remissis. Bon. etc. [3].

» 6. Non sufficit dolere quod non doleas, ut habent Navar. et Sa, nec velleitas non peccandi. Ratio utriusque est, quia non est dolor de peccatis commissis, cum quo affectus ad ea stare potest. Henriq. Vasquez Bon. [4]. Qui recte notat, cum actu quo quis dolet, se non dolere de peccatis, plerumque coniunctum esse dolorem de peccatis, etsi poenitens eum non dignoscat.

» 7. Etsi dolor hic debeat esse summus appretiative, ita ut nihil magis detesteris quam peccatum, malisque omnia mala huius mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare; non tamen opus est, imo non expedit, particulares facere collationes: v. g. mallem hoc vel illud malum subire, quam mortaliter peccare: quia periculosae sunt (Et hoc est commune apud omnes cum s. Th., Bonac. etc. apud Croix [5], nempe non expedire comparationem explicitam inter peccatum et alia mala, se determinando, potius quam peccatum, eligere haec mala in particulari: et tanto minus eligere infernum, quia, secundum praesentem Dei providentiam, cum infernus sit destinatus iis qui sunt firmati in peccato per aeternum odium erga Deum, incongrue homo ad vitandum peccatum eligeret infernum, in quo non posset manere sine peccato).

(1) Loc. cit. (2) De exped. conf. l. 1. c. 1.
(3) Locc. cc. (4) Loc. cit. n. 7. (5) N. 751.
(6) Loc. cit. sect. 5. (7) L. 5. tr. 6. c. 4.
(8) P. 3. t. 4. r. 119. (9) D. 14. sect. 8. et 9.

» 8. Qui non vult occasiones proximas peccandi a se amoliri vel non remittere ex animo vel non restituere aut satisfacere, quibus debet vel non, habet formale (licet probabiliter cum Lugo [6] Laym. Diana aliqui dicant virtuale in contritione universali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum peccata mortalia (quando talia confitetur) vitandi efficax, id est, cum quo non possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attritus. Ratio est quia non est dolor et detestatio efficax, quippe cum quo possit stare voluntas peccandi, nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile. Suarez Fern. Laym. [7] Diana [8] etc. commun. Et licet sola venialia confitearis, teneris tamen sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem virtuale, circa illa habere: card. de Lugo [9] et alii.

» 9. Redire saepe cum eodem mortali non est certum indicium deesse attritionem, etsi sit magna praesumptio, praesertim in iis qui coguntur confiteri a parentibus, magistris, etc.; item in iis qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem non faciunt, quibus proinde absolutio differenda est, nisi id actu praestent. Quamquam possint esse alia signa veri doloris, v. gr. si media praescripta sint adhibita, occasiones vitatae, si numerus peccatorum imminutus, si poenitens omnino asserat, cui plerumque credi debet, cum ipse sit sui accusator, defensor et testis; qua in re opus est magna prudentia confessarii, ne poenitentem severitate avertat, neque etiam lenitate seducat, et peccet pereatque cum illo. Suar. [10] Sanch. [11] c. de Lugo [12] contra quorum aliorumque communem sententiam docent apud Diana Vivaldus et Ioannes Sancius [13] posse toties quoties confitetur, absolvi, etiamsi nullus appareat profectus;

(10) In 3. p. d. 32. sect. 2.
(11) L. 2. in dec. c. 32. et l. 3. c. 5.
(12) Loc. cit. n. 166. et 169.
(13) D. d. 10. n. 16.

eo quod sine illo possit esse verum propositum, sicut est in iis qui venialia semper afferunt eadem. Verum id probare non ausim (Ob damnatas nuper ab Innoc. XI. *proposit.* 60. *et* 61.), nec videtur esse par ratio. V. Con.[1] Dian.[2].

» 10. Absolvendi sunt ii qui ex officio, domo vel negotio in quo propinquum peccati periculum imminet, discedere nolunt, eo quod sine maxima difficultate non possint, parati interim media praescribenda adhibere. Ratio est, quia occasio, etiam propinqua, non necessitat ad peccatum, ideoque stare potest cum proposito peccata vitandi. Nec refert quod quis putet vel timeat se unum vel plura peccata non vitaturum: quia propositum est actus voluntatis: existimatio autem illa est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanae voluntatis mutabilitatem, non necessario consequitur. Interim qui certus est impossibile sibi esse in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere, nisi velit perire. Ita Layman [3] Lugo [4].

» 11. Non requiritur dolor sensibilis; sufficit enim intellectivus: qui cum sit internus ac spiritualis, scrupulosi non facile debent angi, quasi sine dolore accedant ad sacramentum eo quod nullum sentiant.

» 12. Is qui nihil cogitans de confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad sacramentum, non potest sine novo dolore ad id accedere, quia pars debet referri ad compartem. Ita Suar.[5] Bon. [6]. Contrarium tamen videtur docere card. de Lugo [7], quod non est improbabile. Tamb. [8].

» 13. Non sufficit ad sacramentum dolor qui sequitur absolutionem, imo secundum sententiam saltem tutiorem, quam docent Laym.[9] et Coninc., debet antecedere etiam confessionem, etsi contrarium etiam probabiliter doceant Vasq. Fill. Fag. card. Lugo [10] et Gaspar Hurtad. [11] apud Diana et Esc. [12]. Unde poenitentes initio ad dolorem excitandi aut si post peccatorum narrationem fiat, repetant verbo confessionem, dicendo se dolere de peccatis expositis. Vide Laym. [13].

» 14. Probabile est, eum qui paulo ante confessus iterum confitetur vel eadem peccata vel quae exciderant, de quibus ante (explicite et in particulari) non doluit, non teneri elicere novum dolorem, card. Lugo [14] Diana [15]: et consequenter potest moribundus propter periculum instantis mortis absolvi, audito tantum uno alterove peccato, et deinde si superstes maneat, auditis reliquis, iterato absolvi in virtute doloris praecedentis. Tamb. »

Hic plures occurrunt quaestiones magnopere scitu necessariae ad praxim, tum ad dolorem, tum ad propositum in confessione requisitum pertinentes; unde distincte de iis agere oportet.

§. 1. *De quaestionibus circa dolorem.*

434. Ante omnia oportet advertere quod poenitentia duplici sensu accipitur; nempe ut virtus et ut sacramentum. Ut *virtus* definitur: *Virtus tendens in destructionem peccati in quantum est Dei offensa, medio dolore et satisfactione.* Ut *sacramentum* vero definitur: *Sacramentum consistens in actibus poenitentis, et sacerdotis legitime absolventis in modum iudicii.* Poenitentia quidem ut virtus fuit omni tempore necessaria necessitate medii ad salutem; in lege autem evangelica, ut sacramentum est pariter necessitate medii necessaria omnibus lapsis in mortale post baptismum, saltem in voto, si non possit suscipi sacramentum in re.

435. Quaer. 1. An contritio consistat in dolore vel in detestatione. Alii dicunt consistere in dolore, qui praesupponat detestationem, ut Gonet [16] apud Croix [17]. Alii vero dicunt consistere in detestatione quam sequitur dolor; et haec sententia est satis communis, et verior videtur cum Suarez [18] Sporer [19]

(1) D. 2. d. 14. (2) P. 1. t. 7. r. 55. et p. 2. t. 2. miscel. r. 45. et p. 3. t. 4. (3) Loc. cit. (4) Loc. cit. n. 152. (5) D. 20. sect. 4. (6) D. 5. q. 3. p. 2. (7) D. 14. sect. 4. n. 37. (8) L. 1. c. 2 (9) Lib 3. t. 6. c. 4. (10) De poenit. d. 14. sect. 2. (11) D. 6. diff. 5. (12) T. 7. r. 6. (13) L. c. (14) D. 14. sect. 3. (15) P. 9. t. 3. r. 50. et 51. (16) D. 7. n. 6. (17) L. 6. p. 2. n. 657. (18) De poenit. d. 4 sect. 1. n. 7. (19) N. 67.

Holzm. [1] ac Nav. Caiet. Reg. Gob. etc. apud Croix [2] ex d. Thom. [3] qui docet: *Exigitur ad remissionem, ut homo actualiter peccatum commissum detestetur*. Ratio quia non quidem dolor est causa detestationis, sed detestatio est causa doloris; et dolor ideo est utilis, quia procedit a peccati detestatione, quae principaliter est abolitio culpae, cum sit velle non peccasse. Caeterum, ut recte dicunt Frassen. [4] cum Vega et Holzm. Sporer ac Croix [5] cum Con., non dubitandum quin in contritione utrumque requiratur, tam dolor quam detestatio, et quod revera in uno alterum exercite contineatur; qui enim suum detestatur peccatum necessario de ipso dolet; et contra, qui de peccato dolet illud necessario detestatur.

436. Quaer. 2. Ex quo motivo debeat elici actus perfectae contritionis.

Prima sententia, quam tenent plures, dicit posse elici ex motivo cuiuscumque attributi divini offensi, iustitiae, sapientiae, misericordiae, etc. Et merito hanc probabilem putant Suarez [6] et Lugo [7]. Ratio quia ille qui diligit divinam iustitiam vel misericordiam propter Deum, iam Deum diligit, cum misericordia et iustitia divina sint ipse Deus; ergo qui dolet de peccato ob Dei misericordiam vel iustitiam offensam, non iam ex motivo concupiscentiae, sed propter Deum dolet.

Secunda sententia vero communis et probabilior, quam tenent Suar. [8] Vasq. [9] (qui vocat oppositam erroneam) et Croix [10] cum Arriaga Dic. et aliis passim, docet contritionem debere omnino procedere ex solo motivo caritatis, nempe divinae bonitatis offensae, quatenus haec complectitur omnes Dei perfectiones. Ratio, quia ex Trid. [11] requiritur ut contritio sit caritate perfecta, id est informata; obiectum autem caritatis, ut communiter docent dd. utque diximus *l. 2. n. 24. v. Obiectum*, est Deus quatenus est infinita bonitas, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum.

437. Quaer. 3. Quando obliget praeceptum contritionis. Per se loquendo, certum est apud omnes obligare in articulo mortis; vide Salm. [12] et alios passim. Per accidens vero, communiter dicunt dd. obligare 1. Quando aliquis esset in mortali et deberet sacramenta ministrare vel aliquod sacramentum vivorum suscipere, ita Bon. [13] cum Vasquez Val. et Fill. ac Salm. [14] cum Pal. et Layman etc. communiter. 2. Quando quis graves pateretur tentationes, quas vitare non posse putaret, nisi actum contritionis eliceret. Laym. [15] et Salm. [16] cum Cano Pal. Fill. Med. etc. 3. Quando quis tenetur elicere actum caritatis erga Deum; tunc enim, occurrente memoria peccati, tenetur suum peccatum detestari, ut recte ait Holz. [17].

Dubitatur 1. An extra periculum mortis obliget unquam praeceptum contritionis, et eius dilatio sit speciale peccatum.

Prima sententia affirmat, quam tenent Iuen. [18] Ronc. [19] Antoine [20] Conc. [21] cum Carden. Vitass. et Merb., item Ales. et Gabr. apud Salm. [22]. Probatur 1. ex illo: *Non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius* [23]. Probatur 2. ex praecepto caritatis, quod sine dubio obligat per se saepius in vita, ergo etiam saepius obligat praeceptum contritionis.

Secunda sententia vero negat, et hanc tenent Navar. [24], item Caiet. et Durand. apud Pal. [25] qui probabilem putat. Censeo autem has sententias facile posse conciliari. Per se loquendo peccator differens poenitentiam extra periculum mortis probabiliter non committit speciale peccatum cum secunda sententia. Ratio, quia praecepta affirmativa, ut docet d. Th. [26], debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri;

(1) N. 493. (2) L. c. (3) 3. p. q. 87. a. 1. (4) T. 10. p. 529. (5) L. c. (6) D. 2. s. 2. n. 13. (7) D. 5. n. 4. (8) L. c. (9) Q. 85. a. 2. n. 45. (10) N. 722. (11) Sess. 14. c. 4. (12) De poenit. c. 1. p. 5. n 54. (13) D. 5. q. 5. sect 1. p. 2.

(14) Ib. n. 31. (15) C. 2. n. 1. (16) Ib. n. 52. (17) P. 131. n. 518. (18) T. 9. p. 416. (19) De poenit. c. 1. q. 3. r. 2. (20) P. 498. (21) T. 9. p. 51. n. 5. (22) Ibid. n. 46. (23) Eccli. 5. (24) C. 1. p. 2. n. 5. v. Divi. (25) P. 3. n. 9. (26) 4. dist. 17. q. 3. a. 1.

nullibi autem constat quale tempus sit determinatum ad huic praecepto contritionis satisfaciendum: unde idem s. doctor [1] dixit impoenitentiam finalem non esse peccatum speciale his verbis: *Impoenitentia non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem .... sic non esset speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia, etc.* Id tamen sane intelligendum, praeciso praecepto positivo: nam ex praecepto annuae confessionis ab ecclesia praescriptae quisque procul dubio tenetur ad poenitendum, saltem semel in anno. Hoc tamen est per se loquendo, sed per accidens puto nullo modo excusari a mortali, qui existens in mortali per notabile tempus differret poenitentiam. Tum quia peccaret contra praeceptum caritatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit, iuxta dicta *l.* 2. *n.* 8. Tum quia insuper peccaret contra caritatem erga seipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo: ratio patet ex eo quod docet d. Thom.[2] (quem sequuntur Gonet et Ronc.) qui ait: *Sine gratia iustificante, quod diu maneat absque peccato mortali esse non potest.* Unde d. Gregorius[3] dixit: *Peccatum quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Quale autem sit hoc notabile tempus, valde dd. discrepant. Conc. putat esse hebdomadam [4]; idem videtur sentire Ronc., dicens esse spatium multorum dierum; sed Salm. [5] Pal. [6] cum Laym. et Elb. [7] cum Lugo Henno etc., putant excusari qui satisfacit confessioni annuali: et huic opinioni videtur adhaerere d. Th. [8]. Sed ego non omnino acquiesco, spatium enim satis notabile mihi videtur, ut quis per tantum temporis existens in mortali possit vitare periculum in alia facile relabendi. Nec valet dicere quod ecclesia pro omnibus indistincte determinaverit tempus anni; nam ecclesia hoc tempus solum determinavit ad obligationem confessionis, non autem poenitentiae. Non nego tamen quod peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam ut plurimum, imo fere semper excusari possunt.

Dubit. 2. An qui in articulo mortis susceperit sacramentum poenitentiae cum attritione (supposito quod attritio sine caritate praedominante sit sufficiens dispositio, iuxta dicenda in *qu.* 5.), teneatur insuper elicere actum contritionis.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Suar.[9] Sanch.[10] Bon.[11] Conc.[12] Antoine [13] et Val. Fill. etc. apud Salm. [14]. Ratio quia ex lege caritatis quilibet in articulo mortis tenetur tutiora quaerere remedia, ut ab omni periculo se liberet aeternae damnationis.

Secunda sententia vero negat, et hanc tenent Lugo [15] Laym. [16] Pal. [17] Ronc. [18] Sporer [19] Holz. [20] Escob. [21] et Salm. [22] cum Conc. Bec. Salas Fag. Turr. et aliis pluribus, valdeque probabilem putat Suar. Ratio quia, posito quod sit moraliter certa sententia, quod simplex attritio sufficiat in sacramento ad gratiam consequendam, nullum in hoc adest morale periculum salutis: homo autem quocumque tempore, sive vitae sive mortis, non tenetur nisi ad eligenda media salutis tuta, non autem tutiora. Utraque sententia est probabilis, sed prima omnino est consulenda, cum agatur de summo salutis negotio, cuius periculum est irreparabile. Imo dico esse omnino sequendam ab eo qui esset in actuali articulo mortis: tunc enim quisque tenetur elicere actum caritatis (ut tenendum cum Suar.[23] Holz.[24] et Spor.[25] cum March. etc.), cui nemo potest satisfacere, si occurrente memoria peccati, ex eodem caritatis motivo peccatum non detestetur.

(1) 2. 2. q. 14. a. 2. (2) 1. 2. q. 109. a. 8. (3) Sup. Ezech. hom. 11. (4) Haec sententia auctori in Hom. Ap. tr. 16. n. 10. videtur nimis rigida. (5) De poenit. c. 1. p. 5. n. 55. (6) P. 3. n. 10. (7) N. 54. (8) L. c. in 4. sent. (9) D. 14. s. 6. n. 18. (10) Dec. t. 1. l. 1. c. 1. n. 54. (11) Q. 5. p. 2. n. 5. (12) T. 9. p. 56. n. 5. (13) P. 498. r. 2. (14) De poen. c. 1. p. 5. n. 55. (15) D. 7. n. 165. (16) C. 11. n. 7. (17) P. 3. n. 5. (18) C. 1. q. 4. (19) N. 174. (20) N. 546. (21) L. 14. n. 150. (22) Ibid. num. 59. (23) N. 4. (24) N. 141. (25) N. 55.

Dubit. 3. An in diebus festis obliget praeceptum contritionis. Affirmant Marsilius p. Soto etc. apud Salmant.[1], quia observantia festi ideo instituta est, ut animae sanctificentur. Sed negant communiter Canus Dom. Sot. Armill. Suar. Vasq. Bon. Reg. etc. cum Salm.[2], quia finis praecepti non cadit sub praecepto. *Vide dicta l.* 3. *n.* 264.

Dubit. 4. An votum confessionis in contritione debeat esse explicitum. Certum est ex Trident.[3] peccata non remitti nisi ex voto sacramenti poenitentiae: dubium est an hoc votum explicite sit habendum. Affirmant Canus[4] et Tourn.[5], quia illa quae de necessitate medii sunt necessaria explicite proponenda sunt ab eis quibus lex iam est manifestata. Negant vero communiter probabilius Bon.[6] Gonet[7] et Salmant.[8] cum Scoto Suar. Soto Navarr. Alensi Adrian. Fill. Med. et aliis. Ratio 1. quia ex ipso Trident. habetur, votum hoc includi in contritione, dum ibi sic dicitur: *Reconciliationem* (quae per contritionem perfectam obtinetur) *ipsi contritioni*, *sine sacramenti voto*, *quod in illa includitur*, *non esse adscribendam*. Quod in alio includitur, implicitum est, non explicitum. Ratio 2. quia illi qui habet notitiam confessionis, non est necesse ut dum conteritur confessionis recordetur, sed sufficit ut illam non excludat; ergo ad contritionem non est essentiale ad remissionem peccati quod votum confessionis sit explicitum.

438. Quaer. 4. An ad consequendam iustificationem requirantur ad singula peccata singuli actus doloris. Affirmant Sylv.[9] et Angl. ap. Bus. *ut supra*. Alii autem, ut Sot. Canus Med. ap. Suar.[10] dixerunt saltem requiri unum actum doloris qui detestetur omnia peccata distincte cognita. Verum omnino tenendum oppositum cum sententia communi, quam tradunt Suar.[11] Lay.[12] Conc.[13] Iuen.[14] Cai.[15] Holzm.[16] Spor.[17] Croix[18] et Elb.[19] cum Soto Mastr. et aliis passim. Omnes hi docent non esse quidem opus adhibere ad singula peccata singulos actus doloris, quod Caiet. dicit fore ridiculum; nec requiri ut dolor referatur ad peccata distincte recogitata; sed sufficere de omnibus universaliter poenitere. Et hanc sententiam d. Thom., licet alibi contrarium (ut infra dicemus) videatur indicare, tamen in *op. de Veritate*[20] expresse docet, sic dicens: *Omnia peccata conveniunt in aversione a Deo*, *ratione cuius gratiam impediunt*; *unde ad iustificationem non requiritur*, *quod in ipso iustificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet*, *sed sufficit quod cogitet de hoc*, *quod per culpam suam est aversus a Deo. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel praecedere vel saltem sequi iustificationem.* Intellige in ordine ad iustificationem, ut recte explicant Suar. Croix et alii. Idem docuit catech. rom.[21], ubi quamvis antecedenter hortetur, ut peccator sua crimina singulatim detestetur, tamen ibidem sic subdit: *Is enim* (Deus), *cum nostrae salutis cupidissimus sit*, *nullam moram ad tribuendam veniam nobis interponit*, *sed peccatorem paterna caritate complectitur*, *simul atque se collegerit et universe peccata sua detestatus*, *quae deinde alio tempore* (*si facultas erit*) *singula in memoriam reducere* (id est ad confitendum) *ac detestari in animo habeat*, *ad Deum se converterit.*

Haec sententia probatur 1. ex illo: *Impietas impii non nocebit ei*, *in quacumque die conversus fuerit*[22]. Unde dixit s. Leo[23]: *Apud Deum nullas patitur moras vera conversio.* Et s. Io. Chrys.[24]: *Deum quantulamcumque*, *quamlibet brevi tempore gestam poenitentiam non respuere.* Probatur 2. rationibus. Ratio prima est illa quam supra affert d. Thomas, nempe, cum peccata consistant in aversione a Deo, sufficit ad gratiam recuperandam ut peccator per u-

(1) Tr. 6. c. 1. p. 5. n. 49. (2) Loc. cit. (3) Sess. 14. c. 4. (4) P. 5. q. 2. (5) Praelect. theol. de poen. q. 4. a. 4. (6) P. 3. n. 3. (7) A. 5. (8) Ib. c. 2. p. 3. n. 25. (9) 3. p. q. 2. a. 6. concl. 1. (10) D. 4. s. 3. n. 4. (11) N. 3. (12) C. 4. n. 3. (13) P. 66. n. 7. (14) De sacram. poenit. (15) 1. 2. q. 113. a. 5. et 3. p. q. 87. a. 1. (16) N. 449. (17) N. 89. (18) N. 737. (19) P. 215. n. 79. (20) Q. 29. a. 5. ad 4. (21) §. 5 (22) Ezech. 33. (23) Ep. 82. c. 4. (24) Ep. 5.

num contritionis actum convertatur ad Deum; si enim peccator per primam conversionem gratiam non recuperaret, sequeretur quod eodem tempore ipse esset conversus et aversus. Praeterea, cum peccator per primum actum se convertit ad Deum, nihil ei obstat quominus veniam saltem illius peccati consequatur, peccata autem mortalia nequeunt remitti unum sine alio: unde necesse est ut ad primum actum una simul omnia remittantur. Ratio secunda, quia magnis peccatoribus qui habitualiter per multum temporis versat fuissent in peccatis, impossibile esset statim converti ad Deum, cum impossibile sit brevissimo tempore singula peccata detestari aut singula in memoriam revocare: sed oppositum constat ex scripturis; nam plures peccatores, etsi multis peccatis gravati, tamen subito iustificati fuerunt; ita accidit Magdalenae, Latroni, Paulo et praesertim Davidi, qui statim ac dixit, *peccavi Domino*, respondit propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* [1]. Ratio 3. quia alias quisque a peccatis occultis non posset per dolorem universalem mundari, sed Tridentin.[2] docet oppositum, dicens: *Reliqua autem peccata quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.* Si ergo dolor universalis valet delere peccata occulta, cur non delebit etiam peccata non singulatim detestata? Ratio 4. et intrinseca est, quia (ut bene docet p. Suarez), cum quis dolet de suis criminibus ex motivo universali, quod pugnat cum omni peccato, tunc virtualiter peccata sua singula detestatur; actus enim ille doloris ad omnia et singula se extendit. Et haec ratio est eiusdem d. Th. [3] qui dicit: *In contritionis motu subitaneo, quamvis non actualiter distinctio inveniri possit, tamen invenitur secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud, de quo in illa contritione generali contrito dolendum occurrit, scilicet de offensa Dei.* Unde addit quod sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit; ita qui dolet de omnibus peccatis, de singulis dolet. Nec obstat illud quod dicit d. Thom. [4], qui quaerens, utrum peccatum veniale possit remitti sine poenitentia, respondet: *Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, ut singula detestetur.* Etenim sapienter Cai. explicat eo loco, quomodo intelligendus sit s. doctor: *Hoc potest (inquit) dupliciter intelligi vel quod quot fuerint peccata, tot oporteat esse detestationes, et hoc est ridiculum asserere; vel quod quodlibet peccatum terminet detestatio; et hic est sensus litterae, ita quod sicut in confessione, dum peccator dicit, peccavi millies in fornicatione: iste unicus confessionis actus terminatur actualiter ad singulas mille fornicationes; ita quoad actus interiores, dum peccatori displicent mille fornicationes, actualiter detestatur singulas illo uno et eodem actu.* Illud autem quod dicit d. Thomas: *Diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur;* necessario intelligi debet de rememoratione necessaria ad confessionem; nam non bene detestaretur peccata, qui illorum sigillatim non curaret reminisci, ut ea confiteretur; id enim patet ex alio textu eiusdem s. doctoris supra allato, ubi loquens de remissione peccatorum extra sacramentum, dicit: *Recogitatio autem singulorum debet vel praecedere vel saltem sequi iustificationem.* Si igitur recogitatio singulorum peccatorum potest sequi iustificationem, consequenter non est necessaria ad ipsorum remissionem; sed tantum ad confessionem, in qua singulatim cum detestatione peccata explicari debent.

Caeterum bene advertit p. Concina [5]

(1) 2 Reg 12. 13. (2) Sess. 14. c. 5.

(3) 4. dist. 17. q. 2. a. 3.
(4) 3. p. q. 87. art. 1. (5) L. c.

consultum esse peccatorum deformitatem meditari, ut facilius detestationem concipiamus, exceptis tamen peccatis luxuriae, ut omnes admonent, ne eorum foetor maleficus animam inficiat. Dicit autem Tamb.[1] non esse inculcandum peccatori, ut specialiter doleat de peccato cui magis adhaeret, ne ex inductione ad illud magis detestandum poenitentem periculo exponat ad illi magis adhaerendum; sed merito ait Conc. [2] hanc doctrinam non esse sanam, quia poenitens, qui maiori passione afficitur erga aliquod peccatum, nisi inducatur ad specialem illius detestationem, remanente affectus radice, de facili ad vomitum redibit.

439. Quaer. 5. An ad consequendam gratiam in sacramento poenitentiae praeter dolorem requirantur etiam explicite actus fidei et spei. Affirmant Concina [3] Hurt. [4] et Torres [5] et alii, quia ex Trid. peccatores se parant ad iustificationem, *credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt .... fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Negant vero Bonacina [6] Azor. [7] et Escob. [8] cum Fill. et Mald., quia, ut dicunt, nulla sufficienti ratione probatur actus fidei et spei in confessione explicite requiri. At ipse Escob. et Lugo recte dicunt (has sententias optime conciliando) quod, cum quis accedit ad confessionem vere poenitens, necessario elicit explicite (non iam reflexe, sed quidem exercite) actus fidei et spei; cum enim accedit ad recipiendam remissionem suorum peccatorum, procul dubio explicite etiam credit virtute sacramenti illa sibi remittenda, et explicite sperat per sacramentum Deum remissurum sibi peccata propter merita Christi.

440. Quaer. 6. An ad rite suscipiendum sacramentum poenitentiae requiratur contritio vel an sufficiat attritio. Certum et commune est apud dd. non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem. Quaestio magna est an sufficiat attritio sine amore inchoato qui oriatur a caritate praedominante, quamvis remissa.

Prima sententia negat, et hanc tenent Iuenin. [9] Merbes. [10] Morin. [11] Habert [12] Antoine [13] et Con. [14] cum aliis. Rationes huius sententiae patebunt ex obiectionibus ad secundam sententiam quam sequimur.

Secunda sententia fere communis affirmat, et hanc tenent Canus [15] Gon. [16] Petr. [17] (qui asserit illustriores ex antiquis theologis huic adhaesisse) Tour. [18] Frassen. [19] Wig. [20] Cabass. [21] cum Val. Viguer. Tol. et Nav. Suar. [22] Laym. [23] Abelly [24] (cum communi ut ait) Lugo [25] (qui dicit contrarium post Trid. non esse amplius probabilem) Pal. [26] Bon. [27] Anacl. [28] Holzm. [29] (qui vocat moraliter certam) Ronc. [30] Elbel [31] Salm. [32] Viva [33] et Croix [24] cum aliis innumeris. Hi dicunt sufficere attritionem quae oriatur ex motivo honesto et supernaturali, nempe ex metu gehennae aut amissionis aeternae beatitudinis aut consideratione turpitudinis peccati lumine fidei cognitae, non tamen sine aliquo initiali Dei amore, absque eo quod sit praedominans. Huic sententiae aperte favet d. Th. [35] qui, postquam dixit, *quod per solam contritionem dimittitur peccatum, antequam absolvatur*, addit: *Quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequuntur.* Distinguit ergo s. doctor, prout pariter distinguit Tridentinum (ut mox videbimus), inter contritionem perfectam quae extra sacramentum iustificat, et imperfectam quae iustificat in sacramento, et haec non alia quidem debet intelligi quam

(1) Meth. conf. l. 1. c. 1. §. 2. n. 5. (2) P. 237. n. 13. (3) P. 166. n. 30. (4) D. 6. diff. 8. (5) De fide d. 32. d. 2. (6) D. 3. in praec. 1. q. 2. p. 2. n. 9. (7) L. 8. c. 7. q. 6. (8) L. 14. n. 105. (9) De sacram. poen. q. 2. c. 4. n. 2. §. 1. et 2. (10) P. 38. cons. 3. (11) Lib. 8. c. 4. n. 2. (12) De poen. c. 8. §. 4 (13) De contrit. q. 6. r. 2. (14) T. 9. p. 68. n. 1. (15) Prael. de poenit. p. 1. (16) Man. t. 6. p. 410. (17) T. 4. p. 103.

(18) Prael. theol. de poenit. q. 5. a. 3. concl. 2. et 5. (19) T. 10. p. 565. q. 2. (20) Tr. 15. n. 44. (21) Th. I. c. 6. n. 11. (22) De poenit. d. 15. s. 14. n. 12. (23) C. 2. n. 2. (24) C. 5. s. 10. (25) D. 7. n. 275. (26) P. 3. n. 3. (27) Q. 1. p. 2. (28) P. 595. n. 47. (29) N. 575. (30) C. 4. q. 1. (31) N. 60. (32) De poenit. c. 1. p. 5. n. 22. (33) Q. 3. art. 3. n. 7. (34) N. 375. (35) Quodlib. 4. art. 1.

attritio, sicut intelligitur et appellatur a Tridentino.

Prob. 1. ex eod. Trid.[1] ubi sic dicitur: *Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus s. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit.*

Obiiciunt adversarii, quod concilium (ut refert card. Pallavicinus) post magnam disceptationem delevit verbum *sufficit*, antea in decreto positum, et substituit verbum *disponit*; ideo dicunt attritionem sine caritate disponere quidem, sed non sufficere ad gratiam in sacramento suscipiendam. Sed respondetur 1. cum Gonet[2] quod illud *disponit* idem significat ac *sufficit*, nam ea dispositio non potest intelligi de dispositione remota, cum attritio etiam sine sacramento, quatenus est Dei donum, remote quidem disponat ad gratiam, sicut disposuit ninivitas ad impetrandam remissionem poenae, ut dicit concilium; ergo necessario intelligenda est de dispositione proxima ad gratiam in sacramento recipiendam. Et hoc patet, ut recte advertit auctor theol. pro usu sem. Petrocor.[3], ex illis verbis ut supra: *Et quamvis sine sacramento per se ad iustificationem perducere nequeat etc.* Ergo cum sacramento bene perducit, alias, si concilium intellexisset de sola dispositione remota, incongruenter et inepte protulisset quod attritio, quamvis sine sacramento nequeat iustificare, tamen cum sacramento ad iustificandum disponit; sed potius dicere debuisset quod attritio, licet sine sacramento non disponat ad gratiam impetrandam, disponit tamen cum sacramento. Verum patet Tridentinum hic loqui de dispositione proxima; dum distinguit duplicem dispositionem ad gratiam recipiendam, unam extra sacramentum quae est contritio perfecta, et cuius prius meminit, et aliam in sacramento quae est attritio, et de qua posterius loquitur. Si ergo concilium assignat contritionem perfectam ut proximam dispositionem ad gratiae consecutionem extra sacramentum, pariter assignat hic attritionem pro dispositione proxima ad gratiam in sacramento obtinendam. Praeterea concilium distinguit inter attritionem extra sacramentum, et hanc esse dicit donum Spiritus sancti viamque parare ad iustitiam, ac consequenter esse dispositionem remotam ad gratiam (sicut est quivis actus bonus), licet non sufficiat ad iustificationem; et inter attritionem intra sacramentum, et hanc vocat dispositionem ad gratiam in sacramento recipiendam: ergo hanc supponit dispositionem proximam, alias inutiliter distinxisset. Praeterea contritionem, quae est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, Tridentinum dicit esse materiam vel quasi materiam huius sacramenti; deinde, licet hanc contritionem in perfectam et imperfectam dividat, attamen cum utrique competat contritionis definitio, et utramque ut materiam assignet, sequitur quod etiam contritio imperfecta proxime disponat ad gratiam consequendam.

Id confirmatur patenter ab eodem concilio, ubi post relata verba statim subditur: *Quamobrem falso quidem calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam*

(1) Sess. 14, c. 4. (2) Man. loc. cit. (3) De poen. c. 5. q. 5

conferre. Nequaquam autem haeretici calumniabantur scriptores catholicos illos qui dicebant sacramentum poenitentiae gratiam conferre contritis, sed eos tantum qui dicebant conferre attritis; eo quod aiebant hos poenitentes non carere bono motu ac sufficienti dispositione ad gratiam in sacramento impetrandam. Sic enim Lutherus loquebatur (apud Frassen.[1]): *Tristitia ob foeditatem peccatorum, amissionem aeternae beatitudinis etc. facit hypocritam, imo magis peccatorem, et tales indigne absolvuntur*. Et deinde ibidem improbabat eos *qui vocant attritionem hanc proxime disponentem ad contritionem*. Verum s. synodus declarat falso his scriptoribus ab haereticis calumniam inferri: ergo horum sententiam concilium consequenter aperte ab illorum calumniis vindicando approbavit. Hinc testatur noster ss. papa Bened. XIV.[2] post Tridentinum omnes scholas nostram sententiam plausu excepisse. Quapropter non immerito Carden. Salm. Viva et Croix cum Tanner. Coninc. Praepos. Prado Salas Suarez Less. Raynaud Palao Spor. Fill. et aliis eam vocant moraliter certam, et oppositam post concilium dicunt omnem probabilitatem amisisse. Hic autem advertendum quod Alexander VII. die 5. maii 1667. prohibuit sub excommunicatione sedi apostolicae reservata, ne quis *audeat alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem*. Hoc tamen decreto non prohibetur quominus patroni alterutrius sententiae vocent suam veram sive certam: imo dicunt Lugo[3] Carden.[4] Croix[5] cum Hurt. Viva[6] et Holz.[7] non prohiberi quin opposita possit dici improbabilis et falsa, quia improbabilitas et falsitas non sunt censurae theologicae. Praeterquamquod pontifex, dicendo sententiam negantem dilectionis necessitatem in attritione esse communiorem inter scholasticos, videtur (ut apposite advertit p. Viva[8]) quod non solum illam toleravit, sed etiam quodammodo approbavit, saltem magnum pondus ipsi utique tribuit: cum enim ageretur de sententia quae pertinet ad valorem sacramenti, et testetur Alexander scholasticos eam communius excepisse, consequenter testatur in scholis ipsam communius haberi pro moraliter certa; neminem enim latet in materia sacramentorum illicitum esse sequi opinionem quae non sit vel tutior vel moraliter certa: saltem pontifex, si aliter intendisset, id simpliciter asserendo, magnam dedisset ansam errandi in re tam gravi et ad praxim spectante, prout est materia proxima huius sacramenti, unde tot animarum pendet salus.

Probatur 2. ratione, quia sacramenta id quidem efficiunt, et actu efficiunt, quod significant; cum autem hoc sacramentum ex Christi institutione sit sacramentum *mortuorum*, et per se primam valeat conferre gratiam, oportet (ut docet s. Th.[9]) ut sacerdos poenitentem absolvens ostendat illum absolutum non solum significative, sed etiam effective, id est, ut, ipso proferente formam absolutionis, verba illa non solum significent, sed etiam efficiant remissionem peccati. Hinc dicimus quod si attritio ad remissionem non sufficeret, et requireretur contritio, quae extra sacramentum hominem iustificat, omnes poenitentes deberent iustificati accedere ad hoc sacramentum. Nec valet dicere quod etiamsi poenitentes semper iustificati accederent, semper vi clavium peccata remitterentur, cum doceat Tridentinum, contritionem caritate perfectam non iustificare sine sacramenti voto (intellige explicito vel implicito); nam respondetur quod si hoc esset, numquam ve-

(1) T. 10. p. 564. (2) De syn. l. 7. c. 13. n. 6. (3) De fide d. 20. n. 104. (4) In 1. crisi d. 9. n. 297. (5) L. 1. n. 99. (6) In prop. 15. Alex. VIII. n. 33. (7) N. 542. v. Dixi. (8) In d. prop. 15. n. 33. (9) P. 3. q. 84. art. 3. ad 5.

rificaretur sacramentum poenitentiae actu efficere quod significat, scilicet absolutionem peccatorum. Praeterea respondetur ex *can. Si presbyter* 12. *et can. Agnovimus* 13. *caus.* 26. *q.* 6. quod Iulianus et Coelestinus papae dicunt, sacerdotem negantem absolutionem morienti eam postulanti causam esse illius damnationis; ergo supponunt pontifices, quod esto moriens haberet votum sacramenti, et dispositus esset ad absolutionem, tamen ob eius negationem damnaretur; ergo absolutio actu peccata remittit.

441. Hoc non quidem negant ipsimet adversarii, sed dicunt (et signanter Sylv.[1]) quod peccatum extra sacramentum remittitur tantum per contritionem perfectam, nempe quae oritur ex caritate intensa, non autem per contritionem quae oritur ex caritate remissa, sive per attritionem ortam ex amore inchoato, qui, licet sit praedominans, sit tamen remissus. Sed respondetur quod omnis dolor qui oritur ex caritate praedominante est contritio iustificans hominem extra sacramentum; ut communiter docent dd. citati, ex d. Th. qui pluribus in locis id non obscure docet; etenim[2] sic ait: *Contritio, ut saepe dictum est, habet duplicem dolorem; unum rationis, qui est displicentia peccati commissi, et hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiet ad rationem contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio a fine; sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem caritatis; alium dolorem habet in sensu, et parvitas huius non impedit rationem contritionis; quia non se habet per se ad contritionem, sed quasi ex accidente ei adiungitur; et iterum non est in potentia nostra.* Deinde sic concludit: *Sic ergo dicendum, quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergo ex d. Th. ille, cui displicet separatio a fine, iam habet contritionem sufficientem ad peccatum delendum; ille autem qui habet contritionem ortam ex caritate praedominante, iam e magis displicet peccatum, quia est separatio a fine; ergo iam hic consequitur remissionem peccati. Nec valet dicere quod s. doctor loquatur hic de dolore requisito in sacramento poenitentiae. Quamvis enim hic loquatur de partibus huius sacramenti, tamen, loquendo de contritione, generaliter de ipsa loquitur tamquam virtute, prout faciunt auctores, qui agendo de dolore requisito ad sacramentum poenitentiae, agunt etiam de contritione in genere. Unde s. Th. ibi proponit quaestionem, *utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.* Et inde resolvit: *Quaelibet contritio est gratia gratum faciens informata; ergo, quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* Nullum hic neque in toto articulo verbum facit s. doctor de sacramento poenitentiae; cur ergo ipsius doctrina est restringenda ad contritionem in sacramento? Deinde, quod ipse loquatur de contritione in genere, patet ex quaestionibus quas antecedenter proponit, nempe: *An contritio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi. An sit actus virtutis. An contritio debeat esse de peccato originali. An tota vita sit tempus contritionis. An in alia vita animae conterantur de peccatis.* Subiecta horum dubiorum reduci quidem non possunt ad contritionem uti materiam sacramenti. Praeterea, quod s. Th. fuerit pro hac sententia, nempe quod omnis contritio deleat peccatum extra sacramentum, patet ex illo quod dicit alibi[3]: *Ad rationem verae poenitentiae requiri, ut detestetur peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Item ex textu supra allato[4] ubi (ut retulimus) ait, *quod per solam contritionem dimittitur peccatum... sed si antequam absolvatur habeat hoc sacramentum in voto, iam virtus clavium operatur in ipso, et consequitur remissionem culpae.* Ergo semper ac loquitur s. doctor absolute de dolore qui ad rationem contritionis pertingit, sem-

(1) In suppl. d. Th. q. 3. a. 1. (2) Supp. q. 3. a. 3. (3) 3. p. q. 86. a. 3. (4) Quodl. 4. art. 1.

per intelligit per ipsum remitti peccatum extra sacramentum.

442. Quod autem quaevis contritio orta ex caritate praedominante, licet remissa, deleat peccatum, probatur 1. ex Trid. [1] ubi dicitur: *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu recipiatur, etc.* Ergo dolor caritate perfectus iam peccatorem iustificat ante susceptionem sacramenti. Adversarii tamen legunt contritionem, non *caritate perfectam*, sed *caritatem perfectam*, ex quo inferunt concilium loqui de caritate intensa. Sed ego et Petroc. Frassen. ac Lugo legimus in pluribus exemplaribus *caritate perfectam*. Et sic verosimilius legendum videtur, nam tò *perfectam* respicit proprie non caritatem sed contritionem, cum hic dividat concilium contritionem in perfectam et imperfectam, prout legenti patet. Imo esto tò *perfectam* respiceret caritatem, non sequitur quod conc. ad iustificationem extra sacramentum requirat caritatem intensam; nam caritas praedominans, adhuc remissa, etiam est perfecta caritas, quamvis intensa sit perfectior; perfectio enim aut imperfectio caritatis, ut bene ait Tour.[2], non sumitur ex intensione aut remissione, sed ex motivo a quo oritur: hinc perfecta caritas est quae oritur ex motivo bonitatis Dei, imperfecta autem ex motivo boni a Deo consequendi. Ergo si concilium dixisset *caritatem*, non *caritate*, utique vocasset *caritatem perfectam* ad distinctionem imperfectae sive inchoatae, quae (ut infra dicemus) non pertingit ad caritatem praedominantem. Hinc facultas paris. ann. 1560., ut refert Tour.[3], damnavit hanc propositionem: *Per contritionem, non addhibito realiter sacramento, non dimittitur peccatum extra casum martyrii aut necessitatis.* Item clerus gallicanus in comitiis generalibus an. 1700. (apud eumd. Tourn. [4]) declaravit: *Haec duo ex s. synodo tridentina monenda et docenda esse: primum, ne quis putet in sacramento requiri ut praeviam contritionem illam, quae sit caritate perfecta, et quae, antequam suscipiatur, hominem Deo reconciliat.* Item eadem facultas paris. anno 1638. notavit censura librum cuiusdam Claudii Seguenotii, dicens: *Quae tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta caritate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum poenitentiae, et quae addit de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio peccati iam remissi, damnavit facultas, et censuit illas propositiones esse praxi ecclesiae contrarias, efficaciae sacramenti poenitentiae imminutivas, et insuper temerarias et erroneas.* Ut autem notat Tourn. [5] praedictus auctor non iam loquebatur de contritione intensa, sed tantum de remissa ex motivo caritatis, cum hanc distinguebat a dolore ex motivo gehennae.

Quod autem omnis contritio deleat peccata probatur, quia actus contritionis est formalis actus caritatis erga Deum, sive intrinsece coniunctus cum caritate, ut communiter docent Salm.[6] cum s. Bonav. Scoto Pal. Alensi etc. Croix [7] cum Lugo Aversa Bosco et Gorm. ex d. Th. [8]. Nec videtur id posse dubitari, nam peregregie loquitur p. Frassen. [9] dicens quod in substantia contritio non est imperfectior caritate, utraque enim tendit in Deum, sed diverso modo; caritas tendit in Deum per modum consecutionis, ut summum bonum; contritio vero per modum fugae, quatenus homo detestatur peccatum ut summum malum, utpote Deo oppositum. Caritas tendit immediate in Deum, et mediate in odium peccati; contritio autem immediate in odium peccati, et mediate in amorem Dei. Unde concludit quod contritio sit actus formalis caritatis, cum propter Dei dilectionem homo odit peccatum. Praeterea, cum contritio

(1) Eod. c. 4. sess. 14. (2) Praelect. theol. de poenit. q. 3. art. 1. concl. 5. (3) Loc. cit. art. 2. (4) Ibid. (5) Dict. l. c. infra

(6) De poen. c. 1. p. 4. n. 15. (7) L. 6. p. 2. n. 727. (8) 3. p. q. 85. art. 6. et q. 86. art. 3. (9) T. 10. n. 534.

ex solo motivo caritatis oriatur, non potest contritio existere, nisi praecedat simulque coexistat caritas; nam contritio nihil aliud est quam dolor de peccato, quatenus offensa Dei summe dilecti; unde qui conteritur, necesse est ut exercite, etsi non reflexe, actum caritatis eliciat, et ideo s. Th.[1] dixit: *Actus et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae.*

Posito igitur quod contritio sit etiam vera caritas, sive necessario cum caritate coniuncta, necessario etiam dici debet quod remittat peccatum. Patet minus luculenter ex divinis scripturis, quod qui Deum diligit, iam particeps est amicitiae Dei, prout: *Ego diligentes me diligo*[2]. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*[3]. *Caritas operit multitudinem peccatorum*[4]. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*[5]. Hinc d. Augustinus[6] dixit: *Timor medicamentum, caritas sanitas est.* Et[7]: *Caritas efficit filium Dei.* Item[8]: *Deum non vides, ama, et habes.* Et[9] agens de caritate, dicit: *Quam cum habere coeperit homo Spiritum s. habebit.* S. Ioan. Chrysost.: *Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala.* Et apertius id docet s. Th.[10] qui ait: *Caritas non potest esse cum peccato mortali.* Et quod hic s. doctor non loquatur de caritate intensiva, sed de sola caritate praedominante, patet ex eo quod ipsemet dixit *qu.* 24. *art.* 12., ad quam se remittit, ubi inquit: *Quilibet actus peccati mortalis contrariatur caritati secundum propriam rationem, quae consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia.* Unde immerito p. Concina dicit quod s. doctor illam caritatem intelligit non posse esse cum peccato, quae est in gradu intenso, cum dicat s. Th.[11]: *Amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis.* Nam respondetur quod hic d. Th. nihil aliud vult intelligere, nisi quod si amor est ita debilis, ut nondum attingat obiectum caritatis, scilicet nondum diligat Deum super omnia, haec non est vera caritas, sed initium caritatis; si vero sufficit ad rationem caritatis, quae consistit in dilectione Dei super omnia (ut supra explicavit *dict. q.* 24. *art.* 12. ubi: *Quilibet, etc.*) haec quantumcumque sit remissa, est vera caritas, et hanc dicit non posse esse cum peccato mortali. Et ratio evidens est, quia sicut quaecumque aversio a Deo tamquam a fine ultimo, etiam in gradu remisso, sufficit ad amittendam Dei amicitiam, ita quaecumque vera conversio sufficit ad eam recuperandam; ex illo: *Convertimini ad me, et convertar ad vos*[12]. Et alio: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*[13]. Unde Bellarminus[14] ait: *Actus dilectionis Dei super omnia opponitur peccato, et expellit illud efficienter, unde sine miraculo non potest actum dilectionis Dei super omnia manere peccatum.*

Id clare confirmatur ex prop. 32. Michaelis Baii damnata a Gregorio XIII. quae dicebat: *Caritas illa quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Certum est apud omnes, quod caritas requisita ad implendam legem non oportet ut sit intensa, sed sufficit si pertingat ad diligendum Deum super omnia. Quidquid enim dicat Iuenin.[15] requirens caritatem intensam ad implendum praeceptum amoris, ex illo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.*; communiter tamen theologi oppositum tenent cum d. Th.[16], qui explicans illud *ex toto corde* quomodo sit intelligendum sic ait: *Cum mandatur quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quod Deum super omnia debemus diligere.* Et[17]: *Ad veram caritatem satis esse, quod homo habitualiter totum cor suum ponat in Deum, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinae dilectioni sit contrarium: et haec perfectio communis est omnibus caritatem habentibus.* Ergo perfectio

(1) 3. p. q. 85. a. 6. (2) Prov. 8. (3) Io. 14. (4) 1. Petr. 4. (5) 1. Io. 4. (6) Tr. 9. in Io. (7) L. 1. contra 2. epist. Pelag. c. 2. c. 12. (9) Tr. 9. in Io.

(10) 2. 2. q. 45. a. 4. (11) Suppl. q. 5. a. 3. (12) Zach. 1. (13) Ezech. 33. (14) T. 4. p. 347. (15) Instit. th. t. 6. p. 333. (16) 2. 2. q. 44. a. 3. ad 2 (17) Ibid. q. 24. a. 8

caritatis in hoc consistit, quod homo diligat Deum super omnia, et nihil velit contrarium divinae dilectioni; ut patet ex illo [1]: *Qui servat verbum Christi* (scilicet legem implet), *vere in hoc caritas Dei perfecta est*. Hinc certum est caritatem praedominantem, licet remissam, legem implere, ut communiter cum d. Thom. ut supra, docent Suar. [2] Sanch. [3] Bon. [4] cum Val. et Reg. et ipse Habert [5], esto ipse sit contrariae sententiae quoad sufficientiam attritionis, hoc tamen non negat, nempe sufficere ad impletionem praecepti caritatem remissam, modo sit praedominans, cum nullum sit praeceptum (ut ait) de intensione caritatis; nam alias Deus praeciperet rem impossibilem, cum non sit in nostra potestate intensam caritatem habere; nisi dicere velis cum Cont. Tour.[6] quod quisquis habet amorem Dei praedominantem, necessario habet etiam amorem intensivum (rationalem, non iam sensitivum) praedominantem, qui bene sufficit ad implendum praeceptum. Sed si intensio amoris sic intelligatur, quaestio est tantum de nomine. Caeterum certe praeceptum implet, qui habet caritatem appretiative praedominantem. Et hanc caritatem dicebat Baius posse esse coniunctam cum peccato, et hoc damnatum est. Aiebat enim Baius: *Caritas illa quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum*. Ergo, ut recte dicit magister meus illustrissimus et doctissimus episcopus Tornus, propositio opposita tenenda est, nempe *caritas illa quae implet legem semper est coniuncta cum remissione peccatorum*. Nec valet dicere quod propositio fuerit proscripta respectu ad caritatem habituaem, nempe cum quis est in gratia, non vero respectu ad caritatem actuaiem: nam bene respondet Lugo [7] quod Baius loquebatur de caritate quae est plenitudo legis, de qua loquebatur apost. *ad Rom.* 13. Hinc non dubitandum quin Baius locutus fuerit non de habitu caritatis sive de gratia iustificante, sed de actu dilectionis; per solum enim habitum non impletur lex, sed per actum, cum lex non habitum praecipiat, sed actum caritatis, ut dd. communiter dicunt, quia habitus non cadit sub praecepto, et praecepta non implentur nisi per actus. Id confirmatur ex propos. 70. damnata eiusdem Baii, quae dicebat: *Homo existens in peccato mortali potest habere veram caritatem; et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis*. Baius igitur hic distinguebat caritatem veram a perfecta; per tò *etiam perfecta* (nota sedulo illud additum *etiam*) utique intelligebat caritatem intensam, et per tò *veram*, caritatem remissam, quae sine dubio vera caritas est, cum maius et minus non varient speciem: et utraque pars propositionis damnata est. Nescio quomodo his responderi possit.

Ex his omnibus congestis patet, oppositam sententiam quae dicit contritionem cum caritate remissa non iustificare extra sacramentum, esse omnino improbabilem et falsam; unde dicit Lugo [8] eam ab omnibus theologis communiter reiici, imo apud ipsum [9] Coninch. vocat erroneam, Vasq. contra sententiam catholicam, Alphonsus Curiel parum tutam in fide, alii vero temerariam et scandalosam: temerariam, quia in re gravissima discedit ab omnibus theologis et communi sensu ss. patrum: scandalosam vero, quia removet homines a saepius procuranda contritione. Et ideo testatur Gonet [10] quod Sylvius, licet prius oppositam sententiam tutatus fuisset, postea tamen se retractavit: *Eo quod* (ait Gonet) *apertissime talis sententia contradicat variis scripturae et conciliorum ac ss. patrum testimoniis*.

Obiiciunt autem 1. contra nostram sententiam de sufficientia attritionis: Peccator aversus a Deo non potest ad

(1) 1. Io. 2. 5. (2) De poenit. d. 4. n. 7. (3) Dec. l. 2. c. 3. et 5. (4) De 1. praec. d. 3. q. 4. p. 1. a. 2. (5) T. 3. p. 652. v. Distinguo. (6) De praec. dec. c. 1. a. 3. de carit. sect. 4. punct. 1. concl. 1. v. Sub init. (7) D. 5. n. 101. (8) D. 5. n. 99. (9) N. 115. (10) D. 5. n. 27.

Deum converti, nisi per caritatem formalem et actualem. Respondetur: Hoc siquidem requiritur extra sacramentum, et ratio est quia sicut per peccatum, quod est actualis contemptus Dei, homo avertitur a Deo, ita per amorem actualem debet se ad Deum convertere. Aliud vero dicendum de remissione peccatorum intra sacramentum, quia cum sacramentum virtutem habeat delendi peccatum, et nonnisi per infusionem gratiae, quae est ipsa caritas habitualis, sufficit ad gratiam obtinendam, ut peccator per attritionem sit dispositus ad sacramentum recipiendum, virtute cuius sine caritate actuali convertitur ad Deum, prout extra sacramentum per caritatem converteretur. Et sic intelligitur quomodo peccator ex attrito fit contritus, nempe quia virtute clavium aequivalenter contritus redditur, prout dicunt fautores nostrae sententiae communiter ex d. Thoma [1] qui docuit: *Aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequuntur*

Obiiciunt 2. Qui dolet de peccato propter poenam, magis odit poenam quam peccatum; unde si non habeat caritatem non potest Dei gratiam adipisci. Respondetur distinguendo: Qui actu magis odisset poenam quam culpam ex timore qui dicitur serviliter servilis, adeo ut ille peccare vellet, si non esset poena puniendus; hic non solum non eliceret actum bonum, sed positive malum, quia non excluderet a suo dolore voluntatem peccandi. Qui vero odit culpam propter poenam, et excludendo omnino voluntatem peccandi, dolet offendisse Deum propter metum inferni, iste iam elicit actum bonum qui oritur ex caritate ordinata erga seipsum (ut declaravit Tridentin. et confirmavit Alexander VIII. damnando prop. 16. quae dicebat: *Attritio quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus et supernaturalis*); et ideo iam se dispositum reddit ad gratiam in sacramento consequendam.

Obiiciunt 3. Ad quamcumque iustificationem omnino requiritur saltem principium dilectionis; prout declaravit Trident. [2] ubi dixit quod peccatores, dum ad iustificationem disponuntur, *Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* Respondetur: Non negamus ad iustificationem requiri initium amoris; nec negamus illud requiri etiam in sacramentis mortuorum, dum concilium ibi agit praesertim de iustificatione per baptismum. Sed qualis, quaeso, amor a concilio requiritur? Numquid perfecta caritas? vel an tantum initium caritatis? Hic refert advertere id quod testatur card. Pallav. [3], nempe quod aliqui patres concilii, vice tò *diligere incipiunt*, contendebant quod adderetur, *per actum caritatis:* sed huic concilium restitit, et confirmavit ut poneretur tantum *diligere incipiunt.* Cur restitit? nisi quia iudicavit non requiri ad iustificationem in baptismo (sive in sacramento poenitentiae, haec enim sacramenta pari passu procedunt) actum perfectae caritatis. Hoc autem initium amoris, ut bene docent Gammach. [4] Frassen. [5] Petroc. [6] et Tourn. [7], iam habetur in attritione, quam supra descripsimus: Primo per timorem divinae vindictae, iuxta illud [8]: *Timor Dei initium dilectionis eius.* Secundo per spem veniae, cum in ipso Tridentino dicatur [9] quod bene se disponunt ad gratiam, qui Deum incipiunt diligere *tamquam omnis iustitiae fontem*, id est tamquam iustificationis omnium auctorem. Tertio per spem beatitudinis aeternae, cum doceat d. Thom. [10], loquens de spe theologica, eam esse quidem initium amoris erga Deum, his verbis: *Ex hoc .... quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum no-*

(1) Cit. Quodlib. 4. a. 1. (2) Sess. 6. cap. 6.
(3) Hist. conc. Trident. l. 8. c. 15.
(4) In 3. p. de poenit. c. 9.
(5) T. 10. p. 363. q. 2. (6) T. 4. p. 112. q. 3.
(7) Prael. theol. de poenit. q. 5. a. 3. concl. 2.
(8) Eccl. 25. 16. (9) L. c. (10) 1. 2. q. 40. a. 7.

strum, et sic incipimus ipsum amare. Unde idem s. doctor [1] inquit: *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur...; imperfectus..., quo quis amat aliquid ..., sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat.* Haec autem omnia (ut dicunt aa. citati et alii) necessario in attritione includuntur, dum qui cum illa et spe veniae ad sacramentum accedit, iam Deum ut suum liberatorem, iustificatorem et glorificatorem diligere incipit.

Nec valet dicere quod ille qui diligit Deum propter bonum suum, seipsum diligat, non Deum; nam sapienter respondet s. Franciscus Salesius [2] dicens, quod si quis diligeret Deum propter suum bonum, et ita affectus esset, ut si a Deo nihil speraret, eum nullo modo diligeret, hic utique peccaret quia positive excluderet caritatem; tunc enim non se converteret ad Deum, sed revera ab illo se magis averteret, cum perverse ordinaret Deum ad seipsum tamquam ad finem ultimum. Qui vero amat Deum tamquam sibi summum bonum, et excludit omnem voluntatem peccandi, tunc elicit actum bonum supernaturalem; et licet non habeat caritatem perfectam, illam tamen non excludit, eamque iam incipit habere, et aliquo modo ad Deum se convertit.

Caeterum, quis negat esse omnino expediens ut poenitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis perfectae, utque confessarii studeant semper eos ad illam excitare, ut tutius illi divinam gratiam consequantur? Verum nostra sententia utique proderit, ut si quis accedat cum sola attritione, non se retrahat ab hoc sacramento, et confessarius eum non reiiciat tamquam indispositum.

443. Quaeritur 7. An in confessione sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium prout infliguntur a Deo.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lugo [3] Suar. [4] Sporer [5] Anacl. [6] Viva [7] Elb. [8] qui cum Gob. vocat moraliter certam, item Gran. Reg. Moia Aversa etc. cum Croix [9] qui vocat probabilissimam. Ratio, quia Trid. [10] inter motiva attritionis ad sacramentum sufficientis dicit *ex metu gehennae et poenarum:* ubi per tò *gehennae* intelligitur poena aeterna, per tò autem *poenarum* videtur intelligi poena temporalis, cum ibi concilium adducat exemplum poenitentiae ninivitarum, quae concepta fuit ob metum excidii suae civitatis: sicut enim Deus comminatur poenas aeternas, sic temporales ad peccatores absterrendos.

Secunda sententia vero negat, et hanc tenent Conc. [11] Canus [12], item Hurtad. Pasq. apud Diana [13]. Et Card. [14] dubitat an prima sententia sit moraliter certa. Ratio quia licet Trident. dicat ex metu *gehennae et poenarum*, non tamen distinguit gehennae vel poenarum; unde probabiliter ponit utrumque pro eodem; cum enim poena peccati mortalis sit aeterna, de malo aeterno poenitens timere debet. Prima sententia videtur probabilior; nam gehenna cunctas complectitur aeternas poenas, et ideo, dicente concilio, et *poenarum*, aliquid aliud praeter poenam aeternam intelligendum est. At cum secunda non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto tutius in praxi eam servandam esse.

444. Quaeritur 8. An possit dari sacramentum poenitentiae validum et informe. Casus esset, nempe si quis duo mortalia commiserit, unum furti, alterum periurii; deinde memor tantum furti, de ipso dumtaxat confitetur, dolens non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis supernaturalis quam habet furtum; quaeritur an hic, licet gratiam non recipiat, valide tamen confiteatur, ita ut sacramentum, sublato obice, nempe detestato peccato oblito, reviviscat ad causandam gratiam, nec postea sit obligatio repetendi peccatum iam confessum, sed solum omissum.

(1) 2. 2. q. 17. a. 3. (2) De amore Dei c. 17. (3) Dist. 5. n. 157. (4) Dist. 7. sect. 2. n. 15. (5) N. 242. (6) N. 42. (7) In prop. 15. Alex. VIII. n. 12 (8) N. 59. (9) N. 334. (10) Sess. 14. c. 4. (11) P. 256. n. 11. (12) Prael. de poenit. p. 5. (13) P. 9. tr. 9. res. 51. (14) In prop. 1. Innoc. XI. n. 72

Prima sententia negat, et hanc tenent Elb. [1] Conc. [2] Felix Potest. [3] cum Scoto Holzm. [4] cum Bosco Sporer Mastrio Gallensi et scotistis communiter; item Vasq. Laym. Con. Sa etc. apud Croix [5]. Ex istis autem alii (ut Vasq. Potest. et Elbel) dicunt tale sacramentum esse validum et formatum, id est cum effectu gratiae. Ratio quia cum poenitens doleat, ut divinam recuperet amicitiam, licet doleat ex speciali motivo turpitudinis furti, tamen eius dolor virtualiter se extendit ad omnia mortalia oblita, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentae; ac proinde si dolet de turpitudine specifica, debet etiam dolere de generica, quae talem reconciliationem impedit. Alii vero e converso (ut Holzm. etc.) dicunt tale sacramentum esse non solum informe, sed etiam invalidum. Ratio quia in Tridentino [6] habetur quod dolor dicitur pars huius sacramenti, quatenus operatur remissionem peccatorum; ergo si dolor ille particularis remissionem non causat, nunquam erit materia apta ad sacramentum, ac proinde sacramentum erit semper invalidum.

Secunda sententia vero probabilior affirmat, et hanc tenent Lugo [7] Suar. [8], item Tolet. Val. Fill. Bon. Tann. Esc. etc. cum Croix [9] ac Gonet [10] cum aliis thomistis communissime ex d. Th. [11], cuius verba retulimus *n.* 87. Hi enim aa. dicunt talem poenitentem non consequi gratiam, quia ex una parte unum mortale non potest remitti sine alio; et ex altera, cum peccator doleat tantum ex motivo particulari turpitudinis furti, non potest obtinere remissionem periurii, cuius non meminit nec dolet. Dicunt tamen huiusmodi sacramentum esse validum, quia nulla deest pars essentialis ad valorem: non confessio, cum fiat integra eorum peccatorum quae memoriae occurrunt: non dolor, cum iam adsit circa peccatum confessum: nec absolutio, utsupponitur; unde nihil obstat quominus tale sacramentum validum dici possit. Ad primam autem rationem respondetur quod ille virtualis dolor qui supponitur quoad periurium oblitum (inclusus in illa detestatione specifica furti confessi) non est sufficiens materia sacramenti, cum nullo modo tunc fiat sensibilis, neque per confessionem neque aliunde. Ad secundam rationem respondetur quod concilium loquitur de eo quod per se et ordinarie contingit, non autem de eo quod per accidens et raro evenit. Caeterum semper consultum est ut dolor eliciatur ex motivo generali; imo et necessarium, casu quo homo advertit posse habere in anima alia mortalia oblita.

445. Quaeritur 9. An actus doloris debeat praecedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Laym. [12] Pal. [13], item Concina et Bonasp. apud Conc. [14]. Ratio, tum quia dolor tamquam materia huius sacramenti debet esse sensibilis, nec alias, nisi per confessionem sensibilis efficitur: ergo, si confessionem subsequitur, non est materia apta, tum quia confessio non debet esse simplex narratio, sed accusatio dolorosa, directa ad remissionem peccati obtinendam, et ideo oportet ut sit a dolore informata.

Secunda sententia vero communior negat, eamque tenent Suar. [15] Bonac. [16] Lugo [17] Nav. [18] Holz. [19], item Dic. Tol. Fill. Maior. Henr. Fag. etc. ap. Salm. [20] et Conc. [21] valde probabilem putat, favetque rituale rom. [22] dicens: *Audita confessione* (confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur etc.* Ex hoc videtur rituale supponere quod bene sufficit dolor post confessionem elicitus. Sed recte aiunt Salm. [23] quod haec secunda sententia sensu quo eam explicant Suarez et Dicastillus a prima non discrepat; Laym. enim, Coninch. et Palaus nihil aliud exigunt, nisi quod

(1) N. 82. (2) P. 351. (3) De poenit. n. 2082. (4) N. 506. (5) N. 672. (6) Sess. 14. c. 5. (7) Dist. 14. n. 65. (8) D. 20. sect. 4. n. 26. (9) D. n. 672. (10) D. 10. a. 1. (11) Suppl. q. 9. a. 1. et in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. (12) c. 4 n. 31. (13) P. 7. n. 11. (14) P. 232. n. 3. (15) Disp. 20. s. 4. n. 31. (16) Part. 2. n. 18. (17) Dist. 15. n. 13. (18) Man. c. 1. n. 22. (19) N. 508. (20) De poenit. c. 5. p. 1. n. 24. (21) Loc. cit. (22) De sacr. poenit. (23) Ibid. n. 26.

confessio non sit mera peccatorum narratio, sed sit accusatio sui ipsius ad absolutionem obtinendam. En verba Laymanni, quem sequitur Palaus: *Requiritur ut dolor aliquo modo antecedat confessionem, quia externa peccatorum confessio debet procedere ab interna poenitentia, eamque significare; quandoquidem materia sacramenti non est mera peccatorum explicatio, sed accusatio sui ipsius tendens ad absolutionem, ut explicat Coninchius.* Deinde ipse Laym. cum Palao sententiam Suarii sectando, addit: *Ad hoc vero* (nempe ut confessio sit sacramentalis) *necessarium est ut dolor animi post peccatorum narrationem habitus aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram sacerdote, et absolutionem petendo seu expectando; tale enim signum relatum ad peccata paulo ante explicata veram rationem sacramentalis accusationis habet.* Non igitur hae sententiae sunt duae, sed una; in tantum enim Layman et alii requirunt ut confessio sit dolorosa, sive quod dolor confessionem praecedat, in quantum exposcunt, ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem accusationis sacramentalis; et ad hoc sufficit ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem seu expectationem absolutionis, sic etenim confessio bene sacramentalis evadit. Addunt vero Salmantic. [1] quod tantum ad sedandos scrupulos solent confessarii si de interna dispositione poenitentis dubitent, excitare illum ad dolendum de peccatis paulo ante explicatis, quod fit, si dicatur: *De peccatis narratis doleo et me accuso* [2].

446. Quaeritur 10. Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum sacramentum. Suarez [3] et Escob. [4] cum Soto Hurt. et Candido censent sufficere dolorem, qui longo tempore confessionem praecesserit, modo non sit retractatus. Sed merito hos non approbat p. Concina [5]. Alii autem, ut Carden. [6] Holz. [7] et Diana [8] cum Praep. et Gran., dicunt sufficere dolorem praecedentem per unum diem, modo fuerit elicitus in ordine ad confessionem: cum enim confessio sit effectus illius doloris, dolor virtualiter perseverat. Consentit Ronc. [9] etiamsi dolor praecesserit per aliquot dies, dummodo (ut hic auctor ait) virtualiter perseveret in aliquibus mediis, puta si poenitens ex vi concepti doloris perstiterit in frequenti oratione, fuga occasionum, poenitentiis etc. Sed Croix [10] sentit quod si post dolorem elicitum poenitens ad diversa se converterit, vel per moram notabilem animo ad alia se distraxerit, in praxi breviter dolor sit renovandus. Hoc tamen videtur potius ut consilium sequendum, quam ut praeceptum, cum communiter doceant dd. cum p. Conc. bene esse aliquam analogiam inter forum civile et sacramentale; unde bene potest intercedere aliquod spatium inter discussionem causae et sententiam, sed non tanta, quanta in foro civili [11].

447. Quaeritur 11. An, ut dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confessionis. Negant Lugo [12], item Spor. Moya Gob. etc. apud Conc. [13] ac probabile putat Tamb. [14]. Ratio, tum quia ex Trid. [15], illa attritio dicitur disponere ad impetrandum gratiam in sacramento, quae voluntatem peccandi excludit cum spe veniae; quae omnia verificantur in casu nostro: tum quia tunc dolor, licet non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti,

(1) Cit. n. 26. (2) In Hom. Ap. tr. 16. n. 19. Sicut in prioribus huius theologiae moralis editionibus sententiam affirmativam probabilem tenet ac propterea in praxi sequendam, ast postea mutasse suam sententiam videtur, concilians utramque opinionem et ostendens confessionem dolorosam evadere posse, etsi actus doloris confessionem ipsam non praecesserit. (3) Dist. 20. sect. 4. n. 29.
(4) L. 14. n. 121. (5) P. 233. n. 4.
(6) In prop. 1. Innoc. xi. p. 65. n. 88.
(7) N. 510. (8) P. 5. tr. 14. r. 67.
(9) C. 3. q. 2. r. 2. (10) N. 706.
(11) Ego vero non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum dolore semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione aut ad votum aut poenitentiam implendam, confiteretur. Hom. Ap. tr. 16. n. 20.
(12) Dist. 14. n. 37. (13) P. 232. n. 2.
(14) L. 1. c. 2. (15) Sess. 14. c. 4.

ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod tunc adhuc verificatur dolor patefieri per confessionem. Affirmant vero Bus. supra, Bon. [1] Conc.[2] (Citatur etiam pro hac sententia p. Suar. [3], sed Lugo [4] ostendit, quod Suar. est potius pro sua sententia). Ratio quia sicut minister aut etiam suscipiens alia sacramenta debet per intentionem ordinare materiam ad sacramentum, prout ablutionem ad baptismum vel tactum materiae ad ordinationem, ita etiam suscipiens sacramentum poenitentiae debet ad illud ordinare dolorem, qui est huius sacramenti materia. Prima sententia est probabilior, sed cum secunda etiam sit probabilis, ante susceptionem sacramenti tutius docet Card.[5] hanc esse sequendam.

448. Quaeritur 12. An si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem.

Prima sententia communior negat, et hanc tenent Lugo [6] Anacl. [7] Viva [8] cum Perez Henr. et communi, Roncaglia [9] qui vocat moraliter certam. Sporer [10] Elbel [11] putat probabilissimam cum Gob. Dic. Henr. Bosc. etc., item apud Croix [12] Ledesm. Salas Escob. et Moya, qui dicit esse indubitatam apud omnes, sed immerito ut videbimus. Ratio quia prior dolor se extendit etiam ad peccata oblita, quae dum poenitens immediate confitetur, fit unum moraliter; recte enim potest una materia proxima partialis plura constituere sacramenta; unde sicut cum una aqua plures possunt fieri baptismi, ita cum uno dolore qui adhuc perseveret (ut hic supponitur) plura possunt constitui sacramenta poenitentiae.

Secunda sententia vero affirmat, et hanc tenent Bon.[13] Vasq.[14] Fill.[15]. Ratio quia per primam absolutionem iam completum est iudicium; ergo si impertienda est nova absolutio, nova requiritur materia proxima. Et quamvis dolor in se moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; ut enim supra diximus in praecedenti quaest. 11. probabiliter ad valorem sacramenti requiritur ut dolor non solum sit elicitus, sed etiam elicitus in ordine ad absolutionem. Cum ergo haec secunda sententia sit probabilis, imo probabilior, in praxi omnino sequendam esse dicunt Croix [16] et Conc.[17], saltem tutius censeo tenendam [18].

449. Quaeritur 13. Quomodo eliciendus sit dolor in confessione venialium. Certum est, quod etsi extra sacramentum *sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad eius remissionem*, ut docet d. Th.[19], tamen in sacramento omnino requiritur dolor formalis, nec sufficit virtualis, ut communiter docent dd. cum Ronc.[20] Conc.[21] et Croix[22] (contra paucos) ex d. August. [23] qui scripsit: *Nec quemquam putes a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire.*

Sed dubitatur 1. an sit mortale confiteri venialia sine ullo dolore. Negant Natalis Alex. [24] Iuenin. [25] et Genet. [26], et dicunt non esse nisi veniale suscipere sacramentum sine certo dolore, quando materia tantum levis affertur in confessione, et abest animus profanandi sacramentum; quia, ut supponunt, frustrare sacramentum in materia levi, non est nisi levis irreverentia. Sed per quantum huic opinioni acquiescere conatus sim, non potui, cum haec sententia opposita sit communi theologorum, ut videre est apud Croix [27] Antoine [28] et Lugo [29], qui primam senten-

(1) Q. 3. p. 2. n. 17. (2) L. c. (3) Dist. 20. sect. 4. n. 29. (4) L. c. (5) In prop. 1. Innoc. XI. (6) Dist. 14. n. 27. (7) N. 72. (8) Q. 3. a. 3. n. 8. (9) C. 3. q 3. (10) N. 500. (11) P. 214. n. 75. (12) N. 707. (13) Part. 4. n. 1. (14) Q. 92. art. 3. dub. 5. n. 10. (15) Tr. 6. n. 77. (16) N. 712. (17) P. 234. n. 5. (18) Et quia haec secunda sententia est probabilis, inquit pariter s. Alph. in Hom. Ap. tr. 16. n. 22., ideo recte dicunt Croix et Concina hanc in praxi tenendam. Intelligitur tamen hoc ante sacramenti susceptionem, quia postquam illud susceptum est, probabiles iam sunt omnes sententiae oppositae trium quaesitorum antecedentium (n. 445. 446. 447.), unde post factum recte eas amplecti possumus. Conf. notam ad n. seq. 450. positam. (19) 3. p. q. 87. art. 2. (20) C. 2. q. 2. (21) P. 235. n. 6. (22) N. 632. (23) Epist. 48. (24) De poenit. art. 7. reg. 20. (25) De sacram. poen. q. 4. §. 2. (26) T. 4. q. 3. (27) N. 631. (28) P. 501. q. 7. (29) Dist. 14. sect. 8. n. 103.

tiam vocat omnino falsam; et ratio nimis urget, nam tota malitia culpae in hoc casu consistit in iniuria quae irrogatur sacramento, illud suo effectu frustrando; sive ergo sacramentum frustretur ex materia gravi sive ex levi, nihil refert, quia semper eadem irreverentia sacramento infertur.

Dubitatur 2. an in confessione venialium sufficiat dolere de uno peccato sine alio. Negant aliqui apud Suarez [1]. Sed oppositum est tenendum cum communi sententia, quam docent Suarez [2] Conc. [3] Antoine [4] Lugo [5] cum Henr. et Fag. et Escob. [6] cum Hurt. et Diana. Hinc sufficit de uno tantum veniali poenitere et proponere, cum venialia non sint materia necessaria, sed tantum sufficiens. Dicunt autem Lugo [7] Tamb. [8] Pal. ac Spor. apud Croix [9] sufficere etiam si quis doleat de multitudine aut frequentia venialium, etsi non doleat de singulis in particulari: quia, ut dicunt, sicut quis potest dolere de excessu distractionis in precibus, vel comestionis, ita de multitudine venialium. Et videtur favere d. Th. [10] qui dicit sufficere *propositum se praeparandi ad venialia minuenda*. Ergo sufficit dolor de ipsorum multitudine, propositum enim dolorem sequitur. Contradicunt tamen Arriaga, et Dicast. apud Croix [11] dicentes dolorem et propositum non tantum debere esse circa multitudinem emendandam, sed etiam circa ipsa venialia quae frequentiam constituunt. Sed hae sententiae facile videntur posse conciliari, cum impossibile sit dolere de multitudine, et non dolere saltem de illis posterioribus culpis per quas constituitur multitudo, quia circumstantia haec excessus abstrahi non potest a culpis ipsis: tunc enim in obliquo saltem doleres de culpis, et recto et principaliter de excessu. Recte etiam dicit Croix [12] cum Suar. et Tann. (contra Bosco etc.) quod bene quisque potest dolere de venialibus deliberatis, et proponere omnia illa vitare; de semideliberatis autem sufficit dolere quod ea commiserit, et inposterum velit attendere ad ipsa vitanda quantum humanae fragilitati permittitur. Et haec sunt iuxta doctrinam d. Thomae qui [13] sic ait: *Poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis...; sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitae non patitur. Debet tamem habere propositum se praeparandi ad venialia minuenda.*

(1) Dist. 20. s. 6. n. 7. (2) L. c. (3) P. 255. n. 7. (4) P. 301. q. 7. (5) Dist. 14. n. 118. (6) L. 14. n. 166. (7) N. 155. (8) L. 1. c. 3. n. 9. et 10. (9) N. 910. (10) 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. (11) L. c. (12) N. 915. (13) D. [illegible] 87. a. 1. ad 1 (14) Dist. 2. s. 4. n. 34.

§. 2. *De quaestionibus pertinentibus ad propositum.*

450. Quaeritur 1. An in sacramento poenitentiae sufficiat propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar. [14] Bellarm. [15] Bonac. [16] Concina [17] cum Scoto Cai. Cano etc., item Val. Tolet. Reg. Henriq. apud Croix [18] qui ait oppositam non esse certam. Ratio quia, licet dolor includat necessario propositum, tamen Tridentinum [19] requirit propositum formale, dicens, *cum proposito non peccandi de caetero.*

Secunda sententia affirmat, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali, et hanc tenent Lugo [20] Carden. [21] (qui vocat moraliter certam) Layman [22] Anacl. [23] Viva [24] Elbel [25] cum Mastrio Sporer Gobat. etc. ac Salm. [26] cum Navar. Fill. Villal. etc. Ratio quia concilium [27] subdit quod attritio, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae, disponit hominem ad impetrandam gratiam in sacramento; ergo quoties has requisitas conditiones habuerit attritio, iam sufficienter disponit ad sacramenti valorem.

Tertia sententia vero, quam tenet Holz. [28] asserens hanc esse communem cum Suarez Bellarm. et Bonacina, dicit

(15) L. 2. de poen. c. 6. et 7. (16) Q. 5. p. 8. n. 2. (17) P. 237. n. 15. (18) N. 394. (19) Sess. 14. c. 4. (20) Dist. 14. n. 52. (21) In prop. 1. Innoc. XI. (22) C. 4. n. 6. (23) N. 49. (24) Q. 5. a. 3. n. 1. (25) N. 37. (26) De poenit. c. 5. p. 4. n. 54. (27) Loc. cit. (28) N. 404.

quod si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem, quia (iuxta Trident.) quisque per poenitentiam debet novam inchoare vitam; unde non videtur satis poenitere, qui cogitans de vita futura, expresse non proponit emendari. Neque huic obstat dicere cum Viva, quod concilium tres tantum partes sacramenti assignat, scil. contritionem, confessionem et satisfactionem; unde si requireretur etiam propositum formale, partes non tres sed quatuor essent. Nam bene respondet p. Concina, quod contritio duobus constat; nempe dolore et proposito explicito. Secus vero si poenitens nihil cogitet de futuro, puta si quis sit in extremo vitae constitutus; revera enim in quocumque dolore propositum necessario continetur, patetque quod taciti et expressi eadem est efficacia. Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores, sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum tutius sequenda est, ut recte dicunt Bon. Croix [1]. Dico ante factum, nam dicunt Croix [2] Viva [3] Elbel [4] Gob. et Bon. [5] cum Bellarm. Suarez Vasq. Reg. Henr. quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere; quia, esto communius non liceat sacramentum suscipere cum opinione quae non sit moraliter certa ne sacramentum exponatur periculo frustrationis, tamen non teneris repetere confessionem, si probabiliter valide es iam confessus, cum praefatum periculum tunc non amplius adsit. Nihilominus nec etiam valeo huic sententiae acquiescere; ratio quia cum prima opinio sit sufficienter probabilis, poenitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam certe validam [6].

451. Quaeritur 2. Quaenam sint conditiones necessario requisitae ad propositum. Hic ante omnia advertendum, rem valde difficilem esse quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes cum vero proposito ad confessionem accedant; quapropter in hoc confessarius sedulo incumbere debet, maxime si poenitens alicui vitio magnam habuerit adhaesionem. Tres autem sunt conditiones veri propositi, nempe ut sit firmum, universale et efficax.

1. Propositum *firmum* importat ut poenitens habeat voluntatem omnino deliberatam non recidendi, et sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit.

Sed hic dubium fit an prudenter credi possit, quod firmum habeat propositum poenitens qui asserit nolle amplius relabi, sed certo credit se relapsurum.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Navar. [7] (qui asserit communem) Layman [8] Sporer [9] Pal. [10], item Suar. Sylvest. Con. Henr. Vega Dic. ap. Salmant. [11]. Ratio quia propositum volun-

(1) L. c. (2) N. 630. (3) In prop. 65. Innoc. XI. n. 16. (4) De poenit. p. 216. n. 34. (5) Ibid. (6) Idem s. Alphonsus docet lib. 1. n. 51. et lib. 6. n. 432. in nota. Contrariam vero stabilit sententiam in Hom. Ap. tr. 16. n. 26. Ast cum constet auctorem magnam moralem prae textu Hom. Ap. semper curasse eamque in dies ad finem vitae usque emendasse (quod de Hom. Ap. dici nequit), ipsa utique textui Hom. Ap. praeferenda, ac proinde in quaestione praesenti sententia auctoris in magna morali tenenda est. Obiici posset: ex ipsis principiis auctoris opinionem probabilem non adhibendam quidem esse in susceptione sacramentorum: ast sacramento suscepto standum esse in dubio pro valore actus, ideoque in re praesenti confessionem probabiliter validam non esse repetendam. Sed dicimus quod si hoc verum foret, immunes etiam evaderemus a repetenda confessione quae facta fuisset penes confessarium iurisdictionem tantum probabilem habentem, quod sane nullus moralista non negabit. Procul dubio quidem standum pro valore actus, cum lex sit adimpleta, imo confessiones praeteritae non sunt repetendae, quoties non constet ipsas fuisse invalidas; ast hic agitur nec de servandis legibus nec de bonitate actuum suscipientium sacramenta diiudicanda, sed de natura sacramenti seu de quadam proprietate probabiliter ex iure divino ad valorem sacramenti requisita. Hinc s. Alphonsus l. 1. n. 51. etiam docet suscipientes sacramenta opinione probabili uti non posse, ministrorum instar, qui tenentur in tali casu sacramentum repetere. Licet enim post susceptum sacramentum nullum adsit periculum frustrandi sacramentum, opinio tamen mere probabilis non efficiet, ut v. gr. confessio probabiliter valida post factum iam fiat certe valida.

(7) Man. c. 9. n. 13. (8) Cap. 4. n. 3.
(9) P. 204. n. 310. (10) P. 2. n. 15.
(11) Tr. 6. c. 5. p. 4. n. 55.

tatis non relabendi bene consistere potest cum iudicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate. Sed pace tantorum dd. omnino sequendam puto oppositam sententiam, quam tenent Busemb. *supra n.* 10. Conc. [1] et Croix [2]. Non nego quod speculative loquendo bene posset consistere firmum propositum voluntatis cum cognitione relapsus; sed cum quis certo credit se relapsurum, practice certam suspicionem praebet propositum suae voluntatis non esse satis firmum; impossibile est enim ut quis firmiter proponat se emendare, sciens quod Deus suam gratiam coadiuvantem non denegat facienti quantum in se est, et his non obstantibus credat certo se ad sua peccata rediturum. Unde recte ait Croix [3] quod talis poenitens priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas sed per Dei auxilium a peccatis liberatum iri. Secus vero dicendum si poenitens ex sua praeterita fragilitate timeret relapsum; communiter enim dicunt dd. cum Nav.[4] Croix[5] et aliis, quod ad serium propositum non requiritur ut credatur nullus relapsus secuturus, sed satis esse nunc adesse seriam voluntatem non relabendi; nam bene potest consistere voluntas resipiscendi cum timore lapsus ex mutatione voluntatis. Hinc recte inquit Gers. [6] quod poenitens confessario interroganti: *Credis tu quod nunquam cades in tale peccatum? respondeat, ego fragilis formido lapsum, non tamen volo nunc casum; de futuro misericordiae Dei me commendo, deprecans ut me custodiat a peccato, quod si ceciderit fragilitas mea, deprecor ut resurgam.*

2. Requiritur ut propositum sit *universale* circa peccata mortalia; quidquid enim dicant Aversa Dicast. Hurt. et Platell. ap. Croix [7] asserentes quod, sicut sufficit dolor particularis, ita etiam particulare propositum, modo excludat positivam peccandi voluntatem; oppositum tamen omnino est tenendum cum sententia communi, quam docent Laym. [8] Pal. [9] Lugo [10] Conc. [11] Mazzotta [12] et Croix [13] cum Nav. Con. Tamb. Esc. et aliis passim, ex d. Th.[14] qui ait: *Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis.* Ratio quia licet dolor particularis, puta, si concipiatur ex turpitudine speciali (ut diximus *n.* 443.) alicuius criminis, satis sit ad valorem confessionis, cum dolor respiciat tantum peccata commissa quae poenitens detestari debet; non tamen sufficit propositum particulare, cum quisque teneatur absolutam et positivam habere voluntatem omnia mortalia vitandi. Unde Trident.[15] loquens de contritione in genere dicit, *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, non dicit de omnibus peccatis; loquens vero de proposito dicit, *cum proposito non peccandi de caetero;* particula autem *non* utique importat propositum universale vitandi omnia mortalia. Secus vero est de proposito circa venialia; in his enim sufficit (ut docet idem d. Th.[16]) quod poenitens proponat abstinere ab aliquo, absque eo quod proponat abstinere ab omnibus.

3. Requiritur ut propositum sit *efficax*, id est aptum efficere quod proponitur; et ideo oportet quod poenitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi, ut communiter docent dd. Vide Sporer [17]. Non semper autem verum est, tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur id quod proponitur; alias quoties poenitens recideret, toties teneretur repetere confessiones; relapsus enim non semper est signum propositi infirmi, sed saepius tantum signum est mutatae voluntatis; nam bene potest accidere quod quis verum habeat amorem Dei praedominantem et firmum propositum nunquam peccandi, et nihilominus statim peccet, prout d. Petrus vere proposuit

(1) P. 255. n. 3. (2) L. 6. p. 2. n. 1822. v. Obic.
(3) L. c. (4) C. 3. n. 13. (5) L. 6. p. 2. n. 1733.
(6) Tr. 8. super Magnif. part. 3. (7) N. 893.
(8) C. 4. n. 20. (9) P. 2. n. 16.
(10) Dist. 14. n. 52. (11) P. 239. n. 10.
(12) T. 7. p. 343. (13) Loc. cit.
(14) 3. p. q. 37. a. 1. ad 1. (15) Sess. 14. c. 4.
(16) Loc. cit. (17) P. 205. n. 313.

potius mori quam Christum negare. et tamen ad primam ancillae vocem negavit. Id sane probatur ex d. Gregorio[1] qui dixit: *In quorumdam corda venit Deus, et mansionem non facit..... ; ad perpetranda peccata redeunt, ac si haec minime planxissent.* Confirmatur ex rituali romano ubi dicitur: *In peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere ut saepe, puta semel in mense vel certis diebus solemnibus, confiteantur et, si expediat, communicent.* Principalis autem efficacia propositi (ut supra innuimus) consistit in avellendis occasionibus proximis peccandi aut in mediis debitis adhibendis, ut ipsae, si sint necessariae, ex proximis fiant remotae. Unde hic diligenter de his agere oportet.

452. Quaeritur 3. Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in occasione peccandi [2]. Et hic dubitatur 1. Quotuplex sit occasio et quotuplex periculum peccandi. Occasio distinguitur 1. in proximam et remotam. Occasio *remota* est illa, in qua homines constituti regulariter ut plurimum non peccant. Occasionem vero *proximam* alii, ut Nav.[3] Bon.[4] Lay.[5] Conc.[6] et Spor.[7] definiunt esse illam in qua creditur poenitens nunquam vel raro a peccato abstinere. Sed definitio haec non placet; melius dicendum cum Sanchez [8] Holzman [9] Lugo [10] Suarez [11] Cont. Tourn.[12] Wigandt [13] Croix [14] Viva [15] p. Segn. [16] et Roncaglia [17] quod occasio proxima *per se* est illa in qua homines communiter ut plurimum peccant: proxima autem *per accidens*, sive respectiva est illa quae, licet per se respectu aliorum non sit proxima, eo quod non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum, tamen respectu alicuius est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper nec frequentius, frequenter tamen cecidit; vel quia, spectata eius praeterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus. Unde perperam dicunt Nav.[18] Lugo[19] et Viva[20] cum aliis, non esse in occasione proxima adolescentes, qui laborando cum foeminis peccant consensu, verbis aut tactibus eo quod (ut dicunt) non fere semper in talibus occasionibus peccant; nam, ut diximus, ad occasionem proximam constituendam sufficit ut homo frequenter in ea labatur. Notandum vero quod aliquando occasio quae respectu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota, ut bene advertunt Holz. et Croix [21].

Distinguitur 2. occasio in voluntariam et necessariam. *Voluntaria* est quae facile dimitti potest: *necessaria*, quae physice vel moraliter non potest avelli.

Periculum autem proximum aliud est formale, aliud materiale. *Formale* est illud quod est proxime coniunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit sive in peccatum consentiet; et hoc periculum semper vitandum est. Intelligendum tamen hoc (ut bene advertit Croix [22]), si periculum sit consensus, non autem simplicis tentationis aut motuum. *Materiale* vero est illud quod cum peccato non est proxime coniunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis et mediorum quae homo adhibet ad peccatum vitandum, unde tunc accidet quod occasio de se sit proxima et periculum remotum: prout evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellae utique esset in occasione proxima peccandi, sed ratione necessitatis et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, precum, protestationis de non consentiendo, bene poterit a culpa excusari;

(1) Hom. 30. in Evang. (2) Confer compendium huius tractatus de occasionariis et recidivis in praxi confessariorum, cap. 4. et 5. num. 65.-80., aut in Hom. Apost. tract. ultim. n. 1.-18. positum.
(3) Man. cap. 3. n. 14. (4) De matr. dist. 4. p. 14. n. 11. (5) De poenit. c. 4. n. 9.
(6) P. 260. n. 15. (7) N. 525.
(8) Dec. l. 1. c. 8. n. 1. (9) N. 500.
(10) D. 14. n. 149. (11) D. 52. s. 2. n. 4.
(12) De peccatis p. 1. c. 2. (13) Tr. 5. n. 50.
(14) L. 5. n. 252. (15) De poen. q. 3. a. 4. n. 5.
(16) Conf. instr. c. 5. (17) C. 4. q. 1. r. 1.
(18) C. 3. n. 17. (19) Dist. 14. n. 150.
(20) Q. 3. a. 4. n. 5. (21) L. c. (22) L. c. n. 264

quia tunc divina adiuvante gratia, periculum fit remotum et materiale. V. Croix [1].

Ex praemissis infertur esse in occasione proxima qui domi retinet mulierem quacum saepe peccavit. Et hic notandum 1. quod si quis non habet ad suam dispositionem mulierem quacum peccat, sed cum ea peccat semper acaccedit in illius domum, tunc illuc accedere erit occasio proxima, etiamsi semel in anno accederet et peccaret. 2. Qui in ludo frequenter labitur in blasphemias vel fraudes. 3. Qui in aliqua domo, caupona aut conversatione incidit in ebrietatem, rixas, verba aut gestus lascivos. Huiusmodi poenitentes non sunt absolvendi regulariter, nisi prius occasionem deseruerint. Pariter non possunt absolvi illi qui, licet in occasione non peccent, aliis tamen scandalum praebent, ut communiter docent Palaus [2] Bon. [3] et Salm. [4] cum Nav. Graff. Candido Lop. etc. Addunt Croix [5] et Cont. Tourn. [6] cum Cabass. quod, cum occasio externa coniungitur cum passione aut tentatione vehementi, vel habitu vitioso, vel forti tentatione, peccat qui eam non relinquit, etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet quod talis se continebit, si ab occasione non separetur: unde ait Cont. Tourn. [7] quod ancilla vivide sollicitata ab hero tenetur ab illius domo discedere; qui enim libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiae extraordinariis, quae sperari sine temeritate nequeunt ab eo qui libere periculum vitare potest et non vitat. Haec tamen intelligenda sunt, si huiusmodi persona sit fragilis et parum devota; nam si esset pietati dedita et cauta et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam.

Dicit autem Ronc. [8] non esse negandam absolutionem iuveni et puellae qui aliquo tempore se invisunt animo matrimonium contrahendi; nemo enim (ait) tenetur ducere personam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri quibus moribus alter sit praeditus. Haec assertio speculative loquendo videtur rationabilis; sed ego experientia doctus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsae accedere, vel sponsae aut parentibus illum in domo excipere, raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus, cum omnes aspectus et colloquia inter huiusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsos invicem tractare et stimulos turpes non sentire ad ea quae tempore coniugii inter se futura sunt. In his autem omnibus, praesertim ubi turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus confessarius, quod nunquam crudelius se geret cum poenitente, quam benignius agendo, et quo maiorem severitatem adhibebit, eo melius illius saluti consulet. D. Thom. a Villanova [9] vocat confessarios *impie pios, qui ne confitentem contristent, illum in sua nequitia manere permittunt.* Nec confessarius turbari debet si poenitens dicat in huiusmodi casibus scandalum oriri, si post confessionem amplius non accedat ad illam domum, si mulierem expellat aut aliud simile effugiat periculum; nam illi suaderé debet quod revera potius scandalo erit si post confessionem occasionem non auferat: aut enim alii suum peccatum aut periculum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur, puta si quis famulam dimittit vel si ab accessu in aliquam domum se abstinet; vel iam alii id animadverterunt, et tunc famam potius recuperabit, quam amittet.

Ex his omnibus concludo quod ordinarie loquendo numquam absolvi debet poenitens qui versatur in occasione proxima voluntaria, etiamsi ex-

(1) L. 5. n. 264. (2) Tr. 2. dist. 2 p. 9. n. 19. (3) De matr. dist. 4. part. 14. n. 12. (4) Tr. 6. c. 5. p. 4. n. 62. (5) L. 5. n. 269. (6) Loc. cit. (7) Ibid. (8) C. 5. q. 3. (9) Fer. 6. post dom. 4. quadrag.

traordinaria signa doloris afferat, antequam occasionem removeat; occasio enim extrinseca, praesertim ubi agitur de vitio turpi, quando praesens est, ita mentem excaecat, ut omnia proposita e memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis, etiamsi certam suam damnationem ab illo crimine secuturam cognosceret, adhuc a peccato non desisteret. *Vide mox infra n.* 454.

453. Dubit. 2. An absolvi possit qui se exponit probabili periculo peccandi. Affirmant Mendo Gobat. et Caram. apud Viva [1] et Hozes Lumb. etc. apud Croix [2] et consentit Spor. [3] modo adsit rationabilis causa; quia (ut aiunt), cum probabile sit quod ille peccabit, et probabile quod non peccabit, potest sibi formare conscientiam certam, et proinde iudicium practicum non fore peccaturum. Sed hanc opinionem iam refutavimus *l.* 5. *num.* 63. cum Busemb. Croix Carden. Eliz. etc. Hic addo auctoritatem d. Thom. [4] qui id expresse reprobat, dicens: *Infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione.* Ratio est quia, cum adsit probabilitas labendi, iam adest formale periculum lapsus, quod (ut diximus) omnino est fugiendum, quando occasio est voluntaria; secus vero, si necessaria (ut diximus *l.* 5. *n.* 63. de medico et parocho). Imo recte sentiunt Pal.[5] cum Suar. et Soto Bann. apud Cont. Tourn.[6], item Salm. Val. et Azor. citati *l.* 2. *n.* 26. *v. Pariter*, quod in necessitate extrema spirituali proximi non solum potes, sed teneris illi succurrere cum tali periculo probabili, quia tunc necessitas efficit ut periculum evadat remotum; unde si potes, teneris: idque docet idem d. Thom. [7] qui postquam dixit prohibendos esse a communione infidelium eos, de quorum salute probabiliter timetur, addit nisi urgeat necessitas. Dicit tamen Continuat. Tournely [8] cum Sylvio, quod si periculum sit tale, ut probabilior sit lapsus, tunc nullo modo potes nec debes illi te exponere, quia quisque plus suam quam aliorum salutem respicere debet. Sed huic responderi posset, quod in tali casu extremae necessitatis, modo lapsus non sit moraliter certus, licet sit probabilior, tenereris te fortius praemunire orationibus et operibus piis et deinde fidere de maiori auxilio Dei: rationabiliter enim tunc esset sperandum, fore ut Deus augeat auxilium ubi maior urgebit necessitas.

454. Dubitatur 3. An poenitens qui versatur in occasione proxima voluntaria possit unquam absolvi. Hic ante omnia oportet animadvertere quatuor propositiones proscriptas in hac materia: 1. Propositio 41. damnata ab Alexand. VII. dicebat: *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii* (*vulgo* regalo), *dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.* 2. Propos. 61. damn. ab Innoc. XI. dicebat: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.* 3. Propos. 62. ab eodem Innoc. damnata. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 4. Prop. 63. *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Sed dubium fit, an qui non adhuc occasionem proximam removerit, possit prima vel secunda vice absolvi.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent plures auctores, prout Suarez [9] Pal.[10] Sporer [11] Elbel [12] Mazz. [13] Viva [14] (citans Cai. et Cordub., sed p. Milante negat hos aa esse pro hac sententia) et Holzm.[15] cum Tambur. ac communiori,

(1) In propos. 41. damn. ab Alex. VII.
(2) L. 4. n. 257. (3) N. 324. (4) 2. 2. q. 10. a. 9.
(5) T. 1. tr. 2. d. 2. p. 2. §. 3. n. 9. (6) De praec. dec. c. 1. a. 3. s. 4. punct. 1. post concl. 2. v. Maior.
(7) Loc. mox cit. (8) Loc. cit. v. Contrarium.
(9) Dist. 32. sect. 2. n. 3. (10) T. 2. tract. 2. dub. 2. p. 9. §. 3. n. 13. (11) N. 325.
(12) N. 103. (13) T. 3. p. 577.
(14) In propos. 41. damn. ab Alex. VII. n. 16.
(15) T. 2. p. 148. n. 534.

ut asserit: et consentit Ronc.[1] pro prima vice, casu quo poenitens nondum advertit ad obligationem removendi occasionem. Ratio quia (ut aiunt) talis poenitens potest esse bene dispositus ad absolutionem, etiam nondum occasione dimissa, si vere proponat dimittere. Sed hic distinguendum cum s. Carolo Borromaeo[2] inter occasiones quae *sunt in esse*, prout cum aliquis concubinam domi detinet vel dum aliqua famula peccat cum hero, quoties ab eo tentatur: et inter occasiones quae *non sunt in esse*, utpote si quis ludendo prolabitur in blasphemias, aut versando in cauponis prorumpit in rixas et ebrietates, aut convivendo cum sociis ruit in verbis et cogitationibus obscoenis, etc. In occasionibus huius secundae speciei, quae *non sunt in esse*, recte docet s. Carolus quod si poenitens firme proponat ab eis se cavere, potest per unam aut duas etiamque tres vices absolvi. Quod si postmodum emendatio non apparet, differri ei debet absolutio donec ille cum effectu occasionem derelinquat. In occasionibus vero prioris speciei quae *sunt in esse*, ait s. Carolus poenitentem neque prima vice absolvendum (quascumque promissiones proferat), nisi prius occasionem amoveat. Et hanc sententiam censeo (saltem ordinarie loquendo) omnino sequendam; eamque tenent Cardenas[3] cum Bon. Villal. et Candido Continuat. Tourn.[4] Conc.[5] p. Segneri[6] Auctor libri cui titulus, *Istr. per li confessori novelli*[7], item Nav.[8] qui ait: *Concubinarius cohabitans concubinae non debet absolvi antequam ab ea separetur*. Coninch.[9] qui: *Eos qui vivunt in concubinatu nullo modo extra casum gravis necessitatis expedit absolvere, antequam de facto separentur*. Azor.[10]: *Resp. non posse licite eum absolvi antequam ab ea* (scil. concubina) *separetur;* item Rodriq. Sylv. Fernand. Margarita etc. apud Pal.[11] ex d. Augustino in *c. Satisfactio, de poenit. dist.* 3 ubi sic dicit: *Satisfactio poenitentiae est peccatorum causas excidere, neque eorum suggestionibus aditum indulgere*. Ergo tenetur poenitens ante absolutionem occasionem auferre, alias suggestionibus aditum non praecluderet. Ratio 1. huius sententiae (ut ait Cardenas) videtur esse, quia prima sententia videtur damnata in praefata prop. 61. ab Innoc. XI. Sed haec ratio non convincit; nam aliud est posse absolvi qui occasionem *non vult omittere*, ut dicebat propositio, aliud, qui licet non velit omittere ante absolutionem, bene tamen vult omittere statim post absolutionem. Ratio 2. quia praeceptum tollendi occasionem voluntariam est negativum, id est non permanendi in occasione (prout est praeceptum non retinendi alienum) et hoc obligat semper et ad semper: unde qui potest occasionem statim removere et non removet, est in actuali transgressione praecepti, et ideo indispositus. Sed haec ratio neque omnino satisfacit, vel saltem intelligenda est in solo casu quo poenitens nolit statim post absolutionem tollere occasionem, et tantum promittat auferre in futurum; at si poenitens in actu confessionis firme proponeret occasionem removere statim ac domum redit, non video cur dicendus esset hic indispositus et quod praecepto contraveniat. Ratio potior et vera haec mihi videtur esse: ablatio occasionis est res magnopere ardua, et non fit nisi quis magnam vim sibi inferat, ut avellatur ab illa occasione, ad quam propter praeteritam sui animi adhaesionem remanet valde propensus; et ideo, si occasio non aufertur ante absolutionem, poenitens de facili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum. Qua de re, si talis vellet absolvi, antequam occasionem deserat, esset indispositus, quia se constitueret in probabili periculo infingendi propositum: ac

(1) C. 4. q. 2. (2) Instruct. suis confess. tradita.
(3) In prop. 61. damn. ab Innoc. XI.
(4) De peccat. p. 1. c. 2. append. reg. 1.
(5) P. 638. n. 1. (6) Instr. conf. 5.
(7) T. 1. n. 227. (8) Man. c. 16. n. 20.
(9) D. 8. de poenit. d. 17. n. 113.
(10) P. 8. l. 3. c. 3. q. 2.
(11) Dict. n. 18

propterea confessarius qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique peccaret tam contra officium iudicis, quam medici, quia absolveret indispositum, non applicando illi remedium suae saluti necessarium.

Dices: Poenitens qui habet pro se opinionem probabilem, debet absolvi, quia cum sit dispositus, habet ius ad absolutionem, iuxta dicenda *num.* 604. Ergo si quis efformaret sibi conscientiam probabilem iuxta primam sententiam, teneretur confessarius eum absolvere. Respondetur 1. quod illicitum est (ut diximus mox supra *n.* 453.) se voluntarie exponere probabili periculo peccandi, unde peccat poenitens qui vult absolutionem recipere, antequam occasionem dimittat, cum se immittat in probabile periculum infringendi propositum, et ideo tamquam indispositus nullum ius habet ad absolutionem. Respondetur 2. Dato et non concesso quod poenitens possit absolvi semel vel iterum ante dimissam occasionem, tamen, ut communiter dicunt dd. et ipsi adversarii concedunt, poenitens non habet ius ut statim absolvatur; et propterea bene potest (et si potest, tenetur confessarius, ut partes sui muneris recte agat) tamquam medicus differre illi absolutionem, usquedum occasionem auferat.

Dixi tamen *ordinarie;* nam merito excipiendus est 1. cum Lugo[1] Holzm.[2] et Spor.[3] casus quo poenitens afferat extraordinaria signa doloris, quia tunc propter huiusmodi signa confessarius prudenter potest iudicare non adesse in poenitente periculum illud proximum infringendi propositum; signa enim illa indicant poenitentem uberiorem recepisse gratiam qua magis constanter se geret in occasione removenda. Nihilominus, ait Ronc., quod ipse etiam in hoc casu absolutionem differret, usquedum occasio auferatur, si absolutio commode differri posset; et ita etiam ego agerem.

Excipiendus 2. cum Viva[4] casus quo poenitens, si absolutio differatur, non possit ad confessarium redire vel nonnisi post longum tempus: tunc enim, si ille iam fuerit confessus peccata sua, et confessarius prudenter iudicare valeat eum firmam habere voluntatem tollendi occasionem statim ac poterit, tunc potest et debet ipsum absolvere, quia tunc poenitens habet ius ut statim absolvatur. Nec obstat dicere quod ipse tunc remaneret in eodem periculo (ut mox dictum est) infringendi propositum. Nam respondetur quod hoc casu tale periculum de proximo fit remotum: sicut enim ratione gravis damni (ut infra dicetur) non tenetur poenitens occasionem auferre, eo quod periculum per se proximum ratione illius necessitatis evadit remotum, ita in casu nostro periculum illud infringendi propositum fit remotum ratione magni oneris quod poenitens deberet subire iterum repetendi confessionem apud alterum; tunc enim est constitutus in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. Hoc tamen non admittendum, si poenitens ab alio confessario iam fuerit admonitus de occasione tollenda et non abstulerit; quia tunc habetur tamquam recidivus, et minime est absolvendus, nisi forte afferat extraordinaria signa doloris, ut supra.

455. Dubitatur 4. An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria. Ut supra innuimus, illa quidem dicitur occasio necessaria quae non potest relinqui vel physice vel moraliter; *physice*, nempe si quis esset in carcere aut triremi, a quo discedere non posset; vel si esset in articulo mortis, in quo non haberet tempus vel modum expellendi amicam: *moraliter* vero, nempe si occasio tolli non posset sine scandalo: in his casibus bene absolvi potest, occasione non sublata, cum non teneatur poenitens tunc illam auferre. Sed hic dubium fit an possit quis manere in occasione proxima, si aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama aut fortunis. Negat Merbesius[5] dicens pro

(1) D. 14. n. 151. (2) N. 536. (3) N. 325.

(4) Loco supra cit. (5) De poenit. diss. 4. n. 11.

nullo damno temporali aliquem excusari a dimittenda occasione proxima; et in parte consentit Wig. [1] qui ait, esse obligationem auferendi occasionem, etiamsi infamia sit subeunda. Communiter tamen affirmant dd. non teneri poenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis; ita Nav. [2] Sanch. [3] Lugo [4] cum communi, Pal. [5] Cont. Tourn. [6] Anacl. [7] Holzm. [8] Bon. [9] Viva [10] Elb. [11] Laym. [12] Renzi [13] Sporer [14] (qui tamen [15] cum Palao non excusat aliquem mediocriter divitem, qui ne patiatur damnum centum ducatorum occasionem non vellet deserere) et consentit Concina [16] si poenitens ex dimissione occasionis deberet pati infamiam aut gravissimum detrimentum. Ratio quia occasio peccandi non est in se peccatum neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum et firmum propositum non relabendi ac adhibendi debita remedia. Et quamvis praeceptum vitandi occasionem proximam per se obliget ad non permanendum in occasione, tamen illud intelligendum est obligare, cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero si maneat ex necessitate; moraliter autem haec necessitas intervenit, quando sine magno detrimento aut incommodo nequit occasio dimitti; etenim tunc periculum formale et proximum, opportunis adhibitis mediis ad non relabendum, fit materiale et remotum; non enim qui est in periculo, sed *qui amat periculum* (ut dicitur in *Eccles.* 3.) *peribit in illo;* non autem amat periculum qui invitus subit. Hinc optime s. Basilius [17] dixit: *Qui, urgenti aliqua causa et necessitate, se periculo obiicit vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire: et ideo magis providebit Deus ne in illo pereat.* Idem satis confirmatur ex *c. Laudabilem de frig. et mal.* ubi sic habetur: *Quod si ambo* (sermo est de coniugibus ab initio impotentibus) *consenserint simul esse, vir eam, etsi non uxorem, saltem habeat ut sororem.* Ergo (ut notat Sanch.) ne ipsi infamiam patiantur, bene eis permittitur simul habitare cum periculo tactuum. Remedia autem pro his qui reperiuntur in occasione proxima praesertim peccati turpis sunt videlicet, magna oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidie ante imaginem crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi, vitare ne versetur solus cum sola, fugere ab aspectu complicis et similia.

Hinc dicunt Sporer [18] cum communi, Busemb. *ut supra*, Mazz. [19] Pal. [20] cum Graff. Fern. etc. Laym. [21] cum Nav. [22] Sanchez Sa Henr. Caiet. et Philiarch. quod ii qui ab officio, negotiatione aut domo in qua peccant discedere nolunt, quia sine magna difficultate non possunt, absolvendi sunt, si sint parati remedia adhibere. Idem dicit Viva [23] de chirurgis qui medendis mulieribus, et de parochis qui in excipiendis earum confessionibus pluries peccant, si aliter ipsi non possent vivere iuxta suum statum. *Vide dicta l.* 5. *n.* 63. *vers. Quaeritur.*

456. Hae sententiae probabilissimae sunt; verum in praxi omnes conveniunt expedire, ut iis qui versantur in occasione proxima etiam necessaria differatur absolutio. Imo, ut ego quid sentiam in hac re ingenue dicam, numquam absolverem eum qui est in occasione proxima extrinseca (nam de intrinseca aliter infra loquar) praesertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commode differri posset. Censeo enim quod confessarius tamquam medicus tenetur aptare suo poenitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem; reorque nul-

(1) Tr. 5. n. 50. (2) Man. c. 3. n. 29. (3) Dec. l. 1. c. 8. n. 3. (4) D. 14. n. 152. (5) Tr. 2. d. 2. p. 9. §. 3. n. 8. (6) De pecc. p. 1. c. 2. app. reg. 3. (7) P. 619. n. 46. (8) N. 580. v. Dixi. (9) De matr. q. 4. p. 4. n. 11. (10) Q. 3. a. 2. n. 6. (11) N. 194. (12) C. 4. n. 9. (13) C. 2. s. 1. q. 15. (14) N. 326. (15) N. 328. (16) P. 265. n. 17. (17) In constit. mon. c. 4. (18) N. 322. (19) T. 3. p. 574. (20) Loc. cit. n. 12. (21) C. 4. n. 9. (22) C. 3. n. 11. (23) Q. 3. a. 4. n. 9.

lum aliud aptius antidotum ministrari posse ei qui est in occasione proxima, quam dilationem absolutionis; dum experientia docet quod poenitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media praescripta adhibere, et sic facillime recidunt. Cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. Et casu quo poenitens prius admonitus ab alio confessario media praescripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri. Fortasse alicui haec tradens nimis rigidus videbor; sed ego, cum poenitentes offendissem huiusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi et semper agam; hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto, quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur, ut ipsi a peccatis et ab aeterna damnatione eripiantur, et e contrario crederem quod, si benigne agendo absolutionem quam petunt eis praestarem, causa essem ut misere in vitiis marcescerent. Quisque suo sensu abundet. Utinam vero omnes confessarii cum huiusmodi poenitentibus ita se gererent! multo quidem minora crimina committerentur, et longe plures animae perditionem vitarent. Ego sentio et dico quod ubi agitur de liberando poenitente a peccato formali, licet permittatur manere in materiali, tunc confessarius curare debet, in quantum christiana prudentia concedit, uti opinionibus benignioribus, gravi tamen fundamento roboratis. Ubi vero opiniones benignae propinquius admovent ad periculum peccati formalis, ut accidit in hac materia occasionis proximae, dico quod confessario uti expedit sententiis rigidioribus, sic enim magis consulet suorum poenitentium saluti.

457. Dubitatur 5. An qui in occasione necessaria etiam adhibitis remediis semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat.

Prima sententia quam tenent Lugo [1] Pal.[2] Holz.[3], item Gob. Faber Pallav. et alii ap. Croix [4] et probabilem putat Tamb.[5] dicit, posse eum absolvi toties quoties, modo habeat sufficientem dolorem et propositum (Advertit tamen Lugo [6] quod, cum aliquis semper immediate post confessionem facile recidit, is censetur carere vero dolore et proposito, et ideo non absolvendus).

Secunda sententia tamen verior, quam tuentur Busemb. *supra n.* 449., Ronc.[7] Cont. Tourn. [8] Viva [9] cum Suar. Nav. et Reg. Mazzotta [10] qui vocat communem, item Cai. Tann. Carden. et alii cum Croix [11] qui vocat veram, tenet hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum iactura adhuc vitae, si opus sit, quando nulla emendatio nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio quia homo tenetur cum omni iactura vitare periculum proximum peccati formalis. Et licet aliquando ob iustam causam possit permitti periculum peccati, numquam tamen potest permitti peccatum; cum autem nulla spes apparet emendationis, periculum utique fit formale et a peccato seiungi non potest, et ideo omnino est vitandum cum quocumque damno temporali etiam vitae. Hic enim currit illud Marci [12]: *Si oculus tuus scandalizat te, eiice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Et aliunde Luc. [13]: *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?*

(1) De poenit. d. 14. n. 157. (2) T. 2. d. 2. p. 9. n. 3. (3) De poen. n. 583. (4) L. 5. n. 261. (5) Meth. conf. l. c. n. 10. (6) N. 160.

(7) De poen. c. 4. q. 3. (8) Loc. cit. (9) In prop. 41. Alex. VII. n. 17. (10) T. 3. v. 577. (11) L. c. (12) C. 9. v. 46. (13) C. 9. v. 25

Dices cum Lugo: Ergo iste neque prima vice poterat absolvi, cum idem adfuerit periculum. Respondeo quod dispar est ratio; nam, cum occasio est necessaria, ope mediorum periculum materialiter proximum fit formaliter remotum; at cum adhibitis remediis non adest spes emendationis, periculum evadit formaliter proximum, et ideo omnino vitandum cum quocumque incommodo. *Sin autem* (ait s. Carolus[1] loquens de puella quae domi haberet occasionem necessariam) *post similes praecautiones comperiat confessarius poenitentem in illud peccatum relabi, deneganda prorsus est absolutio, donec deseruerit proximam peccandi occasionem, quidquid tandem evenire debeat.* Hinc *c. Falsas* 6. *de poen. dist.* 5. *et c. Fratres* 8. *ib.* dicitur debere dimittere sua officia milites, negotiatores, curiales etc. qui norint illa non posse exercere sine peccato; sic enim loquitur s. Gregor. VII. in cit. *c. Falsas: Ideoque quicumque miles vel negotiator vel alicui officio deditus, quod sine peccato exercere non possit (difficultas notatur*, advertit Glossa, *non impossibilitas*), *si culpis gravioribus irretitus ad poenitentiam venerit, recognoscat se veram poenitentiam non posse peragere, nisi negotium aut officium deserat.* Idem clarius confirmat Innoc. II. in dict. *c. Fratres*, dicens: *Falsa etiam fit poenitentia, cum poenitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione praevalet.*

Secus vero dicendum cum Holzm.[2] Laym.[3] et Spor.[4] cum Sanch. Nav. et aliis communissime, si in praesenti huiusmodi poenitens afferat extraordinaria signa doloris; tunc enim iam effulget spes emendationis.

458. Hic pro complemento huius puncti refert adiicere ea quae tradidit d. Carolus Borromaeus[5], qui distinguens inter occasiones proxime de se inductivas ad peccatum, ut est domi retinere concubinam, et occasiones proximas peccandi ob pravum habitum alicuius, sic dixit: *Poenitentem in aliqua ex his occasionibus versantem, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam aleret, non debet sine dubio confessor absolvere* (intellige, ne prima quidem vice) *nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis vero occasionibus* (minus impellentibus), *quales sunt aleae vacatio, aspectus minus pudici, colloquia, gestus, etc. non absolvatur, nisi eas dimittere poenitens polliceatur. Quod si iam alias pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio differatur, donec emendationem agnoverit.*

Deinde haec addidit: *De operibus quae ad malum inclinant, ut saltationum publicarum, improborum hominum, cauponarum frequentatio et alia huiusmodi, quorum occasione si homo peccare consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primum eam omnino dimiserit. Quod si confessori visum fuerit ex prima aut secunda poenitentis pollicitatione et non amplius, ipsum occasionem hanc dimissurum, poterit eum absolvere; absolutionem autem differat, si promissis non steterit, donec amandatam omnino fuisse occasionem agnoverit.*

Et quia potest contingere ut poenitens cum his omnibus a confessore propositis occasionem non possit dimittere sine periculo (intellige damni, vitae, famae *vel bonorum*) *aut scandalo, debet adhibere remedia; et primo differatur absolutio* (intelligendum etiamsi poenitens ille prima vice confiteatur peccatum) *donec emendationis signa dederit. Quod si inde infamiae periculum poenitenti acciderit* (nempe si incurrat infamiam, nisi tunc communicet) *et confessor talia contritionis in eo signa perspexerit* (ut prudenter dispositum iudicet) *debitamque ad excipienda remedia dispositionem observaverit, tunc poterit absolvi. Quod si tamen non emendatus poenitens fuerit* (scil. etiam adhibitis remediis), *nan absolvatur donec occasio illa sublata fuerit.*

459. Quaeritur 4. An possint absolvi illi qui in peccatis sunt consuetudinarii aut recidivi. Distinguendum est inter

(1) Instruct. confess. (2) D. n. 583. (3) De poen. c. 4. n. 10. (4) N. 326. (5) Instruct.

consuetudinarium sive habituatum et recidivum. *Consuetudinarius* intelligitur hic qui prima vice suum pravum habitum confitetur, et iste bene potest absolvi, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat, ut cum sententia communissima dicit Croix [1]. Ratio quia talis poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex illa bene praesumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium; omnes enim conveniunt quod dolor per confessionem manifestatur. Vide Iuenin. [2] Salm. [3]. Nec valet dicere quod eadem prava consuetudo est signum indispositionis; nam licet pravus habitus reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis. Attende quae docet catechismus rom. [4]: *Si, audita confessione, iudicaverit* (sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit*. Nota *omnino defuisse*.

Recidivus autem est ille qui post confessionem in eadem peccata relapsus est. Hic dubitatur an possit absolvi. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia, quam tenent Sylv. Henr. Tanner. Sancius etc. apud Salmant. [5], dicit hunc absolvendum esse toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia iudicetur indispositus; alias semper dispositus est censendus, utque talis ius habet ad absolutionem. Sed haec sententia falsa est, ut infra dicemus.

Secunda sententia omnino opposita, quam tenent Merbes. [6] Iuen. [7] et Genett. [8], dicit numquam peccatorem habituatum censendum esse dispositum ad absolutionem, nisi ante conversionem suam per emendationem probaverit. Et idem sentit p. Conc. [9], quamvis alibi [10] sic in praxi temperet suam doctrinam, dicens: *Et ut errandi periculum declines, si vides bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma vel impertiendi vel denegandi absolutionem.*

Tertia sententia communis quam sequimur et tenent Sanch. [11] Pal. [12] Bon. [13] Lugo [14] Petroc. [15] Spor. [16] Az. [17] Viva [18] Layman [19] Holzman [20] Anacl. [21] Milante [22] Wig. [23] et Salm. [24] cum Suarez Sayr. Hurt. Prado Rodr. Lop. etc. docet quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis.

Prima pars est contra primam sententiam dicentem quod recidivi debent absolvi semper ac ad sacramentum accedunt. Et probatur ex prop. 60. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

Ratio est quia, ut confessarius possit poenitentem absolvere, debet esse moraliter certus de eius dispositione; unde, quamvis peccator prima vice se confitens censendus sit dispositus, eo quod (ut diximus) nulla ei obstat praesumptio in contrarium; tamen quando iam in alia confessione ipse fuit admonitus et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu et nullo impleto ex mediis a confessario praescriptis, frequens ille relapsus signum praebet vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua poenitentia non sit vera: qui

(1) L. 6. p. 2. n. 1820. (2) Instit. theol. t. 7. p. 408. (3) De sacr. in gen. c. 1. p. 1. d. 1. n. 11. (4) De poenit. n. 60. (5) Tr. 17. de iuram. c. 2. p. 9. §. 11. n. 169. (6) De poen. p. 141. reg. 2. et 3. (7) Instit. theol. de poenit. t. 7. c. 1. art. 1. q. 3. (8) L. 4. c. 7. q. 15. (9) P. 360 §. 4. per totum. (10) P. 722. num. 24. et p. 719. (11) Dec. l. 2 c. 32. n. 45. et l. 3. c. 5. n. 18. (12) De iuram. d. 1. p. 9. n. 3. (13) Eod. tit. t. 2. d. 4. q. 1. p. 3. (14) D. 14. n. 166. (15) T. 4. de poen. c. 7. q. 9. (16) Eod. t. c. 2. n. 332. (17) T. 2. l. 11. c. 3. q. 4. (18) De 2. praec. q. 7. a. 7. n. 4. (19) C. 4. n. 10. (20) P. 149. n. 589. (21) P. 62. n. 49. (22) In d. prop. 60. exerc. 55. (23) T. 15. n. 98. (24) Loc. cit. n. 170.

enim firme proponit (bene ait Lugo [1]) rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit. Hinc s. Isidorus [2] sic ait: *Ille poenitentiam digne agit, qui sic praeterita mala deplorat, ut futura iterum non committat.* Et s. Augustinus apud eumdem Isidor. sic optime scripsit: *Qui pectus suum tundit et se non corrigit, solidat peccata, non tollit.* Ideo s. Carolus Borrom.[3] bene docuit: *Proroganda est absolutio eis qui a multis annis in eisdem peccatis perseverarunt, nec ut emendarentur laborarunt.* Et hoc ait Lugo [4] accidere posse etiam in confessione venialium, in quibus poenitens sit habituatus. Nam licet communiter dicant dd. quod facilius absolvi possint qui in eadem recidunt venialia, quia ipsorum occasiones sunt frequentiores, quas evitandi non adest obligatio tam stricta; tamen merito dicit Elbel [5] saepe timendum esse, ne sint nullae et sacrilegae confessiones illorum qui propositum de praedictis venialibus vitandis nimis generaliter concipiunt. Unde bene advertit cum Spor. [6], quod huiusmodi poenitentes potius quam se vexent ut omnia sua venialia exacte confiteantur, attendant ad illa clavibus subiicienda, de quibus noverint verum habere dolorem et propositum.

Dicunt vero Sanch. Lay. Lug. Pal. Viva Spor. cum aliis [7] quod his non obstantibus bene poterit absolvi recidivus usque ad tertiam vel quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus fuerit et nullum adhibuerit remedium. Veneror tantorum dd. auctoritatem, sed ego eorum opinioni numquam acquiescere potui: etenim cum poenitens iam fuerit in alia confessione admonitus, et eodem modo reinciderit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem suspicio utique recurrit, qua fit ut confessarius non possit habere de eius dispositione moralem certitudinem sufficientem respective ad hoc sacramentum, ut infra explicabitur.

Secunda vero pars est contra secundam sententiam, quae cum intolerabili rigore dicit numquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius emendatione. Ratio nostrae sententiae est, quia relapsus, tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis; bene enim contingere potest quod poenitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus, ut advertit s. Anselmus [8], dicens quod consuetudinarii, *pravo usu irretiti, nolentes in eadem vitia deiiciuntur.* Unde quoties poenitens affert signa extraordinaria doloris, per ea tollitur suspicio illa de indispositione, et tunc confessarius prudenter iudicare poterit suum poenitentem satis esse dispositum. Unde recte ait p. Milante *in prop.* 60. *damn. ab Innoc.* XI. *supra relata n.* 459. quod ibi *non excluditur absolute consuetudinarius utcumque talis, sed qui nullam dat emendationis spem. Igitur consuetudinarius qui dat aliquam emendationis spem, modo haec sit solida et fundata, potest absolvi.* Tot autem auctoritates ss. patrum quas adducunt adversarii, nihil aliud probant quam magnam illam difficultatem quae adest in extirpando pravo habitu; sed bene docet Lugo [9] cum Suar. Sanch. Reg. Henr. et aliis communiter, quod *dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura, atque ita poenitens poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus.* Nec verum est quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatae voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia quae tempore non indiget, sed in instanti operatur, et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quidem signa patefieri potest. Imo aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia

(1) D. 14. n. 160. (2) L. 2. sent. c. 16. (3) In sua instruct. ad confess. (4) Loc. cit. (5) P. 229. n. 112. (6) N. 339. (7) Locc. cc. (8) De simil. c. 139. (9) D. 14. n. 166.

temporis; nam signa illa directe indicant dispositionem poenitentis, experientia vero tantum indirecte; adeo ut non raro evenire poterit quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi huius honestate contineat, ut ait d. Gregor., et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea, quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit, ut clare colligitur ex c. *Septies* 23. *de poen. dist.* 3. ubi d. Hieronymus sic inquit: *Septies cadit iustus. Si cadit, quomodo iustus? Si iustus, quomodo cadit? Sed iusti vocabulum non amittit, qui per poenitentiam semper resurgit. Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata denantur.* Et d. Io. Chrysost. [1] scripsit: *Temporis moram non quaero, sed animae correptionem, hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius immutati, et res tota confecta est.* Hinc auctor libri Romae editi, cui titulus *Istruz. per li novelli confess.* [2] sic inquit: *Se la ricaduta nasca dalla propria fragilità, senz'altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire che ogni ricaduto sia indisposto.* Ac ideo [3] dicit quod peccator relapsus propter mali habitus vim statim absolvendus est, si firmam habeat voluntatem adhibendi media ad se emendandum, additque: *E giudichiamo che il fare altrimenti sia troppo rigore; e che il confessore facendolo s'allontanerebbe dal vero spirito della chiesa e del Signore e dalla natura del sacramento, il quale non solamente è giudizio, ma è medicina salutare.*

460. Sed rogabis, quaenam sint haec signa extraordinaria doloris, cum quibus recidivus statim possit absolvi. Plura huiusmodi signa traduntur ab aa. supra allatis [4], quae sunt videlicet: 1. Maior dolor patefactus per lacrymas, suspiria aut cordialia verba, aiunt Lugo Laym. Milante Holzm. Croix Tamb. Lohner Renzi et Salm. [5]. Dicit autem Gon. [6] non esse saepe credendum lacrymis peccatorum, nam saepe lacrymae proveniunt ab humano affectu. Vice *non saepe* melius hic auctor dixisset *non semper*, nam revera, ut bene ait p. Mil., huiusmodi lacrymae, praesertim in mulieribus et rudibus, non semper sunt signa verae poenitentiae; quandoque enim proveniunt ex aliqua passione, quam poenitentes exponunt; vel ex motivo negatae absolutionis, vel damni passi aut imminentis. Caeterum lacrymae poenitentium ut plurimum oriuntur ex compunctione cordis, maxime si effundantur post auditam concionem vel monitionem confessarii praebentis aliquod compunctionis motivum. Hinc s. Leo [7] sic docuit: *In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem credamus ex Dei inspiratione conceptam.* Nota *cum credamus*, quapropter ordinario nisi aliud percipiatur oppositum, credendus est poenitens ex inspiratione Dei lacrymas effundere. Hic etiam facit illud quod attulimus d. Io. Chrysostomi mox supra, ubi dixit compunctionem signum esse veri doloris.

2. Minor numerus peccatorum, ut dicunt Busemb. Wigandt Laym. Sporer Anacl. p. Segneri Lohner Gob. Mazzotta Tamb. et Renzi. Hoc tamen intelligendum, cum poenitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi, aut si ille post ultimam confessionem diu se continuerit, v. g. per 20. vel 30. dies, cum ante assuetus fuerit prolabi pluries in hebdomada: vel si relapsus fuerit post magnum conflictum, ut recte aiunt Croix et Anacl. 3. Studium adhibitum ad emendationem, Lugo Layman Sporer Salmant. Mazzotta; aut si poenitens adhibuerit ieiunia, eleemosynas, orationes et missas, ut bonam faceret confessionem, et ad absolutionem se disponeret. Fuga spontanea occasionum, Croix et Mazz. Impletio mediorum praescriptorum a confessario, Wigandt Busemb. et Maz.

(1) Hom. 14. in 2. ad Cor. (2) P. 1. c. 15. n. 356.
(3) C. 9. n. 213. (4) Locis citatis.
(5) De poenit. c. 5. p. 4. n. 65.
(6) T. 4. c. 5. a. 19. (7) Ep. 82. Theod. epis.

4. Si poenitens quaerat media ad se emendandum, Laym. Lugo Salm. Mazz. Wigandt Holz. Milante etc., aut si promittat remedia adhibere vel antea praestita melius exequi; Lugo Segneri Croix et Mazzotta; maxime (ait Lugo) si numquam admonitus fuit de mediis adhibendis; sed huiusmodi promissionibus puto non omnino fidendum, cum poenitentes facile promittant ad absolutionem obtinendam omnia exequi quae confessarius imponit, sed non raro postea negligunt. 5. Spontanea confessio, ut dicunt Laym. p. Segneri Tamb. et Mazz., dummodo poenitens non confiteatur ex obligatione praecepti paschalis, vel impulsus a parentibus, paedagogo aut domino, nec propter quemdam usum se confitendi in aliquibus festis, nempe nativitatis Domini, assumptionis b. Mariae, etc., sed accedat omnino sponte et vere a lumine divino inspiratus, ad solum finem adipiscendi Dei gratiam. Praecise haec spontanea confessio signum esset dispositionis, si poenitens, ut accederet ad sacramentum, notabilem conatum adhibuit, scil. longum iter est aggressus, abstinuit a lucro illius diei, magnum conflictum internum sive externum superavit, et similia. 6. Si accedit ductus ab aliquo extraordinario motivo, nempe concionis auditae, mortis alicuius amici, vel ex timore terraemotus, alluvionis, pestis etc., p. Milante et Croix. 7. Si poenitens confiteatur peccata prius culpabiliter omissa, Croix. 8. Si poenitens, priusquam accedit, restituerit ablatum vel reparaverit famam proximi laesam, Milante. 9. Addo cum Milante, si post peccata poenitens ad monitionem confessarii significet se adeptum fuisse novam cognitionem suae iniquitatis vel periculi suae damnationis. Addit Croix[1] esse etiam signa extraordinaria, si poenitens dicat se poenituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, si magnam poenitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex seipso malle mori quam relabi Haec signa dico saltem deservire posse ad alia signa dispositionis adiuvanda.

Haec autem signa dispositionis recidivorum auctores praefati non casu tradiderunt, sed experientia docti. Unde puto nequaquam errare eum qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab huiusmodi dd. non humilis notae. Dicere autem quod ipsi scripserint ex passione affecti, ut suae ipsorum doctrinae cum plausu exciperentur, vel propter aliquid huiusmodi, non videtur carere aliqua labe temeritatis. Quod si hoc non est censendum, non debet credi hos tam graves dd. a Deo lumine suo fuisse destitutos in re quae directionem respicit conscientiarum totius populi christiani, tanto magis quod circa tales sententias nulla ecclesiae proscriptio intercessit. Nec officit quod plures opiniones quae circumferuntur non sunt ab ecclesia damnatae, et tamen ab aliis communius ut laxae reputantur; nam ecclesia non omnes opiniones quae casus particulares respiciunt damnat, quamvis non approbet; sed sententias quae universalitatem conscientiarum spectant ecclesia nec approbat nec tacet, ut dixit s. Aug.[2]: *Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quae circa fidem sunt vel bonam vitam nec approbat nec tacet.*

461. Caeterum, ut ad propositam materiam redeamus, certum est 1. Quod confessarius tenetur differre absolutionem usquedum fiat moraliter certus de dispositione sui poenitentis, saltem per experimentum temporis vel mediorum, si poenitens sufficiens nondum praebeat signum suae dispositionis. Vide Salmant.[3]. Attamen notandum est (prout diximus *de sacram. in gen. n.* 57.), quod in aliis sacramentis, cum materia sit physica, physica requiratur certitudo; sed in hoc sacramento poenitentiae, cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, sufficit certitudo moralis sive respectiva. Sic enim docuit d. Th.[4]: *Nec*

(1) N. 1822. (2) Ep. 119.

(3) De poenit. c. 5. p. 4. n. 66.
(4) 1. 2. q. 91. a. 3 ad 3.

oportet quod omnis mensura sit omnino infallibilis... sed secundum quod est possibile in genere suo. Et alibi [1]: *Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia, secundum proprium modum: quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur.* Unde quoad nostrum propositum spectat, sufficit quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis, ut recte docet p. Suarez [2] qui ait, quod oportet et sufficit ut *confessarius prudenter et probabiliter iudicet poenitentem esse dispositum.* Et hoc videtur satis exprimi in catech. rom. [3] ubi dicitur: *Si audita confessione* (sacerdos) *iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ergo semper ac confessario positive non innotescit, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. Hinc auctor supra cit., *Istruz. per li nov. conf.* [4], cum Esparsa sic loquitur: *Donde noi fermiamo qui per ultimo la conclusione, ch'è la chiave di tutta questa materia; non ricercarsi altro per amministrare la penitenza che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch'egli non sia sufficientemente disposto, non dee il confessore inquietare se stesso nè il penitente per averne l'evidenza che non è possibile.* Et huic conducit textus *c. A nobis 2. de sentent. excom.* ubi dicitur: *Iudicium Dei veritati quae non fallit nec fallitur semper innititur, iudicium autem ecclesiae nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli.*

462. Certum est 2. et commune apud omnes, quod possit confessarius differre absolutionem poenitenti etiam disposito, et etiam sine eius consensu, semper ac prudenter iudicet dilationem esse utilem eius emendationi. Ita Salm. [5] Lugo [6] Holz. [7] Ronc. [8] Croix [9] Viva [10] Card. [11] cum Suarez Sa Sanch. et aliis passim contra paucos Ratio, quia poenitens, quamvis habeat ius ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen habet ius ut statim absolvatur; confessarius enim, cui non solum iudicis, sed etiam medici competit munus, bene potest, imo meo iudicio (ut supra dixi) tenetur differre absolutionem, quando iudicat tale remedium esse necessario utile saluti sui poenitentis.

463. Magnum dubium quod vertit est, an hoc remedium dilatae absolutionis saepius expediat adhibere vel ne poenitenti iam sufficienter disposito ad absolutionem sine eius consensu. Commune est apud dd. nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur; ita Viva [12] et Salm. [13] Lugo [14] Sanch. [15] et Mazzotta [16] cum aliis communiter. Idem dicendum, cum ex dilatione absolutionis poenitens paleretur notam infamiae, ita Croix [17] et Mazzotta [18] cum Sanch. Pal. Cont. Tour. [19] Conc. Anacl. Laym. Bon. Holz. Spor. et aliis quos attulimus *n.* 455. Extra autem hos casus sentit Hurt. [20] semper expedire differre absolutionem consuetudinariis, imo Concina [21] ac Iuen. et Merbes. [22] dicunt tale remedium ipsis esse necessarium ut ipsi operibus suam conversionem comprobent. Quinimo Iuen. [23] sic rigidissime loquitur: *Qui mortaliter peccarunt, non debent absolvi, nisi multo ad viri prudentis iudicium tempore operibus conversionem pro-*

(1) 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2. (2) De poenit. d. 32. s. 2. n. 1. (3) De poen. n. 60. (4) P. 1. c. 15. n. 360. (5) De poenit. c. 5. p. 4. n. 68. (6) D. 14. n. 168. (7) N. 587. (8) C. 4. q. 5. r. 1. (9) N. 1764. (10) In propos. 60. damn. ab Innoc. XI n. 15.

(11) In camd. propos. n. 24. (12) In propos. 60. damn. ab Innoc. XI. n. 9. (13) Ibid. n. 67. (14) D. 14. n. 168. (15) Dec. l. 2. c. 35. n. 43. (16) T. 3. p. 577. (17) N. 1764. (18) Loc. c. (19) Ib. (20) Res. 21. n. 206. (21) P. 719. n. 19. (22) Loc. cit. (23) De sacram. tract. de poen.

barint .... Toti antiquitati persuasum fuit contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium, imo et nonnumquam annorum. Et alibi [1] addit hoc servandum esse, etiamsi poenitens semel patraverit aliquod enorme peccatum ut periurium, adulterium, homicidium et similia. Loquens vero de peccatore habituato inquit, *numquam ipsum censeri dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem per emendationem probaverit.* Alii vero ut Bus. *infra*, Viva [2] Dic. [3] Croix [4] Salm. [5] etc. dicunt raro expedire quod poenitenti disposito differatur absolutio. Melius dicendum quod certa regula in hoc statui non possit, sed confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus absolutionem differat vel impertiatur. Unde sapienter episcopi Belgii Bruxellis congregati, in decreto ad suos, anno 1697. sic statuerunt: *Confessarius a quibusvis peccatoribus gravioribus, etiam recidivis, stata lege non exigat, ut per notabile tempus praevie exercuerint opera poenitentiae; sed cum ss. patribus expendat Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis quam doloris.* Vide apud Croix [6].

Ut autem hic meum proferam iudicium, dico quod si poenitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae et similium; raro puto differendam esse absolutionem recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium. Et casu quo dilatio videatur expedire (quidquid dicant Iuenin. et Merbes. requirentes dilationem per menses et annos), verius dicendum absolutionem non differri debere plus quam ad octo vel ad decem dies; prout dicitur ab auctore libelli cui titulus, *Istruz. per li confessori di terre e villaggi* [7] approbati Neapoli a doctissimo et illustr. episcopo d. Torno, (ibique citatur Ludovic. Habert [8]) et ab alio auctore iam citato libri *Istruz. per li novelli confessori* [9]. Hi censent dilationem mensis esse excessivam et periculosam, quia post tantum temporis difficile poenitentes redibunt. Et huic favet n. ss. p. Benod. XIV. in sua epist. encycl. quae incipit *Apostolica*, ubi alloquens confessarios qui ex iusta causa differunt poenitentibus absolutionem, sic hortatur: *Illos ut quantocyus revertantur invitent; atque animos addant, ut ante reditum ea quae illis agenda praescribuntur rite perficiant, ex quo fiet ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur.* Ad summum dico absolutionem differendam usque ad quindecim dies. Dixi 1. si poenitens sit relapsus ex causa intrinseca; nam si reinciderit ex occasione extrinseca, dico absolutionem omnino differendam esse usquedum tollatur occasio, si sit voluntaria; si vero necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum. Et ad hoc ordinarie loquendo certe non sufficiet dilatio 10. vel 15. dierum. (*Vide quae diximus de hoc puncto supra num.* 452. *Quaest.* 3.). Dixi 2. raro, nam regulariter censeo non discedendum a sententia communi, quam tradunt Sanchez [10] Layman [11] Lugo [12] Fill. [13] Abelly [14] Dicast. [15] Nav. [16] Croix [17] cum communi, ut asserit, Salmant. [18] Spor. [19] Tol. [20], nempe non esse differendam absolutionem poenitenti, qui relapsus est ex intrinseca fragilitate, quia in tali poenitente magis sperandum profuturam fore gratiam sacramenti, quam dilationem absolutionis.

464. Sed dices, cur differenda est absolutio poenitenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex prava consuetudine, cum eodem modo impellat ad peccandum occasio extrinseca ac prava consuetudo. Respondetur: Alio quidem longe diverso modo

(1) Instit. theol. t. 7. de poenit. c. 1. a. 1. q. 3. (2) In propos. 60. damn. ab Innoc. XI. (3) D. 10. dub. 29. (4) N. 1768. (5) Tr. 6. c. 5. p. 4. n. 68. (6) L. 6. p. 2. n. 1324. (7) C. 1. §. 4. (8) In praxi s. poenit. tr. 4. p. 417. (9) C. 9. n. 215. (10) Dec. l. 2. c. 32. n. 45. (11) C. 6. n. 10. (12) D. 14. n. 106. (13) Tr. 7. instruct. c. 5. (14) De poen. c. 5. §. 20. n. 5. (15) D. 10. dub. 29. (16) C. 3. n. 21. (17) N. 1322. (18) De poen. c. 5. n. 4. n. 63. (19) C. 2. n. 150. (20) L. 5. c. 15.

ad peccatum impellit occasio extrinseca, quam pravus habitus; occasio enim per obiecti praesentiam, quae vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus pronos ad peccandum, affectumque ad peccatum reddit intensiorem; et ideo poenitens maximam sibi vim inferre debet, non solum ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum, ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicis ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo, cum non habeat obiectum extrinsecum praesens, non ita utique sicut occasio ad peccandum impellit; unde fit, ut poenitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Praeterea, cum pravus habitus sit quid intrinsecum et inseparabile a persona, extirpatio habitus minus, quam remotio occasionis, pendet a propria voluntate; et ideo magis sperandum fore ut Deus bonam voluntatem per maiora auxilia adiuvet ad perseverandum. His positis, imprudenter agit confessarius, si absolvit eum qui est in occasione extrinseca, saltem antequam experiatur quod ille per fugam reddat periculum remotum; nam alias eum relinquit in probabili periculo infringendi propositum, eo quod talis poenitens post obtentam absolutionem facile negliget fugam necessario adhibendam et sic sine dubio relabetur. E converso prudenter absolvitur recidivus ex causa extrinseca, si vere est dispositus per signum extraordinarium doloris; quia periculum in eo infringendi propositum est magis remotum, cum ex una parte non adsit causa extrinseca ad peccatum impellens, et ex alia maiora Deus praebebit auxilia poenitenti ad extirpandum pravum habitum, qui ipsi nolenti ac detestanti inest; hinc magis sperandum, fore ut ille emendetur per auxilium gratiae in sacramento susceptae, quam per dilationem absolutionis. *Saepe iuvat* (ait doctus p. La Croix qui egregie tractat de hoc sacramento poenitentiae) *relapsis absolutio, tum ob auxilia gratiae quae confert sacramentum, et quibus potest muniri absolutus, quia pia exercitia ab efficacitate sacramenti habebunt maiorem vim, eruntque Deo gratiora et efficaciora, utpote facta ab amico Dei; et ex institutione Christi inerit eis maior vis satisfactoria; tunc etiam spes est usurum ferventius mediis praescriptis, nam dilatio multos offendit, quia non redeunt, sed redduntur obdurati.* Idque expresse approbatur a d. Thom. [1] qui inquit: *Dicendum quod maius remedium praebetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum.* Hinc recte dicunt Salm. [2]: *Cur de peccatore non habente gratiam per dilationem, quam de constituto in amicitia Dei per absolutionem melius sperandum est?* Et praesertim quoad peccatum pollutionis Toletus [3] sic inquit: *Vix puto esse aliud efficax remedium quam frequentissimam confessionem adhibere; est enim hoc sacramentum maximum fraenum, et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem nisi per miraculum.* Hocque remedio frequentis confessionis pro recidentibus in tale vitium legimus d. Philippum Nerium maxime usum fuisse. Et huic doctrinae alludit id quod habetur in rituali romano [4], ubi: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere ut saepe confiteantur, et si expediat, communicent.* Ergo rituale, dum dicit remedium frequentis confessionis utilissimum esse facile recidentibus in peccata, supponit pravum habitum ab eis non adhuc esse avulsum; sed, hoc non obstante, docet gratiam sacramenti multum conferre ad emendationem.

Quidam rigiditatibus addicti, qui per unicum rigoris tramitem animas conducunt, nimis generaliter loquentes, asserunt omnes recidivos perversiores fieri, cum absolvuntur antequam emendentur. Sed hos magistros meos rogarem, numquid recidivi, cum sine absolutione dimittuntur, gratia sacramenti carentes, omnes validiores fiunt et emendantur? Quot miseros ipse cogno-

(1) Suppl. q. 25. a. 1. ad 4.

(2) De poenit. c. 3. p. 4. n. 63.

(3) L. 5. c. 13.

(4) De sacr. poenit.

vi, qui ob denegatam absolutionem se deiecerunt in desperationem, et per plures annos a sacramentis aversi aberrarunt? Caeterum unusquisque in hoc puncto impertiendae vel differendae absolutionis dirigere se debet iuxta lumen a Deo sibi donatum. Hoc certum est, quod in hac materia tam errent qui aequo sunt faciliores, quam qui aequo rigidiores sunt in absolvendo; utrumque extremum perniciosum; multi enim confessarii ob nimiam facilitatem absolvendi in causa sunt ut plures animae in perditionem abeant; sed alii ob nimiam rigiditatem non minoris sunt detrimenti. Unde haud scio utrum confessario minori scrupulo debeat esse indispositos absolvere, quam dispositos dimittere. Tandem, ut meae conscientiae dictamen exponam, sic concludo: Aliquando poterit alicui recidivo prodesse dilatio absolutionis. Semper quidem proderit deterrere huiusmodi relapsos ex intrinseca fragilitate negationem absolutionis minando. Ordinarie vero loquendo magis proderit eis absolutionem impertiri, cum dispositi accedunt per signum extraordinarium doloris. Utinam dico et omnes confessarii absolverent recidivos cum solum signa extraordinaria illi afferunt! Sed quod dolendum est, maxima pars confessariorum undique, nullo prorsus signo extraordinario exhibito, indiscriminatim sine ulla admonitione nulloque praestito remedio, huiusmodi relapsis semper absolutionem impertiuntur, et hoc est unde ruina tot animarum emanat.

Dubium III. Qualis confessio requiratur.

Art. I. An debeat esse integra materialiter.

465. *Quae sit integritas materialis.*
466. *Quantum extendatur numerus, dicendo* plus minus. *Et quomodo exquirendus numerus in consuetudinario.*
467. *An sint necessario explicandae circumstantiae aggravantes.*
468. *Qu. 1. Quot sententiae sint in hac quaestione. An in furto explicanda sit quantitas.*
469. *Qu. 2. Dub. 1. An incestus cum consanguineis differat specie ab incestu cum affinibus.*
470. *Dub. 2. An in peccato incestus cum consanguineis explicandi sint gradus consanguinitatis.*
471. *Plura notanda circa examen conscientiae et integritatem confessionis.*
472. *An peccata mortalia dubia necessario sint confitenda.*
473. *Dub. 1. An teneamur confiteri mortalia positive dubia.*
474. *Dub. 2. An mortalia negative dubia.*
475. *Quid si quis velit eucharistiam recipere.*
476. *Quid si quis sit scrupulosus vel timoratae conscientiae.*
477. *Dub. 3. An teneatur quis confiteri aliquod mortale in dubio an illud sit confessus.*
478. *Dub. 4. An qui confessus est mortale uti dubium, teneatur repetere quando certum agnoscit. Quid si poenitens post confessionem sciat materiam sui peccati fuisse gravem, sed ipse nullo modo id noverit tempore quo peccatum commisit.*

465. « Resp. Ad confessionem per se et ordinarie requiritur integritas materialis sita in eo, ut postquam diligentius te excusseris, et conscientiae tuae sinus et latebras (ita loquitur Trident.[1]) exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriae occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum et circumstantias, quae speciem mutant. Patet ex Trid.[2] et est certum. Ratio est, quia alias nec iudicium sacramentale recte administrari, neque aequitas in poenis statuendis servari potest.

» Dicitur 1. *per se et ordinarie*: quia per accidens et extraordinarie sufficit integritas formalis. *Vide dub. seq.*

466. » Dicitur 2. *numerum*, intellige certum, qui si non constet, dic probabilem, addendo plus minus. Quod si deinde deprehendas te errasse, non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter fuerit maior. Fagund. Sanch. Hurtad. contra Regin. Fill. et Sa, qui dicunt verba illa, *plus minus*, tantum extendi ad unum vel duo supra numerum indicatum (Lugo [3] Cab. [4] Tambur. et Ronc. dicunt illud plus minus sic sumi: circa ter, intelligi bis vel quater: circa 10., intelligi 8. vel 12.: circa triginta, 27. vel 33.: circa centum, 95. et 105.: circa mille, 950. et 1050.). Sed quamvis hoc sit verum in numero parvo, denario v. gr., non tamen in aliis, v. gr. centenario, millenario etc., quia verba illa non habent sensum absolutum, sed respectivum ad numerum cui adduntur; qui quanto fuerit maior,

(1) Sess. 14. c. 5. (2) L. c. (3) D. 16. n. 97. (4) T. I. c. 10. n. 8.

tanto etiam maior verbis istis intelligetur, dummodo tamen sit parvus respectu alterius cui adiungitur; quod prudentis arbitrio aestimandum est. Ita Diana[1] ex Navar. Item card. de Lugo[2]. Quod si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus et frequentia in die, septimana, mense vel anno. Vide Filliuc.[3] Diana[4] Gasp. Hurtad.[5] Lugo[6]. »

Bene hic advertit Sporer[7] confessarium non debere esse nimis anxium circa exquirendum numerum peccatorum in poenitente consuetudinario, quia saepe est impossibile talem numerum certum habere; plures enim ad importunitatem confessarii solum divinando respondent centies, millies; sed quis prudens eis fidem praestabit? Unde melius faciet confessarius, si diligenter statum conscientiae exquirat, et exinde interrogando poenitentem de lapsibus plus minusve in die vel hebdomada vel mense, saltem in confuso numerum peccatorum apprehendat durante consuetudine commissorum, quin certum iudicium faciat cum periculo errandi.

467. « Dicitur 3. *quae speciem mutant:* quia etsi probabile sit quod docent Suarez Concina et alii, etiam eas quae notabiliter in eadem specie aggravant (hoc est, quae iuxta cuiusque conscientiam exceduntordinarium peccandi modum) esse explicandas ob rationem allatam in responsione: contraria tamen sententia, quam ex d. Th. Sylv. Nav. docent Vasq. Reg. Bonac. Lugo[8] etiam probabilis est et tuta: saltem si excipias 1. gradus consanguinitatis in incestu. 2. Quantitatem furti, iniuriae etc. quae egent satisfactione. 3. Quando uno actu plures sunt occisi vel infamati, vel ap. plures. 4. Odium diuturnum; quia tunc solent plures actus fieri. Vide Regin.[9] (Odium diuturnum sicut etiam concupiscentia carnalis in mulierem necessario sunt exprimenda in confessione, non tam ratione circumstantiae aggravantis, quam propter numerum peccatorum quae in illa diuturna mora replicantur, ut dicunt Salmant.[10] et alii communissime; *vide dicta l. 2. de pecc. n.* 37.). 5. Peccatum inter confessarium et poenitentem. Vide Fill.[11]. Si circumstantia invehat censuram vel reservationem vel ad necessariam poenitentis directionem a confessario prudenter interrogetur.

468. Quaeritur 1. An circumstantiae peccatorum mortalium notabiliter aggravantes sint necessario confitendae. Adsunt tres sententiae omnes valde probabiles.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suar.[12] Soto[13] Sanch.[14] Gonet[15] Iuen.[16] Genet.[17] Conc.[18] Croix[19] Antoine[20] Wigandt[21], item Estius Canus Heur. Fag. ap. Salm.[22] et Alens. Sylv. Cai. Maior. Con. et alii apud Diana[23]. Probatur 1. ex rit. rom.[24] ubi dicitur: *Quod si poenitens numerum, speciem et circumstantias explicatu necessarias non expresserit, sacerdos eum interroget.* Ergo non solum sunt explicandae circumstantiae speciem mutantes, sed etiam notabiliter aggravantes, hoc enim significant verba illa, *speciem et circumstantias.* Id confirmatur ex catech. roman.[25] ubi dicitur circa mortalia explicandas esse circumstantias, *quae pravitatem valde augent vel minuunt.* Probatur 2. ratione, quia eadem ratio quae suadet circumstantias speciem mutantes esse confitendas, urget etiam pro circumstantiis notabiliter aggravantibus, cum utraeque iudicium confessarii notabiliter mutent. Nec officit quod Trident.[26] tantum primas docuerit confitendas; nam respondet p. Suar., quod concilium tantum voluit definire id quod certum erat, hanc vero quaestio-

(1) P. 3. tr. 3. r. 194. (2) D. 16. n. 94.
(3) T. 7. c. 4. n. 82. (4) P. 3. t. 4. r. 94.
(5) D. 9. diff. 5. (6) Dist. 16. n. 79. (7) De poenit. t. 3. p. 224. n. 451. (8) D. 16. sect. 5.
(9) Loc. cit. (10) De poenit. c. 8. p. 2. n. 14.
(11) De imped. matrim. c. 5. q. 5. n. 8.
(12) D. 22. s. 3. n. 5. (13) 4. d. 18. q. 2. a. 4.
(14) Dec. 1. 2. c. 21. (15) Man. t. 6. p. 440.
(16) T. 7. p. 466. (17) T. 4. c. 6. q. 3.
(18) P. 303. (19) L. 6. p. 2. n. 977. (20) P. 504.
(21) Tract. 3. n. 26. (22) Ibid. n. 22.
(23) P. 1. tr. 7. r. 1. (24) De sacr. poenit.
(25) P. 2. c. 5. §. 7. (26) Sess. 14. c. 5.

nem in opinione theologorum indecisam reliquit.

Secunda sententia, quam tenet Sporer [1] citans pro se Layman et Suarez, (adhaeretque Busemb.) dicit necessario esse confitendam circumstantiam *quid*, quae scilicet attingit integritatem substantialem peccati in individuo, prout est quantitas furti. Ratio quia alias confessarius non poterit efformare debitum iudicium de substantia peccati.

Tertia sententia, mihi probabilior negat esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes, et hanc tenent s. Anton. [2] s. Bernard. Sen. [3] s. Bonav. [4] Soto [5] Cab. [6] asserens hanc esse graviorem et communiorem cum Pal. Nav. Vasq. etc. Pal. [7] Bonac. [8] Tolet. [9] Holzm. [10] Salm. [11] Ronc. [12] (qui a prima sententia se revocavit) Lugo [13] cum Scoto Navar. Adrian. Reg. et probabilem putant Suar. [14] Abelly [15] et plurimi alii cum Diana [16].

Probatur 1. ex d. Th. [17] qui sua auctoritate magnum quidem pondus huic sententiae praestitit; oportet autem hic eius textum integrum transcribere, ut pateat s. doctorem pro hac sententia certe fuisse; sic docet: *Quidam enim dicunt quod omnes circumstantiae quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri necessitatis est, si memoriae occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendae, nisi circumstantiae quae ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est; sed addendum est, quae ad aliam speciem mortalis trahunt: cuius ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent: et quia circumstantiae aggravantes quae aliam speciem peccato non tribuunt vel quae tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis; tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut de venialibus dictum est.* Communiter conveniunt aa. d. Th. in hoc loco nostram sententiam tenuisse et signanter Canus [13] qui ait: *D. Th. expresse tenet solas circumstantias quae speciem mutant esse confitendas.* Idem sentit s. Anton. ut infra videbimus. Idem Sotus apud Iuenin. [19] qui dicit: *D. Th. sententiam mutasset, si vitam usque ad finem suae summae produxisset.* Haec tamen prophetia est p. Soti, non vero sententia d. Thomae. Attamen p. Concina [20] aliter explicat praefatum textum et dicit quod s. doctor non loquitur ibi de circumstantiis quae adiiciunt malitiam constituentem peccatum mortale, sed de iis quae confinia peccati venialis non transiliunt: idque deducit ex ratione quam s. Th. ibi subdit: *Cuius ratio, quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent.* At venia tanti viri non videtur haec interpretatio locum habere; nam respondetur 1. quod quaestio quae a d. Thoma ibi proponitur est signanter de circumstantiis *quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt.* Illud autem *notabilem quantitatem* non potest quidem intelligi circa peccatum veniale, sed circa mortale, primo quia nullus unquam de hoc dubitavit; quis enim dixit aut censeri potest dixisse, circumstantias peccati venialis esse necessario confitendas, cum apud omnes compertum sit ipsa venialia non esse de necessitate confitenda? Secundo, quia d. Thomas ibi loquitur de circumstantiis quae notabilem quantitatem peccato addunt, haec autem notabilis quantitas necessario debet intelligi de circumstantia peccati mortalis non autem venialis. Et quod ita sit, clare patet ex ratione illa quam subdit s. doctor, *quod venialia non sunt de necessitate confessionis;* quae quidem ratio non iam respicit suam principalem sententiam, ut intelligit p. Conc.,

(1) De poenit. c. 3. §. 3. n. 410. (2) 3. p. tit. 14. c. 19. §. 7. et tit. 17. c. 17. §. 3. (3) T. 3. de confess. (4) In 4. d. 17. p. 3. art. 2. q. 3. (5) In 4. d. 17. q. un. (6) Theor. iur. c. 10. n. 15. (7) Tr. 23. d. un. p. 9. (8) Q. 3. s. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 5. (9) L. 3. c. 7. n. 7. (10) N. 471.

(11) De poen. c. 8. p. 2. n. 23. (12) C. 2. q. 6. (13) D. 16. sect. 3. (14) Loc. cit. n. 15. (15) P. 137. vers. Quaeres. (16) Loc. cit. (17) In 4. d. 16. q. 3. art. 2. (18) Recoll. de poen. p. 2. §. Sed enim, p. 539. (19) Loc. cit, p. 463. (20) P. 303. n. 4.

nempe quod non oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, utpote quia sunt venialia: sed respicit illud: *Addendum est* (quod immediate praecedit), *quae ad aliam speciem peccati mortalis trahunt.* Quibus verbis aperte d. Thom. significat quod circumstantiae peccati mortalis mutantes speciem certe sunt confitendae, quia hae quantitatem infinitam quodammodo habent; non vero circumstantiae peccati venialis, etiamsi sint diversae speciei, et de hoc rationem reddit, *quod venialia non sunt de necessitate confessionis.* Deinde id clarius confirmat addens: *Et quia circumstantiae aggravantes, quae aliam speciem peccato non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non* (nota) *mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis.* Ergo s. doctor distinguit inter circumstantias quae tribuunt aliam speciem, sed non peccati mortalis, et inter circumstantias quae non tribuunt novam speciem (id est peccati mortalis, ut sine dubio intelligendum, alias comparasset peccatum veniale cum veniali), et utrasque circumstantias dicit non esse de necessitate confessionis. Hinc s. Anton. [1] d. Thomam sequens dicit: *Et illas quidem circumstantias quae trahunt peccatum in aliam speciem de necessitate oportet confiteri, secundum Thomam; alias circumstantias confiteri, cum non sint venialia de necessitate confessionis, perfectionis est, et non necessarium.* Deinde, postquam alias species circumstantiarum exposuit, inquit: *Tertiae sunt quae important disconvenientiam, ut furari multum* (puta, prout inferius addit) *furari centum florenos multo gravius est quam furari unum, et istas quae peccatum aggravant confiteri est perfectum, sed quia non mutant speciem, nec aggravant in infinitum, non est necessarium eas confiteri secundum Thomam:* additque, Petrum de Palude asserere hanc esse communem sententiam. Unde concludit s. archiepiscopus, confitendas tantum circumstantias quae mutant speciem et aggravant in infinitum, adducens exemplum de furto in loco sacro.

Probatur 2. rationibus. Ratio 1. quia in Trid. [2] sic dicitur: *Eas circumstantias in confessione explicandas quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam quam oportet pro illis poenitentibus imponere.* Ex quibus verbis videtur non obscure concil. excludere obligationem confitendi alias circumstantias quam mutantes speciem: quia has sufficere satis innuit ad hoc, ut confessarius rectum efformet iudicium de gravitate criminum et de poena imponenda. Ratio 2. quia alias poenitentes semper inter angustias fluctuarent, cum semper dubitare possent de integritate suarum confessionum in determinando quae circumstantiae sint vel ne notabiliter aggravantes: et ideo dicit d. Th. [3]: *Determinata quantitas peccati non potest sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit; unde sufficit quod cognoscat quantitatem quae ex specie peccati consurgit.* Unde huius sententiae Lugo assignat rationem a priori, dicens quod Christus nihil aliud praecepit quam confessionem peccatorum; qui autem explicat circumstantias mutantes speciem peccati, iam vere confitetur et explicat essentiam, cum peccati quidditas sive essentia tantum sumatur ex ipsius ratione specifica. Ratio 3. quia si teneremur manifestare circumstantias notabiliter aggravantes, teneremur etiam confiteri notabiliter minuentes, nempe si quis peccavit ex ira, metu, intensiori passione, ex inductione aliorum et similibus; quam obligationem etiam adversarii negant. Ratio ultima et potior, quam tradunt doctissimus Cabassutius Lugo Salm. et Ronc., est, quia nemo tenetur servare legem dubiam, ut fuse probatum est in *morali systemate, l. 1. de conscientia*, cum communi dd. ex s. Isidoro [4] et ex d. Th. [5]

(1) D. §. 7. (2) Sess. 14. c. 5. (3) L. c. q. 5. ad 2.
(4) In c. Erit autem, dist. 4. et c. Cum in iure 31. de offic. et pot. iud. del. et c. Suam de simon.
(5) Quodlib. 14. de verit. q 17. art. 3.

qui ait: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Scientia autem, ut certum est apud omnes, et docet idem d. Thom.[1], est certa notitia alicuius rei; unde cum lex confitendi circumstantias aggravantes sit valde dubia, ad illam non tenemur, et ideo (bene ait Lugo) Tridentinum non explicavit hanc obligationem illas confitendi, quia non satis concilium id colligere potuit ex Christi verbis et sacramenti institutione.

Nec obstat 1. rituale roman. dicens esse obligationem confitendi *speciem et circumstantias explicatu necessarias.* Nam resp. quod aliquando etiam adest obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, ut recte dicunt Lugo [2] et Salm. [3], quando scilicet inducunt censuram vel reservationem, aut quando (ut diximus) confessarius interrogat, putatque necesse id scire ad medicinam, vel restitutionem imponendam. Quoad auctoritatem catechismi oppositam, videtur quod illa nimis probat, nam videtur imponere obligationem explicandi circumstantias non solum aggravantes, sed etiam minuentes, quod non est credibile: quis enim unquam dixit quod si quis confiteretur homicidium et taceret illud commisisse ex vehementi passione vel in rixa, sacrilegam faceret confessionem? Unde debemus fateri hic mentem catechismi non satis intelligi.

Non obstat 2. dicere quod circumstantiae notabiliter aggravantes debeant explicari, ut confessarius debitam poenam imponat. Nam bene respondet Lug., in poenitentia iniungenda non requiri omnimodam, sed tantum quamdam aequalitatem, quae utique servari potest si manifestetur species peccati, licet non explicentur circumstantiae aggravantes. Hinc. d. Thom.[4] qui hanc quidem obiectionem sibi efformat sic respondet: *Sufficit quod sacerdos cognoscat quantitatem quae ex specie peccati consurgit.* Non obstat 3. dicere quod prima opinio saltem est tutior, et ideo omnino servanda in materia sacramenti ex propos. 1. damnata ab Innocentio XI. Nam bene respondent Carden. [5] et Croix [6] quod qui sequitur secundam sententiam non exponit sacramentum periculo nullitatis, cum ad valorem sacramenti sufficiat confessio formaliter integra, quae iam probabiliter habetur in confessione peccatorum, etsi non explicentur circumstantiae aggravantes. Unde etiam infertur quod quaelibet opinio probabilis negans aliqua peccata differre specie, non subiacet damnationi, quia si forte ante Deum est falsa, nihilominus iam adest confessio formaliter integra. Hinc probabiliter dicunt s. Anton. [7] Lugo [8] et Salm. [9] cum Pal. et Dicast., quod per se loquendo poenitens non tenetur quantitatem furti explicare. Dicitur *per se loquendo*, nam aliunde, quia ut plurimum confessarius inquirere debet de quantitate furti, ad hoc ut sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam et obligationem restitutionis imponendam; ideo ut plurimum tenetur poenitens confiteri in furto circumstantiam quantitatis.

469. Quaer. 2. Utrum qui commisit incestum explicare debeat qualitatem atque gradum. Duo igitur hic vertunt dubia.

Dubitatur 1. An incestus cum consanguineis differat specie ab incestu cum affinibus. Affirmant Les.[10] Salm.[11] Ronc.[12] Croix [13] et alii. Ratio quia, ut dicunt, licet omnes incestus eamdem reverentiam sanguini debitam offendant, diversa tamen difformitate eam laedit incestus cum consanguineis, quam incestus cum affinibus; nam inter consanguineos coniunctio provenit ex vinculo intrinseco, id est ab identitate eiusdem sanguinis per generationem accepti; coniunctio autem inter affines provenit ex vinculo extrinseco, nempe ex copula habita cum ipsorum consanguineis. Alii tamen probabilius

(1) P. 1. q. 1. art. 2. (2) D 16 n. 121.
(3) De poenit. c. 8. p. 2. n. 27. (4) L. c. ad 2.
(5) In 2. crisi, d. 2. n. 107. (6) N. 978. (7) L. c.
(8) D. 16. n. 12. (9) De poen. c. 8. d. 2. n. 23.
(10) Lib. 4. c. 3. n. 79.
(11) De 6. praec. decal. c. 5. p. 4. n. 30.
(12) De 6. praec. c. 5. q. 2.
(13) L. 6. p. 2. n 1074.

negant differre incestum cum consanguineis ab incestu inter affines, ut Lugo [1] Sanch. [2] Tamb. [3] cum Megala Soto et Cai. [4]. Ratio quia (ut ait Lugo) materialiter se habet, quod coniunctio oriatur ex sanguine aut ex matrimonio, cum ex eodem motivo prohibetur copula cum consanguineis, quam affinibus. Et pro hac sententia sine dubio est d. Th. [5] qui sic docet: *Persona affinis coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam, et ideo quia unum est propter alterum eiusdem rationis, inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas.*

Bene tamen excipiendum puto incestum inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, ut dicunt Salm. [6] et indicat Lugo [7]. Ratio quia debitum reverentiae, quod est motivum speciale prohibendi congressum parentum cum filiis, est etiam motivum prohibendi copulam inter novercam et privignum, vel socerum et nurum. Incestus autem cum affinibus, extra primum gradum, commune est inter dd. esse eiusdem speciei.

470. Dubitatur 2. An in confessione sint explicandi omnes gradus incestus commissi cum consanguineis usque ad quartum gradum.

Prima sententia affirmat cum Nav. [8] et Angel. Vasq. Suar. etc. ap. Salm. [9]. Ratio quia est specialis reverentia inter unum gradum consanguinitatis et alium. Idem tenent Bon.[10] cum Layman Con. Valent., sed alia ratione ducti, quia alias non explicaretur substantia sive individuum peccati.

Secunda sententia docet, solum incestum cum consanguineis in primo gradu, tam lineae rectae quam transversalis, specie differre ab aliis gradibus. Quoad primum gradum lineae rectae, haec sententia videtur omnino tenenda (contra Tamb.) tamquam communis cum Salm.[11] Cai. Lugo Ronc. etc. Ratio quia cuique patet huiusmodi incestum longe esse diversum ab aliis; imo recte Lugo [12] et Cont. Tourn. [13] docent explicandum an pater peccarit cum filia, vel cum matre filius, cuius culpa habet diversam malitiam ratione specialis reverentiae matri debitae. An autem differat incestus in primo gradu lineae rectae ab aliis eiusdem lineae gradibus. Affirmat Croix cum Bonasp., sed negat probabilius Lugo [14]. Maius dubium est, an incestus cum consanguineis in primo gradu lineae transversalis, nempe cum fratre aut sorore, differat specie ab aliis gradibus. Affirmant Less. [15] Lugo [16] Salm. [17] Ronc. [18] Croix [19] et Sanch. [20]. Ratio quia reverentia quae debetur fratribus vel sororibus est diversae rationis ab ea quae debetur aliis consanguineis; coitus enim cum sorore videtur ab ipso iure naturae interdictus. Quoad caeteros vero gradus consanguinitatis, dicunt Less.[21] Ronc.[22] et Salm.[23] non differre specie incestum; sed gradum propinquiorem inducere circumstantiam tantum aggravantem.

Tertia sententia, quam tenent Cai.[24] Bon. [25] Pal. [26] Pontius [27] Tamb. [28] cum Megala Diana etc., item Palud. Gabr. Vict. Nav. Arm. Vega Henr. Led. Scot. Abul. Soto ac alii multi ap. Sanch. [29] (qui cum Fill. vocat valde probabilem) censet, omnes incestus inter consanguineos, excepto tantum primo gradu in linea recta, esse eiusdem speciei. Ratio 1. quia, excepto dicto primo gradu lineae, alii gradus tantum constituunt circumstantiam aggravantem, quam explicandi valde probabile est (ut vidimus supra *n.* 468.) non esse obligationem. Ratio 2. quam affert Caiet. est, quia commixtio coniugalis inter consanguineos, praeterquam cum parentibus, est tantum vetita ab ecclesia.

(1) D. 16. n. 313. et 316. (2) De matr. d. 16. n. 7. et 8. (3) In meta. conf. c. 7. §. 7. num. 43. (4) In 2. 2. q. 154. a. 9. (5) 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2. (6) De poenit. tract. 26. c. 5. d. 4. n. 31. (7) N. 316. (8) C. 7. n. 4. (9) Ibid. n. 33. (10) De matr. q. 4. p. 16. n. 7. (11) Ibid. n. 36. (12) De poenit. d. 16. n. 314. (13) De 6. praec. a. 4. concl. 2. (14) N. 315. (15) L. 3. c. 3. n. 79 (16) N. 143. (17) Ib. n. 28. 31. et 33. (18) De 6. praec. c. 5. q. 2. (19) L. 6. p. 2. n. 1074. (20) De matrim. l. 7. d. 32. n. 11. (21) N. 90. (22) L. c. (23) De 6. praec. decal. c. 5. p. 4. n. 36. in med. et de poenit. c. 8. p. 2. n. 31. in fine. (24) In s. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. (25) L. c. n. 6. (26) D. 4. part. 7. n. 11. (27) C. 32. n. 3. (28) C. 7. §. 7. n. 43. (29) L. c

non vero de iure naturali; olim enim iam licitum fuit filiis Adam suis sororibus copulari. Nec obstat dicere quod sive malitia talium incestuum oriatur ex lege naturali sive ex prohibitione ecclesiae, semper huiusmodi incestuosi peccant contra reverentiam quae coniunctis debetur; ecclesia enim cum aliquid praecipit, ponit materiam praeceptam in ea specie virtutis ratione cuius illud praecipit, ecclesia autem propter eamdem reverentiam sanguini debitam iubet ab his congressibus fideles abstinere. Nam respondetur, quod licet ecclesia prohibendo commixtionem propinquorum usque ad quartum gradum elevaverit huiusmodi abstinentiam ad virtutem pietatis naturaliter debitae sanguine iunctis, non per hoc tamen effecit quod propinquitas horum graduum induceret diversitatem specificam naturalem; naturalis enim diversitas specifica graduum tantum est desumenda ex deformitate per se naturali, quae probabiliter non adest inter gradus consanguinitatis (praeter primum lineae rectae, ut diximus), magis enim et minus non variant speciem. Et pro hac sententia videtur indubitanter esse (ut non dubitat Cont. Tourn. [1], licet hic auctor sit pro contraria sententia) etiam d. Th. [2] qui sic ait: *In commixtione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio, nam filii naturaliter honorem habent parentibus.... Aliae vero personae, quae non coniunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam*, id est positivam de iure divino. Et idem videtur docere d. Aug. (apud d. Th. [3]) dicens: *Commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione* (id est ecclesia) *prohibente*. Prima sententia est minus probabilis; secunda et tertia aeque probabiles videntur.

471. « 1. Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens examen pro capacitate poenitentis, temporis mora, et caeteris circumstantiis. Ad id autem sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, vel qualem moraliter loquendo docti et timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, maiore diligentia plura se reperturum. Bon. [4] Laym. [5]. Post mediocrem autem istam diligentiam non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare; et si quid occurrat quod videatur non esse in confessione explicatum, potest sibi persuadere, cum caeteris id memoratum fuisse. Diana [6] ex Sanch. Animadverte tamen prop. 11. inter proscriptas ab Alex. VII.

» 2. Examen hoc a confessario potest suppleri, quod tamen Suarez reprobat in confessionibus longis diligentiorum, eo quod impossibile fere sit, ut quis repente rogatus omnia recordetur; et tantum admittit in rudibus (Adverte id quod habetur circa hoc in catech. rom. [7] ubi: *Si sacerdos huiusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet, hortabiturque ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensaturos promittant*): quos etiam monet Sa [8], bona fide confessos non nimis rogandos de confessionibus praeteritis, nisi intelligatur aliquid necessarium defuisse. Vide Fag. Diana [9]. (*Vide dicenda n.* 505).

» 3. Non est necessarium peccata

(1) L. c. (2) 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. (3) Eod. a. 9. (4) T. 1. d. 5. q. 5. (5) L. 5. tr. 6. c. 8. (6) P. 3. t. 4. r. 107. (7) P. 2. c. 5. n. 60. (8) Verb. Confessio. (9) P. 3. t. 4. r. 89.

scribere ne memoria excidant, ut contra Bonac. docent Suar. Vasq. et alii. Imo Sotus dicit id non consulendum, ob periculum evulgationis. Melius tamen Laym. Coninch. et alii asserunt suadendum esse, dummodo vitetur anxietas nimia, propter quam scrupulosis prohiberi potest.

» 4. Invalida est confessio non integra, ex ignorantia vel negligentia moraliter culpabili, ut verius docent Suar. et alii communiter contra Sot., quia Trid. requirit diligens examen.

» 5. Non officit integritati, per se loquendo, si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur, et deinde ordinario suo venialia tantum (qui imprudenter id aegre feret, prohibebit aut reprehendet); nisi tamen ea occasione maneat in morali occasione peccandi, aut ideo circumeat ut liberius peccet; tunc enim graviter peccabit, et ob defectum attritionis confessio erit nulla. Ita Fill. Layman [1] card. de Lugo [2].

» 6. Ex circumstantiis minuentibus illae tantum explicandae sunt, quae vel omnino tollunt malitiam, vel ex mortali faciunt veniale, ut parvitas materiae, indeliberatio etc. (verbi gratia si die veneris ignorans comedisset carnes), vel alioqui notabiliter mutant iudicium confessarii; saltem quoad speciem.

472. » 7. Ad servandam integritatem confessionis, peccata mortalia dubia ut dubia, loquendo de dubio proprie dicto, sunt aperienda, ut docent Suar. [3] Sanch. Diana de Lugo [4] Bon. [5] et alii commun. contra Coninch. Ratio est, tum quia peccata quae sunt in conscientia debent manifestari, at dubia ut dubia sunt in conscientia: tum quia in negotio salutis et medio ad hanc necessario non tam habet locum illud axioma: *Melior est conditio possidentis,* quam hoc: *In dubio tutior pars eligenda est.* Excipiuntur tamen scrupulosi et ii, quibus diu post patratum peccatum suboritur aliquod dubium, si alias soliti sint sollicite confessionem instituere, quia non est dubium prudens. Quod si postmodum accipiat notitiam certam, idem rursus esse confitendum tamquam certum, docent Tur. et Sanchez [6]. Dubitat tamen card. de Lugo [7] suadetque id ut securius. Vide Dian.[8]. Si vero peccatum confessus sit ut certum, et postea de eo dubitet an fecerit, non tenetur iterum confiteri ut dubium. Lugo et Tamb. [9], qui idem censent, etsi postmodum certo comperiat se non fecisse. Monent autem Suar. et Tamb. [10], si quis sola peccata dubia confiteatur, monendum ut addat aliquod certum ex alias confessis: quod si id haberi non possit, absolvendum sub conditione. »

473. Quaeritur igitur an sit obligatio confitendi peccata mortalia dubia, vel in dubio an fuerint confessa. Tres quaestiones hic occurrunt discutiendae valde scitu necessariae ad praxim. Dubitatur 1. an teneamur confiteri mortalia positive dubia, nempe si utrimque adsint rationes probabiles, quod peccatum mortale fuerit vel non fuerit commissum.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Merbes. [11] Hab. [12] Conc. [13] et alii antiprobabilistae, qui dicunt in opinionibus aeque probabilibus tutiorem sequendam esse.

Secunda sententia vero communissima negat, eamque tenent Sanchez [14] Suar. [15] (qui hanc tuetur, etiamsi probabilius sit peccatum esse commissum) Sylvest.[16] Sylv.[17] Ronc.[18] Anac.[19] Esc.[20] Bon.[21] Holzm.[22] cum communi, Viva[23] (pariter asserens esse communem) Tamb.[24] (dicens hanc esse certam apud omnes) Fill.[25] Diana[26] Spor.[27] et Salm.[28]

(1) L. 5. t. 6. (2) D. 16. n. 57. (3) 3. p. t. 4. d. 22. sect. 9. n. 7. (4) D. 16. n. 65. (5) D. 3. q. 5. sect. 2. p. 2. diff. 4. (6) 1. mor. c. 10. n. 69. (7) D. 16. sect. 2. n. 79. et 92. (8) P. 3. t. 4. res. 60. et 107. (9) Exp. con. d. 1. c. 1. (10) L. c. (11) De euch. p. 348. q. 5. (12) T. 6. p. 244. q. 6. (13) T. 9. p. 529. n. 10. (14) L. 1. dec. c. 10. n. 76. (15) 3. p. t. 4. d. 22. s. 9. n. 6. (16) V. Confessio 2. q. 1. §. 3. (17) 3. p. q. 6. a. 4. ad 3. (18) C. 2. q. 7. (19) P. 606. n. 55. (20) Tr. 15. n. 133. (21) D. 4. q. 4. part. 1. (22) P. 112. n. 458. (23) De euch. q. 4. a. 7. n. 9. (24) Meth. comm. c. 1. §. 9. n. 65. (25) Tr. 7. c. 4. n. 109. (26) P. 4. tr. 3. r. 5. (27) De poen. n. 389. (28) De euch. c. 7. p. 3. n. 22.

cum Gerson. Henr. Dicast. et alii probabilistae communiter. Ratio quia quisque potest licite se conformare opinioni vere probabili. Recte vero advertunt Holzm. [1] et Viva [2] cum Sanch. Henr. et aliis, quod in articulo mortis si quis dubitet an peccatum grave patraverit vel an illud confessus sit, sciens nunquam sacramentum poenitentiae post tale peccatum suscepisse, tunc ad effugiendum damnationis periculum teneretur, non iam peccatum illud positive dubium confiteri, sed vel absolutionem sacramentalem suscipere vel saltem actum contritionis elicere. At hic dices: contritio necessaria includit votum confessionis, unde cum possit fieri confessio, non sufficit contritio. Resp. Holz.[3], quod contritio revera ex se habet vim delendi peccatum, et in tantum non delet mortalia certa sine voto confitendi, in quantum, cum adsit praeceptum divinum illa confitendi, non vere contereretur qui, cum posset, hanc obligationem nollet implere. Sed hoc currit ubi peccatum mortale est certum, et ideo materia necessaria confessionis: non vero si peccatum est dubium, tunc enim, cum illud non sit materia necessaria, sicut contritio sine voto confessionis delet venialia, ita et mortalia dubia.

474. Dubitatur 2. An teneamur confiteri mortalia negative dubia.

Prima sententia communior affirmat, et hanc tenent Bus. ut supra, Sanch. [4] Suar. [5] Lugo [6] Pal. [7] cum Nav. Sylvest. et Laym. Anac. [8] Diana [9] Esc. [10] Tambur. [11] Laym. [12] Ronc. [13] Spor. [14] Salm. [15] ex d. Thom. [16] qui sic ait: *Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, et iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram et lepram.* Ratio 1. est quia in Trident. [17] sic habetur: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Si ergo ex concilio confitenda sunt omnia mortalia quorum conscientia habetur, etiam sunt confitenda mortalia dubia quorum dubia habetur conscientia. Ratio 2. quia lex confessionis est in possessione, unde in dubio peccatum est confitendum. Ratio 3. quia haec videtur universalis et inveterata praxis fidelium, et ideo supponitur emanasse ex Christi institutione, et per traditionem usque nunc fuisse observatam.

Secunda sententia vero negat, quam tenent Merb. [18] Habert [19] qui sic ait: *Qui dubitat absque ratione probabili dubium deponere debet.* Con. [20] Holz. [21] Marchant. [22] Sa [23] Mazz. [24], et probabilem vocant Layman [25] Viva [26] citans s. Anton. Palud. Less. Tap. Praepos. Amic. Haunol. etc., item Boss. Henr. Ferr. de Ian. etc. apud Guimen. ac Croix [27], qui vocat probabiliorem ex rationibus intrinsecis. Et revera, licet prima sententia sit valde probabilis et magna auctoritate roborata, haec tamen secunda non videtur sua probabilitate destituta. Ratio 1. quia Trid. [28] non obligat poenitentes nisi ad confitenda *omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent.* Non dicit, uti sunt in conscientia, nempe vel ut certa vel ut dubia, sed quorum conscientiam habent, quod importat habere notitiam certam peccati; conscientia enim (ut ait s. Bern.) nihil aliud est *nisi cordis scientia* et iudicium practicum de peccato commisso. Conscientia autem dubia neque est scientia neque iudicium, sed suspensio iudicii; unde minime dici potest habere conscientiam peccati, qui nullam rationem habet quod illud commiserit; et sic respondetur

(1) N. 463. (2) Loc. cit. n. 5. (3) N. 462.
(4) L. c. n. 66. (5) N. 7. (6) D. 16. sect. 2. §. 3.
(7) Part. 9. num. 17. (8) P. 606. num. 54.
(9) P. 10. tr. 12. n. 2. (10) L. 15. n. 176.
(11) Meth. conf. l. 2. c. 1. §. 3. n. 14.
(12) De consc. c. 5. §. 4. n. 37. (13) C. 2. q. 7. r. 1.
(14) N. 392. (15) De poenit. c. 8. p. 5. n. 33.
(16) 4. d. 21. q. 1. a. 3. ad 3. (17) Sess. 14. c. 5.
(18) P. 348. q. 5. (19) T. 6. p. 244. q. 6.
(20) Tr. 2. d. 7. dub. 3. (21) P. 113. n. 459.
(22) In Tribun. tract. 4. tit. 6. quaest. 5.
(23) V. Eucharistia n. 23. (24) Tr. 1. d. 1. q. 3. c. 5.
(25) L. c. n. 37. (26) De poen. q. 2. a. 2. n. 7.
(27) L. 6. n. 2. n. 609. (28) Loc. cit.

primae rationi oppositae. Id confirmatur ex eodem Trid.[1] ubi additur: *Constat enim nihil aliud in ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit...., ea peccata confiteatur quibus se.... Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur.* Ergo sicut poenitens non tenetur confiteri venialia, ita nec peccata dubia, cum dicat concilium, poenitentem nihil aliud confiteri debere nisi mortalia quorum meminit; dubitare autem non est quidem meminisse, imo potius est non meminisse. Ratio 2. quia non est pro delicto dubio onus certum imponendum: nec in dubio an lex existat adest legis obligatio (ut sapienter ait Bened. XIV.[2]); nam licet sit lex confitendi certa mortalia, et ideo qui certus est de mortali commisso et dubitat negative (nam si dubitet positive, mox infra dicemus) tenetur confiteri, non tamen existit certa lex confitendi mortalia dubia. Et sic respondetur secundae rationi oppositae.

Nec obstat auctoritas d. Thomae allata; ibi enim s. doctor revera non loquitur de eo qui post diligentiam efformat sibi iudicium, quod peccatum suum sit dubie mortale, et ideo dubium deponit ex regula praefata, nempe quod non datur certa obligatio ubi delictum est dubium; sed loquitur de eo qui certus est de sua actione mala et nescit discernere an fuerit vel ne mortalis, hic utique tenetur diligentiam adhibere ut dubium deponat; unde cum nescit illud deponere tenetur stare iudicio confessarii, cuius est discernere inter lepram et lepram. Neque obstat praxis fidelium, ut opponitur; nam respondent Holzm. et Elbel cum Herincx, quod merito dubitatur an fideles confiteantur mortalia dubia ex persuasione obligationis, vel an ob maius conscientiae levamen; propter hoc enim fideles adsolent confiteri etiam peccata dubia positive, quorum confessionis obligationem ipsi etiam adversarii fere omnes non agnoscunt. Item ait Holzm., quod praefata praxis forte sit continuata ex errore qui non potest inducere consuetudinem obligatoriam.

475. Hinc referunt Henriq.[3] Sa[4] et Gran. Leand. et alii apud Guimen.[5], non teneri ad confessionem qui vult communicare, et negative dubitat an peccaverit mortaliter, tum quia non magis urget praeceptum praemittendi confessionem ad communionem, quam praeceptum servandi integritatem confessionis, utrumque enim est de iure divino; tum quia praeceptum Tridentini[6] praemittendae confessionis non obligat nisi eum *qui est sibi conscius mortalis peccati*, nequit autem dici conscius de suo peccato qui de illo dubitat. Sed huic obstat magna difficultas, nempe quod accedens ad communionem cum mortali negative vel positive dubio se exponat periculo frustrandi effectum sacramenti. Huic difficultati aliquis respondere posset cum Sanch. Pontio Vasq. Perez Hozes et aliis citatis *l.* 1. *n.* 54., non esse illicitum suscipientibus sacramenta uti opinione probabili, ad differentiam sacramenta conferentium, qui nequeunt ea ministrare nisi cum sententia tutiori vel saltem moraliter certa: sufficit autem ad sacramenta suscipienda ut quis accedat probabiliter dispositus. Si quis autem nolit hac responsione uti, debet dicere cum Holzm. oportere quod eo casu communicaturus conteratur, vel absolutionem sacramentalem recipiat (quamvis peccatum illud reticeat), ut obicem auferat peccati illius si forte adfuit.

476. Caeterum in praxi (ordinarie loquendo) omnino suadenda est poenitentibus confessio mortalium tam negative quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiae tranquillitatem. Dixi *ordinarie*, nam scrupulosi omnino eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia; ipsi e-

(1) Ibid. (2) Nouf. 30. n. 19.

(3) L. 3. c. 45. n. 2. (4) V. Euchar. n. 23.
(5) De euch. prop. 5. n. 2. (6) Sess. 13. c. 7.

nim tantum confiteri tenentur certa mortalia, et de quibus certe numquam sint confessi (*vide mox dicenda n. 477. in fine*), ut communiter docent Sanch.[1] Laym. [2] et Croix [3] cum Busemb. Con. Aversa Stoz Cai. Med. Henr. Navarr. Rodr. etc.

Item eximi debent ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia ii qui sunt timoratae conscientiae, et non solent deliberate lethaliter peccare; hi enim in dubio rationabiliter, imo moraliter certo credere possent non consensisse, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus; ita Croix[4] Bon. [5] et Sayr. Reg. Bosco et Herincx apud Croix[6] ac Habert [7] qui sapienter ait: *Si vir probatae pietatis anxius sit, an consenserit delectationi venereae, moraliter certus esse debet non consensisse; quia moraliter fieri nequit, ut voluntas tam firma in bono proposito mutetur, quin dilucide advertat.* Idem docent Salm. scholast. [8] dicentes: *Qui habet animum satis firmum in bono, proinde numquam aut raro in aliquod grave consensit, et sensualitatis motus fastidio sunt, non est cur ex qualibet permissione aut non resistentia statim consensum pertimeat; ea namque animi dispositio videtur sufficienter periculum auferre.* Ratio huius a priori est, quia is qui habitualiter Deo adhaeret et valde timet ne divina gratia privetur, si contingat aliquando ab eo averti, magnam sibi vim inferre debet, ut remorsum conscientiae contemnat et in peccatum deliberate se proiiciat: id autem non potest agere nisi certo advertat malum quod amplectitur; nam, ut ait doctissimus p. Alvar. (apud Croix[9]): *Plenus consensus in mortali est tanta iniquitas, ut celari aut ignorari non possit, sed in recenti facile agnoscitur.* Hinc Dominus dixit s. Theresiae: *Nemo me amittit, nisi certo id cognoscat.* Ad praesumendum autem quod non adfuerit plenus consensus in homine pio maxime prosunt hae sequentes conjecturae quas tradit Croix [10], nimirum: si talis serium et saepe repetitum propositum habuerit numquam peccandi mortaliter, et nesciat illud certo revocasse: si, cum advertit malum, terreatur, et illico tentationem repellat, statimque dubitet an consenserit: si meminerit se timide processisse: si nesciat an in vigilia vel somno aliquid egerit vel cogitaverit, si enim fuisset vigilans, iam id advertisset et sciret. E converso oppositum est censendum de eo qui est assuetus de facili in peccata mortalia prolabi, quia in dubio praesumitur iste consensisse: si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. Unde recte concludit Croix [11], quod vix umquam in huiusmodi hominibus, tam primi quam secundi generis, datur dubium mere negativum, praesumptio enim (ut ait cum Soto Sanch. Moya etc.) probabilitatem fundat consensus praestiti vel dissensus.

477. Dubitatur 3. an teneatur quis confiteri aliquod peccatum mortale certe commissum, in dubio an illud fuerit vel ne confessus. Respondetur: Si dubium est negativum, equidem tenetur illud confiteri, ut communiter docent Sanch. [12] et Nav. Suar. Dic. ac alii passim cum Salm. [13]. Contra vero, si dubium est positivum, ita ut ille probabiliter credat se peccatum illud iam confessum fuisse, adest sententia non teneri ad illud confitendum, et hanc tuentur Suarez Nav. Sylvest. Bon. Lugo Salm. Croix etc. Verum sicut mihi probabilis minime visa fuit opinio alibi relata eorum auctorum qui dicebant non esse obligationem implendi vota quae probabiliter impleta sunt, ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa et satisfactio dubia. Non autem reprobo id quod iidem citati auctores tradunt, nempe quod ille qui diligens fuit in

(1) D. c. 10. n. 85. (2) N. 57. (3) N. 611.
(4) N. 612. (5) De pecc. d. 2. q. 2. p. 3. n. 19.
(6) L. 1. n. 546. (7) T. 3. de conse. c. 2.
(8) Tr. 13. d. 10. n. 195. (9) L. 1. n. 547. (10) [illegible]
(11) L. 6. p. 2. n. 612. (12) L. 1. c. 10. n. 71
(13) De poenit. c. 8. p. 3 n. 54.

suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe iam de illo confessum fuisse. Et subiungit p. Conc. [1] quod si quis prius ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit, et postea sit vere conversus per constantem vitae integritatem, si tunc dubitet an omiserit in confessione generali vel particulari facta cum debita diligentia aliquod peccatum vel circumstantiam, confessarius prohibeat illi ne recogitet quidem de praeterita vita, sed potius imponat ut piis meditationibus tempus impendat. Scrupulosi autem minime tenentur peccata praeterita confiteri, nisi certi sint quod illa numquam confessi fuerint, ut communissime dicunt Caiet. Navarr. Med. Hurt. Becan. Regin. etc. cum Croix [2]. Adduntque Sa Stoz et alii scrupulosum non teneri confiteri nisi quae potest iurare fuisse mortalia et numquam dixisse. *Vide dicta de hoc lib. 1. n. 16.*

478. Dubitatur 4. an qui confessus est aliquod peccatum mortale uti dubium, teneatur postea illud repetere quando uti certum agnoscit.

Prima sententia negat, et hanc tenent Tamb. [3] Holzm. [4] Spor. [5] cum Arriaga Pell. etc. Escob. [6] Elbel [7] cum Bosco Stoz Herincx etc. et hanc patrocinatur Lugo [8]. Ratio quia peccatum illud iam explicatum fuit, uti erat in conscientia tempore confessionis, iamque directe absolutum fuit.

Secunda sententia vero communis (quam sequimur) affirmat [9] et hanc tenent Busemb. *ut supra*, Bon. [10] Sanch. [11] Ronc. [12] Conc. [13] Viva [14] Diana [15] cum aliis communiter, Carden. [16] qui vocat oppositam improbabilem; et Lugo [17] quamvis primam sententiam tutatus fuerit, tamen sic concludit: *Caeterum, quia in re morali non est facile recedendum a communi sententia. nolo in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere.* Ratio huius sententiae est quia, licet peccatum fuerit directe absolutum, non tamen fuit expositum uti erat in conscientia, prout praecipit Tridentinum, nec explicata fuit substantia peccati quae consistit in eius cognita gravitate; ideoque ad supplendam integritatem confessionis opus est illud ut certum manifestare. Nec obstat id quod opponit Sporer, nempe quod si quis confiteretur se fornicatum fuisse decies plus minus, si postea certo adverteret undecies peccasse, teneretur iterum confiteri. Nam respondetur cum Roncag. Diana et aliis, quod dispar currat ratio inter primum et secundum casum; in hoc enim secundo casu non ita notabiliter iudicium confessarii variatur sicut in primo, nam hic error numeri moraliter non est circa substantiam, quia iuxta humanum modum loquendi in numero decimo, addita illa dictione *plus minus*, moraliter includitur undecimus, et ideo sic habet communis praxis fidelium, qui non putant se esse obligatos ad explicandum modicum numerum, quando illum cum incertitudine, dicendo *plus minus*, exposuerint. In primo vero casu, quando quis confessus est peccatum ut dubium et deinde certum agnoscit, error est circa substantiam, quia in accusatione dubia nullo modo includitur certa, nec humano modo unquam dubia accusatio delicti tamquam certa accipitur.

Probabilissime autem dicunt Sanchez [18] Bon. [19] et Salm. [20] cum Suarez Con. Nugn. Dic. Valer. Cordub. Vict. etc. communissime, quod si quis confitetur peccatum quod nec ipse nec confessarius sciebat esse mortale, et postea novit esse mortale ex genere suo, non tenetur iterum illud confiteteri. Ratio quia hoc casu iam poenitens exposuit confessario suum peccatum,

(1) P. 338. n. 43. (2) N. 611. (3) Meth. conf. l. 2. c. 1. §. 4. n. 24. (4) N. 489. (5) T. 3. p. 216. (6) L. 13. n. 17. (7) P. 248. n. 167. (8) D. 16. n. 78. (9) Sed vera et communissima sententia affirmat. Hom. Lacet. tr. 16. n. 54. (10) D. 3. q. 7. p. 4. n. 13. (11) L. 1. c. 10. n. 69. (12) C. 2. q. 3. (13) P. 337. n. 39. (14) Q. 2. a. 3. (15) P. 10. tr. 16. r. 79. (16) D. 31. c. 2. in select. (17) Loc. cit. (18) L. 1. c. 10. n. 69. (19) D. n. 13. (20) De poenit. c. 9. p. 4. n. 27.

uti in sua conscientia erat tunc et nunc est, et in praesenti nihil novi occurrit, nisi quod cognoscat nunc materiam illius peccati esse gravem, quod prius nesciebat.

Art. II. Quando sufficiat confessio integra formaliter.

479. *Quae sit integritas formalis, et quis censeatur physice impotens ad integritatem materialem.* 1. *Mutus. An hic teneatur confiteri scripto aut per signa.* 2. *Surdus.* 3. *Ignarus idiomatis. An hic teneatur confiteri per interpretem.* 4. *Moribundus.*
480. *An absolvendus moribundus, qui dat signa doloris sacerdoti praesenti, quin possit ullum peccatum explicare.*
481. *An absolvendus infirmus sensibus destitutus, qui per testimonium adstantium ostendit desiderium absolutionis. An tunc absolutio danda sit absolute vel conditionale.*
482. *Quid si nullum dederit signum poenitentiae.*
483. *Quid si fuerit destitutus in actu peccati.*
484. *Quando sufficiat integritas formalis ob periculum mortis.*
485. *An in periculo contagii possit confessarius absolvere audito uno peccato.*
486. *An tempore conflictus vel naufragii.*
487. *Quis censeatur moraliter impotens. Et quid si peccatum non possit explicari sine violatione sigilli.*
488. *Quinam igitur excusentur ab integritate materiali.*
489. *An sit obligatio confitendi peccatum, si non possit dici sine infamatione complicis.*
490. *Ex quibus causis liceat manifestare complicem confessario, qui eum noscit.*
491. *Bulla Benedicti XIV. prohibens exquirere a poenitente nomen complicis peccati.*
492. *Sententia auctoris, quod hoc nullo casu erit licitum.*

479. « Resp. Etsi ad hoc sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est ut ea sit integra materialiter, modo sit talis formaliter seu moraliter, id est quantum, moraliter loquendo, hic et nunc potest fieri, etsi postea debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursum confiteri obligaberis aut voles. Porro, quando talis confessio sufficiat sequentes regulae docent:

» *Prima.* Quandocumque quis materialiter integre confitendum physice est impotens, sufficit integritas formalis, quia praeceptum divinum non obligat ad impossibile. Unde possunt in sequentibus casibus absolvi: 1. Mutus, etsi unum tantum vel alterum peccatum per nutus significaverit, nisi tamen scripto possit confessario exhibere, ad quod tunc eum teneri probabilius est, ut communiter docetur contra Caiet. Nav. et alios. »

Quaeritur an mutus teneatur confiteri per scripturam, si aliter non possit.

Prima sententia negat et hanc tenent Pal. [1] et Soto Navarr. Led. Vict. Val. Barb. etc. apud Salmant.[2]. Quia, ut dicunt, modus sic confitendi semper est obnoxius periculo manifestationis.

Secunda sententia vero probabilior et communior affirmat et hanc tenent Lugo [3] Croix [4] Anacl. [5] Bon. [6] Elbel [7] cum Henno Cleric. Ronc. [8] cum Fag. et Salm. [9] cum Vasq. Bec. Hurt. Henr. Gran. etc. ex d. Th.[10]. Ratio quia qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media non difficilia. Id tamen intelligendum (ut bene advertunt Bon. et Salm. cum Dic.), si in tali confessione per scripturam moraliter absit manifestationis periculum aut grave incommodum extraordinarium. Mutus autem non solum in periculo mortis tenetur sic confiteri, sed etiam tempore praecepti paschalis, ut merito docent Pal.[11] Laym.[12] Ronc.[13] et Salm.[14] cum Caiet. Nav. Tol. Soto Sa etc.

« 2. Surdus qui non potest omnia explicare [15] Laym. [16]. 3. Ignarus idiomatis, tempore praecepti vel alterius necessitatis, etsi non integre intelligatur, si neque confessarius linguae gnarus neque interpres haberi possit; imo etsi adsit interpres; non enim tenetur per eum confiteri, ut docent Suarez Vasq. Dian., nisi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri sufficit (Sed etiam tempore mortis probabile est eum non teneri, ut Salm.[17] cum Caiet. Sot. Pal. etc. Nisi infirmus dubius sit de contritione, ut Viva[18].

(1) P. 3. n. 11. (2) De poenit. c. 7. p. 2. n. 17. (3) D. 5. n. 37. (4) N. 1194. (5) P. 603. n. 58. (6) D. 5. sect. 2. p. ult. (7) P. 257. n. 154. (8) C. 1. q. 1. r. 2. (9) Ibid. n. 16. (10) 4. dist. 17. q. 3. a. 4. (11) P. 3. n. 10. (12) C. 6. n. 4. (13) L. c. (14) Ib. n. 15. et 17. (15) Intelligitur hoc de omnino surdis, quia surdastri debent adduci in aliquem remotum locum ut eorum confessiones audiantur. Hom. Ap. tr. 16. n. 55. (16) L. 5. t. 6. c. 8. (17) De poenit. c. 7. p. 2. n. 21. (18) Q. 4. art. 3. n. 10.

Sufficit tamen tunc dicere unum veniale, Salm. [1] et Viva cum communi. Quid tempore pestis vel contagii. *Vide n.* 485.). Vide card. de Lugo [2]. 4. Moribundus usu linguae subito destitutus, si petat absolvi ac det signa doloris vel ante dederit coram aliis: modo id fecerit in ordine ad sacramentum, quod de quovis in eo statu praesumendum videtur. Quo casu, si (saltem coram ipso infirmo) sive ab uno sive pluribus mediatis vel immediatis testibus detur testimonium, sacerdotem non tantum posse, sed probabiliter etiam teneri absolvere (saltem sub conditione) docent Diana et Lugo [3] ex multis aliis: item Bon. citans declarationem cardinalium pro se, et Praep. [4] eo quod sic et aegri necessitati et reverentiae sacramenti consulatur. Dixi *saltem*, quia Tamb. [5] citans Coninch. Praep. et Lugo docet posse et debere absolvi absolute, etsi sit absens qui de signo coram se dato testatus fuit. Denique, si nullum signum dederit, nullo modo absolvendus est, cum actus iudicialis non exerceatur, nisi praecesserit accusatio. Licet enim recentiores quidam, ut Tamb. [6] citans Homob. et Molfes., item Phil. Servius [7] Anton. [8] Bart. de s. Fausto etc. censeant posse, imo debere absolvi sub conditione, dummodo alias probe et christiane vixerit, eo quod praesumi possit interius elicuisse contritionem, idque Diana [9] ex aliis duodecim iudicet probabile: ab aliis tamen merito reiicitur, ut Suar. Vasq. Coninch. Mercer. Card. de Lugo [10] Malder. etc. ipseque Diana [11] et alii 12. apud Aversam; quia deest omnis externa confessio, quam esse partem essentialem huius sacramenti constat ex Trident. [12] et ex nullo signo rationabiliter praesumi potest, ut suppono. Vide card. Lugo [13] Aversam [14] qui notat absolutionem quae iis qui inscripti sunt in societatem rosarii solet in infirmitate impendi sine omni confessione, non dari tamquam sacramentalem, nec in ordine ad conficiendum sacramentum, sed ad indulgentiam et remissionem poenae consequendam.

480. Circa absolutionem moribundo impertiendam plura sunt notanda: et certum est quod moribundus qui signa dat poenitentiae sacerdoti praesenti absolute est absolvendus. Et expedit illum toties absolvi, quoties nova ipse praestet signa doloris: Tamb. [15]., et Auctor *de offic. confess.* insertus in opere La Croix cum Laym. et Lugo. Obiiciunt Sot. Can. ac Ledes. et dicunt: Si deficit materia, ubi cadet absolutio? Non cadet quidem (ut aiunt) directe super peccata infirmi, alias ipse non teneretur postmodum ea confiteri; non indirecte, cum nullum peccatum explicetur et directe absolvatur. Resp. quod absolutio cadet directe super omnia peccata illius sub ratione generica peccati, ut accidit in naufragio, bello etc.; talis autem confessio in casu nostro satis habetur in illo signo praestito doloris sive in petitione absolutionis; his enim actibus infirmus iam se peccatorem fatetur: indirecte autem super peccatis particularibus, et ideo poenitens tenetur postea illa in particulari explicare. Falsum autem est dicere quod absolutio tunc ferretur causa incognita, quia potius dicendum quod eo casu fertur causa cognita meliori modo quo potest, licet non plene cognita, ut ait Croix [16]. Et hoc est certum ex mox dicendis.

481. Dubit. 1. An possit impertiri absolutio moribundo sensibus destituto, qui per testimonium adstantium desiderium ostendit absolutionis, dando signum doloris vel absolutionem postulando. Negant pariter Canus Ledes. et Alvarez Turrian. etc. ap. Diana [17]. Sed oppositum omnino affirmandum cum sententia communi, quam tenent Suarez [18] Tol. [19] Laym. [20] Lugo [21]

(1) Ib. n. 23. (2) D. 15. n. 61. (3) D. 17. n. 84.
(4) Q. 4. dub. 5. etc. (5) L. 2. exped. confess.
(6) De exped. confess. l. 2. c. 10.
(7) In Amico fideli, p. 1. c. 1. (8) De lit.
(9) P. 4. t. 4. r. 92. et p. 9. t. 6. r. 29.
(10) D. 17. s. 3. (11) L. c. (12) Sess. 14. can. 9.
(13) Loc. cit. (14) Quaest. 10. s. 13.
(15) Method. confess. l. 2. c. 10. §. 1. n. 7.
(16) Loc. cit. (17) T. 3. tr. 3. r. 4.
(18) D. 25. sect. 1. (19) L. 3. c 8. n. 2.
(20) C. 6. n. (21) D. 17. sect. 4. et 5

Elbel [1] Conc. [2] Holzm.[3] Moya [4] Auctor apud Croix Salm. [5] cum Bellarm. Sylvest. Palud. Tolet. Lugo Valent. Suar. Vasq. Laym. Sa Gonet et aliis pluribus comm. Id tenent etiam Scot. apud Ludov. Caspensem [6] et s. Th. [7] qui sic ait: *Si infirmus qui petiit unctionem amisit notitiam vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum, ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari et a peccatis absolvi.* Idem sentit s. Antoninus, cuius verba referuntur in sacerdotali romano (apud Lugo[8]) ubi dicitur: *Infirmus, etiamsi malus et obstinatus diu perseverans in peccatis et diu non confessus, si petiit sacerdotem ut confiteretur, et interea faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato.* Probatur ex concilio arausicano[9] ubi sic habetur: *Subito obmutescens ..... poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habeat, aut praesentis in suo nutu.* Item ex concil. carthag. III.[10] ubi: *Aegrotantes si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizetur. Similiter de poenitentibus agendum est.* Rursus conc. carthag. IV.[11] sic statuit: *Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt et accipiat poenitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius eucharistia.* Probatur etiam ex s. Leone papa[12] qui sancivit: *Si aliqui vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur.* Probatur etiam ex rituali rom. [13] ubi: *Quod si inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Perperam autem opponunt adversarii hoc rituale romanum fuisse ab aliquo privato doctore confectum, etsi approbante pontifice; unde dicunt non excedere privatam auctoritatem, cum non habeat auctoritatem, sed tantum approbationem pontificiam. Verum recte eos confutant Lug.[14] et Dian.[15]; nam Paulus v. in bulla exprimit hoc rituale auctoritate sedis apostolicae prodiisse his verbis: *Postquam Pius papa* v. *breviarium et missale edenda censuit, restabat, ut sacri ecclesiae catholicae ritus apostolicae sedis* (nota) *auctoritate prodirent.* Deinde subdit: *Quapropter hortamur in Domino episcopos, parochos etc. ut in posterum romanae ecclesiae auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti quae catholica ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.* Hancque nostram sententiam probabiliter ait Croix[16] cum Lugo Dicast. etc. locum habere, etiamsi adsit unicus testis et mediatus, testans signa data ab infirmo; per tale enim testimonium satis fit sensibiliter nota confessario confessio infirmi.

Neque obstat decretum Clementis VIII. ubi damnavit confessionem factam absenti per epistolam vel nuntium; nam, ut refert Coninchius [17] ex testimonio Petri Lombard. et cardin. Bellarmini, idem Clemens interrogatus postea de praedicto casu moribundi, respondit, minime voluisse eum comprehendere, sed talem moribundum omnino absolvendum esse. Idemque testatur Suar. apud Tanner. [18] ex ore ipsius Clementis VIII. et Pauli v. Idem dicit Elbel [19].

(1) P. 253. n. 201. (2) P. 344. n. 1. (3) N. 595. (4) Disp. 6. q. 1. (5) De poenit. c. 8. p. 6. n. 148. (6) De poen. disp. 4. sect. 22. (7) Opusc. 65. de sacr. unct. (8) D. 17. n. 36. (9) C. qui recedunt, caus. 26. q. 6. (10) Can. 34. (11) Can. 76 (12) In c. is qui 3. causa 26. q. 6. et in epist. 89. (13) De sacram. poenit. §. Ordo ministrandi. (14) D. 17. n. 43. (15) Loc. cit. (16) N. 1159. (17) L. de absol. mor. (18) Q. 9. n. 16. (19) N. 207

Utrum vero tunc absolutio danda sit absolute vel conditionate. Communius censent dd. absolute, quia tunc (ut ait Tamb. [1]) sacerdos ex assensu probabili recte operatur; ita etiam Lugo [2] Spor. [3] cum Vasq. Fill. etc. et idem sentit Viva [4] dicens: quod in casu necessitatis (alias semper quaerenda est certitudo moralis) sacramenta absolute sunt administranda, semper ac habetur probabilitas de materia: conditionate vero, ubi habetur tantum dubium prudens. Sed Croix, quamvis idem asserat [5] quod absolutio danda sit absolute cum habetur probabilitas de materia, in praesenti tamen casu [6] dicit absolutionem dandam esse conditionatam; et idem censent Wig.[7] Bon.[8] et Suar.[9] cum Ang. Sylvest. s. Anton. et communi, ut ipse asserit. Et hoc tutius videtur, praecipue ubi prudenter de signis datis dubitatur, ut de facili dubitari potest, praesertim si infirmus sit rusticus.

482. Dubitat. 2. Quid si nullus adsit testis de signo poenitentiae praestito ab aegroto, et aeger sensibus destitutus nullum pariter det signum, an hic absolvi possit.

Prima sententia negat et hanc tenent Bus. *ut supra*, Lugo [10] Suar. [11] Petr. [12] Abelly [13] Laym. [14] Ronc. [15] et Diana [16] cum Henr. Naldo etc. Ratio brevis, sed valde urgens est, quia tunc deest materia sacramenti, quae debet esse sensibilis.

Secunda sententia vero communior affirmat posse et debere absolvi, dummodo infirmus christiane vixerit, et hanc tenent Merb.[17] Morin. [18] Genet.[19] Holzm. [20] Spor. [21] Elbel [22] Viva [23] Salmant. [24] Tamb. [25] Croix [26] cum Card. et probabilem putat Conc.[27] cum Salmer. Iuenin. Pontio Vanroy Raynaud. Henr. a s. Ign. Mach. Pell. etc. quos citat. Idem docet d. Anton. cuius verba adducuntur in cit. sacerdotali romano (apud Lugo [28]) ubi dicitur: *Infirmus qui amisit loquelam vel usum rationis, si bene vivebat, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt... debet praesupponi contritus; et sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato.* Id clare confirmatur a d. Augustino [29] qui sic ait: *Catechumenis in huius vitae ultimo constitutis, si morbo aut casu aliquo sic oppressi sunt, ut petere baptismum non possint, prosit eis quod eorum in fide christiana nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla patuit. Etiamsi voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet.* Deinde pergit s. doctor et docet eamdem rationem esse habendam baptismatis et poenitentiae, dicens: *Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentes, finiendae vitae periculum praeoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet mater ecclesia.*

Sed dices, ubi hic habetur materia sacramenti (nempe confessio et contritio) quae debet esse sensibilis? Respondent Genettus et Iuenin., quod si in peccatore moribundo, ut diximus, signum simplex doloris datum efficiat ut ipse praesumatur dispositus, quanto magis id efficiet bona vita anteacta? Sed haec responsio non satisfacit; nam ad impertiendam absolutionem non sufficit praesumptio doloris interni, sed requiritur externa manifestatio peccatorum, qua deficiente, deficit materia sacramenti. Nec satisfacit alia responsio Iuen., nempe quod actus poenitentis, iuxta Scotum et alios, non sunt materia *ex qua* constat sacramentum poenitentiae, sed tantum materia *circa quam*, hoc est dispositio ad recipiendum sacramentum; dispositio autem

(1) Meth. conf. l. 2. c. 10. n. 8. (2) D. 17. n. 90. (3) N. 540. (4) In append. ad prop. damn. §. 11. (5) L. 6. p. 2. n. 1769. (6) D. l. n. 1136. (7) Tr. 13. n. 95. (8) De poenit. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. n. 8. (9) D. 23. s. 1. n. 12. (10) D. 17. sect. 3. (11) D. 23. sect. 1. (12) T. 4. p. 169 q. 19. (13) P. 159. n. 2. (14) C. 8. (15) C. 5. q. 7. (16) P. 5. t. 5. r. 8. (17) De poen. t. 2. p. 252. q. 85 (18) L. 10. c. 19. (19) T. 4. p. 296. q. 5. (20) P. 151. n. 591. (21) N. 245. (22) N. 203 (23) L. c. (24) De poenit. c. 8. p. 6. n. 157. (25) C. 10. n. 12. (26) N. 1162. (27) P. 549. n. 15 (28) D. 17. n. 73. (29) L. 1. de nubt. conc. c. 26.

non debet necessario esse sensibilis; nam huic obstat quod hoc sacramentum fuit a Christo Domino (ut docet Tridentinum) institutum in modum iudicii, unde omnino requiritur peccatorum accusatio saltem generica, ut sententia absolutionis proferri possit. Melius igitur respondent Viva et Salm. [1] cum Aversa Molf. et aliis, quod eo casu bene adest prudens dubium quod moribundus vel ante destitutionem noverit suae damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa confessarius non percipiat: sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta, ad dandam absolutionem sub conditione, quidquid dicat Genet. dandam esse absolute; cum enim nullum signum certum adsit, bene advertunt Petroc. et Salmantic. Sporer Holzman Croix Elbel Viva etc., absolutionem omnino praestandam esse sub conditione, quae sacramenti iniuriam reparat, si forte desit materia sacramenti. Haec sententia est satis probabilis, non solum extrinsece ex auctoritate tot gravium auctorum, sed etiam intrinsece, saltem ob rationem, quia in casu extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti materia dubia ex principio maxime apud theologos probato, ut ait Iuenin [2]. Hoc casu enim possumus uti opinione adhuc tenuis probabilitatis, ut recte aiunt Sanch. [3] Viva [4] et Croix [5] cum Gobat. et fuse probat Carden. [6] cum Nav. Soto et Filguera. Ratio quia necessitas efficit ut licite possit ministrari sacramentum sub conditione in quocumque dubio; per conditionem enim satis reparatur iniuria sacramenti, et eodem tempore satis consulitur saluti proximi. Et maxime hic advertendum quod sacerdos, quando potest, tenetur sub gravi absolvere infirmum, ut dicunt Mazzotta [7] et Suar. Vasquez Coninch. Sylvest. Caiet. cum communi apud Viva [8]. Utque colligitur ex *c. Si presbyter*, ubi dicitur: *Si presbyter poenitentiam negaverit moribundo, reus erit animarum.* Bene tamen advertit hic Ronc. [9] non esse saepius absolvendum moribundum sensibus destitutum intra breve spatium temporis sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servata proportionata distantia; quia revera tunc cessat necessitas quae adfuit in antecedentibus absolutionibus praestitis. Secus vero dicendum si destitutio perseverat per longum tempus [10].

483. Dubitatur 3. An possit absolvi qui fuerit sensibus destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli. Negant Genet. [11] Habert [12] Iuen. [13] et Conc. [14]. Sed affirmant Holzm. [15] Auctor *de offic. confess.* (apud Croix) et probabilem putat Elbel [16] cum Pontio Carden. Gormaz et Stoz. Hi dicunt talem infirmum etiam absolvendum esse sub conditione, modo constet fuisse catholicum. Hacque opinione dicunt Merb. [17] et Dupasq. [18] quemlibet sacerdotem posse uti, saltem apposita conditione: probatque Merbes. auctoritate d. Augustini [19] qui dicit: *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, si desperati et intra se poenitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri? Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit.* Obiicit Petrocorensis s. doctorem loqui hic de eo tantum qui signum dederit poenitentiae, quod in-

(1) Locc. cc. (2) Inst. theol. t. 7. p. 554. et 557.
(3) L. 2. de matr. d. 36. n. 8. et dec. l. 1. c. 9. n. 25.
(4) Dict. §. 11. vers. Ratio. (5) N. 1162.
(6) In prop. damn. ab Innoc. XI. diss. 4. c. 7. n. 48.
(7) T. 3. p. 564. (8) L. c. (9) De poenit. c. 3.
(10) Non negatur, quod si sensuum destitutio diutius perseverat, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. g. ter aut quater in die. Hom. Ap. tr. 16. n. 37. (11) P. 300. q. 6.
(12) T. 6. p. 463. (13) T. 7. p. 555. (14) P. 549. n. 15. (15) P. 152. n. 594. (16) P. 261. n. 211.
(17) T. 2. p. 253. v. Summa. (18) T. 8. p. 225.
(19) L. c. de adult. coniug. c. 23.

fert ex illis verbis, *si intra se poenitentes iacuerint;* unde (dicit) supponitur quod tales poenitentes iam aliquod suae poenitentiae signum dederint, alias quomodo possent nosci intra se poenitentes? Recte respondet Merbes. quod illud, *intra se poenitentes*, non debet intelligi absolute, sed dubitanter, nempe si forte poenitentes iacuerint: et hoc fit manifestum ex verbis sequentibus s. doctoris: *Quis enim novit utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad baptismum statuerant detineri?* Cum ergo d. August. dixerit, *Quis enim novit,* supponit huiusmodi peccatores nullum conversionis signum praebuisse, alias iam notum esset ipsos statuisse adulterina consortia non detinere. Et haec sententia satis probabilis mihi est ob eandem rationem quae adducta est in praecedenti dubio; si enim licite absolvi potest et debet aegrotus sensibus destitutus qui nullum dederit poenitentiae signum, si christiane vixerit, eo quod de ipso prudenter praesumi potest quod in extremo vitae, si aliquod lucidum intervallum habet, velit absolutionem sacramentalem recipere; sic etiam potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur; pro hoc enim etiam merito praesumi potest quod ipse in proximo periculo suae damnationis constitutus cupiat omni modo suae aeternae saluti consulere. Dixi *homo catholicus;* nam secus dicendum de haeretico, ut recte advertit Holzm. [1]. Haeretici enim, etiamsi in eo casu dent signa poenitentiae, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant, quia tales nunquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent.

484. « *Secunda.* Quando poenitenti vel confessario imminet periculum vitae, quod nec illum integre confiteri, nec hunc audire patiatur, sufficit integritas formalis. Ratio est quia tunc materialis non est possibilis moraliter, quod valet seq. cas.

» 1. Si poenitens, v. gr. infirmus, uno, alterove peccato dicto, deficiat vel sit grave periculum, ne deficiat.

» 2. Si infirmus volens confiteri dum ei fertur viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, et gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. Gran. Diana [2] (*Vide dicta n.* 260.).

» 3. Si ipse sacerdos in periculo constitutus, videatur ante moriturus, quam poenitens absolvatur.

» 4. Si tempore pestis prudentum iudicio, moraliter certum periculum sit ne confessarius inficiatur: qui si tamen totam audire velit, tenebitur ad eam poenitens.

485. Similiter docent Concina [3] Wigandt [4] Abelly [5] Bonacina [6] cum Vasq. Con. etc. quod, quando infirmus laborat morbo contagioso et confessarius nequit absque periculo, etiam a longe, ipsum audire diutius immorando; tunc confessarius, audito aliquo peccato, potest eum statim absolvere. Sic etiam probabiliter excusat Ronc. [7] a confessione materialiter integra, si haec sit valde prolixa cum gravi nota poenitentis, dum urgeat necessitas communicandi vel celebrandi et non suppetat tempus. Caeterum minime quidem est excusandus is de quo ob prolixitatem confessionis facile alii suspicarentur ipsum multis esse culpis gravatum.

486. « 5. Si immineat conflictus vel sit multitudo moribundorum, v. g. in naufragio, nec possint omnes audiri. In quo casu possent etiam omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat (vel etiam secundum quosdam, si aliter fieri non possit, dicendo in genere se esse peccatores) absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo, etc.* Vide Sa [8] et Con. [9] (Non erit autem impotentia sufficiens, si multus fuerit ad eumdem confessarium concursus, ut volebat prop. 59. inter damnatas ab Innocentio XI.).

487. » *Tertia.* Quando ex confessio-

(1) N. 594. (2) P. 5. t. 3. r. 75. (3) P. 339. n. 2. (4) Tr. 15 n. 102. (5) P. 139. (6) De poen. d. 5. q. 3. sect. 2. punct. 2. n. 15. (7) C. 5. q. 1. r. 2 (8) V. Absolutio. (9) De sacr. d. 7 dub. 9

ne certi peccati vel circumstantiae timetur merito grave damnum proprium vel alienum, sive confessarii sive alterius, corporale vel spirituale, potest id reticeri. Ratio est quia praeceptum divinum de integritate non obligat cum tanto incommodo, quod tantum esse posset, ut peccares confitendo, v. gr. 1. Si sacerdos certum peccatum sit revelaturus (intellige cum Con. card. de Lugo[1], quod poenitens ipse non teneatur revelare). 2. Si sciat, v. gr. mulier ex certo peccato sibi vel confessario fore periculum ruinae. 3. Si poenitenti inde immineat grave damnum vel periculum vitae vel famae. In his tamen casibus videtur requiri necessitas confitendi, v. g. ob communionem annuam vel si longo tempore alioqui esset differenda (Dicunt Lugo Henr. etc. ap d Salm.[2] sufficientem etiam habere necessitatem dimidiandi confessionem qui esset in peccato mortali et deberet per duos vel tres dies alium confessarium expectare). Vide Fill.[3] card. de Lugo[4], qui monet, talia damna aut pericula non facile fingenda esse; et quidem in religioso vix posse locum habere.

» *Quarta.* Si quis aliquod peccatum vel circumstantiam non possit confiteri sine violatione sigilli, v. gr. si invalide absolvisses simoniacum, nec posses confiteri, nisi illi qui facile inde posset coniicere, quisnam ille esset.

488. » Ex omnibus supra dictis sequitur excusari etiam sequentes ab integritate materiali: 1. Qui habent casum reservatum, de quo infra, et Laym.[5] (Sed circa hoc *vide n.* 265. *v. Quaer.* 2.). 2. Scrupulosum qui perpetuo angitur de oblitis (Ita etiam Holzman[6] cum comm. et Elbel[7] cum Laym. Illsung. et Stoz.). 3. Quem sacerdos absolvit ante finem, nolens omnia audire, ut habet Bon. *hic.* 4. Quem fallit memoria, ita ut dicat se scire in genere quod peccaverit mortaliter, non occurrere autem speciem peccati: etsi tunc veniale aliquod addere sit consultum. Ita Coninch. et Laym.[8] contra Sot. et Medin. 5. Eum qui extreme rudis vel simplex dicit se dolere de peccatis, nullum tamen in specie, ne veniale quidem, sciat dicere: qui etsi, speculative loquendo, posset absolvi, practice tamen non expedit, sed data benedictione permittatur communicare. Ita Laym.[9]. 6. Qui aliquod peccatum non potest confiteri sine complicis infamatione, v. gr. si peccasses cum matre, vel sorore, quam confessarius nosset, tunc enim, si alium confessarium non potes habere, quem alias adire tenereris, sufficeret, imo deberet dici, quod animo cum ea, vel in genere cum aliqua fornicationem vel incestum commisisses, reticendo gradum primum vel secundum, quoad licebit sine manifestatione complicis, cum proposito confitendi integre sacerdoti alteri proxima occasione. Ita probabiliter Nav.[10] Bon. Coninch. Val. Praep.[11] Gormaz. etc. Ratio est quia quando duo praecepta divina concurrunt, naturale et positivum, quae simul servari non possunt, praeferendum est naturale, quia strictius obligat. Etsi probabilius contrarium docent Filliuc. Suar. Vasq. Less. c. de Lugo[12] Hurt. Coninch. et alii commun. Unde talis saltem non tenebitur tacere id peccatum, ne complicem infamet, nisi commode possit (quod c. de Lugo extendit etiam ad non complicem, sine cuius manifestatione peccatum explicari non potest) ideoque confessario curandum ne nominentur personae, nisi ad poenitentis directionem opus esset; tunc enim infamia ista non tanti aestimatur, eamque sibi imputet qui peccavit. Conferendum tamen est commodum directionis cum infamia. Ratio supradictorum omnium est, quia in his casibus moraliter non potest fieri confessio materialiter integra. Laym.[13] Fag.[14]. Vide Diana[15] Less.[16] Tamb.[17] qui docet probabile esse quod talis poenitens propter solam consolationem quam sentit ab

(1) D. 26. n. 327. (2) De poen. c. 3. p. 3. n. 123.
(3) T. 27. c. 6. (4) L. c. (5) L. 5. t. 6. c. 12.
(6) N. 550. (7) N. 150. (8) Loc. cit.
(9) Loc. cit. (10) C. 7. (11) Hic dub. 6.
(12) Art. 16. n. 394. (13) C. 8. (14) P. 1. c. 5.
(15) P. 3. t. 4. res. 64. et 131. et p. 1. t. 7. res. 49.
(16) Lib. 2. c. 11. d. 11.
(17) De exp. conf. l. 2. c. 9. §. 2.

amico vel docto confessario, possit ei confiteri, etsi alium haberi possit.

489. An sit obligatio confitendi peccatum mortale quod non possit explicari sine manifestatione complicis.

Prima sententia negat, et hanc praeter Nav. et alios apud Bus. ut supra, tenent Hostiens. et Innoc. [1] ac Diana [2] cum Soto et Petig. Ratio quia (ut dicunt) praeceptum naturale servandi famam proximi praeferendum est positivo servandi integritatem confessionis, et hanc probabilem putant Bus. et Mazz. [3] cum Bon. Med. etc.

Secunda sententia vero communis quam sequimur affirmat, et hanc tenent Gonet [4] Pal. [5] Conc. [6] Iuenin. [7] et Salm. [8] cum s. Bonav. s. Anton. Caiet. Suar. Lugo Laym. Sylvest. Tol. Vasq. Ang. Con. Pontio et aliis plurimis ex d. Thom. qui [9] sic ait: *Si speciem peccati* (poenitens) *exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem qui personam sororis non cognoscat.* Et idem docet s. Bernard. [10] dicens: *De nullo sinistre loquaris, nisi in confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Ratio est quia praeceptum integre confitendi servari debet semper ac licite servari potest; satis autem licite in casu nostro servari potest, cum manifestatio alieni criminis non sit illicita quando fit ex rationabili causa, ut docet idem d. Th. [11], ergo servari debet; et sic respondetur rationi oppositae primae sententiae; ultraquam quod complex consentiendo in peccato iam amisit ius ad suam famam in ordine ad confessionem illius peccati. Diximus *peccatum mortale;* nam ob peccatum veniale explicandum, aut mortale alias confessum, non licet grave crimen alterius manifestare, ut recte dicunt Lugo [12] Viva [13] Tamb. [14] et Roncaglia [15] contra Renzi et Verric.

Tenetur vero poenitens, quando commode potest, alium petere confessarium, cui incognita sit persona complicis ut eius fama servetur; nec satis probabilis videtur opinio quam tenent Tourn. [16] Renzi [17] cum Fag. qui citat Suarez (sed non bene, ut mox videbimus), item Med. et Gers. apud Lugo [18], nempe quod hoc sit tantum de consilio; nam communiter hoc esse de praecepto dicunt Suar. [19] qui: *Si poenitens possit ei confiteri qui non cognoscit personam complicis, tenetur id facere: et in hoc omnes conveniunt*, Layman [20] cum communi, Antoine [21] Ronc. [22] Viva [23] qui habet certum, ac Lugo [24] cum Vasquez et Coninch.

490. Dixi, *quando commode potest*, nam iuxta plurimorum sententiam excusant poenitentem ab exquirendo alium confessarium sequentes causae, nempe 1. Si urgeat periculum mortis, aut praeceptum annualis confessionis vel communionis, ita Sporer [25] et Viva [26]. 2. Si poenitens non celebrando vel communicando incurreret infamiae notam, ita Suar. [27] Lug. [28] Ronc. et Renzi [29]. 3. Si quis existeret in peccato mortali, et deberet expectare ultra biduum; ut Suar. [30] Viva [31] et Renzi cum Fagund. Sed mihi videtur durum esse ei qui est in mortali manere sine absolutione etiam per diem; et huic non videtur dissentire Antoine [32] qui dicit absolute non teneri ad expectandum, qui est in statu culpae mortalis, et Lugo [33] putat talem minus obligari ad differendam confessionem, licet postea sic subdat: *Non parum hic faciet, si per biduum differt confessionem.* Et Herincx ac alii apud Salm. [34] nimiam putant dilationem bidui vel tridui. 4. Si credatur

(1) In c. Omnis de poen. et rem. (2) P. 1. tr. 7. r. 49. (3) T. 3. n. 368. (4) D. 10. q. 4. (5) P. 11. n. 7. (6) P. 341. n. 6. (7) T. 7. p. 469. (8) De poenit. c. 8. p. 5. n. 128. (9) Op. 12. q. 7. (10) In form. hon. vitae. (11) 2. 2. q. 73. art. 2. (12) D. 16. n. 412. et 413. (13) Q. 5. a. 7. n. 5. (14) L. 2. c. 9. §. 2. n. 15. (15) C. 3. q. 3. r. 1. (16) Praelect. theol. de poenit. q. 6. art. 4. (17) C. 2. sect. 2. q. 10. (18) D. 16. n. 392. (19) D. 34. sect. 2. n. 1. (20) C. 8. n. 12. (21) P. 697. n. 59. (22) C. 4. q. 3. r. 2. (23) Qu. 5. art. 7. n. 5. (24) Loc. cit. (25) P. 226. n. 472. (26) Dict. art. 5. (27) D. 34. sect. 2. n. 13. (28) D. 16. n. 416. (29) Loc. cit. (30) Loc. cit. n. 8. (31) Loc. c. (32) C. 2. q. 13. r. 3. (33) N. 416. (34) De poenit. c. 8. p. 5. n. 125.

complex cessisse iuri suae famae, puta si frater peccavit cum sorore, quam scit seiungi non posse a comitatu matris ut alium adeat confessarium. Roncaglia [1]. 5. Si alicui solito quotidie celebrare vel communicare grave esset omittere celebrationem vel communionem. Lugo [2]. 6. Si quis difficulter alteri quam consueto confessario conscientiam aperiret. Ronc. [3]. 7. Si alias privaretur iubilaei vel indulgentiae beneficio. Renzi [4] cum Cotonio et Fag. apud Lugo [5]. 8. Saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario qui hos novit; id enim communiter faciunt ad consilium petendum vel ad leniendum dolorem; alioquin ipsis nimis durum foret novos confessarios adire. Croix [6]. 9. Si quis propter consolationem quam sentit ab amico vel docto confessario nollet alium quaerere, cum plures dd. ut Nav. Less. Azor. Caiet. et Tann. (*vide dicta l.* 3. *n.* 973. *v. Sed*) dicant non esse plus quam veniale manifestare crimen proximi uni vel alteri viro probo; unde ait Tambur. satis excusari ab huiusmodi culpa veniali, qui ob praefatam causam crimen complicis cogniti confessario prudenti patefaceret.

491. Hic autem sedulo advertenda est bulla n. ss. p. Bened. XIV. incipiens *Ubi primum*, quam reperies in fine operis, decr. 4. ubi pontifex rigorose prohibet confessariis ne exquirant a poenitentibus nomen complicis peccati. Ibi enim maxime detestatur praxim illorum *qui a poenitentibus* (verba bullae) *complicis nomen exquirerent, atque ad illud sibi revelandum, non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent*. Deinde pontifex contravenientibus sequentes poenas imponit, dicens: *Statuentes insuper..., ut quicumque.... ausus fuerit docere licitam esse huiusmodi praxim, prout ea in relato nostro brevi... reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem; vel ea quae in dicto brevi contra eamdem praxim decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit.... nisi a nobis absolvi*. Loquens autem de confessariis exquirentibus nomen complicis, *eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando*, dicit: *Noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subiiciendos*. Et inferius addit pontifex quod quicumque non ex confessione sua, sed aliunde aliquem noverit confessarium exquirentem nomen complicis cum denegatione absolutionis, tenetur illum intra solitum terminum denuntiare sub poenis consuetis. Excipit tamen casum quo confessarius ex simplicitate hoc faceret, dicens: *Quamvis imprudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in... nostro brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem confessarium suspectum reddant*.

Recte autem dicunt p. Concina [7] et auctor commentar. apud Antoine [8] quod hic pontifex tantum damnavit illorum abusum confessariorum qui *tum procurandae complicis* (ut loquitur bulla) *correctionis, aliorumque bonorum... specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent*. Caeterum confessarii bene possunt et tenentur ad integritatem confessionis servandam exquirere circumstantias necessarias, nempe quae vel speciem mutant vel exquirendae sunt, ut poenitentis conscientiae consulatur, puta si confessarius exquirat an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si

(1) Loc. cit. (2) D. 16. n. 416. (3) Ibid.
(4) Loc. cit. (5) D. n. 416. (6) Lib. 6. p. 2. n. 1143.
(7) P. 695. n. 21. (8. P. 306

habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis.

492. Praeterea, ultra necessitatem explicandi circumstantias peccati Mazzot.[1] ex Lugo Soto Armil. Diana Aversa etc. loquens de praefata bulla sic ait: *Si gravia damna timerentur a complice, quae solus confessarius posset impedire, esset ei manifestandus complex.* Auctor autem citatus comment. in Antoine [2] sic dicit: *Accidere interdum potest, ut adigendus sit poenitens ad revelandum complicem, cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quae in perniciem reipublicae vergere possunt. Ut impediatur malum, si fieri potest, obligatur poenitens ad exquirendum consilium confessarii qui pro sua prudentia aut per se aut per ipsum poenitentem remedia conquirat, et nisi revelare velit poenitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus iustitiae quam caritatis tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando quando privatae alicui personae imminere potest non loquor, nam fere semper suppressis complicum nominibus consilium praebere potest sacerdos.* Ita praefati aa. Hic tamen quid de hoc sentiam mihi lubet exponere. Nulli dubium quod aliquando tenetur poenitens complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum; sed spectata tam rigorosa (ut vidimus) pontificis prohibitione, ad finem vitandi proximi infamiam, sacramenti iniuriam, sigilli violationem, scandalum etc., prout exprimitur in bulla, non est licitum confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde, casu quo poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicem revelet alicui qui scandalum possit impedire, sed nunquam licebit confessario dicere *revela mihi.* Si vero poenitens ex se et sponte sua rogaret confessarium ut complicem corrigeret, tunc confessario multa prudentia opus est, nam ordinarie loquendo non expedit ut se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra; et ex alia parte confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali, et offensionis sacri ministerii.

(1) T. 3. p. 369. n. 1. (2) L. c.
(3) L. 5. t. 6. c. 6. n. 3.

Art. III. Quae sint reliquae conditiones confessionis.

493. *Confessio debet esse vocalis. Quando licet aut sit obligatio confitendi scripto.*
494. *Debet esse secreta.*
495. *Debet esse vera.*
496. *Quando mendacium in confessione sit veniale.*
497. *Quando mortale.*

493. « Resp. Praeter integritatem, sunt hae tres: Prima, *ut sit vocalis*, scil. ordinarie, idque propter usum et praxim ecclesiae graviter obligantem, nisi subsit iusta causa, ut impotentia, sive physica sive moralis, quae si adsit, potest fieri nutu, scripto aliove signo: v. gr. si quis ob anxietatem loqui non possit, aut puella supra modum verecunda aliter se non possit explicare, quam scripto, quo a confessario lecto, addat voce, *de his me accuso* Suar. Vasq. c. de Lugo Laym. [3] (Ita etiam Salm. [4] cum Vasq. Can. Pal. Con. etc. Idque expressum habetur in *Extrav. Inter cunctas de priv.* ubi dicitur: *Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti facienda est oris confessio.* Idem dicunt praefati aa. de eo qui ob impedimentum linguae valde gravem difficultatem se confitendi voce experitur. Idem sentit Tamb. de scrupuloso qui putat scripto melius se explicare). Imo qui aliter non potest, tenetur iuxta communem sententiam confiteri per nutus aut scriptum tempore praecepti: etsi id quoad scripturam non admittant Nav. Tolet. Sot. Val. Diana extra articulum mortis (*Vide dicta n.* 429. *in fin. et n.* 479.). Vide c. de Lugo [5]. Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto (licet ad id non teneantur), ne ab aliis audiantur: eamdemque ob causam eos non interro-

(4) De poenit. c. 7. d. 2. n. 11.
(5) D. 15. n. 87.

gandos, nisi de plane necessariis, ex Possev. docet Diana [1].

Unde resolves:

» Is qui extra necessitatem totam confessionem facit nutu vel scripto, mortaliter peccat, ac consequenter non absolvitur. Diana [2] ex Sylvio. Vide Filliuc. [3] Conc. [4] Suar. [5].

494. »Secunda conditio, *ut sit secreta* id est ut fiat soli sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu ecclesiae. Publica autem, qualis in naufragio, praelio, hospitali, ubi alii adiacent, vel per interpretem fit, non obligat (saltem respectu peccatorum occultorum), nisi ex caritate sui, eum qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tum adhuc sufficit ea confiteri quae minorem pariunt infamiam. Ita Suar. Fag. Diana [6].

Unde resolves:

» Si quis peccata in prioribus confessionibus oblitus esset, non tenetur etiam in articulo mortis ea confiteri publice vel per interpretem: quia peccatorum oblitorum confessio tantum obligat ex praecepto positivo divino, quod hoc in casu cessat. Vide Laym. [7] Diana [8].

495. » Tertia conditio, *ut sit vera:* quod requiritur essentialiter in materia substantiali et necessaria; quia alias in re gravi deciperetur iudex, neque esset confessio integra, ideoque irrita. Non tamen in materia libera, tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam: tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter iniurius sacerdoti nec sacramento. Ita Nav. Suar. etc.

Unde resolves:

496. » 1. Non est mortale nec irritat sacramentum: 1. Si in confessione mentiaris leviter circa res non pertinentes aut non necessarias ad sacramentum: v. gr. si historiam falsam narres, vel si neges veniale vel mortale, quod non teneris confiteri. »

An peccet graviter qui negat confessario peccatum aliquod veniale commissum aut mortale alias confessum. Affirmant Cai. [9] Armilla apud Renzi [10]. Quia (ut dicunt) hic videtur gravem irreverentiam sacramento irrogare, et de hoc valde dubitat p. Conc. [11] ex d. Thoma [12] qui ait: *Si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* Unde p. Concina non excusat a mortali qui hoc advertenter faceret, eo quod se exponeret periculo gravis culpae. Sed omnino tenendum oppositum cum sententia communi, quam tenent Bus. ut supra et Lugo [13] Laym. [14] Antoine [15] Anacl. [16] Holzm. [17] Ronc. [18] Renzi [19] et Bonac. [20] cum Suarez Sanchez Reg. et aliis passim: ratio quia, cum illa non sit materia necessaria sacramenti, tunc minime decipitur confessarius in re gravi. Ad textum autem d. Thomae clara est responsio; ibi enim s. doctor tantum loquitur de nolente in iudicio civili fateri veritatem quam dicere tenetur: sed in foro sacramentali certum est ex Trident. nullam esse obligationem confitendi venialia; unde negatio venialis commissi vel mortalis iam confessi non excedit malitiam simplicis mendacii.

« 2. Si falso te accuses de veniali; quod tamen mortale grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cum sic formam reddas irritam et sacramentum: nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione. Ita Suarez Filliuc. [21] Laym. [22] Diana [23].

497. » 2. Sacrilegium est et absolutio nulla: 1. Si mortale quod confiteri teneris, et putas esse, neges aut tegas ne intelligatur. 2. Ut communiter docetur contra Sylv. si mortale tibi falso imponas, nisi tamen fiat ex simplicitate et scrupulo etc. 3. Si neges vel mentiaris circa peccata alias rite absoluta, quando confessarius, ut iudex vel

(1) P. 3. t. 4. r. 127. et p. 5. t. 6. r. 5.
(2) P. 3. t. 4. r. 127. (3) T. 1. tr. 7. c. 1.
(4) D. 6. dub. 1. (5) D. 21. s. 3. n. 5. (6) P. 3. tr. 4. r. 29. (7) C. 6. (8) P. 3. t. 4. r. 123. et 129.
(9) In 2. 2. d. Th. q. 69. a. 1. (10) C. 2. s. 2. q. 3.
(11) P. 231. n. 6. (12) L. c. (13) D. 16. n. 93.
(14) C. 8. n. 5. (15) P. 511. q. 13. (16) P. 600. n. 17.
(17) N. 556. (18) C. 5. q. 5. r. 1. (19) L. c.
(20) P. 2. §. 2. n. 12. (21) T. 1. tr. 7. c. 4.
(22) L. 4. t. 6. c. 8. (23) P. 3. t. 4. r. 96.

medicus de iis aliquid, ut necessarium ad praesentem confessionem, interrogat. Card. de Lugo [1] Tamburin. [2], secus si ad praesentem confessionem non faciat [3]. »

Si quis affirmat peccatum mortale quod non fecit, vel negat fecisse quod fecit, duplex mortale committit, unum sacrilegii contra virtutem religionis ob reverentiam sacramento debitam, alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra virtutem veracitatis; ita recte Holzm. [4] et Sporer [5] cum aliis passim.

Art. IV. Quando confessio sit invalida et quomodo iteranda.

498. *An valeat confessio apud confessarium excommunicatum.*
499. *An apud surdum, indoctum etc. An apud non audientem aliquod peccatum.*
500. *De iudicio peccatorum efformando a confessario.*
501. *Quando confessio sit invalida ex parte poenitentis.*
502. *Quomodo iteranda confessio facta eidem confessario.*
503. *Quid si peccatum sit inculpabiliter omissum. An ob magnum concursum possit confessio dimidiari.*
504. *Quid de rusticis, qui numquam explicarunt species neque numerum.*
505. *Non est obligatio repetendi confessiones, nisi constet de ipsarum nullitate*

498. « Resp. 1. Id contingit ex duplici capite. Primo ex parte confessarii, si iurisdictionem non habuit, vel certe impeditam per censuram (Semper ac per ipsam sit vitandus, secus si sit toleratus. Salm.[6] Roncaglia[7] et alii passim), vel si formam substantialiter vitiavit, vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit.

499. » Dico *nullum;* quia si ob surditatem, somnum vel distractionem, aliqua, licet mortalia, non intellexerit, sine culpa poenitentis, probabilius est valuisse absolutionem, ac postea tantum repetenda esse non audita, ut contra Sylv. Anton. Navar. et alios docent Henriq. Layman [8] Diana [9]. Addo *sine culpa*, quia si semidormienti mala fide confitearis, peccas, et confessio est invalida, ideoque repetenda, Tambur.[10]. Denique addunt aliqui cum Tolet. si confessarius indoctus non potuit discernere mortale et veniale, invalidam esse. Verum id Suarez Layman et alii passim reiiciunt, et quidem etiamsi confessarius putasset esse veniale quod fuit mortale, ideoque confessionem bona fide tali factam non esse opus repetere. Ita Henr. Sanch.[11] Diana[12] contra Vasq. Dixi *bona fide*, quia, si mala fide, v. gr. quia quaesivisti talem confessarium qui tibi mederi non possit, debes repetere: cum enim actu peccaveris, dum confitereris, non fuisti rite dispositus, ideoque nec absolutus. Tambur.[13] (Tunc igitur debet repeti confessio ob ignorantiam confessarii, quando poenitens iam novit eum insufficientem, vel quando clare videt confessarium non percipere gravitatem sui peccati. Salm.[14] Suar.[15] et Lugo[16] cum Gabr. Henriq. Med. Sylv. Hurt. etc.). Denique si finita confessione intelligas confessarium aliqua non percepisse, sive propter somnum sive distractionem, nescias autem quae sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait Tamb.[17], non teneri ob rationem contrariam, et satis esse confiteri, quod dubites an aliquod ex tuis peccatis confessor perceperit (Sic etiam tenent Salmant.[18] cum Dic. et Leand. qui dicunt Christum D. non praesumi imposuisse praeceptum integritatis cum tanto onere, scilicet omnia peccata repetendi in tali casu, et idem docet Lugo [19] cum Sanch. etc. communiter).»

500. Recte notant Salm.[20] cum Lugo et Pal. quod confessarius non tenetur de singulis peccatis certum formare iudicium, sed tantum de obviis et claris. Et idem aiunt Tamb. cum Sylvest. et Holz.[21] cum Spor. et communi. Deinde dicunt Salm.[22] cum Suar. Lugo etc., quod si poenitens confiteatur pecca-

(1) D. 14. sect. 10. (2) L. 2. c. 10. §. 2. (3) Ibid. (4) N. 554. (5) N. 482. (6) De poen. p. 4. c. 9. n. 18. (7) C. 5. q. 1. (8) L. 5. tr. 6. c. 9. (9) P. 4. t. 4. r. 193. (10) L. 2. c. 10. §. 5. (11) 1. moc. c. 10. n. 69. (12) P. 5. t. 4. r. 121. (13) L. 2. c. 10. §. 5. (14) De poen. c. 9. p. 4. n. 23. et 29. (15) D. 23. s. 2. n. 12. (16) D. 16 n. 602. (17) Loc. cit. (18) Ibid. n. 24. (19) D. 16. n. 607. (20) Ibid. n. 26. (21) N. 727 (22) Ibid. n. 27

tum, quod nec ipse nec confessarius noverit esse mortale, si postea noverit certo fuisse mortale, non tenetur iterum confiteri. *Vide dicta n.* 479. *in fine.*

Eodem loco docent Salm. cum Soto Suar. Con. Lugo Pal. Bon. etc. non esse similiter iterandam confessionem factam bona fide confessario nescienti discernere species et numerum, neque inter mortale et veniale etiam in casibus obviis. Ratio quia, etsi debita poenitentia non imponatur, absolutio utique valida est, dum ex utraque parte concurrunt iam requisita ad valorem sacramenti. Sic enim censendum est Christum Dominum hoc sacramentum instituisse, cum tales defectus passim contingant. Hoc tamen dico intelligendum, nisi constet numerum vel species explicatas non fuisse; alias integritas confessionis certo supplenda est, ut recte advertunt cum communi Lugo [1] Elbel [2] et iidem Salmant. [3] cum Gabr. et Dicast. Quia, licet prior confessio fuerit valida, confessio tamen praesens facienda est cum debita integritate.

501. « Secundo. Invalida est ex parte poenitentis si fuit excommunicatus, de quo infra: si mortale tacuit vel de eo se false accusavit; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia: item si non fuit attritus (quod patere solet inde, si sponte quaesierit confessarium surdum, indoctum, caecum etc. Vide Sanch.[4]): si nolit tollere occasiones etc. Vide Diana [5] quibus addi potest ut plurimum, si peccatum carnale confessus sit suo complici (Hoc hodie certum est ex bulla Bened. XIV. sub poena excommunicationis in absolventem papae reservatae. Vide decr. 1. Bened. XIV. in fine operis et vide dicenda *n.* 555.).

502. » Resp. 2. Si confessio apud eumdem confessarium iteretur, sufficit uno verbo in communi se accusare de peccatis ante illi cognitis, dummodo is eorum recordetur saltem in confuso, aut status ac vitae hominis in communi aut poenitentiae a se impositae, ut docent Vasq. Tol. Laym. Sa Dian.[6]. Imo si nihil horum, sed tantum quod sibi confessus fuerit recordetur, valide, etsi illicite, absoluturum putant Laym. et Diana [7]. Idem absolute docent Granad. et Mercerus [8] cum quibus Diana [9] se retractans, probabile censet quod etiam licite possit absolvere. »

Quaeritur an sit repetenda confessio, si sacerdos oblitus fuerit peccata audita, antequam absolutionem impertierit. Commune est apud dd. non esse repetendam confessionem factam eidem confessario, quando illa fuit prolixa aut absolutio fuisset dilata et confessarius recordatur saltem in confuso status poenitentis. Ita Nav. Sylv. etc. quos citat et sequitur Suar.[10] Laym.[11] Con.[12] Bon.[13] Croix [14] cum communi.

Dubium 1. est, an repetenda sit confessio apud eumdem confessarium, quando confessio fuit invalida.

Prima sententia probabilis quam tenent Suar.[15] et Con.[16] distinguit et dicit quod si confessio fuit nulla defectu alicuius partis essentialis in sacramento, nempe quia defuit dolor aut integritas in poenitente aut iurisdictio in confessario, tunc tota repetenda est. Ratio quia eo casu confessio non fuit sacramentalis. Et huic sententiae consentiunt in parte Palud. Adrian. Moya et Ills. apud Croix [17], scilicet casu quo confessio fuit irrita defectu iurisdictionis in confessario, quia tunc fuit facta non iudici. Secus vero si confessio fuit invalida ex parte confessarii ratione tantum sui muneris, nempe quia ipse non bene pronuntiaverit formam vel non habuerit intentionem absolvendi. Et hoc est commune apud omnes (ut ait Croix [18]), modo confessarius reminiscatur status poenitentis.

Secunda sententia vero communior et non minus probabilis quam tenent Nav. [19] Lugo [20] Tamb. [21] Diana [22] cum

(1) Dist. 22. n. 77. (2) P. 276. n. 234.
(3) De poenit. c. 12. p. 4. n. 49. (4) Loc. cit.
(5) P. 4. tr. 4. r. 201. (6) P. 3. tr. 4. r. 123.
(7) Loc. cit. (8) In 3. p. q. 9. n. 1.
(9) P. 5. t. 14. r. 51. (10) D. 22. sect. 6.
(11) C. 9. n. 6. (12) D. 7. dub. 11. n. 109.
(13) Q. 5. sect. 2. p. 3. n. 15. (14) N. 1216.
(15) Loc. cit. n. 7. (16) L. c. (17) N. 1216.
(18) L. c. (19) C. 9. n. 19. (20) D. 16. n. 658
(21) L. 3. c. 2. n. 9. (12) P. 5. tr. 4. r. 123.

communi, Laym. [1] cum Sa s. Anton. Sylvest. Med. Vasq., item Bonac. Val. Aversa et alii apud Croix[2], dicit quod undecumque defectus evenerit sive ex parte confessarii quia defuit iurisdictio, sive ex parte poenitentis quia defuit dispositio aut integritas, non est opus repetere confessionem, sed sufficit si confessarius recordetur status poenitentis vel resumat notitiam eius in confuso, et poenitens in communi se accuset de omnibus prius confessis. Ratio quia, licet prima confessio non fuerit sacramentalis, utpote sacrilega vel facta non iudici, tamen ratificatio illius dum poenitens deinde in generali se accusat de culpis confessis, coniuncta cum notitia antecedenter habita a confessario, bene sufficiens reputatur. Item, quia (ut probabiliter censet Croix[3]) talis confessio, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem recipiendam, sufficienter dicitur etiam sacramentalis, quatenus ipsa etiam ad sigillum sacramentale obstringit.

Non autem placet sententia Lugonis[4] quam sequitur Aversa apud Croix[5], nempe quod si poenitens ex mera narratione dixerit confessario peccata sua et postea de illis in communi se accuset, tunc pariter sufficiet quod confessarius de ipsis in confuso recordetur. Sed verius dicendum cum Croix[6] tunc omnino repetendam esse confessionem. Ratio quia nulla confessio tunc adfuit sacramentalis, nec prima nec secunda: non prima, quia peccata non fuerunt manifestata in ordine ad absolutionem, ita ut de illis confessarius non teneretur ad sigillum sacramentale: non secunda, quia peccata non sunt sigillatim confessa, ut requiritur in Tridentino, ubi dicitur quod in confessione sacramentali debent explicari omnia et singula peccata.

Dubitatur 2. Quid si confessarius ne confuse quidem recordetur status poenitentis, sed tantum poenitentiae iniunctae? Hoc sufficere ad absolvendum dicunt Nav. [7] et Busemb. *ut supra*, cum Vasq. Tol. Laym. Sa etc. Et ratio videtur esse quia ex ipsa notitia poenitentiae poterit confessarius efformare iudicium de statu poenitentis.

Dubitatur 3. Quid si confessarius nec meminerit status poenitentis nec poenitentiae iniunctae, sed tantum quod poenitentiam imposuerit? Adhuc hoc casu dicunt Suar. et s. Anton. Sylvest. Pal. apud Croix [8] sufficere, si meminerit imposuisse poenitentiam. Sed huic non acquiesco, quia sacerdos, dum sententiam profert, debet efformare iudicium saltem de statu conscientiae poenitentis. Casu vero quo confessarius non imposuisset poenitentiam, nec haberet nunc notitiam saltem confusam status poenitentis, non poterit quidem licite absolutionem impertiri, ut recte dicunt Lugo [9] Croix [10] et Laym. cum aliis supra cit., quia tunc non posset convenientem imponere poenitentiam. Si tamen tunc absolveret, facta confessione in communi, valide absolveret, ut Lay. [11] et Croix [12] cum Aversa Illsung et Diana.

503. « Resp. 3. Raro obest defectus ex parte confessarii, si poenitens eum inculpabiliter ignorat, quia in confessione sequenti absolvetur etiam ab iis a quibus se bona fide absolutum putabat.

Unde resolves:

» Is qui a puero peccatum aliquod grave, v. g., mollitiem, inculpabiliter omisit, vel quia putavit leve esse vel nullum, non ideo tenetur repetere alia peccata (vel confessiones intermedias), sed hoc tantum, ut docent Bon. Sanch.[13] Vasq.[14] Sanc. Laym.[15], addens, si simplex rusticus, qui tota vita tantum fecit confessiones generales, nihil confitens in specie, nec aliter instructus sit, etsi valide is sit absolutus, cum onere, ut cum melius cognoverit omnia subiiciat clavibus; si tamen veniat, quando ingens est copia poenitentium, ut tunc disponi non possit ad omnia repetenda, posse eum absolvi, auditis ta-

(1) C. 9. n. 6. (2) D. n. 1216. (3) Loc. cit.
(4) N. 658. (5) N. 1217. (6) L. c. (7) C. 9. n. 19.
(8) N. 1216. (9) N. 642. (10) N. 1218.
(11) C. 9. n. 6. (12) L. c. (13) T. 1. l. 1. c. 13.
(14) 1. p. t. 4 q 92. (15) Hic c. 9.

nieu peccatis ab ultima confessione factis, cum obligatione ut melius faciat. Ita Laym.[1]. Vide Diana[2] qui addit ex Nav. Sylv. Becan. Vasq. Regin. [3] et Ioan. Sancio, quod etsi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale, v. g. mollitiei vel numerum aliamve circumstantiam necessariam omiseris, non ideo teneris repetere confessiones intermedias bona fide et legitime factas (in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus), cum validae fuerint et maneant validae. »

Opinio supra enuntiata apud Busem. nempe quod possit dimidiari confessio ob copiam poenitentium (quamvis Layman[4] hanc non absolute teneat) est proscripta ab Innoc. XI. in prop. 59., quae dicebat: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.*

504. Quod autem ad confessionem rusticorum pertinet, dicit 1. Tamb.[5] cum Hurt., quod rustici et pueri qui bona fide confessi sunt, omittendo explicare species et numerum suorum peccatorum, non sunt cogendi ad confessiones repetendas; sed hoc omnino est improbabile quia licet huiusmodi rustici non teneantur repetere integre confessiones praeteritas, cum illae satis fuerint validae, ut dicunt communiter et merito Pal.[6] et Salm.[7] cum Suar. Sylvio Soto Lugo Conc. Adriano Bonac. Gabr. Dic. Praepos. Hurt. Fill. Villalob. etc. (quidquid dicant Vasquez Turr.[8] etc.) quia ad tales confessiones iam adfuerunt omnia essentialiter requisita; formalis enim confessio est de essentia, non materialis; tenentur tamen explicare species et numerum omissum, ut saltem confessionem praesentem integram faciant: ita Lugo[9] Bon.[10] et Salm.[11] cum Sylvest. Nav. Vasq. Regin. et alii passim.

Dicit 2. p. Segneri[12] citans Perez et Lugo[13] (sed hunc non bene, ut infra videbimus) quod si rustieus in confessionibus praeteritis dixerit peccata sua modo rudium in confuso, non debet confessarius eum obligare ut confessiones repetat, quia peccata illa iam fuerunt directe absoluta. Sed neque hoc placet, nam quamvis confessiones illae fuerint validae ob integritatem formalem et peccata directe absoluta fuerint, tamen ipsae fuerunt deficientes quoad integritatem materialem quae semper supplenda est. Et Lugo[14] dicit huic difficultati difficulter responderi posse, tantum ibi ait, quod ob solam probabilitatem extrinsecam posset quis opinionem contrariam sequi, utendo sententia illorum aa. qui dicunt non esse obligationem iterum explicandi peccatum prius confessum ut dubium, si postea noscatur ut certum. Sed hanc opinionem iam reprobavimus cum communi *n.* 478.

Dicunt 3. Salm.[15] cum Henr. Fagn. Diana et Dicast., quod rustici qui sine culpa omiserunt explicare numerum peccatorum, non tenentur repetere confessiones, casu quo uniformem rationem vivendi tenuerint in praeteritis annis, ita ut ex confessione unius anni confessarius possit alias coniicere. Hoc ita generice assertum neque satisfacit; nam id tantum censeo posse admitti, quando in principio confessionis poenitens patefecerit confessario praesenti, quod in annis praeteritis semper confessus sit male, numerum omittendo, et confessarius ab initio, confessionem excipiendo illius anni, efformet simul iudicium de annis praeteritis. Secus vero dicendum si confessarius post confessionem exceptam illius anni advertat, poenitentem omisisse numerum explicare in superioribus annis; tunc enim, si ex confessione praesenti habeat distinctam notitiam peccatorum, poterit quidem (quin repetantur priores confessiones) formare simul distinctum iudicium de annis

(1) L. cit. c. 9. n. 4. (2) P. 3. t. 4. r. 108.
(3) T. 1. l. 6. c. 5. sect. 3. n. 153. (4) Loc. cit.
(5) Meth. conf. l. 3. c. 2. n. 9. (6) P. 12. n. 3.
(7) De poenit. c. 9. p. 4. n. 26. (8) Ibid. n. 25.
(9) D. 22. n. 77. (10) Q. 5. sect. 2. p. 3. n. 6.
(11) Ibid. p. 3. n. 15. et c. 12. p. 4. n. 49.
(12) Instruct. confess. c. 1. (13) D. 16. n. 585.
(14) L. c. (15) De poenit. c. 9. p. 3. n. 13.

praeteritis; sed si ex confessione praesenti habeat tantum confusam notitiam de culpis confessis, ut saepius accidit in confessionibus longioribus et implicatis, eo casu (ut bene ait Lugo[1]) tenetur sumere distinctam notitiam specierum et numeri omissi in confessionibus praeteritis, nec sufficit tunc ad absolvendum notitia illa confusa status poenitentis de annis praeteritis, cum ex una parte teneatur poenitens aliquando peccata sua confiteri sigillatim, quod numquam fecit; et ex altera tenetur confessarius aliquando distinctum efformare iudicium de peccatis.

505. Caeterum hic sedulo advertendum non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones nisi moraliter certo constet eas fuisse invalidas, ut recte dicunt Croix [2] Gobat. [3] Holzm. [4] Mazzotta [5] et Elbel [6] cum Fill. et communi (contra Antoine [7] qui inter rigidos auctores nostri temporis non infimum habet locum). Ratio quia possessio stat pro valore confessionum praeteritarum, quamdiu de earum nullitate non constat. Dices: Quando extat praeceptum et dubitatur de ipsius impletione, possidet obligatio praecepti; ergo in dubio de valore confessionum praeteritarum possidet obligatio eas repetendi. Sed respondetur quod regula praefata tum currit cum adest praeceptum, et dubitatur an actus impletionis fuerit positus vel ne; cum vero talis actus iam bona fide fuerit positus et postea dubitatur an fuerit validus vel invalidus, tunc ille ut validus est reputandus; tunc enim currit aliud principium, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, ut communiter tradunt dd. cum Laym.[8], ex Glossa [9] Croix [10] Sporer [11] Mazz. [12] qui asserit communem, et Nav. [13] qui dicit: *Praesumptio pro actus valore praeponderat aliis.*

(1) D. 16. n. 640. (2) L. c. p. 2. n. 1221.
(3) Tr. 7. n. 275. (4) P. 179. n. 683. vResp.
(5) T. 3. p. 362. (6) P. 281. n. 273.
(7) P. 511. q. 12. (8) L. 1. c. 5. n. 32.
(9) In l. In contrahenda de reg. iur. (10) T. 1. n. 91.
(11) Tr. 1. c. 7. n. 73. (12) T. 1. n. 74.
(13) Man. c. 26. n. 287. (14) T. 6. p. 465.
(15) Et quoad repetendas confessiones praeteritas,

Et quoad obligationem repetendi confessiones recidivorum, de quarum valore saepe dubitari potest, hanc regulam optime tradit Habert[14] sic dicens: *Si poenitens aliquandiu post confessionem dignos poenitentiae fructus fecit, hoc est strenue adversus tentationes et peccandi occasiones pugnaverit, confessarius iudicabit validam fuisse confessionem. Secus si paulo post confessionem seu data prima occasione, lapsus fuerit.* Tunc enim, ego addo, revera moraliter certum est confessiones fuisse nullas, nam ille qui in confessione vere dolet et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus a peccato se abstinet, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum; unde qui post suas confessiones ut plurimum cito et sine aliqua resistentia iterum cecidit, certe censendus est nullum vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter vero dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit vel ante casum aliquam saltem resistentiam praestiterit [15].

Dubium IV. De satisfactione.

Art. I. Quae eius necessitas et quantitas.

506. *Quomodo satisfactio sit necessaria. Et an sit venialis eius omissio in culpis venialibus.*
507. *Quibus casibus possit imponi levis poenitentia. Et an possit minui propter illud:* Quidquid boni feceris etc.
508. *Quando licite imponatur poenitentia minor iusto. Quanta debeat esse iuxta Tridentinum.*
509. *An sit iusta causa minuendi poenitentiam prudens timor ut poenitens eam impleat.*
510. *Auctoritates circa hoc punctum.*
511. *An possit iniungi pro poenitentia ingressus religionis aut susceptio status coniugalis.*
512. *An et quando possit vel debeat imponi poenitentia publica.*
513. *Dub. 1. An possit iniungi opus alias debitum. Dub. 2. An poenitentia mox ante imposita.*
514. *An possit imponi opus internum. Et an opus pro defunctis. An cessatio ab aliquo bono opere. An poenitentia possit imponi post absolutionem.*
515. *Sub qua obligatione poenitens teneatur acceptare et implere poenitentiam.*

recte dicit p. Segneri talem obligationem non adesse, nisi habeatur moralis certitudo de invaliditate confessionum praeteritarum, ut esset cum observatur quod aliquis post confessiones semper reincidit in eadem peccata statim post biduum aut triduum, sine ulla resistentia et quin aliquod medium adhibuerit et quin occasionem removerit. Hom. Apost. tract. 16. n. 26.

516. *Dub.* 1. *An poenitens teneatur sub gravi acceptare et implere poenitentiam iustam. Quid si sit gravior iusto.*
517. *Dub.* 2. *Quid si sit imposita pro venialibus aut mortalibus confessis.*
518. *Dub.* 3. *An confessarius pro culpis gravibus possit dare poenitentiam gravem sub obligatione levi.*
519. *Dub.* 4. *An tempore iubilaei vel indulgentiae plenariae confessarius possit omittere impositionem poenitentiae.*
520. *Dub.* 5. *An si poenitens oblitus sit poenitentiae, teneatur repetere confessionem ut eam recipiat.*
521. *Poenitens implens poenitentiam in mortali. Quae dilatio sit mortalis in implenda poenitentia.*
522. *Dub.* 1. *An existens in mortali possit satisfacere poenitentiae.*
523. *Dub.* 2. *An peccet satisfaciens in mortali.*
524. *An possit imponi poenitentia sub conditione si relabatur.*
525. *An transacto tempore praescripto desinat obligatio implendi poenitentiam.*
526. *An poenitentia possit impleri per alium.*
527. *An poenitentia sit implenda ante communionem.*
528. *Quis et quomodo possit commutare poenitentiam.*
529. *Dub.* 1. *An poenitens teneatur eo casu repetere confessionem. Dub.* 2. *Quid si poenitentia fuerit imposita pro peccatis reservatis. Dub.* 3. *An confessarius possit commutare poenitentiam extra confessionem.*
530. *Adnotantur principaliores canones poenitentiales.*

506. « Resp. 1. Satisfactio seu poenitentia a confessario data est necessaria necessitate non sacramenti, sed praecepti; ideoque a confessario regulariter imponenda est, secundum Suar. et Reg.[1] sub mortali; tamen Lugo concedit ex parvitate materiae posse venialiter peccari[2], v. g. si ob peccata venialia levis poenitentia esset iniungenda; eius enim voluntariam omissionem venialem tantum esse (Et probabile putant Salm.[3] cum Dic. etc.), ita etiam Diana[4]. Et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati poenitentis. Ratio prioris est, quia est pars sacramenti non essentialis, sed integralis tantum habens effectum ex opere operato et maiorem vi sacramenti quam sine eo. Ratio posterioris est, tum ex Trident.[5], tum quia sacerdos tenetur curare integritatem sacramenti et tam vindicare quam mederi. Bonac. [6].

(1) T. 1. l. 7. n. 17. (2) Vide d. 25. n. 47.
(3) C. 10. p. 2. n. 19. (4) P. 6. t. 6. res. 44.
(5) Sess. 14. can. 8. (6) T. 1. d. 5. q. 5. §. 3. p. 2.
(7) De poenit. d. 5. q. 5. s. 3. p. 2. n. 1. et 2.

Unde resolves:

507. » 1. Excusatur aliquando confessarius, si levissimam (vel etiam nullam) poenitentiam iniungat, v. g.: 1. Si poenitentem vehementissime contritum aut aliter satisfecisse advertat. Cai. Nav. Suarez Reg. Bon. [7] Escob. [8]. Cum vero id raro vel numquam constare satis possit, tutius est (Imo necessarium ex Salm. [9] cum Pal. et Coninch.) aliquam semper iniungere; ut recte monet card. de Lugo [10]. 2. Si poenitens sit mentis impos aut aliter impotens aut morti proximus aut valde debilis, cui tamen prudenter iniungi levem saltem poenitentiam, v. g. percussionem pectoris, invocationem nominis Iesu (saltem corde) aliosve pios motus vel ut per haeredes sacrificia, eleemosynas et similia opera pia fieri curet, monent Suar. Laym. Bon. [11] et Nav. qui addit posse iniungi ut patienter ferat infirmitatem, quod tamen Bonac. [12] non probat: cum fieri possit ut id valde angat infirmum timentem se non rite satisfacere (Nota hic quod habetur in rituali romano: *Aegris non esse iniungendam gravem poenitentiam, sed indicendam tantum illam quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant.* Et idem dicitur *in can. Ab infirmis, caus.* 26. *qu.* 7. Dicunt autem Salm.[13] et Dicast.[14] quod si infirmus potest satisfacere per eleemosynas, imponendae sunt a confessario). 3. Quando scrupulosus saepius intra eamdem horam redit cum novis culpis; quia supponitur satis imposita in praecedentibus. Tan. [15] ex Fagund.

» 2. Etsi confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam poenitentiam imponat, excusari tamen eum posse putat Diana [16] si addat illud: *Quidquid boni feceris etc.* Verum haec regula universaliter admitti non potest, ut bene notant card. de Lugo [17] Conin. Tanner. Palaus etc. contra quos Diana pro se citat Baun.

(8) C. 6. n. 41. (9) De poenit. c. 10. p. 2. n. 22
(10) D. 23. sect. 4. n. 43. (11) Loc. cit.
(12) Loc. cit. (13) Ibid. n 21.
(14) D. 14. dub. 2. n. 14. (15) L. 4. c. 1.
(16) P. 2. t. 4. res. 92. (17) D. 25. n. 57.

et Leand. [1] et ab aliis non immerito reiicitur, eo quod verba, utpote mere deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam sacramentalem. Aversa [2]. »

Utrum per illa verba: *Quidquid boni feceris etc.* eleventur ad effectum satisfactionis sacramentalis omnia bona opera poenitentis, licet non imposita. Negat Viva [3] quia virtus clavium tum elevat poenitentis opera, cum ligat; quapropter, cum verba illa ad nihil obligent in particulari, non ligat, et consequenter nec opera elevari possunt. Sed longe probabilius et communius ex d. Thoma affirmant Navar. [4] Fill. [5] Salm. [6] Elbel [7] Sporer [8] Holzm. [9] cum Reg. et Stoz, et probabile vocat ipse Viva [10]. Ratio quia ecclesia non frustra, sed ad hoc quidem verba illa proferri praescripsit, ut omnia bona opera poenitentis, quamvis ex eius electione fiant, ad satisfactionis sacramentalis meritum eleventur. Id omne docet d. Th. [11] qui sic ait: *Et haec quae praeter iniunctionem expressam* (poenitens) *facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae ex illa generali iniunctione, qua sacerdos dicit:* Quidquid boni feceris etc. *Et quantum ad hoc talis satisfactio est sacramentalis, in quantum virtute clavium est culpae commissae expiativa.*

508. « 3. Minor iusto licite datur ex causa: qualis, v. gr. est: 1. Magna contritio (Nisi poenitentia sit necessaria ad medicinam). 2. Fragilitas animi vel corporis ob quam timetur maiorem non impleturum. 3. Tempus iubilaei vel indulgentiae plenariae. Ita Suarez Henr. Laym. »

Certum est confessarium teneri ut iudicem, et ut medicum imponere poenitentibus satisfactionem, per se loquendo, peccatis condignam; ut iudici enim incumbit infligere poenas delictis commensuratas, et ut medico praescribere pharmaca idonea tam morbis contractis curandis, quam in posterum vitandis; ita ex Trident. [12] ubi dicitur: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad novae vitae custodiam..., sed etiam ad praeteritorum vindictam et castigationem.* Ergo tenetur poenitens tam ad integrandum sacramentum, quam ad satisfaciendum divinae iustitiae exigenti reparationem iniuriae sibi illatae, poenalem satisfactionem Deo exhibere.

Hinc bene advertit catechismus roman. [13]: *Ut poenitentes suorum scelerum pravitatem magis agnoscant, operae pretium erit eis interdum significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto (qui poenitentiales vocantur) constitutae sint.*

509. Diximus *per se loquendo;* nam per accidens confessarius minuet poenitentias propter iustas causas mox supra a Busemb. descriptas et signanter (prout communiter dd. docent) propter animi infirmitatem qua laboret poenitens et ob quam censeatur satisfactionem proportionatam non impleturus. Ita d. Thom. [14] (cuius verba inferius referentur) Suar. [15] cum communi, Nav. [16] Anacl. [17] Tol. [18] Abelly [19] Elb. [20] Lay. [21] Pal. [22] Salm. [23] ac alii passim etiam rigidioris sententiae sectatores, ut Habert [24] Petroc. [25] et Natal. Alex. [26]. Ratio quia tametsi iuxta divinae iustitiae rationem exigatur satisfactio peccatis adaequata, tamen ex divina clementia habenda est ratio virium poenitentium tam corporis quam animi. Ideo dicitur

(1) P. 6. t. 7. res. 3. et p. 9. t. 9. res. 54.
(2) Q. 15. s. 7. (3) Q. 6. a. 1. n. 3. (4) C. 26. n. 24.
(5) Tr. 8. c. 2. (6) De poenit. c. 10. p. 3. n. 3%.
(7) N. 248. (8) N. 569. (9) N. 610. (10) L. c.
(11) Quodlib. 3. art. 23. (12) Sess. 14. c. 8.
(13) P. 2. c. 5. n. 79. (14) Suppl. q. 18. art. 4.
(15) D. 38. sect. 4. (16) Cap. 16. n. 21.
(17) P. 654. n. 25. (18) Lib. 3. c. 11. n. 8.
(19) P. 160. v. 3. (20) N. 248. (21) C. 15. n. 12.
(22) P. 20. n. 10. (23) De poen. c. 10. p. 3. n. 46.
(24) De poenit. c. 10. §. 7. (25) C. 2. quaest. 2.
(27) Cap. 6. art. 6. reg. 5.

in Tridentino: *Divinam clementiam decere ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur.* Nota illud *absque ulla satisfactione;* ergo Deus non omnimodam satisfactionem, sed aliqualem ex sua clementia tantum exposcit. Et huc facit id quod dixit d. Thomas [1]: *Si contingat quod sacerdos mitiorem satisfactionem imponat... nihilominus poenitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiet, in purgatorio exsolvet.*

Nec obstat quod in Trident. [2] praescribatur poenitentia iniungenda esse pro qualitate criminum, nam ibidem simul dicitur, ut supra relatum est, ut satisfactiones imponantur, *quantum prudentia suggesserit pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes.* Nota tò *pro poenitentium facultate*, id est spectata illorum infirmitate corporis et animi: et nota tò *salutares et convenientes:* unde recte ait auctor de *offic. confess.* apud Croix [3]: *Salutares non sunt satisfactiones, quibus prae gravitate vix pares esse poenitentes videantur, adeo ut in eorum perniciem vertant.* Sic etiam explicat Abelly [4] verbum illud *salutares: Id est, ait, utiles ad salutem poenitentium: confessarius enim debet hoc solum ob oculos habere, ut poenitentis saluti consulat.* Apposite etiam Antoine, quamvis hic auctor merito numeretur inter scriptores rigidiores nostri temporis, tamen [5] sic dicit: *Satisfactiones vindicativae, ut salutares sint et convenientes, debent esse proportionatae, non solum multitudini et gravitati peccatorum sed etiam facultati et dispositionibus poenitentis; neque enim salutares sunt poenitentiae tam graves ac diuturnae, ut spectata poenitentis fragilitate periculum sit ne eas omittat; nam tunc in eius exitium verterentur. In hoc autem sacramento magis intenditur emendatio et salus poenitentis, quam satisfactio pro poena. Si ergo expediat ad bonum spirituale poenitentis, potest imponi levior poena quam mereatur.* Quare s. Anton. [6] ait: *Debet confessarius dare talem poenitentiam quam credat verisimiliter poenitentem implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.* Et rituale parisiense dicit: *Confessarius poenitentem interroget, an possit poenitentiam sibi iniunctam peragere, alioquin eam pro sua prudentia immutet aut minuat.* Ita Antoine. Idem sentit Gonet [7] qui inquit: *Ex rationabili causa potest interdum confessarius leviorem poenitentiam iniungere, ut si poenitens gravi morbo sit oppressus, vel si sit periculum quod a confessione deterreatur aut poenitentiam iniunctam non adimpleat.* Unde Gerson [8] dicit: *Tutius est cum parva poenitentia quae sponte suscipitur et verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in infernum.* Et Cai. [9] ait: *Debiliter disposito poenitenti danda est satisfactio, ut parvulus ignis foveatur, et ne apposita palea suffocetur appositis lignis desuper.* Item Scot. [10] loquens de poenitente qui animo est infirmus, ait: *Si adeo est delicatus, quod non velit ieiunium adimplere, imo si nullam poenitentiam vult recipere, absolvendus est, et non respuendus, ne cadat in desperationem.* Et sic demum concludit: *Illud sibi imponendum quod libentius recipit et quod creditur impleturus.*

Idque confirmatur ex rit. rom. [11] ubi dicitur: *Postremo confessarius salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, iniungat, habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis, et item dispositionis poenitentium.* Nota tò *dispositionis.*

510. S. Carolus Borrom. [12] ap. Concinam [13] sic praescripsit: *Canonum poenitentias, ut tempora ferunt, pro caritate et prudentia sua* (sacerdos) *minuet, prout peccatorum circumstantiae requirent, in quibus rationem habebit contritionis... Nec vero putent sua peccata le-*

(1) Quodlib. 3. a. 1. (2) L. c. (3) L. 1. q. 50. (4) P. 161. (5) P. 516. n. 3. (6) 3. p. tit. 16. c. 21. (7) T. 6. p. 405. collig. 2. (8) Reg. mor. p. 2. c. de poenitentia. (9) In Summa v. Satisfactio (10) D. 15. q. 1. a. 5. (11) De sacr. poenit. (12) Instruct. confess. (13) P. 346. n. 14.

via esse, quia parva illis poenitentia data est, sed hoc factum esse, ne eam quae pro culparum ratione iniungenda erat (nota) *deserant cum periculo salutis suae. Proinde poenitentes ideo hortandi erunt ut praeter opera imposita plura etiam alia praestare conentur.* Additque idem s. archiepiscopus: *Talem imponat poenitentiam, qualem a poenitente praestari posse iudicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget an possit anve dubitet poenitentiam sibi iniunctam peragere; alioquin eam mutabit aut minuet.*

S. Ioannes Chrysost. [1] sic ait: *Etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?* Item [2]: *Sicuti enim, si fascem super humeros adolescentis quem non potest baiulare posueris, necesse est aut ut fascem abiiciat aut sub pondere confringatur: sic et homini* (nota) *cui grave pondus poenitentiae imponis, necesse est aut ut poenitentiam suam reiiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Idque confirmat sanctus doctor ex eo quod scribit apostolus 2. *Cor. cap.* 2. *vers.* 6. *et* 7. : *Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio haec quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* Unde Chrysostomus sic prosequitur: *Ex ea re docemur quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari poenitentiam* [3].

Confirmat d. Th. (cuius regulam dicit Conc. [4] servandam esse in imponendis poenitentiis [5] dicens: *Poenae satisfactoriae in canonibus determinatae non competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis.... Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus, non semper totam poenam quae uni peccato debetur iniungit, ne infirmus ex magnitudine poenae desperet et a poenitentia totaliter recedat.* Et quod hic sanctus doctor non solum loquatur de imbecillitate corporis, sed etiam animi poenitentis, patet ex contextu eiusdem articuli; et clarius alibi [6] ubi dicit: *Videtur autem satis conveniens quod sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis, quia sicut parvus ignis a multis lignis suppositis de facili extinguitur, ita posset contingere quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante; unde melius est quod sacerdos poenitenti indicet, quanta poenitentia esset sibi pro peccatis iniungenda, et iniungat sibi nihilominus aliquid quod poenitens tolerabiliter ferat; ex cuius impletione assuefiat, ut maiora impleat quae etiam sacerdos iniungere non attentasset. Et haec quae praeter iniunctionem expressam facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae, ex illa generali iniunctione qua sacerdos dicit: Quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum.* Et idem Angelicus [7] postquam dixit: *Sacerdos non imponat poenitentiam ita gravem, ut poenitens totam dimittat... nec ita levem, ut contemnat peccatum;* deinde addit: *Tamen tutius est imponere minorem debito, quam maiorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur.*

Idem fortius insinuat s. Antoninus [8] qui ait: *Est autem satis rationabilis causa non dandi huiusmodi poenitentias indispositio poenitentium, etiam quia aliquando non sufficeret tempus vitae; nam* (ut dicunt Raymund. et Hostiens.) *debet confessor dare talem poenitentiam quam credat verisimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius contingat. Quod si magna peccata commisit, et dicit se poenitere, sed non posse ali-*

(1) Hom. 43. in c. 23. Matth. (2) Hom. 44.
(3) Hom. 4. in 2. ad Cor. (4) P. 393. n. 12.
(5) Suppl. q. 18. a. 4. (6) Quodlib. 3. q. 23.
(7) Opusc. 65. §. 4. (8) 3. p. tit. 16. c. 20.

quam duram poenitentiam agere, animet eum ad hoc confessor, ostendendo ei gravitatem peccatorum, et per consequens poenarum, et sic tandem iniungat ei poenitentiam quam libenter suscipiat. Et si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione eius, saltem gaudeat, quod liberatum a gehenna transmittit ad purgatorium. Itaque (ut inquit Host.) *confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum Pater noster vel aliud leve, et quod alia bona quae fecerit et mala quae toleraverit sint ei in poenitentia, concordante s. Thoma. Hoc tamen sane intellige, videlicet, quia si alias ipsum poenitet, et paratum dicit se facere quod debet, sed onus poenitentiae dicit non posse sufferre, tunc propter hoc quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet.* Hucusque s. Antonin. Ex quo sequitur quod confessarius non debet permittere ut poenitens recedat sine absolutione, eo quod nolit acceptare debitam poenitentiam, sed potius imponat satisfactionem quam ille libenter suscipiat, et verisimiliter impleat. Hinc probabiliter dicunt Salmant. [1] Croix [2] et Lugo [3] ex d. Antonino ut supra, quod est causa etiam satis iusta minuendi poenitentiam, ut poenitens maiori amore afficiatur erga hoc sacramentum. Sic pariter loquitur auctor Petroc. [4]: *Studendum maxime est ut poenitentes necessarias poenitentias sine magno incommodo et absque confusione adimplere possint; experientia quippe quotidiana docemur, importunas et nimis onerosas satisfactiones poenitentium animos frangere, et ab earum executione removere.* Et card. de Lugo [5] sic ait: *Poenitentia debet esse salutaris et conveniens, hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem poenitentis, ne scilicet laquei ei iniiciantur, ut nova peccata committat; ex quo potissimum capite excusari potest hodierna praxis, qua leves poenitentiae imponuntur pro gravissimis peccatis; id enim saepe fit propter spiritualem infirmitatem poenitentium, quia gravioribus poenitentiis scandalizabuntur et vel confessionem fugient vel certe confessarios imperitos adibunt. Monendi tamen sunt poenitentes de insufficientia satisfactionis iniunctae.* Quapropter sapienter advertit s. Thom. de Villanova [6]: *Hoc iudicio meo ita perficies, si facilem unam* (poenitentiam) *iniunxeris, acriorem consulueris.* Optima praxis.

Ex his omnibus colligitur quam imprudenter se gerant confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non impleturos. O quam plures confessarii indocti inveniuntur (loquor experientia doctus in missionibus, in quibus fere triginta annos sum versatus), qui non dubitant absolvere eos qui vel sunt in proxima occasione peccandi vel recidivi indispositi, et insipienter putant se ipsos curare graves eis imponendo poenitentias! ex quo fit quod illi, etsi poenitentiam acceptent, ut absolutionem carpant, tamen post absolutionem obtentam, quia nullum eis remedium praescribitur quo praeserventur, brevi misere relabuntur, poenitentiam non implent, et ab eius gravitate deterriti, deinde a confessione abhorrent, et sic in peccatis diutius tabescunt. Caeterum hic animadvertendum puto quod (extra casum gravissimae infirmitatis aut vehementissimae contritionis, ut supra dictum est *num.* 507.) non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus iniungeret poenitentiam per se levem, quae levem inferat obligationem. Licet enim, si expedierit, imponatur opus quod respective ad peccata sit leve, tamen regulariter semper iniungenda est aliqua poenitentia gravis quae gravem inducat obligationem.

511. « 4. Non potest iniungi 1. ingressus religionis, ut docet Sa [7] quia id nimis durum videtur. 2. Poenitentia publica, si sit periculum revelandae confessionis, alias interdum pro publico peccato potest et expedit. »

(1) De poenit. c. 10. p. 3. n. 46. (2) N. 1235. (3) L. c. (4) T. 4. p. 131. q. 3. (5) D. 23. n. 60. (6) Serm. fer. 6. post dom. Laetare. (7) V. Satisfactio.

Quoad primum spectat, commune est apud dd. non posse imponi in poenitentiam ingressum in religionem. Ita Laym. [1] et Escob. [2] cum Nav. Sa Sylv. et Henr. ex d. Thom. [3]. An autem possit alicui imponi ut recipiat sacramentum matrimonii. Affirmat Leand. [4] cum quibusdam, casu quo confessarius noverit matrimonium esse illi remedium necessarium. Sed melius hoc reprobant Laym. [5] et Escob. [6] cum Fagund. quia matrimonium omnimodam requirit libertatem.

512. Quoad secundum spectat, poenitentiam publicam certum est non posse pro peccato occulto imponi, ut aiunt communiter Palaus [7] Croix [8] Elbel [9] et alii passim; quia, ut docent s. Thomas Nav. Suar. Vasq. etc. apud Elbel, per hoc indirecte revelaretur sigillum: idque expresse prohibet rituale roman. dicens: *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat.* Pro peccato autem publico dubitatur an possit publica imponi poenitentia. Negant Nav. Sa Reg. et Vega ap. Pal.[10], quia haec esset manifestatio confessionis et violatio sigilli. Sed communiter posse affirmant Pal.[11] Suar.[12] Bon.[13] Croix [14] Ronc. [15] Ant. [16] Salm.[17] Holz.[18] Elb.[19] et Esc.[20] cum Con. Vasq. Henr. Idque expresse docuit d. Th. [21] qui dixit oportere *ut peccatum publicum publicam habeat medicinam.* Probatur 1. *ex cap. Manifesta* 1. *de poenit. et rem.* ubi dicitur: *Manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda.* Et ex Trid. [22] ubi: *Huic* (id est publico peccatori) *condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet.* Et in hoc loco loqui concilium etiam de foro sacramentali intelligunt plurimi ex aa. citatis contra Nav. qui intelligit, non sine quidem aliquo fundamento, ut mox infra dicetur, de foro externo. Nec obstat dicere quod talis publica poenitentia esset manifestatio confessionis; nam, cum illa imponatur de consensu poenitentis necessario praestando si vult absolvi, manifestatio illa potius provenit ex libera actione poenitentis, quam ex praecepto confessarii. Hinc dicunt Pal. Salm. Ronc. et Esc. [23] ex d. Thom. [24] confessarium non solum posse, sed etiam aliquando teneri hanc publicam poenitentiam imponere. Hoc tamen recte advertunt Roncag. [25] et Salm. [26] cum Con. et Avers. locum habere in solo casu quo aliter non posset nisi per illam publicam poenitentiam scandalum reparari, puta publice restituendo honorem alicui publice dehonorato. Caeterum, si publica poenitentia non sit ita necessaria, merito dicunt praefati aa. non debere confessarium illam imponere reluctanti, cum aliter possit salus obtineri poenitentis et scandalum reparari, nempe per publicam frequentationem sacramentorum, visitationes ecclesiarum, auditionem missarum, ingressum in aliquam congregationem, ubi pietatis opera exercentur et similia. Hinc Fagn.[27] refert quod s. c. noluit declarare an in foro sacramentali pro publicis peccatis publicae poenitentiae essent imponendae.

513. « 5. Etsi possit et aliquando ob fragilitatem poenitentis etiam expediat, iniungi opus alias debitum seu praeceptum, v. gr. missae auditionem die festo, etc. ut docent Suar. Vasq. Layman [28] et alii (Unde si scrupulosus saepius redeat ad confessarium, intra breve tempus semper nova confitendo, non semper necesse est imponere poenitentiam novam, cum opus ante debitum possit iniungi. Bon. Henr. card. de Lugo Diana [29] contra Suarez Regin. et Baun.). Si tamen confessarius non exprimat, censetur imperasse opus liberum, ut docent iidem et Diana [30]. V. Con. [31] et Diana [32]. »

(1) C. 15. n. 11. (2) Lib. 17. n. 166. (3) 2. 2. q. 62. a. 2. (4) D. 9. q. 55. (5) L. c. (6) N. 167. (7) P. 21. §. 2. n. 5. (8) N. 1265. (9) N. 236. (10) Loc. cit. §. 3. n. 5. (11) L. c. (12) D. 37. sect. 6. n. 3. (13) P. 2. n. 14. (14) N. 1264. (15) C. 1. q. 7. (16) P. 517. r. 2. (17) De poen. c. 10. n. 39. (18) N. 609. (19) N. 258.

(20) L. 17. n. 154. (21) 4. d. 14. q. 1. a. 5. q. 1 (22) Sess. 24. c. 8. (23) Locc. cc. (24) Ut supra (25) C. 1. reg. in praxi 6. (26) De poenit. c. 1. p. 3. n. 59. (27) In dict. cap. Manifesta. (28) L. 5. tr. 6. c. 15. (29) P. 6. t. 7. r. 6. (30) P. 5. tr. 4. r. 84. (31) D. 10. dub. 8. (32) P. 4. t. 4. r. 241.

Dubit. igitur 1. An possit pro poenitentia imponi opus alias debitum. Negant Palud. Scotus Capreol. etc. apud Renzi [1] et consentit Antoine [2] qui dicit semper esse imponendum aliquod opus supererogatorium; quia opus aliunde praeceptum praestandum est a poenitente, etiamsi non confiteatur. Sed communiter et merito affirmant Lugo [3] Sanch.[4] Suar.[5] Bonac.[6] Anac.[7] Holz.[8] Laym.[9] Elb.[10] Esc.[11] Spor.[12] Diana[13] cum Vasq. Turr. Duard. Vill. etc. Pal.[14] cum Nav. Soto Henr. Ronc.[15] cum Con. et Candido ac Salm.[16] cum Aversa Victor. etc. Ratio quia opus illud iam praeceptum, cum sit satisfactorium, bene potest per claves elevari ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis; unde sicut qui die festo audit missam, etiam ex voto debitam, duplex habet meritum; ita qui implet opus alias praeceptum, iniunctum simul in poenitentiam. Hoc tamen non faciendum bene advertunt Suar. Layman et Spor.[17], nisi spectata fragilitate poenitentis. Communiter autem dicunt dd. quod nisi expresse confessarius imponat opus alias praeceptum, intelligitur impositum opus supererogatorium. V. Pal.[18] qui citat Sanch. et Bon. Si vero confessarius imponat auditionem missae per mensem, non est obligatio audire duas missas in festo, ut satis comm. docent Con.[19] Laym.[20] Sanch.[21] Pal.[22] Croix[23] Elbel[24] Sporer[25] et Salm.[26] cum Bonac. Mercero et Diana.

Dubitatur 2. An si poenitens statim post absolutionem deferat aliud peccatum, sufficiat illi eamdem imponere poenitentiam. Affirmant Bon.[27] et Croix[28] ex eadem ratione ut supra. Sed merito id reprobant Palaus[29] et Ronc.[30] cum Candido; nam licet opus alias praeceptum bene possit iniungi in poenitentiam, ut supra dictum est, non tamen opus praeceptum eodem titulo satisfactionis sacramentalis.

514. « 6. Etsi etiam possit iniungi opus internum, uti contra Merati et alios docent Con. Hurt. et Diana[31] communiter, tamen debet esse externum et afflictivum, v. gr. oratio, ieiunium, eleemosyna. Nam avaris eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis convenit. Utrum vero licite imponantur preces recitandae pro defunctis, dubitari potest. Vega[32] et Ioan. Sancius[33] negant: affirmant probabilius Turr.[34] card. de Lugo[35]. Vide Diana[36].

Advertendum hic quod tam oratio quam eleemosyna et quodcumque aliud bonum opus iniunctum in sacramento poenitentiae valet pro opere poenali et afflictivo, prout communiter docent doctores, quia respectu ad nos per naturae lapsae statum quaecumque virtuosa actio rationem habet poenae, ex eo quod, amissa originali iustitia, omnes ad terrena et propria commoda proni sumus. Ita Valent.[37] Castropal.[38] Laym.[39] Pitig.[40] et Salm.[41] cum aliis et Busemb. ut supra. Idem scripsit novissime doctus auctor libri cui titulus: *Istruz. per li nov. confess.*[42] ubi dixit: *Ma qui s'avverta che noi non chiamiamo nè stimiamo inutile la penitenza qualunque ella sia, che s'ingiunge nel sagramento, essendo certo che anche un semplice segno di croce congiunto con esso sagramento è efficace per soddisfare; tanto più che nello stato presente della natura caduta ogni opera buona è in qualunque modo afflittiva e penale.* Id bene confirmatur a s. Francisco Salesio[43] qui: *L'uno ha della pena a digiunare, l'altro a servire gl'infermi, a confessare, predicare, assistere agli sconsolati o fare orazione e simili esercizi:*

(1) C. 2. sect. 3. q. 5. (2) P. 317. q. 3. (3) D. 25. n. 67. (4) Dec. l. 1. c. 14. n. 5. (5) D. 38. sect. 6. (6) Q. 5. sect. 3. p. 2. n. 12. (7) P. 635. n. 28. (8) N. 607. (9) C. 15. n. 10. (10) N. 246. (11) L. 17. n. 170. (12) N. 504. (13) P. 3. t. 4. r. 83. (14) P. 21. §. 1. n. 10. (15) C. 1. q. 6. r. 2. (16) De poen. c. 10. p. 3. n. 23. (17) Loc. cit. (18) Loc. cit. (19) D. 10. dub. 3. (20) N. 9. (21) N. 6. (22) T. 1. tr. 3. d. 19. p. 1. n. 4. (23) N. 1281. (24) N. 235. (25) N. 564. (26) Ib. n. 30. (27) Q. 5. p. 2. n. 3. (28) N. 1239. (29) P. 21. §. 2. n. 10. (30) C. 1. q. 6. r. 2. (31) P. 4. t. 4. resp. 24. (32) T. 2. c. 64. (33) D. 16. n. 1. (34) De poenit. d. 37. dub. 4. (35) D. 25. sect. 5. (36) T. 4. p. 3. res. 54. (37) T. 4. d. 7. q. 14. punct. 3. (38) D. un. p. 21. §. 3. n. 1. (39) Tr. 6. de sacr. poen. c. 15. n. 9. (40) 2. p. dist. 15. q. 1. art. 3. concl. 1. (41) De poen. c. 10. p. 3. n. 26. (42) Part. 1. c. 16. n. 373. (43) Philothea c. 23. p. 201.

questa pena (id est orandi, etc.) *vale più che quell'altra* (id est ieiunandi); *perciocchè, oltre che egualmente doma il corpo, ella fa frutti molto più desiderabili.* Praesertim confirmatur a s. Th. qui dicit: *Quaelibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis* (*ut dicit Gregor.* [1]): *Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis* [2].

Dubitatur hic 1. An possit imponi opus internum. Negant Sancius [3] et Alens. ac Almain. apud Suar. [4], quia poenitentia cum sit pars sacramenti, debet esse sensibilis. Sed merito cum communi sententia affirmant Lugo [5] Pont.[6] Laym. [7] Bonac. [8] Esc. [9] Spor.[10] et Salm.[11] cum Con. Reg. Hurt. Aversa etc. Ratio quia tale opus iam per se est meritorium, et satis fit sensibile per impositionem sacerdotis ac acceptationem poenitentis, prout contritio fit sensibilis per confessionem; et sic respondetur rationi oppositae.

Dubitatur 2. An possit imponi opus applicandum pro defunctis. Negant Sancius [12] et Vega [13], quia tunc opus non proderit poenitenti ad satisfaciendum pro seipso, ut tenetur. Sed communius affirmant, et probabilius Pal.[14] Lugo [15] cum Turr. Anacl. [16] Sporer [17] Elbel [18] Holz. [19] Salm.[20] cum Aversa Hurt. Bus. etc. ex catech. rom. ubi dicitur: *Igitur universae satisfactionis modum culpae ratio temperabit. Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, praesertim pro iis qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant.* Ratio quia quaelibet eleemosyna est vere meritoria, et licet satisfactio illius operis tunc applicetur defunctis, satisfactio tamen bonae voluntatis poenitentis, qua opus applicat, ipsimet cedit.

« 7. Potest etiam aliquando iniungi cessatio ab aliquo bono opere (v. gr. nimia corporis afflictione), vel abstinentia aliqua vice a communione, ad promovendum maius bonum poenitentis, si prudens confessarius ad eum finem expedire iudicet, Salas Lugo Diana etc. cum Aversa [21] contra Io. Sanc. »

Dubitatur an possit imponi cessatio ab aliquo bono opere, nempe a communione, ieiunio etc. Negat Sancius [22], quia hoc non esset opus meritorium. Sed communiter recte affirmant cum Bus. et aliis Lugo [23] Spor.[24] cum Suar. et Salm. [25] cum Mol. Rodr. Gabr. etc. Ratio quia huiusmodi cessatio bene potest aliquando esse actus virtutis, saltem ad servandam obedientiam confessarii. Recte vero advertit Lugo, regulariter non expedire huiusmodi poenitentiam imponere; imo nec posse imponi quando omissio illius operis sit forte occasio aliis iudicandi quod a confessario in poenitentiam fuerit iniuncta, iuxta dicta *n.* 512.

« 8. Etsi possit immediate post absolutionem adhuc iniungi (Ut communissime dicunt Salmant.[26] Viva [27] cum Diana et Spor.[28] cum communi), debet tamen fieri ante, ut servetur ordo iudicii. Vide Diana[29] qui ex *cap. finali* et Och. docet, etsi consuetudo habeat ut ita fiat, illam tamen non induxisse obligationem.

515. » Resp. 2. Poenitens communiter tenetur sub gravi obligatione poenitentiam, si rationabilis sit, acceptare et implere, ut habet communis contra Cai. Sylv. Nav. quorum sententia ad hoc saltem serviet, ut neminem non absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, ut notant Sotus et Reg. [30] Diana [31] (Sed huic non acquiesco iuxta id quod dixi *n.* 510. *in fin.*).

(1) Sup. Ezech. hom. 14. (2) Suppl. q. 15. art. 3. ad 1. (3) D. 16. n. 1. (4) D. 38. sect. 6. n. 2. (5) D. 25. n. 67. (6) De matr. l. 1. c. 7. n. 4. (7) C. 15. q. 1. (8) P. 2. n. 10. (9) N. 148. (10) N. 563. (11) De poenit. c. 10. p. 3. n. 27. (12) D. 16. n. 1. (13) C. 64. cas. 4. (14) P. 21. §. 3. n. 3. (15) D. 25. n. 62. (16) P. 655. n. 50. (17) N. 570. (18) N. 246. (19) N. 603. (20) Ibid. n. 57. (21) Q. 13. sect. 3. (22) D. 33. (23) D. 25. n. 65. (24) N. 573. (25) De poenit. c. 10. p. 3. n. 36. (26) Ib. n. 42. (27) Q. 6. a. 1. (28) N. 576. (29) P. 3. t. 4. resp. 136. et p. 5. t. 13. resp. 56. (30) L. 7. c. 2. (31) P. 5. t. 4. r. 51. et p. 2. t. 15. r. 52.

» Dixi 1. *communiter:* quia probabile est quod docent Laym. [1] Suarez et Diana [2] contra Con. Henriq. et alios, poenitentiam sub veniali tantum obligare sequentibus casibus: 1. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita citati contra Henr. Fag. 2. Si pro mortalibus alias confessis. 3. Omissionem partis non gravis in confessione mortalium; vel etiam omissionem totius, si levis sit, v. gr. unum *Miserere*. Con. Fag. cum Diana [3] (Levem esse omittere unum *Miserere*, dicunt etiam Pal. [4] et Lugo [5]. Rosarium vero b. Virginis, etsi quinque decadum, minime dici potest materia levis). 4. Si confessarius noluit obligare sub mortali; quia cum possit imponere poenitentiam libere et sine omni obligatione, ut probant Suarez [6] Henr. Fill. Fagund. Tann. Con. [7] contra Turr. et Vasq., potest etiam sub levi tantum imponere (Et sic insinuat agendum p. Segneri [8] ac Croix [9] si poenitens non acceptaret poenitentiam impositam). Vide Diana [10]. 5. Eum qui lucratur indulgentiam plenariam liberari ab onere poenitentiae (nisi sit medicinalis) docet Diana [11] ex Tann. Granad. Lugo etc. contra Val. March. et Aversa (*Vide de hoc n.* 519.).

» Dixi 2. *Si rationabilis sit:* quia si iusto sit gravior ac difficilior, nec confessarius eam moderari velit, non peccabit graviter poenitens, si sine absolutione discedens, alterius sacerdotis iudicio peccata submittat, ut docent Suarez Con. Laym. Imo ad eam non obligabitur, si omnino iniustam esse constet, aut si poenitens eam non possit implere vel illius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quidquam tenetur, etsi expediat ut is qui sive culpabiliter sive sine culpa oblitus est, in sequenti confessione similem sibi iniungi petat. Ita Con. Laym. Diana [12] contra Richard. et Sylv. qui putant talem confessionem esse repetendam: quod praeter citatos negat etiam c. de Lugo [13] ex Vasq. docens, talem satisfacere, si confiteatur illud peccatum oblivionis culpabilis. »

516. Hic plura dubia occurrunt discutienda. Dubitatur 1. An poenitens teneatur acceptare iustam poenitentiam quam imponit confessarius. Tres sunt sententiae.

Prima negat, quam tenet Caiet. [14] et probabilem putant Spor. [15] et Tamb. [16] quia non tenetur acceptare qui vult eam solvere in purgatorio.

Secunda sententia, quam tenent Navar. [17], item Scotus Med. Gabr. apud Lugo [18] et Soto Zerola Vill. etc. apud Renzi [19], dicit posse non acceptare, sed si acceptet teneri ad eam exequendam.

Tertia sententia communis et vera, quam tenet Suar. [20] (qui oppositas vocat temerarias) Lugo [21] qui nostram sententiam vocat certam cum Vasq. et Victor. (qui post Tridentinum dicunt esse de fide) Elbel [22] et Salm. [23] cum s. Thoma Palud. et p. Soto, dicit peccare qui poenitentiam non acceptat vel non vult implere, et absolutionem vult recipere. Ratio quia, ut docet Bened. XIV. [24], sicut confessarius iustam tenetur iniungere poenitentiam, ita poenitens tenetur illam acceptare [25].

Probabile tamen est quod si poenitenti videatur poenitentia illa iusto gravior, aut nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si confessarius nollet eam moderari, posset saltem sine culpa gravi discedere absque absolutione, et alium adire confessarium, ut dicunt cum Bus. et Coninch. supra Suar. [26] Lay. [27] Elb. [28] Holz. [29] et Spor. [30]. Hoc tamen intelligendum si poenitentia illa vere sit irrationabilis

(1) L. 4. t. 6. d. 15. (2) P. 5. t. 4. r. 136.
(3) D. 3. t. 4. r. 102. et p. 6. t. 8. r. 45.
(4) P. 21. §. 4. n. 11. (5) D. 25. n. 74.
(6) Hic d. 38. s. 7. (7) De sacr. d. 10. dub. 3. n. 65.
(8) Paroch. instr. (9) L. 6. p. 2. n. 1249.
(10) P. 3. t. 4. r. 241. et p. 4. t. 4. r. 85.
(11) P. 5. t. 12. r. 3. et p. 9. t. 6. r. 56.
(12) P. 4. t. 4. r. 241. (13) N. 78.
(14) T. 1. op. tr. 6. q. 2. ad 2. (15) N. 548.
(16) C. 2. n. 7. (17) C. 26. n. 20. (18) D. 25. n. 68.
(19) C. 2. sect. 3. q. 12. (20) D. 38. sect. 7. n. 2.
(21) L. c. (22) N. 227. (23) De poenit. c. 10. p. 4. n. 52. (24) Epist. encycl. Inter praeteritos.
(25) Et poenitens recusans poenitentiam, quae pro peccatis gravibus saltem in se gravis semper sit oportet, absolvi nequit. Secus dicendum, si poenitens tantum respective gravem iuxta numerum et totam gravitatem peccatorum emensam respueret. Hom. Ap. tr. 16. n. 55. (26) D. 38. s. 7. n. 4. (27) C. 15. n. 6.
(28) N. 223. (29) N. 601. (30) N. 550.

vel impar debilibus viribus poenitentis; nam si contra poenitentia facile posset ab eo impleri, et nollet ex mera desidia illam acceptare, ac cum levi absolvi vellet, non videtur posse excusari a peccato gravi, quia (ut bene ait Lugo [1]) sicut peccaret sacerdos imponendo levem poenitentiam sine iusta causa pro gravibus culpis, ita peccaret poenitens volens sine causa recipere absolutionem cum poenitentia iusto leviori.

517. Dubitatur 2. An poenitens peccet graviter, si omittat implere poenitentiam gravem impositam pro venialibus aut mortalibus confessis. Commune est quod si iniungatur poenitentia levis, non est obligatio illam implendi sub gravi, etiamsi tota omittatur. Palaus [2] Lugo [3] Renzi [4] Suarez [5] Croix [6] cum Aversa et aliis passim. Ratio quia materia levis non est capax gravis obligationis. Nec obstat quod sacramentum maneat incompletum, nam illud iam est completum essentialiter; completio autem integralis per materiam levem non obligat nisi leviter secundum materiam. Dubium vertit, quando materia poenitentiae est gravis.

Prima sententia probabilis et communior dicit esse peccatum grave illam omittere, ita Lugo et Palaus [7] Bonac. [8] Ronc. [9] Conc. [10] Salm. [11] Escob. [12] cum Henr. Con. Fag. et Nugno. Ratio quia gravitas vel levitas huius obligationis non sumitur ex gravitate causae, nempe peccati confessi, sed ex materia praecepta, scilicet poenitentiae impositae

Secunda sententia vero satis probabilis negat hanc obligationem esse gravem, ita Nav.[13] Suar.[14] Lay.[15] Diana [16] Spor. [17] et probabilem putant Lugo [18] Mazz.[19] Tamb.[20] cum Henr. et Croix [21] cum Soto Palud. Fill. Led. et Aversa. Ratio quia hoc casu materia satisfactionis impositae non est necessaria in quantum est gravis; unde sicut confessarius non tenebatur, imo nec poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi adimplere. Nec valet dicere quod poenitentia non est commensuranda cum peccato, sed cum poena temporali ob peccatum debita; nam respondetur 1. Quod si hoc esset, utique deberet pro quolibet veniali gravis imponi poenitentia cum unicuique veniali gravis, imo gravissima debeatur poena. Resp. 2. quod ex Tridentino poenitentia iniungenda est *pro qualitate criminum*, non autem poenae. Sentio tamen dicendum cum Roncaglia (cui consentit etiam Laym. [22]) quod si per accidens peccata illa venialia valde disponerent poenitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere poenitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter, et tunc tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. Praeterea censeo quod si poenitens pro mortalibus confessis condignam non egerit poenitentiam, tunc si iterum eadem peccata clavibus subiiciat, bene poterit confessarius gravem iniungere poenitentiam; et poenitens si acceptet, tenetur eam implere.

An autem circumstantias poenitentiae impositae teneatur poenitens implere sub mortali, nempe ad recitandam coronam flexis genibus, brachiis extensis, et similia. Resp. nulli dubium quod omissio circumstantiae erit saltem venialis; quando vero erit vel ne mortalis, pendet ex molestia levi aut gravi, quam affert circumstantia vel per se vel respective ad poenitentem, prout significaverit confessarius poenitentiam imponens: ita communiter Sanchez [23] Lugo [24] Viva [25] Renzi [26] Tamb.[27] et Croix[28] cum Dic. Aversa etc.

518. Dubitatur 3. An confessarius pro culpis gravibus possit imponere poenitentiam gravem, sed sub obligatione levi.

Prima sententia negat, quam tenent

(1) N. 69. (2) P. 21. §. 4. n. 11. (3) D. 25. n. 74. (4) C. 2. sect. 3. q. 14. (5) D. 58. sect. 7. n. 5. (6) N. 1278. (7) Locc. cc. (8) Q. 5. s. 5. p. 4. n. 4. (9) C. 2. q. 2. r. 2. (10) P. 423. n. 11. (11) De (12) Lib. 17. n. 296.

(13) C. 21. n. 45. (14) Loc. c. (15) C. 15. n. 7. (16) P. 3. tr. 4. r. 136. (17) N. 544. (18) N. 76. (19) T. 3. p. 381. (20) C. 2. n. 4. (21) N. 1279. (22) L. c. (23) Dec. l. 4. c. 12. (24) D. 25. n. 95. (25) Q. 6. a. 2. n. 4. (26) C. 2. sect. 3. q. 16. (27) L. 4. c. 2. n. 14. (28) N. 1280.

Renzi [1] et Bon. [2] cum Con. et Nugno. Ratio quia, licet possit legislator in materia gravi obligare tantum sub levi, tamen in hoc sacramento confessarius non reputatur ut legislator, sed ut simplex minister, cum ibi agat nomine Dei, unde non potest materiam per se gravem sub levi imponere.

Secunda sententia communior affirmat, quam tenent Bus. ut supra cum Henr. et Fagund. Suar. [3] Fill. [4] p. Segneri [5] Tambur. [6] Dicast. apud Croix [7] et probabilem vocat Viva [8] cum Med. et Diana. Ratio quia revera (ut ipsi adversarii concedunt, utque dictum est *l. 1. n.* 143.) quilibet legislator potest gravem materiam praecipere sub levi. Nec obstat ratio opposita; nam confessarius in hoc sacramento non tantum fungitur vicibus Christi, sed etiam est a Christo constitutus verus iudex et legislator, qui ex potestate sibi tradita solvit remittendo peccata, et ligat praecepta imponendo circa obligationem satisfactionis implendae: unde huius obligationis gravitas oritur non ex vi sacramenti, sed ex praecepto confessarii. Haec secunda sententia per se loquendo valde probabilis mihi videtur, sed non probarem, si confessarius ex hac doctrina vellet pro peccatis gravibus totam poenitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis aegritudinis aut intensissimae contritionis, vel alio casu rarissimo, in quo omnino videretur expedire ad salutem poenitentis; censeo enim ex praecepto Tridentini teneri semper confessarium iniungere aliquod grave opus sub obligatione gravi (ut iam dixi *n.* 510. *in fine*); licet sit leve respective ad numerum et gravitatem peccatorum. Praefata ergo sententia deservire poterit ad hoc tantum, ut confessarius postquam imposuit aliquam poenitentiam gravem, aliam graviorem iniungat sub levi, ut si poenitens illam implebit, sacramentaliter satisfaciat; si vero negliget non gravetur culpa gravi. Et sic puto recte se gerere confessarium; cum enim spectata poenitentis imbecillitate possit confessarius primam tantum gravem poenitentiam imponere sub praecepto, et graviorem sub consilio praescribere, melius consulet bono poenitentis, imponendo illam graviorem sub levi, ut omnia opera iniuncta eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Minime autem approbo id quod dicunt Medina apud Suar. et alii apud Bus. ut supra, nempe quod confessarius possit aliquando iniungere poenitentiam sine ulla obligatione; hoc, dico, est omnino improbabile; nam legislator potest ferre et non ferre legem; sed si ferat, non potest quidem eam ferre sine obligatione, cum lex debeat necessario saltem sub levi obligare; lex enim quae non obligat non est lex, sed consilium.

519. Dubitatur 4. An tempore iubilaei vel indulgentiae plenariae possit confessarius absolutionem impertiri nulla iniuncta poenitentia.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lugo [9] Suar. [10] Pal. [11] cum Toleto et Sa Viva [12] (limitant tamen Salm. et Viva nisi poenitens indigeat aliqua poenitentia medicinali); et idem docuit d. Thom. [13] qui ad obiectionem quod non possit sacerdos remittere poenitentiam, cum haec sit pars sacramenti, respondet: *Pro eo faciens indulgentias, solvit poenam quam debuit, de bonis ecclesiae communibus*. Subdit vero: *Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae iniunctis abstineant*. Ratio huius sententiae est quia poenitentia principaliter imponitur pro satisfacienda poena temporali, quae iam tota remittitur per indulgentiam. Sed his non obstantibus, tenendum est oppositum cum Conc. [14] Ronc. [15] et Croix [16] cum Fill. Rod. Dicast. Et hodie non est amplius de hoc dubitandum, dum noster ss. pontifex Bened. XIV. [17] sententiam contrariam tamquam laxiorem

(1) C. 2. s. 3. q. 14. (2) Q. 5. s. 3. p. 4. n. 4. (3) D. 38. sect. 7. n. 5. (4) Tract. 8. n. 54. (5) Instruct. ad confess. c. 3. (6) L. 4. c. 2. n. 6. (7) N. 1249. (8) Q. 6. a. 1. n. 2. (9) D. 27. n. 21. (10) D. 38. sect. 10. n. 10. (11) P. 21. n. 9. (12) Q. 6. a. 1. n. 1. v. Quinto. (13) Suppl. q. 25. a. 1. ad 3. (14) P. 407. n. 6. (15) C. 2. q. 7. (16) N. 1273. (17) Cit. ep. encycl. Inter praeteritos.

reprobat dicens, non posse putari verum poenitentem qui indulgentias consequi cupit, si huius praetextu se vult eximere a poenitentia sacramentali adimplenda. Ratio 1. quia, ut poenitens posset per indulgentias liberari a poenitentia certe debita, certus esse deberet se illam lucrari: sed patet hoc valde incertum esse; unde non potest debito certo satisfacere per incertam solutionem. Ratio 2. quia, licet certo quis indulgentias lucraretur, debet tamen semper aliquam poenitentiam (quae est integralis pars sacramenti) implere, ne sacramentum mutilum maneat.

Dixi aliquam poenitentiam; nam communiter et probabilissime, praeter aa. citatos pro prima sententia, dicunt Nav. [1] Tol. [2] Spor. [3] Elbel [4] Holzm. [5] et Laym. [6] cum Soto et Henr. causa indulgentiarum bene posse a confessario poenitentiam diminui, modo aliqua imponatur, quia per eam iam integratur sacramentum, et contra per indulgentias probabiliter satisfit poenae temporali de bonis communibus ecclesiae, ut docet d. Thom. [7].

520. Dubitatur 5. An si poenitens oblitus sit poenitentiae iniunctae, teneatur repetere confessionem, ut aliam poenitentiam accipiat.

Prima sententia, quam tenent s. Anton.[8] et Bon.[9] cum Sylv. et aliis, dicit hunc teneri saltem praecipua repetere peccata, ut condigna poenitentia sibi imponatur: quia poenitens curare debet, quantum commode potest, ut sacramentum fiat integrum; qui enim tenetur ad finem tenetur etiam ad media.

Secunda sententia vero communis, quam tenent Lugo [10] Pal.[11] Spor.[12] cum communi, Croix [13] Ronc. [14] Holzman [15] Viva [16] Diana [17] Elbel [18] cum Nav. Soto Avers. et Salm.[19] cum Suarez Vasquez Laym. Concin. Vict. Cand. Vivald. etc. negat obligationem hanc, etiamsi poenitens culpabiliter oblitus fuerit poenitentiam, ut specialiter notant Salm. [20] Spor. Holzm. Elb. Lugo cum Vasq. et Croix cum Nav. Soto et aliis. Ratio quia ex una parte non tenetur amplius ad poenitentiam, cum illius impletio facta sit ei impossibilis; ex altera non videtur extare hanc obligationem repetendi confessionem, ut integretur sacramentum, cum nemo videatur teneri repetere sua peccata, semper ac ipsa directe fuerint remissa: hoc enim gravissimum esset onus. Utraque sententia est probabilis. Merito autem advertunt Con.[21] Pal.[22] Diana Elb. Spor.[23] et Salm.[24] cum Caiet. Soto Nav. et Medina, quod talis poenitens teneretur utique, cum commode posset, adire confessarium suum, si putaret illum adhuc memorem esse poenitentiae quam iniunxit; tunc enim eius impletio est ei adhuc moraliter possibilis.

521. « 1. Is qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, probabiliter quidem satisfacit praecepto, cum impleat eius substantiam; peccat tamen, sed venialiter, ut docent Suar. Laym. Diana[25], quia sacramenti partem suscipit indigne, et obicem ponit effectui, scilicet remissioni poenae (quem tamen, obice remoto, recuperari docent Nav. Tol. Cai. Diana [26] Fagund. Suar. etc.), unde quamprimum est implenda, potestque graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis circumstantiis iudicandum. Vide Diana [27]. Non esse autem grave seu mortale, si non differat ultra octiduum, docet Hurt. apud Diana. Imo posse differri per annum (hoc est quamdiu non tenetur ad novum sacramentum poenitentiae) vult ipse Diana[28] ex Amico et Leandro etc., nisi tamen poenitens dubitet an postea possit implere; eo enim casu teneri quamprimum commode potest (Hoc merito communiter reiicitur cum Salmant.[29] Tamb.[30] et Croix [31] qui proba-

(1) C. 26. n. 21. (2) Lib. 3. c. 11. n. 3. (3) N. 258. (4) N. 248. (5) N. 612. (6) C. 15. n. 12. (7) L. c. (8) P. 3. tit. 14. c. 19. §. 19. (9) Q. 5. sect. 5. p. 3. n. 9. (10) D. 25. n. 37. (11) P. 21. n. 19. (12) N. 532. (13) N. 1275. (14) C. 2. q. 7. (15) N. 617. (16) Q. 6 a. 2. n. 6. (17) T. 4. tr. 4. r. 241. (18) P. 272. n. 244 (19) De poenit. c. 10. p. 6. n. 85. (20) Ibid. (21) D. 10. dub. 9. n. 86. (22) N. 13. (23) Locc. cc (24) Cit. n. 85. (25) L. c. (26) P. 3. t. 4. r. 85 (27) P. 2. t. 15. res. 55. et p. 5. t. 15. r. 58. (28) P. 9. t. 7. res. 57. (29) De poenit. c. 10. p 5. n. 65. (30) L. 4. c. 2. n. 9 (31) N. 1238.

biliter tamen excusat a mortali, si dilatio sit ad mensem, si poenitentia sit tantum vindicativa [1]. Roncaglia vero damnat de mortali si differatur poenitentia per 15. dies, sed hoc videtur nimis rigidum; non reputatur enim gravis dilatio, quae non affert grave praeiudicium rei praeceptae, ut ait Lugo [2] qui addit dilationem, ut sit gravis, debere esse ad longum tempus. Renzi autem [3] cum Cotonio et Glossa [4] dicit non esse gravem dilationem infra sex menses, sed hoc videtur nimis benignum). Similiter non esse mortale, si obligatus ieiunare feria 6. differat in diem sequentem : vel obligatus communicare singulis mensibus differat ad 6. vel 8. dies, affirmat Diana [5] ex Pal., praesertim ex causa aliqua, tametsi levi (Dicunt Salm. [6] non esse mortale differre obligationem confessionis per 4. dies, si iusta causa excuset. Et communius Pal. [7] Spor. [8] Holzman [9] cum Suar. Conc. et aliis censent, non esse mortale differre communionem per 6. vel 8. dies, quando quis tenetur communicare per singulos menses. Et consentit Ronc.[10] modo (recte monet) poenitentia non sit medicinalis; ita ut illa dilata periculum sit relabendi. Putat autem Croix [11] cum Gobat. et Steph. quod ex decem communionibus omittere unam non sit mortale; sed huic non acquiesco). »

522. Dubit. 1. An qui existit in mortali possit implere poenitentiam impositam.

Prima sententia negat, et hanc tenent Tabiena Alens. Archid. apud Salm. [12]. Et citant pro se d. Th. qui [13] sic ait : *Oportet... quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis caritas, et ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria.* Ratio huius sententiae est, quia peccator iniuriam irrogat sacramento, dum obicem ponit satisfactioni in sacramento impositae.

Secunda sententia, quam tenent Tourn.[14] Iuen.[15] Antoine [16] etiam negat implere, si impleat habens actualem affectum ad peccatum mortale; secus si tantum existat in mortali: ita praefati auctores. Ratio quia ad satisfaciendum Deo non requiritur status gratiae sanctificantis, sed sufficit voluntas Deum placandi, quae contra deest in eo qui habet actualem affectum ad peccatum.

Tertia sententia communis et probabilior universe affirmat et hanc tenent Suar.[17] Nav.[18] Salm.[19] Conc.[20] Ronc.[21] Lugo [22] cum Palud. Cai. Soto Sylvest. et Bon.[23] cum Sa Tol. Val. Vasq. Con. Fill. etc. Ratio quia ad implendum praeceptum satisfactionis sufficit ponere opus praecepti, licet praecepti finis non obtineatur. Respondetur autem ad textum d. Thomae, quod ibi s. doctor non loquatur de adimpletione satisfactionis iniunctae, sed tantum de eius merito quod non potest haberi sine caritate.

523. Dubitatur 2. An peccet qui implet poenitentiam impositam existens in mortali. Conveniunt dd. hunc non peccare mortaliter; alii vero (ut Lug [24] ac Aversa Dicast. Stephan. etc. apud Salm. [25] qui putant probabile) dicunt nullo modo peccare; quia, ut aiunt, nulla est culpa obicem ponere soli remissioni poenae. Alii tamen probabilius tenent peccare venialiter, quia ponere obicem effectui partiali sacramenti non potest ab aliqua culpa excusare ; ita Suar.[26] Laym.[27] Wig.[28] Bonac.[29] et Salm. [30] etiam probabile censent. Dicunt autem Wig. Salm. et Antoine, quod, recedente fictione, tunc poenitentia habeat effectum satisfactionis, contra Scotum Med. Bon. et Vasq. qui censent habere effectum cum impletur.

524. « 2. Poenitentiam (etiam medicinalem) impositam sub conditione hac,

(1) Neutiquam (peccat) qui per mensem eam (poenitentiam) differt, modo poenitentia non sit medicinalis, ut advertunt Mazzotta et Croix. Hom. Ap. tr. 16. n. 57. (2) D. 25. n. 91. (3) Q. 18. (4) In l. fin. c. de cens. (5) L. c. (6) Cit. n. 65. (7) P. 21. §. 4. n. 12. (8) N. 577. (9) N. 605. (10) C. 2. q. 6. r. 1. (11) N. 1277. (12) De poen. c. 10. p. 5. n. 69. (13) Suppl. q. 14. a. 2. ad 2

(14) Prael. theol. de poenit. qu. 7. a. 2. q. 6. r. 3. (15) T. 7. p. 490. a. 3. (16) P. 519. (17) D. 38. sect. 3. n. 1. (18) C. 3. n. 7. (19) Cit. n. 69. (20) P. 359. n. 3. (21) C. 2. q. 5. (22) D. 25. n. 30. (23) Sect. 3. p. 4. n. 15. (24) D. 25. n. 32. (25) Ibid. n. 70. (26) D. 38. sect. 3. n. 7. (27) C. 15. n. 15. (28) Tr. 13. n. 129. (29) P. 4. n. 15. (30) Cit. n. 70.

si iterum labatur, nec teneri acceptare nec implere, eo quod confessarius nec iudex sit nec medicus peccatorum committendorum, docet Diana [1] ex Palao Trull. etc. Sed contrarium probabilius cum Suar. tenet Aversa [2], quia non imponit eam pro peccatis committendis, sed commissis sub conditione reincidentiae (Et sic tenendum cum Suarez [3] Laym. [4] Bonac. [5] Salm. [6] cum Aversa et aliis. Id tamen intelligendum, modo imponatur proportionata poenitentia pro peccatis confessis).

525. » 3. Qui non implevit intra tempus praescriptum, non ideo deobligatur. »

Dicunt Henr. apud Renzi [7] quod si assignetur dies ad poenitentiam implendam, transacto illo, non est amplius obligatio implendi; sed omnino tenendum est oppositum cum Busemb. et Diana [8] Renzi [9] ac Croix [10] cum Aversa et Mendo. Dicunt autem [11] Spor. Con. et Gob., quod si alicui sit iniunctum ieiunium die sabbati in honorem B. M. V., transacto eo die, non tenetur in alio. Sed haec opinio nec mihi arridet, tum quia semper principaliter intenditur a confessario ieiunium et accessorie dies; tum quia, quando materia est divisibilis, qui non potest implere totum, tenetur ad partem.

526. « Potest satisfacere per alium, cui confessor id concedit vel qui per se non potest, ut docent Reg. Fagund. Diana [12] (Sed adverte hic prop. 15. damnatam ab Alex. VII. quae dicebat: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat*). Hic tamen non tenetur, nisi confessor id voluerit. An vero satisfaciens pro alio simul pro se possit, alii aiunt, alii probabilius negant, ut habet Sa.

527. » 5. Non necessario impletur ante communionem (Hic advertantur quatuor propositiones damnatae ab Alexandro VIII., nempe prop. 16. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* Prop. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.* Prop. 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* Prop. 22. *Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.*).

528. » Quaeres: Quis poenitentiam possit commutare et quomodo.

» Resp. 1. Ex iusta causa quivis sacerdos id potest, si de novo ei confiteatur, ut habet communis sententia, contra Sot. et Vasq., saltem si peccata non sint reservata: imo etiam probabiliter etiamsi talia fuerint, ut habet Fernandus.

» Resp. 2. Sine nova sacramenti administratione potest id solus sacerdos qui iniunxit, si adhuc recordetur statum poenitentis et hic ad eum recurrat tempore tam brevi, ut moraliter idem iudicium censeri possit, v. g. intra hebdomadam, Henr. et alii 4., imo et post longius intervallum. Card. de Lugo Aversa et Diana [13] contra Pal. etc. Ratio quia iudex, incognita causa, non potest ferre sententiam. Ita Sylv. Suarez Con. Laym. Fill. Reg. Fag. et cardin. de Lug. contra Navar. Henr. Tol. Sa Rodr. Beiam Val. Diana [14] qui dicunt etiam alium posse non repetitis peccatis. Quae sententia, etsi non ex ratione, ex principio tamen extrinseco videtur esse in praxi probabilis (Diana enim pro ea adducit 14. auctores dicitque esse usum sive praxim confessariorum), et confessariis posse servire, quando poenitens difficulter adduci potest ad repetenda peccata vel tempus id non fert; praesertim si ex con-

(1) P. 6. t. 7. res. 49. (2) Q. 13. sect. 4.
(3) De rel. l. 3. c. 8. (4) C. 15. n. 11.
(5) P. 2. n. 26. (6) De poenit. c. 10. p. 3. n. 38.
(7) C. 2. sect. 3. q. 18. (8) P. 5. tr. 15. r. 37.
(9) Loc. cit. (10) N. 1290. (11) Ibid.
(12) P. 4. t. 4. res. 141.
(13) P. 7. t. 6. res. 46. et p. 9. t. 6. res. 57.
(14) P. 3. t. 4. res. 55. et p. 2. t. 1. misc. r. 55

fessione (nam in ea, et non extra debet fieri) aliorum peccatorum et ex praesenti statu poenitentis ipsiusque testimonio habeant aliquam confusam notitiam peccatorum praeteritae confessionis. Ita Fag. [1] Lugo [2].

» Resp. 3. Ipse poenitens non potest commutare poenitentiam etiam in evidenter meliorem, ut docent Sanch. [3] Con. [4] Regin. et alii: etsi contrarium probabile dicat Diana [5] ex Port. et Villal. Sed hoc Turr. temerarium, card. de Lugo communi theologorum et fidelium sensui repugnare dicit [6]. »

529. Dubitatur 1. An poenitens optans poenitentiam iniunctam sibi commutari teneatur confessionem factam repetere. Resp. si confitetur eidem confessario non erit opus eam repetere, dummodo confessarius adhuc confuse recordetur status eius conscientiae. Si vero confitetur alteri, duplex est sententia:

Prima sententia affirmat esse obligationem repetendi, et hanc tenent Layman [7] Lugo [8] Pal. [9] Conc. [10] Ronc. [11] Holz. [12] Croix [13] Elb. [14] Spor. [15] Tamb. [16] et Salm. [17] cum Suar. Soto Sylv. Vasq. Conc. Reg. Molf. etc. Ratio 1. quia confessarius non potest poenitentiam commutare, nisi in iudicio sacramentali; hoc autem iudicium non potest exercere nisi poenitens sua deferat crimina. Ratio 2. quia poenitentia, ut docet Tridentinum, non solum debet esse punitiva, sed etiam medicinalis, nempe ut non tantum sit in vindictam vitae anteactae, sed etiam in custodiam futurae; nequit autem confessarius convenientem medicinam poenitenti applicare, nisi culparum eius notitiam habeat.

Secunda sententia vero satis probabilis negat esse hanc obligationem eamque tenent Nav. [18] Tolet. [19] Bon. [20] Sa [21] Diana [22] cum Henric. Vill. Rodr. Vict. Vivald. Portell. Valer. etc. et hanc probabilem putant Busemb. *ut supra*, Lugo [23] Anacl. [24] Spor. [25] et Laym. Salmant. Holzm. ac Tamb. [26]. Ratio quia in hac secunda confessione non agitur de iudicio ferendo super culpis delatis in confessione praecedenti, ubi iudicium iam fuit efformatum, sed tantum agitur de poenitentis impotentia sive imbecillitate ad poenitentiam implendam, et sic respondetur ad primam rationem. Difficilius est respondere ad secundam; sed responderi potest quod confessarius commutando poenitentiam in aequalem vel minorem bene potest praebere medicinam peccatis alias confessis vel imponendo poenitentiam aequivalentem vel poenitentiam datam minuendo iuxta dispositionem poenitentis. Caeterum iidem aa. primae sententiae (ut Pal. Salm. Roncag. Elbel et Croix) fatentur eo casu non esse opus singula peccata repetere, sed tantum praecipua, quantum sufficit ad notitiam confusam habendam status poenitentis. Adduntque probabiliter Navarr. [27] Sporer [28] et Tamb. [29] quod si confessarius advertat poenitentem non implevisse poenitentiam nec facile impleturum, etiam eo non petente, poterit ei illam commutare.

Dubitatur 2. An confessarius inferior possit commutare poenitentiam a superiore impositam ob casus reservatos.

Prima sententia communior negat et hanc tenent Gonet [30] Suarez [31] Lugo [32] Holzm. [33] Spor. [34] Conc. [35] Renzi [36], item Coninch. Valent. Regin. Vega Molf. etc. apud Salm. [37]. Ratio quia accessorium sequitur naturam principalis: sicut ergo reservatum erat superiori iudicium in causa principali, scilicet in absolvendis reservatis, ita reservata manet

(1) P. 2. l. 9. c. 4. n. 22. (2) D. 25. sect. 6. n. 107. et 109. (3) 4. mor. (4) D. 10. a. 12. n. 15. (5) P. 3. t. 4. r. 53. et t. 2. tr. 4. r. 53. (6) D. 25. sect. 6. n. 75. (7) C. 5. n. 16. (8) D. 25. n. 107. (9) P. 21. §. ult. n. 13. (10) P. 454. n. 20. (11) C. 3. q. 3. (12) P. 158. n. 616. (13) N. 1295. (14) P. 171. n. 245. (15) P. 245. n. 588. (16) L. 4. c. 3. n. 22. (17) De poenit. c. 10. p. 6. n. 79. (18) Man. c. 26. n. 22. (19) L. 3. c. 11. n. 12. (20) Qu. 5. p. 3. n. 8. (21) V. Satisfactio n. 5. (22) P. 2. tr. 15. r. 53. (23) N. 109. (24) P. 552. n. 17. (25) N. 589. (26) Locc. cc. (27) C. 26. n. 22. (28) L. c. (29) N. 25. (30) D. 15. n. 56. (31) Dist. 58. sect. 10. n. 14. (32) Dist. 25. n. 104. (33) N. 616. (34) N. 5183. (35) P. 455. n. 16 (36) C. 2. sect. 5. quaest. 27. (37) De poenit. c. 10. p. 6. n. 72.

impositio poenitentiae quae ad idem iudicium pertinet.

Secunda sententia affirmat eamque tenent Pal. [1] et Elbel [2] cum Sanchez Bon. et Henr., ac probabilem vocant Spor. et Salm. [3] cum Vasq. Navar. Sa Dicast. Gabr. Fern. etc. Ratio quia cum peccata iam fuerint a superiore absoluta, est omnino ablata reservatio et remanent illa peccata communia: unde si poenitens illa iterum subiiciat inferiori, potest hic novum de eis formare iudicium ac proinde poenitentiam commutare. Nec obstat, ut dicunt, quod inferior potestatem non habeat in sententiam superioris, nam quando sublata est reservatio, uterque eamdem habet potestatem. His tamen non obstantibus, prima sententia mihi arridet: nam licet inferior hic et nunc possit novum formare iudicium super illa peccata, si rursus ei deferantur, tamen nullam ipse habet facultatem mutandi sententiam superioris in iudicio prius ab eo lato; principium enim certum est quod inferior nihil potest in legem superioris. Probabile autem puto id quod dicunt Bonac. [4] et Renzi [5] cum Suar. Henr. Victor. Med. Fagund. etc. quod secunda sententia possit locum habere, si gravis accederet causa et non esset facilis accessus ad superiorem; quia tunc inferior licite posset poenitentiam commutare ex praesumpta superioris conniventia.

Dubitatur 3. An confessarius possit commutare poenitentiam extra confessionem. Certum est quod alter confessarius nequit extra confessionem mutare poenitentiam etiam iniustam a primo impositam, ut cum communi sententia dicunt Diana [6] (contra Valer. et Victorell.) Salm. [7] et Croix [8] cum Lugo qui merito oppositam vocat improbabilem. Si vero sit idem confessarius qui poenitentiam imposuit, censet Coninch. [9] eum posse poenitentiam commutare extra confessionem, sed non ultra quam infra eumdem diem; Sporer vero [10] cum Soto et Valentin. extendit ad infra biduum; Busemb. et Diana [11] cum Henriq. Led. Vivald. etc. extendunt ad hebdomadam, imo Lugo Aversa Gab. etc. apud Salm. [12] id permittunt adhuc per longius intervallum. At verius puto dicendum cum sententia communiori quam tenent Bonac. [13] Conc. [14] et Salm. [15] cum Suar. Navarro Sylv. Vega Reg. Praepos. et Dicast. id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem antequam poenitens discedat, quia tunc tantum videtur moraliter perseverare idem iudicium [16].

530. Cum autem valde proficuum possit esse poenitentibus, ut facilius inducantur ad maiorem poenitentiam acceptandam et fortius a peccatis absterreantur, eis indicare poenitentias quae olim in canonibus poenitentialibus erant praescriptae pro aliquibus criminibus, ut monent catechismus romanus, d. Antoninus et d. Carolus Borromaeus; ideo hic operae pretium duxi adiicere aliquos principaliores ex dictis canonibus secundum ordinem decalogi, videlicet [17]:

Circa 1. *praeceptum.* 1. Qui a fide desciverit, poenitentiam aget annis decem. 2. Qui auguriis et divinationibus servierit quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annis septem. 3. Respiciens furta in astrolabio, poenitens erit annis duobus. 4. Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, poenitens erit duos annos. 5. Qui magos consuluerit in poenitentia erit annos quinque.

Circa 2. *praeceptum.* 1. Quicumque sciens peieraverit, 40. dies in pane et aqua et septem sequentes annos poeniteat et numquam sit sine poenitentia, et numquam in testimonium recipiatur et post haec communionem percipiat. 2. Qui periurium in ecclesia fe-

(1) P. 21. §. ult. n. 7. (2) N. 242.
(3) Locc. cc. (4) P. 3. n. 6. (5) Loc. cit.
(6) P. 2. tract. 15. r. 53. (7) Ibid. n. 74.
(8) N. 1295. (9) N. 46. dub. 8. (10) N. 536.
(11) L. c. (12) Cit. n. 74. (13) P. 3. n. 7.
(14) P. 455. n. 17. (15) Ibid.

(16) Attamen facta commutatione semper potest poenitens eligere primam poenitentiam, uti docent Suarez Lessius Bonacina et alii cum Mazzotta. Hom. Apost. tract. 16. n. 61.

(17) Confer etiam dissertationem prolegomenam in initio operis positam.

cerit, poenitentiam aget annos decem. 3. Si quis Deum vel b. Virginem vel aliquem sanctum publice blasphemaverit, prae foribus ecclesiae diebus dominicis septem in manifesto dum missarum solemnia aguntur stet ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque praecedentibus feriis sextis in pane et aqua ieiunet, ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis iam illis septem diebus dominicis tres aut duos aut unum pauperem pascat si potest, alioquin alia poenitentia afficiatur. Recusanti ecclesiae ingressus interdicatur et in obitu ecclesiastica careat sepultura. 4. Qui votum simplex violaverit, poeniteat tribus annis.

Circa 3. *praeceptum*. 1. Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane et aqua. 2. Si quis ieiunia a s. ecclesia indicta violaverit, poenitentiam aget dies viginti in pane et aqua. 3. Qui in quadragesima ieiunium violaverit, pro uno die poenitentiam aget dies septem. 4. In quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in pascha non communicet; ac praeterea a carne abstineat.

Circa 4. *praeceptum*. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies poenitens sit in pane et aqua. 2. Qui parentes iniuria affecerit, tres annos. 3. Qui percusserit, annos septem. 4. Si quis contra episcopum, pastorem et patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitae suae poenitentiam aget. 5. Si quis episcopi aut ministrorum eius vel parochi sui praecepta contempserit vel irriserit, poenitentiam aget dies 40. in pane et aqua.

Circa 5. *praeceptum*. 1. Qui presbyterum occiderit, poeniteat 12. annis. Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat corpus Domini nisi in obitu, abstineat a carne et vino, dum vixerit, ieiunet secunda et quarta et sexta feria. 3. Si quis hominem occiderit, ad ianuam ecclesiae semper erit et in obitu communionem recipiet. 4. Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, poenitentiam aget 40. dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis. 5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget annos tres; si nolens quadragesimas tres. 6. Qui nolens filium oppresserit, poenitentiam aget dies 40. in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias: tres praeterea quadragesimas in anno observabit. 7. Qui sceleris occultandi causa filium necavit, poenitentiam aget annos decem. 8. Si quis per iram subitam aut per rixam hominem necarit, poenitentiam aget annos tres. 9. Si quis aliquem vulneraverit vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget unum annum per legitimas ferias. 10. Si quis ictum proximo dederit nec nocuerit, tridui poenitentiam aget in pane et aqua.

Circa 6. *praeceptum*. 1. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit tres annos. Qui turpiloquio aspectuque polluitur negligens... poenitentiam aget 20. dies. 3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit 40. dies. 4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam poenitentiam aget. 5. Qui incestum fecerit (non ita enormem) poenitens erit 12. annos. 6. Qui monialem violaverit, poenitens sit annos decem. 7. Si qua mulier cerussa aliove pigmento se oblinit ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres. 8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem quam scilicet baptizavit vel quae sibi confessa fuit, debet poenitentiam agere duodecim annos. Et si crimen sit manifestum debet deponi, et peregrinando 12. annos poeniteat et postea monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem. 9. Pro adulterio septennii et decennii poenitentia imponitur. 10. Pro osculo seu amplexu impudico triginta dierum poenitentia statuitur.

Circa 7. *praeceptum*. 1. Si quis furtum de re minori... fecerit, poeniten-

tiam aget annum unum. 2. Qui furatus est aliquid de ecclesiae supellectili vel thesauro vel pecuniam ecclesiasticam oblationesve ecclesiae factas, poenitens erit annos septem. 3. Qui decimam sibi retinuerit aut dare neglexerit, quadruplum restituet et poenitentiam aget dies 20. pane et aqua. 4. Qui usuras accipit, rapinam facit ... poenitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Circa 8. *praeceptum.* 1. Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque. 2. Falsarius in pane et aqua poenitentiam agat quamdiu vivit. 3. Si quis de proximo facile detraxerit, poenitens erit dies septem in pane et aqua.

Circa 9. *et* 10. *praeceptum.* 1. Rem alienam nefarie concupiscens avarusque, poenitens erit tribus annis. 2. Si quis concupiscit fornicari, si episcopus, poenitens erit annos septem: si presbyter, quinque: si diaconus vel monachus, tres: .... si clericus aut laicus, annos duos.

ART. II. De satisfactione per indulgentias.

§. 1. Quid sit indulgentia et quid ad eam requiratur.

531. *Quid sit indulgentia.*
532. *Quae causa requiratur ad indulgentiam lucrandum.*
533. *Quae requirantur conditiones.*
534. *Vide resolutiones. Et signanter n.* 9. *An omnia opera fieri debeant in gratia. Et n.* 10. *An requiratur status gratiae ad lucrandam indulgentiam pro defunctis. Et n.* 19. *An peccatum veniale non remissum impediat lucrari indulgentiam quoad alia remissa.*

531. « Resp. 1. Indulgentia est gratia qua certo aliquo opere, quod concedens praescribit, praestito, debita Deo poena temporalis (non autem culpa) extra sacramentum, sacrificium et martyrium, per applicationem satisfactionum Christi et sanctorum remittitur: idque vel per modum absolutionis erga subditos ecclesiae vel nudae solutionis erga non subditos, ut defunctos et catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiae per modum suffragii. Suar. Conin. Fil. Sanctorell. Bonac. [1].

532. » Resp. 2. Ad valorem indulgentiae requiritur causa pia et rationabilis, eaque, ut habet sententia communior Suar. et aliorum proportionata effectui et quantitati indulgentiae, saltem secundum concedentis prudentem aestimationem, petendam non ex operis tantum difficultate, sed fine intento et operis ad ipsum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quae sine causa ab inferiore facta non valet, et est dissipatio. Ita auct. cit. (Communis est sententia concessionem indulgentiarum sine causa esse illicitam et invalidam; vide Lugo [2] et Wigandt [3]. An vero causa debeat esse proportionata. Negant aliqui apud Suar. [4], sed verius affirmant Suar. [5] et Lugo [6] cum Adr. Cai. et communi. Nec obstat d. Thomas [7] quem contrarii pro se laudant; nam s. doctor negat requiri aequalitatem operum cum poena debita culpis, non autem proportionem cum culpa. Idem sentit Bellarm. [8]. Sed bene advertit non esse subditorum iudicare utrum causa iusta sit vel non, debent enim simpliciter existimare iustam esse).

533. » Resp. 3. Ad lucrandas indulgentias requiruntur hae conditiones: 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione maiore ut habet communis, quia haec privat communione bonorum spiritualium. 4. Ut sit in gratia saltem tunc quando opus praescriptum completur, quia poena non remittitur ante culpam (*Vide infra n.* 9. *apud Busemb.*). 5. Ut opus iniunctum moraliter totum et integre impleatur. 6. Ut opus praescriptum sit honestum saltem ex obiecto: nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali vel ex alia circumstantia prava (ut docent Suar. et alii communiter contra Conc.), saltem si nihilominus conducat ad finem pontifici propositum, ut limitat Laym. Ratio prioris est, quia illud opus plerumque complet causam indulgentiae quae debet esse pia. Ratio po-

(1) D. G. q. 1. p. 1. (2) D. 27. n. 159.
(3) Tr. 14. n. 91. (4) Dist. 54. sect. 5. n. 1.
(5) N. 5. (6) N. 141. (7) 4. d. 20. q. 1. a. 3.
(8) De indulg. l. 1. c. 12. n. 2.

sterioris, quia ratio iniuncti operis est assecutio finis intenti a pontifice. Vide Laym. Bon.[1] (Alii distinguunt, ut Mazzotta[2] et Bon.[3] cum Nav. Val. Conc. Reg. et cum communi, quod si culpa venialis afficit substantiam operis, puta si quis oret vel det eleemosynam ob vanam gloriam, tunc non lucratur indulgentiam; *vide n.* 536. Secus si non est circa substantiam, ut si quis oret distracte, ita Mazzotta[4] cum Suar. etc. ut supra communiter, contra Wig.[5] qui id negat, si indulgentia sit data ad Deum placandum).

534. » 1. Indulgentiis etiam frui potest qui eas concessit.

» Non expirant morte concedentis[6], cum sint gratiae, nec, ut habet Sa, ante notitiam revocationis.

» 3. Etsi intelligendae sint ut sonant, cum tamen sint gratiae, large sunt interpretandae (nisi de poenitentiis iniunctis, ut ex Henriq. etc. notat Amicus[7]) servata tamen verborum proprietate. Unde censendae sunt perpetuae, si datae sunt sine temporis restrictione.

» 4. Etsi data pro articulo mortis, secundum Sa, expiret quando semel est accepta, contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem confessarii aut alterius ministerium. Quintan.[8]. Expedit tamen moribundos ad invocationem nominis Iesu et Mariae saepius excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas indulgentias. Probabile enim est, si habeat plures imagines, grana, rosaria, etc. benedicta, posse sive intuitu eiusdem concessionis sive diversarum, toties lucrari quoties nomen Iesu repetierit vel praestiterit opus requisitum[9] ex Suar. Gran. etc. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit[10].

» 5. Possunt moribundi plures indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas, simul lucrari; verbi gratia, quia habent plura rosaria vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatae; vel titulo suae religionis, confraternitatis, etc. dummodo non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda[11], idque etiamsi eas vel earum aliquas ignorent aut non recordentur[12] ex Lugo Diana et aliis 6. contra Rodr. Trull. etc.

» 6. Requiritur autem ut moribundus crucem, granum, imaginem etc. secum habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur: et quidem, ut tutius ac certius obtineat, eius habeat dominium seu possessionem et apud se teneat. Non tamen est necesse ut collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa sint (etsi aliquo horum modorum habere sit tutius), sed sufficit esse in lecto vel iuxta moribundum; licet ipse nec videat nec tangat nec sciat aut recordetur se habere (nisi aliud exprimatur). Sufficiet etiam habere commodata seu quoad usum (praesertim si id in ipso indulto exprimatur, ut in Caroli Borromaei, et quinque sanctorum fit). Neque necesse est retinere donec expiret (etsi et hoc sit tutius), sed sufficit in aliquo mortis articulo habere, in eoque nomen Iesu (si hoc requiritur) invocare[13].

» 7. Concessae vivis non possunt applicari defunctis, nisi id exprimatur; quia pendent a voluntate concedentis.

» 8. Probabile est concessam pro certo tempore posse saepius obtineri repetendo opera praescripta, verbi gratia, eadem die, nisi addita sit restrictio: quia favores sunt ampliandi. Ita Henr. Rodr. Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter praesumptam. Vide card. de Lugo[14].

» 9. Etsi consultum sit ut opera omnia fiant in gratia; id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum tamen est concionatoribus et confessariis, ut cum indulgentiae pro-

(1) D. 6. qu. 1. p. 5. (2) T. 1. p. 244.
(3) D. 6. q. 1. p. 5. n. 15. (4) Loc. cit.
(5) Tr. 14. n. 95. (6) Nisi adsit clausula: *Ad beneplacitum nostrum.* Hom. Ap. tract. 16. n. 62.
(7) D. 20. n. 77. (8) Append. t. 9. d. 4.
(9) Ibid. d. 6. (10) Ibid. d. 5.
(11) Ibid. d. 4. (12) Ibid. (13) Ibid. d. 6.
(14) D. 27. sect. 6. n. 95.

mulgantur, populum ad seriam confessionem excitent. »

Quaeritur an ad lucrandam indulgentiam omnia opera debeant fieri in statu gratiae. Affirmant Nav. Caiet. et Comit. ap. Croix [1]. Alii vero, ut Bellarm. [2] et Wigandt [3] distinguunt: affirmant si indulgentia est indicta ad Deum placandum, secus si ad alium finem, puta ad subsidium pauperum, aedificationem templi. Alii tandem communius et probabilius dicunt sufficere, si ultimum opus fiat in gratia, ita Conc.[4] cum communi, Suar. [5] Pal. [6] Croix [7] et Viva [8] cum Bon. Boss. etc. Ratio quia talia opera saltem disponunt ad Deum placandum, et vim habent saltem de congruo. Et huic sententiae adhaesit n. p. Benedictus XIV., *in sua cit. constit. Inter praeteritos*, ubi dixit: *A fructu indulgentiae minime excludendos illos existimavimus qui non praemissa confessione visitationem incipiunt, dummodo, quando opus ultimum perficiunt in statu gratiae sint.*

« 10. Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter non requiritur ut sit in gratia; quia tantum ponit opus tanquam conditionem, quo posito pontifex applicat defuncto indulgentiam sive satisfactiones Christi et sanctorum. Ita Escob.[9] ex Suar. Praep.[10]. Contrarium tamen docet card. de Lugo [11] requirens statum gratiae, saltem in fine operis: quae sententia tutior est (Et haec verior mihi videtur cum Wigandt [12] quia nemo potest alteri applicare indulgentiam nisi prius eam fecerit suam. Hic autem notandum cum eodem Wig. [13] quod licet effectus indulgentiarum pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis, cum eis nulla adsit promissio, unde Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum).

» 11. Opus praescriptum dum fit debet esse utile ad finem a concedente intentum; qualis est v. gr. eleemosyna praescripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum aut in peccato; modo aliud opus ei iniunctum et praescriptum in gratia fiat (V. Lugo [14]). Non autem oratio praescripta ad placandum Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia, uti nec ieiunium, si te inebries, item nec visitatio ecclesiarum sine ulla devotione. Ita Layman Bon. et alii.

» 12. Possunt uno et eodem opere plures indulgentiae, diversis viis concessae, lucrifieri, si opus sit aeque utile ad finem utriusque indulgentiae, nec sit iterabile intra idem tempus, v. gr. ieiunium vel communio. Ita Praep. et Laym.

» 13. Non lucrantur indulgentias: 1. Qui ex impotentia vel ignorantia sive totum opus praescriptum sive notabilem eius partem omittunt; verbi gr. si puer vel senex non ieiunet; nisi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud sit commutatum. Henriq. Caiet. Bon.[15]. 2. Qui opera iniuncta alio loco, tempore vel ordine perfecit, quam praescriptum est; vel per alium, qui fuerit causa principalis, ut si per alium ieiunarit, ecclesias visitarit. Nav. Reg.[16] Bon.[27]. 3. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit, ut habet Bon. ex multis contra Sa. 4. Qui aliquid omittit quod secundum sententiam probabilem vel etiam probabiliorem non est necessarium, si tamen sit necessarium re ipsa; quia communis error non supplet defectum. Ita Bonac. ex Suar. Sanch. et aliis.

» 14. Non obstat effectui indulgentiae: 1. Etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v. gr. caeremonia in sacro vel si parum comedas in ieiunio; quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requisitum praestes per alium habentem se ut instrumentum, v. gr. in eleemosyna danda. Bonac.[18]. 3. Si eleemosynam des exiguam, nisi tamen in bulla exprimatur, dandam esse pro cuiusque facultate: tunc enim maior danda est a divite, quam ab alio. Ita Fill. Suar. Sa et alii.

(1) N. 1410. (2) L. 1. de indulg. c. 12.
(3) Tr. 14. n. 92. (4) P. 450. n. 54. (5) D. 52. s. 5.
(6) P. 5. (7) L. c. (8) De iub. q. 6, a. 2. n. 6.
(9) T. 7. c. 5. c. 7. n. 45.
(10) In 3. part. q. 14. d. 10. n. 95.
(11) D. 17. n. 75. (12) Tract. 14. n. 96. r. 5.
(13) N. 97. (14) Dist. 27. n. 74. (15) P. 5. n. 16
(16) L. 7. (17) Loc. cit. (18) Loc. cit.

4. Si ecclesiam visitandam non possis ingredi ob hominum multitudinem, dummodo oratio fiat ante fores vel in coemeterio. Bon. 5. Etsi in opere praestito non habueris intentionem consequendi indulgentias, ut docent Salas Bonac. et alii contra Suar. Et videtur certum, saltem si habueris interpretativam, ut habet Laym. (Et Wigandt [1] Viva [2] Croix [3] cum Lugo Molin. Pell. Gab. etc. et alii). 6. Etsi opera fuerint aliunde debita, v. gr. ex praecepto ecclesiae. Ita Laym.

» 15. Quando datur potestas commutandi opera praescripta in alia, id non necessario fit in confessione et a confessario qui audit confitentem, sed potest fieri extra et ab alio idoneo. Ita enim declarat Gregor. XIII. (uti et in bulla indulgentiae, nomine confessarii intelligi quemvis approbatum) apud Henriq. [4] et Praep. [5].

» 16. Probabilius est, eum qui tantum partem operis praescripti facit, non lucrari partem indulgentiae, nisi tam parum desit, ut censeatur moraliter integrum. Ita Bonac. [6] ex Navar. Suar. Conc. etc.

» 17. Dum praescribitur ut visitentur aliquot altaria, sufficit ad illa se orando convertere eodem loco, ut habent Sa Bonac. Suar. Rodr. Diana. Limitat autem Lugo, si sit tali loco et situ, ut moraliter censeri possit orare ad illa altaria [7].

» 18. Cum confessio praescribitur, nisi in bulla exprimatur *venialium*, probabilius est non requiri ut conditionem sine qua non, sed ut dispositionem ad statum gratiae. Bon. [8].

» 19. Nemo consequitur plenariam indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali, liber sit, quando ultimum opus explet. Unde consultum est, ut communio sit ultimum. Vide Laym.

Certum est, peccatum veniale non remissum quoad culpam non posse remitti quoad poenam. Ita s. Th.[9], quem sequuntur Viva [10] Spor. [11] et alii passim. Illud tamen veniale non impedit quominus remittatur poena debita aliis peccatis iam remissis. Viva et Sporer [12] ac Wig.[13] et Renzi [14] cum Laym. et Pelliz. Nec obstat indulgentiam plenariam concessam fuisse sub ratione totalis remissionis, ita ut si poenam non tollat illius venialis non remissi, nullam tollat. Nam respondetur quod sicut non repugnat culpam alicuius venialis remitti, quin remittatur culpa aliorum, ita et poena; pontifex autem concedendo indulgentiam plenariam non praesumitur velle eam restringere tantum ad eos quibus remittuntur omnia venialia, sed potius illam concedere iuxta capacitatem subiecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum, quorum culpa remissa est. Notandum hic quod ad indulgentias lucrandas requiratur confessio peccatorum etiam venialium, si in diplomate legatur: *Qui vere poenitentes, confessi etc.* Ita ex decreto s. c. indulg. approbato a Clem. XIII. qui publicari mandavit die 19. mart. 1759. Declaravit autem s. c. confessionem posse etiam expleri in vigilia festivitatis. Sic refert p. Ferraris [15].

§. 2. Quotuplex indulgentia et quomodo differat a iubilaeo.

535. *Vide quae habentur apud Busemb.*

536. *Adnotantur sancita a Bened. XIV. circa iubilaeum.*

537. *Qu.* 1. *An ad lucrandum iubilaeum omnia opera perfici debeant in una hebdomada.* *Qu.* 2. *An per confessionem invalidam in*

(1) Tract. 14. n. 95. (2) Q. 6. art. 4. n. 4. (3) N. 1525. (4) L. 7. c. 10. n. 8. (5) Q. 14. d. 10. n. 88. (6) P. 5. (7) D. 27. n. 95. (8) L. c. — Iam constat ex decreto s. congr. indulgentiarum 19. maii 1759. per illud *rite contritis et confessis* in decretis apponi solitum requiri confessionem sacramentalem non ut medium ad statum gratiae, sed tanquam conditionem *sine qua non;* attamen ex eadem s. congr. indulg. 15. dec. 1841 necesse non est poenitentibus absolutio detur ad indulgentiam lucrifaciendam. Praeterea per decretum s. congr. indulg. 12. iunii 1822. conceditur confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari ad obtinendam indulgentiam. Notandum autem per verba *infra hebdomadam* intelligi octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt: et per huiusmodi confessionem etiam alias lucrifieri posse indulgentias quae infra praedictum tempus occurrunt, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requiritur, ex s. congr. indulg. 15. dec. 1841. (9) Supp. q. 27. a. 1 (10) Q. 6. a. 2. n. 2. (11) P. 234. n. 8. (12) Locc. cc. (13) Tr. 14. n. 94. (14) C. 2. sect. 4. q 17. (15) Bibl. t. 8. append. n. 4.

iubilaeo auferatur reservatio censurarum et peccatorum. Qu. 3. An peccet graviter qui absolutus a reservatis, postea alia opera non impleat. Qu. 4. An qui confessus est in iubilaeo, et oblitus sit peccati reservati, possit deinde a quocumque absolvi. Et an obtinere commutationem votorum. Qu. 5. An confessus animo lucrandi iubilaeum maneat absolutus a reservatis oblitis, si postea non lucretur. Qu. 6. An possit absolvi qui commisit peccatum reservatum in confidentiam iubilaei. Qu. 7. An possit dari absolutio ante satisfactionem partis vel iuramentum eiusdem. Qu. 8. Quinam casus et censurae possint absolvi in iubilaeo. Dub. 1. An possint absolvi publice excommunicati. Dub. 2. An possit dispensari in irregularitate.

558. *Qu. 9. Qui veniant nomine infirmorum, captivorum et itinerantium. Qu. 10. An sufficiat ad iubilaeum lucrandum oratio mentalis, aut modica vocalis. Qu. 11. An modica eleemosyna. Qu. 12. An satisfaciat pro ieiuniis iniunctis impleus ieiunia alias debita.*

535. « Resp. 1. Indulgentia alia est totalis sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quae non tantum poenitentiam iniunctam per confessarium vel canones, aut secundum hos iniungi debitam, sed etiam omnem purgatorii poenam tollit. Nec differt a iubilaeo, nisi accidentaliter privilegiis quibusdam, ut quod in iubilaeo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio a reservatis et censuris, et quod confessarius quivis approbatus possit eligi. Vide Sa [1] Bon. [2].

» Indulgentia alia est partialis, qualis est unius vel aliquot annorum; item septenae, quadragenae, carenae, etc.; item tertiae partis peccatorum, per quas non significatur tolli tantam durationem purgatorii, sed tantam poenam remitti, quanta deleretur per ieiunium unius aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane et aqua, secundum canones olim imponi solitum. Porro quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni vel remissio tertiae partis peccatorum, id secundum diversas sententias vel ad diversos concedentes referendum est; vel facit ad cautelam, ut si forte causa indulgentiae non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos vel ut adiuncta concedatur pro alio tempore, actione et loco; vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. Vide Bell. [3].

» Resp. 2. Circa iubilaeum notanda sequentia: 1. Anno iubilaei in Urbe durante, suspendi solent tantisper extra Urbem omnes indulgentiae plenariae, quoad vivos, etiam in carceribus (non tamen in periculo mortis constitutos, ut contra Laym. [4] docet Bon. [5] ex declar. Urbani VIII. facta anno 1625., neque quoad defunctos): itemque aliae facultates, v. gr. absolvendi a casibus bullae coenae, commutandi vota, dispensandi etc. concessae in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias. Non suspenduntur autem indulgentiae personis particularibus aut ab alio quam papa concessae, nec privilegia religiosorum, v. gr. absolvendi a reservatis etc., quia tantum suspenduntur facultates concessae in ordine ad indulgentias. Ita Sanch. Henr. etc. apud Diana [6] Fill. Bonac. [7] Benzon., et deinde Lugo [8] ex declarat. Urbani VIII. anno 1625. Similiter neque suspenditur facultas concessa episcopis per Trident. [9] absolvendi et dispensandi cum suis subditis in omnibus casibus sedi apostolicae reservatis; item nec dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii aut petendi debitum etc. quae ex iure communi illis competunt. Zerola [10] Quintan. [11].

» 2. Etsi probabile sit quod docet Navar. saepius lucrifieri posse indulgentias intra iubilaeum extensum ad duas septimanas, contrarium tamen verius est, quod congr. card. declaravit, ut habet Bonac. ex Suarez Sanchez [12], qui tamen affirmat, in anno sancto posse obtineri toties quoties opera praescripta praestantur: idque ex declaratione Urbani VIII.

» 3. Satisfacere tunc, 1. qui sabbato ante primam dominicam confitetur, ut habent Laym. Bon. et praxis fidelium. Item qui confitetur et communicat ul-

(1) V. Indulgent. (2) D. 6. q. 1. p. 2. (3) C. 9.
(4) Lib. 5. t. 7. c. 3. n. 2. (5) D. 6. q. 1. n. 2.
(6) T. 1. tr. de bulla cruc. (7) Loc. cit.
(8) N. 20. sect. 3. n. 145. (9) Sess. 24. c. 6
(10) V. Annus sanctus, §. 4. (11) Append. t. 5. d. 16
(12) t. 6. q. 1. p. 3. n. 32.

tima dominica claudente iubilaeum. Caetera tamen opera debere fieri ante et quidem intra unam hebdomadam docet Lugo [1] contra Bon. [2]. 2. Qui ordinem intra opera praescripta non servavit. 3. Si quis intra illud tempus coeperit confessionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, potest tunc absolvi a reservatis et commutari vota: postea vero extra tempus iubilaei absolvi ab omnibus, etiam quae oblitus est, reservatis, ac in oblitis etiam dispensari; imo potest postea omnia facere confessor finita confessione, quae ante: quia coepta causa, manet potestas delegati, donec finiatur. Ita Sa Less. [3] Bonac. Laym. Sanchez [4] Diana [5].

» 4. Qui neglexit lucrari iubilaeum in patria, potest alibi, dum ibi durat, lucrari. Sanc. Ugol. Diana [6]. Imo etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit. Bonac. Diana [7].

» 5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo iubilaea, quorum singula confessionem et communionem requirunt, non opus est bis confiteri et communicare, dummodo perseveres in gratia; alia tamen opera repetenda sunt. Tur. [8]. Vide Diana [9]. »

536. Ante omnia refert hic adnotare sancita a n. ss. p. Bened. XIV. in sua constit. *Inter praeteritos*, edita 3. decemb. 1749. pro iubilaeo anni sancti, de qua praecedenter locutus in allocutione concistoriali habita die 5. maii eod. anno sic dicit: *Difficultates* (circa facultates iubilaei) *in unum congerere... et quaestiones omnes de medio tollere non praetermittemus*. Addens ibi: *Ideo doctores constitutiones aliorum pontificum falso interpretasse, quia non bene verba ipsarum perpenderunt*. Deinde in praedicta constit. *Inter praeteritos*, sic sancivit:

1. Per verba, *vere poenitentibus et confessis*, intelligi debet actualis confessio. §. 5. 2. Omnes visitationes ecclesiarum debent perfici uno die, incipiendo diem a media ad mediam noctem vel a vespera ad vesperam. §. 13. 3. Per clausulam: *Ad beneplacitum nostrum et sedis apostolicae*, non cessant indulgentiae morte pontificis: secus si tantum dicatur, *Ad beneplacitum nostrum*. §. 18. 4. Circa suspensionem indulgentiarum, quando in indulto dicitur, *omnes et singulae* etiam plenariae suspenduntur. §. 22. 5. Indulgentiae pro vivis non possunt applicari pro defunctis. §. 23. 6. Tempore iubilaei anni sancti manent suspensae facultates regularium absolvendi a casibus bullae coenae et reservatis sedi apostolicae et vota commutandi, sive sint concessae intuitu indulgentiarum sive ob alias causas. §. 26. et 32. 7. Vi iubilaei nequit absolvi haeresis externa. §. 38. 8. Quando dicitur: *Commutatio votorum fiat dispensando*, principaliter debet attendi ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor: secus si dicatur, *Dispensatio fiat commutando*. §. 45. 9. Facultas dispensandi non includitur in facultate commutandi. §. 47. 10. Quoad irregularitates pertinet, quidquid sit de controversia, num sub nomine censurae irregularitas ex delicto comprehendatur, datur facultas dispensandi ab occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat. §. 50. 11. Facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa confessionem et communionem (praeterquam cum pueris) aut orationem necessariam in visitatione. Nec commutatio fieri potest ad opera aliunde debita. Nec iubilaeum acquiri potest per opus alias debitum (puta si quis ex legato teneatur dare eleemosynam pauperi), nisi qui indulgentiam concedit nominatim dicat quod per praedictum opus acquiri possit; id enim saepe contingit, cum inter iniuncta opera trium dierum ieiunium praescribitur, dies nominatim indicando, ex. g. dicitur, quod esse debeant tres dies quatuor temporum septemb. §. 53. Item commutatio fieri debet in opera

(1) D. 27. n. 105. (2) P. 1. q. 5. (3) L. 2. t. 40. d. 16. (4) L. 4. c. 34. (5) T. 2. misc. r. 11. (6) P. 3. t. 4. r. 151. (7) Loc. cit. (8) P. 2. d. 32. (9) P. 4. t. 4. r. 166.

eiusdem naturae. §. 55. 12. Praeter excommunicationem maiorem pontifici reservatam in constit. *Apostolici muneris*, impositam sacerdoti complici in peccato turpi, qui extra mortis articulum confessionem excipit poenitentis eumque absolvit; vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius sacerdos non desit; sive, cum alius sit sacerdos, sibi fingit quod si poenitens illi confiteatur, infamia aut scandalum inde oriturum sit, et ideo confessionem eius excipit aut absolvit, imponitur hic inhabilitas in quocumque iubilaeo absolvendi complicem poenitentem. §. 59. et 60. 13. Cum omnes quae tribuuntur facultates ad iubilaei consecutionem directae ac veluti ipsius praeparatio sunt, clare inde sequitur illarum usui minime locum esse, nisi cum eo qui et ad consequendum iubilaeum praeparatus sit, et certum habeat propositum adimplendi opera iniuncta. §. 62. 14. Confessarii tantum in foro sacramentali et ecclesiis designatis possunt absolvere et vota commutare. §. 63. 15. Tempore iubilaei vel indulgentiarum omnino imponenda est poenitentia a confessario, ne mutilum maneat sacramentum. §. 65. 16. Nomine partis laesae non intelligitur iudex, sed qui damnum est passus. §. 66. Et itidem declaratur, non posse commutari vota in praeiudicium tertii, sicut votum perseverantiae in aliqua congregatione quod naturam assumat contractus et reciprocae obligationis inter voventem et congregationem. 17. Si quis post confessionem prolabitur in lethale, debet iterum confiteri, ut ultimum opus fiat in gratia. §. 73. 18. Opera facta in peccato valent ad lucrandum iubilaeum, modo fiant animo exhibendi honorem Deo, non autem ex fine vano: et modo ultimum opus impleatur in gratia. §. 75. et 76. 19. Nomine *incolae* veniunt omnes qui sunt Romae, animo ibi morandi per maiorem anni partem, et omnes qui Romae alicuius muneris aut negotii causa morantur. Confessio est necessaria ad lucrandum iubilaeum, etiamsi quis habeat sola venialia. §. 77. 20. Pro aliis vero indulgentiis, si confessio praecipitur ut dispositio, non requiritur confessio venialium, secus si iniungitur ut opus praescriptum. §. 78. 21. Si quis post confessionem labatur in mortale, licet non teneatur iterare visitationes, tenetur tamen iterum confiteri. §. 79. 22. Non est opus in visitatione basilicarum ad indulgentiam consequendam ingredi aut egredi per portas sanctas, licet huiusmodi ingressus pro opere supererogationis aestimandus sit. §. 81. 23. Si quis ante publicationem indulti visitavit basilicas, et compleat visitationes ipso die publicationis, potest gaudere iubilaeo, modo aliam visitationem quatuor basilicarum totam illo die perficiat. §. 82. 24. Satis est oratio vocalis: qui autem sola mente orare voluerit laudandus est, aliquam tamen vocalem orationem adiungat. §. 83. 25. Potest quis iterum lucrari iubilaeum, si reiteret opera iniuncta; verum tantum prima vice potest facultatibus gaudere. §. 84. Hoc tamen non intelligendum pro lucranda indulgentia concessa iis qui praescriptis diebus ecclesiam visitaverint, tunc enim unica tantum indulgentia acquiri potest. *Ibid.* 26. In concessione facultatis absolvendi a censuris bullae coenae non includitur facultas absolvendi ab haeresi externa. §. 85. 27. Qui facta confessione est absolutus a censuris, et alias gratias votorum recipit, si mutat propositum implendi reliqua, manet dispensatus a votis, nec reincidit in censuras. §. 86.

Hic addendum quod in constit. *Celebrationem*, edita die 1. ian. 1751. idem Benedictus XIV. declaravit, facultatem prius datam monialibus et earum novitiis in constit. *Benedictus Deus*, emanata 25. decemb. 1750. §. 4. eligendi sibi tempore iubilaei quemcumque confessarium, intelligendam esse de quolibet confessario approbato ab ordinario loci pro quocumque monasterio loci illius. Demum hic notandum, quod tempore iubilaei regulares possunt confessionem explere apud quemcumque sacerdotem approbatum ab ordinario

tiam saecularem, ut declaravit Greg. XIII. et Alex. VII. in constit. *Unigenitus*. Ita refert p. Ferrar. [1]; possuntque absolvi ab illo etiam a casibus in eorum ordine reservatis.

537. Quaeritur 1. An ad lucrandum iubilaeum debeant omnia opera perfici in una hebdomada. Ad respondendum refert hic prius adnotare verba solita apponi in huiusmodi indultis, quae sunt: *Qui processioni interfuerint, vel ecclesias designatas visitaverint, et feria quarta, sexta ac sabbato alterius ex duabus hebdomadis ieiunaverint, pariterque sua peccata confessi, et ss. communione refecti fuerint, eleemosynamque tribuerint etc.* Hoc posito, negative respondent ad quaesitum Pal. [2] Bon. [3], item Praep. et Naldus apud Renzi [4] ac Rodr. Sa Diana Lohn. apud Croix [5] et probabilem ibi dicunt Dicast. et Graff. et consentit Layman [6] si adsit causa. Ratio quia, cum dicatur in indulto opera implenda esse in altera ex duabus hebdomadis, non est cur impletio restringi debeat ad unam hebdomadam.

Secunda sententia vero cui adhaereo, affirmat: et hanc tenent Sanch.[7] Lugo[8] (qui contrariam falsam vocat) Sporer [9] Viva [10] cum Ugolino Regin. et Fausto Holzm. [11] cum Henriq. Gobat. et aliis passim, ut asserit Renzi [12] cum Nugno ex Sanctorell. Ratio, tum quia haec est praxis communis fidelium, ut fatetur etiam Laym., tum quia id patet ex verbis relatis indulti, ubi non dicitur utriusque hebdomadae, sed *alterius ex duabus*, quod importat opera implenda esse vel in prima vel secunda hebdomada.

Et idem sentio dicendum de confessione et communione cum Lugo Holz. Renzi et aliis mox supra citatis, contra Pal. et alios aa. primae sententiae, qui dicunt quod is qui in prima hebdomada absolvisset opera praescripta, posset tamen in secunda absolvi a reservatis. Sed opposita apparet verior ex verbis illis quae adduntur in indulto, *pariterque peccata sua confessi etc.*: ergo sicut ieiunia debent impleri in una hebdomada, ita pariter confessio et communio. Nec valet dicere cum Palao quod illud *pariter* respicit obligationem operum, non temporis; nam revera particula *pariter* importat annexionem operum, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam temporis.

Probabilissime autem dicunt Lugo [13] Bon. et Holz. [14] quod si quis impleverit alia opera in prima hebdomada, bene poterit ex consuetudine communi perficere communionem dominica immediate sequenti. Et idem de confessione probabiliter dicunt Diana [15] et Lugo [16] cum Soto Nav. Sa Henr. Reg. et aliis communiter, qui dicunt hoc olim declaratum etiam fuisse a Gregorio XIII. Ex quo sequitur (ut bene notat Holzm.) dominicam mediam esse communem, et pertinere ad utramque hebdomadam.

Quaeritur 2. An per confessionem invalidam in iubilaeo absolvantur censurae reservatae et auferatur reservatio peccatorum. Si confessio fuerit culpabiliter nulla (quidquid dicant Caiet. Henr. etc. ap. Croix [17]) omnino negandum cum Lugo [18] et Viva [19] (qui merito id negat, contra Lugo, etiamsi quis in illa confessione habuerit animum postea se valide confitendi). Ratio est, tum quia nulli sua fraus patrocinari debet, tum quia facultates conceduntur in confessione, ut per illam fideles iubilaeum lucrentur; unde qui sacrilege confitetur, cum revera nolit per talem confessionem iubilaeum lucrari, non potest facultatibus gaudere. Et de hoc hodie non videtur amplius dubitandum post declarat. n. p. Bened. XIV. ut supra notavimus *n.* 536. *n.* 13.

Si autem confessio fuerit nulla defectu doloris, et bona fide fuit facta, idem sentiunt Bonacina [20] cum Rodri-

(1) Bibl. v. Approbatio a. 2. n. 21. (2) Tr. 24. p. 12. §. 3. n. 19. (3) De poenit. d. 6. q. 1. p. 5. n. 34. (4) Cap. 2. sect. 5. q. 1. (5) N. 1450. (6) De poenit. c. 13. n. 10. (7) L. 4. c. 4. n. 28. (8) D. 27. n. 105. (9) Suppl. p. 263 n. 173. (10) De iubil. q. 8. art. 2. n. 3. (11) N. 659. (12) L. c. (13) N. 107. v. Adverto. (14) Locc. cc. (15) P. 1. tr. 1. misc. r. 28. (16) D. n. 107. (17) N. 1449. (18) D. 20. n. 113. (19) De iub. q. 11. a. 6. n. 2. (20) D. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 9.

quez et Croix [1] cum Tamburino Reg. Aversa etc. Ratio, tum quia facultates in iubilaeo non conceduntur absolute, sed pro veris poenitentibus, qui autem invalide confitetur non est vere poenitens, tum quia facultas absolutionis concessa est sub conditione lucrandi iubilaeum, quod utique acquiri nequit deficiente confessione valida. Alii vero censent per huiusmodi confessionem inculpabiliter nullam tolli reservationem; ita Lugo [2] Viva [3] cum Conc. Henr. et Comit., item Dic. et Gob. apud Croix [4] qui [5] id probabile putat. Ratio quia, ut dicunt communiter (loquendo vero extra tempus iubilaei) ipse Bon. [6] Pal. [7] et Salm. [8] cum Suar. Caiet. Lugo Con. Dicast. et aliis passim, peccata reservantur ut in confessione deferantur habenti iurisdictionem in illa, sive ordinario sive delegato, utque ipse iudicet imponendo poenitentiam et absolutionem ferendo, quod iam fit in casu nostro: unde ad hoc ut confessarius possit reservationem auferre sufficit ut poenitens habeat verum animum lucrandi iubilaeum. Sed his non obstantibus, probabilior mihi videtur prima sententia, quia cum pontifex concedit facultatem absolvendi a reservatis, ut fideles iubilaeum lucrentur, non praesumitur illam concedere pro iis qui nequeunt cum illa confessione iubilaeum lucrari. Idque videtur confirmari ex verbis Bened. XIV. in dicta const. *Inter praeteritos*, ubi dicit facultates tribui velut praeparationes ad consecutionem iubilaei; ergo non praesumitur velle ut facultatibus fruatur ille cui facultates non sunt praeparatio ad iubilaeum lucrandum.

Quaeritur 3. An peccet graviter qui postquam est absolutus a reservatis non implet postea opera iniuncta.

Prima sententia affirmat, quam tenet Viva [9] cum Suar. Vasq. et Filliuc. et hanc sententiam dicit Benedict. XIV. in praefata constit. *Inter praeteritos* §. 86. fultam esse subsistenti ratione, quia in materia gravi ille contraveniret intentioni pontificis qui facultates concessit tamquam medium ad iubilaeum lucrandum. Sed negant communius Sanch.[10] cum Henr. Pal.[11] Bon.[12] Lugo [13] Spor.[14] et Salm. [15] cum Naldo Diana Portel. etc. Ratio quia huiusmodi obligatio non inspicitur imposita neque ex natura iubilaei neque ex pontificis aut confessarii praecepto; et in dubio de praecepto nemo ad illud tenetur. Communiter autem dicunt Nav. Vasq. Layman Henriq. etc. apud Croix [16] contra Ugolin. talem poenitentem qui negligit opera complere, minime reincidere in reservationem vel censuras. Hocque definitum est ab eodem Bened. XIV. in dicta const. §. 86.

Quaeritur 4. An qui confessus est tempore iubilaei, et oblitus fuerit confiteri peccata reservata, aut cum causa illa omiserit, possit deinde a quocumque confessario ab eis absolvi. Omnes affirmant, si tempore iubilaei confessarius habuerit expressam intentionem absolvendi etiam a reservatis. Si vero hanc non habuerit, negant Bon.[17] cum Vasq. et Sylvest. Rosel. ac Sayr. apud Sanch.[18] cum Sa et Henriq. Pal.[19]. Sed probabilius affirmant Busem. ut supra, Sanch. [20] Suar. [21] et Viva [22] cum Reg. Nav. Gabr. et Diana Croix[23] cum Aversa Peliz. Dic. etc. Ratio, tum quia poenitens vi iubilaei ius acquisivit ad favorem pontificis, ut ex eo tempore a quolibet confessario possit absolvi, tum quia primus confessarius praesumitur per suam absolutionem velle conferre suo poenitenti omne beneficium quod potest; unde sicut indirecte absolvuntur peccata illa oblita, ita indirecte tollitur reservatio. Omnes autem conveniunt quod si quis coepit confessionem intra iubilaeum, possit deinde absolvi ab omnibus reservatis. Ita Na-

(1) N. 1449. (2) Dist. 20. n. 110. (3) L. c. (4) L. c. (5) N. 1475. (6) L. c. (7) Tr. 25. p. 15. §. 6. (8) De poenit. c. 13. p. 3. n. 41 (9) De iub. q. 11. a. 4. n. 2. (10) Dec. l. 4. c. 44. n. 54. (11) Tr. 24. p. 12. §. 3. n. 13. (12) Dist. 5. q. 7. p. 5. §. 1. n. 18. (13) Dist. 20. n. 100. (14) P. 269. n. 215. (15) De poenit. c. 13. p. 3. n. 57. (16) N. 1448. (17) P. 15. §. 3. n. 3. (18) De matr. l. 8. dist. 15. n. 17. (19) Tr. 24. p. 12. § 3. n. 9. (20) L. c. (21) Dist. 31. sect. 4. n. 24 (22) Q. 11. a. 4. n. 2. (23) N. 1449.

var.[1] Lay.[2] cum Pal. Henr. Rodr. Bon.[3] et alii passim. Et hoc probabiliter extendunt Sanch. [4] et Viva cum Bossio et communi etiam ad illa reservata quae poenitens committat transacto tempore iubilaei, quia pro eo perseverat adhuc idem favor facultatum.

An autem qui confessus fuerit tempore iubilaei, possit postea a quocumque confessario obtinere commutationem votorum. Negant Laym. [5] et Suarez Bon. ac Fill. apud Croix [6]. Ratio quia absolutio facta virtute iubilaei non potuit comprehendere vota, quorum commutatio tunc non fuit quaesita. Sed communius affirmant Less. [7] Pal. [8] Viva [9] Spor.[10] cum Gob. Portel. et Sanctorell., idemque tenet Sanch. [11] etiamsi poenitens tempore iubilaei memor fuerit sui voti. Ratio quia (ut dictum est) poenitens vi iubilaei lucrati ius adeptus est ad talem commutationem. Utraque sententia est probabilis. Recte autem advertunt Suar.[12] et Holz.[13] cum communi, quod pro commutatione praefata votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa communis ob quam pontifex motus est ad iubilaeum indicendum.

Quaeritur 5. An si poenitens tempore iubilaei confessus sit cum intentione illud lucrandi, et postea non lucretur, eo quod non implet opera requisita, an tunc pro oblitis tollatur reservatio. Negat Conc. [14] cum Vasq. et probabile putat Suarez [15]. Ratio quia privilegia conceduntur ad iubilaeum lucrandum, et ideo, donec illud non sit obtentum, poenitens non potest illis gaudere. Sed probabilius affirmant Suar. [16] Sanch.[17] cum Manuel. Ratio quia tempore iubilaei conceditur facultas absolvendi a reservatis omnes qui habent animum illud lucrandi, et patet ex dictis *n.* 536. *n.* 27. Unde cum confessarius absolutionem impertitur, tunc reservatio absolute aufertur, non vero dependenter ab eventu futuro; nam in iubilaeo nihil conceditur sub conditione futur eventus, et ideo cum ablatio reservationis iam sortita fuerit effectum suum, poenitens non reincidit in eam, si postea opera non compleat.

Quaeritur 6. An possit absolvi a reservatis qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi iubilaei.

Prima sententia valde probabilis negat, et hanc tenent Covar. Lopez et Menoch. apud Pal.[18] quia non praesumitur pontifex velle fovere iniquitatem. Idque confirmatur ex illo Trid.[19] ubi statuitur quod habens copulam cum consanguinea spe obtinendi dispensationem, difficilius ei concedetur, et ipse debebit pontifici exprimere crimen patrasse cum hac confidentia.

Secunda sententia vero communior et satis probabilis affirmat, eamque tenent Suar.[20] et Pal.[21] cum Henr. Graff. Vega Rodr. etc. Ratio quia facultas generaliter concessa non est limitanda. Nec obstat dicere quod pontifex sic foveret iniquitatem; nam si hoc esset, Christus sacramentum poenitentiae instituens adhuc diceretur iniquitatem fovisse: non autem dici debent fovere iniquitatem remedia quae a superioribus peccantibus praeparantur.

Quaeritur 7. An vi facultatis concessae in iubilaeo absolvendi a censuris occultis propter damnum alicui datum incursis, sub conditione, ne poenitentes absolvantur, nisi satisfacta parte vel saltem praestito iuramento satisfaciendi, possit dari absolutio ante satisfactionem vel iuramentum. Si poenitens possit, statim satisfacere debet, alias illicite et invalide absolveretur; ita Suar.[22] Spor.[23] et Viva[24] cum Vasquez Gob. Con. et Fill. contra Avil. Bonac. Bardi Diana etc. [25] qui negant id fieri invalide, cum illa sit potius monitio quam conditio. Sed verior mihi videtur sententia Suarii et aliorum ut supra, quia illa est vera conditio qua non

(1) C. 26. n. 15. (2) C. 15. n. 9. (3) L. c. (4) Loc. cit. (5) C. 15. n. 9. (6) N. 1475. (7) L. 2. c. 40. n. 109. (8) L. c. (9) Q. 12. art. ult. n. 3. (10) P. 272. n. 237. (11) L. c. n. 18. (12) De voto l. 6. c. 19. n. 10. (13) N. 645.

(14) P. 574. n. 17. (15) D. 31. s. 4. n. 23. (16) N. 24. (17) Dec. l. 4. c. 54. n. 45. et de matr. l. 8. d. 25. n. 21. (18) P. 12. §. 3. n. 15. (19) Sess. 24. de ref. c. 5. (20) l. 4. de voto c. 54. n. 18. (21) L. cit. n. 16. (22) D. 7. De censur. sect. 5. (23) P. 209. n. 214. (24) Q. 10. a. 2. n. 9. (25) Ibid.

impleta, facultas non conceditur. Dicit autem f. Theodor. a Spir. s. [1] sufficere ad absolvendum satisfactionem fideiussoriam aut iuratoriam, semper ac confessarius iudicet quod absolutio proderit poenitenti, nec eum retardabit a satisfaciendo. Verum haec opinio magis speculative quam practice est probabilis; hinc verius dicendum cum Croix [2] et Viva [3] non posse eo casu absolutionem a censuris impertiri, nisi realiter praemittatur satisfactio: Idque expressum est a Ben. XIV. in constit. *Convocatis*, ubi dicitur: *Ab occultis censuris ob partem laesam incursis* (confessarii) *non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit, vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant nisi iuret se satisfacturum cum primum poterit*. Recte tamen dicunt Croix [4] et Viva [5] cum Sanch. Henr. Boss. et aliis, bene censeri satisfactum parti, si absolvendus ita rem disponat ut satisfactio sit certo moraliter implenda: prout si poenitens det confessario, aut deponat apud alium quod restituere debet. Et idem ait Viva si poenitens ex consensu partis obtineat dilationem. Antequam autem satisfiat fisco vel iudici, bene potest impertiri absolutio, ut dicunt Tamb. Suar. apud Croix [6]. Si vero poenitens sit impotens ad satisfaciendum, tunc valide et licite absolvi potest cum veriori et communiori sententia, quam tenent Sporer [7] f. Theod. [8] Renzi [9] cum Fill. et Viva [10] cum Suar. Laym. Bon. et aliis (contra Sotum Nav. et Cordub. [11] qui dicebant non esse absolvendum qui satisfacere non potest, cum satisfactio sit conditio sine qua non). Ratio nostrae sententiae est quia non praesumitur pontifex impossibilem conditionem postulare. Nec tunc requiri fideiussionem vel pignorationem aut iuramentum dicunt Spor. [12] et Viva [13] eo quod (ut aiunt Suarez [14] et Nav. Laym. Henr. Boss. etc. apud Viva) istae cautiones solum exiguntur pro foro externo. Sed iuxta verba pontificis supra relata, tunc omnino saltem exigendum est iuramentum de satisfactione implenda, cum praecipiatur confessariis: *Non eum absolvant nisi iuret se satisfacturum*. Recte vero dicunt Tambur. et Belleg. apud Croix [15] non esse opus tali iuramento, si poenitens revera esset perpetuo impotens ad satisfaciendum. Praefatus autem f. Theodorus subdit damnificantem absolvi posse: 1. Si pars laesa acceptet satisfactionem vel eam remittat, licet adfuerit damnum publicum, ut dicit Glossa [16]. Hinc si quis percusserit clericum, sufficit ei se submittere, vel quod offensus iniuriam remittat, aut ita se gerat ut prudenter praesumatur omnem offensam remisisse. Recte vero advertit Croix [17] cum Bon. et Fill. (contra Vivam Tamb. Dian. etc.) non sufficere remissionem monachi offensi, si iniuria in totam redundaverit communitatem: et hanc testatur Filliuc. esse praxim s. poenitentiariae. 2. Si pars renuat iustam satisfactionem oblatam, quia tunc per ipsum non stat; ita praefatus auctor [18] cum Candido. 3. Si poenitens praestet partem quam potest, et pignus aut iuramentum de reliquo. 4. Si debitor non possit tunc satisfacere, nisi cum magno damno aut incommodo; nisi pars laesa idem damnum ex dilatione subiret. Ita idem auctor cum Navarro et Avila, qui addit quod, cum creditor sit distans, potest absolvi debitor, si deponat pecuniam in loco tuto.

Utrum autem absolutus a censuris sub promissione satisfaciendi, reincidat in eas, si postea non satisfaciat. Affirmant Nav. Rodr. et Vega apud Viva [19] Sed probabilius negant Spor. [20] et Viva cum Sa Gob. Boss. et Pasq. quia ex *c. Ad reprimendam de offic. ordin.* reincidentia non incurritur nisi de iure exprimatur.

Quaer. 8. A quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore iubilaei. Communiter dicunt Suar. [21]

(1) C. 9. §. 4. n. 3. (2) N. 1453. (3) Q. 10. a. 2. n. 9. (4) Loc. cit. (5) N. 3. (6) Ibid. (7) P. 269. n. 214. (8) Loc. cit. (9) C. 2. sect. 5. q. 24. (10) N. 4. (11) Ibid. (12) Loc. cit. (13) N. 6. (14) Sect. 10. n. 4. (15) N. 1454. (16) In c. Quamvis de pactis in 6. (17) N. 1456 (18) Loc. cit. (19) N. 7. (20) Loc. cit. (21) D. 7. de censur. c. 5.

Holzman [1] Sporer [2] Viva [3], item Vasquez Laym. Henr. Regin. Diana et alii apud Croix [4] in iubilaeo, quando conceditur facultas absolvendi a reservatis pontifici, dari etiam facultatem absolvendi a reservatis episcopo, quamvis id non exprimatur. Item, licet nequeant absolvi haeretici, absolvi tamen possunt proferentes blasphemiam haereticalem, et fautores aut receptatores haereticorum: necnon legentes, retinentes vel imprimentes libros haereticos; ita Croix [5] cum Lugo Gob. Diana et Belleg. ac Viva [6] cum Suarez Sanch. Henr. et Bossio, contra Azor. Rodr. et alios. Ratio quia huiusmodi crimina, esto concernant, non tamen sunt proprie haeresis formalis.

Sed hic dubitatur 1. An possint absolvi publici percussores clericorum, et alii nominatim excommunicati vel suspensi. Affirmant communius Spor. [7] Holzm.[8] Viva [9] et Croix [10] cum Sanch. Henr. Sa Sayr. Lez. Diana Gobat. etc. (contra Vasq. Con. et Avila). Ratio quia cum indultum non distinguat inter publicas et occultas censuras, non est restringenda facultas ad solas occultas. Idque expresse concessit n. ss. p. Benedictus XIV. in constitutione *Convocatis n.* 5. in iubilaeo anni sancti, dicens absolvi posse poenitentes *a censuris in iure latis etiam sedi apostolicae reservatis, quamvis publicae in partibus sint, et quamvis deductae aut nominatim declaratae ac denuntiatae in iisdem partibus sint per locorum ordinarios aut alios iudices.* Additur vero ibi *n.* 6.: *A censura ab homine, seu a quocumque iudice de partibus nominatim lata absolvere valeant ad effectum dumtaxat indulgentias praesentis iubilaei consequendi etc.* Et de huiusmodi censurae absolutione prohibetur ibidem dari a confessario ullum testimonium.

Dubit. 2. An in iubilaeo possit dispensari in irregularitatibus. Affirmant Bannez et Salon. apud Viva [11] et probabile vocant Henr. Salas Rodr. Diana et Boss. Et consentiunt Soto [12] cum Medina quoad irregularitates ex delicto quia tales irregularitates habent rationem censurae. Sed negant communius Suar.[13] Mol.[14] Holzm.[15] cum communi, ut asserit, et Viva [16] cum Fill. Trull. Reg. et Moia qui censent nomine censurae non venire irregularitates; sed de hac quaestione fusius agemus infra in tract. *de censur. l.* 7. *n.* 351. Caeterum Bened. XIV. in dicta const. *Convocatis n.* 12., loquens de irregularitatibus (praescindendo ab hac quaestione), tantum indulsit, *dispensari posse super occulta irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat.*

538. Quaeritur 9. Qui veniant nomine infirmorum, captivorum et itinerantium, quibus vi iubilaei possunt commutari aliqua ex operibus iniunctis. Dicitur *aliqua*, quia confessio et communio nunquam commutari possunt, ut communiter dicunt dd. cum Lugo [17] et certum est ex relata constit. *Inter praeteritos* §. 53. Nomine *infirmorum* veniunt omnes valetudinarii, qui absque notabili detrimento aut difficultate nequeunt opera illa praestare. Et tales existimantur etiam senes; ita Holzm.[18] et Viva [19]. *Captivi* autem dicuntur qui contra propriam voluntatem alicubi detinentur: his conceditur commutatio vel prorogatio operum ad lucrandum iubilaeum. Holzman et Viva [20] Demum *itinerantibus* prorogantur opera iniuncta usque ad reditum; et non tenetur quis suum iter differre (intellige si commode differre nequit); ita Holzm.[21] cum Gob. et Croix [22] qui recte id extendit etiam ad illum qui prima hebdomada non est iubilaeum lucratus, et potuit lucrari. Dicit etiam Lugo [23] quod si quis in itinere perveniat ad locum ubi iubilaeum promulgatur, poterit illic incipere opera et prosequi in itinere.

Quaeritur 10. An ad implendas preces in iubilaeo iniunctas sufficiat ora-

(1) P. 165. n. 638. (2) P. 266. n. 212.
(3) Q. 11. a. 2. n. 1. (4) N. 1451. (5) Ibid.
(6) Q. 11. art. 1. n. 6. (7) P. 268. n. 215.
(8) P. 164. n. 740. (9) Q. 11. art. 1. n. 8.
(10) N. 1457 (11) Q. 10 art. 1 n. 9
(12) 4. d. 22. q. 3. (13) De cens. d. 1. sect. 3.
(14) D. 30. (15) P. 164. n. 641. (16) L. c. n. 2.
(17) D. 27. n. 118. (18) N. 663. (19) Q. 7. a. 2. n. 2
(20) Locc. cc. (21) Ibid. (22) N. 1454.
(23) D. 27. n. 126

tio mentalis et vocalis modica: communior sententia apud Croix [1] et Holzman [2] requirit orationem vocalem, quia ecclesia, cum sit sensibilis et externa, quando iniungit suo nomine orare, externam intendit orationem. Sed probabiliter dicunt sufficere mentalem Mazz. [3] et Viva [4] cum Nav. Fill. Trull. et communi, ut asserit; probabile putat Lugo [5] quia oratio mentalis est vera oratio, et licet ecclesia nequeat praecipere actus mere internos, potest tamen eam iniungere ut medium ad iubilaeum lucrandum. Utrum autem sufficiat modica oratio vocalis. Affirmant Suar. [6] et Mazzot. [7] cum Filliuc., item Boss. Diana et Leand. apud Concina [8] quia quaelibet oratio iam satis est ad implendam conditionem indulgentiae. Sed probabilius Concina ac Holzman et Viva [9] dicunt requiri aliquam orationem, nempe quinque *Pater* et *Ave*, ut ait Mazzotta: vel sex cum *Credo* et *Gloria*, ut dicit Sporer [10] vel septem *Pater* et *Ave*, ut vult Holzm. [11]. Attende insuper id quod super his protulit n. p. Benedictus XIV. in relata constit. §. 83. sic dicens: *Licet oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita satisfacere possit, plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio proficisci solet. Nos itaque declaravimus vocalem orationem pie adhibitam ad consequendum iubilaeum sufficientem esse, et laudandum eum qui mente ac spiritu orat, dummodo vocales aliquas preces orationi illi adiungat.* Unde videtur pontifex admittere, cum fiat oratio mentalis, satis esse adiicere orationem vocalem, etsi per se non notabilem.

Hic autem notandum id quod docent plures graves aa., nempe quod pro visitatione ecclesiae praescripta sufficit ad lucrandam indulgentiam orare ante ostium vel in coemeterio, si prae hominum multitudine illam nequeas ingredi: ita Suar. [12] et Bon. [13] cum Rodr. Cord. Graff. etc. Imo addunt Mazz. [14] et Croix [15] cum Lugo, si ores ante ostium ecclesiae, quando illud est clausum.

Quaeritur 11. An pro eleemosyna iniuncta in iubilaeo sufficiat dare quamlibet summam. In hoc praecipue attendenda sunt verba indulti; nam si in eo dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit;* tunc quantitas oportet proportionari cuiusque facultatibus, unde sufficiet pauperi dare obulum, non diviti. Si vero dicitur: *Prout unicuique suggeret devotio, vel quantum quisque pro arbitrio iudicaverit*, tunc Pasqualigus [16] dicit eleemosynam erogandam iuxta cuiusque facultates. Sed f. Theodorus a Spiritu s. [17] tenet sufficere quamlibet etiam modicam quantitatem. Si tandem dicitur simpliciter: *Qui dederit eleemosynam;* distinguendum: si papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes, tunc sufficit (ut dicit praefatus auctor cum Suarez Corduba et Leandro) dare quamlibet summam; secus si eleemosyna exposcitur in subsidium alicuius operae piae; idem auctor cum Passer. ex d. Thom. [18] qui expresse id docet.

Dubitatur hic 1. An pauperes ad iubilaeum lucrandum teneantur facere eleemosynam. Negant Nav. Henriq. et Leand. apud eumdem auct. [19]. Sed probabilius affirmant idem auctor et Viva [20] cum Boss. Gob. et Pasq. etc., quia nemo est tam pauper, quin saltem obulum dare possit. Pro religiosis vero, filiisfamilias, uxoribus, et servis, sufficit ut ab eorum superioribus detur eleemosyna, ipsis scientibus; ita Lugo [21] Viva [22] et Sporer [23]. Quod si superior nolit dare, dicunt Boss. et Diana apud Vivam posse subditum clam ab eo surripere; sed melius censet Viva, tunc petendam esse commutationem.

Dubit. 2. An lucretur iubilaeum qui dat eleemosynam distribuendam, si postea non distribuatur vel distribua-

(1) N. 1421. (2) N. 648. (3) T. 1. p. 244. (4) Q. 8. art. 5. n. 7. (5) D. 27. n. 111. (6) D. 52. sect. 8. n. 9. (7) L. c. (8) P. 451. n. 38. (9) Locc. cc. (10) N. 174. (11) N. 648. (12) Dist. 52. sect. 1. n. 7. (13) Dist. 6. q. 1. p. 8. n. 23. (14) T. 1. p. 247. (15) N. 1453. (16) Q. 153. (17) De iub. c. 6. §. 5. n. 2. (18) Suppl. q. 25. art. 2. ad 3. (19) Ibid. n. 4. (20) Q. 8. a. 6. n. 2. (21) Dist. 27. n. 115. (22) Loc. cit. (23) P. 264. n. 280.

tur post tempus iubilaei. Negant Lugo[1] Sporer [2] et Viva [3] cum Bonac. Cord. Rodr. etc, quia deficit opus iniunctum vel non impletur intra tempus praescriptum. Sed affirmant Sa [4] et Vega Lezana ac Pasq. apud Vivam, quia ex aequitate praesumitur pontifex contentus esse ut ille talis abiecerit a se, quoad se pertinebat, dominium rei datae. Concedunt autem Lugo[5] et Spor.[6] non fraudari ab indulgentia qui dederit eleemosynam pauperi ficto.

Quaer. 12. An satisfaciat iubilaeo qui implet ieiunia iniuncta alias debita ex voto. Affirmant Spor. [7] et Lugo [8] cum communi, ut asserit (sed immerito ut mox videbimus); quia eodem opere potest satisfieri duplici praecepto. Sed communius negant Sanchez [9] Sylv. [10] Tab.[11] Arm.[12] et Viva [13] f. Theod. [14] et Passer.[15]. Ratio quia una solutione nequit satisfieri duplici debito oneroso, prout est opus sive conditio apposita in indulto. Et sic hodie tenendum ex dictis a n. p. Bened. XIV. in constit. pluries cit. *Vide supra n.* 536.

CAP. II. DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

DUBIUM I. Quis sit minister.

539. *Confessarii indigent approbatione et iurisdictione.*

540. *An in casu necessitatis sit obligatio se confitendi laico vel clerico. An vero clericus vel laicus in articulo mortis, deficiente sacerdote, possit absolvere a censuris.*

541. *Nullus autem sacerdos valide absolvit, nisi sit approbatus vel parochus.*

539. « Resp. Est sacerdos approbatus ab episcopo (saltem respectu saecularium) et habens iurisdictionem. Est certum. Ratio primae partis sumitur ex Ioan. 1.: *Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis etc.* Ratio secundae sumitur ex Trid.[16] ubi decernitur nullum posse audire confessiones saecularium, nisi habeat beneficium parochiale vel approbationem ab episcopo (Hanc ad rem facit damnatio inflicta ab Alex. VII. duabus proposit. scilicet 13. et 16.). Addidi *respectu saecularium*, quia circa confessiones regularium concilium nihil videtur notasse; unde ii cuivis, etiam non approbato, quem praelatus praefecerit, possunt confiteri; intellige, quantum est ex vi concilii: quia Gregorius XV. statuit ut monialium confessarius ab ordinario approbetur. Ratio tertiae partis ex Florentino et Tridentino [17] quia absolutio est actus iudicialis qui requirit subditos.

Unde resolves:

540. » 1. Nullo casu vel dispensatione, hoc sacramentum valide administratur a non sacerdote. »

Dixit Magister sentent.[18] quod in casu necessitatis debet fidelis confiteri laico: et huic adhaesit d. Th.[19] dicens: *Quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest; qui quamvis sacramentum perficere non possit...tamen sacerdotis defectum summus sacerdos supplet.* Hoc tamen intelligendum est non esse de praecepto, sed de consilio, ad excitandam contritionem vel ad solatium sive consilium capiendum, ut dicunt Wigandt[20] Layman [21] Salm. [22] Croix [23] et alii passim. Tenent autem s. Antonin. Ang. Henr. Candidus Panorm. Led. etc. apud Salmant. [24] et probabile putant Sanch. [25] Croix [26] et Diana [27] cum Ledesm. Valer. Lacrux etc. quod clericus absente sacerdote, et laicus absente clerico, in articulo mortis ex praesumpta concessione ecclesiae possit absolvere a censuris, ne infirmus privetur sepultura et suffragiis. Sed probabilius hoc negant communiter tam de laico quam de clerico: ita Conc.[28] Lugo [29] Croix [30] Salm.[31] cum Avila Pal. Sayr. Corn. et Villal.; item Laym. Con. Suar. Soto etc. apud Dian. Ratio quia id nullo iure nisi sacerdotibus conceditur et num-

(1) Dist. 27. n. 112. (2) N. 180. (3) Qu. 8. art. 6. n. 3. (4) V. Indulgentia. (5) N. 115. (6) N. 181. (7) P. 264. n. 168. (8) D. 27. n. 110. (9) Dec. lib. 1. c. 14. (10) V. Indulgentia q. 6. (11) Q. 10. (12) §. 16. (13) Q. 8. a. 1. n. 2. (14) C. 10. a. 6. (15) Q. 41. (16) Sess. 23. c. 15. de reform. (17) Loc. c. (18) In 4. dist. 17. (19) Suppl. q. 8. a. 2. ad 1. (20) Tr. 13. n. 62 (21) C. 10. (22) De poenit. c. 11. p. 1. n. 5 (23) N. 1482. (24) De censur. c. 2. p. 4. n. 47. (25) Lib. 2. dec. c. 13. n. 13. (26) N. 1485. (27) P. 3. tr. 4. r. 155. (28) p. 552. n. 10. (29) Dist. 18. n. 7. (30) L. c. (31) Ib. n. 48.

quam contrarium in ecclesia fuit consuetudine introductum. Tanto magis quod eo casu (ut in rituali habetur), si excommunicatus decesserit cum signo poenitentiae, poterit eius cadaver absolvi ab habente facultatem super illa excommunicatione.

541. « 2. Ubi Trid. est receptum (secus alibi) nullus sacerdos etiam regularis valide absolvit nisi sit approbatus vel parochus; cui non solum intra, sed etiam extra dioecesim suam valide delegatur iurisdictio, potestque eligi in confessarium ab omni habente potestatem eligendi, quamdiu tamen retinet parochiam. Ita Fill. [1] Fagund. Suar. Diana [2] (*Sed de hoc vide dicenda n. 544. et n. 565.*).

Dubium II. Quid sit approbatio et a quo petenda.

542. *Quid sit approbatio.*
543. *An liceat sacerdoti simplici excipere confessionem venialium.*
544. *Dub. 1. An parochus possit adsciscere cooperatorem alium parochum alterius dioecesis. Dub. 2. An eiusdem.*
545. *Debet eligi approbatus aut parochus. An sufficiat approbatio sine examine et sine iudicio interno.*
546. *An sufficiat approbatio petita et negata.*
547. *A quo episcopo habenda sit approbatio.*
548. *Resolvitur quaestio ex bulla Innoc. XII.*
549. *An religiosi approbati in una dioecesi possint audire confessiones in alia.*
550. *Alia notanda apud Busemb.*
551. *An iniusta revocatio approbationis sit invalida.*
552. *An episcopus ex iusta causa possit approbatos iterum examinare, aut approbationem revocare vel restringere.*
553. *Sancita a Bened. XIV. circa confessionem complicis de peccato turpi.*
554. *Quid veniat nomine* peccati turpis. *An peccata interna. An dubia.*
555. *An absolutio complicis sit invalida quoad omnia peccata.*
556. *Qu. 1. An incurrat censuram papalem, qui confessionem complicis tantum audit, et eum non absolvit. Qu. 2. An episcopus, vel eius delegatus, facultate Tridentini in cap.* Liceat, *possit absolvere confessarium qui complici in peccato turpi absolutionem impertierit.*

542. « Resp. 1. Approbatio non est collatio iurisdictionis, sed tantum publicum iudicium de aptitudine personae ad audiendas confessiones, essentialiter praerequisitum (supposito iure Tridentini) ad iurisdictionem recipiendam. Ita Sanch. [3] et alii.

Unde resolves:

» Etsi doctores et licentiati, hoc ipso quod promoventur, censeantur, secundum quosdam, approbati a papa, ut notat Sa [4]; probabilius tamen est quod ipsi etiam egeant approbatione (Et hoc hodie certum est ex bulla s. Pii v. apud Salm. [5] etiam quoad praelatos regulares) licet non deceat ut ipsi vel lectores in theologia examinentur (Modo legerint moralem).

» 2. Etiam parochus qui reliquit beneficium parochiale debet approbari, si velit audire confessiones.

543. » 3. Non requiri hanc approbationem ad auditionem venialium docet Diana [6] ex Valer. Et ratio esse videtur quod approbatio tantum requiratur in ordine ad iurisdictionem; hanc autem quivis sacerdos pro venialibus, uti et mortalibus, a quibus rite quis est absolutus, habeat collatam ab ecclesia in ipsa ordinatione, ideoque ab iis absolvere possit, ut habent Bon. [7] Vasq. Suar. card. de Lugo [8] qui docent, ab ecclesia in Trident. non approbatum reddi incapacem iurisdictionis, tantum in ordine ad mortalia non prius confessa. »

Quaeritur an confessio venialium facta simplici sacerdoti sit illicita et invalida. Quod sit illicita hodie certum est ex decreto Innoc. XI. de communione quotidiana (hoc decretum affertur per extensum apud Bonac.) edito anno 1679. 12. febr. quo non solum vetitum fuit episcopis, *Ne permittant ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab episcopo;* sed etiam fuit interdictum ipsis sacerdotibus his verbis quae immediate sequuntur: *Si quicumque sacerdotes secus egerint, sciant Deo se rationem esse reddituros.* Utrum autem talis confessio sit invalida:

Prima sententia communissima negat et hanc tenent Salm. [9] cum communi, ut asserunt Holz. [10] Viva [11] Pal. [12]

(1) T. 1. c. 7. (2) P. 3. t. 4. r. 146.
(3) L. 6. de matr. d. 28. (4) V. Confessor.
(5) De poenit. c. 11. p. 7. n. 94.
(6) P. 2. t. 2. misc. res. 44.
(7) D. 5. q. 7. p. 2. n. 3.
(8) D. 18. sect. 3. d. 21. n. 1.
(9) De poenit. c. 11. p. 2. n. 3. (10) N. 631.
(11) Q. 8. a. 1. n. 6. (12) P. 13. n. 5.

Croix [1] Lugo [2] Suarez [3] et Elbel [4] cum Mastr. Herincx etc. Sed unde habeant sacerdotes simplices hanc iurisdictionem auctores discrepant; nam Pal. Capreol. Can. Led. et Vasquez apud Lugo dicunt habere a Christo Domino, eo quod peccata venialia non sunt materia necessaria; ergo creditur Christus non subdidisse eorum absolutionem potestati ecclesiae. Alii vero dicunt iurisdictionem accipere ab ecclesia, ut Viva [5] Roncag. [6] et Lugo [7] cum Suar. Bon. Con. et Henr.

Secunda sententia vero quam tenent Conc. [8] et Platel. cum aliis apud Croix [9] affirmat et hanc satis probabilem puto, quia, posito quod simplices sacerdotes non habeant iurisdictionem a Christo, sed ab ecclesia, ut supra, hodie post decretum Innocentii non praesumitur ecclesia velle eis conferre iurisdictionem, cum ipsis expresse prohibeat uti tali iurisdictione.

544. « 4. Parochi non possunt adsciscere cooperatores nisi parochos vel approbatos, ut habent Fag. [10] Sanchez etc. ex declaratione card. contra Led. et alios. Vide Diana [11] et Bon. [12]. »

Hic dubitatur 1. An parochus possit advocare parochum alienae dioecesis ad excipiendas confessiones suorum subditorum.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pal. [13] Lugo [14] Concina [15] Viva [16] Wig. [17], item Suar. Vasq. Aversa etc. ap. Croix [18]. Ratio quia parochus censetur approbatus pro tota ecclesia, ut supponunt inferri ex Trid. [19] ubi dicitur: *Nullum posse confessiones audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat etc.* Hinc colligunt parochiale beneficium poni a Tridentino pro approbatione universali.

Secunda sententia vero cui mihi libet adhaerere, negat, eamque tenent Barbosa [20] Benedictus XIV. [21] et Croix [22] cum Laym. Garzia Homob. et Piasec. Ratio quia parochus minime approbatur ab ecclesia universali, sed tantum ex dispositione Tridentini a suo episcopo, pro sola eius dioecesi, et iuxta eius voluntatem. Et haec sententia magis firmata fuit ex declaratione s. c. concilii apud Pitton. [23] die 19. ianuarii 1641., ubi dictum fuit: *Parochus unius dioecesis non potest confessiones audire sine licentia episcopi dioecesani.* Et ex alia declar. apud Monacell. [24] die 3. decembr. 1707., ubi ad quaesitum: *An curati unius dioecesis vocati a parochis alienae dioecesis possint in ista audire confessiones absque licentia episcopi.* S. c. respondit: *Affirmative quoad subditos, negative quoad alios.*

Dubitatur 2. An parochus vocatus ab alio parocho eiusdem dioecesis possit in eius parochia confessiones audire. Praeter aa. citatos, id affirmant Bon. [25] et Croix [26] cum communiori; imo Pal. et Mazzotta [27] communem sententiam vocant. Sed oppositam sententiam tenet Barb. [28] cum Homob. et Piasec. [29] ex alia declaratione eiusdem s. c. concilii quam referunt Barb. et Piasec. [30] ad quaesitum: *An provisus de parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi in qua illam parochialem obtinet.* S. c. respondit: *Censeri ad audiendas confessiones dumtaxat in ea civitate vel oppido ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam dioecesim.* Et ratio huius sententiae est quia (sicut diximus) parochus non approbatur ab ecclesia pro ecclesia universali, sed tantum ab episcopo iuxta episcopi voluntatem; unde nisi constet aliunde de diversa voluntate episcopi, parochus censetur approbatus tantum pro parochia ad quam eligitur: potest enim episcopus aliquem iudicare idoneum pro uno lo-

(1) N. 1489. (2) D. 18. n. 41. (3) D. 26. s. 5. (4) P. 298. n. 329. (5) L. c. (6) C. 1. q. 3. r. 2. (7) L. c. (8) P. 541. (9) L. c. (10) P. 2. l. 7. n. 42. (11) P. 3. t. 4. res. 146. (12) D. 5. q. 7. p. 4. §. 1. (13) P. 17. §. 2. n. 7. (14) D. 21. n. 21. (15) P. 540. n. 5. (16) In propos. 16. damn. ab Alexand. VII. n. 11.

(17) Tract. 13. n. 63. r. 12. (18) N. 1557. (19) Sess. 23. de ref. c. 15. (20) In Trid. l. c. n. 19 (21) Notif. 36. n. 7. (22) L. c. (23) De paroch n. 814. (24) T. 4. p. 16. n. 172. (25) D. 5. q. 7 p. 4. §. 1. n. 23. (26) N. 1536. (27) Locc. cc (28) In Trident. d. sess. 23. c. 15. n. 10. (29) In [illegible] epic. 2. [illegible] (30) Locc. cc.

co, et non pro alio. Recte vero dicunt Bon.[1] Clericat.[2] idque admittit Bened. XIV.[3] quod sententia opposita locum habere potest in iis locis ubi talis adsit consuetudo, quae iurisdictionem bene conferre valet. Imo Wigandt[4] primam opinionem approbat, *ex praxi* (ut asserit) *variarum dioecesium*.

545. « 5. Qui habet potestatem eligendi confessarium, non potest eligere nisi approbatum vel parochum.

» 6. Ad approbationem non necessario requiritur examen, modo adsit iudicium prudens de sufficientia. Con. Laym. (Et quamvis episcopus interne reprobet, valet externa approbatio ad iurisdictionem conferendam. Salm.[5]).

546. » 7. Non sufficit approbatio petita et negata, ut docetur communiter contra Nav. Henr. et Diana[6]. Etsi probabiliter cum praedictis docuerint Coninch. et Laym. regulares mendicantes, si ab episcopo repellantur, cum manifeste idonei sint, et a praelatis suis praesententur, posse nihilominus pro confessionibus saecularium exponi, ut habetur Clementina *Dudum*, §. *statuimus* 1. Istis tamen privilegiis Trid. et Urbanum VIII. anno 1628. derogasse, notat Lugo[7] (Ideoque opinio Laym. et Conc. hodie improbabilis est; maxime post prop. 13. damn. ab Alexand. VII. quae dicebat: *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.* Privilegium autem loquitur, quando iniuste negatur iurisdictio, non autem si iniuste negetur approbatio quae de iure novo Tridentini hodie necessario requiritur, ut recte dicunt Salm.[8] cum Lugo).

547. » Resp. 2. Approbatio petenda est ab episcopo, et quidem proprio, scilicet sacerdotis, ut intelligunt Suarez Conin. Regin. Filliuc. et alii; vel, ut probabiliter vult Vasq., poenitentis. Ratio est, quia est actus iurisdictionis, vel saltem auctoritativa declaratio; ergo debet fieri a superiore. Porro nomine episcopi etiam intelliguntur praelati habentes iurisdictionem episcopalem, ut quidam abbates et capitulum, sede vacante, non autem provinciales aut generales ordinum (Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus, recte potest approbare, quia iam habet iurisdictionem. Secus, si sit tantum electus, et non confirmatus, vel qui episcopatum renuntiavit, quia tunc iurisdictione caret. Salm.[9] cum Laym. et Croix[10]). »

548. Quaeritur a quonam ordinario habenda sit approbatio. Tres sunt sententiae:

Prima sententia docet habendam esse ab ordinario poenitentis, quia ad illum spectat, cui vult suas oves committere, et erga ipsas iurisdictionem concedere. Ita Vasq. apud Busemb. hic, qui probabile vocat: et ita plurimi dd. ap. Suar., ut testantur Salm.[11]. Hinc Salm.[12] tenent confessarium approbatum ab episcopo poenitentis posse excipere eius confessionem in alia dioecesi, si ibi peregrinetur, sine loci ordinarii approbatione. Hanc Croix[13] vocat non improbabilem, saltem (ut ait) pro parocho vel confessario magnatum, qui respectu illorum habetur pro parocho. Sed quoad parochum respectu subditorum, recte affirmant Salm.[14] ex communi, et ex decr. s. c. relato *n.* 544.[15]. Quoad delegatum vero etiam dicunt ex Lugo Suar. etc. posse istum absolvere subditos delegantis, ubicumque eos reperit. Et ita etiam tenet Busemb. cum Suar. Henr. Sanch. et aliis.

Secunda sententia docet, requiri approbationem ab ordinario sacerdotis. Ita Bonac.[16] Viva[17] cum Con. et Lugo etc. et ita Suar. et Pal. apud Croix[18]. Ratio quia approbatio cum sit actus

(1) L. c. n. 12. (2) De poenit. decis. 37. n. 12. (3) Cit. notif. 86. n. 13. (4) Tract. 15. n. 30. (5) De poenit. c. 11. p. 7. n. 90. et 91. (6) P. 1. t. 2. res. 24. (7) De poenit. d. 21. n. 29. et 31. (8) De poenit. c. 11. p. 7. n. 95. (9) Ibid. n. 96. (10) L. 6. p. 2. n. 1495. (11) Ib. n. 99. (12) Ib.

(13) L. 6. p. 2. n. 1516. (14) D. l. p. 3. n. 55. (15) Advertendum valde probabile esse... parochum posse ubique locorum confessiones suorum subditorum audire; et circa hoc adest declaratio s. c. Hom. Ap. tr. 16. n. 79. (16) De poenit. disp. 3. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 15. et 16. (17) De poenit. q. 8. art. 3. n. 3. (18) D. l. n. 1516.

iurisdictionis, nequit exerceri nisi in subditum. Sed Bon. et Viva [1] recte explicant hanc sententiam cum Pal. apud Salm. [2] et dicunt ad hoc satis esse si sacerdos approbandus, quamvis exterus, subditus fiat episcopi approbantis ratione domicilii, vel saltem habitationis pro illo tempore; ita etiam Busemb. hic. Et talis revera est praxis universalis.

Tertia sententia, quam probabiliorem putant Croix [3] et Carden. cum Nav. Barbos. et pluribus aliis apud Salm. [4] docet ex communi praxi fidelium approbationem petendam esse ab ordinario loci, ubi confessiones excipiuntur. Nec obstat dicere quod iurisdictio erga poenitentes non concedatur nisi ab ipsorum episcopis. Nam hoc ipso quod quis vult confiteri in aliquo loco, quoad hoc subditus fit ordinarii illius; vel saltem hoc valet ex consensu universali, sive conniventia episcoporum, a quibus data praesumitur iurisdictio erga proprias oves ob bonum ipsarum, cuicumque sacerdoti approbato ab episcopo loci, ubi confessio fit. Ita Viva [5] Salm. [6]. Et haec ultima sententia hodie est omnino tenenda cum Roncag. [7] ex bulla, *Cum sicut*, Innocent. XII. edita anno 1700. die 19. aprilis (relata per extensum ap. Salm.[8]) ubi sic sancitum fuit: *Confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim ... bullae Cruciatae ... nullatenus confessiones audire valeant sine approbatione ... episcopi ... loci, in quo ipsi poenitentes degunt, et confessarios eligunt ... Neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis ordinariis aliarum dioecesium obtentam, etiamsi poenitentes illorum ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint.* Deinde pontifex declarat alias confessiones fore invalidas, et confessarios suspensos etc., *reprobata tamquam falsa et temeraria quacumque contraria opinione.* Et constat ex eadem bulla pontificem locutum fuisse ex cathedra, ut ostendunt Salm.[9]. Bullam Innocentii nuper confirmavit summus pontifex Bened. XIV. per aliam bullam, quae incipit, *Apostolica, etc.* Scribit Mazzotta [10] has praefatas bullas minime elidere probabilitatem primae sententiae Suarii etc. ut supra: ait enim bullam Innocentii emanatam fuisse ob querelas episcoporum Portugalliae, eo quod sui subditi sine ipsorum licentia confessarios eligebant per alios ordinarios approbatos, etiamsi iidem alii ordinarii repugnassent, vel approbationem revocassent. Hinc dicit minime reprobatam fuisse sententiam, quod confessarius saecularis approbatus in aliquo loco possit absolvere subditos illius in alia dioecesi peregrinantes. Sed huic opinioni non acquiesco; nam in primis invenio titulum illius bullae Innocentianae fuisse sic descriptum (apud Salm.[11]): *Sanctissimi domini nostri Innocentii papae* XII. *declaratio . . . cum damnatione opinionis asserentium facultatem huiusmodi habere locum, etiamsi confessarius non fuerit approbatus ab ordinario loci in quo confessiones excipi contigerit.* Nota *loci in quo, etc.* Deinde in ipsa bulla legitur, ut supra, papam nullas declarasse confessiones quae fiunt *sine approbatione episcopi loci in quo ipsi poenitentes degunt.* Quid clarius? Si autem adhuc cum privilegio bullae Cruciatae requiritur approbatio ab episcopo loci, quanto magis sine privilegio? Verum Salm.[12] contra Roncaglia [13] dicunt oppositam sententiam non esse hac bulla damnatam, si quis privilegium haberet generis diversi, quam Cruciatae, puta iubilaei, vel simile. Sed huic obstat bulla Benedicti XIV. quae incipit *Benedictus Deus,* ubi dicitur quod detur facultas in iubilaeo tam saecularibus quam regularibus eligendi sibi confessarium, modo sit ex approbatis ab ordinario loci, moniales vero ex eadem possunt sibi eligere confessarium, sed

(1) L. c. (2) De poen. c. 11. p. 7. n. 99.
(3) Dicto n. 1516. (4) Ibid. n. 93.
(5) De poenit. q. 90 a. 3. n. 5. (6) Ibid. n. 99.
(7) De sacram. poenit. c. 1. q. 6.
(8) De privil. c. 4. p. 2. §. 4. n. 80. (9) Ib. n. 81.
(10) De poenit. disp. 2. q. 1. c. 3. §. 1.
(11) Loc. cit. n. 88. (12) Ibid. n. 111.
(13) Cap. 1. qu. 6.

nonnisi ex approbatis ad confessiones monialium in illo loco, quamvis pro aliis monasteriis.

549. « 1. Religiosi, etiam exempti, debent approbari ab episcopo loci in quo degunt; quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi.

Et hoc certum est ex brevi Innocentii x. apud Salmant. [1] ubi pontifex sic statuit: *Regulares in una dioecesi approbatos non posse in alia confessiones audire sine approbatione episcopi illius.* Et idem statuit Innoc. XIII. in bulla *apostolici ministerii* (confirmata a Bened. XIII. per aliam bullam appositam in calce concilii romani) ubi dicitur: *Declaramus, sacerdotes tam saeculares quam regulares qui ab episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum vel genus personarum, vel quoad tempus, non posse poenitentiae sacramentum administrare extra tempus vel locum vel genus praescriptum, quocumque privilegio etiam in vim bullae Cruciatae nullatenus suffragaturo.*

550. » 2. Episcopus in sua dioecesi non potest approbare sacerdotem alienum, nisi subdatur illi, saltem ad tempus.

» 3. Episcopus potest approbare per se vel vicarium generalem, vel alios quoscumque deputatos; quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis (*Vide n.* 588.).

» 4. Approbatio potest fieri cum restrictione ad certum genus personarum, locum, tempus, etc. Nav. Suar. Vasq. contra Vegam.

» 5. Episcopus peccat, si sacerdoti (praesertim regulari) idoneo, sine causa sufficienti neget approbationem. Bonac. Vasq. [2] card. Lugo [3] Sanch. etc.

551. » 6. Approbatio semel absolute concessa, non tantum non extinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest sine iusta causa: ex causa tamen, v. g. mutatione morum, iudicii, etc. potest, ut docent Suar. Fill. et alii. Quod si fiat absque causa rationabili Conin. Suar. et quidam alii censent revocationem esse nullam (Et hanc vocant satis probabilem Lugo [4] Pal. [5] Salm. [6] cum Dic. Ratio quia, ut dicunt, episcopus non videtur posse auferre sine iusta causa ius iam acquisitum a confessario. Excipit Fag. apud Palaum, si episcopus approbet pro suo beneplacito, sed Palaus hoc non admittit, quia intelligendum semper est de beneplacito iusto. At hanc opinionem vix in praxi probabilem censeo, quia iniustitia revocationis deberet esse luce clarior, et abesse quodcumque hallucinationis periculum; sed hoc vix accidere potest, cum innumerae possint esse causae iustae apud episcopum revocandi approbationem quae ignorentur a confessario); alii illicitam tantum. Fill. [7]. In dubio autem an ex iusta causa revocatio sit facta, praesumendum esse pro praelato, docet Lugo [8].

552. » 7. Ex iusta causa possunt, praesertim a successore episcopo, ad examen revocari, non tantum saeculares, sed etiam regulares. Docent tamen quidam, mendicantes habere privilegium, ut non possint revocari ab eodem a quo ante sunt approbati; sed contrarium docent Suarez et Lugo [9] (Et haec sententia hodie omnino tenenda, cum Alexander VII. (ut refert Cabass. [10]) in causa andegavensis episcopi, et regularium societatis Iesu et aliorum ordinum, sequentem propositionem die 30. ianuarii 1659. tamquam temerariam et erroneam damnavit, quae dicebat: *Non possunt episcopi limitare seu restringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Nec tenetur de tali revocatione episcopus ulli rationem reddere, ut statutum refert Cabassutius [11] a rege christianissimo cum consilio status regni die 4 martii ann. 1669. Et cum ab episcopo approbatio limitatur quoad locum, tempus, aut personas,

(1) De poenit. c. 11. p. 7. n. 97. (2) Art. 3. d. 5.
(3) D. 21. s. 3. n. 34. (4) De poen. d. 21. n. 64.
(5) De poenit. » 18. §. 4. n. 6.
(6) De poen. c. 11. p. 7. n. 107. (7) T. 8. c. 9. q. 12
(8) N. 67. (9) D. 21. n. 61. et 62.
(10) T. 1. l. 1. c. 10. n. 15. (11) Ib. n. 14.

confessarius, sive saecularis sive regularis, nequit alio modo uti illa ob quodcumque privilegium, etiam bullae Cruciatae; ita declaratum fuit in bulla *Apostolici ministerii*, edita a Clem. XII. per Hispanias, et confirmata postea a Bened. XIII. per totum orbem, ut refert Bened. XIV. in bulla *Apostolica indulta*.

» 8. An approbatus ab uno episcopo possit in alia dioecesi, sine nova approbatione recipere iurisdictionem, controvertunt doctores: ac licet utraque sententia olim videri potuerit probabilis, post decretum tamen Urbani VIII. 1628. apud Lugo [1] negativa omnino tenenda est. Vide Aversam [2] (Idem hoc certum ex brevi Innocent. X. et ex bulla Innocent. XIII. iuxta dicta *num.* 549. Item advertendum, quod s. Pius V. in constit. *Romani*, dixit quod regulares approbati ab episcopo antecessore poterunt iterum examinari a successore, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari. Hinc inferunt Sylvester Miranda Fagund. et alii apud F. Ferraris, quod vicarius capitularis nequit regulares revocare ad examen, nec eos privare facultate excipiendi confessiones, nisi facultas data sit ab episcopo: *Ad nostrum beneplacitum*, tunc enim morte episcopi illa expirat). »

553. Notanda hic ultimo sunt duo decreta ss. pontificis nostri Benedicti XIV. *Sacramentum* et *Apostolici muneris (Vide in fine operis)*, quibus declaratum fuit, confessarium omnino carere iurisdictione ad absolvendum peccatum complicis turpe contra sextum praeceptum, atque excommunicationem papalem incurrere, si confessionem complicis excipere audeat. Excipitur tamen casus extremae necessitatis, nimirum articuli mortis, in quo permittitur ei absolvere complicem, modo deficiat quicumque alius, etiam simplex sacerdos, qui absolutionem impertiri possit; nisi nequeat alius ille sacerdos vocari, vel accedere sine gravi infamia aut scandalo: tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiae aut scandali avertere, si potest, sub eadem poena excommunicationis, licet tunc valide absolveret si non averteret.

554. Circa tale decretum adverte 1. quod nomine *peccati turpis* venit omne peccatum externum grave contra sextum praeceptum, licet sit solus tactus sive colloquium, ut certe dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc iudicio, ab aliis immerito in dubium revocato. Et idem sentiunt Salm. [3] contra aliquos, qui dicebant bullam intelligendam tantum de copula consummata. Ratio nostra est: 1. quia verba generalia generaliter accipienda sunt. 2. Quia leges etiam poenales sunt in sensu proprio et naturali interpretandae, et in sensu naturali verba bullae: *In peccato turpi atque inhonesto contra sextum praeceptum*, quaecumque peccata turpia sine dubio comprehendunt. 3. Quia finis legis huius est quidem removere occasiones, non tantum copulae, sed omnis turpitudinis a sanctitate tribunalis poenitentiae. Contra vero non comprehenduntur peccata venialia inhonestatis, sive sint ex parvitate materiae, sive ex defectu advertentiae aut consensus; quia venialia non sunt de obligatione in confessione manifestanda, ita Salm. [4]. Idem recte dicunt etiam de mortalibus mere internis, vel non plene exterius significatis; quapropter peccatum non erit reservatum, quamvis interius fuerit grave, si etiam exterius grave non fuerit, ut aiunt. Addunt ex Suarez Dicast. et Anacl. nec reservata esse mortalia dubia ex dubio facti vel iuris, quia non videntur superiores velle reservare dubia, nisi expresse declarent; et hoc est iuxta communem sententiam, quam proferemus infra *n.* 600. *vers. Quaer.* 1. Idem censent si adsit dubium an poenitens graviter peccaverit, licet confessarius certum mortale commiserit; quia bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi, ut ipsi antecedenter dixerunt [5].

(1) D. 21. sect. 2. n. 9. (2) Q. 19. s. 3.

(3) Tr. 6. Append. de bulla Cruciatae c. 6. p. 4 § 2. n. 282. (4) Ibid. n. 277. (5) L. c. n. 241.

555. Adverte 2. quod absolutio a confessario complici impertita irrita est, ut sentio, etiam quoad mortalia, quae complex, qui nondum ab alio de peccato turpi fuerit absolutus, ipsi confiteatur. Hoc infero ex verbis eiusdem bullae ubi dicitur: *Atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino sit.* Secus vero censeo, si de peccato turpi ille iam fuerit absolutus, quia tunc cessat dispositionis suspicio, ob quam pontifex iurisdictionem confessario abstulisse videtur. Addunt Salm. [1] idem dicendum de peccato mortali commisso et legitime confesso ante expeditionem bullae, quia lex non respicit retro, ut docet p. Suarez.

556. Quaestio autem fit 1. an incurrat hanc excommunicationem sacerdos qui complicem non absolvit, sed tantum in confessione audit. Super hoc dubio consului sacram poenitentiariam, quae die 9. iulii 1751. respondit absolute: *Non vitari excommunicationem a praedicto confessario per fictionem absolutionis.* Et huic sententiae ego iamdudum adhaesi; sed postea, cum percurrissem constitutionem eiusdem pontificis Bened. XIV. *Inter praeteritos*, oppositum satis declaratum reperi, ut patet ex sequentibus verbis: *Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit poenitentis*, eumque absolvit, *vel qui in articulo mortis* absolvit, *cum alius sacerdos non desit..... excommunicationis maioris poena a nobis in citatis constitutionibus imposita fuit.*

Quaer. hic 2. an episcopus ex concessione Tridentini [2] possit absolvere confessarium qui complici in peccato turpi absolutionem impertierit. Videtur ex una parte negandum: nam si episcopus vel alius ab eo delegatus possent hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio pontificis evaderet inutilis et elusoria; casus enim hic non potest nisi occulte accidere: cum autem aliqua lex posterior (ut recte ait Fagn. [3] cum Oltrad.) non potest habere effectum, nisi derogetur privilegio ab eodem superiore prius concesso, per ipsam necessario intelligi debet facta generalis privilegii derogatio, ne lex frustratoria reddatur. Et idem sentit Diana [4] cum aliis, sic dicens: *Quod si clausula* (vel aliqua lex) *generalis nequeat vera reddi, nisi in eo solo casu, contra concilium, debet haec generica derogatio reputari pro specifica, alias nullius esset momenti.* Attamen probabiliter videtur posse dici quod, etiam salva facultate episcopis a concilio impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio pontificis non omnino redderetur inutilis et elusoria, tum quia, licet ordinarie hic casus occultus sit, tamen aliquando potest accidere quod sit publicus; tum quia lex reservationis saltem Romae locum haberet, et in omnibus aliis locis ubi Tridentinum non est receptum, et ubi nequeunt quidem episcopi praefata facultate uti, ut docent communiter Suarez [5] Sanch. [6] Salmant. [7] cum Alter. et Castrop. [8] cum Barbosa et Garcia; quia concilii facultas media receptione eis conceditur: non enim fas est ut fruantur privilegiis, qui onera repellunt. Et idem nobiscum sentiunt Salm. [9] et pro hac sententia plures citant auctores, qui super constitutionem *Sacramentum*, supra citatam, recenter scripserunt.

DUBIUM III. Quid et quotuplex sit iurisdictio confessarii et unde eam habeat.

557. *Quid sit iurisdictio et quis habeat ordinariam.*
558. *An habeat vicarius generalis contradicente episcopo. Et qui possint eam delegare.*
559. *An delegatio expiret morte delegantis.*
560. *An haeretici et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis.*
561. *An omnes sacerdotes possint absolvere tam in articulo, quam in periculo mortis. Et quale censeatur huiusmodi periculum.*
562. *An simplex sacerdos possit absolvere praesente approbato.*
563. *In quibus autem casibus possit licite absolvere. Dub. 1. An quivis confessarius possit absolvere moribundum a reservatis, etiam praesente superiore. Dub. 2. An in morte ad absolvenda reservata papae, adeundus*

(1) Append. cit. n. 277. (2) In cap. Liceat 6. sess. 24. (3) In cap. Nonnulli de rescript.
(4) P. 7. tr. 2. res. 21. (5) De cens. d. 14. s. 2. n. 6.
(6) Dec. l. 2. c. 11. n. 2. (7) De poen. c. 15. p. 3.
(8) T. 1. tract. 4. d. 4. p. 5. §. 1. n. 2.
(9) App. tr. 6. de bulla Cruciatae c. 6. p. 4. §. 2. n. 550.

sit episcopus. Dub. 5. *An teneatur moribundus petere absolutionem a superiore, saltem per litteras aut nuntium.*

564. *An excommunicatus toleratus possit absolvere a venialibus. An regulares possint absolvere sine approbatione episcoporum. Et an omnes sacerdotes ab episcopo approbati possint confessiones audire sine licentia parochi.*

565. *Qui et quomodo possint eligere sibi confessarium. Dub.* 1. *Quomodo episcopi et alii praelati. Dub.* 2. *Quomodo cardinales. Et an parochi.*

566. *Quando habens potestatem delegatam possit eam subdelegare. Et quid de delegato ad universitatem causarum.*

567. *An absolutus in morte a reservatis, teneatur postea se sistere superiori.*

568. *Vide alia.*

569. *A quo possint absolvi scholares, milites, peregrini etc. An capellani exercitus nequeant absolvere milites degentes in praesidiis.*

570. *An sufficiat facultas praesumpta excipiendi confessiones.*

571. *Quando liceat absolvere cum iurisdictione dubia vel probabili.*

572. *Qu.* 1. *An error communis det iurisdictionem.*

573. *Qu.* 2. *An liceat ministrare sacramentum cum iurisdictione tantum probabili.*

574. *An sit obligatio confitendi parocho.*

575. *An regulares itinerantes possint confiteri cuicumque sacerdoti.*

576. *An moniales petentes extraordinarium et non obtinentes possint cuique confiteri.*

577. *Plura notanda de confessariis monialium et militum in praesidiis.*

557. » Resp. Est auctoritas aliqua in alium, ut subditum, in quem, in foro interno, accipit potestatem distinctam a potestate ordinis, haec enim datur per sacramentum ordinis et omni sacerdoti, nec tolli potest illa per externam concessionem ecclesiae, nec omnibus sacerdotibus, potestque ab iis tolli, ac nisi adsit, invalida est absolutio, ex Trid. [1]. Est autem duplex: ordinaria et delegata. *Ordinaria* est, quam habent ii qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut papa, episcopus, parochus (huc revocantur archiepiscopi erga subditos suorum episcoporum, tunc tantum quando actu visitant), archipresbyteri, archidiaconi, praelati religionum, vicarius perpetuus episcopi vel etiam parochi. »

558. Quaeritur an vicarius generalis episcopi habeat iurisdictionem ordinariam etiam in foro sacramentali, ita ut possit confessiones audire et aliis audiendi potestatem concedere.

Prima sententia negat, et hanc tenent Soto Ledes. et alii pauci ap. Salmantic. [2]. Hi dicunt vicarium in solis causis civilibus iurisdictionem habere ordinariam, in spiritualibus vero delegatam ab episcopo. Hocque probant 1. ex eo quod, mortuo episcopo, cessat iurisdictio vicarii. Probant 2. Trid. [3], ubi statuitur nullum posse audire confessiones nisi approbatum ab episcopo.

Secunda sententia tamen communior et verior affirmat, eamque tenent Azor. [4] Sylv. [5] Fagnan. [6] Salmant. [7] cum Gran. Aversa Fill. Dic. Boss. et Sanchez [8] cum Host. Nav. Ang. Henr. Pal. Lop. etc. Ratio quia vicarius generalis, supposita nominatione episcopi, iurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus quam in spiritualibus, non iam ab episcopo, sed a canone, cum faciat ipse unum tribunal cum episcopo; ut habetur ex *c.* 2. *de consuetud. in* 6. *et cap. Romana, de appellat. in* 6. Et confirmatur ex Trident. [9] ubi, cum voluit concilium excludere vicarium a facultate absolvendi ab haeresi, id expressit dicens: *Eis tantum* (id est episcopis), *non eorum vicariis, sit permissum.* Ergo supponit Tridentinum facultates episcopi, nisi expresse a iure restringantur, intelligi communicatas etiam vicariis. Ad 1. autem respondetur quod mortuo episcopo cessat iurisdictio vicarii, non quia eius iurisdictio non sit ordinaria, sed quia deficiente episcopo, desinit ipse esse vicarius. Ad 2. respondetur quod ibi nomine *episcopi* comprehenditur etiam vicarius, qui (ut diximus) unum facit tribunal cum episcopo.

Delegata iurisdictio dicitur quae legitime datur ab habente ordinariam, idque vel tacite vel expresse, ut a papa pro tota ecclesia, ab episcopo pro dioecesi, a parocho pro parochia; hoc discrimine, quod papa possit dare invi-

(1) Sess. 14. c. 7. (2) De poen. c. 11. p. 3. n. 42.
(3) Sess. 23. c. 23. (4) T. 2. l. 3. c. 43.
(5) V. Confessio 1. q. 1.
(6) In c. Quod nobis de clandest. despons. n. 43.
(7) Ibid. n. 43. (8) De matr. l. 3. d. 29. n. 13.
(9) Sess. 24. c. 6. de reform.

tis episcopis et parochis, non contra. Ac licet exterior iurisdictio expiret morte delegantis, non tamen haec interior, nisi successor revocet, ut docent Sanchez Suarez Navar. Coninch. contra Sylv. et Vasq. Vide Laym. [1].

559. An delegatio expiret morte delegantis. Distingue delegationem generalem a particulari. Delegatio generalis a papa, communis est sententia et praxis, quod non extinguitur per ipsius mortem, ex *c.* 9. *de offic. deleg. in* 6. Ita Salm. [2] Conc. [3] et alii passim, nisi concessio facta fuerit hoc modo: *Usque ad beneplacitum nostrum;* vel: *Ad arbitrium nostrae voluntatis*, et simili. Salm. [4]. Delegatio generalis autem ab episcopo, alii sentiunt quod eius morte extinguatur, si nondum confessio coepta sit, ut Vasq. Sylv. etc., alii censent non extingui donec revocetur a successore vel praefixum tempus labatur; ita communius et probabilius Sanch. [5] Pal. [6] Conc. [7] et Salm. [8] cum Concina Suar. Lugo Dicast. et aliis. Et hoc firmatur ex praxi et regula generali quod gratiae factae non expirant finita iurisdictione concedentis.

Si vero delegatio fuit in particulari, scil. de audienda alicuius tantum confessione, recte Salm. [9] cum Sanch. Lugo etc. tenent quod expirat morte concedentis, nisi confessio iam fuerit incoepta.

560. « Porro huiusmodi potestatem delegatam absolvendi quemcumque a quibuscumque peccatis, in articulo seu periculo mortis (haec enim pro eodem sumuntur in iure, ut vide Diana [10]) habet ex iure communi quivis sacerdos, etiam excommunicatus et degradatus, si alius desit (Ut etiam ait Sanch.[11] cum Zambr. et pluribus. *Sed vide mox dicenda*).

Quaer. 1. An haeretici, schismatici et excommunicati vitandi possint absolvere in articulo mortis, si alius desit.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Nav. [12] Sanchez [13] et Salm. [14] cum Suarez Vasq. Palud. Lugo Soto Sylv. etc. Et probant ex Trident.[15] ubi dicitur: *In ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*; *atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

Secunda sententia vero sequenda negat, et hanc tenet s. Th.[16] qui loquens de praedictis abscissis a communione ecclesiae, dicit: *Possunt licite baptizare in articulo necessitatis, in nullo autem casu licite possunt eucharistiam consecrare vel alia sacramenta conferre.* Nec obstat quod s. doctor dicat, *in nullo.... licite*, non autem invalide, nam illicite in nostro casu idem est ac invalide; si enim posset excommunicatus vitandus infirmo in articulo mortis valide ministrare sacramenta, teneretur utique ea ministrare (praesertim sacramentum poenitentiae) ex praecepto divino et naturali, cui non posset obstare praeceptum humanum ecclesiae. Idem dicunt Fagn.[17] Petroc.[18] Auctor apud Croix [19] Conc.[20] (qui hanc probabiliorem vocat, licet contrariam putet non improbabilem), et alii plures ut infra, qui scripserunt ante concilium, quo tempore ipse Nav.[21] fatetur nostram sententiam fuisse communem. Ratio quia (ut dicimus *n.* 262. *v. Id clarius*) concilium minime loquitur de simplicibus sacerdotibus, sed de carentibus iurisdictione in casus reservatos, qua non carere declarat in articulo mortis; tum quia Tridentinum (ut *ibid.* probamus) ibi non condidit ius novum, sed tantum ius antiquum ecclesiae approbavit: ante autem concilium, ut probat Fagn. et ipse Nav. fatetur, communis erat sententia quod praecisi ab unitate ecclesiae absolvere non possent. Et ita declaravit s. c. gener. concilii apud Fagnan.[22] ubi sic habetur: *Quaesitum fuit ab episcop*

(1) L. 5. c. 10. n. 22. (2) De poen. c. 11. p. 6. n. 78. (3) P. 545. n. 25. (4) Ibid. n. 85. (5) De matr. l. 8. d. 28. n. 72. (6) Tr. 3. d. 4. p. 16. §. 4. n. 3. (7) P. 545. n. 46. (8) De poen. c. 11. p. 6. n. 80. (9) Ibid. n. 84. (10) P. 3. tr. 4. r. 57. 71. et 72. (11) Dec. l. 2. c. 13. n. 5. (12) Man. c. 27. n. 272.

(13) Dec. l. 2. c. 13. n. 5. (14) Ibid. p. 2. n. 20. (15) Sess. 14. c. 7. (16) 2. p. q. 82. a. 7. ad. 2. (17) In c. Non est vobis, de sponsal. etc. per totum. (18) T. 4. p. 158. q. 8. (19) De ollic. confess. l. 1. c. 1. v. Dico 2. (20) P. 576. n. 21. (21) Loc. cit. (22) N. 2.

valentinensi an poenitentes in articulo mortis possit a casibus reservatis absolvere quilibet sacerdos excommunicatus et denuntiatus. S. c. generalis censuit non posse, quia communis videtur illa sententia, quod tales excommunicati non possint absolvere etiam in hoc casu necessitatis; ita Mag. sent. s. Thomas Ricch. s. Ant. Scot. Durand. Turr. etc. contra Pal. Sylvest. et Soto. Nec obstat cap. 7. de casuum reservatione, quia debet intelligi de omnibus sacerdotibus in unitate ecclesiae viventibus: referendumque (nota) *ad eos sacerdotes, de quibus eod. c. 7. in prima et secunda parte agitur, qui habent vel ordinariam vel delegatam potestatem.* Hucusque verba declarationis. Unde ait Fagnan. quod dd. post concilium ideo oppositam sententiam tenuerunt, quia ignorarunt praefatam declarationem s. congregationis concilii. His tamen non obstantibus, recte dicit Cont. Tour.[1] quod hoc in casu bene poterit sacerdos haereticus vel excommunicatus vitandus (absente alio) absolvere moribundum sub conditione, quia in extrema vel urgente necessitate ex communi sententia doctorum, ut diximus *n.* 482. *vers. Sed dices*, cum Iuven. Sanch. Card. Soto Nav. Croix et aliis licitum est uti opinione adhuc tenuis probabilitatis. Imo dicit praefatus Cont. Tournely[2] quod sicut olim communis erat secunda sententia, hodie communis est inter dd. prima affirmativa: quamvis enim concilium loco citato novam legem non condidisset, tamen ex aliis verbis quae ibi leguntur, *Ne hac occasione aliquis pereat*, satis eruitur intentio ecclesiae, quod in casu necessitatis bene possit vitandus moribundum absolvere, alias iam aliquis perire poterit. Idem sentit Sylv.[3] cum Cano Sylvestro et Ang.: respondetque ad doctrinam s. Thom., sic eam intelligi, nempe quod sacerdos excommunicatus in casu mortis solum baptismum licite ministrat, tunc enim non operatur ut minister ecclesiae ad id deputatus, sed ut quilibet homo qui in necessitate baptizat; sed in aliis sacramentis, eo quod debet illa ut minister conferre, ideo debet ea ministrare in gratia manens. Praeterea citatus auctor (Cont. Tourn.) addit id quod refert cardinalis Albitius[4], nempe quod declaratio supra relata non reperitur in registro s. Congregationis, signum quod illa vel foras non exierit vel quod in desuetudinem abierit, tanquam communi sententiae opposita. Item refert quod cum huiusmodi dubium ad Innocentium XI. delatum fuisset, pontifex praecepit non amplius dubitandum de veritate primae sententiae affirmativae. Et hanc sequitur etiam p. Ferraris[5] innixus auctoritati praedicti card. Albitii[6].

561. Quaeritur 2. An quilibet sacerdos possit absolvere a quibuscumque peccatis et censuris non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, Negant Canus[7] et Soto Cov. Graff. et Ledesm. apud Salm.[8]. Sed verius et communius affirmant Suar.[9] Sanch.[10] Pal.[11] et Salm.[12] cum Nav. Sylv. Lugo Bon. Palud. Vasq. Vill. Trull. et aliis. Ratio quia in hac materia pro eodem accipitur articulus et periculum, ut patet ex *c. Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. ubi: *Nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo.* In tali enim periculo quisque existens in mortali codem modo tenetur confiteri ac si esset in articulo. Consentit Conc.[13] modo tale periculum sit adeo grave ut vix distingui certo possit ab articulo; sed verius sufficere videtur quod adsit prudens timor mortis ex illo periculo eventurae.

Tale autem periculum censetur adesse in praelio, in longa navigatione

(1) Tr. de poenit. part. 2. cap. 8. art. 4. sect. 8.
(2) Loco supra cit. n. 685. de poenit. n. 665.
(3) Q. 8. a. 6. (4) P. 1. de Inconst. c. 18. et 19.
(5) T. 5. bibl. v. Moribundus n. 33. ad 39.
(6) En quaest. recentius reformatam 19. Quaerit. » An sacerdos ab ecclesia abscissus, uti si esset haereticus, schismaticus aut excommunicatus vitandus possit absolvere eos qui sunt in periculo mortis, si alius desit? T. 6. n. 560. v. quaer. 1. probata fuit sententia negativa: sed nunc probamus contrariam cum Sylvio Collet Sylvestro Cano etc. » (7) Prael. p. 5. p. 145. (8) De poenit. c. 11. p. 2. n. 25.
(9) D. 26. r. 4. n. 45. (10) Dec. l. 2. c. 15. n. 1
(11) P. 13 n. 7. (12) Ib. n. 24. (13) P. 542 n. 13

in difficili partu, in morbo periculoso et similibus, ut Sanch.[1] Salm.[2]. Idem de eo qui est in periculo probabili incidendi in amentiam[3]. Idem de captivis apud infideles cum exigua spe libertatis, si credantur nullos alios sacerdotes habituri[4].

562. Quaeritur 3. An sacerdos simplex possit poenitentem absolvere moribundum, etiam praesente confessario approbato.

Prima sententia communissima negat et hanc tenent Sanchez[5] Suarez[6] Molina[7] Azor.[8] Bon.[9] Carden.[10] Antoine[11] Pal.[12] Lugo[13] cum Sylv. Soto Arm. Cov. Rosell. Graff. etc. Mazz.[14] cum Vasq. Con. et Lay. ac Salm.[15] cum pluribus aliis. Probatur ex Trident.[16] ubi dicitur: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt: extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Ex quibus verbis duplex colligitur ratio pro hac sententia. Prima, quia cum ibi dicatur, *in ecclesia Dei custoditum semper fuit,* infertur concilium non constituisse ius novum, sed tantum antiquam ecclesiae consuetudinem declarasse et approbasse, nempe quod sacerdotes simplices tunc solum absolverent, quando deest copia confessarii approbati; hancque antiquam consuetudinem probant aa. citati ex *can. Presbyteri, caus.* 26. *q.* 6. *c. Inter cunctas,* §. *Incendiarii de privil.* et aliis textibus. Secunda ratio quia ideo ecclesia in articulo mortis omnibus sacerdotibus facultatem praebet absolvendi a quibusvis peccatis, quia tunc extrema urget necessitas, et ecclesia eis iurisdictionem confert *ne aliquis pereat;* at haec ratio cessat quando adest sacerdos approbatus. Et Mol.[17] testatur ita declaratum fuisse a Gregor. XIII.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent Sa[18] Sayr.[19] Nav.[20] Barb.[21] cum Vega Ledes. Reg. Valer. Homob. Boss. etc., item Comit. Henr. Vill. Angles Corrad. Diana Marchin. etc. apud Lugo[22]. Atque probabilem putant Viva[23] Spor.[24] Elbel[25] et Lugo[26] qui improperat Turrian. qui vocat eam improbabilem et damnatam a Greg. XIII.; nam ait Lugo quod de enuntiata declaratione non constat authentice, et proinde sic loquitur: *Certe sententia, quam tot et tam graves dd. tenent, negari non potest quin probabilis sit; praesertim cum fundetur in verbis Tridentini quae non facile explicari possunt ab adversariis.* Ratio igitur huius sententiae est quia a concilio videtur indistincte concessa omnibus sacerdotibus potestas absolvendi tempore mortis ad salutem animarum faciliorem reddendam, verbis illis: *Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Ubi autem lex non distinguit (commune axioma est), nec nos distinguere debemus. Neque ex ullo textu dicunt compertum haberi quod ex antiqua consuetudine prohiberentur simplices sacerdotes absolvere moribundos praesente approbato; textus enim oppositi (ut aiunt) non loquuntur de absolutione sacramentali, sed de reconciliatione publicorum poenitentium cum ecclesia; aut sane id asserunt de absolutione censurarum reservatarum quae (ut infra dicetur) nequeunt utique absolvi ab inferiore praesente superiore.

His tamen non obstantibus puto non recedendum a prima sententia, ob auctoritatem ritualis romani[27] ubi sic di-

(1) L. c. n. 9. (2) De poen. c. 11. p. 2. n. 23. (3) Ib. n. 27. (4) Ib. n. 28. (5) Dec. l. 2. c. 15. n. 7. (6) D. 26. sect. 4. n. 4. (7) De iust. t. 4. d. 65. (8) Lib. 8. c. 19. q. 5. (9) Q. 7. p. 1. n. 10. (10) In 2. crisi d. 2. n. 424. (11) P. 528. q. 5. (12) P. 15. n. 8. (13) D. 18. n. 24. (14) T. 2. 793. dub. 1. (15) Ib. n. 30. (16) Sess. 14. c. 7. (17) L. c. (18) V. Absolutio n. 5. (19) Dec. 21. 20) Cons. 15. aut 25. de poen. (21) In Trid. l. c. n. 12. (22) Dist. 18. n. 25. (23) Q. 3. a. 2. n. 5. (24) N. 725. (25) N. 628. (26) Loc. cit. (27) De sacram. poenit.

citur: *Sed si periculum mortis imminet, approbatusque* (nota) *desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Possunt igitur simplices sacerdotes absolvere, *si desit approbatus confessarius;* ergo non possunt, si adsit approbatus. Quo insuper rituale clare videtur adstruere hanc fuisse priscam ecclesiae consuetudinem, dum Paulus v. in sua bulla, per quam hoc rituale approbat, dicit: *Restabat ut uno volumine comprehensi sacri et sinceri catholicae ecclesiae ritus qui in sacramentorum administratione servari debent, apostolicae sedis auctoritate prodirent.* Deinde asserit se *receptos et approbatos catholicae ecclesiae ritus suo ordine digestos conspexisse.* Tandem sic concludit: *Hortamur in Domino patriarchas, episcopos, parochos etc. ut in posterum ecclesiae romanae constituto rituali in sacris functionibus utantur; et in re tanti momenti, quae catholica ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis* (nota) *statuit, inviolate observent.* Ergo hoc quod praescribitur in rituali de absolutione moribundi, satis declarat pontifex *a probato usu antiquitatis* statutum fuisse. Accedit catechismus rom.[1] qui ait, concilium docere, quemlibet sacerdotem posse absolvere ab omni peccato et censura, *si mortis periculum imminet et proprii sacerdotis* (nota) *facultas non datur.*

Id clarius et fortius probatur ex eo quod praefata verba Tridentini, *Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt* (ut recte dicunt Fagnanus[2] Petrocor.[3] et Auctor apud Croix[4]) non iam referuntur ad quoscumque sacerdotes, sed ad eos tantum de quibus antecedenter loquitur concilium, nempe de illis qui *ordinariam* aut *subdelegatam habent iurisdictionem.* Et hoc declaravit s. c. generalis concilii apud Fag.[5] dicens: *Caput 7. Trid. de casuum reservatione referendum ad eos sacerdotes qui habent ordinariam vel delegatam potestatem.* Ergo omnino dicendum est concilium in hoc puncto non condidisse ius novum, sed tantum antiquam ecclesiae consuetudinem declarasse, nempe quod *nulla sit reservatio in articulo mortis*, respectu ad solos sacerdotes qui ordinariam vel delegatam potestatem absolvendi habent. Quod autem simplices sacerdotes, exceptis excommunicatis vitandis, haereticis et schismaticis (ut diximus *n.* 560.), possint valide et licite absolvere in articulo mortis ab omnibus peccatis et censuris, id non habetur ex Tridentino, sed aliunde, nempe ex *c. Presbyter* 26. *qu.* 6., item ex rituali rom. et ex declaratione eiusdem s. c. concilii apud Fagnan.[6], et ex communi ecclesiae consuetudine.

563. Probabiliter tamen simplices sacerdotes possunt absolvere tempore mortis etiam praesente confessario approbato, in sequentibus casibus: 1. Si approbatus nollet vel non posset audire confessionem, quia tunc idem accideret ac si deesset, ita communiter Sanch.[7] Lugo[8] Renzi[9] et Salm.[10] cum Aversa. 2. Si approbatus sit nominatim excommunicatus vel suspensus, quia tunc praeferendus est simplex sacerdos. Sanch.[11] Suar.[12] Renzi[13] cum Hurt. et Mazzot.[14] cum Bonac. Et hoc est certum iuxta dicta *n.* 560. 3. Si approbatus esset alienae dioecesis, quia iste respectu ad infirmum minime dicitur approbatus, ita probabilius Lugo[15] Salm.[16] cum Trull., item Henr. Aversa et Diana apud Croix[17] contra Suar.[18] et Sanch.[19] cum Zambrano. 4. Si moribundus ita horreret manifestare sua crimina confessario approbato, ut esset in periculo confitendi sacrilege; tunc enim sacerdos simplex bene posset eum absolvere adhuc praesente approbato, quia hoc valde consonum videtur benignitati matris ecclesiae, *ne hac occasione aliquis pereat*, ut di-

(1) De poen. §. 55. (2) In c. Non est vobis, de sponsal. etc. n. 4. (3) T. 4. p. 158. q. 8. (4) In princ. de offic. confess. l. 1. c. 1. v. Dico 2. (5) Loc. cit. n. 2. (6) Loc. cit. n. 6. (7) Dec. l. 2. c. 15. n. 8. (8) D. 18. n. 52. (9) C. 4. q. 11. (10) De poen. c. 11. p. 2. n. 55. (11) L. c. n. 10. (12) D. 26. sect. 4. n. 4. (13) L. c. (14) T. 3. p. 397. d. 1. (15) D. 18. n. 37. (16) Ibid. n. 40. (17) N. 1565. (18) L. c. (19) D. n. 10.

citur in Tridentino; forte enim poterit accidere quod approbatus sit inimicus, consanguineus aut obiectum peccati, et tunc non censetur ecclesia in tanta necessitate velle infirmum obligare ad ei tantum confitendum, ita probabiliter Mazzotta [1] cum Croix, ex d. Thoma et Spor. [2]. Qui idem censet procedere si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut incommodo, vel si ille simplex sacerdos esset ei manifeste magis idoneus ac utilis futurus quam parochus rusticus. 5. Si confessarius approbatus superveniat iam incoepta confessione cum sacerdote simplici, quia tunc compleri debet iudicium iam incoeptum; ita communiter Sanch.[3] Lugo [4] Mazz. [5] Renzi [6] Croix [7] cum Sylv. et Salm.[8] cum Granad. Henr. Diana Aversa Praep. Trull. etc. Hinc probabiliter dicunt Sanch. [9] Renzi [10] et Salm. [11] cum Lugo Diana et Aversa, quod si confessio facta sacerdoti simplici fuerit invalida, etiam superveniente approbato, bene poterit infirmus primo sacerdoti confiteri, quia revera ille habuit iurisdictionem ad priorem confessionem quae non censetur finita, cum invalida fuerit absolutio impertita. 6. Et ultimo casu quo sacerdos approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi, tunc omnino debet praeferri sacerdos simplex, iuxta dicta *n.* 553.

Recte tamen Lugo et Renzi [12] ac Salmant. [13] cum Aversa excipiunt casum quo moribundus esset innodatus excommunicatione reservata, tunc enim deberet, quamvis confessionem inceperit, prius obtinere absolutionem a censura, si superior sit praesens, et postea confessionem perficere. Item hic advertendum quod si poenitens iam receperit absolutionem a simplici sacerdote et postea recordetur alicuius peccati, superveniente approbato, tenetur huic confiteri, cum illa sit nova confessio, ita communiter Sanchez [1] cum Zambr. Suar. [15] Salm. [16] Renzi [17] cum Trull. Diana et aliis.

Dubitatur 1. An, praesente superiore, possit quivis confessarius moribundum absolvere a peccatis et censuris reservatis. Sic distinguendum: Quoad peccata reservata verius puto cum Antoine [18] et Auctore *de offic. confess.* apud Croix [19] contra Roncaglia [20] bene posse inferiorem ab eis absolvere, quia in articulo mortis omnis cessat reservatio, *ne hac occasione aliquis pereat*, ut declaravit Tridentinum. Ex quo recte inferunt Lugo [21] Suarez [22] Sanchez [23] cum Zambrano et Salm.[24] cum Aversa, quod si infirmus habeat peccata reservata et adsit confessarius approbatus, non poterit eum absólvere sacerdos simplex; nam licet confessarius ille non habeat facultatem super reservatis extra articulum mortis, in articulo tamen bene habet, quia tunc (ut diximus) omnis reservatio cessat.

Secus vero dicendum censeo quoad censuras reservatas, quia poenitenti ipsis innodato tenetur confessarius carens facultate imponere, ut elapso periculo mortis, se praesentet superiori, iuxta dicenda *n.* 567. Ergo si infirmus potest illi tunc ante absolutionem se sistere superiori, utique tenetur prius absolutionem a censuris obtinere, ut deinde possit a peccatis absolvi. Utrum autem teneatur eo casu adire superiorem per litteras vel confessarium, *vide in dubio sequenti* 3.

Dubitatur 2. An occurrente periculo mortis, in casibus pontifici reservatis, si non possit adiri pontifex, adeundus sit episcopus.

Prima sententia quam tenent Suar.[25] Mol. [26] et Sanch. [27] cum Henr., distinguit et dicit quod si casus sit occultus, tunc omnino adiri debeat episcopus, quia episcopi iure ordinario, ut

(1) L. c. (2) P. 260. n. 725. (3) D. c. 13. n. 15. (4) D. 18. n. 55. (5) L. c. (6) C. 4. q 12. (7) L. 6. p. 2. n. 1562. (8) De poenit. c. 11. p. 2. n. 54. (9) N. 16. (10) Q. 13. (11) Ib. n. 55. (12) Locc. cc. (13) Ibid. n. 56. (14) N. 15. (15) D. 25. sect. 1. n. 2. (16) De poen. c. 11. p. 2. n. 57. (17) Q. 13. (18) P. 523. v. Porro. (19) L. 1. c. 1. q. 25. (20) C. 1. q. 3. r. 1. (21) D. 18. n. 58. (22) D. 26. sect. 4. n. 4. (23) Dec. l. 2. d. 15. n. 10. (24) Ibid. n. 59. (25) D. 50. s. 3. n. 4. (26) T. 4. de iust. d. 65. n. 2 (27) Dec. lib. 2. c. 15. n. 9.

recte probat Sanchez [1], possunt absolvere a reservatis occultis ex concessione Tridentini [2]. Secus vero si casus esset publicus, quia tunc, excepta percussione clerici ex *c. Ea noscitur, et c. de caetero, de sent. excom.* 11. ubi expresse praecipitur adeundum esse episcopum, si nequeat adiri pontifex; in aliis vero casibus non est obligatio adeundi episcopum, eo quod in reservatis pontifici episcopi nihil possunt; e converso, cum in morte omnis cesset reservatio, tunc aequales sunt episcopus et quivis alius confessarius. Sed contradicunt communius Navar. [3] Pal. [4] cum Sayr. Ugol. Hurt. et communi, ut asserit, ac Salm. [5] cum Con. Avila Corneio etc. etiam communiter, quia, ut aiunt, praefatus textus in *c. Ea noscitur* extenditur ad absolutionem cuiuslibet censurae papae reservatae, cum eadem ratio urgeat. Unde praesente episcopo nequit confessarius absolvere a casibus papae reservatis, quia omnes casus a papa reservantur propter censuram, et censurae reservatae nequeunt ab inferiore absolvi praesente superiore, ut mox supra probavimus in dubio praecedenti. Sed hoc non obstante, non puto improbabilem primam sententiam. Dixi, *praesente episcopo:* nam si absit, *vide dicenda in dub. sequenti.*

Dubitatur 3. An quilibet confessarius possit absolvere moribundum a censuris reservatis, si possit peti facultas a superiore per litteras vel internuntium.

Prima sententia negat et hanc tenent Bon.[6] cum Zambr. et Croix[7] cum Suar. Lugo et Aversa. Ratio, quia cum huiusmodi infirmus bene satisfacere posset suae obligationi, impetrando absolutionem per procuratorem aut litteras (quod enim quis per alium facit, censetur per seipsum facere), ad id tenetur.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat et hanc tenent Azor. [8] Sporer [9] Viva [10] Sanch. [11] cum Henr. Val. et Cord. Conin. [12] Diana [13] Pal. [14] Salm. [15] cum Corneio et Avila, item Carden. Tamb. Dicast. et Stoz apud Croix [16]. Ratio, tum quia in hoc adest manifestationis periculum, quod non videtur tam remotum, ut supponunt adversarii, cum plures possint accidere casus quibus notitia peccati patefieri potest; tum quia in *c. Quamvis de sentent. excomm.* dicitur impeditus, quicumque *quolibet impedimento canonico* retrahitur, quominus romanum pontificem possit adire. Hinc Nav.[17], item Henr. Ugol. et Sayr. apud Sanch. dicunt reputari legitime impeditum qui personaliter superiorem nequit adire, etiamsi per procuratorem valeat. Et auctor apud Croix *de offic. confess.* [18] eodem modo excusat infirmum eo casu ab accersendo superiorem, si in hoc sua fama periclitaretur.

564. « Ex consuetudine quivis toleratus absolvere potest a venialibus et mortalibus alias confessis (Sed hoc hodie reprobatum est, ut vidimus *n.* 560.). Ex privilegio, religiosi mendicantes quosvis fideles absolvere possunt, iuxta tenorem suorum privilegiorum (Modo tamen non sint revocata per concilium tridentinum [19] ubi sancitum fuit nullum regularem posse confessionem saecularium etiam sacerdotum audire, nisi ab episcopis approbationem obtineat, privilegiis et consuetudine non obstantibus. Hinc damnata fuit prop. 36. ab Alex. VII. quae dicebat: *Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis quae expresse sunt revocata per concilium tridentinum.*).

» Ex concessione ordinarii directa, quicumque sacerdos approbatus, cui id ille committit (Unde fideles libere se possunt confiteri cuicumque confessario approbato. Ita commun. Pitton. [20] Mazz.[21] et Bon.[22] cum Sa Conc. Val. et

(1) C. 11. (2) In c. Liceat 6. sess. 24. de ref. (3) C. 27. n. 31. (4) De cens. d. 2. p. 11. §. 5. n. 6. (5) De censuris c. 2. p. 5. n. 65. (6) De censur. t. 1. d. 1. q. 3. p. 3. n. 5. (7) L. 6. p. 2. n. 1697. (8) L. 8. c. 19. q. 5. (9) N. 750. (10) In prop. 7. Alex. VII n. 8. (11) Dec. l. 2. c. 13. n. 14. (12) D. 14. n. 241. (13) P. 5. tr. 9. r. 6. (14) De censur. d. 1. p. 2. §. 5. n. 6. (15) Eod. tit. c. 2. p. 5. n. 65. (16) Loc. cit. (17) Man. c. 27. n. 90. ad 5. (18) C. 1. q. 25. (19) Sess. 25. c. 15. (20) De confess. n. 370. (21) T. 3. p. 295. (22) De sacr. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 55.

communi, idque fuse probat Benedictus XIV. [1]; et hoc etiam tempore paschali et invito parocho, ut Mazzot. et papa Bened. Illud enim quod dicitur in *c. Omnis etc. de poenit. et rem.* quod fideles debeant confiteri semel in anno *proprio sacerdoti*, intelligendum (ut aiunt ibi Glossa et Fagn.[2] ac Cabass.[3]) omni sacerdoti qui ab ordinario est approbatus. Et hoc saltem ex praesenti universali consuetudine hodie certum est, quidquid antiqui aliter dixerint. Hinc s. c. episc. die 3. apr. 1584 (apud Pitton.[4]) sic resolvit: *Decretum episcopi in quo habetur quod nullus confessarius, etiam ab ordinario approbatus, possit tempore paschali confessiones alicuius audire sine licentia proprii curati nullo modo est observandum, cum satis valide faciat poenitens deferendo parocho fidem confessionis auditae a persona approbata*).

565. » Denique ex indirecta is qui audit eum qui habet potestatem eligendi confessarium, quales sunt: 1. Ex iure, episcopi omnes, etsi sint tantum titulares, item superiores episcopis, ut archiepiscopi etc., item praelati iis inferiores exempti, ut abbas exemptus (non tamen abbatissa), generalis, provincialis, prior, salvis tamen privilegiis ordinum. Vide Diana[5]. 2. Ex consuetudine, cardinales qui etiam domesticis de confessore providere possunt: item pastores, imo multis locis etiam caeteri sacerdotes saeculares, ut docent Valentia Sa Suar. [6]. Religiosi tamen tenentur eligere tales, quales illis permittunt statuta: item reges et principes, quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur; denique domestici pontificis. 3. Ab homine eam habent, quibus sive pontifex sive episcopus sive parochus concessit (*Sed vide dicta n.* 544.). »

Dubitatur hic 1. An episcopi possint eligere sibi in confessarium quemcumque sacerdotem. Videbatur olim affirmandum ex *c. fin. Ne pro dilatione, de poen. et rem.* ubi dicitur: *Permittimus episcopis et aliis superioribus, necnon minoribus praelatis exemptis, ut etiam praeter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessorem.* Sed declaravit s. c. apud Fagn. [7] id tantum intelligi quod episcopi (intellige quoad episcopos, si sint extra dioecesim, nam intra possunt quidem cuique sacerdoti facultatem impertire), et alii ut supra, possint sibi eligere sacerdotem subditum aut parochum aut alium approbatum a proprio ordinario (nota *proprio*, id est ab ordinario domicilii sacerdotis, ut explicat Lugo [8]. Et idem postea confirmavit Gregorius XIII. 1. decembr. an. 1582., ut referunt Fagn. [9] et Pitton. [10]. Nomine autem *praelatorum exemptorum* veniunt referendarii, auditores rotae, protonotarii apostolici et alii praelati curiae romanae, necnon praelati regulares et abbates et alii superiores locales immediati; ita Suarez [11] Lugo [12] Diana [13] et Renzi [14].

Dubitatur 2. An cardinales possint eligere confessarium sibi et familiae. Affirmant generaliter Alphonsus de Leone et Diana ex Lugo apud Renzi [15]. Sed hoc admittendum est tantum in Urbe, nam extra non possunt, cum non alio gaudeant quam privilegio episcoporum mox supra declarato, ut recte probat Fagn. [16]. Nec censendum tenere oppositum Lugo [17] et Suar. [18]: hi enim nihil aliud asserunt, nisi quod cardinales comprehendantur in citato *cap. fin.* Concedit autem Fagn. [19] quod cardinales possint secum conducere confessarium approbatum in Urbe; et idem dicit de episcopis [20] cum Hostiensi.

An autem parochi possint sibi eligere confessarium. Omnino negandum ex prop. 16. damn. ab Alex. VII. quae dicebat: *Qui beneficium curatum ha-*

(1) Notif. 18. n. 9. (2) In c. Ne pro, de poenit. (3) L. 3. c. 8. n. 9. (4) De confess. n. 561. (5) P. 4. tr. 4. r. 1. et 2. (6) Dist. 27. sect. 3. (7) In dict. c. n. 62. (8) D. 21. n. 39. et 42. (9) L. c. (10) De confess. n. 550. (11) D. 27. sect. 2. n. 3. (12) D. 19. n. 4 (13) P. 2. tr. 2. de dub. reg. (14) T. 1. p. 557. quaest. 10. — Concessum est episcopis secum ducere confessarium iam approbatum et ei confiteri etiam in aliena dioecesi. Hom. Ap. tr. 16. n. 85. (15) T. 1. p. 557. q. 10. (16) In d. c. fin. n. d. 55. et 65. (17) D. 19. n. 5 (18) D. 27. s. 2. n. 6. (19) N. 66. (20) N. 50.

bent possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario. Dicunt tamen Wigandt [1] Spor. [2] et Elbel [3] quod parochi ex consuetudine possint confiteri sacerdoti curato vel approbato, etiam alienae dioecesis. Et hoc quidem non videtur reprobandum, ubi revera adest talis consuetudo, quia tunc adest tacitus consensus episcoporum.

566. « 1. Qui habet potestatem delegatam non potest eam subdelegare alteri, cum diversa sit potestas utendi iurisdictione et eam delegandi. Excipitur 1. nisi hoc ipsum concessum sit; 2. nisi sit delegatus ad universitatem causarum, ut v. g. si cui committeretur officium parochi absentis vel nondum sacerdotis : talis enim aliqua exercitia iurisdictionis alteri, ex praesumpta voluntate ordinarii, subdelegare posset, non tamen integrum officium. Laym. [4]. »

Generaliter igitur loquendo, nequit delegatus subdelegare, nisi id expresse sibi sit concessum. Excipitur 1. si quis esset delegatus a principe. Sed hoc intelligitur (ut explicant Laym. [5] et Castrop. [6]) cum delegatio facta est tamquam per officium; non vero si eligitur persona propter suam peritiam aut si ei committitur alicuius causae executio. Excipitur 2. si quis est delegatus ad *universitatem causarum*, quamvis non a principe. Sed in hoc etiam oportet distinguere cum Laym. [7] duplici modo posse alicui delegari iurisdictionem ad universitatem causarum: primo modo, cum ei committitur aliquod officium cui annexa est iurisdictio; idque currit etiamsi officium non sit proprium, sed vicarii, v. g. viceparochi seu vicerectoris pro parocho absente aut non adhuc sacerdote: huiusmodi vicarius bene potest iurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una vel altera causa, ut communiter dd. docent; quia tunc non tantum huic commissum est exercitium parochi, sed etiam parochi officium, cui competit non solus usus, sed adhuc delegatio iurisdictionis. Ita Sanch. [8] cum Sylv. Cov. Lop. Abb. etc. Laym. [9] Pal. [10] cum Henr. et aliis ex d. Th. [11] qui ait: *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem.* Secundo modo, cum alicui delegatur non officium, sed iurisdictio, velut privilegium perpetuo annexum suo officio aut dignitati; tunc enim talis iurisdictio reputatur tamquam ordinaria, prout est facultas impertita episcopis a Trid. in *c. Liceat* 6. [12]. Dicunt autem Rodr. et Viva [13] cum Nav. Pey. Naldo Bord. etc. quod si episcopus concederet alicui confessario facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis, posset hic confessarius subdelegare illam facultatem alteri in aliquo particulari casu; sed melius Lay. et Castr. [14] cum Con. id in eo solo casu admittunt, quo talis facultas conceditur ratione officii, v. g. parochi aut viceparochi, ut supra dictum est; sed non cum facultas datur alicui ratione suae peritiae aut probitatis: facultas enim subdelegandi tantum competit illi cui officium committitur, sed non ei cui committitur solus usus sive exercitium iurisdictionis.

» 2. Cum iurisdictio respiciat subditos, exerceri in eos potest, tam a delegato quam ordinario, quocumque loco fuerit, ut docent Sanchez Henriq. Suar. [15] et alii (Sed hodie hoc reprobatum est. *Vide dicta n.* 547.).

567. » 3. Probabile est quod absolutus in articulo mortis non teneatur se postea sistere superiori vel alteri pro reservatis, nisi haec habeant annexam censuram, ut docent Nav. Suar. March. Fill. [16] Bonac. [17] quia directe absolutus fuit (Ita verius tenent Salmant. [18] cum Sanch. Hurt. Praep. Nav. etc. *Vide de hoc dicenda de cens. l.* 7. *num.* 91.) contra Hurt. Diana [19].

(1) Tr. 13. n. 39. (2) P. 257. n. 705. (3) P. 289. n. 299. (4) Hic l. 5. t. 6. (5) De poen. c. 10. n. 14. (6) Eod. tit. p. 13. n. 15. (7) L. c. n. 12. v. Duobus (8) De matr. l. 3. d. 31. n. 1. et 15. (9) L. c. n. 10. (10) Loc. cit. n. 16. (11) Quodlib. 12. art. 31.

(12) Sess. 24. (13) Quaest. 8. art. 1. n. 13. (14) Locis sup. cit. (15) 3. p. t. 4. d. 18. s. 1. et 7. (16) T. 7. c. 10. q. 6. n. 233. (17) D. 5. q. 7. p. 1. n. 13. (18) De poenit. c. 11. p. 2. n. 21. (19) P. 4. t. 4. n. 199.

568. » 4. Improbitas aut inscitia proprii sacerdotis non dat iurisdictionem alteri: ideoque in tali casu expectandum est, aut ad superiorem recurrendum. Si tamen ignorantia esset tanta ut confessio illi facta foret invalida aut illicita, neque esset alius privilegiatus aut habens iurisdictionem, licere alteri confiteri docent Nav. Vasq.[1] Hurtad.[2]. Vide Dian.[3]. Idem licere, quando quis proprio non potest confiteri sine gravi periculo, docent Tol. Sylv. et Med. qui idem concedit, quando proprius non vult aut non potest audire, vel iniuste negat facultatem confitendi alteri, v. g. parochus concubinae. Diana[4] ex Henr. et aliis quatuor. Verum ista communiter refutantur ab aliis (Sed vide *n.* 564.).

» 5. Etsi graviter peccare possit proprius, si neget suis facultatem adeundi alterum, modo praesumere possit eos iuste petere; si tamen iniuste neget, probabilius videtur eos invalide ab alieno absolvi, ut docent Sotus Suarez Laym., etsi non improbabiliter Sylv. Henriq. Mai. Palud. Richard. Tolet. et Diana[5] putent quod valide, praesertim si sine periculo salutis, famae vel simili, non liceat suo proprio (Sed vide *n.* 564. *v. Ex concessione*).

569. » 6. Cum iurisdictio acquiratur ratione domicilii vel quasi domicilii, vel etiam actualis habitationis, hinc ii qui duobus locis habent domicilium vel quasi, possunt utrobique absolvi, ut scholares, milites, mercatores; item vagi et peregrini possunt absolvi a parocho loci in quo versantur. Vide Laym. *hic* Vasq. etc.»

Communiter docent dd. peregrinos spectata consuetudine et tacito consensu episcoporum, posse confiteri cuilibet approbato in loco ubi reperiuntur. Ita Palaus[6] Lugo[7] Conc.[8] Salmant.[9] Bon.[10] cum Suar. Vasq. etc. Limitant tamen praefati auctores, dummodo ipsi peregrini ex industria non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur. Sed Tamb.[11] Renzi[12] et Mazz.[13] cum Pont. Fill. et aliis, verius dicunt quod praedicta limitatio non est necessario servanda, ex illa regula generali iuris, quod nullus videtur fraudulenter agere qui utitur iure suo; nec autem aliunde habetur quod ordinarii in praedicto casu signum aliquod unquam dederint sui dissensus. Hasque sententias recte dicunt praefati aa. valere etiam pro implenda confessione praecepti paschalis. *Vide dicta n.* 564. *v. Ex concessione.* Et hoc hodie non est amplius dubitandum ex praesenti consuetudine universali. Per bullam tamen Clem. x. vetitum est poenitentibus accedere ad alienam dioecesim pro confessione in fraudem reservationis suarum culparum. *De hoc vide dicenda infra n.* 589.

570. « 7. Valide absolvit is qui audit confessiones, praesente vel sciente et non contradicente ordinario, v. gr. episcopo vel parocho, cui constet eum aliunde non habere iurisdictionem, quia tunc praesumitur tacite eam dare: sufficit enim, ut recte docent Fill. et Fagund.[14], facultas interpretativa et praesumpta, modo praesumptio fundetur in signis quae indicent consensum praesentem, ut fit in casu posito (Quare consensus mere internus non sufficit. Salm. ex communi[15]) (uti etiam v. gr. si parochus, qui iam absens est, alias significaverit id sibi gratum esse); nam existimatio de futuro consensu vel ratihabitione, quod scilicet quando resciverit, futurus sit contentus, non sufficit; quia consensus futurus non dat iurisdictionem pro tempore praesenti quo datur absolutio. Vide Dian.[16] Sanch.[17] Bec. Conc. qui addit peccare, si de consensu dubitans incipiat audire.

571. » 8. Peccat qui absolvit cum iurisdictione dubia, nisi necessitas urgeat: qualis est v. gr. quia poenitens diu non est confessus, vel debet com-

(1) 3. p. t. 4. q. 92. a. 2. dub. 4. (2) D. 10. dif. 15. (3) P. 4. tr. 4. res. 201. et p. 8. t. 1. r. 76. ex c. Placuit, de poenit. d. 6. (4) P. 3. t. 4. r. 79. (5) Ibid. r. 70 (6) De poenit. punct. 13. n. 12. (7) Eodem tit. d. 19. n. 7. (8) P. 344. n. 20. (9) De poenit. c. 11. p. 3. n. 53. (10) De poenit d. 5. p. 2. n. 5. (11) De poenit. c. 4. §. 3. n. 11 (12) De poenit. c. 4. q. 14. (13) T. 3. p. 405. n. 11. de poen. d. 2. §. 2. n. 2. (14) Praec. 2. l. 7. c. 2 (15) De poen. c. 11. n. 65. (16) P. 3. t. 4. r. 63 (17) De matr. l. 3. d. 33

municare, nec alius adest: tunc enim licite absolvit cum conditione hac, *si possum*, et cum onere (etsi Salas [1] hoc onus non agnoscat) alias iterum confitendi habenti iurisdictionem certam. Expedit autem tunc veniale aliquod adiicere, a quo directe, et a caeteris indirecte saltem absolvatur. Ita Regin. Suarez Coninch. [2] (Dicunt probabilius Holzm. [3] et Elbel [4] cum Babenst. sufficere ad absolvendum cum iurisdictione dubia sequentes causas: 1. Si urgeat periculum mortis. 2. Si urgeat praeceptum annuae confessionis. 3. Si poenitens deberet celebrare vel communicare, et alias infamiae notam incurreret. 4. Addunt Salm. [5] si sacerdos teneretur celebrare ex obligatione. *Vide dicta n.* 28. Probabiliter autem censent Suarez [6] et Salmanticens. [7] cum Aversa (contra Salas et Corneio) in iis casibus poenitentem non teneri ad confessionem, sed tantum ad contritionem, qua semper eget, etiamsi confiteatur). Quod si tamen ex probabili ratione dubium resolvat, nimirum habere se iurisdictionem, etsi cum formidine oppositi, absolute absolvit licite, ut docent Suar. et Praep. Lugo [8], tum quia tunc practice et moraliter est certus, tum quia papa eo casu dat facultatem, uti et in sequentibus casibus: 1. Quando communi errore, v. gr. ob titulum coloratum, putatur aliquis esse pastor, seu habere iurisdictionem, qui non est, ob censuram vel alium defectum. Bonac. [9] Diana [10]. Quod etiam, si desit titulus coloratus, probabile esse docet Diana [11] ex Pontio Molfes. et Sanchez, item [12] si quis bona fide tali confiteatur: verum id communiter ab aliis negatur. 2. Cum quis ex consuetudine, praescriptione aut bona fide absolvit, aut nescit potestatem suam revocatam, ut habent Sylv. Nav. Henr. Mald. [13] Sanch. [14] Salm. Vasq. Vide Diana [15]. 3. Quando secundum probabilem sententiam iudicatur quis habere iurisdictionem, et sacerdos sequitur favorabilem. Bon. [16] quia, quando communis est error, ecclesia dat iurisdictionem propter publicam utilitatem. Vide Suar. Diana [17] c. de Lugo [18].»

572. Hic quaeritur 1. Utrum, stante errore communi, suppleat ecclesia iurisdictionem in sacramento poenitentiae. Si error communis est cum titulo colorato sive putativo, certum est apud omnes ab ecclesia conferri iurisdictionem; ita Sanch. [19] Concina [20] Autoine [21] et Cardenas [22] cum Caiet. Palud. Soto Arm. Ang. Sylvest. Nav. et communi Et probatur ex *l. Barbarius*, *ff. de offic. praetor.*, qui textus etsi civilis, tamen, cum non sit reprobatus a iure canonico, vim habet etiam in illo, ut habetur in *c.* 1. *De novi oper. nuntiat.* utque fuse diximus *l.* 1. *n.* 106. *in fine.* Probatur etiam ex *cap. Infamis*, *caus.* 3. *q.* 7. ubi dicitur: *Si servus* (qui est incapax iurisdictionis), *dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei iudicatae firmitatem tenet.* Ratio quia ex benigna interpretatione praesumitur eo casu pia mater ecclesia ad bonum animarum supplere iurisdictionem. Bene tamen advertit Sanch. [23] quod ut ecclesia suppleat, non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet sit tantum putativus (quia forte est ex aliqua causa invalidus) tamen sit revera collatus a legitimo superiore, etsi huic vetitum sit aliunde titulum illum conferre, ut sancitur in *novella 44. c.* 1. *Auth. de tabell.*

Maius dubium fit an ex solo errore communi, sine titulo, ecclesia suppleat iurisdictionem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lugo [24] Sanch. [25] Pont. [26] Pal. [27] Suar. [28] Less. [29] Bonac. [30] Diana [31] cum

(1) T. 2. tr. 3. a. 1. (2) D. 3. dub. 5. n. 45. (3) P. 178. n. 682. (4) P. 297. n. 326. (5) De poen. c. 11. p. 5. n. 72. (6) D. 26. s. 6. (7) Ibid. (8) D. 10. n. 19. (9) D. 5. q. 5. s. 2. p. 3. n. 11. (10) P. 5. tract. 4. res. 22. (11) Ibid. res. 122. (12) P. 2. t. 2. misc. r. 43 (13) 2. p. q. 10. a. 5. (14) Mor. l. 1. c. 9. n. 55. (15) P. 1. t. 13. res. 1. (16) L. c. (17) Locc cc. (18) D. 10. n. 23.

(19) De matr. l. 5. d. 22. n. 5. (20) P. 546. n. 29. (21) P. 524. q. 2. (22) In prop. 1. damn. ab Innoc. xi. d. 2. c. 6. n. 149. (23) L. c. (24) D. 19. n. 50 (25) Dec. l. 1. c. 9. n. 55. (26) L. 5. c. 20. n. 2 (27) T. 1. tract. 1. d. 2. punct. 1. n. 9. (28) 3. p. d. 26. sect. 6. n. 6. (29) C. 29. n. 63 (30) D. 2. de peccat. q. 4. part. 9. n. 19. (31) P. 2. tr. 15. r. 2.

Molf. et aliis, item apud Carden. [1] Vill. Malder. Gran. Turr. Henr. et Martin., item Host. Innoc. Felin. etc. apud Sanchez [2]. Ratio quia, cum adest error communis, recurrit eadem ratio legum quas supra retulimus, nempe quod ecclesia pro bono fidelium praesumitur iurisdictionem supplere: cum eadem adaequata ratio communis boni valeat pro solo errore communi, et pro titulo colorato, propter quem nulla est ratio specialis, cur magis provideatur bono publico, quam per solum errorem communem.

Secunda sententia vero communior negat sufficere solum errorem sine titulo, et hanc tenent Busemb. ut supra (qui asserit primam communiter reiici) et Sylvest. [3] Ang. [4] Conc. [5] Roncag. [6] Holzm. [7] Sporer [8] Elb. [9] et Sanch. (sibi contrarius) [10] cum Nav. Arm. Tab. Cov. Caiet. Lop. Gabr. Ugol. Henriq. Palac. Arag. etc. Ratio quia, cum deest titulus coloratus, minime praesumitur ecclesia velle supplere iurisdictionem, eo quod si ecclesia cum solo errore communi iurisdictionem conferret, maius proveniret damnum fidelibus quam utilitas; plures enim sacerdotes impii ex hoc occasionem sumerent simulandi se confessarios, et sic plurimos errores et haereses possent disseminare, fideles seducendo. Sed haec ratio non omnino convincit; nam dato quod ecclesia iurisdictionem huiusmodi impiis sacerdotibus denegaret: neque impediretur quominus ipsi qui damnationem suam iam nihili faciunt, suos errores disseminarent, et versa vice fideles ob invaliditatem suarum confessionum evidenti periculo perditionis exponerentur. Unde merito primam sententiam probabilem putant Card. [11] Viva [12] Tamb. [13] et Ronc. Spor. Holzm. ac Elb. cum Henno Gobat. Herincx et Stoz. Et ideo probabiliter dicunt non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud sacerdotem qui ex communi errore confessarius reputabatur.

573. Quaeritur 2. An liceat administrare sacramentum poenitentiae cum iurisdictione tantum probabili. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia negat, et hanc tenent Conc. [14] Antoine [15] et Eliz. [16]. Ratio quia ex prop. 1. damnata ab Innoc. XI. in administratione sacramentorum non licet uti opinione probabili, ne sacramentum exponatur periculo frustrationis.

Secunda sententia vero communis docet licitum esse absolvere cum probabili iurisdictione, modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate; ita Sanchez [17] Lugo [18] (qui putat tutissimam) Bonacina [19] Pal. [20] Lessius [21] Concina [22] Filliuc. [23] Croix [24] Tamb. [25] Viva [26] Carden. [27], item Hozes Filguera Corel. et Lumbier [28] et Salm. [29] cum Turr. Vill. Reg. Aversa Salas Dic. Herincx Bonasp. et Salm. scholast. [30] cum Maldero Gran. Henr. et Gabr. Et eam vocant moraliter certam Sanchez Tamb. et Carden. [31] ac Dicast. Illsung. Gorm. Stoz etc. apud Croix. Ratio 1. quia error communis, etiamsi non adsit titulus coloratus, praebet iurisdictionem, modo opinio ab omnibus teneatur ut probabilis; nam si alii sapientes dubitarent de probabilitate, et coram Deo falsa esset, error esset, sed non communis. Verum haec ratio non convincit; nam licet praefata opinio (quod existente errore communi ecclesia supplet iurisdictionem) non sit improbabilis, ut diximus in quaestione praecedenti, tamen non est certa, ut requiritur ad licite ministrandum sacramentum. Ratio 2. quia cum quilibet sacerdos habeat potestatem directam super venialia, poenitentes qui

(1) L. c. n. 145. (2) De matr. l. 3. d. 22. n. 48. (3) V. Confessio, n. 1. q. 15. (4) Eodem verb. (5) P. 347. n. 31. (6) C. 1. q. 3. r. 3. (7) P. 179. n. 634. (8) N. 714. (9) P. 295. n. 315. (10) De matr. l. 3. d. 22. n. 49. (11) L. c. p. 75. n. 151. (12) Q. 3. a. 1. n. 16. (13) L. 3. de poenit. c. 4. §. 7. n. 17. (14) P. 548. n. 2. (15) P. 525. q. 25. (16) P. 2. l. 5. a. 15. §. 2. (17) De matr. l. 3. d. 22. n. 65. et dec. l. 1. c. 9. n. 35. (18) D. 19. n. 30. (19) Q. 7. p. 3. §. 4. n. 4. (20) T. 1. tr. 1. d. 2. p. 5. n. 9. (21) L. 2. c. 29. n. 68. (22) D. 3. n. 22. (23) Tract. 7. c. 9. n. 227. (24) L. 6. n. 117. (25) L. 3. c. 3. n. 1. (26) In dict. prop. 1. et de iubil. q. 3. art. 2. (27) In camd. prop. n. 160. (28) In dict. prop. (29) Tr. 6. c. 11. p. 3. n. 74. (30) Tr. 24. d. 12. dub. 7. §. 1. n. 80. et 85. (31) L. c.

bona fide confitentur sacerdoti habenti iurisdictionem tantum probabilem, iam valide absolvuntur eo casu, directe a venialibus et indirecte a mortalibus. Sed opinio illa, quod confessio venialium apud simplicem sacerdotem sit valida, nec etiam est certa, ut diximus *n.* 543., unde nec etiam haec ratio convincit. Ratio 3. quia ecclesia supplet iurisdictionem ex ratihabitione de praesenti, cum videat sic communiter practicari, et ob bonum animarum annuit. Ratio 4. et potior est, quia in ecclesia adest universalis consuetudo fere omnium confessariorum absolvendi cum iurisdictione probabili, ut testantur communiter Suar. [1] Lugo [2] Carden. [3] Arriaga [4] Diana [5] Croix [6] et omnes alii aa. citati pro hac secunda sententia. Communis autem sententia doctorum fundat moralem certitudinem ex praefata consuetudine; et licet contrarii illicitum putent absolvere cum iurisdictione probabili, praescindunt tamen, nec possunt negare hanc consuetudinem adesse, saltem apud partem longe maiorem confessariorum. Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse sacramentum ministrare cum iurisdictione probabili, cum ipsa consuetudo iurisdictionem praebeat, prout docent Suar. [7] Navar. [8] qui ait: *Hanc iurisdictionem magna ex parte introductam vel auctam esse consuetudine, quae vim habet dandi iurisdictionem.* Barb. [9] Card. [10] Quaranta [11] Pelliz.[12]. Idque probant ex *cap. Cum contingat* 1. *de foro compet.* ubi dicitur: *Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia vel consuetudine speciali iurisdictionem huiusmodi valeant sibi vindicare.* Ubi Glossa ait: *Quod consuetudo dat iurisdictionem.* Nec obstat prop. 1. damnata, etenim respondent Viva [13] et Wigandt [14] cum Gonet: Propositio loquitur de opinionibus circa ea in quibus nihil potest ecclesia, id est circa materiam et formam, non vero circa iurisdictionem, quae bene ab ecclesia suppleri potest, et moraliter certo praesumitur suppleri in hoc casu ob bonum animarum; unde confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, non directa, sed reflexa.

Tertia sententia, quam amplector, et tenent Suar.[15] Holzm.[16] March.[17] et Gobat. [18] Wig. [19] Spor. [20] et Elbel [21] cum Bardi Sancio et Babenst., dicit licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili, sed nonnisi quando adest causa gravis necessitatis aut magnae utilitatis, ut aiunt Elbel et Wigandt, vel causa rationabilis, ut inquiunt Suar. et Spor. Ratio huius limitationis est quia, licet ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit iurisdictionem supplere, tamen non praesumitur, nulla iusta causa accedente, velle connivere merae libertati sacerdotum. Huiusmodi autem causa (ut censent Spor. Holzman [22]) accedit: 1. Quando poenitens indigeat auxilio sive consilio illius confessarii. 2. Si complex peccati poenitentis sit notus apud confessarium, qui certa pollet iurisdictione, et ignotus apud confessarium habentem solam probabilem. Si confessarius qui habet iurisdictionem probabilem, prudenter timeat poenitentem non facturum confessionem integram apud eum qui certam habet. 4. Addit Sporer, ne poenitens incidat in aliquam aversionem vel damnosam suspicionem confessarii certi. 5. Si urgeat praeceptum confessionis, aut singularis indulgentia lucranda, vel quia diu quis non poterit confiteri.

574. « 9. Nemo tenetur unquam parocho confiteri, ne quidem in paschate. Lugo [23] cum Diana [24]. Quare parochi frustra nolunt ut parochiani confitean-

(1) D. 27. sect. 4. n. 7. (2) D. 19. n. 31. (3) N. 166. (4) D. 59. sect. 5. (5) P. 3. tr. 2. r. 3. (6) Loc. cit. (7) De rel. t. 8. l. 2. c. 9. n. 3. (8) Comment. 2. de regul. n. 65. (9) De potest. episc. p. 1. tit. 4. n. 56. (10) N. 161. (11) In summ. bull. verb. Archiep. auctoritas v. 25. (12) T. 2. tract. 10. c. 10. n. 42. (13) Q. 8. art. 2. n. 2. (14) Tr. 13. n. 91. (15) D. 26. sect. 6. n. 6. (16) P. 178. n. 685. (17) Tit. 3. q. 4. (18) Tr. 7. n. 115. (19) Tr. 15. n. 91. (20) N. 717. (21) P. 292. n. 511. (22) Loec. cc. (23) D. 19. s. 2. n. 28 (24) P. 3. t. 1 n. 33.

tur mendicantibus, etiam in paschate, cum habeant privilegium pro omnibus Christi fidelibus. Suar. Coninch. Henr. Reg. Zerola [1] et comm. apud Bonac. [2] (Et ita pariter nequit prohibere parochus ne sui subditi confiteantur confessario approbato ab ordinario loci; *vide dicta n.* 564.). Adeo ut qui docent, confessos regularibus, etiam in paschate, teneri iterum eadem confiteri suo parocho, fiant suspecti de haeresi. Diana [3] et alii (Ioan. XII. damnavit opinionem Ioannis Poliaci dicentis, confessiones factas regularibus repetendas apud curatum. Deinde Clem. VIII. an. 1592. et Clem. X. in constit. *Suprema*, decreverunt bene satisfacere confessioni annuae qui confitentur religiosis simpliciter approbatis. Vide Ben. XIV.[4]). Vi tamen huius privilegii non possunt absolvere eos religiosos aut religiosas, quae non habent facultatem extra suum ordinem confitendi, ut ex communi notat Rodr. et Camp.[5] et ex his Lay. *hic.* Quia privilegio generali non censetur derogari consuetudini vel statuto particulari, nisi id exprimatur (Clarius id explicat Pal. [6] cum Suar. Laym. etc., quia omnes religiones privilegium habent ab Innoc. IV. et aliis pontificibus, ne religiosi extra ordinem aliis confiteantur sine consensu suorum praelatorum). Usus tamen fert ut regulares peregrinantes, ex praesumpta voluntate superiorum, si ordinis socium non habeant, a quovis alio, etiam saeculari absolvantur, exceptis reservatis; in quae si religiosi societatis extra domicilium incidant, videant ordinationes praep. gener. [7] et Laym. *hic.* »

575. Religiosi peregrinantes, si habent socium sui ordinis, debent ipsi confiteri, ut dicunt communiter Laym.[8] Ronc. [9] Tamb. [10] Croix [11] Salm. [12] (qui bene addunt, modo socius ille sit idoneus, et sic etiam Laym. sentire videtur). Et patet ex verbis Innoc. VIII. ut infra. Si vero desit socius, vel alius confessarius idoneus sui ordinis, bene possunt ex praesumpta licentia praelati confiteri alteri sacerdoti idoneo regulari vel saeculari; et in hoc omnes conveniunt. Sed dubium est utrum hic sacerdos debeat esse ad confessiones approbatus. Affirmant Wigandt [13] et Antoine [14] et Concina [15] cum Vasq. etc. Alii vero communissime et verius negant, ut Suar.[16] Spor.[17] Escob.[18] Pal.[19] Elbel [20] Mazzotta [21] Ronc. [22] Tamb. [23] et Salm. [24] cum Rodr. Bordon. Anton. a Spir. s. Portel. etc. Et probatur ex concessionibus Sixti IV. et praesertim Innocentii VIII. (ut ferunt Palaus Esc. et Salm.[25]) qui dixit: *Nos igitur... fratribus huiusmodi, quos itinerari et per eorum superiores mitti contigerit, ut si aliquem presbyterorum idoneum ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcumque alium presbyterum idoneum et discretum religiosum vel saecularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire... licite possit.* Ubi apposite notant Salm. cum s. Antonin. Sylvest. et Soto, quod per tò *idoneum sacerdotem*, reputatur quilibet simplex sacerdos aptus ad excipiendas confessiones, etiamsi a nullo praelato sit approbatus, quia olim ante Tridentinum iam quilibet poterat confiteri cuique simplici sacerdoti. Praeterea dicunt praefati aa. quod praelati regulares, praebendo licentiam peregrinandi aut alibi morandi, tacite concedunt suis religiosis licentiam confitendi cuicumque sacerdoti idoneo; et hanc esse testantur consuetudinem religionum, videntibus et non contradicentibus superioribus. Nec obstat Trid. [26]; concilium enim requirit confessarium approbatum ab episcopo tantum ad confessionem saecularium, non vero regularium; neque obstat breve Bened. XIV. *Quod communi etc.* sub die 30. martii 1742. ubi concessum fuit fratribus cap-

(1) C. 15. q. 5. (2) D. 4. q. 1. sect. 2. p. ult. (3) P. 4. t. 8. r. 102. (4) Notif. 18. n. 5. (5) Privil. societ. v. Absol. §. 1. (6) P. 14. n. 11. (7) C. 6. n. 6. (8) Tr. 6. c. 10. n. 20. (9) P. 39. q. 8. r. 1. (10) De sacr. poenit. c. 5. §. 2. n. 16. (11) L. 6. n. 1524. (12) Tr. 18. c. 4. p. 2. §. 6. n. 125. (13) Tract. 13. n. 83. (14) P. 525. v. Porro. (15) P. 539. n. 14. (16) De rel. tr. 8. l. 2. c. 17. (17) P. 255. n. 635. (18) L. 16. n. 26. (19) P. 14. n. 12. (20) P. 296. n. 519. (21) T. 3. p. 474. (22) L. c. (23) De poen. l. c. n. 17. (24) D. n. 125. (25) Locc. cc. (26) Sess. 23. c. 15.

pucinis, ut in itinere confiteri possint cuicumque confessario, modo ab episcopo loci esset approbatus; tale enim breve loquitur tantum de cappucinis, qui particularem habebant constitutionem non confitendi nisi propriis confessariis. Unde perperam Cont. Tour.[1] affert praefatum breve tamquam commune respectu omnium regularium. Advertendum cum Bus. quod facultas praedicta, quam habent religiosi itinerantes se confitendi cuicumque sacerdoti idoneo, non habet locum respectu casuum reservatorum.

576. « 10. Quod si superiores regularium monialibus sibi subiectis (idem est de monialibus subiectis episcopo) non concedant aliquoties in anno alium confessarium, potest et tenetur illis eum dare episcopus; quod si nec is faciat, ipsae eligere possunt. Quintan.[2] ex declaratione cardin. apud Barbos.

Idem dicunt Palud. et sex alii apud Diana[3] quia licentia, ut aiunt, iure petita et iniuste negata, videtur a iure concessa, aut saltem a pontifice ex eius praesumpta voluntate. Sed haec sententia, ut recte dicit de Alex.[4] minime est admittenda: primo, quia videtur reprobata ex propos. 13. damnata ab Alexandro VII. quae dicebat: *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.* Praeterea videtur reprobata ex *c. Omnis utriusq. sexus, de poenit. et rem.* ubi habetur quod si quis voluerit alieno sacerdoti confiteri, etiam cum iusta causa, non possit ab illo absolvi nisi licentiam prius obtineat. Tunc autem licentia iniuste negata habetur pro concessa, quando ipsa requiritur tantum ad executionem actus, pro quo faciendo iam obtenta sit facultas; non vero quando ex ipsa licentia facultas ad actum conceditur, ut Pignat.[5]. In nostro casu autem non supponitur facultas obtenta, cum haec dependeat ab approbatione episcopi. Ex his omnibus apparet quod sententia Busemb. saltem est valde dubia, et ideo non est tuta in praxi. Idque videtur confirmatum ex bulla pastoralis Bened. XIV., edita 5. aug. 1748. ubi §. 5. sic statuitur: *Quia si episcopus... in hac re negligens esset ut monialibus suis bis terve in anno extraordinarii confessarii copiam facere praetermitteret,... tunc volumus maiorem poenitentiarium, statim ac pro parte monialium... requisitus fuerit..., extraordinarium confessarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas monialium confessiones ab ipso ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis... facultatibus concedere et deputare.* Ex quo infertur quod si episcopus negligit dare extraordinarium, nihil aliud monialibus conceditur, quam ad poenitentiarium recurrere. In eadem bulla sancitur quod moniales, etsi non teneantur extraordinario confiteri, tenentur tamen ei se sistere ad audienda monita salutaria. Item quod episcopi hoc idem observent cum conservatoriis. Item quod in articulo mortis cuilibet moniali postulanti concedatur ab episcopo confessarius particularis: et si monasterium sit exemptum, non concedente praelato regulari, assignetur ab episcopo, vel recusante etiam episcopo, a poenitentiario maiori, si tempus suppetat. Item quod si aliqua monialis renuat confiteri confessario ordinario, deputetur ei alius ab episcopo pro certis vicibus, et si monasterium sit exemptum, a praelato regulari, et ipso recusante, concedatur ab episcopo vel poenitentiario maiori. Hortatur autem pontifex episcopos ne sint difficiles ad peculiaribus monialibus extraordinarium confessarium aliquando petentibus concedendum. Demum statuit quod praelati monialium regulares teneantur bis vel ter in anno assignare extraordinarium ex probatis ab episcopo ad confessiones monialium, qui saltem semel in anno sit vel saecularis vel alterius ordinis, alias deputet illum episcopus; et eo tempore ordinarius nullius, neque abbatissae

(1) De poenit. p. 2. c. 3. a. 4. sect. 6. n. 625.
(2) T. 5. sect. 26. (3) P. 1. tr. 5. res. 59. n. 2
(4) Confess. mon. c. 6. §. 7. q. 9.
(5) L. 6. cons. 93 n. 41.

neque novitiarum audiat confessiones.

577. Insuper quoad confessarios monialium plura sunt hic advertenda. Notandum 1. quod omnes confessarii monialium indigent speciali electione et approbatione episcopi loci, ex decreto s. c. apud de Alexand. [1]. Si vero moniales sint exemptae, confessarii earum praesentantur a propriis praelatis, sed etiam ab episcopo approbantur ex *constit.* Gregorius XV. *Inscrutabili,* quam confirmavit Bened. XIII. in bulla *Pastoralis* an. 1726. die 27. mart. Et hoc etiam pro confessione culparum tantum venialium, ut decrevit s. c. apud de Alex. [2].

Not. 2. quod confessarii monialium, elapso triennio, declarantur suspensi ab audiendis ipsarum confessionibus, nisi licentiam s. c. obtineant, ex pluribus declar. s. c. apud de Alex. [3]. Et hoc valet etiam pro confessariis conservatoriorum, ex alio decreto [4]. Putat tamen probabiliter de Alexand. quod si aliquis confessarius eligitur pro supplemento, bene potest confirmari per aliud triennium post tempus supplementi, quia prohibitio de non eligendo confessario ultra triennium, prout odiosa, stricte accipienda est de electione ordinaria, non extraordinaria.

Advertit etiam de Alexand. [5] quod episcopi in aliquibus locis ratione deficientiae confessariorum idoneorum, sinunt ipsos durare ultra triennium.

Advertit idem de Alexand. cum Bordon. [6] quod aliquando moniales possunt recusare confessarium ab episcopo deputatum, ex iusta causa, nempe si confessarius sit inimicus propinquorum aliquarum monialium vel si sit nimis rigidus, etc.

Notandum 3. quod prohibentur eligi in confessarios monialium vicarii generales, parochi, si cura notabiliter laederetur, omnes regulares, ex pluribus decr. s. c. apud de Alex. [7]. Item canonici poenitentiarii, ex alia decl. s. c. concilii. Sed bene posse eligi, si episcopus aliter iudicaret, sentit de Alex. [8].

Notandum 4. quod ex declar. s. c apud de Alex. [9] praecipitur confessionalia monialium amoveri a sacristia vel aliis locis occultis, sed collocari in exterioribus ecclesiae. In necessitate tamen licet audire confessiones in alio loco, modo vitetur aspectus confessarii et monialis, ut advertit de Alex.

Notandum. 5. stipendium confessarii non posse excedere duos iulios pro quolibet die, ut ex declar. s. c. apud de Alex. [10]. Sed ipse ait, hoc videri non esse in usu. Et Diana ac Scortia dicunt quod si confessarius inserviat cum magna patientia et assiduitate, possit abbatissa aliquid amplius ei dare ultra stipendium taxatum.

Nota hic ultimo quod capellani exercituum nequeunt absolvere milites degentes in praesidiis sine facultate sedis apostolicae aut licentia ordinarii, ex pluribus declar. s. c. quas refert p. Zacharia apud Croix [11].

DUBIUM IV. Quid sit reservatio casuum et quis habeat potestatem reservandi et absolvendi ab iis.

578. *Quid sit reservatio.*

579. *Qu. 1. An sit licita et valida reservatio facta sine causa.*

580. *Qu. 2. An ignorantes reservationem casuum papalium ab ea excusentur.*

581. *Dub. 1. An excusentur ignorantes casus reservatos ab episcopis. Dub. 2. Quid si casibus episcopalibus sit annexa excommunicatio.*

582. *Dub. 1. An possint reservari peccatu venialia. Dub. 2. An peccata mere interna. Dub. 3. Quid si peccatum fuerit externe leve et interne grave.*

583. *An regulares possint reservare casus, et quos. An novitii et familiares sint exempti a casibus reservatis.*

584. *Vide quae sunt apud Busemb.*

585. *Quando possit simplex confessarius absolvere a reservatis. Dub 1. An si impedimentum sit perpetuum, possit directe absolvere. Dub. 2. An tunc poenitens teneatur confiteri ut possit communicare. Remissive ad n. 265. v. Qu. 1. Dub. 3. An tunc debeat manifestare etiam non reservata. Remissive ad eumdem n. 265. v. Qu. 2.*

586. *Quid si superior neget facultatem absolvendi.*

587. *A quo possint absolvi peregrini.*

588. *Dub. 1. Quid si peccatum est tantum reservatum in loco confessionis.*

589. *Dub. 2. Quid si est tantum reservatum in patria. Et quid, si quis discedat a patria in fraudem. Et quomodo intelligendum tò in fraudem.*

(1) Conf. mon. c. 6. §. 6. q. 3. (2) Ib. q. 2. (3) Ibid. q. 5. (4) [illegible] Q. 4 (6) Q. 6. (7) C. 6. §. 6. q. 6. (8) Q. 7. (9) Q. 8. (10) Q. 9. (11) L. 6. p. 2. n. 1518.

590. *Dub.* 5. *An peregrinus possit absolvi a censura reservata in patria.*
591. *Dub.* 4. *An peccans in aliena dioecesi, ubi casus est reservatus, incurrat reservationem. Et an excommunicationem annexam.*
592. *Dub.* 5. *An peccans in monasterio exempto vel in aliena dioecesi possit absolvi in patria a simplici confessario.*
593. *Dub.* 6. *An episcopi possint absolvere peregrinos a casibus papalibus occultis, et cum eis dispensare in irregularitatibus. An eamdem facultatem habeant vicarii capitulares et alii praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem. Not.* 1. *An episcopi possint tollere reservationem extra sacramentum. Not.* 2. *Quid, si episcopus inciderit in crimen reservatum. Not.* 3. *Quando intelligatur crimen esse occultum. An autem episcopus possit dispensare in votis cum peregrinis. Et in irregularitatibus etc. cum impeditis. Remissive.*
594. *Dub.* 7. *An facultas in cap.* Liceat, *sit pro casibus tantum ante concilium reservatis. Dub.* 8. *An episcopi possint absolvere a reservatis ab aliis episcopis. Dub.* 9. *An episcopi possint hanc facultatem generaliter committere. An possint absolvere a casibus bullae Coenae. Remissive* ad lib. 7. n. 82. et seq.
595. *An superior possit aliquando absolvere a reservatis, et pro aliis mittere poenitentem ad inferiorem.*
596. *An absolutus ab habente potestatem possit a quocumque accipere absolutionem de reservatis. Qu.* 1. *An si poenitens confiteatur bona fide vel obliviscatur reservati, valide et licite absolvatur a simplici confessario.*
597. *Qu.* 2. *An confessus superiori, et oblitus reservati possit a quocumque absolvi.*
598. *Qu.* 3. *An per confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio. Qu.* 4. *Quid si confessio fuerit sacrilega.*
599. *Qui possint absolvere a reservatis. An poenitentiarii. An mendicantes possint absolvere a casibus episcopis vel ab episcopis reservatis.*
600. *Qu.* 1. *Utrum in dubio an poenitens incurrerit casum reservatum, possit a quocumque absolvi. Qu.* 2. *Quid si postea poenitens cognoscat peccatum ut certum.*
601. *Qu.* 3. *An qui peccavit in confidentiam licentiae. Qu.* 4. *An licentia valeat pro peccatis etiam post illam commissis.*
602. *Qu.* 5. *An moniales subiaceant reservationi factae ab episcopo. Qu.* 6. *An subiaceant moniales exemptae. Qu.* 7. *An episcopus quoad clausuram possit casus monialium reservare.*

578. « Resp. 1. Reservatio haec est negatio iurisdictionis circa aliquod peccatum. Ac certum est in ecclesia potestatem esse quaedam peccata reservandi, a quibus inferiores confessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur et absterreantur a peccatis, quorum difficilem remissionem vident: quamquam, nisi graves causae sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis facile reservare, neque difficulter veniam dare absolvendi a reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debebat in aedificationem. Porro etsi quivis ordinarius potestatem habeat reservandi, in parochis tamen consuetudo eam abrogavit. Vide Suar. [1] de Lugo [2] (Adverte hic decretum s. c. concilii apud Fagnan. [3] nempe quod praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem bene possunt casus reservare).

579. Quaeritur hic 1. An sit valida reservatio facta sine iusta causa. Communiter affirmant peccare lethaliter superiores, si sine rationabili causa casus reservant. Vide Holzm. [4]. An autem invalide reservent. Affirmant p. Soto Ledesm. Henr. etc. apud Escob. [5] quia ex concilio Trid. [6] episcopis datum est reservare casus, *in aedificationem* (ut ibi dicitur), *non in destructionem*. Negant tamen communius et verius Laym. [7] Holzm. [8] Suar. [9] Lugo [10] Ciera [11] et Esc. [12] cum Sylv. Fag. etc. Ratio quia tota iurisdictio emanat ab episcopo, qui sicut potest confessariis suis, etiam parochis, non concedere facultatem absolvendi aliquem casum, ita poterit reservare; in omni autem dubio standum pro potestate superioris, qui eam possidet. Limitant vero card. Lugo et Ciera respectu parochorum, si tanta sit reservatio, ut moraliter non possent suum officium exercere, tunc autem illa reservatio tantum esset nulla, quae esset posterior et excedens.

580. Quaeritur 2. An ignorantes reservationem alicuius casus ab ea excusentur. Hic distinguendum inter casus reservatos a papa et reservatos ab episcopo. Si casus sit papalis, commune est inter dd. (contra Conc.[13]) ignorantes a reservatione excusari. Ita Suar. [14]

(1) D. 30. sect. 5. (2) D. 15. sect. 6. §. 3.
(3) In c. Cum olim, de praescript. n. 24.
(4) P. 181. n. 690. (5) L. 16. n. 470.
(6) Sess. 14. c. 7. (7) L. 5. tr. 6. c. 12. n. 5.
(8) D. n. 690. (9) P. 2. d. 39. sect. 4. n. 8.
(10) D. 20. n. 56. (11) De cas. res. d. 1. n. 15
(12) N. 472. (13) P. 575. n. 20.
(14) 3. p. d. 29. sect. 2. n. 11.

Sanchez [1] Molin. [2] Laym. [3] Viva [4] Wigandt [5] Ciera [6] Croix [7] cum Aversa et Stoz. Tamb. [8] Abel. [9] Diana [10] Pal. [11] cum Vasq. Gon. et Henriq. ac Salm. [12] cum Trull. Vidal. Moya Cai. Durand. Hurt. Gran. etc. ap. Croix [13] cum Aversa Gob. etc. et probabilem putant Lugo [14] et Mazzotta [15] cum Bon. Fag. Quarti etc. Ratio quia casus papales principaliter reservantur propter censuram, a qua certe excusat ignorantia, iuxta dicenda *l.* 7. *n.* 33. utque patet ex *cap.* 2. *de Constit. in* 6. ubi dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis perstatuta quorumcumque ordinariorum praelatis ligari nolumus ignorantes, dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Et licet in casibus papalibus non reservetur tantum censura, sed etiam peccatum, ut verius et communius docent Sanch. [16] et Suar. [17] cum d. Thoma Palud. Gabr. Maior. Navar. etc. contra Cai. Durand. et Trull.; nam alias haereticus qui bona fide confiteretur suum peccatum cuicumque confessario, maneret ab eo absolutus, nec teneretur postea illud superiori confiteri, quod non videtur probabile; attamen, quia in casibus papae reservatis immediate reservatur censura (cum in bullis dicatur *sub poena excommunicationis nobis reservatae*), et mediate peccatum quod est censura ligatum, ideo cum peccatum sit indivisibile a censura, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; contra vero, cum censura sit medium quo reservatur peccatum, sublato medio id est censura, non remanet reservatum peccatum. Si autem aliquis sciens censuram ignorabat esse reservatam; Bon. et alii apud Mazzot. [18] excusant eum a reservatione; sed melius dicit Mazzott. cum Quarti, non excusari, quia is iam consentit in poenam censurae, adeoque implicite in eius reservationem et in omnes alios effectus eiusdem, licet ignoratos.

Diximus quod casus papales ut plurimum reservantur cum censura, sed excipiendi sunt duo casus qui sunt pontifici reservati sine censura. Casus 1. est, si quis falso accusat sacerdotem innoxium de sollicitatione apud iudices ecclesiasticos sive per seipsum sive procurando ut per alios calumnia inferatur; ita ex constit. Benedicti XIV. quae incipit *Sacramentum.* Casus 2. est (ut fert auctor libri cui titulus, *Istruzione per li novelli confessori* [19]) si quis accipiat dona a regularibus utriusque sexus, nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scutorum romanorum, vel, si valeant minoris, saltem partem ad arbitrium poenitentiarii. An autem ab his duobus casibus incurrendis excuset ignorantia. *Vide mox dicenda n. seq.* Praeterea excipiunt Sanchez [20] Conin. [21] casum simoniace promoti vel promoventis ad ordines, ex bulla Sixti V. De hoc tamen casu loquens Sanch. [22] dicit illud non incurri ab ignorante, quia haec reservatio fuit imposita in meram poenam delinquentium; sed melius dicendum cum Pal. [23] non incurri, quia in *Extrav. de Simon.* huic crimini postea imposita est excommunicatio papalis.

581. Sed dubitatur 1. An ignorantes invincibiliter reservationem excusentur ab incurrendis casibus etiam ab episcopis reservatis. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia universe affirmat et hanc tenent Ciera [24], item Palud. Graff. Quintanad. etc. apud Salmant. [25], item Regin. Mald. Bass. Coriol. etc. apud Mazz. [26], ac probabilem putat Lugo [27]. Ratio, ut aiunt, quia reservatio habet rationem poenae, a qua excusat ignorantia. Hanc sententiam probabilem quoque putant Salm. [28] et Ronc. [29] (et

(1) Dec. l. 2. c. 3. n. 5. et c. 11. n. 1. et de matr. l. 9. d. 32. n. 18. (2) T. 1. de iust. d. 92.
(3) C. 12. n. 2. (4) De iubil. qu. 11. art. 1.
(5) Tr. 14. n. 58. (6) D. 1. n. 29. (7) L. 6. p. 2. n. 1614. (8) De cas. res. l. 5. c. 5. n. 7.
(9) P. 144. n. 2. (10) P. 5. tr. 9. r. 17.
(11) De poenit. p. 15. §. 2. n. 1.
(12) Tr. 13. de privil. c. 4. p. 1. §. 2. n 9.
(13) N. 1614. (14) D. 20. n. 11.
(15) T. 3. p. 455. (16) D. n. 5. (17) L. cit. n. 8
(18) Loc. cit. (19) P. 2. c. 15. n. 506.
(20) De matr. d. n. 18. (21) D. 8. n. 82.
(22) Loc. cit. (23) Loc. cit. (24) D. 1. n. 31
(25) Tr. 13. c. 4. p. 1. §. 2. n. 15.
(26) P. 455. v. Tertio. (27) D. 20. n. 11.
(28) Ibid. (29) P. 106. c. 2. q. 4.

idem sentiunt Elbel [1] Gob. [2] et Spor. [3] cum aliis, dum inquiunt ignorantem pro prima vice posse absolvi). Verum Salm. et Ronc. diversa ratione utuntur: fatentur enim reservationem non esse meram poenam, sed dicunt quod habet rationem poenae medicinalis, ut illius timore retrahantur homines ab atrocioribus peccatis; at nullo modo retrahi possunt a peccando per reservationem qui eam ignorant; unde, cessante fine adaequato reservationis in ignorantibus, cessat etiam reservatio.

Secunda sententia, quae parum differt a prima, et quam tenet Ioseph de Ianuar. [4] et probabilem putant Viva [5] et Diana [6] cum Graff. et Navar. distinguit et dicit, incurri quidem reservationem factam ab episcopo per praeceptum particulare; secus vero, si facta fuerit per legem generalem aut statutum synodale, prout sunt casus reservati qui adnotantur in tabella. Ratio quia in primo casu reservatio habet rationem medicinae, et directe respicit confessarios; in secundo autem casu, cum reservatio fiat in statuto, habet rationem poenae, et directe respicit poenitentes.

Tertia sententia vero communior cui subscribo, universe negat posse absolvi ignorantes reservationem, et hanc tenent Sanch. [7] Pal. [8] Holzm. [9] Wig. [10] Tamb. [11] Ant. [12] Conc. [13] Viva [14] et Croix [15] cum aliis communissime. Ratio quia reservatio non est quidem poena respiciens poenitentes, sed restrictio iurisdictionis respiciens confessarios, et de hoc non videtur dubitandum; nam Trident. [16] ad ostendendum quod *sacerdotes nihil possint in casibus reservatis* (ut ibi in fine declarat), haec verba praemittit: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam* (nota) *non habet iurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, ss. patribus nostris visum est ut atrociora quaedam crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur.* Ideo igitur nihil possunt sacerdotes in reservatis, quia carent iurisdictione super illis, cum episcopi ob publicum bonum quorumdam graviorum criminum iudicium sibi reservent. Patet ergo quod reservatio directe respicit confessarios, non poenitentes. Nec obstat dicere quod licet reservatio respiciat confessarios, eorumque limitet iurisdictionem, finis tamen reservationis directe respicit poenitentes, cum tantum ad poenitentium remedium reservatio instituta sit, ut nimirum a culpis atrocioribus retrahantur: unde, cessante fine adaequato reservationis in eam ignorantibus, cessat etiam reservatio. Nam respondetur quod finis reservationis non est tantum ut fideles a culpis gravioribus absterreantur, sed etiam (prout recte dicit Fagnan. [17] cum aliis) ut recipiant a superioribus poenitentias et monita ac remedia opportuniora, quae nonnisi a prudentioribus applicari expedit; ergo cum in ignorantibus non cesset adaequate finis reservationis, reservatio non cessat.

Dubitatur 2. An ignorantes excusentur a casu reservato ab episcopo, si casui est annexa excommunicatio. Certum est quod ignorantia excusat ab excommunicatione; dubium est an tunc excuset etiam a reservatione casus.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Wig. [18] Ciera [19] et Fagund. Bonac. Quarti Aversa et Ian. apud Mazzot. [20]. Ratio quia cum adnectitur casui excommunicatio, reservatio fit indivisibilis; unde qui non incurrit excommunicationem nec etiam incurrit peccati reservationem.

Secunda sententia verior negat et hanc tenent Tamb. [21] Suar. [22] Laym. [23]

(1) P. 303. n. 346. (2) Tr. 7. n. 306. (3) N. 735.
(4) De casib. reser. res. 1. (5) L. c. (6) P. 10. tr. 14. r. 63. (7) De matrim. l. 9. d. 32. n. 13.
(8) Tr. 2. d. 1. p. 19. n. 3. (9) P. 180. n. 637.
(10) Tr. 14. n. 58. (11) De cas. res. c. 1. n. 2.
(12) P. 327. q. 1. (13) P. 363. n. 2.
(14) Q. 9. a. 3. n. 2. (15) N. 1608. (16) Sess. 14. c. 7
(17) In c. Omnis, de poen. et rem. n. 90.
(18) Tract. 14. n. 58. (19) D. 1. n. 31.
(20) Tom. 3. p. 455. v. Secundo.
(21) De casib. reserv. cap. 3. num. 7.
(22) De poenit. d. 29. sect. 2. n. 11.
(23) L. 1. tract. 3. p. 2. c. 6. n. 10.

Croix[1] cum Stoz et Mazz.[2] cum Merol. Bossio et aliis. Ratio quia in hoc differunt casus papales ab episcopalibus; in papalibus enim (ut diximus) principaliter et indivisibiliter reservatur censura; in episcopalibus vero principaliter et per se reservatur casus, eique adnectitur censura, ad hoc, ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccando absterreantur; et ideo in tabella casuum reservatorum ab episcopis sic illi adnotantur: *Casus reservati, quibus est annexa excommunicatio.*

« 1. Cum non sit obligatio confitendi venialia, ea frustra reservantur, etsi fortasse possint, saltem a papa; ideoque sola mortalia, eaque nonnisi externa graviora, opere consummata, prudenter reservantur (Hinc incestus vel sodomia extra vas, non reservatur; vide Mazz.[3]. Insuper peccata reservata debent esse perfecta in sua specie: unde sodomia imperfecta, v. gr. maris cum foemina, non intelligitur reservata, ut Cont. Tourn.[4] cum Azor. Sylvio Conc. etc. ex d. Thom.[5] qui ad sodomiam requirit accessum ad indebitum sexum).

582. Hic dubitatur 1. An possint reservari peccata venialia. Negat Vasq. apud Croix[6]. Sed communissime affirmant Holzm.[7] Conc.[8] Ciera[9] et Croix[10] cum Suar. Lugo Conc. Fill. Dic. et Aversa. Ratio quia licet non sit obligatio confitendi venialia, tamen ipsa non possunt remitti per sacramentum poenitentiae, nisi ex vi iurisdictionis dependentis ab ecclesia, quae bene potest negare vel limitare.

Dubitat. 2. an possint reservari peccata mere interna. Videtur negandum, cum peccata interna, utpote occulta, non subiiciantur iudicio ecclesiae quae non iudicat de occultis. Sed communiter et recte affirmant Elb.[11] Viva[12] Antoine[13] et Croix[14] cum Suar. Vasq. Bonac. Soto Sylvio etc. Ratio quia omnia peccata etiam interna absolvuntur vi iurisdictionis quae ab ecclesia (cuius est dare iurisdictionem) bene potest restringi. Unde ecclesia reservando peccata interna non iudicat de illis, sed de absolutione ab illis quae est actus externus. Advertit tamen Tamburin.[15] ecclesiam nunquam consuevisse huiusmodi peccata interna reservare.

Dubitatur 3. An cadat sub reservationem peccatum externe leve, si interne sit grave. Affirmat Turrianus[16]. Sed alii verius et communiter negant, ut Lugo[17] Suar.[18] ac Ciera[19] cum Granad. Bon. Henriq. Sanch. et aliis. Ratio quia, licet actus externus imbibat totam malitiam actus interni, et totam mereatur poenam aeternam, tamen quoad reservationem diversa currit ratio, quia superiores non intendunt reservare peccata, nisi graviter exterius consummata, cum non soleant reservare interna.

583. « Unde Clemens VIII. statuit ut praelati religionum, si quidem velint, undecim tantum casus reservare possint, nec plures sine consensu capituli generalis pro tota religione, vel capituli provincialis pro provincia. Quod tamen de culpa tantum et non de censuris intelligendum est; potest enim praelatus aliquid praecipere sub excommunicatione sibi reservata (Sed communius et probabilius negant dd. posse praelatos imponere censuras super aliquem casum; ita Lugo[20] Sanc.[21] et Holzm.[22] cum Diana, quia hoc esset indirecte velle reservare et eludere prohibitionem Clementis. Et de hoc Cont. Tournely[23] profert decretum s. c. episcop. sub 7. iulii 1717.).

» Casus autem Clementis sunt sequentes: 1. Apostasia a religione etiam retento habitu. 2. Nocturna ac furtiva e monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes et sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit pec-

(1) L. 6. p. 2. n. 1614. (2) L. c. (3) T. 3. p. 592. n. 9. et p. 549. (4) De 6. dec. praec. a. 6. s. 2. (5) 2. 2. q. 154. a. 1. (6) N. 1604. (7) P. 132. n. 692. (8) P. 559. n. 2. (9) N. 65. (10) L. c. (11) N. 542. (12) Quaest. 9 art. 2. n. 1. (13) P. 527. q. 1.

(14) N. 1605. (15) De cas. res. l. 5. c. 4. n. 15. (16) In select. disp. p. 3. d. 31. dub. 71. (17) D. 20. n. 15. (18) De rel. l. 2. c. 18. n. 12. (19) D. 1. n. 69. (20) D. 20. n. 47. (21) L. 6. c. 1. n. 15. (22) P. 181. n. 683. (23) De poenit. p. 2. c. 3. a. 4. sect. 5. n. 555.

catum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Iuramentum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetus animati etiam effectu non secuto. 9. Occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae. 10. Falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores vel contra.

Hic notandum, quod religiosi exempti non subiacent reservationi episcopi, nec eorum novitii : Mazzotta [1] neque ipsorum familiares ut habetur ex bulla Clementis VIII. *Superna*, modo (ut ibi dicitur) *inibi sint quasi de familia, et continui commensales*. Id extendit Bordon. ad alumnos monasteriorum. Si vero novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet confessario saeculari, sed poterit a confessario religionis, ob privilegium religioni concessum. Mazzotta [2] cum Sanch. Tamb. et aliis.

584. « 2. Is qui confitetur reservatum, mittendus est ad superiorem, suadebit tamen caritas, imo aliquando coget ut ipse confessarius tacita persona et casu, a superiore veniam petat absolvendi (Ordinarie tamen loquendo, consultum est ut confessarius a subeundo tali onere se abstineat, ut Tambur. [3]). Quod si superior adiri non possit et sit causa urgens, verbi gratia, timor infamiae vel scandali, ex omissione confessionis vel communionis, tunc potest inferior absolvere a reservatis cum onere ut poenitens se postea superiori sistat (*Vide de cens. l.7.n.* 91.). Quod etiam verum est, quamvis casus censuram reservatam annexam habeat (Imo hoc est certum *ex c. De caetero, et c. Ea noscitur, de sent. excomm. Vide lib.* 7. *n.* 86.). Porro eo casu peccata non reservata tantum confiteri sufficere putant probabiliter Sotus Corduba et Gabr. Anton. Pal. Diana [4] et Lugo [5] non improbat. S. Th. tamen Suarez et alii commun. docent omnia esse confitenda, quod tutius est. »

585. Quando igitur adest impedimentum et urget gravis causa confitendi, quivis confessarius potest indirecte absolvere a casibus reservatis ab episcopo (sed etiam reservatis a papa, si episcopus non possit adiri, ut diximus *n.* 563. *dub.* 2.). Ita communiter Laym. [6] Suar. [7] Pal. [8] Concina [9] Wig. [10] Viva [11] Elbel [12] Bon. [13] et Ciera [14] Salm. [15] cum Coninch. Rodr. Henr. etc. Et hoc etiamsi peccatum sit reservatum cum excommunicatione, ut dicunt Suar. [16] Fill. [17] Salm. [18] Ciera [19] cum Lugo et Bon [20]. cum Vasq. Cano et Led. (contra Nav. Sa etc.) *Vide dicta n.* 265. *qu.* 3.

Diximus 1. si adsit *gravis causa*, nempe si nequeat adiri superior sine scandalo aut nota infamiae (ut aiunt Conc. et Wig.), vel sine magna difficultate, puta si habens facultatem longe distet (ut dicunt Laym. Elbel et Bonac.), et ex alia parte urgeat necessitas communicandi vel implendi praeceptum annuae confessionis, aut ne diu poenitens maneat in peccato mortali, ut dicunt communiter omnes praefati aa.

Diximus 2. *indirecte*, unde (iuxta sententiam probabiliorem, allatam *n.* 265. *qu.* 1.) tenetur poenitens confessario non habenti facultatem in reservata confiteri alia mortalia non reservata, ut directe ab his absolvatur et indirecte a reservatis, ac deinde tenetur, cessante impedimento, reservata confiteri confessario habenti potestatem, iuxta dicenda *in dub. seq. et de censur. l.* 7. *n.* 91. Et sic pariter, si non habeat aliud mortale non reservatum et dubitet de contritione, urgente praecepto confessionis, tenetur confiteri saltem aliquod veniale vel mortale alias confessum. *Vide dicta d. n.* 265.

Dubitatur 1. An si impedimentum

(1) T. 3. p. 458. q. 5. (2) Loc. cit.
(3) Meth. conf. c. 9. §. 4. (4) T. 2. tr. 4. res. 104.
(5) D. 14. de euchar. n. 86. (6) C. 12. n. 10.
(7) D. 31. s. 3. n. 3. (8) P. 15. (9) P. 558. n. 10.
(10) Tract. 14. n. 76. (11) Q. 9. art. 2. n. 9.
(12) N. 372. (13) P. 5. §. 5. n. 5. (14) N. 74
(15) De poenitentia c. 13. p. 6. n. 74.
(16) D. 31. s. 2. (17) N. 303. (18) Ibid. n. 75.
(19) Loc. cit. (20) Ibid.

adeundi superiorem sit perpetuum, possit tunc inferior directe absolvere peccatum reservatum sine censura, ita ut poenitens deobligetur in posterum ab adeundo superiore, si postea cessabit impedimentum. Affirmant Sanch.[1] et Salm.[2], quia (ut dicunt) nullo iure cavetur adesse onus se praesentandi ad superiorem pro peccatis sine censura reservatis, quae supponuntur eo casu directe absoluta. Sed verius docent Suar.[3] Lay.[4] et Ciera[5] cum comm., quod extra articulum mortis nullus inferior sacerdos potest directe absolvere a reservatis: *Extra quem articulum* (dicit Trid.[6]) *sacerdotes nihil posse in casibus reservatis*. Hoc vero procedit in casibus episcopalibus, nam in pontificiis regula iuris est (ut bene ait Suar.[7]) quod quoties non patet aditus ad pontificem, possit poenitens directe absolvi ab episcopo vel, cum etiam adsit impedimentum adeundi episcopum, a quolibet confessario, cum onere in posterum se praesentandi ad pontificem quando poterit, si impedimentum non est perpetuum; nam si est perpetuum, omnino liberatur, iuxta dicenda *lib.* 7. *n.* 88. De absolutione autem horum casuum papalium pro eis qui sunt impediti pontificem adire, *vide alia dicenda de cens. lib.* 7. *n.* 84.

Dubitatur 2. Utrum habens peccatum reservatum, si desit confessarius qui habet facultatem, teneatur confiteri apud inferiorem, urgente necessitate communicandi. Quamvis negativa sententia non sit improbabilis, communior tamen et probabilior est affirmativa, quia ante communionem fieri debet confessio, saltem formaliter integra, quando materialiter fieri nequit. *Vide dicta n.* 265. *quaest.* 1.

Dubitatur 3. Utrum huiusmodi poenitens volens confiteri apud inferiorem, teneatur tunc manifestare tam mortalia reservata quam non reservata. *Vide ibid. qu.* 2. ubi diximus probabilem esse sententiam negativam, nisi manifestatio reservatorum sit necessaria ut confessarius possit recte iudicare de dispositione poenitentis et opportuna remedia praescribere. Unde si confessarius interroget, tenetur omnino poenitens etiam reservata manifestare, nam (ut bene ait Lugo[8]) esto poenitens per se aliquando non teneatur aliqua manifestare, debet tamen ea patefacere, si interroget confessarius, qui ius habet agnoscendi statum eius conscientiae, tam uti iudex ut recte possit iudicare de dispositione, quam uti medicus ut remedia salutaria queat applicare. Et huic videtur collimare id quod docet d. Th.[9] qui ait: *Etiamsi sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur poenitens ei omnia confiteri ut* (nota) *quantitatem totius culpae agnoscat.*

586. « 3. Si superior iniuste neget facultatem absolvendi a reservato, posse ab alio confessario etiam directe absolvi, affirmant Henr. et Diana[10] esse probabile. Sed rectius negant Laym.[11] card. Lugo[12] (Et hanc tenendam puto cum communi quam tuentur Lugo[13] Laym.[14] Salm.[15] et Ciera[16] cum Suar. Soto Alensi Med. etc. Ratio, tum quia, ex Trid. ut supra, sacerdotes inferiores nihil possunt in reservatis, tum quia, sicut valida est iniusta reservatio, ita etiam iniusta denegatio facultatis).

» 4. Peccant superiores, si sine iusta causa difficiles se praebeant in concedendis licentiis pro absolutione reservatorum. Quintan.[17] ex Fag. Conc. et aliis 10. Et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra caritatem et iustitiam. Lugo Diana[18] (Unde ait Ciera[19] cum Suarez ex d. Th. superiorem regulariter non debere esse difficilem in concedenda facultate; ac proinde peccare si eam neget, casu quo sciat poenitentem nullo modo posse induci ad ipsum adeundum).

» 5. Si superior confessario regula-

(1) Dec. l. 2. c. 15. n. 24. (2) De censur. c. 2. p. 4. n. 46. (3) D. 30. s. 3. n. 8. (4) C. 12. n. 10. (5) N. 164. (6) Sess. 14. cap. 7. (7) Loc. cit. (8) D. 16. n. 192. (9) Suppl. 3. p. q. 9. a. 2. ad 4.

(10) P. 2. t. 4. res. 29. (11) L. 3. tr. 6. c. 15. (12) D. 29. n. 183. (13) Ib. n. 148. (14) C. 15. n. 3. (15) De poenit. c. 15. p. 4. n. 62. (16) D. 1. n. 126. (17) T. 3. n. 15. (18) P. 6. t. 6. r. 66. (19) D. 1. n. 109.

rium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, confessarius autem iudicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. Aversa[1] Lugo[2] referens sic declarasse Clemen. VIII. haberique in quarto tomo bullarii, bulla 26. Urbani VIII. (Ita etiam communiter Salmant.[3] cum Gabr. et Viva[4] qui notat quod tò *pro ista vice,* intelligitur toties quoties interciderit. Et de hoc Cont. Tourn.[5] profert decretum s. c. de consensu Urbani VIII.) et Quintan.[6] dicens non esse dubium ea de re: additque ex aliis septem probabile esse, idem posse, si viro religioso, pio, docto et prudenti, licet non ex designatis de facto, neget Diana[7] ex Pellizzario (qui vult idem esse, si poenitens ipse petat) et aliis. Imo Quint.[8] censet probabile quod idem fieri possit, si superior adiri nequeat et urgeat tempus celebrationis vel communionis, v. g. quia sine nota non potest abstinere, cum alii omnes communicent,[9] ex Trull. et aliis 6. Denique Diana[10] notat ex Suar.[11] regulares semel sine licentia suorum superiorum posse absolvi a reservatis, puta eos qui adhuc et quatenus hoc privilegium commune habent cum ff. minoribus, quorum id esse testatur Emmanuel Rodr.[12].

» 6. Nihilominus certum est posse aliquando superiorem iustis de causis negare facultatem et cogere subditum ut ad se veniat. Card. de Lugo[13]. Nam si ex casu reservato grave scandalum vel damnum communitatis timeatur, potest superior negare absolutionem donec poenitens per se vel confessarium superiori det sufficientem notitiam ad illud evitandum: alias non est satis tutus nec dispositus ad absolutionem. Quare si confessarius eo casu urgeat absolutionem, debet is attendere ut poenitens obligationi suae satisfaciat in adhibendo remedio communi malo vel damno, si sit eius periculum, quia nisi hoc faciat non potest absolvi, non ex defectu iurisdictionis, sed quia non est dispositus. Ad hoc tamen requiritur ut et obligatio poenitentis certa sit et alia remedia adhiberi non possint. Suar.[14].

587. » 7. Peregrinus, quoad reservationem, iudicandus est iuxta dioecesim in qua versatur: in qua quae reservata sint, discant pastores ex agendis aut consuetudine. »

Quaeritur igitur an peregrinus discedens in aliam dioecesim possit ibi absolvi a casibus reservatis. Si peccatum in utraque dioecesi est reservatum, commune est apud omnes non posse absolvi a quolibet confessario; ita communiter Suar.[15] Nav.[16] Lugo[17] Bon.[18] et alii passim. Posse vero absolvi a confessario habente facultatem in reservata, dicunt Suarez Bon. et Lugo[19] et p. Milante[20] ac Viva[21] cum communiori, quia (ut ait Suar.) talis poenitens iudicandus est quoad confessionem tamquam incola illius dioecesis.

588. Sed dubitatur 1. An possit absolvi a simplici confessario peregrinus habens peccatum quod est reservatum in illa dioecesi, sed non in patria.

Prima sententia affirmat quam tenent Fagund. et Stoz apud Croix[22] ac Sotus apud Viva[23] (qui probabilem putat) et alii apud Suar.[24]. Ratio quia peregrinus debet iudicari iuxta leges superioris sui, cuius tacito consensu confessarius loci eum absolvit.

Secunda sententia vero negat et hanc tenent Suarez[25] Lugo[26] Bon.[27] Conc.[28] Wig.[29] Ciera[30] et Salm.[31] cum Vill. Diana Aversa et Dic., ac probabilem etiam putat Viva[32]. Ratio, tum quia peregrinus debet se conformare legibus loci in quo se subiicit iudicio sacramentali; tum quia, sicut talis poenitens sentit commodum ut possit a quolibet con-

(1) Q. 17. s. 5. (2) D. 20. s. 4. (3) Ib. n. 65. (4) Quaest. 9. art. 4. n. 7. (5) Loc. cit. n. 551. (6) T. 3. sect. 11. (7) P. 3. res. 126. et p. 6. t. 6. res. 56. et p. 9. t. 3. r. 15. (8) L. c. (9) Ibid. (10) P. 2. tr. 2. res. 26. (11) De rel. l. 2. c. 15. (12) T. 1. qq. reg. q. 62. art. 6. (13) Loc. cit. (14) De rel. . 3. c. 5. n. 10. (15) D. 30. s. 1. n. 6. (16) Man. c. 17 n 261. (17) D 20 ● 69. (18) D. 5. q. 7. part. 5. §. 2. n. 9. (19) L. c. (20) In propos. 12. damn. ab Alexand. VII. p. 102. (21) Q. 9. a. 3. n. 5. (22) N. 1631. (23) Q. 9. a. 4. n. 4. v. Equidem. (24) D. 30. sect. 1. n. 6. (25) Loc. cit. (26) P. 20. n. 72. (27) P. 5. §. 2. n. 11. (28) P. 570. n. 4. (29) Tr. 14. n. 53. (30) D. 1. n. 61. (31) De poen. c. 15. n. 5 n. 26. (32) L. c.

fessario absolvi de peccatis reservatis tantum in sua patria, prout dicemus in dubio sequenti, ita debet sentire incommodum ut non possit absolvi a peccatis reservatis in loco confessionis. Et sic resolvit s. c. episc. 17. novemb. 1616. apud Pitton.[1]. Haec sententia est quidem communior et longe probabilior, quia peregrini, stante hodierna consuetudine (ut mox infra dicetur), nempe quod absolvantur ubique a quocumque confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum episcoporum, sed ex voluntate ecclesiae quae talem consuetudinem approbando tribuit facultatem ut habeantur ipsi tamquam incolae loci ubi confitentur; cum autem reservatio (ut probavimus *n.* 581.) respiciat confessarios, non poenitentes, confessarius loci nequit absolvere eos a peccato in quo sibi limitata est iurisdictio a suo ordinario.

589. Dubitatur 2. An possit absolvi peregrinus irretitus peccato, quod est tantum in sua patria reservatum.

Prima sententia negat et hanc tenent Auctor *de offic. confess.* apud Croix [2], item Vega Comit. Nugn. et Megala apud Diana[3] et Sot. Fag. Graff. etc. ap. Salm.[4]. Ratio quia, cum peregrinus absolvatur ex licentia sui episcopi, non videtur credibile quod episcopus qui in sua dioecesi casum reservat, non reservet etiam extra.

Secunda sententia vero communissima et verior affirmat eamque tenent Lugo [5] Suar. [6] cum Caiet. s. Antonin. et Palud. Conc. [7] Roncag. [8] Mazzotta [9] Croix [10] Cabass. [11] cum Vasq. Bon. ac Salm. [12] cum Praepos. Gabr. Henr. etc. Ratio quia sic habet universalis consuetudo, ut peregrini quoad confessionem reputentur ut incolae loci ubi versantur. Haecque consuetudo approbata est consensu praelatorum et maxime Eugenii IV. qui (uti ferunt Lugo et Salmant. [13]) approbavit quod ii qui in alieno episcopatu bona fide versantur, se gerant in ordine ad confessionem sicut incolae illius loci. Valde autem rationabilis est talis consuetudo, alias confessarii vix possent ullum peregrinum absolvere, cum saepissime accidat quod neque poenitentes neque confessarii sciant casus in aliena dioecesi reservatos.

Idque confirmatur ex bulla *Superna* Clementis X. edita 21. iunii 1670. (relata in extensum apud Croix [14]) in qua sic dicitur: *Posse autem regularem confessarium in dioecesi in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Quae limitatio valet non solum pro confessariis regularibus, sed etiam (imo tanto magis) pro saecularibus, ut recte dicunt Croix [15] Viva [16] et Ronc. [17] ex declaratione s. c. apud Dianam.

Quomodo autem intelligendum illud *in fraudem reservationis*, multum dd. discrepant. P. Conc.[18] dicit intelligi si non fiat bona fide; et in hoc revera conveniunt omnes, sed sic non explicatur ubi consistat fraus, quod est punctum difficultatis. Alii vero, ut p. Mazzotta [19] cum Tamb. et aliis, explicant tò *in fraudem*, si casus deductus sit ad forum contentiosum, secus si occultus; sed haec explicatio non videtur congrua, cum pontifex non loquatur de foro externo, sed tantum de sacramentali. Alii, ut p. Milante[20] (cui consentit Wigan. [21]) sic explicat: Tunc enim dicitur poenitens in fraudem reservationis alio migrare, quando peccavit in confidentiam absolutionis obtinendae, ubi peccatum reservatum non erat. Si vero postquam crimen commisit, ut facilius absolvatur, alio divertit, non censetur per fraudem operari, quia nullo intercedente dolo, sed causa maio-

(1) De confess. n. 620. (2) L. 1. c. 1. a. 2. q. 18. (3) P. 1. tr. 4. r. 105. (4) De poen. c. 15. p. 3. n. 23. (5) D. 20. n. 71. (6) D. 30. s. 1. n. 4. (7) P. 570. n. 4. (8) P. 106. quaest. 1. r. 2. (9) T. 3. p. 470. (10) N. 1651. (11) L. 3 c. 12. n. 1. (12) lb. n 24. (13) Locc. cc. (14) L. 6. p. 2. n. 1502. (15) N. 1651. (16) Q. 9. n. 3. art. 4. (17) P. 106. q. 1. r. 2. (18) P. 570. n. 4. (19) T. 3. p. 470. in fine. (20) In prop. 12. damn. ab Alexandr. VII. p. 102. (21) Tract. 14. n. 60

ris facilitatis a sua dioecesi abscedit: non secus ac si accederet ad aliam dioecesim, in qua idem crimen foret reservatum, sed plures adessent poenitentiarii a quibus possit absolvi. Et ita sentit etiam Pal.[1] cum Basil. de Leone (quibus adhaerent Salm. [2]) dum dicit habentem casus reservatos posse peregrinari ea intentione ut alii confiteantur. Sed huic explicationi, nempe quod illud *in fraudem* intelligatur de peccato in confidentiam, neque acquiescere valeo, cum pontifex prohibeat absolvi non qui peccant in fraudem, sed qui in fraudem migrant ad alienam dioecesim. Alii, ut Passerin. [3] et Auctor libri *Istruz. per li novelli confess.*[4], et Campione[5], dicunt poenitentem tunc migrare in fraudem, si ad solum finem obtinendi absolutionem alio discedat, sine alio rationabili motivo. Alii tandem probabilius, ut Lugo[6] cum Fagundez Roncag.[7] et Viva[8] cum Port. explicant tò *in fraudem*, quando quis alienam petit dioecesim ob principalem finem obtinendi absolutionem vitandique iudicium proprii pastoris. Ratio quia fraus dicitur intervenire ubi lex redditur elusoria, ut ait Barbosa [9]. Eluderetur autem hic reservationis lex, si poenitens alio migraret ex principali motivo petendi absolutionem. Unde bene ipse absolvi poterit, si abscesserit ad aliquam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi vel indulgentiae lucrandae, vel ut confiteatur cum minori incommodo aut citius confessionem expediat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat et tranquillitati conscientiae consulat et similia. Secus (ut diximus) si ibi accederet ex principali fine ut effugiat iudicium sui superioris vel ut facilius absolvatur. Neque tunc proderit huic poenitenti quod bona fide credat hoc ei non esse vetitum; nam licet tunc ipse non migraret cum fraude, revera tamen migraret in fraudem reservationis. Et hoc dicit Ronc. [10] procedere etiamsi poenitens accederet aliquo ad confessarium habentem facultatem absolvendi a reservatis, quia tunc etiam eadem fraus interveniret. Idemque ait Mansi[11] (cui adhaeret Ronc.[12]) de eo qui in fraudem reservationis peccatum reservatum in patria extra committeret, ad hunc finem obtinendi ibi postea absolutionem. Sed huic ego non adhaereo, quia hic non iam migraret in *fraudem reservationis pro absolutione obtinenda*, ut habetur in bulla Clementis (ut supra *hoc lib.* 589.), sed migraret alio ne incurreret reservationem.

590. Dubitatur 3. An poenitens extra dioecesim possit absolvi a censura quae tantum in patria est reservata. Affirmant Passer. [13] et alii. Sed melius negant Wig. [14] et Ronc. [15]. Ratio quia tota facultas simplicis confessarii absolvendi a censuris habetur ex *c. Nuper, de sent. excom.*, ibi autem dicitur simplex confessarius non posse absolvere a censuris quando sunt reservatae, quapropter in censuris reservatis confessarius simplex nihil potest.

591. Dubitatur 4. An peregrinus peccando in alia dioecesi, ubi casus ille est reservatus, incurrat reservationem et nequeat ibi absolvi nisi a facultatem habente.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pelliz. Diana et alii apud Mazzotta [16] qui probabilem putat; quia peregrini (ut asserit ex Sanch. Azor. Con. etc.) non tenentur legibus loci in quo versantur, nisi ibi saltem quasi domicilium habeant.

Secunda sententia tamen probabilior affirmat, quam tenent idem Mazzot. [17] et Aversa [18]. Ratio, tum quia, licet peregrinus probabilius (ut diximus *de legib. lib.* 1. *n.* 156.) non subiaceat legibus loci per quem transit, tamen ratione delicti illo tunc quo peccat fit subditus; tum quia et fortius (ut diximus *n.* 588.) confessarius, quem respi-

(1) Tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 4. (2) De leg. c. 5. p. 3. §. 2. n. 63. (3) T. 1. q. 187. a. 1. n. 562. (4) Part. 2. cap. 22. n. 503. (5) P. 63. n. 18. (6) D. 20. n. 70. (7) P. 106. quaest. 1. r. 2. (8) Q. 9. art. 3. n. 4. (9) Axiom. 102. n. 4. (10) P. 106. q. 2. (11) De cas. res. p. 1. q. 1. n. 19. (12) Ibid. (13) T. 3. q. 187. n. 470. (14) Tr. 14. n. 59. (15) P. 106. q. 1. r. 2. (16) P. 457. (17) L. c. (18) Q. 17. sect. 3.

cit reservatio, non potest absolvere peregrinos, nisi iuxta limites iurisdictionis quam habet a suo ordinario.

Incurret igitur iste peregrinus casum reservatum, non tamen incurret excommunicationem illi annexam, ut verius dicunt Coninch. [1] Suar. [2] Salm. [3] cum Sylvest. Avila Covar. ac Mazz. [4] cum Sayr. (contra Abbat. Graff. etc.) idque probant ex *cap. A nobis* 21. *de sent. excomm.*, ubi sic dicitur: *Solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab episcopo pro futuris delictis.* Ratio est, quia excommunicatio non potest ferri nisi in subditos et contumaces; peregrini autem, quamvis constituantur subditi ratione peccati; tamen, cum ante peccatum non fuerint subditi, nequeunt dici contumaces. Et hoc sive excommunicatio sit inflicta per modum sententiae particularis sive per modum statuti generalis; quia alienigenae non subiacent his censuris, nisi contraxerint domicilium vel quasi in loco ubi illae sunt latae, ut probabilius dicunt Salm. [5] cum Sanch. Less. Sylv. Bon. Candido Sayr. Avila et Covar. (*Vide dicta l.* 1. *n.* 156.). Excipit Mazz. [6] excommunicationes quae feruntur per statutum respiciens commune bonum territorii etc. *Vide dicta l.* 1. *n.* 157.

592. Dubitatur 5. An peccans intra dioecesim, sed in monasterio exempto, incurrat casum reservatum.

Prima sententia negat et hanc tenent Baucius et Henriq. apud Diana [7] qui probabilem censet. Ratio quia (ut dicunt) non incurritur reservatio, quando committitur peccatum ubi nulla est reservatio.

Secunda sententia vero communior quam amplectimur affirmat, eamque tenent Suarez [8] Con. [9] Pal. [10] Fill. [11] Conc. [12] et probabilem putant Bon. [13], et idem Diana [14] cum Bord. Salas Pasq. Vidal. etc. Ratio (ut dicunt) quia monasteria regularium, esto sint exempta quoad personas, non tamen sunt exempta quoad locum. Sed haec ratio non omnino suadet, quia (ut diximus *l.* 1. *n.* 157.) probabiliter huiusmodi monasteria etiam quoad locum sunt exempta, dum Tridentinum [15] appellat tam personas quam loca exempta. Ratio mihi potior est, quia casuum reservatio (ut diximus *n.* 581.) non iam respicit poenitentem, sed confessarium cui limitatur iurisdictio: unde confessarius qui absolutionem non ex alia impertire potest huic poenitenti quam ex facultate sui episcopi nequit illum absolvere, cum ab eodem episcopo facultas sit ei limitata. Et ob eamdem rationem idem dicendum cum Roncag. [16] Conc. [17] Salm. [18] Lugo [19] et aliis, si talis poenitens peccatum quod est reservatum in sua patria commiserit in dioecesi ubi reservatum non est: is quidem non poterit in propria dioecesi absolvi a simplici confessario.

593. Dubitatur 6. An episcopi possint absolvere peregrinos in sua dioecesi versantes a casibus papalibus et cum eis dispensare in irregularitatibus et suspensionibus papae reservatis. Quoad hanc dispensationem pertinet decisum est a Gregorio XIII. (ut refert Fagn. [20]) nihil posse episcopum cum alienigenis, etiamsi hi fungentes officio praetoris aut medici in eius dioecesi commorentur. Quoad absolutionem vero casuum, commune est apud dd. quod episcopus bene potest absolvere peregrinos a casibus papalibus, modo sint occulti, ex facultate Tridentini in *c. Liceat* 6. *sess.* 24. Ita Suarez [21] Sanchez [22] Bonacina [23] et Barbosa [24] cum Henriq. Zer. Garcia Naldo Duardo Navarro Bossio Marchino Trullench. Homobono etc. Nec obstat quod concilium hanc facultatem episcopis concesserit tantum erga *delin-*

(1) D. 13. dub. 7. n. 58. (2) De censuris d. 5. sect. 1. n. 8. (3) Eodem tit. cap. 1. p. 9. num. 117. (4) Loc. cit. et t. 4. pag. 263. (5) De censur. ibid. n. 116. et 117. (6) Loc. cit. (7) P. 10. tr. 14. r. 7. (8) De cens. d. 5. sect. 4. n. 6. (9) Dub. 13. eod. tit. dub. 7. n. 65. (10) T. 1. tr. 5. d. 1. p. 24. §. 5. n. 30. (11) Tr. 11. n. 149. (12) De poenit. p. 570. n. 5. (13) De cens. q. 1. p. 11. n. 8. (14) L. c. (15) Sess. 14. c. 5. de ref. (16) P. 106. q. 1. r. 1. (17) Loc. cit. (18) De poenit. c. 13. p. 3. n. 26. (19) D. 20. n. 72. (20) In c. Dilectus, de tempore ord. n. 36. p. 575 (21) De poenit. d. 30. sect. 2. n. 3. et de censur. d. 41. sect. 2. n. 12. (22) Dec. l. 2. c. 11. n. 8. ad 17. et de matr. l. 3. d. 25. n. 12. (23) De cens. d. 1. q. 3. p. 2. n. 5. (24) In Trid. l. c. n. 43.

quentes sibi subditos; nam, uti recte dicunt aa. praefati, subditi etiam dicuntur tales peregrini qui in foro sacramentali subiiciuntur episcopo dioecesano. Idque refert Suar.[1] declaratum fuisse a s. c. quae respondit, posse absentem a sua dioecesi absolvi ab episcopo illius dioecesis in qua moratur, non autem a suo; rationem reddens, quia concilium in dicto *c. Liceat* loquitur de absolutione sacramentali in foro conscientiae quae requirit praesentiam.

Eandem autem facultatem habent vicarii capitulares sede vacante, ut dicunt communiter Sanch. [2] Croix [3] et Salm. [4] cum Bon. Henr. et Avila. An autem eamdem facultatem habeant abbates et alii praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem. Negant Concina [5] Barbosa [6] cum Garc. Gav. Led., item Suar. [7] ex quadam declar. s. c. ubi dictum fuit: *In hoc decreto Trid. non comprehenduntur habentes iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem, sed tantum episcopi privative quoad omnes alios.* Ratio quia talis facultas specialiter episcopis est concessa, et in concessionibus stricte interpretatio facienda est. Affirmant vero Sanch.[8] Croix [9] Salm. [10] cum Henr. et Avila Fagn. [11], item Sayr. Duard. Pal. Portel. Trul. Boss. etc. apud Barb. [12]. Ratio tum quia (ut probat Fagnanus) nomine *episcoporum* veniunt etiam praelati qui habent iurisdictionem quasi episcopalem privative ad episcopos, tum quia, quando concessio facta est in iure, habet rationem legis, quae extendi debet ad omnes casus ubi eadem ratio currit; eadem autem ratio procul dubio currit tam pro episcopis quam pro huiusmodi praelatis, quia alias eorum subditi non haberent ad quem recurrerent pro absolutione praedictorum casuum. Neque obstat, ait Sanch., declaratio s. c. quia de ea non constat authentice, neque illi (ut ait) necessario standum est. An praelati regulares hanc habeant facultatem in subditos Affirmant Sanchez [13] apud Barb. [14] ob bullam s. Pii v. Sed negat Croix [15] cum Dicast. ex decr. s. c. et Mendo [16] confutat dictam bullam.

Hic autem notandum 1. ex praefata declaratione s. c. (contra id quod dicunt Salm. [17] cum Suar. Sanch. Bon. etc.) decisum esse, quod episcopi extra sacramentum poenitentiae non possunt absolvere a praedictis casibus papalibus. Idque fert Fagn.[18] declaratum fuisse etiam a Greg. XIII. Notandum 2. declaratum quoque esse a s. c. (apud Fagn.[19]) quod si episcopus inciderit in aliquod crimen, de quo fit mentio in dicto *c. Liceat*, poterit deputare proprium ipsius confessarium, esto sit extra suam dioecesim, ad se absolvendum cum eadem facultate qua ipse posset alios sibi subditos absolvere. Notandum 3. ab eadem s. c. concilii declaratum fuisse (apud Fagn. [20]) non esse tutum in conscientia qui absolveretur aut dispensaretur a proprio episcopo in casibus, sive irregularitatibus aut suspensionibus contractis ob crimen patratum coram duobus vel tribus testibus, quia Tridentinum utitur termino *occultis*, quod proprie loquendo est illius quod probari non potest. Et ita etiam sentiunt Graff. Garc. et Armendar. apud Barb. [21] asserentes dici occultum quod non potest probari. Sed alii communiter dicunt illud esse occultum quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit; ita Suarez [22] Sanchez [23] Bonacina [24] cum Avila Regin. Azor. Contin. Tournely [25] cum Sayr. Salmantic. [26] cum Pal. Henriq. Pelliz. etc., item Barbosa [27] cum Mol. Comit. Fagn. Gav. Vival. Vega Sa Gutt. Piasec.

(1) L. c. de cens. n. 10. (2) Dec. l. 2. c. 11. n. 15. (3) L. 7. n. 135. (4) De cens. c. 2. p. 5. n. 54. (5) P. 371. n. 8. (6) In Trid. sess. 24. c. 6. n. 7. (7) 3. p. t. 4. d. 30. sect. 2. n. 9. (8) Loc. cit. n. 5. et de matr. l. 8. d. 3. n. 6. (9) L. 7. n. 141. (10) L. c. (11) In c. Accedentibus de exces. prael. n. 29. (12) Loc. c. (13) N. 15. (14) Alleg. 39. n. 18. (15) Loc. cit. (16) Ibid. (17) Cit. dam. 54.

(18) In c. Dilectus de temp. ord. n. 36. p. 375. (19) Ibid. n. 34. (20) N. 37. et 38. (21) In Trid. sess. 24. c. 6. n. 25. (22) T. 4. d. 15. sect. 2. n. 2 (23) De matrim. lib. 3. d. 34. n. 35. (24) De censuris d. 1. qu. 3. p. 2. n. 1. (25) De censuris p. 1. c. 5. art. 1. r. 3. v. Possunt episcopi. (26) De censuris c. 2. p. 5. n. 39 (27) Loc. cit. n. 26.

Ugolin. Duard. Marchin. Boss. et aliis innumeris ex Glossa apud Cont. Tour. quae ait: *Quandoque dicitur occultum quod probari potest.* Hinc docent Sanch. Cont. Tourn. Bonac. cum Avila Azor. et Reg. ac Salm. [1] cum Pelliz. Henr. Pal. etc., tunc crimen dici publicum quando scitur a maiori parte oppidi, viciniae, vel collegii, modo (ut aiunt Sanch. Salm. [2] et Cont. Tourn.) saltem ibi sint decem personae.

Utrum autem episcopus possit cum peregrinis dispensare in votis et an cum impeditis adire pontificem, urgente necessitate, possit etiam dispensare in irregularitatibus et impedimentis matrimonii. *Vide dicta lib. 1. de leg. et lib. 3. de voto n. 262. et n. 332.*

594. Dubitatur 7. An facultas a Tridentino intelligatur episcopis concessa pro solis casibus et irregularitatibus papae reservatis ante concilium. Affirmant Floronus et Garcias apud Dian.[3] ex quadam declaratione Gregorii XIII. ubi dictum fuit episcopum non posse absolvere monialem frangentem clausuram ab excommunicatione occulta reservata pontifici ob bullam s. Pii v. Unde idem dicendum inferunt de aliis excommunicationibus post Tridentinum impositis. Sed valde probabiliter negant Sanch. [4] cum Sorb. Bon.[5] Delbene [6] Renzi [7] cum Suar. et Mazz.[8] ac Diana [9] cum Boss. ac Beia. Ratio, quia concilium indefinite concedit episcopis facultatem absolvendi *in quibuscumque casibus occultis etiam sedi apostolicae reservatis;* ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ad dictam autem declarationem Gregorii XIII. respondent praefati aa. de ea non constare authentice. Sed haec responsio mihi non satisfacit; nam praeter Floronum et Garciam, ut supra, ac Sanctorell. [10] atque Zecchium et alium auctorem apud Sanch. [11] qui testantur de veritate huius declarationis, magnam probationem mihi facit Fagnanus [12], qui eamdem declarat. ut firmam adducit; et huic auctori mihi me videtur in hoc fides neganda, cum ipse 15. annos functus sit munere secretarii s. c. concilii, unde melius aliis poterat callere de rebus gestis in eadem congregatione: tanto magis quod exponit factum cum suis peculiaribus circumstantiis: refert enim quod episcopus florentinus petiit an vigore Tridentini in *c. Liceat*, potuisset absolvere quamdam monialem quae occulte et ad malum finem clausuram fregerat, non obstante bulla s. Pii v. quae subiecit moniales frangentes, necnon licentiam concedentes, comitantes, etc. excommunicationi, *a qua praeterquam a romano pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant.* Plures cardinales sentiebant non posse absolvere, quia in bulla aderat clausula, *nisi in articulo mortis*, et quia bulla confecta fuerat post concilium; sed cum alii huic sententiae non adhaesissent, res delata est ad summum pontificem qui declaravit episcopum non posse absolvere; unde animadvertendum cum eod. Fagn. [13] facultati a Tridentino episcopis concessae in dicto *c. Liceat*, derogatum fuisse pro casibus contentis in duabus bullis, nempe in bulla Coenae, et in hac praefata s. Pii v. propter clausulas derogatorias, nempe in prima, *non obstantibus decretis cuiusvis concilii:* et in hac secunda, *nisi in mortis articulo.* Hinc dicimus quod quaelibet bulla, ubi adsunt praedictae clausulae, aufert facultatem episcopis absolvendi casus occultos papae reservatos. Non vero aliae bullae in quibus nulla adest derogatoria clausula, ut Dian. [14].

Dubitatur 8. An episcopi possint absolvere a casibus occultis, reservatis ab aliis episcopis etiam cum censura. Respondent affirmative Bon. [15] et p. Cutillus [16]. Ex eo quod in dicto *cap.*

(1) Loc. cit. (2) Ibid. (3) P. 7. tr. 2. r. 20. (4) Dec. l. 6. c. 15. n. 76. (5) De claus. monial. t. 1. q. 1. p. 5. n. 1. p. 692. et de censur. d. 1. q. 5. p. 2. n. 1. (6) De imm. eccl. d. 8. dub. 16. (7) T. 2. p. 285. (8) P. 460. (9) R. 20. et 22.

(10) De haeret. c. 5. dub. 1. n. 1. (11) Loc. cit. (12) In c. Dilectus, de temp. ord. n. 52. t. 1. p. 375. (13) In c. Quoniam, de const. n. 29. et 30. (14) P. 7. tr. 2. r. 21. (15) De censur. d. 1. q. 3. p. 2. n. 6. (16) Addit. ad Mancin. pract. visit. infirm. p. 3. de cas. reser. dub. 53.

Liceat Tridentini dicitur concedi omnibus episcopis facultas absolvendi *delinquentes in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis*. Ex qua particula etiam satis ostenditur comprehendi facultas absolvendi a casibus et excommunicationibus adhuc ab aliis episcopis reservatis. Hanc opinionem olim probabilem censuimus, sed postmodum negativam coacti fuimus tenere ex duplici declaratione s. c. conc. sub die 24. ian. 1711. et die 29. novemb. 1712. [1]. Sed maxime ex declaratione emanata a Bened. XIV. die 21. augusti 1752. quae incipit, *Pias Christi fidelium etc.* Cum enim in civitate Ianuensi concessum fuisset privilegium cuidam confraternitati sub invocatione *s. Mariae de Succursu*, ut confratres eligere possent quemlibet confessarium ab ordinario loci approbatum, cum facultate absolvendi eos in articulo mortis, et bis in vita a casibus *etiam sedi apostolicae* reservatis; pontifex declaravit per enuntiatum privilegium, *absolvendi facultatem . . . non vero etiam ordinariis locorum reservatis ... per nos in praecitatis nostris litteris concessam fuisse, et consequenter absolutiones . . . contra praesentis declarationis nostrae tenorem forsan de praeterito impertitas aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse sive posse, decernimus et declaramus* [2].

Dubitatur 9. An episcopus hanc facultatem Tridentini possit generaliter aliis sacerdotibus committere. Negant Henriq. Menoch. et Corduba ap. Sanch.[3] qui dicunt posse tantum delegare in casibus particularibus, non vero generaliter. Idque inferunt ex verbis concilii in dicto *v. Liceat*, ubi conceditur episcopis facultas absolvendi *per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum*. Sed probabilius et communissime affirmant posse episcopum generaliter committere vices suas quoad absolvendos casus papales occultos, quia hoc modo iam alii sacerdotes reputantur specialiter deputati. Ita Sanchez [4] Suarez [5] Barbosa [6] Layman [7] Croix [8] et Salm. [9] cum Navarr. Gran, Vega etc. Ratio quia facultas haec competit episcopis iure ordinario, cum ipsa sit annexa dignitati episcopali, et ideo bene potest alteri generaliter delegari. Hinc recte ait Sanch. [10] cum Nav. vicarium episcopi non habere potestatem absolvendi ab his casibus ex generali commissione vicariatus, nisi specialiter ab episcopo committatur. Hoc quoad absolutionem casuum : quoad facultatem autem dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus in eod. cap. episcopis impertitam dicunt Sanch. [11] ex Suar. et Barb. [12] cum aliis (contra Mar. Alter.) etiam posse ab episcopo illam delegari generaliter cuicumque sacerdoti cui episcopus suam facultatem committat; hocque ex potestate ordinaria quam episcopi habent.

Utrum autem episcopi possint absolvere ab haeresi et ab aliis casibus bullae coenae. *Vide dicenda de cens. l. 7. n. 82.*, ubi negativam sententiam tuebimur.

295. « 8. Superior, auditis solis reservatis, potest ab iis absolvere, et reliqua inferiori committere, ex causa urgente, qualis tamen non est multitudo negotiorum, ut docent Suarez Fernand. et Fill., sed alia gravior; tum quia etiam occupatissimus potest dare facultatem adeundi alterum, cum onere postea comparendi, tum quia integritas confessionis est de iure divino. »

Certum est quod nulla multitudo negotiorum potest esse sufficiens causa ad dimidiandam confessionem, ut recte ait Croix [13] cum Suarez Layman Vasq. et aliis passim, maxime hodie post prop. 59. damn. ab Innoc. XI. quae dicebat : *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium; qualis*

(1) Thesaur. resolutionum s. c. t. 1. p. 592.
(2) Vide bullar. Bened. XIV. et eumdem de synodo lib. 5. c. 5. n. 9. (3) De matr. l. 2. d. 40. n. 16.
(4) Loc. cit. n 17. et dec. l. 2. c. 11. n. 25.
(5) De poenit. d. 30. sect. 2. n. 9. (6) In Trid. sess. 24. c. 6. n. 45. (7) L. 1. tr. 5. c. 5. p. 2. n. 2
(8) L. 7. n. 155. (9) De cens. c. 2. p. 5. n. 54
(10) L. c. de matr. n. 16. (11) L. c. dec. n. 25
(12) L. c. n. 45. (13) L. 6. p. 2. n. 1254.

v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae. An autem possit superior absolvere poenitentem a reservatis, et pro aliis eum remittere ad inferiorem. Alii universe affirmant, ut s. Antonin.[1] et Palud. Caiet. Sa et Henr. apud Laym.[2], quia dicunt hanc esse ecclesiae consuetudinem. Alii vero, ut Suar.[3] Nav.[4] et Laym.[5] cum Adriano Sylv. et Cano negant hanc consuetudinem, et dicunt id tantum licere in casu gravis necessitatis, puta si superior non posset se expedire ab aliquo gravissimo negotio, et contra necessarium iudicaret personaliter audire peccatum reservatum. Idque admittunt Lugo[6] Salm.[7] Croix[8] et Pal.[9] cum Vasq. et Con. Sed in casu rarissimo, addito quod poenitens esset in necessitate communicandi, et nollet eadem peccata bis confiteri. Hoc ultimum non videtur improbabile, posito casu cum omnibus his conditionibus; *vide dicta n.* 484. *et* 487.

596. « 9. Qui a superiore absolutus est a reservatis potest ab iisdem postea absolvi a quovis: quia non sunt amplius materia necessaria confessionis.

» 10. Qui bona fide confitetur, nesciens suum casum esse reservatum, vel sacerdotem carere potestate circa illum, valide quidem absolvitur, cum onere tamen comparendi, Praep. *(Iuxta dicenda l.* 7. *n.* 91.). Similiter si confessarius probabiliter credit non esse reservatum, esto revera sit, valet absolutio, Lessius Diana[10] (Cum Lugo Dicast. et Salm.[11] et potest absolvere, etiamsi dubium sit negativum; *vide dicenda n.* 600.).

» 11. Qui confitens habenti potestatem ordinariam, delegatamve in reservata, oblitus est inculpabiliter reservatum, potest illud postêa confiteri etiam inferiori et absolvi. Quod etiam valet, saltem si prior habuerit potestatem ordinariam, etiamsi prior absolutio ob indispositionem vel alium defectum poenitentis invalida fuisset. Ratio est, quia is intendit absolvere quantum potuit, ergo saltem sustulit reservationem, quoad fieri potuit, absque sacramento. Vide Praep.[12] Merati[13] Diana[14]. »

Quaeritur 1. An in casibus allatis a Busemb., nempe si poenitens bona fide confiteatur peccatum reservatum non habenti potestatem, vel si inculpate peccati illius obliviscitur, aut de eo confiteatur urgente necessitate, confessarius simplex valide et licite ipsum absolvat.

Negat Antoine[15] et per se loquendo sua sententia satis est probabilis; ut enim diximus *n.* 265. *quaest.* 1., probabile est cum Vasquez Cont. Tourn. Armil. Gerson. Trullench. etc. confessarium simplicem omni carere iurisdictione in habentem reservata, cum non sit suus competens iudex: ideo neque a non reservatis potest eum absolvere.

Secunda sententia vero communis et probabilior affirmat, quam tenent Suar. Pal. Lugo Concina Salm. et alii allati dicto *n.* 265. Ratio quia licet confessarius non possit sine rationabili causa absolvere a non reservatis, non absolvendo a reservatis in quae potestate caret, non per hoc tamen caret potestate in non reservata; unde quando bona fide confitetur poenitens, vel habet necessitatem confitendi, tunc bene potest directe absolvi a non reservatis et indirecte a reservatis. Et cum haec sententia sit communis, ut fatetur ipse Antoine et valde probabilis, imo certe probabilior, ut diximus, bene potest deduci in praxim; nam (ut probavimus *n.* 573.) est moraliter certum quod cum opinione probabili ecclesia supplet iurisdictionem.

597. Quaeritur 2. An si poenitens confessus sit superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde cuilibet illud confiteri et absolvi.

(1) 3. p. tit. 14. c. 19. §. 6. (2) L. 5. tr. 6. c. 12. n. 8. (3) D. 51. s. 1. n. 10. (4) C. 26. n. 6. (5) L. c. (6) D. 20. n. 78. (7) De poenit. c. 8. p. 5. n. 152. (8) D. n. 1254. (9) P. 15. §. 5. n. 5. (10) P. 9. t. 9. res. 29. (11) De poen. c. 15. p. 2. n. 15. (12) In 3. p. q. 9. d. 4. n. 24. (13) T. 3. d. 30. s. 3. (14) P. 4. tr. 4. res. 124. (15) p. 329. q. 5.

Prima sententia communissima affirmat et hanc tenent Busemb. ut supra, Lugo [1] (qui vocat communem) Sanchez [2] Pal. [3] Holzm. [4] Ciera [5] Viva [6] Salm. [7] (qui etiam asserunt communem) et Escob. [8] cum Cano Fill. et Adriano Cov. et Led. Ratio quia praesumitur superior poenitentem recte dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum a quo potest; idque videtur confirmari verbis illis quae ad absolutionem praemittuntur: *In quantum possum et tu indiges etc.* Et hoc admittunt Pal. [9] Salm. [10] cum Con. et Aversa (contra alios), etiamsi confessio fiat apud inferiorem delegatum, quia adhuc censetur superior velle per illam reservationem auferre.

Secunda sententia vero negat, eamque tenent Suar. [11] Conc. [12] Antoine [13], item Sylvest. Ang. Rosel. et Gabr. ap. Lugo [14] et *forte probabiliorem* vocat Holzm. Hi dicunt non tolli reservationem sive confessio fiat superiori sive delegato. Ratio est valde urgens, quia ad auferendam reservationem requiritur ut peccatum subiiciatur iudicio superioris, eo quod finis reservationis est (ut probavimus *n.* 581.) nedum ut poenitentes a peccato absterreantur, sed etiam ut convenientem medicinam et poenitentiam recipiant. Unde non censetur ablata reservatio, nisi ex aliquo positivo indicio habeatur praesumptio, voluisse superiorem reservationem auferre, ut recte dicit Concina; vel nisi poenitens (ut ait Suarez [15]) ad hunc finem adiverit superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit. Necnon, bene excipit Suar. [16], quando privilegium fuerit concessum in favorem poenitentis, prout est privilegium iubilaei et bullae *Cruciatae*. Caeterum, praecisis istis tribus exceptionibus, hanc secundam sententiam probabiliorem censeo, et hanc Sylvius [17] tenet ut veram cum Sylvestr. Angelo Adriano Navar. Covar. Bonac. Sa Coninch. et aliis pluribus, quibus consentit Pontas. [18] et adhaeret Contin. Tourn. [19]. Licet prima videatur etiam probabilis, tum ob auctoritatem dd. qui (ut fatetur ipse Concina) communiter eam docent; tum quia probabiliter potest praesumi superior consentire ut auferatur reservatio semper ac poenitens confitetur apud habentem potestatem. Omnino tamen dicendum puto, reservationem non auferri, quando adesset positiva praesumptio, quod si superior audivisset peccatum reservatum absolutionem distulisset.

598. Quaeritur 3. An per confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio. Negat p. Conc. [20] sive confessio fiat ordinario sive confessario delegato. Ratio quia superior non tollit reservationem, nisi sacramentaliter absolvendo, unde quando confessio est invalida non aufertur reservatio; inferior contra, cum nihil possit in reservata extra sacramentum, quoties sacramentum est nullum peccata manent reservata. Sed communis sententia et probabilior affirmat et hanc tenent Suarez [21] Wigandt [22] Lugo [23] Pal. [24] Holzm. [25] Ronc. [26] Viva [27] Croix [28] Bon. [29] cum Vasq. Fill. Reg. Nugno Rodr. etc. ac Salm. [30] cum Sylvest. Cai. et Conc. Ratio quia reservatio principaliter ordinatur ut peccata deferantur superiori utque ipse super ea ferat iudicium praebendo monita salutaria ac poenitentiam imponendo; unde semper ac subditus suum peccatum subiicit iudicio superioris vel alius habentis facultatem, iam obtinetur finis reservationis. Nec valet dicere quod tam ordinarius, quam delegatus, non tollunt reservationem nisi per absolutionem sacramentalem, quae

(1) D. 20. n. 85. et 89. (2) De matrim. l. 8. d. 15. n. 21. (3) P. 15. §. 15 n. 5. (4) P. 184. n. 697. (5) D. 1. n. 90. (6) Q. 9. art. 4. n. 2. (7) De poenit. c. 15. p. 3. n. 45. (8) L. 16. n. 510. (9) L. c. (10) L. c. n. 45. (11) D. 31. s. 4. n. 12. (12) P. 573. n. 14. (13) P. 550. qu. 6. (14) D. 20. n. 85. (15) N. 15. (16) N. 29. (17) T. 4. suppl q 20. art. 2. (18) Cas. 25. (19) De poen. p. 2. c. 8. a. 4. s. 6. n. 530. et seq. (20) P. 674. n. 16. (21) D. 31. sect. 4. n. 10 (22) Tr. 14. n. 77. (23) Dist. 20. n. 106. (24) P. 15. §. 6. n. 2. (25) P. 185. n. 696. (26) P. 109. quaest. 6. r. 2. (27) De iubilaeo quaest. 11 art. ult. n. 2. (28) N. 1475. (29) Dist. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 9. (30) De poenit. c. 13. p. 3. n. 41.

hic deest, cum confessiò sit nulla; nam respondetur quod superior bene potest sine absolutione sacramentali, ut fatetur ipse Conc., reservationem auferre. Esto autem inferior non possit tollere reservationem nisi per sacramentalem absolutionem; attamen, cum subditus peccatum ei defert, tunc superior ipse, cum iam consequatur finem reservationis, censetur illam auferre vigore consuetudinis (ut dicunt Salmanticenses) communi dd. auctoritate firmatae.

Quaeritur 4. An tollatur reservatio per confessionem culpabiliter nullam.

Prima sententia negat, eamque tenent Concina Holzm. Viva Croix [1] eamque absolute veram vocat Roncagl. [2] citans Lugonem et Salm., sed non bene, nam isti omnino oppositum tenent. Ratio quia non praesumitur superior velle quod subditus ex sua iniquitate commodum reportet. Haec sententia est quidem valde probabilis, sed contraria est longe communior nec caret sua probabilitate.

Secunda sententia igitur affirmat et hanc tenent omnes aa. allati pro secunda sententia in quaestione praecedenti, exceptis citatis in quaestione praesenti. Ratio quia pro confessione sacrilega currit eadem ratio ac pro inculpate nulla; alius enim est finis confessionis, alius reservationis: finis confessionis est ut remittatur peccatum, finis autem principalis et directus reservationis est ut huiusmodi peccata reservata committentes subiiciantur iudicio superioris; ergo cum subditus peccatum suum superiori defert et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, iam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Quod autem peccator ex tali iniquitate commodum reportet, hoc per accidens evenit, nam licet ex voluntate interpretativa nolet auferre reservationem, si sacrilegium agnosceret, tamen ex voluntate actuali tunc iam vult auferre.

Recte vero excipiunt Wig. et Lugo cum Suarez et Vasq. si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum; vel si (ut ait Lugo) illa sacrilega confessione inculpabiliter obliviscatur confiteri peccatum reservatum, quia minime praesumitur superior in tali sacrilega confessione velle auferre reservationem peccati sibi non delati. Item excipit Suar. si poenitens habuerit animum non vitandi in posterum peccatum illud reservatum vel non implendi poenitentiam impositam; dicit vero tolli reservationem, si animum mutet. Item recte addit Bonacin. semper teneri poenitentem, etiamsi postea ab inferiore de illo peccato reservato absolvatur, implere poenitentiam a superiore impositam. Item excipienda est (ut diximus *n.* 537.) confessio invalida sive culpate sive inculpate facta in iubilaeo; quia ibi, cum pontifex non praebeat facultatem absolvendi reservata, nisi ad finem ut fideles lucrentur iubilaeum, non censetur velle auferre reservationem si illi iubilaeum non lucrantur. *Vide dicta n.* 537. *qu.* 2.

599. « Resp. 2. A reservatis absolvere potest 1. Ipse reservans. 2. Eius in spirituali iurisdictione superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior, quando superior adiri non potest, v. gr. a reservatis papae absolvere potest episcopus eos qui Romam ire non possunt. »

Poenitentiarii maiores cathedralium, quamvis habeant potestatem ordinariam absolvendi, non possunt tamen absolvere a reservatis episcopo vel ab episcopo, et tanto minus eam delegare, ut habetur ex declarat. s. c. concilii die 6. iulii 1647. apud Pitton [3]. Idque tenent Viva [4] Ronc. [5] Barbosa [6] et Diana [7] qui reprobat contrariam consuetudinem (si forte alicubi adest) tanquam irrationabilem.

« Resp. 3. Extra periculum mortis, *de quo vide dicta dubio superiore*, nullus inferior per se et directe absolvere potest, nisi ex iure vel privilegio con-

(1) Loc. cc (2) R. 3. (3) De confess. n. 331.
(4) Q. 9. art. 4. n. 1. (5) P. 108. q. 1. r. 2.
(6) Coll. 531. n. 24. (7) P. 9. tr. 3. r. 11

cedatur. Dicitur 1. autem *per se;* quia de indirecta, et per accidens colligitur ex dictis.

» Dicitur 2. *Nisi*, *etc.* quia a casibus papalibus absolvere potest episcopus per se vel vicarius, quando sunt occulti, ut docet Nav. [1].

Unde resolves:

» Mendicantes ex vi iuris communis non possunt absolvere a reservatis episcopo: quia ut sic non habent potestatem maiorem parochis, et privilegium quod circa hoc habuerunt, sublatum est decreto Urbani VIII. an. 1628. (Hoc etiam confirmatur ex propos. 12. inter damnatas ab Alexand. VII.). Excipit tamen Aversa cum Diana [2] eos casus qui episcopis a iure tantum reservantur; imo Quintan. [3] affirmat regulares adhuc posse absolvere, sicut ante decretum, eo quod hoc in provinciis non sit promulgatum, quod Dian.[4] non audet probare, nisi ad episcopum non pateat recursus; tunc enim ab ipsis reservatis posse absolvere, sicut possunt a papae reservatis. Granat. Diana [5]. V. etiam Praep. [6]. »

Certum est quod regulares nequeunt absolvere a casibus reservatis ab episcopis, ut communiter dicunt cum aliis Salm. [7] Viva [8] et Cabassut. [9] ex bulla Greg. XIII. *Cum a sacra.* Et hoc sive casus sint reservati ab episcopo sive ab eius synodo, ut recte ait Croix [10] cum Viva (quidquid dicat Pellizz.); nam id quod agitur a synodo, principaliter ab episcopo agitur, qui est caput illius.

An autem regulares possint absolvere a casibus episcopis a iure communi reservatis, *vide infra lib.* 7. *n.* 99., ubi dicemus probabilius esse quod possint, exceptis tamen sex casibus a Clem. VIII. reservatis, nimirum, percussio clerici, duellum, violatio immunitatis ecclesiasticae, violatio clausurae monialium ad malum finem, simonia realis et simonia confidentialis; facultas enim a praedictis casibus absolvendi expresse a Clem. fuit regularibus adempta. *Vide lib.* 7. *n.* 95. Probabiliter igitur absolvere possunt procurantes abortum foetus animati, cum hic casus non fuerit a Clemente reservatus; *vide cit. n.* 99. *in fin.*

600. « Resp. 4. Si confessarius dubitet an poenitens lapsus sit in mortale reservatum, si quidem dubium sit positivum, potest (sequendo opinionem probabilem et iudicando probabiliter non esse reservatum) absolvere. Si vero dubium sit negativum, posse absolvere negant aliqui, ut Armill. Cord. etc. Probabilius affirmant Suar. Filliuc. Henr. Hurt. Bon. Lugo [11]. »

Quaeritur 1. Utrum in dubio an poenitens incurrerit casum reservatum, possit illud absolvere simplex confessarius. Si dubium est facti, nempe si poenitens dubitet an peccaverit graviter vel non, communior est sententia quod possit absolvi a quolibet confessario; quia reservatio est strictae interpretationis, unde debet intelligi de peccatis certe gravibus; ita Concina [12] Suar.[13] Lugo [14] Sanch.[15] et dd. mox infra citandi cum aliis passim (contra Wigandt [16]). Si vero dubium est iuris, nempe si quis dubitaret an aliquod peccatum sit reservatum, negant Concina et Wigandt [17], item Arm.[18] et Antoine [19]. Ratio quia cum dubitatur an peccatum sit reservatum, dubitatur etiam an confessarius facultatem habeat absolvendi, unde confessarius dubiam tantum habens facultatem, non potest absolvere. Sed pariter communiter affirmant dd. ut praeter Suar. Lugo Sanchez [20] docent Fill.[21] Bonac.[22] Escob.[23] cum Sa Anacl.[24] Tamb.[25] Elb.[26] Viva [27] Diana [28] Spor.[29] cum Gob. et Quintan. et Salm.[30] cum Aversa Portel. Dicast. Henr. Hurt. et aliis. Et hoc, sive du-

(1) C. 27. (2) P. 8. t. 7. res. 71. (3) T. 1. tr. 3. s. 14. (4) P. 9. t. 6. r. 51. (5) P. 5. tit. 14. n. 58. (6) Q. 19. d. 1. (7) De poen. c. 15. p. 3. n. 52. (8) In propos. 12. damn. ab Alexandro VII. n. 13. (9) Theor. iur. l. 1. c. 11. n. 5. (10) N. 1628. (11) D. 20. sect. 2. (12) P. 567. n. 15. (13) De censur. d. 49. sect. 6. n. 5. (14) Dist. 20. n. 12. (15) Dec. l. 1. c. 10. n. 25. (16) Tr. 14. n. 53. (17) L. c. (18) V. Casus n. 15. (19) P. 528. q. 2. (20) Locc. cc. (21) Tract. 21. c. 4. n. 172. (22) P. 5. §. 4. n. 5. (23) Lib. 16. n. 447. (24) P. 624. n. 4. (25) De cas. res. l. 5. c. 4. n. 7 (26) N. 645. (27) Q. 9. a. 2. n. 4. (28) P. 4. tr. 3. r. 4. (29) P. 152. n. 755. (30) De poen. c. 15. p. 2. n. 15.

bium sit positivum vel negativum, quia in utroque eadem ratio currit. Ratio autem est, tum quia (ut diximus) reservatio stricte interpretatur, tum quia melior est conditio possidentis, unde licet dubitetur an peccatum sit reservatum, certum tamen est confessarium suam possidere facultatem absolvendi. Praeterquam quod cum haec sententia sit communis et certe probabilis, certum etiam est ecclesiam iurisdictionem supplere, iuxta dicta *n.* 573., et sic respondetur rationi oppositae. Neque obstat, ut obiicit Conc., quod Clemens VIII. prohibuerit omnibus confessariis etiam privilegiatis absolvere a casibus, *etiam dubiis in bulla coenae reservatis*, et in extrav. *Perlectis* declaretur percussio clerici esse reservata papae, etiam quando dubitatur num sit levis vel gravis; nam huiusmodi prohibitiones magis firmant nostram sententiam, quod confessarius in aliis casibus possit absolvere, qui sunt dubie reservati; exceptio enim firmat regulam. Hic autem sciendum quod Clemens (ut referunt Ronc. et ipse Antoine [1]) anno 1602. decretum illud moderavit de medio auferens verba illa, *dubie reservatis*.

Limitant vero hanc sententiam Bonac. et Sanch. [2] ac Bonasp. et Alph. de Leone apud Salmant. [3] (atque probabile putat Diana [4]) si crimen in foro externo habeatur ut certum, quia tunc idem iudicium formandum est pro foro interno. Sed verius refutant hanc limitationem omnes aa. pro nostra sententia citati, et signanter Salm. Lugo Escob. Sporer et Tambur. Ratio quia in foro externo non creditur poenitenti, quia nemo in causa propria testari potest; aliud tamen est in foro interno, ubi omnino credendum est poenitenti, cum ipse tantum possit esse suae conscientiae testis.

Quaeritur 2. An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum. Negat Concina, quia, licet peccatum dubie reservatum ob dubietatem facti possit absolvi a quolibet confessario, tamen quando de illo poenitens postea certe recordatur tenetur adire superiorem; confessio enim peccati dubie reservati non efficit quin peccatum illud sit reservatum. Sed communiter alii affirmant, ut Lugo [5] Escob. [6] Sporer [7] Viva [8] cum Bald. ex Sanchez [9] et Salmant. [10] cum Dicast. Aversa et aliis. Ratio quia cum peccatum dubie reservatum est confessum, iam directe est absolutum (ut ipse Concin. [11] concedit), ac proinde manet directe ablata reservatio: unde, quamvis teneatur poenitens, cum recordatur peccati certi, prius confessi ut dubii, illud iterum tanquam certum confiteri, ut ad supplendam integritatem illud exponat uti erat in conscientia, eiusque cognitam gravitatem confessario manifestet, iuxta dicta *n.* 478.; tamen non tenetur amplius se sistere superiori pro ablatione reservationis, quia, ablato peccato, ablata est etiam reservatio.

601. Quaeritur 3. An absolvi possit a reservatis qui peccavit in confidentiam licentiae. Videtur negare Covarr. et alii apud Lugo [12]. Sed affirmandum cum communi sententia quam tenent Sanch. [13] Fill. [14] Lugo [15] cum Vill. Led. etc. ac Salmant. [16] cum Bonac. Molf. Aversa Gabr. etc. Ratio quia, esto concedens licentiam nolit ut peccatores propter ipsam facilius peccent, non tamen excludit quominus ii qui occasione eius peccaverint, possint absolvi, si vere proponant illud vitare.

Quaeritur 4. An licentia data de absolvendis reservatis extendi possit ad peccata post ipsam commissa. Distinguendum: Si concessio facta fuit praecise pro peccatis narratis vel per tot vices commissis, tantum pro eis valere potest. Secus vero si licentia est concessa indefinite; ita communissime et valde probabiliter Lugo [17] cum Bonac et Praepos. Ronc. [18] cum Passer. Mans

(1) Lucc. cc. (2) Lucc. cc. (3) Ibid. n. 14. (4) L. c. (5) Dist. 20. n. 22. (6) L. 16. n. 451 (7) T. 262. n. 754. (8) Quaest. 6. art. 2. n. 4 (9) Dec. l. 4. c. 44. (10) De poen. c. 15 p. 2. n. 16 (11) N. 15. (12) Dist. 20. n. 129. (13) Dec. l. 4. c. 54. n. 18 (14) Tr. 3. n. 262. (15) N. 150. (16) Ibid. p. 5. n. 40 (17) Dist. 20. n. 122. (18) T. 110. q. 7.

et Gabr. ac Salm. [1] cum Aversa Leand. Dic. etc. Dummodo, recte limitant, non interponatur magna distantia (puta ultra mensem, ut ait Ronc. cum Mansi) inter concessionem licentiae et commissionem novarum culparum: intellige, si pro quodam particulari poenitente sit tantum impertita licentia. Item bene advertit Roncagl., praefatam sententiam non procedere, si licentia impertita fuerit intuitu alicuius festivitatis.

602. Hic addenda sunt aliqua circa reservationem casuum respectu monialium.

Quaeritur igitur 5. An moniales subiaceant casibus et censuris ab ordinario in dioecesi generaliter reservatis. Negant Cesped. et alii apud de Alex. [2] quia (ut dicunt) moniales, cum indigeant speciali directione episcopi, iuxta regulas ipsarum, non comprehenduntur legibus conditis ad directionem universalem populi. Addunt, quia verba quae possunt accipi in genere et in specie, in materia odiosa, ut est reservatio, in specie sumi debent, ut Seraph. [3]. Affirmat vero subiacere communis sententia cum Diana Bord. et de Alex. [4]. Quia, quando verba generalia concurrunt cum verisimili mente legislatoris, tunc omnes comprehenduntur qui in lege non sunt expresse excepti. Et haec est verior.

Quaeritur 6. An praedictae reservationi subiaceant etiam moniales exemptae. Affirmat probabiliter Tambur. [5], quia in *constit. Inscrutabili* Greg. xv. statuitur quod confessarii monialium exemptarum omnino approbandi sint ab episcopo loci: episcopus igitur (ait Tamb.) sicut potest his confessariis limitare in approbatione tempus, locum et personas, sic etiam potest limitare casus. Negant vero adhuc probabiliter Pelliz. et Quintan. apud Tambur. [6] ac p. de Alexand. [7] cum communi, ut asserit: quia monasteria exempta sunt prorsus extra iurisdictionem episcopi, ac si essent extra territorium, ut communiter [8] dicunt Bonac. Bord. etc. Et quamvis episcopus debeat approbare earum confessarios quoad idoneitatem, non potest tamen ipse limitate eos approbare, cum expresse in *constit.* Clementis x. *Superna* dicatur posse ab episcopo limitari tempus, locum et personas, sed nihil dicitur de peccatis, quae aliunde a praelatis regularibus monialibus exemptis iam reservantur.

Quaerit. 7. An episcopus circa clausuram, ut delegatus sedis apostolicae possit reservare casus quoad moniales exemptas, v. gr. si ostio aperto loquantur cum saecularibus. Affirmat de Alex. [9] cum Baucio. Ratio quia (ut dicunt) stante delegatione concessa a Tridentino [10] episcopis, respectu ad clausuram, habentur moniales tanquam non exemptae, ita ut in casu transgressionis, ipsae non iam a praelato regulari, sed ab episcopo sunt absolvendae, hocque colligunt ex decreto Clem. viii. ubi prohibetur regularibus ne absolvant vi cuiuscumque privilegii a casibus ordinario specialiter reservatis. Sed haec ratio non satis probatur, unde non videtur improbabilis sententia opposita Dianae et Pasq. apud Alex. [11] qui dicunt delegationem praedictam concessam episcopis respicere tantum forum externum; verba autem Trident. haec sunt: *Bonifacii* viii. *constitutionem..... renovans s. synodus, universis episcopis... praecipit ut in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero sedis apost. auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui... procurent.*

Hic ultimo notandum cum Ronc. [12] quod ex decretis a s. c. emanatis anno 1601. et 1602. auctoritate Clement. viii. et anno 1607. auctoritate Pauli v. quicumque confessarii praesumentes praetextu alicuius privilegii absolvere a casibus reservatis papae vel episcopis incurrunt ipso facto excommunicationem papae reservatam.

(1) De poenit. c. 13. p. 3. n. 59.
(2) Confess. mon. c. 6. §. 2. q. 9.
(3) Dec. 235. n. 7. (4) Loc. cit.
(5) Conf. et l. 5. de cas. res. c. 3. n. 4.
(6) N. 3. (7) Dict. c. 6. §. 2. q. 10.
(8) Ibid. (9) Loc. cit. qu. 12.
(10) Sess. 25. c. 5. (11) Ibid.
(12) P. 110. q. 9. r. 1.

DUBIUM V. Quid sit officium et obligatio confessarii.

603. *Quid sit officium confessarii. Quando autem possit aut debeat confessarius differre absolutionem (Remissive ad n. 462. et seq.).*
604. *Qu. 1. An possit confessarius negare absolutionem ei qui adhaeret sententiae probabili. Quid, si adhaereat sententiae falsae, sed probabili putatae.*
605. *Qu. 2. An expediat confessario uti sententiis rigidioribus vel benignioribus.*
606. *Quos confessarius possit vel nequeat absolvere.*
607. *Quomodo confessarius teneatur rudiores interrogare.*
608. *Quomodo eos instruere et disponere quantum potest. Monitum ad confessarios.*
609. *Quomodo debeat eos monere de suis obligationibus.*
610. *Quid si praevidet monitionem non profuturam.*
611. *Inf. 1. Quid, si advertat poenitentem invalide contraxisse matrimonium cum bona fide.*
612. *Quid, si matrimonium sit contrahendum.*
613. *Quid, si accedant sponsi cum omnia sunt parata.*
614. *Inf. 2. An debeat semper monere de restitutione facienda. Inf. 3. Quid si timeantur scandala aliorum.*
615. *Excip. 1. Quando damnum est contra bonum commune.*
616. *Excip. 2. Quando poenitens interrogat. Excip. 3. Quando brevi speratur fructus. Utrum autem in dubio de fructu et nocumento fieri debeat monitio.*
617. *Confessarius ministrans debet esse in gratia. Quomodo autem peccet qui plures praebeat absolutiones in mortali successive (Remissive ad l. 5. n. 50.).*
618. *Quid si in mortali tantum audiat confessionem. (Remiss. ad hunc l. 6. num. 56). Et quid si urgeat necessitas absolvendi. (Remissive ad n. 53. ibid.).*
619. *Dub. 1. Quomodo teneatur confessarius reparare defectus a seipso commissos.*
620. *Dub. 2. Ad quid tenetur, si erravit circa valorem sacramenti.*
621. *Dub. 3. Ad quid si deobligavit a restitutione facienda. Et an teneatur ad restitutionem, si cognito errore, non moneat. Quid si culpabiliter deobligavit cum poenitens erat dispositus et postea poenitens renuat parere monitioni. Quid, si tantum omittat monere.*
622. *Dub. 4. An possit monere poenitentem de his defectibus, sine eius licentia extra confessionem.*
623. *Quae et quanta sit obligatio confessarii audiendi poenitentes.*
624. *An confessarius non parochus teneatur cum periculo vitae absolvere peccatorem moribundum.*
625. *An tutus sit in conscientia sacerdos simplex, qui renuit munus confessarii exercere, si populus sit in gravi necessitate spirituali.*

603. « Resp. 1. Munus confessarii est absolvere dispositum et non alium; item curare rectitudinem istius iudicii, praesertim quando coeptum est, et reos iuvare ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi est, ne sit iniurius poenitenti. Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertii est eadem: et quia debet curare ut absolutio sit efficax.

Unde resolves:

» 1. Etsi interdum utiliter differatur absolutio etiam eius qui potest licite absolvi, id tamen raro, nec fere nisi de poenitentis consensu faciendum, quia potest vergere in grave eius periculum vel damnum. V. Diana [1] (Quando confessarius teneatur vel possit differre absolutionem, *vide dicta n.* 462.).

» 2. Absolvendus est qui adhaeret sententiae probabili, quia est dispositus.

604. Quaeritur 1. An possit absolvi poenitens qui vult sequi opinionem contrariam illi quam tenet confessarius.

Prima sententia negat et hanc tenent Conc. [2], item Fagn. Baron. Eliz. Gonz. etc. apud Croix [3]. Ratio quia poenitens tenetur stare iudicio confessarii qui est iudex, alias erit indispositus ad absolutionem.

Secunda sententia vero communis et sequenda docet non solum posse sed etiam teneri sub gravi confessarium absolvere poenitentem qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior confessario. Ita Suar. [4] Soto [5] Azor. [6] Holzm. [7] Salm. [8] Ronc. [9] Pal. [10] Croix [11] Sporer [12] Viva [13] Laym. [14] cum Vasq. Med. etc. Sanch. [15] cum Henr. Salon. Salas Val. Sayro Man. Pol. et aliis multis. Et in hoc consentiunt adhuc plures aa. rigidioris sententiae, scil. Pontas. et Victor., quorum loca et verba retulimus *lib.* 1. *n.* 25.[16],

(1) P. 1. t. 4. r. 35. (2) P. 702. n. 1.
(3) L. 1. n. 452. (4) 3. p. t. 4. d. 32. sect. 5.
(5) 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 5. §. Unde.
(6) T. 1. l. 2. c. 17. q. 10. (7) T. 3. p. 197. n. 740.
(8) Tr. 6. c. 12. p. 3. n. 44. (9) C. 2. reg. 4.
(10) T. 1. tr. 1. p. 4. n. 2. et 6. (11) L. 1. n. 452.
(12) T. 1. p. 11. n. 47. (13) Q. 7. a. 2. n. 6.
(14) L. 1. c. 5. n. 10. (15) Dec. l. 1. c. 9. n. 23.

(16) Quae loca et verba relata hic s. Alph. dicit, non in praesenti inveniuntur editione, cum tractatum de conscientia integrum in posterioribus editionibus immutaverit; reperiuntur vero in prioribus, v. g. in romana an. 1757., suntque haec: Pontassus *v. Confessarius* c. 2. sic loquitur: *Fatendum tamen, quod si confessario persuasum foret opinionem sui poenitentis esse probabilem, tunc ei absolutionem posset*

et praesertim Cabassutius [1], qui cum Sylvio sic inquit: *Quivis confessarius absolvere debet poenitentem qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobatam in ecclesia auctoritatem est licitum: quamvis iuxta probabilem pariter aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur confessarius, habeatur ut minus probabilis.* Idem docet card. Toletus [2] qui ait: *Cum aliquid est sub opinione, si casu accidit confessarium esse opinionis esse illicitum et poenitentem esse licitum, potest poenitens obligare confessarium, ut ipsum absolvat in sua opinione.* Et concludit quod tunc confessarius potest *utramque opinionem sequi, quamvis ipse unam illarum probet.* Idem dicit Navar. [3]: *Si sint contrariae doctorum opiniones, quarum alteram confessarius et alteram poenitens sequitur, et confessarius credit evidenti se textu vel ratione niti, poenitentem dubia, non debet eum absolvere. At si confessarius non adeo forti ratione nititur, vel poenitens utitur pari vel fere pari, et habeat aliquem pro se doctorem clarum, poterit eum absolvere, ut post Adrianum tenuimus in c. Si quis autem d. 7. n.* 66. Ita Nav. non distinguens inter parochum ad audiendum obligatum et alium qui (ut ait) *potest audire, et non tenetur, ut nec Adrianus distinxit.* Et in hoc recte conveniunt Suar. Sanch. Azor. Salm. Croix et alii communiter; nam licet alii confessarii non teneantur absolvere poenitentes, antequam eos audiant, postquam tamen audierint, tenentur absolvere dispositos. Idem docet s. Anton. [4] qui dicit: *Caveat confessor ne sit praeceps ad dandam sententiam de mortali, quando non est certus et clarus; et ubi in aliqua materia sunt variae opiniones quamplurium et solemnium dd. utrum sit licitum vel illicitum... Consulet quod tutius est, scilicet quod a talibus abstineant* (*extra. de spons. iuven.*); *non tamen contemnet contrarium facientes, seu contrariam opinionem tenentes, ne propter hoc* (nota) *deneget absolutionem; sed* (*ut dicit Guil.*) *dicat confessor, quod illud faciendo non est tutum, sed dubium, et ideo sibi bene provideat; si autem omnino* (id est evidenter) *conscientia confessoris dictaret illud esse mortale, nec posset conscientiam deponere* (id est per iudicium reflexum, nempe quod poenitens, cum sit dispositus, efformando sibi conscientiam de honestate actionis, ius habeat ad absolutionem), *quod tamen deberet ad consilium sapientum, nullo modo deberet facere contra conscientiam, quia peccaret mortaliter, c. Omnes, caus.* 28. *qu.* 1. §. *Ex his, iuncta Glossa. Sed cum illud tale esset contra communem opinionem dd. et communiter sic servatur a sapientibus, quamvis aliquem doctorem audiret contrarium tenere, non de levi* (id est sine solida ratione) *debet illi adhaerere.* Idem confirmat clarius s. Anton. [5] dicens: *Si credit* (confessarius) *quod sit peccatum, debet ei conscientiam facere, quod confitens diligenter se informet de illo facto utrum sit peccatum. Sed dato quod ille non vellet cognoscere illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere, nec reputare eum inhabilem ad absolutionem, quia ex ratione et non protervia haec opinio est.* Adde his s. Raymund. qui [6] scribit: *Unum tamen consulo, quod non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam.... alias possent induci homines in desperationem.* Idem docet doctissimus Sylvius [7] loquens de superfluo ornatu mulierum, ubi: *Si confessarii non possint clare percipere utrum ibi sit mortale aut solum veniale, persuadeant quoad possunt ut poenitens*

impertiri, quandoquidem tunc contra conscientiam suam non ageret. Item Victoria sic ait: *Sed quid facit* (confessarius) *quando ambae opiniones sunt probabiles et habent suos proprios assertores? Respondeo: Sive sit eius proprius sacerdos sive non, tenetur eum absolvere in tali casu.... Probatur aperte: talis enim est in gratia, et confessor habet probabilitatem quod sit in gratia, quia scit esse probabilem eius opinionem: ergo non debet ei negare absolutionem: ergo sufficit probabilitas, etsi non sit maior, et etiamsi sit minor.*

(1) T. 1. l. 3. c. 13. (2) L. 3. c. 20. n. 7.
(3) Man. c. 26. n. 4. (4) P. 3. tit. 17. c. 16. §. 2
(5) P. 3. tit. 16. cap. 20. in fine.
(6) L. 3. tit. de poenit. et rem. §. 21.
(7) 2. 2. q. 154. art. 2.

abstineat; si tamen nolit, non ei faciant conscientiam de mortali, ne deinceps mortaliter peccet ubi alioquin non peccaret: neque absolutionem negent.

Ratio autem valde urgens huius sententiae est quia poenitens, facta confessione, cum sit dispositus, habet strictum ius ad absolutionem, quam denegando confessarius gravem illi iniuriam irrogaret, tum quia privaret eum gratia sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata. Nec valet dicere quod poenitens non est dispositus, cum sequi non vult iudicium confessarii. Nam respondetur quod confessarius non est iudex opinionum quas poenitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui poenitentis, ut patet ex Trident. [1] (cuius verba retulimus *l.* 3. *n.* 669.) ubi sacerdotes ad hoc tantum dicuntur iudices a Christo Domino constituti, ut ad eos deferant fideles peccata sua, et ipsi absolutionem eis impertiantur vel denegent iuxta eorum dispositionem, debitamque pro modo culpae poenitentiam imponant. Dispositio autem poenitentis consistit tantum in habendo verum dolorem de peccatis confessis, et firmam voluntatem non peccandi in posterum. Ergo iudicium confessarii circa dispositionem poenitentis in hoc tantum consistit, nempe in cognoscendo quod poenitens vere doleat de suis culpis, et vere proponat eas non iterare. Quod vero poenitens velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad iudicium confessarii, nisi hic iudicet opinionem poenitentis esse evidenter falsam. Qua de re quoad opiniones illas quae versantur circa praefatam dispositionem poenitentis, vel etiam circa administrationem sacramenti, puta si confessarius iudicet se non habere iurisdictionem, poenitens debet stare iudicio confessarii, et confessarius tenetur proprium sequi iudicium; nam alias absolvendo sine debita iurisdictione, vel quem ipse iudicat indispositum, peccat agendo contra propriam conscientiam. Quoad vero alias opiniones quae versantur circa obligationem poenitentis, nempe circa ea quae a poenitente agenda aut vitanda sunt, confessarius non est iudex, nec potest obligare ad sequendam opinionem suam poenitentem qui vult sequi contrariam, quam ipse putat non sine fundamento licite posse teneri, ut optime tradidit Adrianus [2] dicens: *Si a pluribus dd. contrarium teneatur, non debet sacerdos adeo de se praesumere, ut totum velit in suam opinionem (quae forsitan erronea est) coarctare.* Hinc quando ex una parte poenitens sibi efformat iudicium de honestate alicuius actionis, et alias confessarius non habet certitudinem evidentem de illius falsitate, tenetur illum absolvere, utpote sufficienter dispositum. Et tunc potest, imo tenetur permittere quod poenitens suam sequatur opinionem, si nequit abducere ab ea sequenda, quia (ut diximus) confessarius non est controversiarum iudex; alioquin, si v. gr. poenitens esset doctior confessario, et vellet sequi opinionem quam ipse non sine fundamento reputaret probabiliorem aut etiam certam, posset confessarius denegare illi absolutionem, si teneret opinionem contrariam quae esset forte in se erronea; sed hoc nullo modo videtur posse dici, cum dici nequeat quod eo casu poenitens peccet sequendo opinionem suam; at si non peccat, iam est dispositus, utque talis ius habet ad absolutionem.

Adde, quod si confessarius non posset absolvere eos qui volunt sequi opinionem minus probabilem, contra suam quam ipse putat probabiliorem, multa videntur inconvenientia sequi. Ponamus enim casum quod aliquis simoniace pecuniam acceperit, iste secundum aliquos tenetur restituere pretium acceptum ei qui dedit, secundum vero alios, ecclesiae vel pauperibus: si forte hic ad duos confessarios accederet, quorum unus obligaret ad restituendum danti, putans primam opinionem probabiliorem, alter ad restituendum ecclesiae, quia contrariam

(1) Sess. 14. c. 5 (2) Q. 5. dub. 7.

tenet sententiam; quaero in hoc casu, cui poenitens parere deberet, cum teneretur utriusque sui confessarii iudicio se conformare? Et si forte paruerit primo, et postea confitetur secundo, num bis restitutionem facere debebit? Praeterea si quilibet poenitens teneretur sequi opinionem probabiliorem sui confessarii, sequeretur quod vix ullus confessariorum vel theologorum (adhuc rigidioris sententiae) posset absolutionem sacramentalem recipere, nam vix unquam casus posset accidere quod horum aliquis inveniat confessarium qui non habeat ut improbabiles aut saltem minus probabiles plures opiniones quas tamquam probabiliores ille tenet. Hinc alterum excogitemus casum: Duo confessarii habent duas opiniones contrarias, quarum utrique sua apparet probabilior; si unus velit alteri confiteri, deberet hic (iuxta sententiam Fagnani et sociorum) suam deponere opinionem captivando intellectum ut confessario suo iudici constituto pareat. Contra vero si alter postea huic confiteatur, deberet hic secundus confessarius suam resumere opinionem quae sibi probabilior apparet; tunc enim deberet iudicare secundum suum proprium iudicium, et deberet illum obligare ut deponat opinionem quam sibi prius sequendam imposuit, et en comoedia risu digna quae quotidie inter confessarios eveniret. Quis putabit Christum Dominum ad haec onera in sacramento poenitentiae confessarios et poenitentes voluisse obligare? Praeterea, facile sequeretur quod cum accederet aliquis confessarius ad recipiendum hoc sacramentum, deberet ille qui eius confessionem excipit inquirere de omnibus opinionibus quas poenitens tenet, et quibus dirigit suos poenitentes, ad hoc, ut si inveniat eum habere aliquam opinionem quae videtur sibi minus probabilis, obliget ad illam deponendam, et merito videretur confessarius teneri sic inquirere, quia prudenter dubitare debet quod ille inter tot millia opinionum, facile plures opiniones habet quas confessarius putat minus probabiles et ideo deserendas. Ex his omnibus concluditur quod confessarius non est quidem iudex opinionum quae versantur circa obligationem poenitentium, modo illae non appareant ipsi evidenter falsae, sed tantum est iudex dispositionis eorum, nempe quod doleant et proponant Deum non offendere, et credant tuta conscientia ac non temere aliquam opinionem sequi. Unde Cabass., quamvis hic auctor rigidioris disciplinae sit fautor, verum[1] loquens iam de confessariis qui compellunt suos poenitentes ad deponendas proprias opiniones ut suas sequantur, sic ait: *Praescribat sibi quisque quascumque libuerit austerae vitae leges, caveant tamen tetrici isti censores aliorum apud Deum licitam libertatem tyrannice opprimere.*

Sed dices: Iudex fori externi debet iudicare iuxta opinionem probabiliorem unius partis, quamvis altera pars opinionem probabilem pro se habeat; ergo confessarius non potest absolvere poenitentem qui vult sequi opinionem probabilem contra suam probabiliorem. Respondetur: Longe dispar est ratio inter iudicem fori externi et sacramentalis; in foro enim externo, cum agatur de veritate rei, nimirum an ager sit unius vel alterius partis, iudex qui tenetur unicuique ius suum tribuere, debet quidem rem adiudicare ei qui ius probabilius habet, nec potest certe adiudicare alteri qui pro se opinionem habet minus probabilem; istius enim probabilitas non potest efficere quod res probabilius revera non sit illius qui ius probabilius habet, et per consequens iniuste ageret iudex si ipsi rem non adiudicaret. Confessarius vero quoties sua opinio non est evidenter certa, non potest (ut diximus) obligare poenitentem ad illam sequendam; unde tunc non solum potest, sed etiam tenetur eum absolvere, permittendo ut ille opinionem suam sequatur, semper ac poenitens cum illa opinione efformet sibi conscientiam de honestate actionis, quia tunc iam satis est dispo-

(1) Theor. iur. l. 3. c. 13. n. 14.

situs, et ius habet ad absolutionem per confessionem peractam.

Et hanc sententiam dicunt Laym. [1] Lugo [2] Busemb. *lib.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Sanchez [3] cum Valent. et Manuel. ac Croix [4] cum Suarez Carden. etc. locum habere, etiamsi confessarius opinionem poenitentis uti falsam teneret; nam si opinio illa haberet aliquam existimatam probabilitatem, puta (ut ait Sanchez) si probabilis reputaretur inter dd. probatae auctoritatis, et poenitens vere censeret illam esse probabilem, tunc non poterit confessarius ei denegare absolutionem. Idem docet Sotus [5] qui sic ait: *Quis sacerdos existimet opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet sibi non licere ipsum absolvere, si quidem propter probabilitatem excusabitur ille a culpa.* Hoc vero tum solum admittendum puto, cum opinio poenitentis aliqualem habet probabilitatem, ita ut confessarius, esto eam non habeat ut solide probabilem, tamen non reputet omnino falsam; nam contra si confessarius habet pro sua opinione principium certum, cui nullum videt patere responsum, et clare cognoscit opinionem poenitentis (quamvis aliqui doctores eam tueantur) niti falso fundamento, ac rationes illius procedere ex fallaci aequivocatione, tunc dico cum Navarro et s. Antonino [6] confessarium non posse poenitentem absolvere quem videt pertinaciter velle sequi opinionem evidenter erroneam. Utrum autem confessarius teneatur monere poenitentem qui in bona fide velit uti aliqua opinione improbabili, si praevidet monitionem non profuturam. *Vide dicenda n.* 610.

Caeterum, cum vertamur in hoc dubio, ubi alii (sed pauci) dicunt peccare confessarium, si absolvat poenitentem qui vult sequi opinionem minus probabilem, alii vero auctores gravissimi et quamplurimi tam ex antiquis quam ex recentioribus dicunt peccare si non absolvat, stante hac communi sententia, tot auctoritatibus et rationibus roborata, non video quomodo possit confessarius tuta conscientia absolutionem denegare volenti sequi opinionem quae ipsi poenitenti probabilis apparet, imo forte probabilior, si non directe, saltem reflexe, ut communiter sentiunt auctores probabilistae, qui sequendo opinionem probabilem in concursu probabilioris, existimant amplecti sententiam reflexe probabiliorem, utpote gravioribus fundamentis et communissima doctorum auctoritate firmatam [7].

605. Quaer. 2. An in delectu opinionum expediat confessario uti opinionibus rigidioribus aut benignioribus. Recte ait Croix [8] quod si poenitens ostendat se paratum ad sequendum id quod est tutius, tenetur confessarius (per se loquendo) eum dirigere secundum sententias tutiores; quia, cum hoc sit maioris perfectionis, tenetur quidem confessarius incumbere maiori profectui sui poenitentis. Spectat autem ad prudentiam confessarii deinde perpendere, utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo poenitenti sit profuturus. Ideo dixi *per se loquendo*, quia licet id per se sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias; unde Gerson. [9] scripsit: *Fit ut per tales assertiones publicas nimis duras et strictas, praesertim in non certissimis, nequaquam eruantur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, immergantur.* Idcirco in praxi confessarius potius (quoad fieri potest) debet esse benignus quam rigidus cum poenitentibus. Unde s. Greg. Nazianz. [10] sic dixit: *Hortamur sacerdotes ut cum poenitentibus leniter agant,*

(1) L. c. (2) D. 23. n. 47. (3) L. c. n. 30. (4) L. 1. n. 443. (5) Loc. sup. cit. (6) Locc. sup. cc. (7) Si poenitens est indoctus, adeo ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis, certum est tunc eum non posse absolvi.... sed cum poenitens est capax sibi formandi conscientiam rectam... sententia communis docet confessarium in eo casu posse et debere absolvere sub gravi, saltem si confessio facta fuerit de materia gravi, dum dicunt Suarez Sanchez etc. negare absolutionem de materia levi non excedere veniale. Hom. Ap. tr. 16. n. 118. (8) Lib. 6. p. 2. n. 1757. (9) De vita spir. p. 3. lect. 4. coll. 10. (10) Orat. 26.

ex illo apostoli ad Galat. 6.: *Instruite in spiritu lenitatis.* Et s. Bernard.[1] loquens de confessario inquit: *Habeat in voluntate compati et liberare eum, et nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui.* Additque[2]: *Mallem aliquando tacuisse et dissimulasse quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* S. Olido abbas (apud Ribadiner.[3]) reprehensus de nimia benignitate in administrando sacramento poenitentiae, respondit: *Etiamsi damnandus sim, malo tamen de divina misericordia, quam ex duritia damnari.* B. Humbertus generalis pp. praedicatorum[4] dixit, salutem animarum pluries impediri per nimiam austeritatem opinionum, sic loquens: *Terrentur enim homines ex hoc in tantum ut salutem negligant; idcirco relaxanda est quantum fieri potest austeritas et agendum benigne; quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiae mitiores tenentur.* S. Bernardinus senensis[5] scripsit: *Secundum Scotum et Hostiensem, quando sunt diversa iura et opiniones, quae tamen non sunt contra Deum et bonos mores* (nempe quae scandalum aliquod vel periculum afferant formaliter peccandi), *caeteris paribus, humanior praeferenda est.*

Sapienter autem dicit Holzm.[6] quod confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illae potius inducunt poenitentem ad vitandum peccatum. Secus vero si illae potius conducant ad legis transgressionem, prout sunt (ut bene advertunt Ronc.[7] et Sporer[8]) opiniones illae quae, licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valde periculosae, sicut in materia sexti praecepti sunt opiniones aliquae de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus sensualibus, et similibus; item in materia simoniae et usurae, ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, sed in praxi magnum periculum involvunt; item quando agitur de compensatione facienda vel de accusatione prosequenda contra offensores, ubi facile est periculum iniustitiae aut vindictae.

606. « 3. Moraliter ei constare debet de bona dispositione poenitentis; alias absolvendo peccabit mortaliter (*Vide dicta n.* 459.).

» 4. Non licet absolvere: 1. Qui nullam praebet materiam: qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cuius erat oblitus (Vide dicta *n.* 448. ubi oppositum tenuimus). 2. Qui, cum possit, non est paratus restituere, et proximas peccandi occasiones fugere. Vide Navar.[9] Suar.[10]. 3. Ignorantem ea quae omnes scire tenentur, v. gr. decem praecepta, et quae ad fructuosam confessionem et communionem spectant, unde talis communiter prius est instruendus, vel alio mittendus ad instructionem (*Vide dicta l.* 2. *n.* 3. *et in praxi confess. n.* 22.).

607. » 5. Rudiores ordinarie iuvandi sunt (Ex *cap. Omnis, de poenit.* ubi dicitur: *Sacerdos sit discretus, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.* Item in rit. roman. habetur: *Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget. Sed caveat ne curiosis... interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores... de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne... peccare discant*) nisi sint incapaces instructionis, vel ob poenitentium multitudinem fieri non possit, nec videatur expedire ut dimittantur, vel sint peregrini, qui mox communicare et abire debeant; tunc enim, si alioqui bona fide agant, et temporis angustiae vel poenitentium multitudo longum examen vel instructionem non permittat, sufficere aliquando integritatem formalem docet Lay.[11], scilicet auditis aliquibus peccatis absolvantur, cum onere redeundi ad confessionem pleniorem.»

(1) Serm. de s. Andrea. (2) Serm. 42. in Cant. (3) P. 2. die 1. ian. (4) In Glossa prol. constit. ordin. lit. I. (5) Fer. 2. post dom. quinquages. serm. 3. art. 2. cap. 1. (6) De poenit. n. 740. (7) De poenit. c. 2. q. 3. (8) L. 1. n. 48. et 49. (9) C. 15 (10) D. 32. sect. 2. (11) C. 13. n. 10.

Sed haec opinio videtur expresse damnata ab Innoc. XI. [1]. Notamus autem hic plura ad praxim utilia, quoad interrogandos poenitentes rusticos: 1. Rustici qui putantur non satis examinati, communiter non sunt dimittendi ad se melius examinandum; ita Salm. [2] cum Lugo Vasq. Diana Dic. et p. Segneri [3] oppositum merito putat intolerabilem errorem. Hinc recte aiunt Sporer [4] Laym. [5] cum Suar. et Holzm. [6] cum Babenstub. et aliis passim, quod confessarius examinare debet ordinarie rusticos; nam licet isti dimittantur ut se melius praeparent, vix tamen paratiores unquam redibunt, imo absterriti a difficultate examinandae conscientiae, facile a confessione se retrahent. 2. Non est obligatio interrogandi eos qui videntur satis instructi et diligentes in dicendis peccatis cum suis circumstantiis. Salm. cum Aversa [7]. 3. Confessarius non sit nimis anxius in interrogando, sed interroget tantum de iis quae probabiliter poenitenti conveniunt iuxta suam conditionem. Salm. cum Suar. [8], alias, ut ait Suarez, interrogatio erit onerosa poenitenti. 4. Melius est examinare singula quae poenitens dicit, quam omnia in finem reservare, ita recte Salmant. [9] cum Lugo et Dicast. 5. Cavere debet confessarius ne acriter reprehendat poenitentem dum ille confitetur, ne forte deterritus alia peccata reticeat; unde sic advertit rituale: *Confessarius... audita confessione, perpendens peccatorum... magnitudinem, opportunas correptiones... adhibebit.* Non tamen erit incongruum si intra confessionem aliquando humaniter gravitatem criminum poenitenti exponat, dummodo illico animum ei praebeat ad reliqua confitenda.

608. « 6. Si confessarius notet poenitentem ignorare aliqua necessaria ad hoc sacramentum, tenetur eum instruere et admonere ratione sui officii, quantum fieri potest, v. gr. si nesciat illa quae necessitate medii sunt ad salutem necessaria, debet ea docere; item obligatos ad deponendum odium, ad restitutionem honoris, famae aut bonorum, aut ad occasionem peccatorum tollendam, aut amovenda vel reparanda scandala, aliave damna illata, aut ad corripiendos delinquentes, iuvandos indigentes, ad denuntianda delicta vel delinquentes in praeiudicium communitatis vel innocentium: et denique, si quam censuram incurrerint etc., tenetur ea de re monere et hortari ad satisfactionem, quam si recusent, negare absolutionem, quia alioqui se ipsorum criminum participem, et sacrilegii reum faciet. Aversa [10]. »

Hic adverte cum Bus. cui consentiunt Spor. [11] et Lay. [12] cum Suar. et Llamas, quod confessarius tenetur quantum potest ad disponendum suum poenitentem qui indispositus accedit. Quocirca nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii qui statim ac noverint poenitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica praemissa diligentia ad eum curandum. Dico enim quod confessarius tenetur ex rigorosa obligatione caritatis eum disponere quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinae gratiae, periculum damnationis et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes expectent: nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui poenitentis, pro quo tantum illo tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus.

609. « 7. Tenetur monere eum qui ex ignorantia vincibili et mortaliter culpabili est in malo statu: quia alias nec ipsi nec sacramento consulet, cum poenitens sit indispositus. Si vero ignorantia sit invincibilis, v. g. si bona fide teneat rem alienam aut sit in matrimonio irrito, tenetur quidem monere et instruere quando speratur fructus, nec timentur incommoda graviora: quae si prudenter metuantur aut

(1) Prop. 59. (2) De poenit. c. 12 p. 2. n. 26. (3) Confess. instr. (4) N. 793. (5) C. 13. n. 10. (6) N. 731. (7) Ibid. n. 25. (8) Loc. cit. n. 21. (9) Ibid. n. 15. (10) O. 16. sect. 12. (11) N. 798 (12) C. 15. 0

fructus non speretur, non tenetur, imo non potest. Excipit card. de Lugo [1] nisi silentium officiat bono communi, quia debet bonum poenitentis procurare: ac consequenter licite etiam suadet ut secundum suam ignorantiam operetur, v. g. Caiae ut reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit suum esse maritum, cum non sit. Vide Sanch. [2]. Nec obstare, etiamsi sit in praeiudicium tertii particularis, aiunt Lugo et Tamb.[3]. Hinc si confessor praevideat poenitentem non restituturum si ipsi detegatur nullitas tituli quem pro se esse putat, non esse illi talem nullitatem a confessario non interrogato detegendam. Quod si tamen poenitens ipse dubitet ac roget, tenetur dicere veritatem, quia tacere esset errorem approbare: prudenter tamen, non plus dicendo quam rogatur, v. g. si roget Titius an post votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat, possitque ac teneatur reddere debitum, respondeat quod sic, tacendo obligationem non petendi debiti. Vide Laym. *hic*, et Lugo [4].

» 8. Quando confessarii principum, praelatorum aliorumque magnatum sciunt ipsos non satisfacere officio, v. g. circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex bonis ecclesiasticis faciendas etc., regulariter tenetur confessarius monere poenitentem de sua obligatione, alias si absolvit, suis humeris peccata illa imponit, et caecus caecum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. Ratio est quia in talibus raro est ignorantia invincibilis, raro item contingit ut illa secum non afferant scandalum in subditis existimantibus illa licere; vel certe non afferant damnum commune. Si tamen videat ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune; contra vero admonitionem fore in maius damnum poenitentis, aut allaturam scandala vel incommoda, potest secundum paulo ante dicta dissimulare, nisi interrogetur. Ita Lugo [5].

» 9. Si etiam poenitens teneretur, licet sub peccato mortali, ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur tunc aequo animo accepturus, et alia vice melius suscepturus, posset prudens confessor tunc illum relinquere in bona fide excusante a peccato, et monitionem differre in tempus opportunius, ut territus a confessione non abstineat, graviusque detrimentum incurrat, Tamb.[6] Lugo [7].

610. » 10. Minus recte dispositus excitandus est ad dolorem et propositum emendationis, proposita peccati foeditate, bonitate Dei et periculo damnationis, etc. Item remedia opportuna praescribenda contra peccata futura. »

Quaeritur an confessarius praevidens monitionem poenitenti non esse profuturam, teneatur nihilominus eum monere. Certum est teneri, si ignorantia sit culpabilis, vel sit circa aliquod medium ad salutem necessarium, alias poenitens esset certe indispositus. Dubium igitur vertit an monitio facienda sit circa alia, quae non sunt de necessitate medii, et cum ignorantia est inculpabilis.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Adrian: apud Suar. [8], item Wigandt [9] et Conc. [10]. Idem tenent Gonzal. et Eliz. apud Croix [11] si ignorantia sit circa praecepta iuris divini, secus si iuris humani. Rationes huius sententiae patebunt ex obiectionibus ad secundam sententiam.

Secunda sententia tamen communis et vera docet, quod si poenitens laborat ignorantia inculpabili (sive sit iuris humani sive divini), et non speratur fructus, imo prudenter iudicatur monitio esse magis obfutura quam profutura, tunc confessarius potest et tenetur eam omittere, relinquendo poenitentem in sua bona fide. Ita cum Busemb. Suar.[12] cum p. Soto et Corduba

(1) De poenit. d. 22. n. 24. (2) L. 2. de matr. d. 38. (3) De exped. conf. l. 2. c. 4. (4) L. c. (5) D. 22. n. 37. (6) C. 14. (7) D. 22. s. 2. n. 27. (8) De poenit. d. 32. sect. 4. n. 5. (9) Tr. 2. n. 32. (10) P. 603. §. 2. per totum (11) L. 6. p. 2. n. 1733. (12) L. cit. n. 4.

Laym. [1] Sanch. [2] Lugo [3] Nav. [4] Bon. [5] Canus [6] Anac. [7] Pal. [8] cum Vasquez et Conc. Ronc. [9] Spor. [10] Tamb. [11] Elbel [12] Viva [13] Escob. [14] cum Henr. Guttier. Medina Holz. [15] cum March. Croix [16] et Salm. [17] cum Pontio Aversa Fill. Diana Gabr. etc. Et idem docet Habert (rigidioris disciplinae fautor [18]) qui loquens de matrimonio nullo propter aliquod impedimentum, dicit: *Si adversus malum occultum et invincibiliter ignoratum nullum appareat remedium, et gravia incommoda praevideantur, dissimulandum est* (a confessario) *impedimentum, et coniux in bona fide relinquenda.* Idem sentit Antoine (recentior inter rigidos auctores [19]) qui ait: *Si probabile periculum sit ne ex admonitione sequatur peccatum formale poenitentis vel grave scandalum etc., differenda est monitio et petenda dispensatio.*

Id probant 1. ex *c. Si quis* 2. *de poenit. dist.* 7. Sed hic textus revera non facit ad casum, nam ibi loquitur s. Aug. tantum de peccatore qui vult differre poenitentiam usque ad finem vitae, et ideo sic dicit: *Si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem* (id est poenitentiam). *Item, si scirem tibi prodesse* (nempe dilationem poenitentiae) *non te admonerem, non terrerem. Ergo tene certum, dimitte incertum.* Quid igitur hic textus refert ad rem? Probant 2. ex *c. Quia circa, de consang.* ubi Innoc. III. consultus de quibusdam qui ex subreptitia dispensatione contraxerant, sic respondit episcopo interroganti: *Dissimulare poteris, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Sed hic alius textus nec etiam satis probat, quia saltem non est certum quod papa sic respondens noluisset dispensare in illo impedimento (quamvis Cont. Tourn. [20] cum pluribus intelligit ibi nullam adfuisse dispensationem); tanto magis quod aliquando potest pontifex ex urgentissima causa etiam deobligare ab obligatione praestandi novum consensum, prout Clemens XI. 2. april. 1701. egit cum quibusdam populis Indiarum, ut refert Bened. XIV. [21].

Potius igitur nostra sententia firmatur ex auctoritate d. Bernardi, qui [22] sic ait: *Mallem aliquando tacuisse et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* Conqueritur ergo s. doctor per suam monitionem cognovisse maiorem evenisse ruinam, quam si dissimulasset reprehendere id quod cognovit male agi. Maxime autem sententia probatur ex illa validissima ratione, scilicet quod de duobus malis minus est permittendum ut maius evitetur; unde in concursu peccati materialis et formalis, magis praecavendum est formale, quod solum punit Deus, cum ex solo peccato formali reputet se offensum. Ratio haec magis patefiet ex responsionibus ad obiectiones quas mox recensemus.

Obiicitur 1. illud Ezech. 33. 8.: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Sed quis non videt hic sermonem fieri de impio qui est in mala fide, et quem tenetur utique confessarius corripere ut resipiscat.? Et sic intelligendi alii textus scripturae ac ss. patrum qui in contrarium afferuntur.

Obiicitur 2. Confessarius est doctor: ergo ex vi sui officii tenetur omnino instruere ignorantes et legem manifestare. Respondetur quod confessarius non solum est doctor, sed etiam medicus, unde ut medicus, cum praevidet monitionem vergere in ruinam poenitentis, debet ab ea abstinere: et licet sit etiam doctor, attamen cum munus confessarii sit munus caritatis, a Christo Dom. tantum institutum in bo-

(1) L. 5. tr. 6. c. 15. n. 5. (2) De matr. l. 2. d. 38. n 1. et 10. (3) D. 22. n. 24. (4) Man. c. 22. n. 85. (5) De matrim. q. 3. p. ult. n. 7. (6) Prael. p. 5. (7) P. 620. n. 52. (8) P. 18. §. 2. n. 7. (9) P. 94. q. 4. r. 2. (10) P. 272. n. 795. (11) L. 3. c. 4. §. 1. (12) P. 344. n. 471.
(13) Q. 3. art. 5. n. 4. (14) L. 16. n. 655. (15) T. 1. p. 12. n. 60. (16) L. 6. p. 3. n. 540. (17) De poenitentia c. 12. p. 3. n. 34. (18) T. 6. p. 466. q. 3. (19) P. 554. qu. 5. (20) De poen. p. 2. c. 8. a. 5. sect. 1. §. 1. n. 722. (21) Notif. 87. n. 80. (22) Serm. 42. in Cantic.

num animarum, debet quidem tradere doctrinam, sed illam tantum quae est proficua, non quae nociva est poenitentibus. Alias si ex munere doctoris de omni veritate teneretur instruere poenitentes, deberet ab eis removere ignorantiam invincibilem adhuc iuris humani, etiamsi praevideret monitionem obfuturam; sed hoc vel nemo dicet vel nimis improbabiliter dicet.

Obiicitur 3. quod in eo casu ignorantia poenitentis non est invincibilis, sed vincibilis; idque sic probant: Tunc adest vincibilis ignorantia, quando alicui vel occurrit dubitatio de praecepto, vel aperta est via praeceptum addiscendi; sed huic ignoranti iam aperta est via, quando quidem confessarius paratus esset ad instruendum, si praevideret monitionem profuturam; ergo confessarius tenetur monere talem poenitentem, utpote vincibili ignorantia laborantem. Sed respondetur: Ad constituendam ignorantiam vincibilem non solum requiritur ut pateat via ad veritatem praecepti assequendam, sed etiam omnino requiritur ut occurrat dubitatio de praecepto, alias ignorantia semper esset invincibilis; ignorantia enim invincibilis, ut definitur a d. Th. [1] est illa *quae studio superari non potest.* Cum autem dubitatio de aliquo praecepto non occurrit, ignorantia studio superari certe non potest: quomodo enim studium quis adhibere potest ad inquirendum praeceptum, de quo nullam notitiam ne confuse quidem per dubitationem habet? Unde recte cum aliis communiter supponit p. Segneri [2] tunc utique adesse ignorantiam invincibilem, *Quando la persona non ha principio di dubitare, e conseguentemente non ha nè anche maniera di vincere il suo errore.* Concludendum igitur quod cum alicui non occurrit dubitatio, ignorantia est quidem invincibilis, licet enim per se loquendo adsit via sciendi aliquam obligationem, illa tamen non patet ei, cui de obligatione nulla occurrit dubitatio. Alias, si talis poenitens censendus esset laborare ignorantia vincibili, deberet dici quod, etiamsi ipse non confiteretur, et etiamsi poenitens monitus resipisceret, sed confessarius propter inscitiam vel oblivionem non adverteret ad eum monendum, adhuc poenitens damnaretur, quia adhuc esset in mala fide et in peccato formali: sed hoc non videtur ab ullo unquam posse dici. Quod autem confessarius advertat vel non, ad faciendam monitionem, hoc mere per accidens se habet quoad poenitentem, a cuius sola cognitione et voluntate pendet, quod ignorantia sit vincibilis aut invincibilis.

Obiiciunt 4. Quod talis poenitens qui, si moneretur non acquiesceret doctrinae confessarii, haberet voluntatem obfirmatam in errore, unde tamquam indispositus nequit absolvi. Sed respondetur et quaeritur, qualisne dispositio in poenitente attendi debeat ut ei absolutio denegetur? num indispositio praesens sive actualis, vel futura seu interpretativa, scil. quod si ille in tali occasione poneretur peccaret? non quidem interpretativa, alias plurimi absolvi non possent qui hic et nunc de aliquo peccato, puta de neganda fide non cogitant, sed, persecutione adveniente, facile illam negarent. Item dicere debemus cum Pelagio (cuius error damnatus est ab ecclesia) quod Deus in poenam peccatorum futurorum aliquos infantes non sinit ad baptismum pervenire, et aliquos pervenire vult in praemium bonorum quae operaturi essent si vixissent. Quare minime dici debet quod poenitens est indispositus, eo quod si moneretur non pareret confessario, sed quod esset indispositus si moneretur. Sed confessarius non debet attendere ad indispositionem interpretativam quam poenitens haberet, sed ad actualem quam nunc habet. Et ideo, sicut non licet proximum exponere ad occasionem in qua positus ille succumberet, ita confessarius, cum praevidet ex monitione ruinam poenitentis, tenetur ab ea abstinere, esto poenitens relinquendus sit

(1) 1. 2. qu. 76. art. 2.

(2) Confessar. instruct. c. 7

in peccato materiali, eo quod unum peccatum formale omnibus praeponderat materialibus peccatis.

611. Ex his infertur 1. cum Laym.[1] Sanchez[2] Lugone[3] Salm.[4] Holzman[5] Pal.[6] Habert Antoine[7] et aliis communiter (contra Concinam) quod si confessarius noverit poenitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae, si nullitatem manifestet; tunc debet omittere monitionem, et illum relinquere in bona fide donec obtineatur dispensatio; nisi dispensatio (ut recte aiunt Laym.[8] Pal. et Salm.[9]) de facili et statim obtineri possit ab habente facultatem, et etiam ab episcopo (recte dicit Palaus), ut liberetur poenitens a peccato materiali. *Vide dicenda de matr. n.* 1123. Utrum autem hoc casu possit confessarius obligare coniugem negantem debitum ad illud reddendum. Negat Bon.[10] cum Soto et Hurt. quia id esset consulere fornicationem; tantum (ut ait) poterit in genere dicere quod coniuges tenentur reddere debitum. Affirmant vero communius et probabilius Lugo et Sanch.[11] Fill.[12] Croix[13] et Esc.[14] cum Conc. Henr. Led. et Card. Ratio quia stante persuasione coniugis quod matrimonium sit validum, tenetur ille reddere, ut dictamen suae conscientiae sequatur[15].

612. Quid si matrimonium sit contrahendum? Holzm.[16] ait omnino tunc monitionem esse faciendam, etiamsi certe non sit profutura et certe obfutura, quia magis praecavenda est nullitas sacramenti, quam peccatum aut infamia poenitentis. Holzm. citat etiam Spor. pro hac sententia[17]. Sed Spor. loquitur (et recte) tantum de casu quo aliquis vellet ducere consanguineam: tum quia tunc revera abest infamia, tum quia poenitens post matrimonium facile poterit cognoscere eius nullitatem, et sic facile incidere in peccata formalia, praeter alia pericula relinquendi filios illegitimos, etc. E converso Sanch.[18] et Lugo[19] absolute dicunt adhuc in eo casu omittendam esse monitionem, quando ipsa probabiliter censetur non profutura. Probabilius tamen mihi videtur dicendum cum Palao[20] et Salm.[21] quod regulariter loquendo, omnino monitio tunc facienda est, tum quia ex matrimonio nullo frequenter plura inconvenientia oriuntur, tum quia saepe post tale matrimonium ignorantia cessare solet, et tunc facile adest periculum peccandi formaliter. Unde bene ait Laym.[22] quod eo casu monitio facienda est, si aliqualis saltem spes adsit profectus. Et idem quod de matrimonio nullo dicit Sporer[23] de contractu illicito ineundo. Si vero confessarius certo moraliter desperat de fructu, tunc merito dicit Croix[24] cum Aversa (quibus iam videntur adhaerere Pal. Salm. et Laym.) quod omittere debeat monitionem, donec obtineat dispensationem, quia melius est permittere peccatum materiale, quam praebere occasionem certi peccati formalis. Nec obstat ratio Holzmanni, nam (ut dicunt Sanch. Pontius Vasq. Salas Salon. et alii) sacramenta non exposcunt maiorem reverentiam quam praecepta divina. Unde si in praeceptis divinis permitti potest materiale peccatum, ut ipsemet Holz. admittit[25], cur non poterit permitti materialis irreverentia sacramenti in tanta necessitate, ut peccatum formale vitetur?

613. Sed hic discutiendus est casus valde facilis eventu et difficilis solutione. Rogatur: quid agendum si sponsi accedant ad ecclesiam ad contrahendum matrimonium, et alter eorum madicat in genere, quod ille nequit absolvi, si obligationi suae satisfacere renuit, et quod iam scitur coniugem teneri debitum reddere. Hom. Ap. tr. 16. n. 115.

(1) Num. 5. (2) Num. 8. (3) Num. 25. (4) De poenitentia cap. 12. p. 3. n. 54. (5) Num. 60. (6) §. 2. n. 9. (7) Locc. cc. (8) Num. 6. (9) Ibid. num. 55. (10) De matrim. q. 3. p. ult. num. 6. (11) Locc. cc. (12) Tract. 10. n. 98. (13) L. 6. p. 3. n. 542. (14) L. 16. n. 650. (15) Sed in hoc tutior mihi videtur opinio Soti etc., quod tunc confessarius ei (16) T. 1. p. 12. n. 61. (17) De consec. c. 1. n. 9. (18) Dict. d. 38. n. 7. in fine. (19) D. 22. n. 24. (20) P. 13. §. 2. n. 9. (21) De poen. c. 12. p. 3. n. 55. (22) C. 15. n. 6. (23) De consec. c. 1. n. 29. (24) L. 6. p. 3. n. 540. (25) N. 60.

nifestet confessario impedimentum occultum dum omnia sunt parata et non possit sine scandalo et infamia matrimonium differri. Sanchez [1] Boss. [2] et Bon. [3] cum Guttier. suadent ut poenitens votum emittat castitatis ad tempus, puta ad mensem. Sed hoc remedium, ut aiunt Ronc. [4] et Auctor *Instr. pro novis conf.* [5], merito videtur esse periculosum, propter suspicionem quam facile apud alios ingerere potest; tanto magis quod passim apud casuistas tale remedium praescriptum invenitur. Unde Lugo [6] et praefatus Auctor *Instruct. etc.* dicunt tunc consultius esse quod confessarius relinquat sponsos in bona fide et sinat nuptias contrahere; et huic consentit Laym.[7], si omnino desperetur de fructu monitionis. Communissime vero alii dd. et probabilissime docent in eo casu posse episcopum dispensare; ita Sanch.[8] Bon.[9] Cabas.[10] Pignat.[11] Suar.[12] Spor.[13] Conc.[14] Pont.[15] Diana[16] Pal.[17] Salm.[18] Viva[19] Elb.[20] cum Gob. Fill. Mastr. et Croix[21] cum Vasq. Sylv. Barb. Hurt. Reg. Vill. Salas Boss. Molf. Mach. et aliis plurimis cum Card. (qui dicit esse sententiam moraliter certam) et Pyrrho ac Corrad. (qui testatur ita declarasse Sixtum v.) et communem vocat Bened. XIV. [22] (contra rigidissimum Fagn. qui [23] negat, etiamsi id oporteat ad legitimandam prolem in articulo mortis, adversus communem dd. cum Pignat. [24] qui [25], ex aliis id extendit etiamsi impedimentum fuerit publicum). Ratio, vel quia tunc praesumendus est pontifex delegare episcopo facultatem dispensandi, quam requisitus certe ei non denegaret, vel quia (ut ratiocinatur Sanchez [26]) episcopus potest in sua dioecesi quidquid potest pontifex in tota ecclesia, nisi aliquid pontifex sibi reservavit (iuxta id quod plures dicunt *de matr. V. infra n.* 980. *Dub.* 1.); unde, si episcopus dispensare nequeat in iis impedimentis, id ex eo provenit, quia pontifex reservat; sed cum reservatio fiat propter caritatem et ob bonam reip. gubernationem, non est verisimile pontificem dispensationem sibi reservare in casu tantae necessitatis, quando aliter scandala vitari non possent; hoc enim esset contra caritatem. Ergo in eo casu intelligitur cessare reservatio, et ideo episcopus ex sua potestate ordinaria potest tunc dispensare, sicut potest in aliis legibus pontificiis, quando aditus ad papam non patet. Et eo casu probabiliter dicunt idem Sanch.[27] Elb.[28] Bon.[29] cum Valent. Vasq. Salas Henr. ac Salmant.[30] cum Con. Pal. Basil. etc. quod episcopi legitime possint praedictam facultatem dispensandi delegare aliis, etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, quia haec facultas conceditur episcopis ratione dignitatis, unde accipit conditiones potestatis ordinariae (Vicarius autem episcopi ratione sui officii hanc facultatem certe non habet, prout notant Salm.[31]). Imo addit Pignat.[32] et fuse probat quod eo casu censetur omnino cessare lex qua prohibetur tale coniugium contrahi; omnis enim lex (ut ait) ordinatur ad bonum publicum, ut revera est commune apud omnes ex *c.* 2. *de Observ. ieiun.* ubi dicitur quod necessitas careat lege, et ex *c.* 2. *dist.* 4. ubi s. Isidorus ait: *Erit autem lex honesta, possibilis secundum naturam, loco temporique conveniens, utilis, manifesta quoque, etc.* Unde quando lex evadit perniciosa, utique non obligat, ut docet d. Thom.[33] qui dicit quod cum aliquid est contra commune bonum, *malum est sequi legem positam.* Idem Cai. [34] Nav. [35] Soto[36] Pignat.[37] cum Cov. Led. et aliis passim; idem Salmant.[38] et Pal.[39], qui

(1) De matr. l. 2. d. 40. n. 3. (2) P. 1. n. 1206. (3) Eod. tit. q. 3. p. 15. n. 6. (4) P. 172. q. 2. (5) P. 2. c. 1. n. 31. (6) D. 22. n. 24. (7) De poenit. c. 13. n. 6. (8) Dict. d. 40. n. 3. et 7. (9) N 4. (10) T. I. l. 3. c. 27. n. 4. (11) T. 3. consult. 33. (12) De leg. l. 6. c. 14. (13) De leg. p. 50. n. 355. (14) De matrim. p. 343. n. 5. (15) L. 9. c. 6. n. 6. (16) P. 8. tr. 3. res. 80. (17) P. 18. §. 2. n. 9. (18) De matr. c. 14. p. 1. n. 11 (19) Qu. 6. art. 1. n. 3. (20) P. 500. n. 495. (21) De matr. n. 838. (22) De syn. l. 7. c. 31. n. 2. (23) In c. Nimis, de fil. presb. (24) T. 3. cons. 33. (25) N. 8. (26) N. 3. et 7. (27) N. 14. (28) L. c. (29) N. 6. (30) De matr. c. 14. p. 1. n. 12. (31) Ib. (32) T. 3. consult. 33. n. 5. (33) 2. 2. q. 120. a. 1. (34) Ib. (35) C. 16. n. 37. (36) De iust. q. 6. a. 3. (37) T. 3. consult. 33. n. 5. (38) De leg. c. 1. n. 2. n. 15. (39) Tr. 3. p. 1. n. 4.

probat cum Suar. Bon. Vasq. et Salas, quod lex bono communi non conveniens, non est lex neque obligationem inducit. Et ideo ait Pignatellus, tunc alium inferiorem legislatore posse declarare quod lex impedimenti cesset et non obliget, cum in eo casu, si adhuc pontifex vellet legem obligare, talis voluntas respiceret malum, quia esset causa scandali, quod non est praesumendum. Unde dicit Ronc. [1] (cuius opinionem ait auctor *Instruz. pro novis confessor*. [2] ex Iordano et Pignatell. ut supra non esse reiiciendam tamquam improbabilem et non tutam in praxi) quod si aliquando nec etiam ad episcopum aditus pateret, et nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum infamiae aut scandali, posset parochus vel alius confessarius declarare quod lex impedimenti eo casu non obligat, quia eadem ratio (ut supra) tunc urget, nempe quod cessat lex quando potius est nociva quam utilis. Et licet hic non cesset finis legis in communi, sed in particulari, cum tamen cessat finis legis in contrarium, lex etiam cessat, ut omnes conveniunt cum Salm. [3]. Notant tamen praefati auctores quod esto tunc permittatur contrahi matrimonium, tamen quantocius (saltem ad maiorem securitatem et ad salvandam reverentiam legibus ecclesiae debitam) recurri debet ad s. poenitentiariam ut ab illa dispensatio obtineatur.

614. Infertur 2. quod ubi non speratur fructus, omittenda est monitio etiam de restitutione facienda, ut dicunt Laym. [4] Lugo [5] Ronc. [6] Sporer [7] Viva [8] Elb. [9] cum Tamb. Sanch. [10] cum Cano Henr. Led. Met. et Cord. Holz. [11] cum Henno et comm. ac Salm. [12] cum Vasq. Suar. Con. Pont. Vill. Aversa etc. (contra Concinam Hab. [13] et Antoine [14], qui duo ultimi in assignanda ratione circa monitionem de matrimonio nullo et de restitutione facienda aperte sibi contradicunt). Ratio est quia confessarius, cum praevidet quod monendo de restitutione, poenitens non parebit et in peccatum formale incidet, magis praecavere debet eius spirituale damnum quam damnum alterius temporale. Bene tamen advertunt Viva et Roncagl., non facile iudicandum quod poenitens, cognita veritate, monitioni non obtemperabit.

Infertur 3. omittendam esse monitionem etiam quando timentur scandala aliorum, infamiae, rixae et similia; ita Suar. [15] Sanch. [16] Laym. [17] Lugo [18] Pal. [19] Ronc. [20] et Salm. [21] cum Vasquez Con. Covar. Dicast. et Granado. Quia semper praestat vitare mala formalia aliorum, quam materialia poenitentis.

615. Excipiendum est tamen 1. quando damnum redundaret contra bonum commune; licet enim confessarius teneatur ratione sui officii principaliter incumbere bono poenitentis, nihilominus, cum ipse sit pars reipublicae et in bonum reipublicae christianae minister constitutus, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis; ita cum Busemb. *ut supra* Lugo [22] Roncagl. [23] Salm. [24] cum Aversa Dic. et aliis communiter. Hinc omnino monendus est parochus qui erronee, etsi ex ignorantia invincibili, circa mores populum instrueret. Item monendus qui bona fide putaret se sacerdotem, cum non esset, ob sacramenta quae invalide conferret. Item ignorans nullitatem matrimonii, si de illa publica sit fama. Item bene addunt Salmant. [25] cum Busem. ex Lugo [26] (cuius doctrinam uti saluberrimam confessariis sequendam proponit pontifex in bulla mox citanda) confessarium debere admonere episcopos, praelatos, principes, gubernatores, confessarios et similes, qui ex ignorantia invinci-

(1) P. 172. q. 2. (2) P. 2. n. 32. (3) Ibid. c. 4. p. 1. n. 6. — Dicunt et quidem non sine fundamento Roncaglia et Instruct. etc. quod in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset parochus aut aliter prudens confessarius declarare talem legem non obligare. Hom. Ap. tr. 16. n. 11. (4) C. 13. n. 4. (5) Disp. 22. n. 26. (6) P. 94. quaest. 4. r. 2. (7) De poenit. n. 795. (8) Q. 8. art. 5. n. 5. (9) P. 344. n. 471. (10) L. 2. d. 38. n. 8. et 10. (11) T. 1. de consc. c. 3. n. 53. (12) De poen. c. 12. p. 3. n. 34. (13) Locc. cc. (14) P. 354. q. 3. (15) D. 32. sect. 4. n. 3. (16) Dict. d. 38. n. 10 (17) C. 13. n. 5. (18) D. 22. n. 7. (19) §. 2. n. 8. (20) P. 94. q. 4. r. 2. (21) Loc. c. (22) D. 22. n. 30. (23) Loc. cit. r. 1. (24) Ibid. n. 37. (25) Ibid. n. 40. (26) D. 22. n. 3.

bili perperam se gerunt circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernium, largitionem eleemosynarum de superfluis beneficiorum, administrationem sacramenti poenitentiae, etc. Ratio quia raro contingit huiusmodi ignorantiam esse inculpabilem vel non esse perniciosam aliis qui facile licita sibi putant quae a superioribus fieri observant. Imo bene advertit n. ss. p. Bened. XIV. in sua bulla *Apostolica* edita 26. iunii 1749. monendum esse poenitentem, *si in iis versetur facti circumstantiis quae, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere, quae ab iis qui ecclesiae sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit.* Praeterea bene addit Lugo, quod si confessarius rationabiliter dubitat an huiusmodi poenitentes suo debito satisfaciant, tenetur eos de illo interrogare.

616. Excipiendum 2. si poenitens interroget, tunc enim confessarius tenetur detegere veritatem, nec potest dissimulare; quia, cum ille iam incoeperit laborare ignorantia vincibili, dissimulatio confessarii esset error approbatio; ita Suar. [1] Laym. [2] Pal. [3] Lugo [4] Salm. [5] et alii commun. cum Sanchez [6] qui excipit, si poenitens non interrogaret cum dubio sed ex scrupulo; quia tunc (ut ait), dissimulante confessario, ille etiam remaneret in bona fide. Sed hoc merito non admittunt Lugo et Salm. [7] cum Soto Led. Lop. etc. quia, stante interrogatione facta, poenitens faciet postea auctoritate confessarii, quod antea faciebat ex ignorantia. Recte vero dicunt Sanch. [8] Suarez Laym. et Spor. [9] quod cum poenitens interrogat, confessarius non plus respondere debet quam ab ipso interrogatur: ex. gr. si quis obstrictus voto castitatis interroget, an matrimonium propter votum fuerit invalidum, et an teneatur uxori reddere debitum, confessarius affirmet utrumque, tacens de obligatione non petendi, etiamsi noverit matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens esse nullum.

Excipiendum 3. si poenitens brevi sit monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat: sic enim sapienter loquitur Laym. [10]: *Confessarius considerare debet quantum et quam diuturnum incommodum ex monitione timeatur; fieri enim quandoque solet ut poenitens initio conturbatus animo salutarem monitionem respuat, postea vero mente sedata eamdem cum fructu recipiat.* Imo dicit Lugo [11] cum Adriano Med. Cano et Corduba monendum esse poenitentem, etiamsi scandalum sit passurus, quando scandalum quod timetur brevi mansurum putatur, et spes sit quod monitio postea brevi habebit effectum suum. Sed hoc melius intelligendum locum habere, prout tradit Bened. XIV. in praefata bulla *Apostolica*, casu quo, ut ait, *dissimulante confessario, peccator in pravo opere obfirmaretur cum scandalo aliorum; vel quando quis in proxima peccati occasione versatur, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus ac morosis delectationibus quibus assentiri consuevit.*

Utrum autem facienda sit monitio in dubio an sit profutura vel obfutura. Resp. si non timetur de damno, omnino quidem fieri debet; si vero dubitatur tam de damno quam de fructu secuturo, tunc confessarius pensare debet damnum et utile, item gradum timoris damni ac spei utilitatis, et eligere id quod iudicat praeponderare; ita Lugo [12] et Salm. [13] cum Dic. et Aversa. Caeterum in dubio regulariter mihi videtur dicendum quod mala formalia potius evitanda sint quam materialia. Hinc loquens Concina de correctione fraterna [14], dicit quod in dubio an correctio sit profutura vel nocitura, omitti debeat, quia (ut ait) imprudenter agit qui dubius operationi morali se committit.

(1) D. 32. sect. 4. n. 2. et 3. (2) C. 13. n. 6. (3) N. 10. (4) D. 22. n. 29. (5) De poenit. c. 12. p. 3. n. 36. (6) D. 32. n. 14. (7) Locc. cc.

(8) N. 8. (9) Locc. cc. (10) C. 13. n. 5. (11) D. 22. n. 30. (12) D. 22. n. 31. (13) De poen. c. 12. p. 3. n. 39. (14) Tr. de eleem. c. 3. n. 9.

617. « Resp. 2. Ut confessarius licite hoc sacramentum administret, debet esse in gratia, alioqui peccabit mortaliter (*Vide dicta n.* 31.), item debet esse talis, ut per hoc non exponatur proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior constat ex dictis de sacramentis in genere. An vero audiens plures una quasi vice morali tot numero peccata committat, alii negant, ut Rodr., alii affirmant, ut Bonac. *hic.* (*Vide dicta lib.* 5. *n.* 50. *v. qu.* 6. ubi id omnino negatur). Pars posterior patet.

Unde resolvitur hic casus:

» Confessor conscius sibi peccati mortalis tenetur, antequam audiat vel saltem absolvat poenitentem (*V. dicta de hoc l.* 6. *n.* 36.) ipse confiteri vel conteri de suo peccato. Si tamen vocatus improviso ad moribundum recolligere se tam subito non possit ad contritionem eliciendam vel bona fide putet se elicuisse, non peccat absolvendo. Praep. Lugo Tamb. [1] (*Vide dicta n.* 33.).

618. » Respond. 3. Si male absolvit, committendo defectum essentialem, v. gr. si non protulit formam vel absolvit a reservatis non subditum, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scandalo, infamia, fractione sigilli et nocumento suo possit: sin minus, non tenetur. Si non absolvit a censura, potest ab eadem (si vel quando habuerit potestatem) absolvere absentem (*Vide dicenda de censur. n.* 117.) Bonac. [2] ex Suar. Fill. [3] Regin. Navar. Rodriq.

» Si non interrogavit sufficienter numerum, speciem vel alias circumstantias, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad poenitentiam agendam; monere enim extra confessionem non debet, cum iudicium sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idem poenitens debet moneri de defectu commisso, quia alioqui haec confessio non erit integra, cum quaedam non sit debite confessus.

» Dixi, *Si non interrogavit*: quia si positive dixit, non teneri confiteri numerum, speciem, etc. debet monere, si sine gravi scandalo et detrimento potest; quia est causa quod alter praeceptum grave scilicet confitendi illa peccata violet, Lugo [4].

» Si neglexit monere de restitutione, moneat, si quidem commode potest (vel in confessione vel extra, obtenta prius ab ipso venia; ea vero negata, ad nihil ultra teneri docent Tambur. [5] Sanchez contra Suar.) quia tenetur ex caritate: si non commode potest, Deo commendet, Laym. [6] Henr. Suar. Sylv. Merc. [7] Diana [8]. Quod si tamen (ex gravi seu mortali culpa contra ius alterius) dixisset eum non teneri ad restitutionem, vel aliter (v. gr. opinionem falsam persuadendo) esset causa efficax cur non restituat vel aliunde detrimentum accipiat ipse vel alius; tenetur ipsemet restituere, nisi moneat tempestive, priusquam poenitens fiat impotens; quia actione sua fuit iniusta causa damni. Si vero sine gravi culpa id fecit, tenetur nihilominus monere poenitentem, si commode potest: alioqui ipse obligatur, sicut casu priore. Si non commode potest, excusabitur. V. Suar. Con. [9] Bon. Diana [10] Lugo [11]. »

619. Hic distinguere oportet plura dubia quae hoc punctum concernunt. Dubitatur 1. Ad quid tenetur confessarius si erravit circa valorem sacramenti. Si erravit sine culpa, conveniunt omnes non teneri cum gravi incommodo famae vel honoris monere poenitentem de errore; ita Lugo [12] Salm. [13] Spor. [14] Viva [15] Elbel [16] et alii passim. Ratio quia tunc confessarius tenetur ad monitionem tantum ex caritate, quae non obligat cum gravi incommodo. Hoc tamen valet pro confessario delegato; aliter enim videtur dicendum de parocho, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 40. *v. Strictius*, eo quod parochus tenetur ex iustitia reparare grave damnum spirituale subditorum. Recte autem addunt praefati aa. quemcumque confessarium te-

(1) L. 3. c. 2. §. 3. (2) De cens. in comm. d. 1. q. 3. p. 6. (3) T. 11. c. 10. qu. 7. (4) P. 22. sect. 3. (5) L. 3. c. 8. (6) L. 5. t. 6. c. 9. (7) 3. p. q. 9. a. 4. (8) P. 4. r. 198. et p. 1. t. 4. r. 109. (9) D. 8. d. 77. (10) T. 1. m. r. 1. (11) D. 22. s. 3. n. 51. et supra l. 4. t. 5. c. 2. d. 1. art. 2. cas. 12. (12) D. 22. n. 58. (13) De poenit. c. 12. p. 4. n. 56. (14) P. 274. n. 305. (15) Q. 8. a. 5. n. 10. (16) P. 552. n. 457.

neri advertere poenitentem de nullitate absolutionis ei collatae, si ille sit in articulo mortis vel in gravi periculo non amplius se confitendi. Sed quid, si confessarius cum culpa gravi erravit circa valorem sacramenti, an tunc teneatur monere cum gravi suo damno?

Prima sententia negat et hanc tenent Bonac.[1] Suar.[2] cum s. Anton. Sylvest. Navar. et Cord. et probabilem censent Salm.[3] cum Vasquez Hurt. Aversa etc. Ratio, tum quia tale praeceptum non videtur obligare cum tanto dispendio, tum quia, sicut ipse poenitens non teneretur cum tanto incommodo sua peccata confiteri si monitus esset, ita nec confessarius. Excipit tamen p. Suarez, si confessarius deceperit poenitentem relinquendo illum in occasione proxima peccandi.

Secunda sententia vero quam sequimur affirmat et hanc tenent Lugo Viva Spor. et Elbel[4], item Tambur.[5] ac Leand. apud Salm.[6]. Ratio quia, licet confessarius ex caritate onus susceperit audiendi confessionem poenitentis, tamen, postquam audivit, tenetur ex officio et ex quasi contractu cum poenitente inito, rite ipsi ministrare sacramentum; unde si invalide ministraverit ex sua culpa, tenetur utique etiam cum gravi suo damno (petita licentia) illum de errore monere; et sic respondetur primae rationi oppositae. Respondetur item secundae, quod poenitens si monitus esset posset sine confessione aliter sibi providere eliciendo actum contritionis, at confessarius non potest ipsum inscium relinquere in tanto gravi suo damno carentiae gratiae sacramentalis. Diximus *petita licentia*, nam probabilius (contra alios) dicunt Conin. Bon. et Spor. apud Croix[7] quod si ex monitione gravis sequeretur offensio poenitentis, non tenetur tunc confessarius nec potest monere, quia sigillum laederetur iuxta dicenda *num.* 622. Item probabile videtur cum aa. primae sententiae, quod si poenitens iterum alteri confessus fuerit, tunc non tenetur confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate primae confessionis. Ratio quia tunc iam moraliter certo poenitens supponitur iustificatus; et ideo sicut ille non tenetur cum gravi dispendio procurare integritatem confessionis, ita nec confessarius. Et idem potest dici si poenitens eucharistiam deinde susceperit, quia (ut diximus *de sacram. in genere n.* 6. cum d. Th. et aliis communiter) eucharistia cum attritione et bona fide suscepta, per accidens primam gratiam confert.

620. Dubitatur 2. Quid si error non fuerit circa valorem sed circa integritatem confessionis, nempe si confessarius neglexerit interrogare de speciebus et numero peccatorum? Respondetur: Si confessarius in hoc negative se habuit non interrogando, tunc non tenetur monere de errore, nisi intra confessionem, ut cum Bus. dicunt Lugo[8] Sporer[9], item Suarez et Arriaga apud Croix[10]. Et hoc etiamsi confessarius culpabiliter interrogare neglexerit. Ratio quia obligatio faciendi confessionem integram directe afficit poenitentem, non confessarium; unde licet confessarius teneatur intra confessionem interrogare poenitentem de speciebus et numero peccatorum, ut efformet iudicium de statu causae et poenitentis, finito tamen iudicio cessat in confessario huiusmodi obligatio. Si vero ipse positive induxit poenitentem ne explicaret ille species sive numerum, tunc, si cum culpa gravi id fecerit, tenetur etiam extra confessionem cum licentia poenitentis eum monere de errore, sed sine scandalo et sine gravi suo damno, ut bene aiunt Lugo[11] et Spor.[12]; nam sicut grave damnum excusat poenitentem ab integritate confessionis, ita etiam confessarium. Quod si confessarius in hoc non graviter peccaverit, tunc multo minor causa sufficiet ad eum excusandum a monitione facienda. Hinc

(1) Q. 7. p. ult. n. 4. (2) D. 32. sect. 6. et 7.
(3) De poen. c. 12. p. 4. n. 56. (4) Locc. cc.
(5) Meth. conf. l. 3. c. 3. n. 5. (6) Loc. cit.
(7) L. 6. p. 2. n. 1785. (8) D. 22. n. 75.
(9) N. 304. (10) N. 1779.
(11) N. 75. (12) Loc. cit.

recte aiunt Lugo [1] Tambur. [2] cum Fill. ac Suar. Arriaga ap. Croix [3] quod confessarius qui bona fide deobligavit poenitentem ab explicanda specie sive numero, regulariter non tenetur admonere extra confessionem, quia regulariter (dico semper) sine incommodo et rubore id facere non potest.

621. Dubitatur 3. Ad quid tenetur confessarius, si positive deobligavit vel non monuerit poenitentem de restitutione facienda. Respondetur: Si illum positive deobligavit cum sua culpa gravi, omnes dicunt teneri ad monitionem etiam cum gravi incommodo, vel intra confessionem, si poenitens brevi ad confitendum redeat vel extra petendo licentiam, si non redeat. Alias non monendo, vel monendo postquam poenitens factus sit impotens, tenebitur ipse confessarius ad restitutionem: casu quo (intelligendum) poenitens iam restituisset, si fuisset monitus. Ita communiter Lugo [4] Pal. [5] Bonac. [6] Viva [7] Elb.[8] Spor.[9] et Salm.[10] cum Gran. Gabr. Bonasp. et aliis passim. Ratio quia confessarius suo iniusto consilio iam fuit causa damni. Si vero sine culpa gravi poenitentem deobligavit, non tenetur iam cum gravi suo incommodo illum de restitutione monere; tenetur vero, si commode potest, ut dicunt Salm. [11] cum Aversa et Dicast. Imo tenetur etiam cum aliquali suo incommodo, ut recte aiunt Lugo [12] et Elb. Viva ac Sporer [13], quia ex caritate quisque tenetur cum levi incommodo reparare grave damnum proximi.

An autem confessarius, si tunc omittat monere, cum possit sine gravi suo incommodo, teneatur ipse ad restitutionem. Negat Sanch. [14] eo quod confessarius (ut ait) tunc non tenetur ex iustitia monere, cum non sit causa positiva damni, sed tantum negativa, tacendo scil. manifestari poenitenti eius cognitam obligationem; tenetur ergo ad monendum tantum ex caritate quae non obligat ad restitutionem. Et consentit huic opinioni Caiet.[15] qui sic dicit: *Si data opera* (confessarius) *docuit falsa, putans esse vera, non tenetur lege iustitiae.* Et idem ait Nav. ap. Sanch.[16]. Sed communius et verius affirmant Lugo [17] Spor. Elbel Viva [18] et Salm.[19] cum Aversa Dic. etc.; item Aragon. et Salon. apud Sanch. Ratio quia, licet confessarius sine culpa saltem gravi poenitentem deobligaverit a restitutione debita, tamen, cum suum consilium pergat influere in damnum creditoris, cognito errore, tenetur ipse ex iustitia causam damni auferre, si commode potest, alias obligatur restituere, cum hic et nunc ipse sit causa damni, prout si quis sine culpa gravi accendit ignem in segetem alienam, tenetur postea (si commode potest) ex iustitia illum extinguere. *Vide dicta l. 3. n. 994.* Bene autem advertunt Bus. ut supra Lugo [20] et Bonac.[21] quod cum confessarius iam monuerit poenitentem, priusquam ille fieret impotens, tunc ad nihil tenetur, etiamsi culpabiliter antea eum deobligaverit a restitutione; quia consilium tunc solum influebat ex auctoritate confessarii, unde, revocato consilio, cessat sua auctoritas influere.

Sed quid si poenitens tempore confessionis erat dispositus ad restitutionem si monitus fuisset, et postea, mutato animo, nollet monitus restituere cum posset. Antoine [22] dicit quod tunc confessarius ad nihil tenetur, quia tunc confessarius sua monitione iam aufert causam damni, et ideo si poenitens non restituit, id ex eius malitia provenit. Sed merito sapientissimus Lugo [23] non excusat confessarium eo casu a restitutione: ratio quia, esto is qui auctoritative dat pravum consilium, revocato consilio ad nihil amplius teneatur ut communiter docent dd. *l. 3. n. 559.*, hoc tamen procedit, quando damnum non est adhuc factum, non vero cum ex consilio damnum est iam illatum

(1) L. c. (2) L. 3. c. 3. n. 3. (3) Dict. n. 1779. (4) D. 22. n. 61. (5) P. 18. §. 3. n. 5. (6) De restit. q. 7. p. 1. §. ult. n. 22. (7) De poen. q. 3. a. 5. n. 10. (8) P. 233. n. 439. (9) P. 274. n. 305. (10) De poen c. 12. p. 4. n. 56. (11) Ibid. n. 51. (12) N. 66. (13) Locc. cc. (14) Cons. l. 1. c. 5. dub. 5. n. 2. (15) V. Restitutio c. 7. (16) L. c. (17) N. 65. (18) Locc. cc. (19) Ibid. n. 51. (20) N. 64. (21) L. c. (22) P. 544. qu. 10. r. 2 (23) Dict. n 64.

alteri. Quando autem confessarius positive et culpabiliter deobligat poenitentem dispositum ad restituendum, tunc ipse est causa ut actu damnum creditori inferatur, cum alias si non deobligaret, iam actu fieret restitutio. Unde si damnum iam actu infertur, confessarius, etiamsi postea quaerat inducere poenitentem ad restituendum, si ille renuat non excusabitur ipse a restitutione, cum ipse fuerit causa damni illati.

Hoc, si confessarius positive restitutionem impedivit. Si vero negative se habuit, negligendo monere poenitentem de restitutione, tunc distinguendum: Si inculpabiliter id egerit non tenetur quidem cum gravi suo incommodo monere poenitentem, sed tenetur cum aliquali, ut diximus, quia caritas obligat quemquam ad reparandum cum levi suo incommodo grave nocumentum proximi. Et in hoc advertit Lugo [1] incommodum mensurandum esse respective ad damnum; quod si sit gravissimum, aderit forte obligatio illud reparandi etiam cum notabili incommodo. Si vero confessarius culpabiliter neglexit monere de restitutione, merito dicunt Lugo Elbel [2] teneri cum maiori suo incommodo ad monitionem faciendam. An autem omittendo hanc monitionem teneatur ipse restituere. Si inculpabiliter omittit, conveniunt omnes ad nihil teneri. Sed dubium est, si culpabiliter omittat, an teneatur ad restitutionem.

Prima sententia absolute affirmat et hanc tenent Navar.[3] Filliuc. [4], item P. Nav. Mol. Sayr. Med. Arag. etc. apud Bonac. [5]. Quia (ut aiunt) confessarius ex officio tenetur poenitentem docere de sua obligatione, alias non docendo ipse est causa damni.

Secunda sententia quam tenent Les.[6] et Antoine [7] censet confessarium delegatum non teneri: teneri vero parochum, quia parochus ex officio obligatur impedire ne sui subditi damnum aliis inferant.

Tertia sententia vero communissima quam tenent Suarez [8] Pal. [9] Sanchez [10] Cabas.[11] Az.[12] Elbel [13] Salm. [14] Croix [15] cum Vasq. Diana [16] Bon. [17] cum Sa Valent. et Reg. Lugo [18] cum Conc. Mald et communi (ac probabilem putat ipse Less.[19]) docet confessarium, sive delegatum sive parochum, non teneri ad restitutionem. Ratio quia delegatus tenetur ad monitionem ex sola caritate quae non obligat ad restitutionem. Parochus autem, cum ipse sit constitutus tantum pro bono spirituali subditorum, tenetur quidem ex suo munere damna ipsorum spiritualia impedire, non autem temporalia aliorum. Et hoc verius puto dicendum (quidquid confuse dicat Croix [20]), etiamsi confessarius studiose negligat monere poenitentem ut ipse non restituat; quia adhuc tunc deest positivus influxus in damnum aliorum, qui omnino requiritur ad obligationem restitutionis, ut fatetur idem Croix [21] et commun. docent dd. iuxta *dicta l.* 3. *n.* 584.

622. Dubit. 4. An confessarius possit loqui extra confessionem cum poenitente de defectu commisso in confessione sine ipsius licentia.

Prima sententia dicit non solum posse, sed etiam teneri, et hanc tuentur Suar. [22] Petroc.[23] Spor.[24] et Fill. Turr. Hurt. Merati Lohn. etc. apud Croix [25] et probabilem putant Layman [26] Pal. [27] Esc.[28] Bon.[29] et Salm.[30]. Ratio quia talis monitio supplet et perficit eamdem confessionem inchoatam quae imperfecta manserat; unde, etiamsi poenitens licentiam negaret, poterit confessarius ei manifestare defectum, cum esset tunc ille irrationabiliter invitus.

Secunda sententia, vero cui subscribo,

(1) D. n. 63. (2) Locc. cc. (3) C. 17. n. 22. (4) Tr. 32. c. 3. q. 12. n. 79. (5) De rest. d. 1. q. 2. p. 11. n. 15. (6) L. 2. c. 15. n. 77. et 78. (7) P. 544. q. 10. r. 5. (8) D. 32. sect. 6. n. 9. (9) P. 18. §. 3. n. 6. (10) Dec. l. 1. c. 6. n. 5. et l. 2. c. 11. n. 25. (11) Lib. 6. c. 13. n. 11. (12) 3. p. l. 4. c. 16. q. 3. (13) N. 440.

(14) De poenit. c. 12. p. 4. n. 52. (15) N. 1781. (16) P. 1. tr. 1. r. 1. (17) L. c. (18) D. 22. n. 67. (19) L. c. (20) L. c. (21) L. 3. p. 2. n. 146. (22) D. 33. sect. 5. n. 5. (23) T. 4. p. 96. n. 5. (24) N. 322. (25) N. 1776. (26) C. 14. n. 15. (27) P. 18. §. 3. n. 6. (28) L. 16. n. 675. (29) P. 15. §. ult. n. 21. (30) De poen. c. 14. p. 3. n. 44.

id negat, eamque tenent Sanch. [1] Lugo[2] (qui ait contrariam repugnare communi sensui theologorum) et probabiliorem censent Croix Pal. Escob. [3] cum Soto Vict. Fagn. Rodr. Philiarc. et Salmant. [4] cum Sylvio Val. Bonac. Regin. Aversa Gab. Megala Graff. et Diana. Ratio potissima quia, licet monitio illa fiat ad reparandum defectum praeteritae confessionis, attamen cum non sit cum illa coniuncta et iudicium iam fuerit completum, evadit illicita, eo quod esset quaedam peccati exprobratio, et ideo odiosam confessionem redderet. Hoc tamen intelligendum si confessarius iudicium iam perfecerit absolutionem impertiendo; nam si non absolverit vel quia oblitus fuerit absolutionem dare vel quia eam male protulerit, tunc valde probabiliter dicit Croix[5] cum Stoz et Arriaga bene posse confessarium, non petita licentia, dicere poenitenti eum non absolvisse; tunc enim revera nulla intervenit peccati exprobratio.

623. Quae et quanta sit obligatio confessarii audiendi poenitentes.

« Respondetur 1. Quivis sacerdos etiam simplex, quando non est alius paratus, tenetur in extrema necessitate, v. gr. in periculo mortis audire et absolvere volentem confiteri. Ratio est lex caritatis.

» Resp. 2. Parochus et quivis sacerdos curatus tenetur audire confessionem sui subditi, non tantum in casu necessitatis aut praecepto confessionis urgente, sed etiam, saltem per se vel alium, quoties poenitens id rationabiliter petit; v. gr. si sit in gravi aliqua difficultate spirituali vel velit promereri iubilaeum, etc. quia tenetur eius bonum spirituale promovere. Suarez Vasquez Lugo etc. Si tamen nimis frequenter vel intempestive peteret, excusaretur. Aversa [6]. Quod si etiam semel tantum vel bis negaret aut differret, non peccaturum graviter ob levitatem materiae, docet Suar. contra Bonac. Admittitque Aversa [7] si non petat ex urgenti occasione, v. gr. solemnibus festi, etc. (*Vide dicta hoc lib.* 6. *n.* 58.)

» Resp. 3. Quotiescumque poenitens ex mera devotione vult confiteri, parochum teneri illum audire, contra Sylv. Reg. etc. docent Azor. Suar. Con. Bon. Molf. Lugo etc. Sed recte limitat Aversa [8] si non adsint alii confessarii delegati, et parochus non legitime impediatur.

» Resp. 4. Reliqui sacerdotes, per se loquendo, non tenentur audire confessiones, si tamen audire coeperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet, neque possunt remittere ad alium : quia poenitens eo ipso habet ius ad absolutionem, nec potest fructu et gratia sacramenti privari. Aversa [9]. »

624. Rogatur 1. An confessarius non parochus teneatur cum periculo vitae absolvere moribundum existentem in mortali.

Prima sententia negat teneri et hanc defendunt Nav. [10] Conin. [11], item Soto Mald. et Sa apud Lugo[12], qui probabilem putat. Ratio quia dum proximus potest absolute a periculo damnationis se liberare, eliciendo actum contritionis, non est in tanta necessitate ut alter teneatur ei succurrere cum periculo vitae. Limitat vero Coninch. [13] si talis infirmus sit in extrema necessitate, nempe si ignoret contritionem esse sibi necessariam, vel nesciat eam elicere : quod revera censeo in rudibus ut plurimum accidere.

Secunda sententia tamen quae mihi magis arridet, affirmat, eamque tenent Suar. [14] Cont. Tourn. [15] et Valent. ac Lorca apud Lugo[16]. Ratio quia, esto in rigore loquendo posset moribundus per contritionem sibi providere, tamen non potest negari, quod magno periculo exponatur ille suae aeternae salutis, si absque absolutione relinquatur, et sicut cum certa est damnatio proximi si non absolvatur, teneris certam mortem subire; ita dico, cum proximus

(1) De matr. l. 3. dist. 16. n. 3. (2) Dist. 23. n. 139. (3) Lecc. cc. (4) Ib. (5) Dicta n. 1776. (6) Q. 16. sect. 11. (7) Loc. cit. (8) Loc. cit. (9) L. c. (10) Man. c. 24. n. 9. (11) D. 25. n. 89. (12) D. 23. n. 12. (13) Loc. cit. (14) D. 3. sect. 2. num. 3. et d. 32. sect. 7. num. 1. (15) De poenitentia part. 2. cap. 8. art. 6. n. 8. et seq. (16) N. 12.

est in probabili periculo damnationis, teneris ei subvenire cum probabili periculo mortis; ex lege caritatis quae obligat in pari periculo exponere vitam temporalem ad salvandam vitam proximi spiritualem. Si tamen sacerdos nesciat eum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitae, ut dicunt Tolet. et Verricel. apud Cont. Tourn. qui non reprobat [1].

625. Rogatur 2. An simplex sacerdos qui degit in oppido, ubi talis esset penuria confessariorum, ut incolae gravi laborarent necessitate spirituali, utrum hic tutus sit in conscientia, si negligat confessiones excipere, vel, cum possit, ad eas excipiendas se habilem reddere. Apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium inveni discussum, tantum ad manus mihi pervenit quidam libellus cui titulus *Parroco di villa*, et cuius auctoris doctrinam ac pietatem varia eius opuscula satis comprobant; ubi haec habentur: *Chi ha talento per confessare, e vede nella sua terra la mancanza della confessione, e conosce o che non si frequenta o si strapazza, è tenuto ad amministrare tal sacramento; e se non è d'età molto avanzata, è tenuto in coscienza ad abilitarsi al meglio che può.* Affert idem auctor auctoritatem patris Pavone societatis Iesu, viri admodum docti et pii, qui in suis operibus sic scripsit: *L'obbligo come sacerdote è di ubbidire al mio prelato, quando mi comanda che confessi, e non ho legittimo impedimento, perchè il prelato può comandarmi, ed io non ho ragione di tener ozioso il talento... Di più ho obbligo di offerirmi al vescovo, e di chiedergli facoltà di confessare, quando io mi accorgo essere in grave bisogno il popolo per mancamento de' confessori.*

Breviter dicam super hoc puncto quid sentiam. Certum est quod sacerdotes sunt a Deo constituti, ut saluti animarum incumbant; sicut enim divinus Pater misit Filium suum ut salvaretur mundus per ipsum, ita Christus Dominus misit sacerdotes ut in suum officium succederent et pro eo legatione fungerentur, ut ait apostolus [2] et ipse Christus Dominus [3]: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Ideo concilium Trident. [4] requirit ut promovendi ad presbyteratum, *ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta... idonei comprobentur.* Praecipua autem sacerdotum obligatio est ministrare eucharistiae et poenitentiae sacramenta, ad hoc enim sacrificandi et absolvendi a peccatis confertur eis duplex potestas. Imo specialiter ad hoc munus absolvendi Christus Dominus Spiritum sanctum infudit, ut ipse testatus fuit [5] dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo si Christus misit sacerdotes praecipue ad salvandas animas, absolvendo eas a peccatis, sequitur hoc esse proprium sacerdotum munus, ac consequenter ipsos teneri saltem in gravi populorum necessitate suam potestatem exercere, et ad hoc se habiles reddere, ne dicatur quod in vacuum gratiam Dei receperint [6]. His positis, non video quomodo sacerdotes illi qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt, possint esse tuti in conscientia, et excusari ab exprobratione Domini, ac a supplicio damnationis inflicto servo illi otioso qui talentum absconditum, ut habetur Matth. *cap.* 25. *vers.* 18., quem textum interpretes (ut Cornelius a Lapide, Calmet et Tirinus cum s. Ambrosio) proprie explicant de eis qui possunt sua opera procurare animarum salutem et negligunt: *Notent hoc* (ait Cornelius) *qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem, ob desidiam vel metum peccandi; ab his enim rationem reposcet Christus in die iudicii.* Nec dicant huiusmodi sacerdotes satis suam obligationem explere, si alio modo ani-

(1) Hanc secundam sententiam vocat veriorem in Hom. Ap. tr. 16. n. 125.
(2) 1. Cor. 3.
(3) Ioan. 20. 21.
(4) Sess. 23. c. 14.
(5) Loc. cit.
(6) 2. Cor. 6

mabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando, quin sacramentum confessionis ministrent; nam illis tenentur subvenire in eo quo indigent ad propriam salutem. Si enim proximus indiget cibo, in cibo debes ei subvenire, non in vestibus. Saepe autem accidit in oppidulis, quod plures forte non egeant instructione aut monitione, quia forte iam sunt satis instructi et parati ad confessionem; sed deest ipsis sacerdos qui eorum confessiones excipiat. Nec valet dicere quod sacerdos simplex, si teneretur confessiones excipere teneretur tantum ex caritate, sed haec non obligat cum gravi incommodo, prout esset labor insumendus ad acquirendam scientiam satis necessariam ad excipiendas confessiones. Nam respondetur quod licet exercitium confessiones excipiendi sit opus caritatis, tamen non oritur ex simplici motivo caritatis, sed ex proprio sacerdotis officio, cui ex Christi institutione haec obligatio est annexa, eique satisfacere debet sacerdos, quando urget populi necessitas. Haec mihi dicenda videntur: caeterum sapientiorum iudicio ea sedulius consideranda relinquo.

DUBIUM VI. Quae scientia et prudentia requiratur in confessario.

626. *De obligatione intelligendi peccata poenitentis.*
627. *De scientia confessarii ad debitum iudicium formandum de peccatis.*
628. *Quando excusetur confessarius minus idoneus. An regulares teneantur intervenire congregationibus casuum conscientiae.*
629. *De prudentia confessarii circa interrogationes, et de obligatione interrogandi quoad peccata omissa.*
630. *Quid si ei constet peccatum quod poenitens negat. Et quid si illud sciat ex confessione complicis.*
631. *Haec diligentius discutiuntur.*
632. *De interrogationibus in materia castitatis.*

626. « Resp. 1. Ut sacerdos rite absolvat debet, quantum moraliter fieri potest, omnia peccata poenitentis intelligere, quia alioqui is frustra teneretur recensere.

Unde resolves:

» 1. Peccat qui absolvit eum, cuius peccata per negligentiam non satis intellexit, quia fert sententiam, incognita causa. Validam nihilominus esse absolutionem, sive propter somnum etc., ut dictum supra *c.* 1. *dub.* 3. *art.* 4. sive propter cantum vel linguam impeditam poenitentis (sine huius tamen culpa) aliqua non intellexerit, docet Diana [1]. Item Laym. [2] ex Henr. Suar. Sylv. Merc. [3], eo quod essentia et effectus sacramenti consistere possit absque integra et specifica peccatorum explicatione, si sine culpa poenitentis omittantur. Vide Diana [4].

» 2. Si tamen poenitens post confessionem intelligat unum vel plura mortalia non fuisse intellecta, debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud eumdem sive apud alium confessarium. Laym. Diana [5].

» 3. Confessarius absolvens ex ignorantia quem absolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirum ignorantia eorum quae ad officium suum spectant, et indebite absolvendo. Tann.[6] Lugo [7].

627. » Resp. 2. Ut confessarius valide absolvat, requiritur et sufficit cognoscere peccata saltem sub confusa ratione peccati. Ut vero licite, requiritur ea scientia, ut possit ferre prudens iudicium in hoc foro; ideoque debet scire 1. quae sint mortalia, quae venialia, saltem ex genere suo (Nota hic ex Lugo [8] Spor. [9] Holzm.[10] et Salm. [11] cum Gran. non esse necessarium ut confessarius in omnibus iudicet quae sint peccata gravia vel levia; sufficit si sciat hoc iudicare in iis quae communiter occurrunt; reliqua autem audiat et absolvat. Insuper docent Salmant.[12] cum Suar. Sanch. Dic. Con. etc. quod licet in aliquo casu confessarius non discernat quae sint gravia aut levia, si poenitens bona fide dicit peccatum suum, confessio valet, et quamvis postea advertatur fuisse mortale, non est cur repetatur in alia confessione). 2. Species et circumstantias necessario explicandas. 3. Spectantia ad restitutionem bonorum et famae. 4 Casus

(1) 3. p. t. 4. r. 109. et p. 4. t. 4. r. 198.
(2) L. 5. t. 6. c. 9. (3) In 3. p. (4) L. c.
(5) Locc. cc. (6) T. 2. t. 4. q. 9. d 1. n. 12.
(7) D. 16. s. 4. n. 185. (8) D. 22. n. 70.
(9) N. 783. (10) N. 727.
(11) De poen. c. 12. p. 1. n. 1. (12) L. c.

reservatos et excommunicationes saltem communiores. 5. Censuras et irregularitates communiores pro sacerdotibus. 6. Requisita in poenitente ad bonam dispositionem. 7. Remedia peccatis opportuna. Circa quae omnia notantur haec tria.

» *Primo* sufficere, si ea sciat mediocriter, ita ut saltem norit prudenter de omnibus dubitare, et doctiores se vel libros consulere (Melius dicunt Salm. [1] cum Suar. et communi, satis esse si confessarius intelligat quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare).

» *Secundo*, maiorem minoremque requiri, ac sufficere scientiam, pro diversitate locorum et poenitentium Bonac. [2].

» *Tertio*, graviter peccare tum eum qui sine sufficienti scientia huic muneri se ingerit, tum eum qui talem sine necessitate constituit, aut, cum possit corrigere, tolerat. Layman [3] Bonac. [4] Lugo. »

628. Excusatur tamen confessarius qui caret sufficienti scientia, si adsit necessitas, nimirum si aliter poenitentes deberent diu carere confessione, ut evenit in captivis; ita Lugo [5] et Salm. [6] cum Suar. etc. Et idem dicunt Lugo [7] et Aversa ap. Salm. [8] pro parvis oppidis aut triremibus, ubi (ut aiunt), si haberi nequeunt docti sacerdotes, deputari possunt minus docti, quales possint haberi. Admonendi tamen hi sunt de obligatione discendi.

Caeterum qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi suadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis, pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum quae circumferuntur, nec satis est generalia principia huius facultatis scire, ut quidam qui (casuistas contemnentes) litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est christianae reip. cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam est summopere difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quae nonnisi apud casuistas allatae inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum huiusmodi leges in dies prodeant; demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio: nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia; et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione, vel plurium accurata lectione librorum qui res examinant et dilucidant.

Nota obiter hic quod episcopus non possit cogere confessarios regulares ad interveniendum in congregationibus casuum conscientiae, ex decl. s. c. quam refert p. Zacharia apud Croix [9]. Sed contra adest decretum s. c. disciplinae respectu ad superiores regulares Italiae datum 8. nov. 1752. et approbatum a Bened. XIV. ubi provisum fuit ut in omnibus conventionibus regularium, in quibus sunt confessarii ab episcopo approbati, omnino fiat lectio et conferentia casuum conscientiae, iuxta decreta Clementis VIII., et ut ubi conferentia non fit, teneantur praedicti confessarii assistere conferentiae casuum ab episcopo statutae.

« 1. Si poenitens advertat sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere, se peccasse mortaliter.

» 2. Qui sciens prudens confitetur ei quem scit suam conscientiam diiudicare non posse, tenetur confessionem repetere apud peritiorem, quia graviter peccaret sic confitendo.

629. » Resp. 3. Prudentia requiritur tum in instructione, monitione, curatione poenitentis, tum in interrogatione. Et quidem si prudenter iudicet integre esse confessum, v. gr. quia bene

(1) Ibid. n. 7. (2) Dist. 5. q. 7. p. 2. §. 2. (3) L. 5. c. 13. (4) Loc. cit. (5) D. 22. n. 74. (6) De poenit. c. 12. p. 1. n. 12. (7) Ibid. (8) L. c. (9) L. 6. p. 2. n. 1320.

instructus potest et solet adhibere diligentiam debitam (Vel quia de brevi est confessus) non tenetur quidquam interrogare, alias tenetur, ut habet communis (Diana tamen [1] ex Navar. et Valer. negat esse mortale non examinare aliquam circumstantiam ex oblivione. Vide etiam c. de Lugo [2]); quia tamquam iudex debet curare integritatem iudicii, et tamquam medicus ut morbi et vulnera perfecte detegantur; cavendo interim 1. Ne examen sit curiosum de non necessariis, unde confessarii existimatio, sacramenti dignitas et poenitentis profectus minuatur. 2. Ne sit indiscretum, v. gr. de iis quae moraliter certum est a tali non solere committi, vel ex quibus discat peccare poenitens, vel de inverecundis inverecunde, vel de numero nimis anxie, si ex dictis probabiliter aestimari possit. 3. Ne sit intempestivum, et sinatur prius se explicare quantum potest, ne importunitate terreatur. Quod vero quidam monent expedire ut poenitens inter confitendum non interrumpatur, id c. de Lugo [3] universim non probat, praesertim si confessio non sit brevis, quia facile aliqua excidunt e memoria (*Vide dicta n.* 607. *in fin.*).

Unde resolves:

» 1. Si sacerdos advertat poenitentem, etiam post sufficientem diligentiam, peccatum aliquod aut circumstantiam necessariam omittere, probabilius ac verius est, per se loquendo, teneri interrogare; etsi neget Sa [4] et Medin. docens, si diligenter examinata unius sit oblitus, non teneri confessarium illud revocare in memoriam, nisi cedat in damnum proximi, quod Vasq.[5] videtur dicere esse probabile: verum alii reiiciunt. Vide c. de Lugo [6] (Et recte quidem reiiciunt, ut tenendum cum communi sententia, quam docent Suar. [7] Laym. [8] et Pal. [9] cum Tol. Nav. Con. Graff. Henr. et aliis ex *c. Omnis*, et ex rituali rom. allatis *n.* 607.).

630. » 2. Etsi confessarius, cui evidenter constat peccatum poenitentis, quod tamen ipse neget, non debeat illum absolvere, quando vero ex aliorum relatione vel suspicione id habet, standum est poenitentis confessioni, cui in hoc foro tam *pro* quam *contra* se fides habetur (Suar.[10] Fag.[11] citati a Diana [12]). In utroque tamen casu prudentis confessarii est, 1. Caute et a longe, tum propius interrogare. 2. Si nihilominus neget, prudenter iudicare an non potuerit oblivisci, vel confessus esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excusari, ita ut debeat absolvi. Diana [13] ex Sylv. Navar. Tol. etc. 3. Si peccatum illud norit ex confessione complicis, non uti illa scientia nisi in genere, quaerendo an non aliud conscientiam gravet, et excitando ad maiorem contritionem, ob periculum indirectae revelationis, aut etsi complex dederit veniam, ob periculum scandali. Vide Laym. [14]. »

631. Diligentius hic videndum quid debeat agere confessarius cum poenitente, de quo sciat vel suspicetur aliquod peccatum quod ille non confitetur. Distinguendum, si sciat extra confessionem, et noverit ex propria scientia, puta furantem aspiciendo vel audiendo blasphemantem, sine dubio non debet absolvere si ille negat, modo non adsit prudens dubium an alteri fuerit confessus, vel iustam habeat causam tacendi; ita communiter omnes cum Bus. Laym. [15] Suar. [16] Lugo [17] Conc. [18] Spor. [19] Mazz. [20] Viva [21] Elbel [22] Holz. [23] et alii passim. Si vero confessarius id habet ex suspicione vel ex aliorum relatione, dicunt etiam communiter Suar. Laym. Holzm. Spor. et Mazzot. [24] quod post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere negantem; tunc enim putare debet quod ille aut fuerit peccati oblitus, aut alteri confessus, vel quod habeat iustam causam reticendi, aut relatores deceptos fuisse;

(1) P. 2. tr. 15. r. 7. (2) D. 22. (3) D. 22. n. 15. (4) V. Confessor. (5) Qu. 95. d. 7. n. 5. (6) D. 22. (7) D. 23. sect. 3. n. 7. (8) C. 15. quaest. 5. (9) P. 18. §. 2. n. 5. (10) T. 4. d. 52. sect. 3. (11) P. 2. l. 6. c. 4. n. 59. (12) P. 3. t. 4. r. 195. (13) Loc. cit. (14) C. 24. (15) C. 14. n. 55 (16) D. 32. sect. 3. n. 9. (17) D. 22. n. 21 (18) P. 694. n. 25. (19) N. 802. (20) P. 451 (21) Q. 3. art. 3 n. 2. (22) N. 454. (23) 724. (24) Locc. cc.

quia in hoc foro (ut docent omnes cum d. Thoma [1]) omnino poenitenti credendum est tam pro se quam contra se. Sed non alienum a ratione mihi videtur id quod dicit Elbel [2], nempe quod si confessarius notitiam habeat alicuius peccati ex certa relatione aliorum, tunc non posset absolvere poenitentem illud negantem; revera enim, si istius crimen mihi referrent testes tam graves, qui de eo me redderent moraliter certum, et ex alia parte certus essem quod poenitens non potuerit oblivisci nec ullam causam reticendi habeat, tunc non auderem huic absolutionem impertiri: nam regulam illam quod credendum sit poenitenti, dico procedere quidem in re dubia, non vero in re moraliter certa, moralis etenim certitudo vera certitudo est.

Si autem confessarius noverit peccatum ex confessione alterius, tunc utique non poterit specialiter poenitentem de illo interrogare, nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantum poterit generatim interrogare; et in hoc dico quod confessarius non sit nimius in interrogationibus repetendis, quia in hoc etiam esset periculum revelationis. Ita communiter Laym. Sporer Bus. etc. ut supra. Non improbabiliter tamen dicunt Nav. [3] cum Sylv. et Layman Spor. ac Holzm. [4] quod si aliquod peccatum sit commune talibus personis, possit de eo speciatim interrogare, prout in sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel saltem in pravas cogitationes. An autem possit confessarius casu, quo complex se confitens neget peccatum, illum absolvere. Affirmant posse et debere Lugo [5] Anaclet. [6] cum Gob. et Herincx ac Diana [7]. Elbel autem [8] censet debere absolvere sub conditione. Sed melius meo iudicio sentit Croix [9] citans Suar. Dicast. et Ills., quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis. Et huic adhaeret Viva [10] dum dicit quod cum confessarius prudenter iudicat poenitentem sacrilege negare peccatum, non debet eum absolvere.

632. « 3. Interrogationes in materia castitatis debent esse paucae et cautae, ne vel occasionem det investigandi aut traducendi confessionem, aut ignorantem doceat aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si haec timeat, potius pati debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera; rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati fatentur, quod illas non aeque agnoscant aut advertant. Vide Laym. [11] Conin. [12] Fagun. [13] Diana [14].»

Cap. III. De adiunctis poenitentiae

Dubium I. Quid sit sigillum confessionis et qui ad illud teneantur.

633. *An in hac materia sigilli liceat uti opinione probabili.*
634. *Quomodo servari debeat sigillum.*
635. *Quot peccata committat qui sigillum violat.*
636. *Non est obligatio sigilli ex confessione ficta, neque ex secreto commisso extra confessionem.*
637. 1. *Quid, si poenitens discesserit indispositus.* 2. *Quid in dubio, an dixerit aliquid intra vel in ordine ad confessionem.*
638. *In quibus casibus non frangatur sigillum.*
639. *An confessarius possit et teneatur dare poenitenti non absoluto schedulam confessionis factae vel absolutionis acceptae.*
640. *Quae cadant sub sigillo. Cadunt* 1. *Peccata poenitentis etiam venialia.* 2. *Peccata complicis. An liceat interrogare de complice (Remissive ad n. 491.).*
641. *Dub.* 1. *An liceat monere complicem ex licentia poenitentis. Dub.* 2. *Quomodo cadit sub sigillo etiam obiectum peccati.* 3. *Cadit poenitentia imposita.* 4. *Cadunt peccatorum circumstantiae. An cadant virtutes et revelationes.*
642. *An cadant defectus naturales poenitentis.*
643. *Quid, si tales defectus per se pateant, nempe si poenitens sit blaesus, surdus etc.*
644. *Quid, si sit scrupulosus. Et quid, si confessarius advertat intra confessionem poenitentem esse surdum.*
645. *Qui teneantur ad sigillum. Tenetur* 1. *Confessarius.*
646. *Quomodo debeat confessarius respondere si interrogetur an audierit aliquod peccatum vel an absolverit.*
647. 2. *Superior requisitus pro licentia peccati reservati.* 3. *Interpres.* 4. *Qui audit confessionem furtive aut casu vel ex necessitate,*

(1) Quodlib. 1. a. 12. (2) L. c. (3) Man. c. 8. n. 17. v. 21. (4) Locc. cc (5) Dict. n. 21. (6) P. 618. n. 42. (7) P. 5. tract. 11. r. 21.
(8) P. 14. n. 44. (9) N. 1969. (10) L. c.
(11) Hic cap. 15. (12) Dist. 7. dub. 7
(13) Praec. 4. l. 4. c. 2. (14) T. 5. t. 4. r. 90

puta in naufragio etc. 5. *Is cui sacrilege revelatum est peccatum.* 6. *Confessarius fictus.* 7. *Doctor consultus.* 8. *Scriptor confessionis.* 9. *Confessionem scriptam legens.* 10. *Iuxta aliquos etiam poenitens, sed hoc improbabiliter.*

648. *Pusius discutitur quaestio* 1. *An doctor consultus a confessario de licentia poenitentis teneatur ad sigillum.*

649. *Qu.* 2. *An teneatur is quem consulit poenitens pro confessione facienda.*

650. *Qu.* 3. *An qui legit confessionem alterius scriptam.*

651. *Quomodo debeat esse licentia data a poenitente ad loquendum. Debet esse* 1. *Expressa.* 2. *Libera.* 3. *Non revocata.* 4. *Sufficit autem si detur voce.* 5. *Vel si detur facto, scilicet si poenitens incipiat loqui.*

652. *An confessarius possit loqui de peccatis cum poenitente statim post absolutionem. An possit monere poenitentem de errore in confessione commisso* (*Remissive ad n.* 622.).

653. *An possit loqui intra confessionem de auditis in alia.*

654. *An frangat sigillum confessarius dicendo se audivisse in aliquo loco tale peccatum. Dub.* 1. *An violet sigillum manifestans peccata alicuius loci. Dub.* 2. *Quid, si dicat religiosum alicuius conventus vel ordinis commisisse tale peccatum.*

655. *An liceat uti notitia confessionis ad externam gubernationem.*

656. *Dub.* 1. *An confessarius, ob peccatum a subdito auditum, possit eum amovere ab officio.*

657. *Dub.* 2. *An possit negare suffragium ei quem ex confessione noverit indignum. Et an ad hoc possit uti aliquo praetextu. An confessarius possit uti notitia confessionis ad custodiendas res suas aut diligentius invigilandum aut ad alia.*

658. *Dub.* 3. *An possit negare communionem aut ordinem aut assistentiam in matrimonio poenitenti sine absolutione dimisso.*

659. *Dub.* 4. *An possit uti notitia confessionis ad se cavendum ab insidiis sibi paratis. An possit se celare a poenitente quem per confessionem alias noverit in plura crimina solere prolabi, etsi alii celationem non advertant. Et an possit aufugere a poenitente indisposito qui eum minis exterret si non absolvat.*

660. *Dub.* 5. *An possit celebrare in ecclesia, quam ex confessione noverit pollutam. Dub.* 6. *An tenearis pergere ad confitendum ei quem sciveris ex confessione non esse confessarium.*

661. *Confessarius non tenetur cavere quascumque leves suspiciones aliorum.*

633. Ante omnia, pro dilucidatione quaestionum quae infra apponentur, videndum an in hac materia sigilli sacramentalis liceat uti opinionibus probabilibus. La Croix [1] ex Diana Gob. et Stoz tantum dicit expedire quod sequamur sententias faventes sigillo. Sed melius Viva [2] ait neminem posse uti scientia habita ex confessione, nisi certum sit moraliter (aut saltem certe probabilissimum) quod ex tali usu nulla eveniat confessionis revelatio, et nullum poenitenti gravamen. Ratio, tum quia hoc expetit reverentia debita sacramento (sed haec prima ratio non satis convincit, cum plures et graves dd., ut Sanch. Pontius Vasq. Salon. et alii citati *l.* 1. *n.* 51., doceant non esse obligationem reddendi sacramentis, prout caeteris praeceptis divinis, reverentiam plus quam probabilem); tum quia aliter probabile gravamen poenitenti inferretur, ob quod confessio odiosa ei redderetur. Et haec ratio quidem valde urget; ut enim dictum est, non est licitum uti opinione probabili in praeiudicium iuris certi quod alter possidet; poenitens autem possidet ius ne occasione suae confessionis ullum patiatur gravamen. Quidquid igitur alibi dixerim, re accuratius perpensa, puto hic omnino dicendum non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter nullum poenitenti gravamen inferri.

634. « Resp. 1. Sigillum hoc est obligatio iuris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem poenitentis, dicta in confessione (id est in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia quorum revelatio sacramentum redderet onerosum vel odiosum.

Unde resolves:

635. » 1. Violatio huius sigilli duplicem habet malitiam, sacrilegii, contra reverentiam sacramento debitam, et iniustitiae, ex pacto virtuali inter poenitentem et confessarium de secreto isto servando omni casu. Diana [3] ex Fagund. Kellison. etc. Neque hic datur parvitas materiae. Diana [4] ex Malder. Baldell. etc. (Melius dicendum quod triplicem habet malitiam, nempe sacrilegii contra sacramentum, infidelitatis gravis, cum ex parte confessarii inter-

(1) L. 6. p. 2. n. 1946.

(2) Append. ad propos. damn. §. 9.

(3) P. 5. t. 11. r. 2. (4) P. 5. t. 5. r. 8

cedat onerosa, quamvis tacita, promissio secretum servandi; item detractionis, si peccatum non sit publicum. Ita Spor. Ronc. Croix et alii communiter).

636. » 2. Non inducitur haec obligatio 1. Per confessionem factam ficte, v. gr. ad furandum, illudendum vel sacerdotem pervertendum (Vel ad se conquerendum) etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit. Vide Diana [1] (Est commune cum Holzm. [2] Conc. [3] et aliis passim). 2. Si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo confessionis, quia tantum est obligatio secreti naturalis gravior aut levior, pro rei exigentia (Ita etiam Conc. et Holzm. [4] ac Nav. [5] cum Innoc. Panorm. Cai. Soto et communi). »

637. Nota hic 1. quod confessarius tenetur ad sigillum, etsi poenitens discedat indispositus, modo iste dixerit peccata ad obtinendam absolutionem; ita s. Th.[6] Lugo [7] Conc.[8] Ronc.[9] Holzman[10] Spor.[11] et Salm.[12] ex communi. Notandum 2. quod adhuc in dubio an aliquid sit dictum a poenitente in ordine ad confessionem, confessarius teneatur ad sigillum, Suarez et alii apud Salm.[13] communiter; item Bon.[14] cum Reg. Graff. Suar. et aliis; item Renzi [15] Tamb.[16] Mazz.[17] Croix[18] cum Regin. et Schilder. contra Bald. Ratio quia alias redderetur odiosa confessio, dum alioquin plura peccata revera in confessione audita, ob defectum memoriae, et hallucinationem confessarii possent impune manifestari.

638. « 3. Non frangitur sigillum: 1. Si in genere dicas, Titium tibi confessum esse venialia, aut esse probum, innocentem, modo non dicas in iis circumstantiis, ex quibus colligi possit alios esse nocentes vel confessos mortalia. 2. Si dicas, N. tibi esse confessum, etsi in certis circumstantiis hoc quoque periculosum sit, Lay. [19]. Imo si poenitens verbo vel facto (v. g. clam accedendo) significaverit se nolle sciri quod sit confessus, confessarium revelare sigillum volunt Reg. Nav. et Mercer. apud Diana [20] (Et recte consentiunt Sporer [21] et Holz.[22] cum aliis) quia poenitens confitendo confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis, quod Tamb. [23] dubie confirmat, asserens se vereri ne talis accedat ad fractionem sigilli. 3. Si peccata ita referas ut, moraliter loquendo, persona innotescere non possit; neque communitas aliqua etiam parva infametur ut quod ibi talia vitia regnent. (V. Diana [24], id enim esset contra sigillum (Vide infra *n.* 654.). Unde Turrianus ap. Diana [25] et Tamb. [26] reprehendunt superiorem localem qui provinciali forte dicat in sua domo saepe postulari licentiam absolvendi a reservatis, quia potest redundare in ignominiam et damnum domus, etsi idem Tamb.[27] dicat probabile esse quod non sit contra sigillum, si dictae licentiae petitae fuerint extra confessionem. 4. Si utaris notitia extra confessionem acquisita, imo ipsum peccatum quod aliunde tibi innotuit aperias, modo nullam circumstantiam ex sola confessione notam, nec certius referas, quam extra confessionem nosti, quo in casu opus est magna cautela et tutissimum est silere. Laym. [28].

639. » 4. Quando plures, v. g. studiosi vel aulici etc. tenentur ferre testimonium confessionis, confessarium teneri id dare etiam iis quos non absolvit docent Con.[29] Fag. et Diana [30], tum ne id negando prodat aliquo modo sigillum et poenitentem, tum quia dando non mentitur, cum tantum testetur esse confessum. Verum Bon.[31] et card. de Lugo [32] docent tali schedam negare non esse contra sigillum; idemque concedit Aversa[33], si non constet poe-

(1) P. 5. t. 11. r. 26. (2) N. 703. (3) P. 737. (4) Locc. cc. (5) Man. c. 3. n. 13. (6) 4. d. 21. q. 3. a. 1. ad 1. (7) D. 23. n. 43. (8) P. 737. n. 5. (9) P. 99. q. 2. (10) N. 703. (11) N. 809. (12) De poenit. c. 14. p. 2. n. 15. (13) Ibid. n. 18. (14) Quaest. 6. p. 2. n. 4. (15) P. 320. q. 6. (16) C. 3. n. 20. (17) P. 582. (18) N. 1946.

(19) C. 14. n. 21. (20) T. 5. tr. 11. resol. 47. (21) N. 825. (22) N. 708. (23) Append. c. 5. (24) L. 2. tr. 15. res. 13. (25) P. 5. tr. 11. r. 45. (26) App. c. 5. (27) C. 4. n. 2. (28) C. 14. n. 16. (29) Disp. 6. d. 1. (30) P. 5. tr. 13. r. 12. (31) D. 5. q. 6. p. 4. (32) D. 21. s. 3. (33) P. 18. sect. 2.

nitentem accessisse ad hunc confessarium, tum quia nihil dicit, sed tantum non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur, nec quidquam facit, ex quo possint cognosci delicta poenitentis; tum quia alias via aperiretur fraudibus, et multi improbi parochos in paschate deciperent, tum quia potest esse consuetudo ut scribatur absolutum esse, quod falsum erit, si scribat, et si omittat, sigillum franget; tum quia scandalosum erit et iniquum publicae meretrici perseveranti (uti et occulto peccatori, sic pallianti suam iniquitatem) testimonium dare confessionis; neque confessario imputandum erit quod eam positive non defendat. »

Probabilius est et communius quod, si in schedula scriptum sit poenitentem tantum esse confessum, schedula sit concedenda, ut tenent Laym. [1] Auctor *de offic. conf.* apud Croix [2] Sporer [3] Ronc. [4] Elbel [5] Croix [6] et Holz. [7] cum Stoz et Diana, quia negare schedulam idem esset ac indirecte revelare eum non esse rite confessum. Et hoc est contra Bonac. [8], qui ait negandam esse, et contra Lugo [9], qui cum Henriq. dicit posse negari, quia, licet confessarius non possit revelare peccatum, non tenetur tamen testimonio positivo illius confessionem approbare. Sed huic rationi non acquiesco, quia, esto non teneatur cooperari ad approbationem illius confessionis, tenetur tamen vitare indirectam revelationem, quae negata schedula vitari non potest. Secus vero si confessarius in schedula deberet scribere poenitentem non solum esse confessum, sed etiam absolutum, quia, cum mendacium sit intrinsece malum, numquam proferri potest, ut communiter docent dd. Lugo [10] Pal. [11] cum Croix Sporer Ronc. Lay. [12]. Si tamen schedulae essent iam typis editae, ubi asseratur absolutio impertita, videtur probabile (ut aliqui recentiores dicunt) tradi posse confessis non absolutis, saltem si publice petant, quia tunc confessarius nullum profert aut scribit mendacium, sed tantum materialem actum operatur talem schedulam tradendo.

640. « 5. Sub sigillum cadunt 1. omnia peccata poenitentis, tam futura quam praeterita (si quidem haec animo se accusandi sint manifestata, secus si per modum simplicis narrationis vel ut confessarium ad simile peccatum induceret, Diana [13] ex Suarez et aliis 8.). Ideoque peccat mortaliter qui sive directe sive indirecte aperit aliquod veniale in particulari, etiam leve Titii; quia materia sigilli parvitatem non habet, ut est omnium fere sententia apud Diana [14] et Tamb. [15] (Secus si confessarius dicat poenitentem confessum fuisse materiam venialem, non autem plura venialia, Spor. [16] Laym. [17] Holz. [18] et Salm. [19] cum Suarez Lugo Navar. etc.) vel qui in genere dicit, eum sibi confessum esse aliquod mortale vel casum reservatum vel excommunicationem vel non esse absolutum ob indispositionem. Imo confessorem qui dicat absolute, *Ego Petrum non absolvi*, frangere sigillum dicit Diana [20] ex Suar. et aliis novem.

» 2. Etiam peccata complicis, sive prudenter sive imprudenter dicta, Suarez Vasq. et communiter ap. Diana [21]. An vero liceat interrogare de complice ad eius correctionem faciendam illamque ex licentia poenitentis facere, affirmant Suar. et Fag. contra Bon. Lorcam Nugnum et alios thomistas. Vide Diana [22] card. Lugo [23] qui docet posse aliquando poenitentem a confessario obligari et cogi ad manifestandum complicem extra confessionem (De hoc vide omnino dicta *n.* 491.). »

641. Dubitatur 1. An possit confessarius monere complicem de licentia poenitentis.

Prima sententia (sed non satis pro-

(1) De poenit. c. 14. n. 8. (2) Q. 3. (3) De poenit. c. 7. n. 839. (4) C. 7. q. 4. (5) N. 492. (6) N. 1994. (7) N. 708. (8) Q. 6. s. 5. p. 4. n. 7. (9) D. 25. n. 87. (10) Ibid. (11) De poenit. p. 6. n. 15. (12) Locc. cc. (13) P. 5. t. 11. r. 25. (14) P. 5. t. 5. r. 8. (15) Append. c. 8. (16) N. 850. (17) C. 14. n. 6. (18) N. 706. (19) De poenit. c. 14. p. 2. n. 22. (20) P. 5. t. 11. resol. 42. (21) P. 3. t. 4. res. 111. (22) Ibid. res. 115. (25) D. 16. n. 426.

babilis) negat, et hanc tenent Tamb. [1] cum Vasq., item Soto Palud. Ang. Tan. etc. apud Croix [2] ac probabilem putat Diana [3]. Ratio prima, quia hoc esset etiam contra sigillum, cum etiam peccata complicis sub sigillo cadant. Ratio secunda, quia alioquin confessio redderetur aliis odiosa, etsi non poenitentibus.

Secunda sententia vero communissima et vera affirmat eamque tenet d. Thomas [4] qui docet non licere revelare in confessione personam complicis *nisi salvato ordine correctionis fraternae.* Ergo ex licentia poenitentis potest confessarius complicem corrigere. Item s. Anton. [5] Suar. [6] Lugo [7] Pal. [8] Ronc. [9] Diana [10] et Croix [11] cum Adr. Gerson. Nav. Henr. Dicast. Aversa et Ills. Ratio quia complex ex confessione alterius complicis nullum ius acquirat ad sigillum sacramentale: hoc enim sigillum institutum est tantum in favorem poenitentium, unde sequitur naturam aliorum sacramentorum, in quibus ius secreti acquiritur ei soli qui illud committit. Et ideo, sicut solus poenitens sigillum ponere potest, ita ipse solus potest auferre, et sic respondetur primae rationi. Nec obstat dicere quod confessio sic redderetur aliis odiosa: nam revera id tantum reddit odiosam confessionem, quod poenitentes a confessione retrahit, et hoc quidem odium est omnino vitandum ex huius sacramenti institutione, non autem quodcumque odium quod alii irrationabiliter sumerent ex confessione poenitentium.

Dubit. hic 2. Quomodo cadat sub sigillo obiectum peccati. Respondeo, quod cadat nimirum, si v. g. filius confiteatur se odisse matrem ob illius adulterium vel non corripuisse fratrem de furto; adulterium enim illud et furtum cadunt sub sigillo tamquam obiecta peccati, ita Viva [12] Renzi [13] Fill. [14] Spor. [15] Tamb. [16]. Probabiliter vero dicunt Tamb. [17] et Spor. [18] quod si poenitens confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso, non teneretur confessarius ad sigillum, quia cum homicidium sit publice notum, et per accidens lateat confessarium, non censetur illud velle sigillo subiicere. Caeterum, ubi nullum adest periculum revelationis vel gravaminis poenitentis (iuxta dicenda *n.* 656. *in fin.*) minime cadit sub sigillo obiectum peccati.

« 3. Poenitentia imposita, si gravis sit, hoc est quae consuevit iniungi pro mortali (qualis nunc esset, ait Diana [19] corona B. V. non vero *Miserere*), Aversa [20]. 4. Peccatorum circumstantiae, quas taceri poenitentis interest, etsi dictae sint post absolutionem, v. g. si spurius sacros ordines susceperit, si nobilitatem iactaverit etc. Bona vero poenitentis et caetera impertinentia quae per accidens interponuntur, nec odium sacramento pariunt, v. g. propositum religionis vel matrimonii, saepe quidem (si nimirum poenitens ea tecta velit) sub obligationem secreti naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Excipiunt Tan. et Con. nisi poenitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata: tunc enim sigillo sacramentali claudi tenent cum Diana [21]. Idem de virtutibus et vitiis affirmant Gran. contra Regin. et Mald. apud Diana [22] (Loquendo de virtutibus et revelationibus, Sa [23] Bon. [24] et Nav. Henr. apud Lugo [25] negant omnino eas cadere sub sigillo, cum non sint materia confessionis. Sed melius Lugo [26] Ronc. [27] Mazzotta [28] Croix [29] cum Stoz et Viva [30] cum Diana distinguunt et recte negant si virtutes aut revelationes manifestantur in confessione ut status animae confessario innotescat; secus vero si dicantur ad explicandum aliquem defe-

(1) Meth. confess. app. de sigillo c. 5. n. 7.
(2) N. 1959. (3) P. 5. tr. 11. r. 24. (4) Op. 12. q. 6.
(5) 3. p. tit. 14. c. 29. §. 11. (6) D. 34. s. 4. n. 4.
(7) D. 23. n. 136. (8) P. 19. §. 3. n. 16.
(9) P. 100. q. 4. r. 2. (10) Loc. c. (11) Ibid.
(12) Q. 10. a. 2. n. 3. (13) P. 318. q. 2. (14) C. 11. n. 321. (15) N. 335. (16) De sigillo c. 3. n. 6.
(17) N. 14 (18) L. c. (19) P. 5. t. 11. r. 31.
(20) Q. 18. sess. 6. — Cadit sub sigillo... poenitentia imposita, si illa est gravis, imo melius dicendum, si non est de minimis, quae plerumque solent imponi pro venialibus levissimis. Hom. Ap. tr. 16. n. 155.
(21) P. 5. t. 11. res. 5. (22) Loc. cit. res. 30.
(23) V. Confessio n. 32. (24) P. 2. n. 11.
(25) D. 23. n. 58. (26) L. c. (27) P. 104. q. 5.
(28) P. 531. (29) N. 1947. (30) Q. 10. a. 2. n. 2.

ctum vel propriam ingratitudinem erga Deum). Idem dicunt de defectibus naturalibus (v. g. illegitime natum esse) et de vitiis occultis corporis Con. Hurt. et Kellison. contra Gran. Mald. etc. quia ea sub sigillum cadere absolute aiunt apud Diana [1]. Item de iis quae alios concernunt et tamen peccata non sunt, Mald. et Diana [2]. Denique de scrupulis (contra Conc. et Gran. qui eos sigillo claudi absolute affirmant, et contra March. qui absolute negat) idem tenet c. de Lugo, nimirum si poenitens scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata vel conscientiam afferat, ait cadere sub sigillum, quia est in obliquo saltem materia confessionis. Secus si non cognoscatur ex poenitentis relatione, sed videatur et percipiatur, v. g. ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defectibus naturalibus, v. g. quod sit blaesus, rudis, hebetis ingenii etc. Et sic excusat confessarium qui de poenitente dixit quod impertinentiis et naeniis caput sibi frangat [3]. Gran. tamen id improbat et Con. ap. Diana [4], ait esse periculosum et posse facile frangi sigillum indirecte. Denique Tamb. [5] doctrinae isti ne quidem ut probabili acquiescit, atque eam a Diana [6] immerito vocari communem, cum Gran. Hurt. Palaus Bauny etc. refragentur; aliterque limitans ipse ait: Si isti defectus, v. g. esse blaesum, rudem, scrupulosum etc. sint passim noti, non cadere sub sigillum, secus si sint ignoti, quia confessio immunis esse debet ab omni odio. »

642. Melius mox praedicta discutienda sunt. Quaeritur an frangat sigillum confessarius qui propalat defectus naturales sui poenitentis, nempe quod sit ignobilis, pauper aut ignarus, surdus et similia. Respondetur: si confessarius tales defectus noverit, quatenus a poenitente fuerint manifestati ad explicanda peccata, tunc certe cadunt sub sigillo, ut communiter cum Busemb. docent Suar. [7] Pal. [8] Lugo [9] Bonac. [10] Conc. [11] Anac. [12] Spor. [13] Croix [14] Mazz. [15] Ronc. [16] Salm. [17] cum Dicast. Con. et aliis passim contra Vasq. Et hoc, etiamsi manifestatio dictorum defectuum nihil conferret ad explicationem peccati, sed poenitens iam illos exponeret ad plenius suam conscientiam manifestandam, ut bene advertit Croix [18] cum Lugo et Stoz. Secus vero, si confessarius noverit defectus illos, quatenus poenitens incidenter sive impertinenter ad confessionem eos detexerit, ut etiam communiter dicunt Filliuc. [19] et Suar. Pal. Ronc. [20] Salm. [21] cum Dic. et Gabr. ac Bon. [22] cum Conc. Reg. Zerola et aliis. Et hoc est valde probabile (quidquid opponat Renzi [23] cum Soto Val. et Diana quos citat). Ratio quia, cum poenitens tales defectus ultro detegat, sine ullo ordine ad explicanda peccata, eos minime censetur subiicere (nec subiicere posset) clavibus sigilli, cum ad confessionem nihil pertineant.

643. Idem dicunt Lugo [24] Nav. [25] et Maz. [26] Diana [27] (qui vocat communem) ac Ronc. [28] cum Aversa et Fag. si defectus illi innotescant confessario ex actionibus ipsius poenitentis, sive ex modo confitendi, nempe quod sit blaesus, surdus, rudis, hebetis ingenii etc. Ratio, ut aiunt, quia huiusmodi defectus tunc non sunt materia, neque pertinent ad materiam confessionis, cum sacerdos eos non percipit ex relatione poenitentis, sed ipsemet videt et apprehendit; unde isti, sicut non dicuntur secreto, ita nec cadunt sub sigillo. Et sic pariter dicit Lugo [29] quod si poenitens ostendit se naturae molestae, irresolutae, durioris ad credendum, omnes hi defectus, quia non sunt materia confessionis, cum non audiantur, sed in confessione fiant, neque cadunt sub sigillo. Sed huic sententiae merito contradicunt Pal. [30] Antoine [31] Conc. [32]

(1) Loc. c. r. 29. (2) Loc. c. r. 38. (3) Vide d. 23. sect. 3. n. 60. (4) P. 5. t. 11. r. 50. (5) App. c. 3. (6) L. c. (7) D. 33. sect. 2. n. 3. (8) P. 5. §. 2. n. 6. (9) D. 23. n. 59. (10) Q. 6. p. 2. n. 10. (11) P. 379 n. 10 (12) P. 627. n. 23. (13) Num. 341. (14) Num. 1947. (15) P. 530. (16) P. 105. q. 4. (17) De poen. c. 14. p. 2. n. 23. (18) L. c. (19) Tr. 7. c. 11. n. 321. (20) Locc. cc. (21) D. n. 23. (22) Loc. c. (23) P. 318. q. 3. (24) D. 23. n. 60. (25) C. 8. n. 12. (26) Locc. cc. (27) P. 5. tr. 11. r. 50. (28) L. c. (29) L. c. (30) P. 19. §. 5. n. 9. (31) P. 546. (32) P. 739. n. 10

Spor.[1] Renzi[2] et Tamb.[3] cum Con. Gran. Hurt. etc. Ratio quia cum defectus illi sint odiosi, et confessarius noverit eos occasione confessionis dum poenitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo confessionem odiosam et ab ea retardaret. Tantummodo prima sententia locum habere posset, quando omnino constaret confessario poenitentem ex illius defectus manifestatione minime gravari.

Nec acquiesco opinioni Lugonis, qui subdit non cadere sub sigillo peccata quae commiserit poenitens in ipsa confessione, puta impatientiae, contumeliae in confessarium vel in alios, quia culpas illas poenitens non confitetur, sed committit vidente confessario. Neque (dixi) huic acquiesco, quia talia peccata, licet non sint materia sigilli, tamen periculum revelationis involvunt; probabile enim indicium praebent quod confessarius vel noluerit absolvere vel acriter reprehenderit propter aliquam culpam graviorem.

Praeterea dicunt Tamb.[4] Viva[5] Sporer[6] et consentiunt Wig.[7] ac Conc.[8] quod si defectus naturales paupertatis, ignobilitatis et similium ita referantur a poenitente, ut ex adiunctis colligatur eos esse communiter notos, tunc non cadunt sub sigillo, quia tunc non praesumitur poenitens narrare ipsos nisi ut cognitos, nec velle subiicere clavibus, quando expresse aliter non declarat. Sed huic opinioni etiam merito non consentit Holzman[9] ob eamdem rationem ut supra, quia, cum defectus illi ex peccatorum confessione cogniti sint a confessario, manifestatio eorum retardaret poenitentes a confessione[10].

644. Quod autem dicunt auctores supra citati de aliis defectibus naturalibus, dicunt etiam de defectu scrupulositatis, nempe posse confessarium dicere poenitentem suum esse scrupulosum, si id noverit vel ex modo confitendi vel si illius scrupulositas sit publice nota. Sed pariter huic nec acquiescimus cum Spor.[11] et Tamb.[12] qui citat Con. Gran. Hurt. Pal. etc., quia eadem ratio currit, cum non pauci aegre ferant scrupulosos appellari. Tantum id admitti posset, si minime redundaret in gravamen poenitentis, prout facile accidere potest loquendo de saecularibus, qui potius laudantur cum dicitur de eis quod sint scrupulosi; hoc enim pro iis qui in saeculo versantur indicium est bonae et timoratae conscientiae. Secus si dicatur de praelato, confessario et similibus, quibus scrupulositas est signum mentis confusae et irresolutae.

Dicitur autem a Ronc.[13] *quod si aliquis poenitens communiter dignoscatur esse valde prolixus, inquietus, etc. in aliquo exponendo, tunc quia clare appareret confessarium fugere, ne ab ipsius naturali prolixitate, inquietudine, etc. taedio afficiatur, in talibus circumstantiis fugere non esset fractio sigilli.* Hoc probabiliter admitti potest, si communiter pateat aliis poenitentem illum esse timoratae conscientiae, ita ut moraliter certo reputent immunem esse a gravioribus culpis.

Petes hic, quid agere deberet confessarius, si quis se confitendo de aliqua materia gravi non satis distincte, confessarius ideo eum interrogans de circumstantiis, de consuetudine, vel simili, noverit poenitentem esse surdum, cum minime adaequate interrogationibus ille respondet, et contra confessarius altius vocem extollere nequit ne alii circumstantes audiant? Respondeo: Si circa initium confessionis advertat poenitentis surditatem, imponat ei ut redeat alio tempore et

(1) N. 344. (2) P. 318. q. 3. (3) Meth. conf. c. 3. n. 18. (4) D. c. 3. n. 13. (5) Q. 10. a. 2. num. 5. (6) Num. 342. (7) Tract. 13. n. 128. (8) P. 739. n. 10. (9) P. 187. n. 706. v. 4. (10) Nihilominus hoc intelligitur tantum pro iis defectibus, quorum manifestationem ex se aegre ferre potest poenitens, ut esset dicere quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis, incapax, pauper, si ille est civilibus natalibus; non vero cum sunt defectus, qui rubori aut exprobrationi ei non sunt, ut est esse caecus, surdus, mendicans et huiusmodi, et contra iam communiter innotescunt. Hom. Apost. tract. 16 n. 154. (11) N. 344. (12) N. 18. (13) P. 202. cap. 2. reg. 1. in praxi.

loco opportuno, ubi loqui libere possit confessarius ne alii audiant. Et interim patefacere potest aliis surditatem poenitentis, quando talis defectus communiter fit patens. Si vero advertat hoc in progressu confessionis, et poenitens post plures debitas interrogationes recte non respondeat, tunc non licet confessario alta voce imponere poenitenti ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia magna daretur eis suspicio quod materiam gravem ille sit confessus. Ideoque in tali casu consilium esse puto, quod confessarius intelligendo peccata meliori modo quo possit, absolvat; absolute quidem, si poenitens probabiliter censeatur dispositus; sub conditione vero, si de dispositione dubitetur [1]. Casum istum apud dd. non inveni, sed obvius est.

645. « Resp. 2. Ad sigillum tenentur omnes ad quos quomodocumque notitia sacramentalis confessionis pervenit: qualis est 1. confessarius qui, si de auditis in confessione rogetur, potest negare, etiam, si opus est, cum iuramento, subintelligendo quod possit dicere, vel potius (ut dicit card. de Lugo [2]) quod sciat scientia utili ad respondendum interroganti extra confessionem. Excipiunt Henriq. et Granad. cum Diana [3] nisi ex illa negatione sequeretur, confessionem non fuisse integram, v. gr. si de publica meretrice rogaretur, an non esset confessa fornicationem, tunc enim declinando directam responsionem, dicendum esset, illam confessam esse peccata sua, et se functum officio suo. Imo si peccatum suum salvo sigillo non possit confiteri, debet omittere; quia sigillum strictius obligat quam integritas confessionis. »

646. Quaeritur an confessarius interrogatus de peccato poenitentis possit dicere illud nescire etiam cum iuramento. Affirmandum cum communi, quam tenent d. Thom.[4] s. Antoninus [5] Suar. [6] Layman [7] Antoine [8] Wigandt [9] Holzm. [10] Pal. [11] cum Nav. Bonac. Val. et Henr. ac Lugo [12] cum Vasquez (qui opinionem oppositam Gabrielis vocat erroneam) et aliis communiter. Ratio affertur a d. Thoma [13] qui dicit: *Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, ideo ... potest iurare se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Et hoc, etiamsi confessarius rogatus fuerit ad respondendum non ut homo, sed praecipue ut minister Dei, prout recte aiunt Suarez [14] Sporer [15] Lugo [16] cum Vasq. et communi, item Croix [17] cum Laym. Tanner. Stoz. etc. contra Palud. Soto et Concina [18]. Quia confessarius nullo modo scit peccatum scientia qua possit uti ad respondendum, unde iuste asserit se nescire id quod sine iniustitia nequit manifestare. *Vide dictà lib.* 3. *n.* 153. *v. Hinc.* Quid si insuper rogetur ad respondendum sine aequivocatione? Adhuc potest respondere cum iuramento se nescire, ut probabilius dicunt Lugo [19] Croix [20] cum Stoz et Holzman [21] cum Michael contra alios. Ratio quia tunc confessarius revera respondet secundum iuramentum factum, quod semper factum intelligitur modo quo fieri poterat: nempe manifestandi veritatem sine aequivocatione, sed sine aequivocatione illa quae licite omitti poterat: quoad aequivocationem vero necessariam quae non poterat omitti absque peccato, nec alter habet ius ut sine aequivocatione ei respondeatur, nec ideo confessarius tenetur sine aequivocatione respondere. Caeterum, ad huiusmodi interrogationes confessarius debet ab initio respondere: *Has interrogationes non esse faciendas.* Item, si interrogetur an absolverit aliquem, respondeat: *Functus sum officio meo*, ut dicunt Conc.[22] Antoine [23] Lugo [24] et Salm.[25] cum Reg. et Gran. Sed aliquando talis responsio adhuc posset non esse satis tuta, unde

(1) Poenitentiam in hoc casu debet adiungere levem, cum alii eam audituri sunt. Hom. Apost. tr. 16. n. 155. (2) D. 23. (3) P. 5. t. 11. res. 33. (4) 4. d. 21. q. 3. a. 1. ad 3. (5) 3. p. tit. 17. c. 22. (6) D. 33. sect. 6. n. 7. (7) C. 14. n. 12. (8) P. 449. q. 6. (9) Tr. 15. n. 111. (10) N. 722. (11) P. 5. §. 3. n. 15. (12) D. 23. n. 73. (13) L. c. (14) L. c. (15) N. 817. (16) N. 74. (17) N. 1935. (18) P. 745. n. 25. (19) N. 79. (20) Loc. cit. (21) N. 722. (22) P. 759. n. 11. (23) P. 549. (24) N. 85. (25) De poen. c. 14. p. 5. n. 23.

semper melius est respondere obiurgando interrogantem: *Quaenam interrogatio est ista quam facis?* Si autem confessarius aliquem non absolverit, et dum missam celebrat interroget eum minister, an ponat formulam pro communione illius poenitentis. Respondeat confessarius: *Interroga ipsum an velit communicare*; ita recte Salm.[1] cum Henriq. et Gran.

647. « 2. Superior cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia absolvendi a reservato, Suar. card. de Lugo [2] etc. (Item Concina [3] Antoine[4] Holz.[5] Elbel [6] Spor. [7] Suar.[8] et Salmant.[9] cum Gran. et aliis. Ratio tum quia petitio illa est quaedam inchoata confessio quatenus ordinatur ad absolutionem obtinendam, tum quia alioquin confessio redderetur odiosa. Ita verius aa. cit.) contra Pal. [10] cum Vasq. et Henr. qui secreto tantum naturali teneri volunt. 3. Interpres (Ita probabilius Pal. [11] Lugo [12] et Salm. [13] cum Suar. Conc. Laym. Bon. Dic. etc. contra Sotum et Caiet. (apud Lugo [14]) qui dicunt interpretem teneri quidem ad servandum secretum arctissimum, sed non sacramentale). 4. Qui furtive vel casu aliquid audit, licet inculpate (Ita etiam comm. Pal. [15] cum Adriano Laym. Bonac. Con. Salm. [16] cum Dic. Diana etc. [17] cum Suar. et Vasq. contra Sotum. Et sic pariter tenentur ad sigillum adstantes, in quorum praesentia confessio fit ex necessitate, puta in naufragio, conflictu etc., Salm. [18] cum Suar. et Bon. ac Pal. [19] cum Adr. Vasquez Con. et Laym. Secus vero si poenitens tantum ad suam confusionem velit publice confiteri. Pal. [20] et Salm.[21] cum Con. Dic. etc.). 5. Omnes quibus aliquid sacrilege revelatum est, unde de hoc nec inter se colloqui possunt (Ita communiter Holzm.[22] Spor.[23] Conc.[24] Salm.[25] Laym.[26] cum Gabr. et aliis contra Med.). 6. Laicus, qui pro sacerdote est habitus (Ita etiam Suar.[27] Ronc. [28] Conc. [29] et Lugo [30] cum aliis communiter, contra Sotum et Vasq. qui improbabiliter id negant). 7. Doctor vel alius, qui cum venia poenitentis consulitur, ut habet communior sententia (Et probabilior, prout nos dicemus *n. seq.* 648.) contra Vasq. Vide Diana [31]. 8. Qui alicuius rudis confessionem scripsit. 9. Qui scriptam invenit ac legit, ut docent Rodr. Fag. Mald. etc. apud Diana [32] contra Suar. Bonac. et Laym. quorum sententia probabilis est iuxta quam, etsi talis teneatur secreto naturali, peccetque mortaliter si gravia ac diffamantia vulget: secus tamen, si sciens levia tantum esse, ea legat ex curiositate. Unde consequenter in casu gravissimae necessitatis, talem confessionem scriptam liceret revelare (excipit Lugo, nisi tamen per scripturam voluerit confiteri ut mutus, vel petere facultatem absolvendi a casu reservato [33]). 10. Etiam secundum aliquos ipse poenitens, verum probabilius est, eum tantum teneri secreto naturali, ratione materiae, si id ea requirat, tacere audita a confessario. Vide Laym. Diana [34]. (Ita communiter et verius Laym. [35] Pal. [36] Suar. [37] qui id asserit ut certum, Bon.[38] Salm.[39] Wigandt [40] Holzman [41] et alii passim; quia sigillum institutum est tantum in favorem poenitentium, non confessariorum: quapropter ius sigilli non confessariis, sed tantum poenitentibus confertur. Verumtamen omnes cum Holz. dicunt teneri poenitentem vinculo secreti naturalis de dictis a confessario, quorum propalatio ei damnum posset afferre. Mihique videntur teneri poenitentes huic secreto (quamvis naturali) strictius quam alii; alii enim voluntarie consilia praebent, sed confessarius tenetur praebere ex officio. Unde cum

(1) De poenit. c. 14. p. 3. n. 29. (2) N. 34. (3) P. 747. n. 30. (4) P. 550. (5) N. 713. (6) N. 512. (7) N. 353. (8) D. 35. sect. 4. n. 3. (9) De poen. c. 14. p. 4. n. 66. (10) P. 19. §. 4. n. 10. (11) Ib. n. 3. (12) D. 23. n. 21. (13) Ib. n. 39. (14) N. 20. (15) Loc. cit. n. 5. (16) Ibid. n. 61. (17) D. 21. n. 39. (18) Ibid. n. 60. (19) N. 4. (20) Loc. cit. (21) Ibid. n. 62. (22) N. 713. (23) N. 351. (24) N. 30. (25) Ibid. n. 64. (26) N. 18. (27) D. 33. s. 3. n. 3. (28) P. 99. q. 2. (29) P. 737. n. 4. (30) D. 23. n. 4. (31) P. 2. tr. 15. r. 15. (32) P. 3. t. 4. r. 112. et p. 5. t. 11. r. 27. (33) Vide d. 23. n. 48. (34) P. 5. t. 11. res. 8. (35) C. 14. n. 20. (36) §. 4. n. 13. (37) D. 35. s. 4. n. 2. (38) Part. 3. (39) De poen. p. 4. n. 67 (40) N. 119. (41) N. 715.

confessarius obligatur necessario ad dandum consilium poenitenti, ut ille sibi caveat a damnis spiritualibus, ideo poenitens rigorosius tenetur cavere ne confessario damnum obveniat ob consilium sibi praestitum). »

648. Sed quaeritur hic 1. An doctor consultus a confessario ex licentia poenitentis, teneatur ad sigillum sacramentale. Adest triplex sententia.

Prima sententia cum Ioan. Medina [1] Palaus [2] cum Covarr. Pesant. Onuphr. et aliis, Vasq. [3] Tamb. [4] Diana [5] cum Megala ac Nugno, negat teneri ad sigillum sacramentale, sed tantum ad naturale. Ratio tum quia (ut loquitur Palaus) consiliarius notitiam illam non habet ex confessione, sed ex licentia data vel ex manifestatione confessarii nomine poenitentis. Sicut enim (ait) non tenetur ad sigillum doctor consultus a poenitente, quia talis manifestatio non dirigitur ad petendam absolutionem a consultore, ita etiam neque tenetur consultus a confessario, per cuius medium poenitens ei se manifestavit. Tum quia (ut ait Tamb.) poenitens, concedendo veniam confessario loquendi cum alio de suo peccato, censetur illud extrahere a finibus sigilli.

Secunda sententia cum Coninch. [6] Henr. [7], cui adhaerent Sotus ac Cai. apud Lugo [8], censet consiliarium non teneri ad sigillum, quia notitia peccati non manifestatur ipsi ad obtinendam absolutionem, sed ad instructionem confessarii (et hic notandum, quod Lugo [9], licet ipse sit pro sententia opposita, attamen huic rationi consentit), sed bene teneri ad servandum secretum arctissimum, ita ut nullo casu possit illud revelare. Ratio huius valde urgens est, quia cum saepe hoc accidat, quod confessarii alios consulant ex licentia poenitentium, redderetur utique odiosa confessio, si aliquo casu notitia confessionis posset manifestari.

Tertia sententia probabilior quam idem Coninch. fatetur communem fere omnium, docet teneri consiliarium aeque ac confessarium ad sigillum, semper ac notitia peccati manifestatur ei, ut confessarius bene se gerat circa munus suum. Ita Layman [10] Suarez [11], qui eam tenet ut certam, Lugo [12], qui dicit omnino amplectendam cum Nav. Palud. Petr. de Sot. Viguer., item Sylvius Bon. Fill. etc. apud Diana [13] Sporer [14]. Idem tenent Croix Mazzot. Viva Roncagl. Iuen.[15] Petroc.[16] cum s. Anton. Et idem expresse docet s. Th. [17]. Ratio habetur ex ipsa institutione sacramenti, ob quam creditur Christus Dominus imposuisse hanc obligationem sigilli non solum confessariis, sed omnibus aliis quibus immediate vel mediate pervenerit notitia peccatorum, occasione sive in ordine ad confessionem; alioquin non satis provisum esset reverentiae huius sacramenti, nec satis odium confessionis amotum fuisset. Ex hoc autem principio communiter accepto, tenetur quidem ad sigillum doctor consultus ex licentia poenitentis; licet enim directe manifestetur ei notitia confessionis ad instructionem confessarii, indirecte tamen manifestatur etiam in ordine ad absolutionem impertiendam, et ad sacramentum perficiendum. Nec valet dicere cum Tamb. et Roncaglia (qui in hoc non bene sibi convenit), quod poenitens, concedendo veniam confessario loquendi cum alio de suo peccato, censetur illud extrahere a finibus sigilli; nam respondeo cum Spor. et Croix, quod haec praesumptio est valde incerta, imo, ut addunt Spor. et Lugo, potius oppositum est firme praesumendum, nempe quod poenitens det licentiam cum omni limitatione qua potest [18].

(1) Cod. de his qui conf. cel. (2) De poenit. part. 19. §. 4. n. 8. (3) Q. 93. a. 4. d. 2. n. 10. (4) Meth. exc. conf. c. 4. §. 3. n. 4. (5) T. 1. tr. 1. misc. r. 14. (6) Disp. 9. n. 40. (7) C. 6. n. 20 (8) De poenitentia disp. 23. n. 20. (9) N. 26. (10) De poen. c. 14. n. 13. (11) D. 33. s. 4. n. 6.

(12) D. disp. 23. n. 25. (13) L.c. (14) C. 7. n. 354. (15) C. 3. §. 3. (16) De poen. c. 4. q. 6. in fine. (17) In 4. d. 21. quaest. 3. art. 1. et art. 2. ad 4. (18) En quaest. 77. reformatam huic tertiae sententiae consonam: *An doctor consultus a confessario tenetur ad sigillum.* In priori libro diximus probabiliter non teneri; sed hic oppositum tuemur.

Notandum hic vero 1. quod eo casu, non obstante sigillo, is doctor bene poterit pluries loqui cum confessario, et etiam cum aliis ad consilium ex eadem licentia convocatis de casu disceptato, si iudicium a confessario nondum sit completum. Ratio quia moraliter censetur licentia data esse a poenitente usquedum sacramentum perficiatur. Notandum 2. quod, licet dicat Lugo [1], quod si doctor consulitur circa idem a duobus confessariis, quibus poenitens seorsim confessus est, ipse loqui non poterit cum uno de auditis ab alio; oppositum tamen puto verum, quia cum poenitens licentiam praebet secundo confessario, ut de suo peccato loquatur cum eodem consiliario, sicut certo creditur poenitens nolle aliud consilium nisi rectum, ita certo praesumitur velle quod ipse doctor libere loquatur de omnibus quae scit a primo confessario et quae pertinent ad rectum consilium praestandum.

649. Quaeritur 2. An is a quo petit consilium poenitens in ordine ad suam confessionem faciendam, teneatur ad sigillum sacramentale.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Tambur. [2] Sporer [3] Antoine [4] Conc.[5] et Croix[6] cum Fag. Diana Stoz et Gormaz. Ratio, quia cum saepe opus sit poenitentibus ante confessionem consilium ab aliquo accipere, ut recte confiteantur, nisi alter obligaretur ad sigillum confessio redderetur odiosa.

Secunda sententia vero probabilior negat, eamque tenent Suarez [7] Pal. [8] Henr. [9], item Aversa et Illsung. apud Croix [10]. Ratio quia (ut communiter docent dd.) obligatio sigilli oritur ex sola confessione sacramentali, in qua poenitens actu manifestat peccata ad absolutionem obtinendam: ita ipse p. Conc.[11] et Suar. Con. Vasq. Gabr. Pal. Henr. et alii passim cum Salm.[12] cum D. Th.[13] qui expresse id tradit dicens: *Sigillum confessionis non se extendit, nisi ad ea de quibus est sacramentalis confessio.* Quapropter ob manifestationem peccati, quae fit a poenitente apud consiliarium, cum ipsa non fiat in actu confessionis, neque ad obtinendam ab ipso absolutionem, tenebitur quidem consiliarius ad secretum naturale, non vero ad sigillum sacramentale, ad quod probabilius est poenitentem nullum ius acquirere, nisi in actuali confessione apud eum a quo absolutionem expectat. Respondetur autem ad rationem oppositam, quod revelatio consiliarii retraheret poenitentem ab accipiendo consilio, non vero a confessione facienda; unde ex manifestatione illa redderetur odiosa non iam confessio, sed consultatio ad confessionem. At nemo tenetur ullo casu alteri quam confessario detegere peccata sua, ut integre confiteatur, et ideo qui ultro vult peccatum aliquod consiliario patefacere, nequit ipsum obstringere ad sigillum sacramentale.

Sic pariter dicit Henriquez apud Tamb.[14] (qui probabile putat cum Suarez quem citat, sed non bene, ut mox dicemus) quod si poenitens, antequam confiteatur, suas culpas committit sacerdoti propter confessionem in posterum ei faciendam, neque tenebitur confessarius ad sigillum. Sed huic non acquiesco, quia talis manifestatio est quaedam inchoata confessio, dum poenitens tunc praemittit manifestationem sui peccati, ut citius postea confessionem expediat; nec aliter videtur sentire p. Suarez, cum ibi non loquatur de manifestatione apud eumdem confessarium, sed tantum apud alterum facta.

650. Quaeritur 3. An teneatur ad sigillum qui legit chartam in qua poenitens scripsit confessionem.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Antoine [15] Sporer [16] Ronc. [17] cum Bass. et Ant. a Spir. s., item Mald. Fag. Rodr. et alii apud Diana [18]. Ratio, tum

(1) N. 30. (2) Meth. conf. de sig. cap. 4. n. 1. (3) N. 356. (4) P. 550. v. Hinc. (5) P. 747. n. 50. (6) N. 1932. (7) D. 33. sect. 4. n. 6. (8) P. 19. §. 4 n. 8 (9) L. 6. c. 21. n. 4. (10) L. c.

(11) P. 737. n. 3. (12) De poen. c. 14. p. 1. n. 11. (13) 4. d. 21. q. 3. a. 1. Sed contra. (14) L. c. (15) P. 550. v. Hinc. (16) N. 357. (17) P. 99. q. 3. (18) P. 1. tr. 4. r. 112.

quia scriptura illa proxime fuit ordinata ad confessionem, et ideo habetur tamquam inchoata confessio, vel tamquam gerens vicem confessionis peractae; tum quia manifestatio talis scripturae, quae saepius fieri solet maxime in confessionibus generalibus aut prolixis, odiosam confessionem redderet.

Secunda sententia tamen communissima et probabilior negat, et hanc tenent Suar. [1] Laym. [2] Wigandt [3] Pal. [4] Elbel [5] (qui vocat probabilissimam) Viva [6] Holzm. [7] Lugo [8] cum Henriq. et Megala Salm. [9] cum Gran. et Conc. ac Bon.[10] cum Nav. Soto Sayr. Nugno etc. Ratio quia (ut mox supra diximus) obligatio sigilli sacramentalis non provenit nisi ex actuali confessione; at scriptura illa non est confessio, sed tantum praeparatio ad confessionem, unde poenitens acquirit ius sigilli tantum apud confessarium cui chartam praebet ad absolutionem obtinendam, non vero apud alios qui illam extra actum confessionis legere queunt. Nec obstat dicere quod aliquibus posset alioquin reddi odiosa confessio, cum plures soleant scribere confessionem ut exactius confiteantur. Nam respondetur eodem modo quo supra in quaestione praecedenti, nempe quod scriptura minime requiratur ad confessionem, sed tantum ad iuvandam memoriam; unde manifestatio legentis non redderet quidem odiosam confessionem, sed tantum scriptionem peccatorum, ad quam nullus obligatur.

Excipiunt tamen Lugo Viva Sporer Holzm. et Elb. 1. Si mutus confiteatur per scripturam confessario praesenti, et casualiter alius eam legit; quia tunc legens revera haurit notitiam peccatorum ex actuali illius confessione. 2. Si quis per epistolam peteret a superiore licentiam pro casu reservato, iuxta dicta *n.* 646. Praeterea, excipiunt etiam recte Wig. Viva [11] et Lugo si legeris chartam relictam in confessionali post confessionem peractam vel porrectam sacerdoti pro confessione facienda, quia porrectio illa est quaedam inchoata confessio. Caeterum, praecisis his casibus, dicunt Laym. Pal. et Sporer, quod legentes (tanto magis revelantes) huiusmodi scripturam graviter peccarent, nisi certo scirent ibi minimas culpas et quotidianas contineri (*Vide dicta supra l.* 5. *n.* 70.). Addunt vero Layman et Spor., quod eo casu (quem dicunt vix accidere posse) aliquando in magna necessitate, puta ad salvandam remp. aut vitam innocentis, posset licite secretum revelari.

651. « 1. Extra confessionem, cum licentia poenitentis, potest agi de auditis in confessione sive cum ipsomet, sive cum quocumque alio, etsi periculosum sit. S. Thom. Suar. Praep. Tann. etc. (Et ita verius tenendum (contra Scot. Durand. Maior. Gabr. Ang. etc. apud Lugo [12]) cum d. Thom. [13] qui ait: *Potest... confitens facere, ut illud quod sacerdos sciebat... ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum; et ideo si dicat, non frangit sigillum.* Et ita etiam Lay.[14] Nav.[15] Ronc.[16] Lugo [17] Concina [18] Wigandt [19] et alii communiter. Ratio quia sigillum confessionis est institutum tantum in favorem poenitentium). Circa quam licentiam requiritur 1. ut sit formalis et expressa; nam praesumpta, tacita, interpretativa, virtualis (etiam in bonum ipsiusmet poenitentis) non sufficit. Fagund.[20] Tann. Mald. et caeteri doct. communiter. 2. Ut sit libera ac spontanea, non vi, iniuria, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipsius confessarii obtenta. Henr. Fag.[21] Diana [22] (Dicit Croix [23] quod si poenitens non ultro, sed tantum ad petitionem confessarii det licentiam loquendi, communiter licentia censenda sit data ex metu reverentiali. Hoc tamen intelli-

(1) D. 33. sect. 4. n. 5. (2) Cap. 14. n. 9. (3) Tract. 13. n. 119. (4) P. 19. §. 4. n. 11. (5) N. 503. (6) Q. 10. a. 3. n. 3. (7) N. 714. (8) D. 23. n. 47. (9) De poen. c. 14. p. 4. n. 63. (10) Q. 6. sect. 5. p. 3. n. 7. (11) Locc. cc.

(12) N. 332. (13) Suppl. q. 11. a. 2. (14) C. 14. n. 14 (15) C. 8. n. 15. (16) P. 100. q. 5. (17) D. 23. n. 133 (18) P. 140. n. 14. (19) Tr. 15. n. 115. (20) P. 2. l. 6 (21) Loc. cit. (22) P. 5. t. 11. r. 10. et 24. (23) L. 6. p. 2. n. 1958.

gendum esse quando licentia non est spontanea, sed replicatis petitionibus extorta, seu ex solo metu reverentiali concessa. Caeterum, huiusmodi licentiae peti non debent nisi ex rationabili causa, ut bene ait Elbel [1], qui etiam recte addit quod melius est inducere poenitentem ut det licentiam extra confessionem). 3. Non revocata; nam poenitentem pro libitu, etiam sine causa, eam revocare semper posse, docent Fagund. et Diana [2] (Ita etiam Sporer [3] et Ronc. [4]). 4. Non opus esse ut habeatur in scripto, Suar. Fagund. [5]. Imo si dubium sit an confessor cum licentia locutus fuerit, sacerdoti potius quam poenitenti credendum, ex Graff. et Henr. affirmat Diana [6], vel etiam quam haeredibus, v. gr. si ex licentia defuncti revelet restitutionem ab iis faciendam. Tann. et Mald. qui tamen monet eo casu non esse dicendum eam deberi ex delicto, sed solum quod talibus tantum dari voluerit, satiusque suaderi moribundo, ut talia secreto codicillo haeredibus iniungat. V. Diana [7]. 5. Perinde esse, sive ea licentia detur verbo sive facto, quod quidem aequivaleat expressae concessioni, v. gr. si poenitens extra confessionem incipiat loqui cum confessario de dictis in confessione, tunc enim posse hunc prosequi, docent Aversa [8] Tamb. [9] ex Bonac. (Ita communiter Lugo [10] Pal. [11] Concina [12] Holz. [13] Antoine [14] Spor. [15] Salm. [16] cum Suar. Layman Bonac. et Ronc. [17]. Bene tamen advertit Lugo [18], quod eo casu adhuc perseverat sigillum respectu ad alios, quia licet poenitens extra confessionem loquatur, censetur tamen non praebere confessario aliam licentiam quam dependentem a confessione peracta).

652. » 2. Frangitur sigillum, si cum poenitente extra confessionem, sine eius venia, agas de auditis in confessione aut ea te scire ostendas (Communiter tamen dicunt dd. licitum esse confessario loqui de auditis in confessione cum poenitente statim post absolutionem antequam ille discedat, quia licet sacramentum sit completum, tamen iudicium adhuc moraliter perseverat; ita contra Dianam [19] cum Fag. recte tenent Lugo [20] Nav. [21] Concina [22] Fill. [23] Ant. [24] Escob. [25] Salm. [26] cum Gran. et Aversa Renzi [27] cum Pell. et Veric. ac Croix [28] cum Praep. Henriq. Tamb. Dic. et Stoz). Quod verum putat Sanch. contra Suar. et Laym. etiamsi cum eo tractare velles de essentiali errore in ea commisso, quem illi significare sine eius venia non licere docent Reg. Fag. Bonac. et alii contra Fill. Turrian. etc. apud Diana [29] (*Vide dicta n.* 622.). Dixi *extra,* quia intra confessionem potest fieri mentio praecedentium, ut patet ex praxi confessariorum, qui ob recidivam arguunt et absolutionem aliquando negant. Ita Henr. Praepos. Gran. Mald. etc. apud Diana [30]. Ubi ipse cum Fag. negat id licere sine expressa licentia poenitentis, nisi de iis quae is iterum confitetur vel saltem tangit. Vide Diana [31]. »

653. Quaeritur igitur an intra confessionem possit confessarius loqui cum poenitente de culpis in alia confessione auditis sine ipsius licentia. Negat Diana cum Fag. ut supra, sed affirmat sententia communissima et verior quam tenent Lugo [32] Tamb. [33] Wig. [34] Conc. [35] Ronc. [36] Antoine [37] Spor. [38] Renzi [39] cum Aversa Dic. et Malder. eamque vocat certam Ills. apud Croix [40]. Ratio quia saepe pertinet ad munera iudicis et medici, quae habet confessarius, recolere peccata prioris confessionis ad melius poenitentem corripiendum vel dirigendum; ideo improbabile est quod poenitens habeat ius sigilli in actu confessionis, cum potius verum sit quod

(1) N. 482. (2) Locc. cc. (3) N. 324. (4) P. 100. q. 5. (5) Locc. cc. (6) L. cit. r. 4. (7) L. c. r. 32. (8) Q. 18. s. 7. (9) Append. c. 2. (10) D. 23. n. 151. (11) §. 3. n. 14. (12) P. 740. n. 14. (13) N. 720. (14) P. 547. v. Hinc. (15) N. 320. (16) De poenit. c. 14. p. 3. n. 41. (17) P. 101. q. 5. r. 1. (18) Loc. cit. (19) P. 5. tr. 11. r. 19. (20) D. 23. n. 129. (21) C. 26. n. 14. (22) P. 740. n. 14. (23) C. 11. n. 324. (24) P. 547. v. Hinc. (25) N. 741. (26) Ibid. n. 43. (27) P. 306. q. 4. (28) N. 1930. (29) P. 5. t. 4. r. 37. (30) P. 5. tr. 11. res. 20. (31) L. c. et p. 2. tr. 2. misc. res. 12. et p. 9. tr. 11. res. 18. (32) D. 23. n. 127. (33) C. 5. n. 4. (34) Tr. 13. n. 120. (35) P. 740. n. 14. (36) P. 101. qu. 5. r. 1. (37) P. 550. v. Hinc. (38) N. 823. (39) P. 307. q. 5. (40) N. 1981.

confessarius habeat ius exquirendi omnia, quorum notitia ad meliorem directionem coadiuvare valeat. Unde bene poterit confessarius loqui cum poenitente de omnibus peccatis in praeterito ab eo confessis, semper ac putat hoc fore utile poenitenti, qui censetur in confessione dare ei licentiam, ut utatur quacumque notitia necessaria ad sui meliorem directionem.

654. « 3. Frangit sigillum qui dicit se in tali monasterio audivisse grave peccatum, tametsi non nominet personam, Diana [1] et alii 3. cum Mald. Additque graviter peccare eum qui dicit, in hoc vel isto ordine religioso hoc vel istud peccatum fuisse admissum, quod ex sola confessione novit; imo nec de civitate vel certo loco quo quis confessiones audivit, licere dicere quod gravia fiant, vel talia et talia peccata committi soleant (nisi aliunde constet), docent Hurt. Kellison. et Mald. apud Diana [2] quia potest redundare in gravamen et infamiam ipsius communitatis, et forte etiam civium in particulari, quando civitas non est ampla, et poenitentes suspecti, atque adeo confessio fieri illis odiosa. Vide Diana [3] qui cum Mald. docet, confessarium, qui paucos habet poenitentes sibi subditos (v. g. moniales unius monasterii), scandalum dare, si coram illis concionetur de vitiis auditis in confessione, quia confessae facile suffunduntur pudore (Hoc tamen intelligendum si confessarius loquatur de aliqua culpa particulari cuiusdam monialis vel illius monasterii; secus si loquatur de defectibus qui communiter in omnibus monasteriis solent vel possunt perpetrari). »

Dubitatur hic 1. An confessarius violet sigillum si asserit in aliquo loco gravia crimina perpetrari quae ipse audierit in confessione.

Prima sententia negat, et hanc tenent Nav. [4] Renzi [5] cum Fagund. Vivald. et Onuphr., ita Henriq. Gran. Lop. etc. apud Escob. [6] qui consentit [7], si nullo modo in cognitionem personae deveniri possit, quia alias (ut dicunt) ex tali revelatione nulla fit iniuria poenitenti.

Secunda sententia tamen communissima et longe probabilior, quam tenent Suar. [8] Bon. [9] Fill. [10] Concina [11] Viva [12] Tamb. [13] Holzm. [14] cum Laym. et Pal. Sporer [15] cum Diana et communi, ut asserit Lugo [16] cum Vasq. Con. et Led., docet quod si oppidum sit parvum (puta si non constet tribus millibus hominum circiter), tunc violatur sigillum. Ratio quia licet tunc non reveletur persona, tamen, cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis qui illius communitatis est membrum, et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa confessio. Secus vero si oppidum sit amplum et crimina sint publica, ut dicunt Lugo Conc. Spor. Viva et Tambur. [17] contra Vasq. qui nimis rigide id reprobat. Hocque permittit Petrocor. [18] etiam concionatoribus, modo non dicant se audisse in confessionibus. Idem sentit Habert [19] dicens licitum esse confessariis in concionibus generatim invehere in vitia quae occulte grassantur. Idque expresse permittitur in *c. Si sacerdos* 2. *de offic. Iud. ord.* ubi dicitur: *Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicuius criminis, vel si confessus fuerit... non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate.* Id est *in genere*, ut explicat Panormitanus [20].

Dubitatur 2. An frangat sigillum confessarius qui dicit religiosum ex tali conventu sibi confessum esse grave peccatum. Negat Escob. [21] cum Henriq. Nugno Fagn. et Candido, modo non ingerat notitiam personae particularis. Verius tamen affirmant Bus. et Suar. [22] Conc. [23] Bon. [24] Diana [25] Pal. [26] cum Nav. Laym. et Henr., item s. Anton. Villal. et Gran. apud Escob. [27]. Ratio quia tunc

(1) P. 5. t. 11. res. 35. (2) Loc. cit. res. 35. (3) Loc. cit. et res. 36. (4) C. 8. n. 16. (5) P. 322. q. 11. (6) L. 16. n. 749. (7) N. 750. (8) D. 33. s. 3. n. 8. (9) Q. 6. s. 3. p. 4. n. 3. (10) C. 11. n. 322. (11) P. 740. n. 13. (12) Qu. 10. a. 2. n 7. (13) L. 5. c. 3. § 5. (14) N. 711. (15) N. 827. (16) D. 23. n. 64. (17) Locc. cc. (18) T. 4. p. 90. q. 4. (19) T. 6. p. 261. q. 14. r. 3. (20) Dict. cap. 2. (21) Lib. 16. n. 713. (22) D. 33. sect. 3. (23) P. 740. n. 8. (24) P. 4. n. 3. (25) P. 5. tract. 11. r. 25. (26) P. 5. § 3. n. 11. (27) N. 731.

singuli illius conventus detrimentum patiuntur. Et sic pariter confessarius violabit sigillum, si dicat in conventu illo talia peccata committi. Non vero (ut rationabiliter ait p. Conc. contra Dian. apud Bus. ut supra), si tantum diceret se audisse peccatum religiosi cuiusdam ordinis; quia haec neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet ordine aliqui mali sint; unde neque oritur scandalum neque infamatur religio, nisi (recte limitat) religio illa esset arctioris observantiae.

655. « 4. Notitia in sola confessione accepta nullo casu uti licet, si periculum sit revelationis, saltem indirectae. Verum si nullum sit periculum ut vel poenitens vel usus scientiae innotescat, etsi probabile sit licere uti ad alterius gubernationem, v. gr. negando suffragium ei quem ex sola confessione scit indignum esse, vel claudendo ostium per quod quis noctu ingreditur ad peccandum, item cognita proditione futura, monendo de diligenti custodia, impediendo clam matrimonium, quando scitur impedimentum, ut docent Vasq. Henr. Navar. etc.: contrarium tamen verius videtur, quod docent Fumus Sanch. Conc. Layman Diana [1] et alii, quia haec doctrina posset poenitentem absterrere a confessione. Et quidem superioribus religionum talis gubernandi modus prohibitus est anno 1594. cum in soc. Iesu iam ante idem statutum esset, prohibitumque contrarium dicere. Vide Diana [2]. Contra vero ad sui ipsius gubernationem licere tali casu ea scientia uti, videri probabilius, v. gr. abstinendo a calice, in quo scitur esse venenum, deflectendo a sylva, in qua paratam sibi mortem sciat ex unius latronis confessione, docent Sylv. Henriq. Con. Laym.[3] contra Suar. Diana [4]. Excipit de Lugo nisi actio vel omissio confessarii inducat notitiam peccati vel damnum afferat confitenti, contra Con.[5] qui putat licere, etsi inde mors poenitenti immineret a sociis inferenda [6].

» 5. Denique facere aliquid, ex quo soli poenitenti innotescere posset id fieri ex notitia confessionis, esse contra sigillum negant d. Thom. Bonac. Sot. Vasq. etc. Affirmant Sylv. Vald. Con. Diana [7]. Idque confirmant Fag. Gran. c. de Lugo et Aversa [8] si tale sit, quod poenitenti ruborem vel molestiam afferat, v. gr. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret; secus si ei sit gratum, vel saltem confessionem odiosam aut difficiliorem non reddat; v. gr. si audisset eum ad indignationem aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto vel dicto ipsius confessarii, indeque ipse a talibus factis vel dictis abstineat etc. »

656. Omnia haec diligentius sunt discutienda.

Dubitatur 1. An superior ob peccatum auditum in confessione possit amovere subditum ab officio. Affirmat Sambovius [9]. Idque prius docuit d. Th.[10], modo absit revelatio peccati, sic dicens: *Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo praelatus deberet removere. Si vero per amotionem peccatum nullatenus manifestaretur, tunc alia occasione accepta, posset subditum ab administratione removere, et deberet hoc facere cum debita cautela.* Et idem alibi confirmat[11]. Idem dicunt s. Bonav. Alex. de Ales. Gabr. Pal. et Adrian. apud Habert [12] ac alii apud Suar.[13] qui hanc sententiam vocat communem, ut revera erat inter antiquos.

Sed huic doctrinae obstat hodie decretum Clem. VIII. [14] editum 26. maii anno 1594. ubi dictum fuit: *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt,*

(1) P. 5. tr. 4. res. 76. et p. 5. tr. 11. res. 3.
(2) P. 4. tr. 4. res. 202. (3) Hic c. 15.
(4) P. 5. d. 11. r. 46. (5) Disp. 9. dub. 4. etc.
(6) Vide l. c. n. 108. (7) P. 5. t. 4. r. 46.
(8) Qu. 18. sect. 3. (9) T. 3. cas. 13.
(10) Quodl. 5. q. 7 a. 15. (11) Suppl. q. 11. a. 1. ad 5.
(12) T. 6. p. 260. qu. 14. (13) D. 55. sect. 7
(14) De casib. res. Pro omnibus relig. c. 4.

ad exteriorem gubernationem utantur. Quamvis autem hoc decretum emanatum fuerit tantum pro superioribus regularibus, tamen recte dicunt Holzm.[1] et Croix extendi debere ad omnes (quidquid dicat Habert [2]), cum eadem ratio quae urget pro regularibus valeat etiam pro saecularibus, ne scil. confessio reddatur odiosa. Praeterquam quod id certius fit ex alio decreto Innoc. XI. ut mox videbimus in dubio seq.

657. Dubitatur 2. An superior in electione beneficii vel officii possit negare suffragium ei quem ex sola confessione noverit indignum. Affirmat idem Sambovius [3] cum s. Antonino [4] qui scribit: *Qui liberam electionem habet, licet per solam confessionem sciat aliquem indignum ad praelaturam ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi dictante, quia eligendo scienter dignum vel indignum, negotium geritur inter ipsum et Deum. Unde potest etiam ex his quae scit ut Deus, iudicare in proposito.* Sed omnino id negandum cum Sporer [5] Viva [6] Conc.[7] Croix [8] Holzm.[9] Ronc.[10] Elb.[11] et aliis. Hocque hodie certum est ex declar. s. c. gen. inquisitionis edito auctoritate Innocentii XI. 18. nov. an. 1682. quo proscripta fuit sequens propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multo gravius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, etiam cum dicta explicatione, praesenti decreto prohibent etc. Mandantes etiam universis sacramenti poenitentiae ministris, ut ab ea* (doctrina) *in praxim deducenda prorsus abstineant.* Hinc bene advertunt Viva Holzm. Mazz. et Croix[12] illicitum esse confessario ex notitia confessionis claudere poenitentem in cubiculo ne exeat ad peccandum: dimittere famulum vel auferre ab eo claves ne furetur: item ostendere poenitenti vultum severiorem, vel ei negare pristinam communicationem amicitiae. Neque admittendum cum Sanch.[13] Croix [14] Layman [15] et Holzm. [16] id quod perperam admittit Sporer [17], nempe licitum esse ex scientia confessionis abstrahere claves aut pecuniam arca, claudere fores, non amplius committere claves famulo, quia omnia haec redundarent in gravamen seu exprobrationem poenitentis.

Si vero superior ex alia via quam confessionis sciret aliquem indignum, puta ex defectu aetatis, scientiae, prudentiae, vel quia noverit alios digniores ad beneficium, tunc posse, imo debere suffragium poenitenti negare, dicunt Nat. de Alex. [18] et Merb. [19] ex d. Thoma [20] qui dixit: *Ex multis aliis causis aliquis redditur indignus ad praelationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiae, aetatis etc., et ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine facit, nec confessionem revelat.* Sed hanc sententiam censeo cum Petroc.[21] tantum locum habere posse casu quo tales occurrerent circumstantiae aliunde cognitae, sive ante sive post confessionem, quae vere moverent superiorem ad suffragium negandum, etiamsi nullam ex confessione notitiam habuisset indignitatis poenitentis. Unde minime audiendus auctor *Additionum ad Wigandt* dicens quod esto ex sola scientia confessionis nequeat superior dirigi ad gubernationem externam, tamen poterit ex illa lumen accipere, et sumere alium exteriorem praetextum seu colorem ad negandum suffragium.

(1) N. 717. v. 20. (2) Loc. c. (3) Loc. c.
(4) 3. p. tit. 16. c. 22. §. 1. in fine. (5) N. 369.
(6) Append. ad propos. damn. §. 7. p. 326.
(7) P. 744. n. 22. (8) N. 1977. (9) Loc. c.
(10) P. 202. q. 6. (11) Loc. c. (12) Locc. cc.
(13) De matrim. lib. 3. d. 16. n. 3. et 4.
(14) N. 1963. 1976. et 1977. (15) C. 14. n. 14.
(16) N. 717. (17) N. 376. (18) Desig. conf. reg. 57
(19) T. 2. p. 149. q. 30. (20) 4. d. 21. a. 1. ad 4.
(21) T. 4. p. 95

Communiter tamen admittunt posse confessarium uti notitia confessionis ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad socordiam excutiendam, ad diligentius invigilandum super gregem suum, modo nulla detur aliis suspicio peccati, neque ex hoc poenitens gravetur vel implicite redarguatur; ita Habert [1] Antoine [2] Pal. [3] Viva [4] Sporer [5] et Bon. [6] cum Soto et Reg. ex d. Th. [7] qui ait: *Potest* (confessarius) *dicere praelato quod diligentius invigilet super gregem suum, ita tamen quod non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat.* Omnia vero haec p. Conc.[8] absolute negat licere, dicens quod confessarius in omnibus se gerere debeat ac si penitus ignoraret quae ex sola confessione dignoscit. Nulli dubium quin in praedictis actibus quam maxime caute confessarius procedere debeat, cum difficile sit in his omne periculum evitare vel revelationis vel gravaminis poenitentis. Caeterum generalis regula est, fere ab omnibus recepta, licitum esse uti notitia confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum poenitenti gravamen infertur; ita Sanch.[9] Lugo [10] Hab. [11] Suar. [12] Viva [13] Antoine [14] Mazz. [15] Holzm. [16] et alii communiter, atque ipse Concina [17] praefatam regulam admittit, inquiens posse confessarium uti notitia confessionis tum ad reformandos proprios mores, tum ad servandam propriam vitam, quando duo concurrunt, nempe si secretum custoditur et confessio odiosa non redditur. Quapropter Holzm. Antoine Mazzotta Viva etc. communiter admittunt bene posse sacerdotem ex notitia confessionis orare pro poenitente, vel benignius erga ipsum se gerere; item consulere libros et sapientes, rigorem temperare, ex confessione unius dirigi ad alios interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando prioris confessionis suspicionem; item (ut ait Holzm. [18] cum Stoz) posse se praecavere a periculis et occasionibus damni spiritualis aut temporalis. Et sic pariter dicit Bon.[19] cum Navar. Regin. Zerola etc. posse monere etiam alios, in genere tamen loquendo, nempe ut sibi caveant, ne exeant e domo etc., semper tamen secluso omni periculo revelationis vel gravaminis poenitentis.

658. Dubitatur 3. An confessarius possit communionem denegare poenitenti cui prius negavit absolutionem tamquam indisposito, si ille postea occulte communionem petat.

Prima sententia affirmat, et hanc tenet d. Thomas [20] dicens: *Si sacerdos sciat peccatum alicuius qui eucharistiam petit per confessionem, si in occulto debet ei denegare et monere ne in publico petat.* Item Petroc. [21] cum s. Bonav. et s. Antonino, ac alii plures antiquiores apud Sanch.[22]. Ratio quia (ut dicunt) ex una parte tunc urget praeceptum negandi Sanctum canibus, ex alia ibi nulla intervenit sigilli revelatio, nec ulla iniusta exprobratio quae redderet confessionem odiosam vere poenitentibus; talis enim negatio vel monitio solis perire volentibus odiosam confessionem redderet; sed hoc non debet impedire ne sacerdos peccatorem moneat et sacramentum indigno deneget. Et sic pariter dicunt episcopum posse et teneri negare ordinem indigno ex confessione cognito, et parochum assistentiam matrimonio, in quo ex confessione noverit dirimens adesse impedimentum.

Secunda sententia tamen vera negat et hanc tenent Sanch. [23] Lugo [24] Lay. [25] Bon. [26] Salmant. [27] Cont. Tourn. [28] cum Henn. Spor. [29] Mazz. [30] Holzm. [31] Conc. [32] et Croix [33]. Ratio quia huiusmodi denegatio sacramenti vel monitio confessionem redderet odiosam, non solum

(1) P. 261. r. 3. (2) P. 549. v. Hinc.
(3) P. 5. §. 3. n. 18. (4) Loc. cit. §. 7.
(5) N. 870. (6) P. 4. n. 3. (7) 4. l. c. ad 1.
(8) P. 744. n. 25. (9) De matr. l. 3. d. 16. n. 4.
(10) Disp. 23. n. 102. (11) Tom. 6. p. 260.
(12) D. 33. sect. 7. n. 9. (13) Append. l. c. §. 9.
(14) P. 549. (15) T. 3. p. 589. (16) N. 717.
(17) Dista n. 25. (18) Loc. cit. v. Et hinc.
(19) P. 4. n. 19. (20) 4. d. 9. qu. un. a. 5.
(21) T. 4. p. 95. n. 2. (22) De matr. l. 3. d. 16 n. 6.
(23) Loc. cit. n. 5. (24) Disp. 25. n. 126.
(25) C. 14. n. 22. (26) P. 4. n. 17.
(27) De poenitentia c. 14. p. 3. n. 46.
(28) Tr. de euchar. c. 6. art. 1. concl. 6.
(29) N. 869. (30) C. 3. q. 5. (31) N. 717
(32) P. 742. n. 18. (33) L. 6. p. 2. n. 1974

poenitentibus illicite petentibus, sed etiam aliis qui, si scirent quod confessarius posset aliquando uti notitia confessionis, facile absterrerentur a sacramento poenitentiae. Haec sententia hodie omnino est tenenda ex supra citato decreto Innoc. XI. ubi vetatur quilibet notitiae confessionis usus ex quo sequatur qualecumque poenitentis gravamen. *Vide n. anteced.* 657.

659. Dubitat. 4. An sacerdos qui ex confessione noverit parari sibi insidias, possit fugere sive aliter sibi cavere, aliquo praetextu arrepto. Certum est posse (ut recte ait Lugo [1]), si ex tali cautione minime manifestatur aliis peccatum confessum, nec ullum gravamen poenitenti affertur. Sed dubium est an liceat ei fugere, si ex fuga, alii iam conscii peccati poenitentis, coniiciant poenitentem esse illi confessum tale peccatum.

Prima sententia affirmat, modo nullum poenitenti damnum obveniat: ita Pal. [2] Bon. [3] Petroc. [4] Wig. [5] Sporer [6] Renzi [7] cum Con. et Fag. ac Layman [8] cum Soto Sylvest. Adr. Gabr. et Henr. Ratio quia aliud est revelare peccatum confessum, aliud revelare confessionem peccati iam ab aliis cogniti: tunc enim non revelatur peccatum, sed tantum confessio facta peccati, quod non est contra sigillum.

Secunda sententia vero (quam sequor) negat id esse licitum, et hanc tenent Suar.[9] Salm.[10] Antoine[11] Elb.[12] Ronc.[13] cum Nav. et Ledesm. Mazz.[14] cum Viva et Croix ac Lugo [15] cum Soto Vasquez Rich. et Med. Ratio quia fuga illa esset quaedam indirecta revelatio peccati confessi. Nec obstat dicere quod tum fiat revelatio indirecta, cum ponitur actio ex qua de se coniicitur peccatum confessum; sed hic fuga confessarii nullo modo manifestat peccatum, sed tantum alii ex propria conscientia arguunt peccatum esse confessum. Sed respondetur cum Lugo, quod positis talibus circumstantiis, nempe scientiae aliorum criminis et confessionis poenitentis, fuga illa esset vera revelatio, non solum confessionis factae, sed etiam peccati confessi. Et licet confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper tamen aliquam rationabilem suspicionem praeberet peccati confessi. Dicit autem p. Cuniliati [16] quod eo casu poenitens teneatur dare licentiam confessario ut ille possit eximi a periculo; alias confessarius non tenetur ipsum absolvere, semper ac poenitens potest licentiam praebere absque periculo sui gravis damni. Et addit quod si poenitens iniuste licentiam denegat, confessarius, modo non det aliis suspicionem confessionis auditae, licite poterit uti notitia per confessionem recepta ut a periculo se liberet; tunc enim (ait) nullum poenitenti imminet gravamen, sed tantum adest manifestatio apud ipsummet negatae licentiae. Tamen id minime admittendum puto; nam licet absit gravamen poenitentis, adest vero indirecta saltem revelatio notitiae in confessione habitae.

Notandum autem hic id quod dicit Roncag. [17], nempe quod si confessarius noverit aliquem ex confessione solitum esse multa peccata vel tenuem dispositionem afferre, non poterit sine iusta causa se celare vel excusari ab eo audiendo, quando aspiceretur ab aliis et iis suspicionem talem ingereret, multoque magis si poenitens id reputabit ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum; secus vero (ait) si nullus aspiceret, quia tunc nulla in aliis oriretur suspicio. Sed huic ultimo non acquiesco, quia, si alias confessarius iam assisteret in confessionali, et ideo recedit quia videt illum poenitentem accedere, etiamsi alii nihil adverterent, videtur tamen hoc illi gravamen afferre, et aliquo modo odiosam reddere confessionem, cum facile tunc poenitens credat quod si ipsi confessus non fuisset, bene tunc suam confessionem apud illum confessarium, ut cupit, ex-

(1) Disp. 25. n. 103. (2) P. 5. §. 3. n. 18. (3) P. 4. n. 27. (4) D. 4. p. 97. n. 4. (5) Tr. 15. n. 122. (6) N. 865. (7) P. 509. qu. 9. (8) C. 14. n. 21. (9) D. 35. sect. 7. n. 7. (10) Ib. n. 45. et 55. (11) P. 549. (12) N. 524. (13) P. 99. q. 3. (14) T. 5. p. 589. (15) D. 25. n. 110. (16) Tr. 14. c. 4. §. 7. n. 10 (17) De sigil. cap. 2. reg. prax. n. 4.

pleret. Et de hoc magis est verendum post decreta, ut supra *num.* 656., ubi prohibetur confessariis ne ullo modo utantur notitia confessionis ad externam gubernationem, aut cum aliquo gravamine poenitentis; quod quidem intelligitur, ut inquit idem Ronc.[1] cum s. Th. Lugo Sanch. etc., etiamsi nulla intercedat revelatio, et etiamsi poenitens nullo modo advertat hoc fieri ob confessionem peractam. Unde ex ipso Ronc. dico quod licet tunc fuga illa ex praetextu apparenter iusto non redderet confessionem odiosam tali poenitenti, redderet tamen odiosam generaliter reipublicae christianae, quia si scirent fideles, posse confessarios ex colorato praetextu aufugere ab ipsis, ob notitiam in confessione acceptam suorum peccatorum, facile gravarentur. Licite autem confessarius se celabit, si iustam habeat causam, ob quam etiam ab aliis poenitentibus incognitis aeque se excusaret. Nec obstat quod poenitens tunc etiam suspicari posset confessarium se celare ob audita sua peccata; nam si revera confessarius ob iustam causam se excusaret, revera tunc sua suspicio esset temeraria, quam confessarius vitare non tenetur. Hinc concludo quod erga huiusmodi poenitentem ita se gerere debet confessarius, ac se gereret erga alium de quo nunquam confessionem excepisset. Bene tamen approbo id quod dicit idem Roncaglia [2] cum Lugo [3] quod si poenitens indispositus minitetur confessarium ob negatam absolutionem, bene poterit confessarius ab illo aufugere et non redire, quia tunc illae minae non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam, sed peccatum in confessione commissum, quod sigillo non gaudet. Haec tamen fuga tantum permittitur confessario, si fugiendo non ingerat aliis suspicionem negatae absolutionis; quod si autem ingereret, posset recitare aliquam orationem, non i im intendendo deceptionem poenitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis poenitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis. *Vide dicta de sacrament. hoc l.* 6. *n.* 59. *v. E converso.*

660. Dubitatur 5. An confessarius sciens ex confessione ecclesiam esse pollutam, possit ibi celebrare. Hic casus quidem difficulter accidet, nam (sicut diximus *num.* 364.) ut ecclesia polluatur requiritur publica violatio; tamen aliquando bene accidere posset, nempe si violatio esset quidem publica, sed confessario incognita, vel si alii ignorarent per tale factum ecclesiam esse pollutam. In his autem casibus:

Prima sententia, quam tenent Spor.[4] et Bonac. [5] cum Sylvest. Lazar. et aliis, dicit confessarium posse et teneri celebrare. Ratio quia ecclesia in favorem sigilli non videtur tunc velle obligare sacerdotem ad non celebrandum.

Secunda sententia tamen, quam tenent Lugo [6] et Aversa ac Tamb. apud Croix[7], censet non posse celebrare quia ex una parte urget praeceptum non sacrificandi in ecclesia polluta, et ex alia minime urget praeceptum servandi sigilli, cum nullum adsit periculum revelationis apud alios, nec damni poenitentis. Et haec sententia videtur satis probabilis cum Mazzotta, si revera nullum sequatur poenitentis gravamen et nulla fiat revelatio indirecta, puta si confessarius iustum exponat praetextum alibi celebrandi [8].

Dubit. 6. An si ex confessione scias aliquem (cui solitus es confiteri) non esse sacerdotem vel non esse confessarium, possis et tenearis pergere ad ei confitendum. Negat Sanch. [9] et probabile putat Spor.[10] quia ex una parte non potes simulare susceptionem sacramenti, ex alia non violas sigillum omittendo confiteri, sic enim nihil revelas de crimine poenitentis, cum innumerae possint esse causae mutandi confessarium. Communius tamen et verius tenent oppos tum Lugo [11] Mazz. [12]

(1) C. 2. qu. 6. (2) Ib. q. 5. (3) D. 23. n. 116. (4) De poen. n. 374. (5) Eod. tit. q. 6. p. 4. n. 23. (6) Dist. 23. n. 125. (7) L. 6. part. 2. n. 1976. (8) Dicimus, quod sublato periculo revelationis aut gravaminis, confessarius sciens pollutam esse ecclesiam potest, imo debet abstinere a celebratione. Hom Ap. tr. 16. n. 159. (9) De matr. l. 3. d. 16. n. 3 (10) N. 371. (11) D 27 n. 105. (12) T. 3. n. 189

et Croix[1] cum Viva Dic. et Stoz ac etiam probabile censet Sporer[2]. Ratio quia in tali omissione, quamvis non adsit revelatio sigilli, semper tamen adest quaedam odiosa exprobratio poenitentis. Neque tunc oportet tibi simulare sacramentum (quod revera esset intrinsece malum), sed potes illi ficto sacerdoti vel confessario simpliciter aliquod peccatum manifestare sine intentione absolutionis, quod in hoc casu non esset illicitum, cum tua cooperatio ad peccatum illius esset tantum materialis.

661. Caeterum, generaliter loquendo, dico quod, esto confessarius in hac materia tam gravi et periculosa debeat esse valde cautus ne poenitentes ex confessione aliquod iniustum gravamen subeant, ut sub initio animadversum voluimus; tamen non tenetur cavere omnes leves coniecturas quas facile malitiosi faciunt, sed tantum ne praebeat suspiciones probabiles de peccatis auditis, ut dicunt Lugo[3] cum Scoto Palat. et Med. ac Croix[4] cum Gob. Tamb. et Gorm. ex d. Thom.[5] qui sic ait: *Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum vel ad aliquam* (nota) *probabilem suspicionem habendam, de ipso nullo modo praelatus deberet subditum removere.*

Dubium II. Quale sit praeceptum et quae obligatio confessionis.

662. *Quos, et quando obliget hoc praeceptum. Et quomodo computetur tempus annuae confessionis.*
663. *An praeceptum divinum confessionis obliget extra articulum mortis.*
664. *Quomodo obliget iuramentum medicorum non visitandi infirmos non confessos.*
665. *Qui teneantur ad praeceptum confessionis.*
666. *An impuberes. An isti possint absolvi, si dubitetur de usu rationis* (*Remiss. ad n.* 452.).
667. *An obligetur ad confessionem annualem habens sola venialia.*
668. *An qui non satisfecit praecepto, teneatur ad illud quamprimum.*
669. *Et an per confessionem quae fit anno sequenti, satisfiat praecepto etiam antecedentis.*
670. *An in paschate sit obligatio confitendi proprio parocho.*
671. *An teneatur quis aliquando confiteri ante finem anni.*
672. *An satisfiat praecepto per confessionem invalidam.*
673. *Qui ab hoc praecepto excusentur.*
674. *Poenae in transgredientes hoc praeceptum.*

(1) N. 1978. (2) Loc. c. (3) D. 23. n. 106. (4) N. 1947. (5) Quodlib. 5. a. 15. (6) De poenit. q. 4. a. 3. n. 4. (7) L. c. (8) N. 2045. (9) D. 35 [illegible] (10) Quaest. 90. art. 2.

662. « Resp. Praeceptum confitendi tum divinum tum ecclesiasticum sub mortali obligat omnes ac solos baptizatos qui habent mortale: illud in articulo mortis, hoc vero postquam ad annos discretionis pervenerint: et simul ut confiteantur proprio sacerdoti, vel alteri cum eius venia, semel in anno, computando ab una confessione ad aliam, ut quidam docent (Ut Sotus et Gran. ap. Viva[6]), vel ab initio ianuarii ad finem decembris, ut habet communior (Et tenent Viva[7] ac Pal. et alii ap. Croix[8]), vel denique a paschate ad pascha, ut consuetudo fere obtinuit, propter communionem, Suar.[9] Vasquez[10] card. de Lugo[11] Coninc.[12] (Hinc recte ait Holz.[13] quod per se loquendo, annus esset computandus a ianuario ad decembrem, tamen, spectata universali consuetudine, computatur incipiendo a paschate ad pascha). »

663. Quaeritur an praeceptum confessionis obliget per se aliquando in vita extra periculum mortis. Commune est non obligare per se statim post peccatum; ita s. Thom.[14] quem sequuntur Suarez Lugo Regina Vill. etc. cum Salmant.[15]. Dubium est an obliget per se saltem saepius in vita. Negant pariter d. Th.[16] et Scotus ac Gabr. apud Salmant.[17], item Pal. Bosco et Dic. apud Croix[18]. Ratio quia talis obligatio nullo fundamento certo videtur probari, cum possit peccator per contritionem Deo se reconciliare. Sed communius affirmant Salm.[19] cum Reg. Vict. Led. et Granad. ac Croix[20] cum Rodr. Ills. Gorm. etc. Et hoc videtur probabilius, quia (iuxta dicta *n.* 297. in simili praecepto, nempe communionis), cum praeceptum hoc sit divinum, Christus reliquit illud determinandum ab ecclesia, quae *in c. Omnis de poenit. etc.*

(11) D. 11. sect. 3. 6 et 7. (12) D. 3. d. 6. (13) T. 1. p. 341. n. 33. (14) 4. dist. 17. q. 3. a. 1 (15) De poen. c. 7. p. 1. n. 3. (16) L. c. (17) Ib. n. 9 (18) L. 6. p. 2. n. 2020. (19) Cit. n. 9. (20) L. c.

determinavit obligare saltem semel in anno. Praeter hoc autem (ut diximus *n.* 437. *dub.* 1.), tale praeceptum per accidens obligat peccatorem etiam infra annum ad confessionem, si non conteratur, ratione caritatis erga seipsum, ne diu maneat in mortali.

664. Hic obiter agendum de quaestione illa, de qua iam egimus *l.* 3. *n.* 182., sed hic plenius est disceptanda: Quomodo medici teneantur infirmos de confessione monere. Sciendum est quod concilium lateranense sub Innoc. III. in *c. Cum infirmitas* 13. *de poenit. et rem.* praecepit districte (nempe sub gravi, ut omnes interpretantur apud Salm. [1]) omnibus medicis, ne infirmos in suam curam recipiant, nisi prius infirmi confiteantur. Deinde s. Pius v. in *Motu proprio* quod incipit *Supra gregem*, edito an. 1566. innovando praefatam sanctionem praecepit: *Ne medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat de confessione facienda; neque ultra tres dies eum invisat, nisi scripto confessarii resciat eum esse confessum. Et ut medici, antequam doctoratus gradum assumant, iurent se hoc praeceptum observaturos; et ordinarii illos non admittant in suis dioecesibus, nisi constiterit de hoc iuramento.*

His positis, quaeritur de qua infirmitate haec decreta intelligantur. Tres sunt sententiae.

Prima sententia, quam tenent Lay.[2], item Rosel. Graff. Vega et Rodriq. apud Salm. [3] (et hanc Ciera [4], cui adhaeret, vocat communiorem, sed immerito) dicit intelligi de solo morbo periculoso, vel saltem de quo dubitatur an sit periculosus. Et idem sentit Nav. [5] dicens: *Monitioni non est locus, quando manifestum est morbum non esse periculosum*. Et in hoc sensu aiunt aa. citati praedicta decreta usu recepta fuisse.

Secunda sententia autem, quam tenent s. Anton. [6] Sylv. [7], dicit intelligi de quocumque morbo etiam non mortali. Ratio quia in morbo periculoso etiam de iure naturali praefata monitio facienda esset; unde cum in *dict c. Cum infirmitas*, novum praeceptum statuatur, utique textus non est de sola infirmitate mortali intelligendus.

Tertia sententia vero communior, quam tenent Suar. [8] Sanch. [9] Bonac. [10] Pal. [11] Con. [12] Viva [13] Diana [14] cum Ang. Arm. Tab. Nugn. Homob. etc. ac Salmant. [15] cum Caiet. Trull. et Candido, et huic consentit Bened. XIV. [16], dicit 1. hoc praeceptum non quidem intelligi de solis morbis periculosis, nam revera constitutio Innocentii edita fuit (ut exprimitur in *dicto c.* 13.) ob motivum ne infirmi, cum monerentur in morbo mortali, facilius mortis periculum incurrant; unde praeceptum seu iuramentum intelligendum est de facienda monitione etiam in morbo non periculoso, ut infirmi cum monentur non incurrant mortis periculum. Dicit 2. nec etiam intelligi de quocumque morbo levi (quod ridiculum esset, ait Suarez), sed morbo gravi, etsi non periculoso. Ratio quia tam Innocentius quam s. Pius loquuntur de infirmis *lecto iacentibus*, et ideo intelligunt loqui de illa infirmitate, qua non ex maiori commoditate aeger (ut si podagra, aut alio consimili affectu laboret) sed ex necessitate lectum petit; ita ut sit per se gravis, vel prudenter iudicatur periculosa, ut gravis fiat. Neque revera discrepant ab hac sententia d. Anton. et Sylv. [17], ratio enim ab eis adducta nihil aliud probat, quam quod facienda est monitio etiamsi infirmitas non sit mortalis; unde ipsi non dicunt in omni morbo levi monendum esse infirmum, sed tantum asserunt monendum in morbo etiam non mortali, quem nos gravem appellamus.

Notant autem dd. 1. sufficere ut medicus moneat infirmum per alios; ita Mazzotta [18] ac Suarez Viva et Diana [19] cum Graff. Vega Homob. etc. 2. Suffi-

(1) Tr. 17. de iuram. c. 2. p. 7. §. 3. n. 90.
(2) L. 5. tr. 6. c. 5. n. 5. (3) Cit. n. 90. (4) Diss. 21.
(5) Man. c. 26. n. 61. (6) 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4.
(7) V. Medicus §. Tertium. (8) 3. p. d. 35. s. 3. n. 4.
(9) Dec. l. 3 c. 16. n. 7. (10) T. 2. d. 4. q. 1. p. 10. n. 10. et 15. (11) Tr. 14. d. 2. p. 7. §. 4. n. 2.
(12) T. 4. p. 86. qu. 3. (13) Qu. 4. art. 2. n. 4.
(14) P. 3. tr. 4. r. 93. (15) De iuram. tr. 17. c. 2. p. 7. §. 3. n. 90. (16) Notif. 22. n. 19.
(17) Loc. sup. cc. (18) T. 3. p. 287. (19) Locc. cc

cere testimonium aliorum (absque confessarii scripto), quod infirmus sit confessus, modo sint fide digni; Suar. Sanchez Mazzotta et Diana cum Fill. Nugn. Barb. etc. 3. Quod medicus non teneatur ad huiusmodi monitionem, si moraliter sit certus infirmum esse in bono statu, ita Sanchez [1] cum s. Anton. Ang. Rosel. Arm. Nav. et Tab. ac Salmant. [2] cum Sylv. Fagnan. Leand. et Trull. 4. Quod si infirmus nolit obstinate confiteri et esset in periculo mortis, si a medico desereretur, tunc non tenetur medicus eum deserere, quia praefata decreta non adversantur caritati, quae favet etiam obstinatis quoad fieri potest, ita Nav. Bon. Suar. Diana Conc. et Sanch. [3] cum Caiet. Graff. et Vega. Hancque opinionem dicit Bened. XIV. [4] esse communem theologorum et canonistarum cum Lugo Palao Pirhing etc.

Circa autem obligationem monendi infirmum de confessione, stando quidem rigori praefatarum constitutionum Innocentii et s. Pii, omnino videtur vera tertia sententia docens monitionem esse faciendam, non solum quando morbus est mortalis, sed etiam cum adest periculum ut deinde mortalis evadat; pontifices enim sane aliud novum praeceptum medicis imponunt, praeter illud ad quod ipsi de iure divino tenentur. Et utinam constitutiones praedictae observarentur, quot infirmi damnationem vitarent, qui ob medicorum oscitantiam confessionem procrastinando aut inconfessi aut male confessi decedunt! Sed cum decreta pontificum non obligent, nisi secundum quod sunt usu recepta, ut docent Cai.[5] Sanchez [6] Pal. [7] Corella [8] Diana [9] cum Vict. et Scortia ac Salm. [10] cum Prado Trull. Leand. et Candido. Hinc dicunt Salm. [11] cum Caiet. Sanch. et aliis citatis praefata decreta et iuramentum in Hispania non obligare, quia ibi non sunt usu recepta vel sunt abrogata. Idemque testatur Mazzot. [12], loquens de nostro regno, dum ait iuramentum s. Pii Neapoli ex usu recepto (ut etiam mihi constat) tantum in morbis periculosis observari.

665. « 1. Tenentur hoc praecepto 1. Haeretici et apostatae, pueri doli capaces, saltem post septennium. V. Dian.[13] Lugo[14]. 2. Ingrediens periculosam navigationem vel conflictum. 3. Mulier tenera primum paritura, vel quae solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adiudicatus. 5. Qui signa habent mortis naturalis (Ita communiter Salm. [15] Viva [16] et Croix [17] cum s. Thom. Suar. Pal. Con. etc. Et hoc ex praecepto divino. Addunt Lugo [18] et Salm. [19] cum Navarr. Laym. Azor. Sylv. etc. communiter, peccatorem teneri per se confiteri, si probabiliter credat non amplius habiturum copiam confessarii per totam vitam. Dicit autem Lugo [20] cum communi (contra Medin. et Nugn.) non esse obligationem confitendi propter solum periculum oblivionis pecc.).

666. » 2. Improbabile est quod docet Sa [21] ecclesiam non obligare ante pubertatem, cum anni discretionis citius attingantur, et constet mortaliter peccari posse sub annum nonum vel decimum, imo ante. Unde si talis puer, crasso saltem modo, videatur cognoscere, Deum per hoc vel illud offendi, ostendatque dolorem et propositum, ac praecipua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi; secus tamen si non notetur sufficiens usus rationis; si vero dubium sit, potest (imo in articulo mortis debet) absolvi sub conditione. Vide Laym. [22] Diana [23] et card. Lugo [24] qui docet etiam extra articulum mortis et obligationem praecepti, talem esse sub conditione absolvendum, ne gratia sacramentali privetur. (*Vide dicta de hoc puncto n.* 432.).

667. » 3. Non obligatur qui tantum

(1) N. 1. (2) Tr. 17. c. 2. p. 7. §. 3. n. 92. (3) N. 3. (4) Notif. 22. n. 17. (5) In summ. v. Medici peccata. (6) L. cit. n. 14. (7) §. 4. n. 6. (8) Tract. 16. cap. 3. n. 22. (9) Loc. cit. (10) Tr. 17. c. 2. p. 7. §. 3. n. 91. (11) Ibid. (12) T. 3. p. 287. et 550. (13) P. 4. t. 3. r. 52. (14) Loc. cit. s. 7. n. 144. et 149. (15) De poen. c. 7. p. 1. n. 6. (16) Eod. tit. q. 4. art. 2. n. 3. (17) L. 6. p. 1. n. 2019. (18) D. 15. n. 37. (19) Ibid. n. 3. (20) N. 41. (21) V. Confessio. (22) L. 3. t. 6. c. 5. (23) P. 4. t. 4. r. 53 (24) Loc. cit. et d. 17. n. 22.

habet venialia, etsi consuetudo habeat et cogi etiam quisque possit, ut in paschate saltem se sistat pastori, ut cum reliquis eum ad communionem admittat, ad quod pastor tenetur, si alter dicat, se mortalis culpae non esse conscium. Suar. [1] etc. commun. (An autem religiosi et moniales teneantur singulis mensibus ad confessionem et communionem accedere. *Vide dicta n.* 313. *v. Dicunt*). »

Quaer. an ad satisfaciendum praecepto annuae confessionis, qui non habet mortalia, teneatur confiteri venialia.

Prima sententia affirmat et hanc tenent s. Bon. Sylv. (apud Bonac.[2]) cum d. Th. [3] qui ait: *Ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione ecclesiae, quando non habeat alia quae confiteatur.* Et probabilem putat Contin. Tourn. [4] cum Habert. Ratio quia concilium Later. 4. sub Innoc. III. in *c. Omnis de poenit.*, indistincte obligat fideles ad confitendum saltem semel in anno, ac proinde etiam eos qui sola habent venialia.

Secunda sententia tamen communis et verior negat, eamque tenent cum Bus. et Suar. ut supra s. Anton. [5] Lugo [6] Holzm. [7] Bon. [8] cum Azor. et Salmant. [9] cum Cano Vasq. Caiet. Laym. Conin. Reg. Fag. Dic. Med. etc. Ratio quia ecclesia praecipiendo confessionem annuam, tantum illam confessionem praecipit quae est debita ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam praecipit confessionem, nisi mortalium, ut explicat Trident. [10] ubi ait: *Venialia taceri tamen citra culpam posse.* Id confirmatur ex verbis ipsius textus in dict. *c. Omnis* ubi dicitur: *Omnis fidelis omnia sua peccata confiteatur saltem semel in anno.* Nota verbum *omnia;* ergo (ut bene advertunt hic Lugo Bon. Salm. etc.) praeceptum Later. est de confitendis solis mortalibus, nam certum est apud omnes non esse obligationem confitendi omnia venialia.

668. « 4. Probabile est, eum qui in uno anno sive cum sive sine culpa sua, non satisfecit praecepto, teneri adhuc, quamprimum potest, anno sequenti; quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. Ac proinde talem toties peccare mortaliter quoties oblatam occasionem neglexit, ut docent Bon.[11] Suarez Vasquez card. Lugo [12] contra Sylvest. Valent. Laym. Diana etc., qui dicunt perseverare in uno eodemque peccato (Vide d. *n.* 297. de annuae communionis praecepto, quod pari passu procedit cum praecepto annuae confessionis; ibi sententiae affirmativae adhaesimus, etsi diximus sententiam negativam cum s. Antonin. Toleto Sa etc. quae hanc obligationem non agnoscit, non esse contemnendam). »

669. Utrum vero per confessionem factam in sequenti anno, posita obligatione iuxta sententiam mox supra dictam, satisfiat praecepto utriusque anni.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Lugo [13] Dic. Bonasp. et Anton. a Sp. s. apud Salm. [14]. Ratio quia praeceptum de confessione est de illa facienda semel in anno; ergo qui eam fecit, hoc eodem anno non tenetur ad aliam. Alioquin, qui per tres annos non fuisset confessus, quater deberet confiteri.

Secunda sententia negat et eam tenent Suar.[15] Laym.[16] Bon.[17] cum Con. Fill. et Nugno, quia sicut qui singulis annis tenetur solvere denarium, si anno praeterito non solvit, non satisfacit solvendo hoc anno unum denarium, ita non potest quis una confessione praecepto duorum annorum satisfacere.

Tertia sententia tamen verior quam tenent Pal. [18] Viva [19] et Salm. [20] cum Praep. Hurt. et Leand. sic distinguit: Si poenitens in illa confessione manifestet peccata mortalia tam antecedentis quam praesentis anni, tunc bene

(1) D. 36. l. 2. (2) D. 3. q. 5. p. 4. n. 8. (3) 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 3. ad 3. (4) Tr. de pracc. eccl. c. 4. q. 4. (5) P. 3. tit. 14. c. 19. §. 14. (6) D. 15. n. 132. (7) T. 1. p. 341. n. 28. (8) L. c. (9) De poen. c. 7. p. 3. n. 30. (10) Sess. 14. c. 5.

(11) D. 5. qu. 3. s. 2. (12) Loc. cit. n. 177. (13) D. 15. n. 180. (14) De poen. c. 7. p. 4. n. 45. (15) 3. p. d. 36. sect. 4. n. 3. (16) C. 4. n. 10. (17) P. 4. n. 31. (18) P. 20. §. 2. n. 15. (19) Q. 4. a. 3. n. 3. (20) Cit. n. 45.

satisfacit utriusque anni obligationi. Ratio quia per illam unam confessionem iam implet finem praecepti, nempe ut ipse cum Deo reconcilietur, idque est contra secundam sententiam. Nec obstat paritas denarii allata; nam solutio unius denarii non potest quidem solutioni duorum denariorum debitorum aequivalere, sed una confessio bene potest aequivalere pluribus confessionibus, cum una confessio deleat omnia peccata quae per plures fuerant delenda. Si vero poenitens in praesenti anno non peccavit mortaliter ante confessionem et postea incidit in mortale, tunc una confessione non satisfacit praeceptis utriusque anni, sed tenetur iterum confiteri. Ratio quia per illam confessionem tantum satisfacit praecepto anni praeteriti, non autem praesentis, cum respectu praecepti praesentis anni non satisfaciat qui non confitetur mortalia istius anni; communiter enim docent dd. et merito, prout Layman [1] Pal. [2] et Salm. [3] cum Suar. Vasq. Bon. Bec. Dic. Reg. Diana Hurt. Leand. etc. ac ipse Lugo [4], quod si quis confitetur sola venialia in principio anni, et ante finem committit mortale, tenetur illud intra illum annum confiteri. Unde cum confessio illa mortalium commissorum tantum in anno praeterito non sit impletiva praecepti anni praesentis, sequitur quod si poenitens in hoc anno aliquod mortale committat, teneatur illud ante finem anni confiteri.

670. « 5. Satisfaciunt ii qui confitentur mendicantibus, etiam in paschate, quia hi habent facultatem a sacerdote maxime proprio omnium fidelium et pastore pastorum. Ita communiter omnes contra Glossatorem et Auctorem Parochiani obedientis. Contra quos vide in responsis Francisci Fontani, editis Viennae Austriae anno 1634. allegatam auctoritatem duorum conciliorum generalium, Viennensis et Tridentini, 20. pontificum, 50. doctorum et praeter totius orbis consensum, multorum quoque parochorum testantium, eos esse optimos parochianos qui regulares adeunt et ab iis instituuntur, ut supra *l.* 3. *t.* 3. *c.* 1. *dub.* 3., item Navar. Azor. Fag. Trull.[5] Diana [6] (*Vide dicta de hoc puncto n.* 564.).

671. » 6. Non obligatur ante finem anni qui habens mortale timet ne illud obliviscatur. Conin. Henr. c. de Lugo[7] et alii contra Med. etc. Si tamen praevideret se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet praevenire etiam in medio anni. Card. de Lugo [8] (*Vide dicta n.* 298.).

672. » 7. Probabilius est, non satisfieri praecepto ecclesiae per confessionem invalidam, ut docent Suar. [9] Fill. Laym. c. de Lugo [10], etsi probabile contrarium putet esse Fagund. Vide Diana [11] (Improbabile tamen nunc est propter propos. 14. inter damnatas ab Alexandro VII.). Item nec per confessionem venialium, ut docet Diana [12] ex Hurt. et Mercero (*Vide dicta n.* 669.).

673. » 8. Excusantur ab hoc praecepto, 1. qui physice non possunt, v. g. quibus deest confessarius; 2. qui moraliter non possunt; v. g. qui prudenter timent revelationem sigilli, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitae, fortunarum etc. Con. Tamb. [13].

674. » Nota in fine quod de iure communi ex *cap. Omnis utriusque sexus* duplex poena incurritur a transgredientibus tale praeceptum, scil. prohibitio ab ingressu ecclesiae et privatio sepulturae, sed incurritur post sententiam iudicis. Et impuberes a praedicta poena excusantur (Ita Viva ex communi [14]. *Vide dicta n.* 295. *v. Praeceptum*).»

DISSERTATIO

De confessariis sollicitantibus.

675. Ex bulla Gregorii XV. edita anno 1622. ac descripta apud Salmant.[15], denuntiari debent: *Omnes ... sacerdotes* (verba bullae) *tam saeculares, quam .... regulares ..... qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive*

(1) L. c. (2) §. 3. n. 1. (3) De poen. c. 7. p. 4. n. 41. (4) D. 15. n. 173. (5) L. 3. c. 3. d. 2. n. 6.
(6) P. 8. t. 1. r. 88. (7) Disp. 14. n. 41.
(8) Disp. 15. sect. 6. n. 182. (9) D. 36. s. 7.
(10) D. 15. s. 6. §. 3. (11) P. 3. t. 4. r. 120.
(12) P. 4. t. 4. r. 206. (13) C. 4. §. 3.
(14) Q. 4. art. 3. n. 9.
(15) De praec. decal. c. 4. p. 3. §. 1. n. 17.

inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis .... etiam .... confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem, in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones audiantur seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. Et deinde subiungitur: *Mandantes omnibus confessariis ut suos poenitentes quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu ... tractantes etc. inquisitoribus seu locorum ordinariis etc.* Et si hoc officium praetermiserint, mandat pontifex ut pro modo culpae puniantur. In edicto autem generalis inquisitionis imponitur excommunicatio latae sententiae in non denuntiantes infra mensem omnes de haeresi suspectos inter quos enumerat confessarios sollicitantes ad turpia. De hac autem excommunicatione *vide dicenda n.* 693.

Hic refert adnotare auctores quos observavi tractantes de hac materia sollicitationis, cum adnotatione locorum. Sunt videlicet Castr. [1] Bon. [2] Escob. [3] Salm. [4] Felix Pot. [5] Ronc. [6] Diana [7] Conc. [8] Maz. [9] Anac. [10]. Caeterum pauci auctores hanc rem ex professo tractant, forte quia non ubique praefata bulla Gregorii recepta est, prout asserit Anaclet. [11] de Germania, Palaus de Hispania. Sed hic advertendum quod n. ss. p. Bened. XIV. novissime anno 1741. 1. iun. ediderit bullam quae incipit *Sacramentum*, in qua confirmavit et, quatenus opus, denuo mandavit omnibus inquisitoribus et locorum universi orbis christiani ordinariis ut inquirant et procedant contra omnes sacerdotes sollicitantes cuiuscumque dignitatis, praeeminentiae etc.

(1) T. 1. tract. 4. de fide d. 9.
(2) T. 1. d. 6. de oblig. denunt. p. 3.
(3) T. 6. p. 1. l. 47. c. 29.
(4) De praecept. decal. c. 5. punct. 3. per tot.
(5) Part. 3. n. 482. (6) De poenit. p. 113.

§. I. Perpenduntur clausulae la praefata bulla Gregorii XV. appositae.

676. *De clausula* 1. In actu sacramentalis confessionis.
677. *De clausula* 2. Ante vel post immediate.
678. *De clausula* 3. Occasione vel praetextu confessionis.
Quid importet tò Occasione confessionis. *Dub.* 1. *An denunciandus, qui sollicitat mulierem rogantem ut cras eam audiat. Dub.* 2. *An qui, audita fragilitate mulieris, postea domi eam sollicitat.*
679. *Quid importet tò* praetextu confessionis. *Et quid, si ex condicto mulier, fingens se aegrotam, advocet confessarium ad peccandum.*
680. *De clausula* 4. In confessionario aut in loco quocumque... simulantes ibidem confessiones audire. *Quid importet illud* simulantes. *Et quid si confessarius sollicitet in confessionario, sine tamen simulatione confessionis.*

676. Clausula 1. *In actu sacramentalis confessionis.* Ad hoc sufficit si confessio sit incoepta, licet non perfecta: ita Salmant. [12] et Ronc. [13]. Nota hic prop. 6. damnatam ab Alex. VII. quae dicebat: *Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione.* Pariter denuntiandus est confessarius, si in confessione apponat medium indifferens, quod tamen ex circumstantiis postea cognoscatur appositum ad sollicitandum, ut esset imponere mulieri ut expectet eum domi, vel si interroget eam ubi habitet; ita Ronc. [14] cum Bordon.

677. Clausula 2. *Immediate ante vel post.* Illud *immediate ante*, sentiunt communius Passerin. et Boss. apud Ronc. [15] (contra aliquos apud Barbosa) stricte intelligendum esse, ita ut nullum intervallum intercedat. An autem denuntiari debeat confessarius qui sollicitat immediate postquam poenitens petierit confessionem. Affirmant Salmant. [16], sed probabilius, ut puto, negat Bordon. apud Potest. [17]. Notandum tamen quod eo casu licet confessarius non sit denuntiandus ex clausula praedicta, denuntiandus tamen ex clausula tertia sequenti, *occasione confessionis*,

(7) P. 4. tr. 5. per totum. (8) De poenit. p. 756.
(9) Eod. tit. t. 5. p. 455. (10) P. 621 q. 3.
(11) N. 67. (12) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 4 n. 44
(13) De poen. q. 8. c. 1. q. 4. (14) D. l. § 5 Q. 6
(16) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 4. n. 49. (17) A. 50

ut infra; si enim confessarius utatur petitione illa ut medio ad sollicitandum, utique est denuntiandus; secus si utatur tantum ad colloquendum, et si postea in progressu collocutionis tentatus sollicitat.

Illud autem, *immediate post*, communiter a dd. intelligitur, quando post confessionem nec confessarius nec poenitens ad alia se divertit, ita ut eveniat sollicitatio antequam ulla alia actio intervenerit, ita Salm. Roncag. Pot. [1] cum Hurtad. Lez. Peyrin. Dicit autem Potest. [2] non esse denuntiandum confessarium qui sollicitat postquam poenitens recesserit ab eius conspectu. Verumtamen denuntiandum esse recte censet confessarium qui statim post confessionem dicit poenitenti, *expecta me paulisper*, et post intervallum venit et sollicitat, etiamsi, accedendo, prius habeat de alio negotio serio tractatum, quia tunc talis tractatus prudenter fictus praesumitur: secus vero si venit sequenti die et sollicitet, ita Pot. [3]. Sed quidam doctus non utique improbabiliter dicit, quod si negotium illud magni sit momenti et ad confessarium pertinens, minime est ipse denuntiandus. Quare ex circumstantiis iudicandum an probabiliter intenta fuerit sollicitatio et negotium ut medium, an vero negotium principaliter et sollicitatio per accidens.

Constat autem denuntiandum esse confessarium, si statim post confessionem ducat puerum in cubiculum et sollicitet; quia tunc statim ponit si non sollicitationem, saltem illius medium, ita Ronc. [4] et Pot. cum Diana etc. [5]. Item, si audita confessione foeminae, dum ea ad manum deosculandam accedit, confessarius illam turpiter tangat, vel dum est ante ipsum ut confiteatur, pedibus aut manibus turpiter tangat illam, si immediate post ipsa confitetur, pariter est denuntiandus. Si vero alia vice confiteatur, *vide dicenda in clausula* 4. *n.* 680.

(1) N. 503. (2) N. 504. (3) N. 506. (4) D. q. 6. (5) N. 507. (6) N. 509. (7) Q. 7. (8) N. 7. (9) Tract. 21. c. 4. p. 5. §. 4. n. 52. (10) N. 510. (11) Loc. cit. (12) P. 7. n. 6.

678. Clausula 3. *Occasione vel praetextu confessionis*. Dicitur *occasione confessionis*, quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram: *praetextu* vero, quando ad confessionem fictam: ita Potest. [6] Roncag. [7] et Concina [8].

Et 1. Ex particula *occasione confessionis* denuntiandus est confessarius, qui rogatus ad confessionem divertit et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa; ita communiter Salm. [9] Pot. [10] Ronc. [11] et Pal. [12].

Dubit. 1. An denuntiari debeat confessarius qui rogatus a foemina ut cras eius confessionem excipiat, eam sollicitat. Affirmant Conc. [13] et Mazzot. [14] cum Potesta et aliis, quia iam verificatur sollicitasse occasione confessionis. Negant vero Palaus [15] et Quarti ac Leand. apud Mazz., quia talis sollicitatio non est proxima confessioni faciendae, sed potius conventioni de confessione facienda. Sed hoc non officit quominus sollicitatio dicatur facta occasione confessionis. Unde primae sententiae me subscribo.

Dubit. 2. An denuntiari debeat confessarius qui ob fragilitatem mulieris auditam in eius confessione, postea domi eam sollicitaverit.

Prima sententia negat et hanc tenent Sousa [16] et alii ap. Diana [17], item Salmant. [18] cum Trull. et Leand. et idem sentit Auctor lib. *Istruz. per li novelli conf.* [19]. Ratio quia is non utitur tunc occasione confessionis, sed notitia ex illa habita; ideoque tunc dicitur confessarius peccare non ex occasione, sed ex cognitione confessionis, cum sollicitatio sit remota a loco et statu confessionis.

Secunda sententia tamen probabilior affirmat, eamque tenent Mazzotta Potesta [20] Conc. [21] Peyr. cum Graff. apud Diana [22] et Ronc. [23] cum Lez. Boss. et Bord. Ratio quia, cum sollicitatio impulsum habeat a confessione, satis ve-

(13) N. 7. (14) P. 459. (15) P. 7. n. 4. (16) De conf. soll. n. 10. (17) P. 4. tr. 5. r. 7. (18) Ibid. n. 51. (19) Part. 2. c. 14. n. 295. (20) N. 504. in fine, et n. 537. (21) N. 7. (22) Loc. cit. (23) Q. 7.

rificatur quod occasione confessionis fiat sollicitatio. Satis autem praesumitur confessarius usus fuisse notitia confessionis ad sollicitandum, si post audita peccata turpia poenitentis suamque propensionem ad venerem ostensam, interroget de domo ubi habitat, an maneat sola et similia, vel (ut ait Conc.) si ante confessionem confessarius et poenitens mutuo fuissent ignoti et occasione cognitae levitatis ipse domum mulieris adeat et sollicitet. Idem recte ait dicendum Ronc. cum aa. a se cit. si confessarius sollicitat per epistolam, vel si confessarius obtineat vel petat a muliere consensum copulae, promittendo eius confessionem audire.

679. 2. *Praetextu* autem *confessionis* denuntiandus est confessarius qui ex pravo fine ficte invitat mulierem ad confessionem et deinde sollicitat, Concina [1] Mazzotta et Ronc.[2] cum Bordon. Si vero confessarius vadit ad sollicitandam foeminam, petendo licentiam a suo superiore sub praetextu confessionis, merito dicunt Salm. [3] et Ronc. [4] cum Bord. ac Tancredi apud Potesta [5] non esse denuntiandum, quia tunc praetextus confessionis non est respectu poenitentis, sed respectu superioris. An autem denuntiari debeat confessarius qui convenit cum muliere ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum. Affirmant Conc. et Mazzotta [6], item Fagund. apud Potesta [7] ac Sancius apud Diana [8], quia praetextus confessionis tunc videtur satis manifestus. Sed probabilius negant Ronc. [9] cum Bord. Diana [10] et Escob.[11] cum Trull. cum Freita ac Leand. Ratio quia tunc non verificatur quod confessarius sollicitet praetextu confessionis, sed tantum quod praetextu confessionis peccatum exequatur; ita ut praetextus confessionis tunc iam ordinetur non ad sollicitationem, sed ad familiares decipiendos. Et tanto minus (contra Concinam) puto esse denuntiandum confessarium, si mulier, nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocet et sollicitet, quamvis deinde rem habeant; quia ex bulla tunc confessarius denuntiari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis; at in hoc casu non confessarius, sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat. Secus vero censeo dicendum si confessarius extra confessionem sollicitaret et foemina renueret timens diffamationem; et ideo confessarius ei suaderet, ut fingens se aegrotam eum accerseret ad peccandum, quia tunc vere diceretur confessarius praetextu confessionis sollicitare foeminam ad praestandum consensum. Idem puto dicendum si confessarius advocetur a matre puellae ut filiae confessionem excipiat, et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine ad alloquendam puellam de confessione, nempe eam interrogando an velit confiteri vel dicendo se advocatum fuisse ad audiendam eius confessionem et deinde sollicitet, quia tunc etiam sollicitaret praetextu confessionis. Idem dicendum puto cum Esc.[12] et Diana [13] quando confessarius in loco ad confessiones deputato et sub confessionis figura sive specie simulat, ad illudendos spectantes, confessionem audire et sollicitet, tunc enim denuntiandus est, non iam quia sollicitat praetextu confessionis, sed quia sollicitat simulando confessionem in loco ad ipsam deputato, ut mox dicemus *num. seq.*

680. Clausula 4. *Extra confessionis occasionem in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.* Tò *simulantes ibidem confessiones audire*, quidem intelligitur, si sacerdos ita se gerat ut adstantes credant actu ipsum audire confessionem. Dicunt autem Roncag.[14] et Escob. [15] cum aliis, quod ad simu-

(1) N. 8. (2) D. q. 7. (3) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 4. n. 55 (4) L. c. (5) N. 515. (6) Locc. cc. (7) N. 515. (8) P. 4. tr. 5. r. 57. (9) D. q. 7. (10) Locc. cc. (11) N. 662. (12) N. 662. (13) D. r. 57. (14) Qu. 8. (15) N. 675.

landam confessionem non sufficiat si foemina flexis genibus coram confessario assistat, sed insuper requiritur ut confessarius voce, nutu, sive aliqua actione, puta applicando aures, simulet confessionem audire, quia (ut aiunt) simulatio non solum debet esse ex parte poenitentium, sed etiam ex parte confessariorum, cum in bulla de his dicatur, *simulantes ibidem confessiones audire*. Sed melius sentiunt Pal.[1] Diana[2] et Fagund. ac Trullench. apud Escob.[3], quod cum confessarius adest in loco deputato ad audiendas confessiones, et foemina genuflexa ibi adstat, eamque confessarius sollicitat, iam denuntiandus est; quia ipse manendo ibi audiens poenitentem, iam satis ingerit spectantibus credulitatem quod illa confiteatur, ideoque ipso facto iam simulat confessionem audire. Secus tamen dicendum puto, si in aliquo loco, quamvis electo ad confessionem, extra tamen confessionarium, sacerdos sollicitaret foeminam stantem vel sedentem aut cubantem, iuxta mox dicenda.

Dixi: *extra confessionarium*, nam dubium hic fit an denuntiari debeat confessarius qui sollicitat vel tractat turpia in confessionario, quin tamen confessionem simulet.

Prima sententia negat et hanc tenent Pal.[4] Escob.[5] Roncag.[6] cum Lez. et Salm.[7] cum Freita Fag. et Leand., item Sancius Sousa Hurt. Boss. et Donatus apud Pot.[8]. Ratio quia in bulla Gregorii, ut supra dicitur, denuntiandi sunt confessarii *qui extra confessionis occasionem in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo; simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones habuerint*. Ergo inferunt quod sive sollicitatio fiat in confessionario sive in alio loco ad confessiones electo, requiritur ad obligationem denuntiandi confessionis simulatio.

Sed probabilius affirmant esse denuntiandum Mazz. Conc.[9] Diana[10] ac Pot.[11] cum Bord. Trull. etc. Cum his dicimus quod si confessarius sollicitat in aliis duobus locis ut supra in bulla descriptis, requiratur simulatio confessionis ad eum denuntiandum, non vero si sollicitat in confessionario. Et hoc probatur ex decr. Pauli v. (relato apud Pot.[12]) ubi sic dictum fuit: *Die 10. iulii 1614. in gen. congr. s. rom. et universalis inquisitionis coram ss. Paulo papa* v. *facta relatione quod multi confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit ut contra huiusmodi confessarios procedatur in s. officio*. Cum igitur nulla ibi mentio fiat de simulatione confessionis, ad denuntiandum confessarium sufficit, quod ipse in confessionali de rebus turpibus tractet, quin simulet confessionem audire. Nec valet dicere, ut aiunt adversarii, decretum hoc fuisse abrogatum sive restrictum per bullam Gregorii. Nam respondetur regulam generalem esse quod leges anteriores numquam intelligantur abrogatae per posteriores, nisi quando hae prioribus omnino sint contrariae, alioquin, semper ac aliquo modo potest contrarietas excusari, correctio legum, quoad fieri potest, vitari debet, prout communiter tradunt Sanchez[13] Pal.[14] Salm.[15] et alii dd. passim ex *c. Cum dilectus, de consuet. et ex l. 1. c. de Inoff. dotib.* ubi dicitur: *Leges legibus concordare promptum est*. Decretum autem Pauli v. bene consistit cum bulla Gregorii: in illo enim sermo tantum fit de confessario tractante inhonesta in confessionali; in bulla vero Gregorii additur de tractante turpia, praeter confessionale, *in loco quocumque ubi confessiones audiantur seu ad confessionem audiendam electo*, et hic subditur clausula: *simulantes ibidem confessiones audire*. Unde, cum clausula haec bene referri possit tantum ad duo posteriora

(1) P. 3. n. 4. (2) Res. 18. (3) N. 675.
(4) P. 3. n. 4. (5) N. 669. (6) Qu. 3.
(7) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 5. n. 57. et 58. (8) N. 522.
(9) N. 11. (10) P. 1. tr. 4. res. 13. et p. 4. tr. 5. r. 58. et p. 8. tr. 9. r. 55. (11) N. 522.
(12) L. c. (13) De matr. l. 1. d. 17. n. 6.
(14) De leg. tr. 3. d. 5. p. 2. §. 1. n. 9.
(15) Eod. tit. c. 4. p. 2. §. 1. n. 15.

loca et non ad confessionale, non est cur dicamus decreto Pauli v. per bullam Gregorii fuisse derogatum. Accedit edictum s. inquisitionis rom. (relatum a Pot. [1]) ubi dicitur: *Debbano denunziare ciascuno di coloro de' quali sappiano o abbiano notizia che contro i decreti e costituzioni apostoliche abbiano abusato il sacramento della penitenza, servendosi della confessione o confessionario* (nota) *a fini disonesti, sollicitando in essi i penitenti* ad turpia, *ed avendo con essi discorsi di cose illecite e non convenienti al fine per cui è stato istituito.* Quapropter talis confessarius saltem denuntiandus est ex hoc edicto, quia abutitur confessionario ad sollicitandum.

§. II. Quinam sollicitantes debeant denuntiari.

681. *Qu. 1. An denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti.*
682. *Qu. 2. An confessarius qui sollicitatus ad copulam, divertit ad tactus.*
683. *Qu. 3. An confessarius sollicitans ad actus venialiter tantum inhonestos.*
684. *Qu. 4. An sollicitans ad peccata non turpia.*
685. *Qu. 5. An denuntiandi episcopi sollicitantes.*
686. *Qu. 6. An denuntiandus confessarius sollicitans, si fuerit emendatus.*
687. *Qu. 7. An, qui de sollicitatione iam convictus est et punitus.*
Qu. 8. An, qui consentit mulieri sollicitanti ne ab ea accusetur.
Qu. 9. An simulans confessionem ex condicto ad tractanda inhonesta.
688. *Qu. 10. An denuntiandus laicus vel clericus sollicitans in confessione, simulando se confessarium. Et quid si sit sacerdos, sed careat iurisdictione.*
689. *Qu. 11. An denuntiari debeat poenitens sollicitans confessarium.*
690. *Qu. 12. An denuntiandus interpres sollicitans poenitentem.*
691. *Qu. 13. An confessarius sollicitans mulierem ut inducat aliam ad secum peccandum, vel ut ipsa peccet cum alio.*
692. *Qu. 14. An confessarius sollicitans postquam decesserit.*

681. Quaer. 1. An sit denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione. Affirmant Salm.[2] et aiunt contrariam sententiam non esse probabilem post bullam allatam Gregorii xv. ubi expresse sunt denuntiandi non solum confessarii sollicitantes, sed etiam inhonestos tractatus habentes; et idem sentiunt Maz. Conc.[3] Pot.[4], item Salm.[5] cum Diana Leand. etc. Negant vero Bon.[6] Pal.[7] Esc.[8] cum Acunna Hurt. Sousa et Sanctorell. item Prato Bordon. Homob. et Trull. apud Salm.[9]. Ac Ronc.[10] ad hanc sententiam inclinare videtur, dicens cum Bord. Sanctorell. etc., quod rationi a Salm. allatae responderi possit, verba bullae intelligenda esse de tractatibus turpibus quorum confessarius sit auctor. Atque Diana[11] hanc probabilem ac tutam dicit. At mihi pro dicta sententia alia ratio occurrit quae habetur apud Bonac. et quae potior videtur. Ratio est quia ex bulla eadem Greg. mandatur confessariis ut moneant de obligatione denuntiationis, non iam quoscumque poenitentes qui cum confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos *quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos;* quare infertur quod poenitens licite, si vellet, posset confessarium in dicto casu denuntiare, iuxta primam probabilem sententiam; sed videtur probabilius ad hoc poenitens non obligari; quia, ut ipse obligationem subeat denuntiandi confessarium, requiritur ut fuerit ab illo sollicitatus. Etsi igitur confessarius non eximatur a crimine ob inhonestum tractatum in confessionario, eximitur tamen poenitens ab obligatione denuntiationis, dum non reperitur sollicitatus. Et recte censetur noluisse pontificem obligare poenitentes ad denuntiandum confessarios quos ipsi tentaverint, ob magnam difficultatem quae deterret poenitentes a denuntiando in isto casu quo peccatum ab ipsis causam habuerit: tum quia, si denuntiarent, valde periclitaretur eorum fama: tum quia lex nimis ardua tunc eis redderetur. Quidam neotericus scripsit praefatam opinionem fuisse proscriptam a Benedicto xiv. per bullam *Sacramentum,* allatam *in fine operis.* Sed perperam id asseruit, nam pontifex ibi tantum dixit, denuntiationem esse faciendam, etiamsi *inter confessarium et poenitentem mutua fuerit.* Lon-

(1) T. 2. n. 326. (2) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 3. n. 42. (3) N. 16. (4) N. 379. (5) Ibid. §. 4 n. 54. (6) Disp. 6. p. 3. n. 17. (7) P. 3. n. 4. (8) N. 653 (9) L. c. (10) Q. 5. (11) P. 1. tr. 4. res. 11.

ge autem differt sollicitatio mutua ab ea quae fit a muliere, et cui confessarius consentit, cum dd. valde distinguant primum casum ab altero, ut observari potest apud Fel. Potest. [1] ubi dicunt, sollicitationem mutuam tum evenire, cum confessarius sollicitatus a poenitente ad unam turpitudinis speciem, ad aliam sollicitat mulierem (prout *n. seq.* dicetur), aut etiam cum confessarius a poenitente sollicitatus prius dissentit vel sermonem divertit, et deinde post aliquod intervallum illam sollicitat; atque in his casibus mutuae quidem sollicitationis auctores aliqui, ut Castrop. Peyrin. et Acunna sentierunt, non adesse obligationem denuntiandi; et haec est opinio quae a pontifice damnata fuit, et quidem iuste: in huiusmodi enim casibus iam verificatur quod poenitens vere maneat sollicitata, et vere confessarius sollicitet; at in nostro casu cum confessarius simpliciter sollicitationi consentit, minime verificatur, nec dici potest quod mulier sit sollicitata. Quando autem cooperatio confessarii dicenda est simplex consensio aut etiam mutua sollicitatio, id pendet a circumstantiis sermonis et tractatus qui inter confessarium et poenitentem intercedunt.

682. Quaer. 2. An sit denuntiandus confessarius qui, sollicitatus a poenitente ad copulam, renuit et divertit ad solos tactus. Affirmant Salm. [2] cum Leand. et Dian. Sed probabiliter negant Pal. [3] Escob. [4] ac Trull. Hurt. etc. apud Salm. [5]. Ratio quia foemina sollicitans ad copulam virtualiter provocat etiam ad tactus qui ordinarie sunt praevii ad copulam; unde verificatur quod confessarius (ut supra) tunc non sollicitat, sed sollicitatus consentit. Recte vero notat Pal. [6] quod confessarius sollicitatus ad sodomiam, si ipse divertat ad fornicationem, vel contra, tunc certe est denuntiandus, cum ipse tunc sollicitet ad actum ad quem non fuit sollicitatus, fornicatio enim non continetur sub sodomia nec contra.

683. Quaer. 3. An denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Diana Mazzot. Viva [7] et Trull. Sancius Fagund. Leand. et Th. Hurt.[8]. Ratio quia actus leviter inhonesti extra sacramentum fiunt graves in sacramento ob gravem iniuriam quae ei irrogatur; sicut sumptio parvi cibi in die ieiunii esset per se leve peccatum contra temperantiam, sed esset grave si fieret ante communionem.

Secunda sententia vero probabilior negat, et hanc tenent Pal.[9] et Escob.[10] cum Sousa Portell. et Gasp. Hurt. Ratio quia ex una parte certum est quod ad denuntiandum confessarium sollicitantem requiratur, prout dicunt Pal. Portell. et Sousa, quod actus sollicitationis sit peccatum grave, ita ut certe putetur ipse graviter in eo peccasse, cum talis denuntiandus sit tanquam suspectus de fide, ut habetur ex edicto inquisitionis gener. apud Potest.[11]. At nemo potest censeri suspectus de fide, qui tantum venialiter peccat. Hinc Bened. XIV. hoc sollicitationis crimen appellat *nefariam improbitatem;* et in bulla Pii IV. dicitur de huiusmodi sacerdotibus sollicitantibus, *qui loco reconciliationis cum Deo, graviori peccatorum mole poenitentes onerant, et in manibus diaboli tradunt.* Ex alia vice actus qui in se est levis contra castitatem, nequit fieri gravis in sacramento, alias quodlibet peccatum veniale in materia veracitatis, patientiae, vel humilitatis evaderet grave in sacramento, quod nemo asserit.

Nec obstat dicere quod culpa levis reddatur gravis ob reverentiam sacramento debitam; nam hoc currit quando aliquid prohibetur ob solam reverentiam sacramenti, prout prohibetur quaevis parva comestio ante communionem, non vero quando res aliqua ab ecclesia vetatur tamquam in se ma-

(1) De denunt. n. 582. (2) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 3. n. 40. (3) Part. 5. n. 4. (4) N. 656. (5) Ibid. n. 59. (6) Dict. n. 56.

(7) In prop. 7. damn. ab Alexandro VII. (8) N. 655. (9) Part. 5. n. 3. (10) N. 656. et 657. (11) T. 2. n. 326.

ia, tunc enim, quia tota iniuria quae sacramento irrogatur est quatenus sacramentum ministratur aut suscipitur cum actu pravo, si actus est leviter pravus, levis etiam erit iniuria quae fit sacramento. Omnes tamen conveniunt cum Palao et Escob. [1] quod si ex circumstantiis certe coniiceretur quod sacerdos eo levi actu animum habuerit ulterius progrediendi, tunc censenda est sollicitatio gravis.

684. Quaer. 4. An sit denuntiandus confessarius qui in confessione sollicitat poenitentem, non ad turpia, sed ad alia peccata.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pegna Zechius Moure et Acunna apud Diana [2] et huic inclinat Potest. [3] cum Cord. Ratio tum quia in bulla Greg. xv. dicitur esse denuntiandus qui habet cum poenitente *illicitos et inhonestos tractatus;* tò autem *illicitos* videtur comprehendere omnes alios actus culpabiles, praeter materiam inhonestam; idque videtur magis exprimi in edicto inquisitionis, ubi praecipitur denuntiari qui habent cum poenitentibus *discorsi di cose illecite e non convenienti al fine per cui il sacramento della penitenza è stato instituito;* tum quia in decreto Alexandri vii. habetur esse denuntiandos omnes de haeresi etiam leviter suspectos; si igitur denuntiari debet tamquam suspectus de haeresi qui sollicitat ad turpia, cur non etiam qui sollicitat ad alia crimina? Haec sententia videtur satis probabilis, unde bene ait Pal. [4] quod inquisitores probabiliter cognoscere possint de huiusmodi sollicitatione, si deferatur, ob facultatem ipsis concessam.

Secunda sententia vero communissima et probabilior negat, eamque tenent Pal. [5] Mazz. Holzm. [6] Bon. [7] cum Ledes. et Sanctorell. Ronc.[8] cum Boss. et Carena Diana [9] cum Freita Peyr. Homob. Sousa et Veneto ac Escob. [10] cum Fag. Leand. Molf. Scortia etc. Ratio quia nullibi habetur expressum, hanc sollicitationem esse denuntiandam; licet enim in bulla Gregorii, praeter verbum *inhonestos* addatur *illicitos,* tamen patet utrumque eamdem materiam significare, dum dicitur, *illicitos et inhonestos tractatus.* Nec aliter accipienda sunt verba edicti, quia edictum ad bullam se refert aut certe referendum est. Nec obstat dicere quod sollicitans ad alia crimina etiam sit de haeresi suspectus; nam communissime dd. (ut vidimus) bullam Alexandri interpretando, censent non esse obligationem denuntiandi huiusmodi sollicitantes, dum bullae tam Gregorii, quam aliorum pontificum, loquendo de sollicitatione in confessione, praeceperunt denuntiari tantum sollicitantes ad turpia; unde videtur ad hanc solam materiam veneream imposita esse obligatio denuntiandi sollicitantes, quia ob fragilitatem naturae frequentius haec sollicitatio, et maius in ea periculum consentiendi contingere poterat. Idque (ut ait Diana [11]) confirmatur ex praxi inquisitorum.

Praeterea, communiter dicunt dd. et merito non esse obligationem denuntiandi sacerdotes sollicitantes ad turpia in aliis sacramentis quam poenitentiae, quia revera de hac denuntiandi obligatione nullibi habetur praeceptum; ita Bonac.[12] Diana [13] Pal.[14] cum Freita Acunna et Sancio ac Escob. [15] cum Lez. Peyr. Sanctorell. etc. contra Moure et Hurt.

685. Quaer. 5. An denuntiandi sint episcopi sollicitantes in confessione. Negant Pal.[16] et Escob.[17] cum Mol. Acunna Trull. Freita Decian. et Sancio, quia episcopus etiam in crimine haeresis formalis non subiicitur inquisitoribus, ex *c. Inquisitores, de haeresi in* 6. et ex Trid.[18] ubi dicitur: *Causae criminales graviores contra episcopos, etiam haeresis ... ab ipso tantum romano pontifice cognoscantur et terminentur.* Sed affirmant melius Bon.[19] Ronc.[20] Salm. [21] cum Hurt. et Ant. a Sp. s. ac

(1) Locc. cc. (2) P. 3. tr. 4. r. 17. (3) N. 496. (4) P. 6. n. 2. (5) L. c. (6) T. 1. p. 312. n. 671. (7) P. 3. n. 13. (8) P. 113. q. 3. (9) D. r. 17. (10) N. 631. (11) L. c. (12) P. 3. n. 7.

(13) R. 16. (14) P. 6. n. 3. (15) N. 634. (16) P. 9. n. 2. (17) N. 715. (18) Sess. 24. c. 8. (19) Part. 3. n. 8. (20) P. 113. qu. 2. r. 1. (21) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 2. n. 30.

Potesta [1] cum Leand. Fag. etc. Verum Bonac. sentit denuntiandos esse inquisitoribus, at Potesta Ronc. et Salm. [2] cum aliis dicunt esse denuntiandos pontifici, si commode huic fieri possit denuntiatio, alias hanc deferendam esse, dicunt, inquisitoribus, qui licet non possint punire nec processum formare contra episcopos, possunt tamen de praefato crimine excipere informationem, et deinde illam pontifici significare, prout colligitur ex *Extravag. Cum Matthaeus, de haeret.*, ubi sic praescribitur procedendum contra nuntios, et officiales sedi apostolicae immediate subiectos. Et in hoc conveniunt Pal. et Escob.[3] cum Trull. Sancio et Acunna, nempe quod bene possint inquisitores excipere huiusmodi informationem. Sub nomine autem *episcoporum* veniunt episcopi etiam titulares, et etiam non consecrati, modo sint confirmati, item nuntii, legati et abbates iurisdictionem quasi episcopalem habentes, ut dicunt Salm. [4] cum Barb. et Tamb.

686. Quaer. 6. An si confessarius sollicitans sit emendatus debeat adhuc denuntiari.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pal. [5] et Escob. [6] cum Soto Molf. Acunna Peyr. Fag. Portel. Zenard. Freita etc., item Led. Lugo Trull. Leand. Hurt. et alii apud Salm. [7], et hanc probabilem putat (saltem extrinsece) Auctor *Instruct. etc.*[8]. Ratio quia finis denuntiationis est emendatio rei et ablatio damni, quibus iam obtentis, cessante fine legis principali, cessat etiam lex naturalis denuntiationis quae principaliter respicit emendationem; nec lex positiva eius ordinem invertere potest. Hanc probabilem putat etiam Viva [9]. Recte vero dd. excipiunt haereticum formalem, maxime dogmatizantem, cuius difficilis est emendatio, et quem omnino expedit denuntiari, saltem ad subventionem aliorum quos ipse forte subverterit.

Signa autem emendationis sunt (ut dicunt dd. citati apud Salm.[10] et apud Viva[11]): 1. Si mulier sollicitata, ter vel quater ad confessarium accedendo, in eo pravum animum non amplius adverterit, ita Esc.[12] cum Trull. Diana et Sousa. 2. Si per triennium confessarius bene vixerit, ut ait Sancius. 3. Si sit sacramentaliter confessus, et per longum tempus non tentaverit, ut Esc. [13] cum Freita Sancio Marc. Alciati Farinac. Hurt. Ricc. Felin. et Barb. 4. Si lucratus sit iubilaeum, ut dicit Escob. cum Genuensi. 5. Si factus sit religiosus. 6. Si sit homo insignis probitatis, et semel vel bis sollicitaverit, ut Hurtadus. 7. Si post sollicitationem statim det signa doloris. 8. Si fuerit senex, ita ut putetur ex magna passione sollicitasse, et postea vere resipuisse, ut ait Sylvest. Haec tamen signa dicit Viva [14] singula non sufficere, nisi plura simul coniuncta faciant constare de emendatione. Et hoc valde est notandum; nam revera sicut constat de crimine, debet et constare de emendatione. Et quod dicitur de sollicitatione etiam dicendum est de aliis criminibus de haeresi suspectis.

Quamvis praedictam primam sententiam satis probabilem existiment auctores citati, absolute tamen probabiliorem esse iudico

Secundam sententiam quae docet confessarium etiam emendatum esse denuntiandum. Ratio quia pontifex magis quam emendationem rei eius punitionem intendit, ad damnum ecclesiae reparandum et ad resarciendum scandalum. Et ideo sancivit, ut supra, denuntiationem fieri, nulla correptione fraterna praemissa, quae utique praemittenda esset si emendatio rei et non punitio intenta principaliter esset. Ita Suar. Bon. Azor. et plures cum Salm.[15] qui hanc secundam sententiam certe tenendam esse aiunt.

687. Quaer. 7. an sit obligatio denuntiandi confessarium qui de sollici-

(1) N. 621. (2) Cit. n. 30. (3) Locc. cc.
(4) Ib. n. 51. (5) P. 10. n. 1. (6) N. 624 et 625.
(7) Tract. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 73.
(8) P. 2. cap. 15. § 2.
(9) De 1. praec. q. 8. art. 5. n. 8.
(10) Ibid. n. 76. (11) D. loco. (12) N. 625.
(13) Dict. loco. (14) Dict. loco.
(15) Cap. 4. n. 77.

latione iam fuerit satis convictus et punitus. Certum est quod, si ipse delinquat iterum postquam in primo crimine fuerit punitus, iterum denuntiari debet. Et idem dicendum si de sollicitatione non fuerit plene convictus, quia tunc nec fuisset satis punitus. Dubium ergo est, si de eadem sollicitatione iam fuerit satis convictus et punitus. Negant esse obligationem denuntiandi Acunna Seraphin. Hurt. etc. apud Salm. [1], quia confessarius iam censetur emendatus, iuxta primam sententiam mox supra allatam. Sed longe probabilius affirmant Salm. [2] cum Bon. Trull. Dian. tum quia tunc non constat de emendatione, tum quia non eximitur mulier ab obligatione denuntiandi, quia alia denuntiavit, dum unaquaeque persona sollicitata omnino denuntiare tenetur, sive sint sive non sint alii denuntiantes.

Quaer. 8. An denuntiari debeat confessarius qui mulieri sollicitanti consentit, ob metum ab illa incussum, quod eum accusabit nisi consentiat. Negat Hurtadus, quia lex ecclesiastica non obligat, cum metus gravis intervenit. Haec tamen ratio debilis est, quia talis metus non censetur gravis, iudices enim non facile credunt cuique mulierculae accusanti, ut dicunt Salm. [3] cum Esc. Sed melius dici potest hic confessarius non esse denuntiandus, quia tunc revera esset sollicitatus, non sollicitans, iuxta dicta *n.* 681.

Quaeritur 9. An sit denuntiandus confessarius qui ex condicto cum poenitente simulat confessionem ut tractet inhonesta. Negat Pal. [4] tum quia sollicitatio tunc esset mutua, tum quia tunc poenitens ipsa deberet se denuntiare. Recte vero affirmant Salm. [5] cum Diana et aliis, quia tunc iam adest vera sollicitatio confessarii, nec poenitens denuntiando tenetur denuntiare seipsam, sed tantum verba referre et actus confessarii. Et hoc hodie expresse definitum est in bulla Bened. XIV. quae incipit: *Sacramentum* (*in fine operis*) ubi praecipitur fieri denuntiatio, etiamsi sollicitatio mutua fuerit, ibi enim praecipitur denuntiandus esse confessarius sollicitans, *etiamsi sacerdos sit qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitanti poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit.*

688. Quaer. 10. An sit denuntiandus laicus vel non sacerdos sollicitans in confessione, simulans se confessarium. Respondetur affirmative cum Salm. [6] Ronc. [7]. Ratio quia licet is non sit denuntiandus ratione sollicitationis ex bulla Gregorii XV., denuntiari tamen debet ex alia constitutione Gregor. XIII. apud Salm. [8] ubi quicumque non sacerdos audiens sacramentaliter confessiones praecipitur denuntiari. Utrum autem ad denuntiandum talem non sacerdotem sollicitantem requiratur non solum ut confessionem audierit, sed etiam ut absolutionem impenderit. Ex verbis praefatae bullae Gregorii XIII. relatis a Salm. [9] videtur sufficere quod tantum audierit, cum ibi dicatur, quod inquisitores sancti officii procedere debeant in non sacerdotes qui missas celebrant aut sacramentaliter confessiones audiunt. Sed Pal. [10] Maz. [11] Potest. [12] et Escob. [13] cum Acunna et Sancio dicunt omnino requiri ut etiam absolvant, dum in edicto s. inquisitionis gener. dicitur denuntiandus esse ille qui cum non sit sacerdos, sacramentum ministrat; non censetur autem sacramentum poenitentiae ministrare qui absolutionem non impertitur. Sed hoc non obstante, ex praefato edicto (quod in extensum refert Potest. [14]) certo hic denuntiandus est, etiamsi non absolvat, cum ibi dicantur denuntiandi esse tamquam suspecti de haeresi *Coloro che non essendo ordinati sacerdoti, si usur-*

(1) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 73. (2) Ib. n. 74. (3) Ibid. p. 3. § 5. n. 59. (4) P. 8. n. 2. (5) Ibid. n. 61. (6) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 2. n. 27. (7) L. c. r. 3. (8) Cit. n. 27. (9) L. c. (10) Part. 9. n. 5. (11) P. 457. (12) P. 490. (13) N. 635. (14) T. 2. part. 1. n. 226.

pano di celebrar messa, ancorchè non abbiano proferito le parole della consecrazione, o abbiano presunto di ministrare il sacramento della penitenza ai fedeli di Cristo, ancorchè (nota) *non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.* Pariter autem certum est ex bulla Benedicti (ut mox supra vidimus in *quaest. praeced.*) denuntiandum esse sacerdotem sollicitantem in confessione, etiamsi iurisdictione careat.

689. Quaer. 11. An sit denuntiandus poenitens qui in confessione sollicitat sacerdotem. Affirmant aliqui pauci apud Salm.[1]. Sed communiter et verius negant Bonac.[2] Diana[3] Pal.[4] et Salmant.[5] cum Trull. Bord. Sousa Acunna Sancio et Leand. Ratio quia leges poenales non sunt extendendae de casu ad casum. Neque currit hic eadem ratio pro poenitente quam pro confessario sollicitante, ob plura momenta quae cuique patent, et praecise ob suspicionem revelationis sigilli, si confessarius poenitentem denuntiaret.

690. Quaer. 12. An sit denuntiandus sacerdos interpres qui sollicitat poenitentem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Freita Trimarch. et Escob. Ratio quia interpres non solum gerit partes poenitentis, sed etiam confessarii, unde pariter ac confessarius iniuriam irrogat sacramento.

Secunda sententia vero communissima negat, eamque tenent Pal.[6] Potest.[7] Holzm.[8] Mazzot. Diana[9] Escob.[10] cum Fag. Sousa Sancio ac Salmant.[11] cum Trull. Leand. et communi, ut asserunt. Ratio 1. quia interpres magis se habet ex parte poenitentis, quam confessarii. Ratio 2. et potior, quia ex bulla Gregorii xv. tantum confessarii sollicitantes denuntiandi sunt, utque diximus, et leges poenales non extenduntur praeter casus expressos. His tamen non obstantibus, dicunt Conc.[12] Pot.[13] Esc.[14] cum Fag. et Diana[15] cum Leand., quod licet ex bulla Greg. xv. interpres sollicitans non sit denuntiandus, tamen denuntiari debet ex edicto s. inquisitionis supra citato *n.* 680. *in fine*, ubi denuntiandi sunt omnes de haeresi suspecti, et inter huiusmodi suspectos enumerantur omnes illi *che abusano il sacramento della penitenza, servendosi della confessione o confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti* ad turpia, *ed avendo con essi discorsi di cose illecite e non convenienti al fine per lo quale è stato istituito.* Unde bene denuntiandus est interpres qui iam abutitur confessione poenitentis ad eum sollicitandum vel ad tractandum cum eo de rebus inhonestis.

691. Quaeritur 13. An sit denuntiandus confessarius qui sollicitat poenitentem, ut inducat aliquam foeminam ad secum peccandum. Acunna et Freita ap. Pal.[16] (praecisa bulla Greg. xv.) probabile putant non esse denuntiandum ex decr. Pii iv. et Clem. viii. Sed, attenta saltem praefata bulla Greg., hodie non est dubitandum quin denuntiari debeat, cum ibi dicantur denuntiandi esse omnes sacerdotes qui in confessione *personas ad inhonesta inter se sive cum aliis quomodolibet sollicitare tentaverint.*

An autem denuntiandus sit confessarius qui sollicitat poenitentem ut consentiat ad peccandum, non secum, sed cum alio. Acunna apud Escob.[17] et alii pauci olim probabile putarunt non debere denuntiari, sed hodie certum est oppositum, cum Benedictus xiv. in bulla *Sacramentum* (citat. *num.* 687. *qu.* 9.) definiverit hunc confessarium omnino esse denuntiandum, etiamsi *sollicitatio non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.*

692. Quaer. 14. An sint denuntiandi confessarii sollicitantes, postquam iam e vita migraverint. Affirmant Salm.[18]. Sed negat probabilius Pot.[19] quia tunc cessat totalis finis legis, scilicet tam emendatio quam punitio rei. Idem dicit Ronc.[20] cum Bord. Bene tamen advertit cum eodem Bord. et Caren. quod hae-

(1) Ibid. n. 29. (2) P. 3. n. 20. (3) P. 1. tr. 4. r. 23. (4) P. 9. n. 7. (5) L. c. (6) P. 9. n. 6. (7) N. 439. (8) T. 1. p. 511. n. 671. (9) R. 9. (10) N. 691. (11) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 2. n. 26. (12) N. 5. (13) Loc. cit. (14) N. 691. (15) P. 9. tr. 9. r. 32. v. Nota. (16) P. 3. n. 2. (17) N. 644. (18) Tr. 2ª. c. 4. p. 4. §. 1. n. 71. (19) N. 595. (20) C. 2. quaest. 4.

retici formales, etiam post mortem, semper sint denuntiandi, ad reparandum saltem damnum ab eis illatum.

§. III. Quinam teneantur denuntiare.

693. *An possit absolvi mulier sollicitata antequam denuntiet. Et an facta denuntiatione possit quivis confessarius absolvere ab excommunicatione contracta ob denuntiationem neglectam.*

694. *An semper confessarius teneatur monere de obligatione denuntiandi.*

695. *Qu. 1. An teneantur denuntiare, qui non possunt probare denuntiationem. Et qui aliunde sollicitationem sciunt.*

696. *Qu. 2. An sit obligatio denuntiandi, si crimen sit occultum.*

697. *Qu. 3. An, si sollicitatio fuerit habita a longo tempore.*

698. *Qu. 4. An teneatur ad denuntiandum qui scit sollicitationem sub secreto.*

699. *Qu. 5. An sit obligatio denuntiandi per epistolam vel internuntium. Et an confessarius teneatur aliquando denuntiationem excipere vel deferre.*

700. *Qu. 6. An teneatur denuntiare mulier sollicitationi consentiens.*

701. *Qu. 7. An sit obligatio denuntiandi, si speretur sollicitans per correptionem emendandus.*

693. Est praenotandum 1. quod sollicitati non possunt absolvi, nisi prius denuntient, et si adsit impedimentum statim faciendi denuntiationem, saltem debent esse parati quamprimum ad denuntiandum, alias peccant graviter et incidunt in excommunicationem. Ita Salm. [1] cum Nav. Hurt. Sanct. Acunna Sousa et aliis communiter. Improbabilissime igitur dixit Pontas. [2] nolenti denuntiare confessarium sollicitantem non esse denegandam absolutionem. Bene autem potest absolvi poenitens ante denuntiationem, si adsit iusta causa illam differendi, nempe si ministri tribunalis longe distent, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum vel ob lucrandum iubilaeum, et possit credi personae, quod sit denuntiatura. Ita Sanch. [3] Suarez [4] et Salm. [5] cum Sanctio Trimarch. et Leand. et probabile putat Diana [6]. In bulla autem Bened. XIV. *Sacramentum*, circa id sic habetur: *Caveant diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.*

(1) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 69. et 70.
(2) V. Confesseur. (3) Dec. lib. 2. c. 13.
(4) De cens. d. 7. sect. 5. n. 38.
(5) Cit. n 77 (6) P. 4. tr. 5. res. 29.

An autem, facta denuntiatione, poenitens a quocumque confessario absolvi possit ab incursa excommunicatione Negant Salm. [7] Mazzotta [8] Diana [9] cum Sancio et Potest. [10] cum Bordono, ex edicto sacrae inquisit. gener. infra citando. Affirmat vero Lupus [11] (cui adhaeret Conc. [12]) quia, ut ait, reservatio huius censurae perseverat tantum durante contumacia, unde expirat facta denuntiatione aut mortuo denuntiando, idque infert Lupus ex edicti verbis quae esse solent: *E dalla detta scomunica nessuno se non da noi, o dal supremo tribunale del s. officio, potrà essere assoluto, se prima non avrà soddisfatto al santo officio.* Et revera, attentis praedictis verbis, opinio Lupi satis probabilis videtur. Sed contra hic notandum quod si quis iniuste accusaret vel accusare suaderet aliquem sacerdotem innocentem de sollicitatione, incurreret casum reservatum papalem, sed sine censura, prout habetur in bulla Benedicti XIV. *Sacramentum*, data die primo kalendis iunii 1741. (quam vide in extensum relatam *in fine operis*) ubi §. 3. sic dicitur: *Quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat... impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo etc.* Advertunt tamen Salm. [13] id intelligi de suasione efficaci, ita ut ipsa sit causa iniustae denuntiationis secutae. Addunt intelligi nisi suasio ante executionem denuntiationis efficaciter revocetur.

Hoc tamen procederet iuxta edictum particulare inquisitionis alicuius regni, sed in edicto edito a sacra inquisitione

(7) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 70. (8) T. 3. p. 440.
(9) D. r. 29. (10) N. 641. (11) P. 1. l. 3. a. 3. p. 90.
(12) P. 119. n. 3. (13) Append. de bulla Cruc. tr. 6. c. 6. p. 4. §. 1. n. 231. et 232.

generali die 3. ian. an. 1623. (relato in extensum a Diana [1] et a Bon.[2]) absolute dicitur infra 12. dies esse denuntiandos haereticos seu de haeresi quomodolibet suspectos, sub excommunicatione maiori latae sententiae reservata papae et eidem tribunali. Tenet autem Bon. [3] cum Suar. et Sanctorell. hoc edictum non fuisse perpetuum, sed tantum pro illo actu, cum ibi dictum fuerit: *Mandamus quatenus infra 12. dies proxime computandos etc.* Unde dicunt praefati aa. illud *proxime computandos* satis ostendere, quod noluit s. inquisitio obligare conscios delinquentium in futurum, nam alias dixisset non *proxime*, sed a die scientiae. Verum Diana [4] cum Peyrin. censet edictum fuisse perpetuum, et illud *proxime* intelligi revera a die scientiae delicti. Sed advertendum quod eadem sacra inquisitio postea die 10. martii an. 1677. aliud emanavit edictum (quod refert Potest.), ubi imposuit quidem excommunicationem contra non denuntiantes suspectos de haeresi, sed nulla facta mentione reservationis, sic dicens: *Comandiamo sotto pena di scomunica di lata sentenza, che fra il termine di un mese si debbano rivelare al sant'officio ovvero agli ordinari tutti coloro de' quali sappiano, o abbiano avuto o avranno notizia che siano eretici o sospetti di eresia.* Hoc posito, satis probabile videtur mihi et aliis doctis a me consultis, quod vel primum edictum non fuerit perpetuum, vel quod verosimilius s. inquisitio in hoc secundo edicto, sicut moderavit obligationem primi edicti denuntiandi infra 12. dies, ampliando illam ad mensem, ita etiam primum edictum moderavit auferendo reservationem ab excommunicatione. Hoc tamen semper intelligendum, si iam fuerit impleta denuntiatio.

694. Praenotandum 2. cum Roncaglia [5] quod etiamsi confessarius praevideat certo sollicitatam non esse denuntiaturam, debet nihilominus monere illam de sua obligatione et dimittere si nolit denuntiare. Ratio quia ipsi confessario expresse praecipitur a pontifice in dicta bulla obligatio monendi, et licet generaliter loquendo, cum confessarius praevidet monitionem non profuturam, eam omittere debeat, hoc tamen non currit quando agitur de vitando damno communi, ut evenit in praesenti casu iuxta dicta *n.* 615.

695. Sed quaeritur 1. An teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, qui sollicitationem nequit iuridice probare. Negant Turr. et Turrebl. Sed omnino affirmandum cum Bann.[6] Bord.[7] Pal. [8]. Et oppositum videtur expresse damnatum ex propos. 5. proscripta ab Alexandro VII. quae dicebat: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* An autem teneatur ad denuntiandum non solum sollicitatus, sed etiam qui aliunde certo scit sollicitationem. Affirmant recte Salm.[9] cum Trull. Diana Pal. Suar. et Hurt. Et hoc etiamsi is sit impuber, modo sit rationis compos, et sciat crimen a personis fide dignis, secus, si sciret a fide indignis vel foeminis levibus. Salm.[10] cum Card. Nav. Sayr. Hoc autem dicendum, non iam ex bulla Gregorii, sed (ut bene advertit Mazz. [11] cum Potest. et Bon.) ex edicto s. inquisitionis, ubi dicitur teneri ad denuntiandum confessarium qui scierit vel audierit illum sollicitasse. Vide verba relata *n.* 680. *in fine.*

696. Quaer. 2. An sit obligatio denuntiandi sollicitantes, etiamsi crimen sit occultum. Negant Fagund. Megal. et alii apud Salm. [12] quia Gregor. XV. in bulla mentionem facit de abusu, verbo *abutantur*, quod significat actuum frequentiam et publicitatem. At omnino tenendum est oppositum cum Salm.[13] et Bann. Fill. Trull. etc.[14] ex d. Thoma. Et recte Ronc. [15] ait primam sententiam penitus esse reiiciendam, quia licet in poenalibus verba legis sint stricte interpretanda, attamen si ex stricta

(1) P. 4. r. 41. (2) De denunt. t. 2. p. 2. n. 12. (3) L. c. (4) P. 4. tr. 5. r. 41. (5) C. 2. reg. in praxi 5. 6 2. 2. q. 76. (7) T. 1. c. 50. n. 100. (8) Punct. 10. (9) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 68. (10) Ib. n. 69. (11) P. 440. (12) Ibid. n. 30. (13) Ib. §. 2. n. 31. (14) Ib. (15) Q. 3. c. 1. q. 10.

interpretatione lex inutilis redderetur, ut in nostro casu eveniret, tunc verba non stricte, sed late sunt accipienda.

697. Quaer. 3. An teneatur sollicitatus ad denuntiandam sollicitationem habitam a longo tempore. Ronc. [1] ait cum Bordon., quod nunquam detur praescriptio quoad crimen haeresis; quoad alia vero, praescribitur per quinquennium actio contra reum. Hinc dicit Roncag., excusari a denuntiatione, qui illam per quinquennium omisit, etiam culpabiliter, nisi obstent edicta contraria dioecesana. Sed hodie declaratum est Benedicti XIV. citato decreto *Sacramentum*, denuntiationem esse faciendam, etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit.

698. Quaeritur 4. An teneatur ad denuntiandum, qui scit sollicitationem sub secreto naturali.

Negant Fag. et Fragosa apud Salm.[2], quia fortior est lex naturalis quam positiva. Sed contrarium recte tenent Pal. [3] Diana [4] Escob. [5] cum Sancio et Gasp. Hurtad. ac Salm. [6] cum Trull. Leand. etc., quia nemo tenetur ad secretum, etiam iuramento promissum, quando secretum vergit in damnum commune. Secus vero, aiunt, si sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium, nam propalatio secreti esset tunc contra humanum commercium, et etiam contra publicum bonum, quod certe in consiliis expetendis intervenit.

699. Quaeritur 5. An mulier sollicitata teneatur denuntiare per epistolam vel mediam personam, si nequeat per se ipsam. Si non possit personaliter adire episcopum ob aegritudinem, clausuram, aliudve impedimentum physicum vel morale, non tenetur quidem per seipsam ad denuntiandum. Vide Potest.[7] et Mazz. [8]. Dubium fit an haec teneatur denuntiare per epistolam aut internuntium. Videtur negandum ex prolatis *num.* 563. *dub.* 3. ubi diximus quod habens peccatum reservatum non teneatur petere licentiam a superiore per litteras vel mediam personam, si non possit illum adire. Sed in casu nostro verius affirmandum cum Viva [9] Mazz.[10] Salm.[11] et Ronc.[12]. Dispar enim est ratio inter petitionem absolutionis a reservatis, et denuntiationem sollicitationis; nam ibi obligatio est sistendi apud superiorem, ut poenitens recipiat ab eo una cum absolutione etiam debita monita et poenitentiam; unde qui non potest adire per se, non tenetur per alium: obligatio autem denuntiandi sollicitantem, non tam est adeundi personaliter superiorem, quam deferendi sive indicandi ei delinquentem (ut loquitur Bened. XIV. in sua bulla) quae delatio, si ab aliquo nequit fieri per se, saltem est facienda (modo absit periculum propriae infamiae) per epistolam vel aliam personam, vel monendo iudicem ut mittat notarium in domum suam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Advertunt hic Viva[13] Tamb.[14] et Roncag. [15] non expedire quod confessarius assumat in se hoc onus deferendi denuntiationem vice poenitentis, vel eam excipiendi, quia sic non paucis detractionibus et periculis exponeretur. Et tanto minus ad id tenetur, unde non mihi videtur probabile id quod scribit p. Mazz. [16] qui dicit quod si poenitens non posset per alium facere denuntiationem, teneatur confessarius vices poenitentis supplere, si ille per alium non posset denuntiare, quia, ut ait, agitur de causa fidei. Sed haec ratio tam concise producta non convincit. Addit quod hoc eruatur ex quadam epistola s. c. conc. ad archiep. mediol. annuente Urbano VIII. an. 1624. apud Diana ubi mandatum fuit quod cum quaedam foemina sollicitata adduci non potuisset ad denuntiandum, episcopus facultatem tribuisset confessario denuntiationem excipiendi. Ex hac autem epistola nihil probatur; nam primo hoc decretum fuit particulare pro illo casu,

(1) C. 2. q. 4. (2) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 85.
(3) P. 10. n. 5. (4) Res. 32. (5) N. 704.
(6) Loc. cit. (7) N. 645. (8) P. 442. q. 2.
(9) In prop. 7. damn. ab Alexandro VII. n. 8.
(10) L. c. (11) Tr. 21. c. 4. p. 5. n. 109.
(12) P. 118. q. 5. r. 2. (13) Loc. cit
(14) Cap. 9. §. 4. (15) Reg. 6. in praxi.
(16) P. 442. q. 2.

deinde minime ex illa eruitur haec obligatio generaliter confessariis imposita fuisse. Hinc non tenemur interim, donec constet de hoc praecepto, recedere a communi dd. sententia et ab universali sensu ac usu omnium confessariorum qui hanc onerosissimam obligationem non agnoscunt. Caeterum non negamus cum Viva [1] et Tambur. quod in aliquo casu (puta si alicubi publicum immineret damnum, nec alia pateret via ad illud vitandum) posset confessarius obligari ex lege caritatis ad huiusmodi onus suscipiendum, sed hoc raro accidet.

Dicunt autem Delbene [2] et Auctor *Instruct.*[3] quod si foemina multum repugnet adire inquisitores, poterit expectare confessarium qui pro ipsa denuntiationem deferat, quia praecepta positiva non obligant ad rem nimis arduam. Item notat Mazz. [4] quod in decreto sacrae inquisitionis mox supra enuntiato insuper dictum fuit, quod si neque apud ipsum confessarium possit poenitens induci ad denuntiandum, tunc recurratur ad s. sedem pro opportuno remedio, et interim non absolvatur. Dicit autem Mazz. aliquando s. sedem in casu magnae verecundiae et panici timoris rescripsisse, dando facultatem confessario absolvendi pro ea vice poenitentem circa onus denuntiandi.

700. Quaeritur 6. An mulier teneatur denuntiare confessarium sollicitantem cui ipsa consentit. Negarunt Suar. Megala et alii apud Salm. [5] quia nemo obligari potest ad suum crimen manifestandum, ut dicunt Salm. [6] cum Suar. Caiet. Trull. et Diana, ex regula iuris in *can. Quis aliquando de poenit. d.* 1. ubi dicitur: *Non dico ut te prodas.* Nequit autem quis manifestare complicem, quin se ipsum prodat, et ideo aiunt Salmant.[7] non esse obligationem denuntiandi socium haereticum. Recte vero dicunt mulierem hanc teneri ad denuntiationem Salm.[8] cum Bon. Trull. Peyrin. et aliis plurimis; hocque hodie definitum est a n. ss. Benedict. XIV. in cit. bulla *Sacramentum*, ubi praecipitur fieri denuntiatio, *etiamsi poenitens consenserit.* Ratio est quia mulier in hoc casu citra periculum suae famae potest denuntiare sollicitantem, quin seipsam manifestet, dum ipsa etiam interrogata potest negare proprium consensum, et quidquid inde secutum fuerit, ut habetur ex decr. s. inquisitionis apud Pitton.[9] edito 27. septemb. 1724. ubi dictum fuit: *Si mulier consentit confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare, nec potest super hoc ab episcopo interrogari.*

701. Quaer. 7. An teneatur poenitens denuntiare sollicitantem, si per correctionem sit moralis spes eius emendationis.

Prima sententia negat et hanc docuit s. Th. [10] qui dicit: *Si haereticus privatim homines a fide avertat....., oportet statim procedere ad denuntiationem..., nisi forte aliquis firmiter aestimaret quod statim per secretam admonitionem possit huiusmodi mala impedire.* Eum secuti sunt Soto Canus Led. Pal. Lugo Sylvest. etc. apud Salm.[11]. Et signanter de crimine sollicitationis hanc sententiam tutati sunt Fag. Peyrin. et alii apud Diana [12].

Secunda sententia verum affirmat, et hanc tenent Mazz.[13] Conc. [14] et Salm.[15] cum Azor. Sanch. Diana Leand. et aliis pluribus. Et haec omnino hodie tenenda est post decretum Alexandri VII. editum 8. iulii 1660. (relatum per extensum apud Salmant. [16]) ubi declaratum fuit: *Etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio praemissa fuerit, omnino teneri....* (fideles) *ad denuntiandum..... quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos*, prout sunt confessarii sollicitantes, ut communiter docent Diana[17] Bon.[18] et Escob.[19] cum Trull. Acunna Menoch. etc. Dicendo ergo pontifex *etiamsi etc.* supponit denuntiationem semper esse faciendam.

(1) Loc. cit. (2) De inquisit. p. 1. dub. 9. (3) P. 2. c. 14. n. 240. (4) P. 443. (5) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 65. (6) Ib. c. 3. p. 9. §. 2. n. 104. (7) L. c. (8) Ib. c. 4. p. 4. §. 1. n. 66 (9) N. 694. (10) 2. 2. q. 33. a. 7. (11) Tr. 21. c. 4. p. 4. § 3. n. 96. (12) R. 2. (13) P. 440. (14) N. 17. (15) Ibid. n. 99. (16) C. 3. p. 9. §. 1. n. 102 (17) R. 41. (18) P.

§. IV. De sollicitationibus dubiis.

702. *Qu. 1. An denuntiandus sit confessarius in dubio an vere sollicitaverit. Quid, si accedant vehementia indicia de sollicitatione.*

703. *Qu. 2. An denuntiandus confessarius qui laudat mulierem de pulcritudine. Vel qui dat ei magnum donum.*

704. *Expenduntur varii casus peculiares sollicitationis.*

705. *De poenis sollicitantium et signanter de poena inhabilitationis ad celebrandum; et an haec incurratur ante sententiam. Et an ab illa excusentur ignorantes. Et an episcopi possint in ea dispensare.*

702. Quaeritur 1. An denuntiandus sit confessarius in dubio an sollicitaverit. Distinguendum est: si factum vel dictum sit vera sollicitatio, et tantum dubitatur an ille vel alius confessarius id egerit vel dixerit, tunc recte dicunt Salm. [1] cum Sousa et Hurt. eum denuntiandum esse, quia dum crimen est certum, rite iudices procedere possunt ad inquirendam personam de qua dubium vertit. Hoc tamen censeo dicendum solo casu quo facile iudices per suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitantis; quia alias sacerdos ille, cum possit esse innocens, remaneret aliquo modo diffamatus et in dubio illaesa debet servari fama proximi qui eam possidet.

Si vero persona confessarii sit certa et dubitatur an eius factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc cum communiori et veriori sententia dicendum non esse obligationem denuntiandi. Ita Bonac. [2] Ronc. [3] Conc. [4] Bordon. apud Potest. [5] Auctor *Istruz. etc.* [6] cum Boss. et Salm. [7] cum Valent. Hurt. et Salas (contra Sousa et Peyr. apud Dianam [8]). Ratio, tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt et in verbis ambiguis benignior interpretatio facienda est, ut dicunt Bon. Menoch. et Rinald. apud Ronc. ex *c. fin. de transact. et reg. iuris* 49. *in* 6. ubi: *In poenis benignior est interpretatio facienda;* tum quia in dubio nemo est privandus fama quam possidet; tum quia bullae praecipiunt denuntiari sollicitantes; sed nequit dici sollicitans, de quo dubitatur an vere sollicitaverit; nam crimen dubium non est crimen, ut docent Sanch. [9] et Suarez [10]. Nec obstat dicere quod ex decreto Alexandri VII. sint denuntiandi etiam leviter suspecti de haeresi; nam tò *leviter* non iam refertur ad suspicionem, sed ad haeresim, de qua potest quis vel leviter vel vehementer esse suspectus.

Excipiendum tamen est 1. cum Concina et Roncaglia [11] ex Pegna ac Auctore *Istruz. etc.* [12] cum Bossio, si accedant indicia vehementia de sollicitatione; nam licet ista non sint omnino evidentia, tamen, cum tantum adsint ex una parte, satis fundant moralem certitudinem de sollicitatione. Excipiendum 2. cum Bonac. [13] qui citat Acunna et Sanctorell. si verba de se prae se ferant sollicitationem et solum dubitatur an confessarius ad malum finem ea protulerit; tunc enim praesumptio desumitur ex communiter accidentibus; praeterquam quod praesumptio ipsius finis est accipienda iuxta proprietatem verborum, unde in *cap. Perniciosum, causa* 18. *q.* 2. dicitur quod confabulatio cum foemina in deteriorem partem accipi soleat.

703. Quaer. 2. An sit denuntiandus confessarius qui laudat mulierem de pulcritudine. Affirmant Potesta [14] Bon. Tancredi et Peyrin., item Acunna Barbos. et Sanctorell. apud Escob. [15], et consentit Diana [16], si talis laudatio fiat sine aliqua occasione, quia regulariter amasii foeminas, ut alliciant ad peccandum, de pulcritudine laudant. Negant vero Freita, Thom. Hurtad. et Sousa apud Escob. [17], quia is qui laudat mulierem de pulcritudine verbis decentibus, non dicitur cum illa habere tractatus inhonestos. Sed melius distinguit praefatus Esc. [18] dicens quod si ex modo loquendi aut aliis circumstantiis dignoscitur confessarius laudare pulcritudinem ex pravo affectu, tunc est denuntiandus; secus si laudaret ex quadam imprudentia vel animi

(1) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 95. (2) P. 3. n. 5.
(3) C. 1. q. 4. (4) N. 16. (5) N. 576.
(6) P. 2. c. 14. n. 287. (7) Ibid. n. 94.
(8) Res. 23 (9) Dec. l. 1. c. 10. n. 74.
(10) 3. p. t. 3. d. 40. sect. 6. n. 5.
(11) Locc. cc. (12) Loc. cit. (13) Loc. cit.
(14) N. 554. (15) N. 658. (16) P. 9. t. 9. r. 12
(17) N. 659. (18) N. 640.

levitate. Asserit vero ut certum Potesta [1] denuntiandum esse confessarium qui laudat, cum famula confitente, pulcritudinem dominae, rogans eam ut dominae referat; sed etiam in hoc casu dico perpendendas esse circumstantias, etsi facilius puto in hoc adesse indicium pravi animi alliciendi dominam illam ad turpem affectum. Et idem dicunt dd. si confessarius det poenitenti donum magni valoris, ut ait Diana [2] cum Escob., vel insolitum, ut dicunt Salm.[3] cum Val. Hurt. Prado etc. Verumtamen Bordonus apud Diana inquit donum esse quid indifferens, unde recte subdunt auctores citati eius malitiam coniiciendam esse ex adiunctis, nempe ex conditione poenitentis, ex quantitate et qualitate doni et ex modo quo fit etc. Caeterum, iuxta dicta in praecedenti quaestione, quando verba vel facta sunt ambigua, confessarius non est denuntiandus, nisi de eius pravo affectu moralis habeatur certitudo.

704. Hinc subduntur plures casus particulares in quibus communius doctores censent denuntiandum esse confessarium.

1. Si confessarius dicat poenitenti: *Tecum nuberem, si essem saecularis;* negat Bordonus apud Diana [4] esse denuntiandum, quia verba haec non important peccatum mortale, sed tantum pudicum affectum indicant. Probabilius vero affirmant Salmant. [5] Potesta [6] et Diana [7], quia huiusmodi verba videntur maxime excitativa ad venerem, et cum sint ad confessionem impertinentia, merito sapiunt sollicitationem.

2. Si dicat mulieri: *Memento mei, quia te ex corde diligo;* ita Diana apud Potesta [8] cum Ronc.[9]. At Bordonus excusat; hoc melius puto explorandum ex circumstantiis.

3. Si dicat: *Expecta me hodie in domo tua, quia habeo tecum loqui;* et postea domi tractet de inhonestis, quia sollicitatio illa facta in domo dicitur moraliter facta in confessione: ita recte dicit Potesta [10].

4. Si dicat: *Haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam*, tanto magis si dicat *voluntariam;* ita Potesta cum Bord. [11] et Ronc. [12].

5. Si dicat: *Nolo te audire in confessione ne aliquid mihi contingat, quia amore tui captus sum;* ita Potest.[13] modo hoc dicat mulieri petenti confessionem, quia haec verba videntur esse provocativa ad inhonesta et proferuntur occasione confessionis, et ita sentit etiam Ronc.[14]. Idem putat Ronc. si dicat: *Totum me commoveri sentio ex affectu quo te prosequor.*

6. Si confessarius mulieri asserenti tentationem turpem repulisse dicat: *Sed si aliquis pecuniam dedisset, peccasses?* Affirmat Ronc. esse denuntiandum, si mulierem postea affirmative respondentem non obiurget, vel si obiurget, et postea domi, oblata pecunia, eam sollicitet. Et consentit Potesta [15].

7. Si dicat: *Cur etiam mecum non es humana?* vel dicat: *Veniam in domum et promitte mihi facere quod voluero.* Vel mulieri confitenti turpe desiderium dicat: *De hoc agemus post confessionem.* Ita Potesta[16] cum Tancredi, quia verba haec sunt satis ostensiva intentionis inhonestae. Sed in his dico perpendendas esse circumstantias, nam aliquando possunt non esse sollicitationes.

8. Si suam concubinam obiurget quod cum alio se immiscuerit, dummodo iudicio prudenti faciat dignoscere quod obiurgatio procedat ex zelotypia, uti etiam si excedat in reprehendendo, addendo minas, iniurias et similia, vel obiurget tantum peccata commissa cum aliis et non illa cum seipso, quia tunc ostendit amorem suum lascivum. Ita Potesta [17].

705. Ultimo loco hic advertendum quod in bulla ss. nostri pontificis Bened. XIV. quae incipit, *In generali congregatione* (*vide in fine operis*), sancitum habetur quod confessarii sollici-

(1) N. 554. (2) P. 9. tr. 9. r. 34. (3) Tr. 21. c. 4. p. 3. §. 3. n. 34. (4) P. 9. tr. 9. res. 32. (5) Cit. n. 34. (6) N. 558. (7) L. c. (8) D. n. 533. (9) In reg. praxi. (10) N. 559. (11) N. 560 (12) Ibid. (13) N. 561. (14) In reg. prax (15) N. 588. (16) N. 565 (17) N. 562.

tantes *in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut praetextu, praeter poenas a iure inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad sacrificii celebrationem.* Eamdemque poenam incurrunt ex eodem decreto sacerdotes abutentes sacrificio missae ad sortilegia. Plura autem hic dubia occurrunt: Dubitatur 1. an praedicta inhabilitas incurratur ante sententiam saltem declaratoriam criminis. In praecedenti editione huius operis affirmavi, eo quod poenae privativae quae important inhabilitationem ad aliquod ius acquirendum vel cessationem a quodam iure iam acquisito utendo, ut communiter dd. docent, ordinarie ante sententiam incurruntur, iuxta dicta *l.* 1. *n.* 149. Attamen quidam probus religiosus, cum haec legisset in meo opere, scripsit mihi e Roma quod duo theologi s. c. inquisitionis romanae oppositum sentirent, nempe requiri sententiam ad praefatam poenam incurrendam. Sub initio ratio opinionis huius mihi non occurrebat; sed postea, re sedulius perpensa, in hoc eodem meo opere *n.* 148. observavi quod Suar. Bon. Salm. cum Tapia, Vasquez Montesin. etc. [1] (quibus recenter consentit Eusebius Amort[2]) dicunt sententiam declaratoriam bene requiri etiam quoad poenas privativas sive inhabilitantes, casu quo reus non possit exequi poenam sine propria infamia, prout ordinarie in nostro casu eveniret si sacerdos sollicitans deberet per longum tempus se abstinere a celebrando. *Dico per longum tempus*, nam si de brevi super dictam inhabilitationem posset impetrare dispensationem et interim sine sua infamia celebrationem intermittere, tenetur ab ea abstinere. Dubitatur 2. an ab hac inhabilitate excuset ignorantia invincibilis. In hoc dubio mihi videtur posse id probabiliter affirmari, iuxta ea quae dicentur infra de irregularitate ex delicto *l.* 7. *n.* 351. Dicunt Nav. Sylvest. Sanch. Castropal. Ronc. et alii plures, quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur scientia irregularitatis, quae incurritur, quia licet irregularitas non sit censura, a qua excusat equidem ignorantia invincibilis, sed impedimentum; tamen talis irregularitas ex delicto est vere poena aut saltem habet rationem poenae, ad quam incurrendam, cum sit poena extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam non possit provideri, illius scientia requiritur: et idem posse dici videtur in nostro casu de inhabilitate celebrandi, quae est procul dubio imposita in poenam sollicitationis. Dubitatur 3. An in hac inhabilitate possit episcopus dispensare. *Vide dicenda l.* 7. *n.* 353., ubi dicetur quod episcopi ex Trid. [3] possunt dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario et directe volito.

TRACTATUS QUINTUS

DE EXTREMA UNCTIONE ET ORDINE

CAP. I. QUID SIT EXTREMA UNCTIO ET QUAE CIRCA EAM OBSERVANDA

706. *Quid sit hoc sacramentum. Et an a Christo institutum.*

707. *Qu.* 1. *An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur. Qu.* 2. *An conferatur gratia, recedente obice.*

708. De materia remota *huius sacramenti. An praeceptum quotannis renovandi oleum obliget sub gravi, et an possit addi oleo benedicto aliud non benedictum.*

709. *An oleum debeat esse olivarum et an benedictum. Dub.* 1. *An benedictio requiratur de necessitate sacramenti. Dub.* 2. *An debeat esse benedictum praecise in ordine ad extremam-unctionem. Dub.* 3. *An haec benedictio possit a papa committi simplici sacerdoti. Dub.* 4. *An sufficiat ungere una gutta olei.*

710. De materia proxima *An unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti. An sit necessaria unctio gemina oculorum etc. Et an unctio renum ac pedum. An ordo unctionum sit de necessitate. Et quae spectent ad essentiam huius sacramenti.*

711. De forma. *Dub.* 1. *An forma omnino debeat esse* deprecativa. *Dub.* 2. *An sint de essentia verba:* Per suam piissimam misericordiam. *Dub.* 3. *An valeat forma dicendo:* Ungo te *etc.*

712. *Quibus ministranda est extrema-unctio.*

713. *Dub.* 1. *An valide conferatur sano. Dub*

(1) Locis ibi cit (2) L 1. n 148. (3) Sess. 24. c. 6. Liceat.

2. *An infirmo quocumque morbo laboranti.*
Dub. 3. *An mulieri laboranti in partu.*
714. *Dub.* 4. *An licite ministretur in solo periculo putato. Advert.* 1. *Non esse expectandam extremam partem vitae. Advert.* 2. *Non licite ministrari, nisi immineat periculum proximae mortis. Quid in dubio an instet mortis periculum.*
715. *Dub.* 5. *An hoc sacramentum possit iterari in eadem infirmitate.*
716. *Quae dispositio requiratur in suscipiente. Et an extrema unctio sit danda post viaticum.*
717. *An sit ministranda pueris.*
718. *Dub.* 1. *An infantes sint capaces huius sacramenti.*
719. *Dub.* 2. *An danda pueris, de quorum usu rationis dubitatur.*
720. *Dub.* 3. *An possit dari puero doli capaci, sed non adhuc communioni apto.*
721. *Dub.* 4. *An possit dari adulto infirmo statim post baptismum.*
722. De ministro *huius sacramenti. An quivis sacerdos possit illud dare ex consensu parochi praesumpto. Quid sancitum sit de regularibus.*
723. *Quid, si pastor absit vel nolit dare. Et quid, si sit excommunicatus aut suspensus.*
724. *An liceat dare hoc sacramentum sine ministro. Et an possit unus unam, alius aliam partem inungere. An solus sacerdos possit illud ministrare. Quid si ministrans inter unctiones deficiat.*
725. *An sacerdos incurrat irregularitatem, si aeger decedat dum eum revolvit etc.*
726. De administratione *huius sacramenti. An liceat aliquando ministrare sine vestibus sacris.*
727. *Quale peccatum sit omittere orationes vel alias preces.*
728. *Quale deferre oleum sine lumine. Et quale omittere signum crucis. Et an liceat sacerdoti deferre oleum una cum viatico.*
729. *An teneatur pastor dare hoc sacramentum petentibus et an cum periculo vitae. An teneantur dare alii sacerdotes.*
730. *An liceat parocho oleum retinere domi.*
731. De effectibus *huius sacramenti. An per extremam-unctionem remittantur mortalia per se. Et an principalis eius effectus sit remissio peccatorum vel remissio reliquiarum peccati.*
732. De subiecto *huius sacramenti. An sint capaces amentes. An ebrii. An impoenitentes, excommunicati et vulnerati in rixa. An phraenesi laborantes. An muti, surdi et caeci a nativitate.*
733. *An peccet graviter qui negligit hoc sacramentum suscipere.*

706. « Resp. 1. est sacramentum a Christo institutum ad aegroto periclitanti de vita conferendam salutem animae vel etiam corporis per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis. S. Thom. [1]. »

Definitum est hoc esse verum sacramentum a Trid.[2]. Institutum autem fuit a Christo post resurrectionem, ut tenent Suar. Laym. etc. cum Salm. [3], et promulgatum a s. Iacobo *c.* 5. *vv.* 14. *et* 15., ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo... et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Certum item est hoc sacramentum unum esse; licet enim plures sint unctiones, omnes tamen pertinent ad unam significationem interioris medelae.

707. Quaer. autem 1. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur. Affirmant Elbel[4] Sporer[5] cum Scoto Pontio et Mastr. ac Croix [6] cum Suar. Conc. Laym. et Sot. Palud. Med. etc., quia quaevis unctio cum sua forma iam significat gratiam independenter ab aliis unctionibus. Sed negat cum communiori s. Th. [7] qui: *Et ideo in ultima unctione gratia infunditur.* Et eum sequuntur Wigandt [8] et Salm. [9] cum pluribus qui dicunt nullam unctionem per se sacramentum nec etiam partiale constituere, et ideo nihil conferri gratiae habitualis, quousque cum forma compleatur ultima unctio qua sacramentum perficitur; in fine autem ultimae unctionis confertur simul remissio peccatorum et poenarum: auxilia autem specialia annexa gratiae non conferuntur, nisi tempore opportuno, Salm.[10]. Harum sententiarum utraque est probabilis.

Quaer. 2. An possit dari hoc sacramentum validum et informe, ita ut, recedente obice, gratia conferatur. Affirmant communiter Suar. Val. Henriq. Palud. Dicast. Pal. etc. cum Salm.[11]. et Croix[12]. *Vide dicta de sacram. l.* 6. *n.* 6. *v. Not.* 4. Hinc inferunt Salm. [13] cum aliis quod si infirmus bona fide vel sensibus destitutus sacramentum suscepit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat, ad gratiam re-

(1) 4. d. 23. q. 1. art. 1. (2) Sess. 7. cap. 1.
(3) Tr. 7. c. 1. p. 1. n. 3. (4) De extr. unct. n. 30
(5) N. 68. (6) L. 6. p. 2. n. 2105.
(7) Suppl. q. 30. art. 1. ad 3. (8) Tr. 14. n. 109
(9) Tr. 7. c. 3. p. 2. n. 7. (10) Ibid. n. 8. et 9
(11) Ib. p. 3. n. 10. (12) L. 6. p. 1. n. 202. (13) Ib.

cipiendam; secus si mala fide. Id autem currit si obex tollatur, perseverante eodem morbo et periculo, saltem quoad effectum specialium auxiliorum, ut dicunt Suar. et Dic. apud Salm. [1].

708. « 1. Materia eius remota est oleum benedictum quod in pyxide chrismali signatur littera I., in cuius defectu non licet uti chrismate: si tamen usus sis, nihil repetendum esse docet Laym. [2], idque renovandum est quotannis in coena Domini, veteri exusto (Et hoc ex praecepto Clem. VIII. apud Salm. [3] et Pal. [4] et ex rit. rom. ubi dicitur: *Oleum infirmorum ... singulis annis ... in coena Domini ... veteri combusto*, *renovandum est*. An autem hoc praeceptum obliget sub gravi. Negat Escob. [5] cum Sa Led. Henr. etc, quia de gravitate huius praecepti non constat, nisi pro solo chrismate, ut habetur in *c. Si quis de consecr. d. 4.* Sed probabilius affirmant Bonacina [6] Pal. [7] Croix [8] cum Dic., item Trull. Poss. et Zambr. apud Esc. [9]. Ratio quia videtur materia satis gravis et talis est universalis ecclesiae consuetudo); si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo, Laym. [10] (Et ita Salm. [11] cum Diana et Aversa, ex declar. s. c. apud Gavant.), et si hoc non sufficiat, aliud consecratum vel in necessitate non consecratum (in minore tamen quantitate, quam vetus est) addere (Ita ex rit. rom. ubi dicitur: *Id tamen (id est oleum) si forte infra annum ... ita deficiat ut sufficere non posse videatur*, *neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superinfuso*, *reparari potest*). Etsi Diana [12] ex Less. et aliis 4. dicat contrarium habere praxim ecclesiae; ut scilicet paulatim, per vices (si ita requirat necessitas propter copiam infirmorum) longe etiam maior quantitas addatur, quam ab episcopo fuerit consecrata initio. Bon.[13] ex Possevino (Et hoc dicit Croix[14] esse certo licitum ex praxi ecclesiarum et ex declarat. s. c. apud Cardenas, utque colligitur ex *c. Quod in dubiis*, *de consec. eccl. iuxta dicta in hoc l. 6. n. 368.*, modo pars olei quae nunc effunditur sit minor altera parte cui infunditur. Id tamen recte ait Ronc.[15] non permittendum nisi in casu necessitatis). »

Certum est 1. hoc oleum infirmorum debere esse olivarum, quia ex communi usu nomine *olei* hoc proprie intelligitur, ita communiter dd. cum Salm. [16] et Petr. [17], et patet ex decreto Florentini apud Spor.[18], ubi pro huius sacramenti materia assignatur *oleum olivae per episcopum benedictum*. Certum est 2. apud omnes quod hoc oleum debeat esse benedictum ex necessitate praecepti, sed

709. Dubitatur 1. An oleum infirmorum debeat esse benedictum ex necessitate sacramenti.

Prima sententia negat et hanc tenent Iuenin.[19] Natal. de Alex.[20], item Caiet. Maldonat. et Sambov. apud Continuat. Tourn. [21], qui non obstare dicunt concilium florent. ut supra, neque tridentinum [22] ubi pariter dicitur: *Intellexit enim ecclesia materiam* (extremae unctionis) *esse oleum ab episcopo benedictum*. Quia (ut dicunt), esto ibi assignetur oleum pro materia, non tamen definitur esse de essentia quod benedicatur ab episcopo.

Secunda sententia vero communissima affirmat et hanc tenent s. Thom.[23] Conc.[24] Petr.[25] Salm.[26] et Scot. et alii apud Sporer [27]. Ratio quia concilia in hoc dogmatice locuta sunt, unde utrumque ad valorem huius sacramenti requiri declararunt.

Dubitatur 2. An oleum debeat esse necessario benedictum in ordine ad extremam unctionem. Negant Suar.[28] Lay.[29] et Henr.[30], quia vere est oleum

(1) Loc. cit. (2) L. 5. tr. 8. c. 2. n. 5. (3) Ibid. c. 2. p. 1. n. 11. (4) C. 2. n. 15. (5) L. 22. n. 81. (6) P. 2. n. 3. (7) L. c. (8) L. 6. p. 1. n. 42. (9) N. 79. (10) L. c. (11) Tr. 7. c. 2. p. 1. n. 11. (12) P. 6. t. 6. r. 44. (13) D. 7. q. 1. n. 3. (14) N. 2095. (15) Q. 2. r. 1.

(16) Ibid. n. 1. (17) T. 4. de extr. unct. q. 2 (18) Suppl. p. 220. n. 61. (19) Q. 3. c. 1. (20) C. 2 (21) Tr. de extr. unct. c. 3. a. 1. concl. 2. n. 8. et seq (22) Sess. 14. c. 1. (23) Suppl. q. 29. art. 5 (24) T. 10. n. 5. (25) Q. 4. (26) Tr. 7. c. 2. p 1. n. 2. (27) L. c. (28) T. 4. d. 39. sect. 1. n. 9 (29) C. 2. n. 5. (30) C. 3. n. 2

ab episcopo benedictum. Affirmat vero Palaus [1] Holzm. [2], item Bellarm. Valent. Barbosa Aversa etc. apud Salm.[3], quia, sicut benedictione chrismatis deputatur chrisma pro sacramento confirmationis, ita benedictione olei infirmorum deputatur materia ad sacramentum extremae unctionis. Utraque sententia est probabilis, unde prima non potest in praxim deduci, nisi in casu necessitatis, quo deest oleum infirmorum; tunc enim poterit ministrari extrema unctio chrismate vel oleo catechumenorum sub conditione, ut recte dicunt Viva [4] Ronc. et Croix [5]. Et si postea haberi possit oleum infirmorum, repetendum est sacramentum, ut dicunt Viva et Croix [6], utque praescripsit s. Carolus Borrom. [7].

Dubit. 3. An huiusmodi benedictio possit committi a pontifice simplici sacerdoti. Negant Pal. [8] Suar. [9] et Bellarm. Con. Laym. etc. apud Salm. [10]. Sed affirmandum cum Holzm.[11] Petrocor.[12] Ronc.[13] Conc.[14] et Bened. XIV.[15] ex decr. Clementis VIII., qui declaravit sacramentum extremae unctionis latinis collatum a sacerdotibus graecis oleo ab eisdem sacerdotibus benedicto, esse validum, ut diximus *de confirm. n.* 163.

Dubitatur 4. An sufficiat ministrare hoc sacramentum una gutta olei. Negant Suar.[16] ac Fill. Reg. Trull. Gran. etc. apud Escob.[17] quia (ut aiunt) ungere proprie est oleum per partes diffundere. Affirmant vero communius Escob. [18] cum Diana Tann. et Hurt. ac Croix [19] cum Dic. et Aversa, modo omnes partes ungantur, quia qui ungit una stilla olei, vere ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundatur. Haec sententia mihi est probabilior; at quia prima non est improbabilis, saltem extrinsece in praxi sequenda est. Pro valore autem sacramenti recte dicunt Salm. [20] cum Dicast. et Aversa, quod sufficit intingere in olec extremum digiti et ungere.

710. « 2. Materia proxima est unctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta a sacerdote: non simpliciter necessario contactu immediato manus; nam peste grassante potest uti virga oblonga oleo tincta, quam postea comburat. Sylv. Chapeavill. Diana. V. Diana [21] (Ita etiam probabiliter Wigandt [22] et Esc. [23] qui addit quod si fiat sine necessitate nec erit mortale). Quidam etiam dd. putant unam tantum unctionem esse de essentia sacramenti, ideoque in periculo pestis et simili necessitate sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, quod in eo sensus maxime vigeant, ungere, dicendo: *Per istam etc. quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum etc.* Et quidem pro hac sententia citantur varia pastoralia, agendae et doctor. Iovan. Sylv.[24] Laym.[25] qui eam non omnino improbabilem, Tann. et Marchant.[26] qui omnino probabilem et in praxi usitatam, Diana[27] qui in praxi tutam dicit citansque pro ea[28] Gran. Amic. Aversam, affirmat pontificem id posse permittere: et denique Escob. citans Becanum [29] et Barb.[30] id permittit. Verum cum alii doctores communiter repugnent, tutius saltem erit (quod suadent Laym. et Diana [31]) eo casu unum oculum, aurem, manum et os velociter sine crucis forma ungere, dicendo unicam formam complectentem reliquas. Illud vero certius est, pedes aut renes inungere non esse essentiale; imo quoad renes, non est decens, praesertim in foeminis et viris religiosis, ideoque omitti solet. Henr. Sa Tol. Suar. Bellarm. [32]. »

Quaeritur an unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti.

(1) P. 2. n. 5. (2) P. 242. n. 7. (3) Ibid. n. 9. (4) Art. 1. n. 2. (5) Lib. 6. p. 2. n. 2090. (6) Locc. cc. (7) Act. mediol. p. 4. (8) P. 2. n. 3. (9) D. 40. sect. 1. (10) Ibid. n. 6. (11) N. 5. (12) Qu. 4. (13) P. 120. qu. 2. (14) N. 6. (15) De syn. l. 7. c. 16. n. 4. (16) D. 40. s. 2 n. 4 (17) L. 22. n. 82. (18) N. 84. (19) N. 2094 (20) C. 2. n. 12. (21) P. 3. t. 4. r. 197. (22) N. 107 (23) N. 95. (24) In 3. part. q. 32. art. 2. (25) L. 5. tr. 8. c. 5. (26) Horto pastorum. (27) P. 3. t. 4. r. 108. (28) P. 8. t. 1. r. 21. (29) C. 25. q. 7. n. 6. (30) In Trid. sess. 14. c. 1 (31) Locc. cc. (32) Cap. 10. in fine.

Prima sententia negat et dicit sufficere ad valorem unicam tantum unctionem. Ita Merbesius [1] Natal. ab Alexand. [2] Tourn. [3], item Sylv. Becan. et Molf. apud Salm. [4]. Et merito (speculative loquendo) probabilem putant Holzm. [5] Ronc. [6] Elb. [7] ac Laym. Con. etc. ap. Salm. Ratio quia ex d. Iacobo simplex unctio praecipitur, *ungentes eum oleo*. Item in Tridentino [8] de una tantum unctione fit mentio, *haec sacra unctio etc.;* unde infertur sufficere quod homo in una parte tantum ungatur, ut dicatur unctus.

Secunda vero *sententia* communior et tutior affirmat, eamque tenent Laym. [9] Pal. [10] Elbel [11] Holzm. [12] cum Suar. Soto et Henr. ac Salmant. [13] cum s. Bonav. Bellarm. Valent. Con. Bon. etc. ex d. Thoma [14] qui docet unctionem quinque sensuum esse *quasi de necessitate sacramenti*. Ratio quia licet ex verbis d. Iacobi et Trident. non fiat mentio plurium unctionum, tamen sic colligitur ex usu ecclesiae et communi dd. sensu. Quapropter recte dicunt aa. praefati quod tantum tempore pestis vel alia urgente necessitate poterit adhiberi sub conditione una unctio in aliquo sensu (et consultius in capite), ut aiunt Bened. XIV. [15] Busemb. *ut supra*. Tunc autem dicit Tourn. sufficere quod dicatur: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus*, ut habetur in rituali parisiensi. Sed alii, ut Busemb. *mox infra n.* 3. Holzm. et Elb. [16], item Salm. [17] cum Angles Nugno et Leand. requirunt ut exprimantur quinque sensus, nempe *quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti*. Sed melius erit sic dicere: *Per istam s. unctionem etc. indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*. Praemittendo verbum *deliquisti*, ut bene notant Salm. [18] cum Aversa, quia si *deliquisti* proferatur in fine et interim aeger moriatur, nullum est sacramentum. Si autem aeger supervivat, merito ait Croix [19] repetendas esse unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas. Praescribit autem rituale romanum: *Si dubitet* (sacerdos) *an vivat....., unctionem prosequatur sub conditione.... dicens: Si vivis, per istam, etc.*

Certum est autem non esse de necessitate sacramenti geminam unctionem adhibere geminis partibus, v. gr. in utroque oculo, aure, etc. ut recte dicunt Ronc. [20] Holzm. [21] et Salm. [22] cum Suar. Sa Bon. Unde urgente necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem etc. Unctio autem renum, ut praescribit rituale, *in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest*. Unctio vero pedum non est de necessitate sacramenti, ut communiter dicunt Pal. [23] Roncag. [24] et Salm. [25] cum Suar. Laym. Sa et Bonac. ex d. Th. [26], unde dicunt in hac unctione pedum servandam esse consuetudinem ecclesiarum.

Nec etiam est de necessitate sacramenti servare ordinem inter unctiones partium, quia huius ordinis inversio minime impedit sacramenti significationem. Holz. [27] cum communi. Communiter tamen dicunt Suar. [28] Bonac. [29] Pal. [30] cum Sa et Holzm. cum Babenst., id esse graviter illicitum, quia esset contra usum ecclesiae in re notabili.

« 3. De essentia huius sacramenti est: 1. Ut organa 5. sensuum quae inunguntur nominentur. Palaus [31] Aversa [32] communiter, licet Diana [33] ex Reg. contrarium censeat probabile; imo ad valorem sufficere si inter ungendum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas unctiones indulgeat tibi etc.* 2. Verba illa: *Per hanc sanctam unctionem;* etsi

(1) T. 2. p. 265. q. 19. (2) C. 5. (3) T. 9. p. 396. (4) C. 2. n. 18. (5) N. 10. (6) Qu. 2. r. 2. (7) N. 25. (8) Sess. 14. c. 1. (9) C. 5. n. 7. (10) P. 3. n. 6. (11) N. 25. (12) N. 10. (13) N. 19. (14) Suppl. q. 32 a. 6. (15) De syn. l. 7. c. 18. (16) Loc. cc. (17) C. 2. n. 32. (18) Loc. cit.

(19) N. 2121. (20) Qu. 2. r. 2. (21) N. 10. (22) Ibid. p. 2. n. 16. (23) P. 3. n. 3. (24) Quaest. 2. r. 2. (25) Ibid. p. 3. n. 17. (26) Dict. quaest. 32. art. 6. (27) N. 11. (28) T. 4. d. 40. s. 2. (29) P. 3. n. 20. (30) P. 3. n. 11 (31) P. 4. c. 26. (32) Sect. 4. (33) P. 8. t. 7. r. 36

Palaus [1] dicat valere si tantum omittas tò *sanctam*. 3. Verba deprecativa, *Indulgeat tibi Deus*. Hinc formam imperativam, v. gr. *Per hanc etc. remittatur tibi quidquid etc.* non valere dicunt Palaus Diana [2]. »

711. Quoad formam huius sacramenti pertinet, sacerdos, intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungere debet infirmum, ut praescribit rituale romanum, in partibus infra scriptis, aptando verba formae proprio loco in hunc modum, videlicet: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (si ungitur oculus et sic de aliis) *deliquisti. Amen.* Minister vero, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eaque in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in sacrarium. Advertit pariter rituale quod cum sacerdos ungit partes corporis quae pares sunt, prout oculos, aures etc. (incipiendo semper a parte dextera) non absolvat formam, antequam ambas perunxerit. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima eadem forma inungatur. Deinde aures inungendo repetat eamdem formam, dicendo *per auditum*. Ad nares *per odoratum*. Ad os (compressis labiis) *per gustum et locutionem*. Ad manus (sacerdotibus exterius, reliquis interius in palmis), *per tactum*. Ad pedes (scilicet in plantis) *per gressum*. Ad renes *per lumborum delectationem*. Haec autem unctio omittitur in foeminis et etiam in viris qui vix aut sine periculo mortis moveri non possunt. Quando autem periculum mortis imminet, praecipit rituale ut infirmus cito ungatur praedictis verbis: *Per istam s. unctionem etc.* Et postea si supervivat dicantur orationes praetermissae. Haec omnia habentur in rituali.

(1) Loc. cit. (2) Locc. cc. (3) N. 2097.
(4) T. 3. p. 216. (5) Part. 4. n. 4. (6) N. 14.
(7) P. 216. (8) Tr. 7. c. 2. p. 4. n. 30. in fine.
(9) De extrema unctione c. 4. n. 21. v. Maior est.
(10) Diss. 7. q. 4. (11) N. 105. (12) P. 17. n. 12.

Verbum *deliquisti* merito dicunt Croix [3] et Mazzotta [4] cum Gob. contra Bosco esse de essentia; nam alias non exprimeretur in forma unus ex principalibus effectibus huius sacramenti qui est remissio peccatorum, ut dixit d. Iacobus: *Et si in peccatis sit remittentur ei.*

Verbum autem *sanctam* non est de essentia, cum in Florent. et Trident. haec vox non additur, peccat tamen omittens. Ita communiter Pal. [5] Holz. [6] Mazzotta [7] et Salmant. [8] cum Aversa et Dicast.

Dubitat. 1. An valeat forma indicativa.

Prima sententia affirmat quam tenent Cont. Tourn. [9] et Iuenin. [10], item Palud. Alb. Magn. Becan. Ricch. Aureol. et Tanner. apud Escob. [11] et probabilem putat Conc. [12]. Eam probat ex variis priscis ritualibus et signanter ex ambrosiano in quo dicebatur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris etc., ut, more militis uncti, praeparatus ad certamen aereas possis superare potestates.*

Secunda sententia tamen communis et verior docet non valere, ita s. Th. [13] Merbes. [14] Natal. ab Alex. [15] Suarez [16] Fill. [17] Petr. [18] Pal. [19] Elbel [20] Holz. [21] cum s. Bonav. et Mastr. Escob. [22] cum Henr. Con. Nugn. et Hurt. ac Spor. [23] cum Bellarm. Laym. Bon. Val. etc. Ratio habetur ex ipsis verbis d. Iacobi: *Et orent super eum ungentes eum oleo... et oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quibus verbis patet apostolum orationi tribuisse efficaciam huius sacramenti. Nec obstant ritualia opposita; nam respondet d. Th. [24] quod verba illa non erant forma huius sacramenti, sed potius dispositio ad formam. Sed forte melius respondet papa Bened. XIV. [25] et Sporer [26] cum Mastr. et Herincx, quod verba illa, *ut possis*, cum sint optativa, referri possint ad proferentis votum et orationem, nempe ac si dice-

(13) Suppl. q. 29. a. 3. per totum. (14) Qu. 20.
(15) A. 3. (16) D. 40. s. 3. n. 6. (17) Tr. 3. n. 80
(18) T. 4. p. 184. (19) P. 4. n. 1. (20) N. 28.
(21) N. 15. (22) N. 105. (23) N. 74. (24) L. c. ad 5
(25) De synodo lib. 7. cap. 17. (26) N. 75.

rot: *Ungo te orans Deum ut possis etc.*

Dubitatur 2. An sint de essentia verba: *Per suam piissimam misericordiam.*

Prima sententia affirmat et hanc tenent Nugnus et Hurt. apud Escob.[1] atque Bellarm. apud Mazzotta[2], favetque Con.[3] et probabilem putat Roncaglia[4] quoad verbum *misericordiam*, dubitat vero Suar.[5]. Ratio quia, cum forma debeat esse deprecativa, necessario in ea est explicandus recursus ad divinam misericordiam, quae respicit miseriam in qua maxime est infirmus in fine vitae constitutus.

Secunda sententia vero longe communior et longe probabilior negat et hanc tenent Pal.[6] Bonac.[7] Salmant.[8] Ronc.[9] Sporer[10] Holzm.[11] et Esc.[12] Laym. Fill. Reg. Henr. Dicast. et Trull. Ratio enim opposita minime suadet verba illa esse de essentia, quia eo ipso quod sacerdos dicat *Indulgeat tibi Deus*, satis orat divinam misericordiam. Omnes tamen conveniunt quod omittere praedicta verba esset quidem mortale, cum esset omissio in re notabili et contra usum ecclesiae.

Dubitatur 3. An valeat forma, si dicatur: *Ungo te oleo sancto, ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus etc.* Negant Bonac.[13] ac Hurt. Nugnus etc. apud Salm.[14]. Probabilius vero affirmant Suar. Laym. Fill. Henr. Regin. et caeteri communius ap. eosdem Salmant.[15] (qui tamen dicunt rem esse incertam). Ratio quia his verbis iam exprimitur substantia formae.

712. « 4. Hoc sacramentum tantum dandum est morti propinquis, ex morbo, vulnere, partu vel senectute, quia hi soli sunt infirmi. Quod si morbo liberati rursus periclitentur iterandum est, et quidem in diuturnis morbis, quoties erit periculum novum, neque expectandum (sub gravi culpa, Quintan.[16]) donec sensibus careant vel omnino sint desperati. In dubio vero de vita detur sub conditione. Layman[17] ex s. Thoma Sylvio Suarez[18].

» 5. Si conferatur infirmo communi morbo, sive non graviter vel periculose laboranti, non est validum. Suar. Palaus Gran. Amic. etc. commun. Ac licet Less. Wiggers et Quint. contrarium putent probabile, concedunt tamen sic inunctum iterum inungendum esse (etiam in eodem morbo), quando periculose laborare coeperit, ob mutatum statum infirmitatis, additque Quint. mortaliter peccatum fuisse. V. Quint.[19] Diana[20].

713. Dubitatur 1. An sit validum hoc sacramentum extremae unctionis, si conferatur sano. Affirmat Iuenin. apud Bened. XIV.[21] et Ronc.[22] respondet quod non auderet asserere esse invalidum, cum nullibi viderit condemnatum ritum graecorum, qui in die Coenae Domini, dum consecratur oleum infirmorum ab episcopo, totum illud insumunt in ungendis adstantibus. Sed omnino tenendum est invalidum cum communi sententia quam tenent Suar.[23] Pal.[24] Salm.[25] Conc.[26] et n. p. Bened. XIV.[27]. Ratio quia id patet ex verbis s. Iacobi *c.* 5. ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat etc.* Et communiter omnes interpretantur hunc textum de infirmitate corporali, non autem spirituali, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3. ubi dicitur: *Declaratur esse hanc unctionem infirmis adhibendam.* Nec obstat ritus ecclesiae graecae, nam sapienter advertit praefatus pontifex unctionem illam sanis adhiberi, non tanquam sacramentum (quod errorem esse ait ita credere), sed ut meram caeremoniam ac sacramentalem benedictionem.

Dubit. 2. An sit validum hoc sacramentum, si conferatur infirmo quocumque morbo laboranti etiam non gravi.

Prima sententia affirmat, dicens esse quidem illicitum, sed non invalidum, et hanc tenent Coninc.[28] et Wigandt[29]. Ratio tum quia apostolus a-

(1) N.97. (2) T. 3. p.216. (3) Dist. 19. n. 15. (4) Q. 3. (5) Dist. 40. s. 3. n. 15. (6) P. 4. n. 4. (7) P. 3. (8) Tr. 7. c. 2. p. 4. n. 51. (9) L. c. (10) N.71. (11) N.14. (12) N.99. (13) P. 3. n. 3. (14) Ibid. n. 29. (15) L. c. (16) T. 4. sect. 9. (17) Loc. cit. (18) D. 40. (19) T. 5. sect. 7. (20) P. 9. t. 6. r. 64. (21) De syn. l. 8. c. 5. n. 4 (22) Qu. 6. r. 1. (23) T. 4. d. 42. sect. 2. (24) P. 6. n. 10. (25) Tr. 7. c. 4. p. 1. n. 6 (26) P. 18. n. 4. (27) Loc. cit. (28) D. 19. dub. 7. n. 25. (29) N. 111.

gnoscit absolute infirmum pro subiecto capaci huius sacramenti, cum dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat etc.;* tum quia in Trid. *d. c.* 3. sic habetur: *Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam; iis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur.* Ubi notant verbum *praesertim*, et ex eo inferunt sacramentum adhiberi posse etiam his qui non periculose decumbunt.

Secunda sententia tamen communior et sequenda docet, talem collationem non solum esse illicitam, sed etiam invalidam. Ita Suar.[1] Pal.[2] Bon.[3] Esc.[4] cum Casp. Gran. Amico Diana Reg. etc. ex d. Th.[5] qui docet hoc sacramentum non esse dandum nisi infirmis qui secundum humanam aestimationem videntur morti appropinquare. Probatur ex decr. Eugenii IV. in instruct. ad armenos, ubi dictum fuit: *Hoc sacramentum dari non debet, nisi infirmo de cuius morte timetur.* Verbum autem *debet* hic non tantum importat praeceptum sed etiam necessitatem, quia praefatus pontifex, cum declaraverit subiectum huius sacramenti, et designarit tantum infirmum de cuius morte timetur, censetur alios quidem infirmos exclusisse. Confirmatur ex fine institutionis huius sacramenti, qui fuit (prout ait Trident.[6]) ut hoc sacramentum *finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio muniret.* Nec obstat quod in *dicto c.* 3. dicatur *praesertim*, nam haec particula iuxta contextum concilii, ut patet, non denotat posse quibusvis infirmis sacramentum ministrari, sed posse dari iis qui periculose decumbunt, etiamsi non sint constituti in exitu vitae sive in articulo mortis, modo immineat periculum mortis, ut mox in fine dubii quarti declarabitur [7].

Dubitatur 3. An mulieri laboranti in partu sit hoc sacramentum ministrandum. Respondetur: si foemina laborat in partu communibus tantum doloribus, non poterit quidem ungi, etiamsi prima vice pariat, vel alias fuerit in periculo mortis, quia tunc non adhuc periculosa laborat infirmitate, ut communiter dicunt dd. infra citandi cum concilio mediol.[8] ubi dictum fuit: *Parochus unctionis sacramentum ministrare non debet mulieribus in partu laborantibus.* Secus vero si mulier iam coeperit gravissimis cruciatibus divexari, ita ut iam actu sit in proximo periculo mortis, quia tunc revera iam periculose infirmatur; ita Bon.[9] Fill.[10] Diana[11] cum Franc. Lugo et Amico ac Escob.[12] cum Reg. Trull. Cand. etc.

714. Dubitatur 4. An hoc sacramentum licite conferri possit aegroto in solo putato periculo vitae.

Prima sententia negat et hanc tenet Viva[13] et probabilem vocant Less. et Quintan. apud Escob.[14]. Ratio (ut dicunt) quia non potest sacramentum exponi periculo frustrationis; invalide enim conferretur, si revera infirmus non esset in vero periculo mortis.

Secunda sententia tamen communis et vera affirmat, et hanc tenent Pal.[15] Suar.[16] Holzm.[17] Sporer[18] cum Soto et Amico ac Escob. cum Caspens. Granad. Reg. etc. Haec sententia docet ad ministrandum hoc sacramentum valide et licite sufficere quod infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter putetur esse in periculo proximae mortis. Et probatur ex decreto Eugenii, ut supra, ubi: *De cuius morte timetur.* Et ex rituali, ubi: *Debet hoc sacramentum infirmis praeberi, qui... tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.* Et ratio est quia cum Christus Dominus ministrationem huius sacramenti hominibus reliquerit, creden-

(1) D. 42. sect. 2. n. 4. et 5. (2) P. 6. n. 17. (3) P. 5. n. 15. (4) L. 22. n. 138. (5) 4. d. 23. qu. 2. art. 4. q. 2. (6) Sess. 14. in prooem. (7) Dandum tantummodo infirmis graviter decumbentibus, quibus mors imminet aut senibus decrepitis qui *prae senio* (sunt verba ritualis) *deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate,..* Si autem daretur in morbo gravi, quis aliquod videatur imminere periculum mortis, daretur quidem valide, sed illicite. Hom. Ap. tr. 17. n. 7 (8) P. 2. (9) P. 5. n 6. (10) Tr. 3. n. 68 (11) P. 10. tr. 12. r. 9. (12) N. 140. et 141. (13) Q. 6. a. 5. n. 2. (14) N. 136. (15) P. 6. n. 16 (16) D. 42. s. 2. n. 5. (17) N. 28. (18) N. 95.

dum est sic eam reliquisse, ut possint concedere illud omnibus infirmis quibus probabiliter iudicatur periculum mortis imminere.

Advertendum autem hic 1. quod ad praebendum hoc sacramentum non sit expectandum ultimum vitae tempus; unde communiter docent Merb. [1] Roncaglia [2] et Antoine [3] graviter peccare parochos qui differunt hoc sacramentum usquedum infirmus privetur usu sensuum et rationis, prout habetur etiam expressum in catech. roman. §. 9. ubi dicitur: *Gravissime peccant qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Ratio quia sic privatur infirmus uberiori fructu quem recepisset, si suscepisset sacramentum dum erat rationis compos, cum magis tunc se ad illud disposuisset; item quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda, item quia infirmus, si forte esset in mortali, et compos rationis sacramentum recepisset, auxilio attritionis gratiam forte fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute huius sacramenti forte consecutus fuisset sanitatem corporis, si tempore congruo collatum fuisset; licet enim hoc sacramentum virtute quadam supernaturali operetur etiam salutem corporalem, si animae saluti expedierit (ut loquitur Trident.), non tamen per modum miraculi operatur, sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adiuvando, ut commun. aiunt dd. Quae omnia saltem simul congesta videntur grave damnum infirmo afferre.

Advertendum 2. quod distinguere oporteat, quando extrema unctio dari debeat et quando dari possit. Adest quidem obligatio, ut mox diximus, eam ministrandi, cum urget periculum proximae mortis, et tunc non est expectandum ultimum vitae tempus, sed ministrandum est sacramentum, sicut praecepit Benedict. XIV. [4] cum infirmi *sibi constant et sui compotes sunt.* Caeterum communiter docent dd. valide et licite posse dari extremam unctionem statim ac prudenter iudicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximae, ita Suarez [5] qui ait: *Ut minimum requiritur, ut ex tali infirmitate mors possit moraliter timeri, saltem remote.* Idem docent Con. [6] Castrop.[7] Bonacina [8] Escob. [9] Holzm.[10] Spor.[11] Salm.[12] et alii passim cum Bened. XIV.[13] et Honorato Tournely[14] qui adducit pro hac sententia duplex concilium aquisgranense et moguntinum. Id probatur 1. ex concilio florentino [15] in decreto ubi dicitur: *Subiectum huius sacramenti esse infirmum, de cuius morte timetur.* Probatur 2. ex Trident. [16] ubi habetur: *Hanc unctionem infirmis adhibendam, iis vero praesertim qui in exitu vitae constituti videantur.* Particula illa *praesertim* satis indicat posse extremam unctionem ministrari etiam infirmis qui nondum videntur esse in exitu vitae. Fortius demum probatur 3. ex citato loco Bened. XIV. ubi scribitur: *Ne sacramentum extremae unctionis ministretur benevalentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant.* Hinc recte ait Castropal.[17]: *Quapropter censerem quoties viaticum infirmo ministratur, statim et ministrari unctionem posse et expedire, quia iam censetur infirmitas grave periculum vitae inducere.*

In dubio autem an infirmitas sit periculosa mortis recte aiunt Castrop. [18] et Laym. [19]: *Non posse extremam unctionem ministrari, tum quia praeceptum est ne aliis quam de vita periclitantibus ministretur.* Secus vero si de tali periculo vera adsit probabilitas sive prudens timor, ut communiter docent Suar. Caspensis Castropal. Escobit. n. 28.

(1) T. 2. de extrema unct. q. 25. mon. 5.
(2) Reg. in praxi n. 2. (3) P. 566. (4) Euchol. graec.
(5) T. 4. disp. 42. sect. 2. n. 4. (6) Dub. 7. n. 24.
(7) Tr. 26. p. 6. n. 12. (8) Disp. 7. q. un. p. 5. n. 7.
(9) De extr. unct. probl. 50. n. 138. (10) Eod. (11) N. 98. (12) Tr. 7. c. 4. p. 1. n. 6.
(13) De synodo l. 8. c. 7. n. 2. (14) Prael. theol. de extrema unctione quaest. 3. v. Quaer. 2.
(15) T. 13. concil. p. 538. (16) Sess. 14. c. 5
(17) Loc. cit. n. 12. (18) Ibid. n. 13.
(19) De extr. unct. c. 4.

bar. et Holzman[1] cum Scoto et Mastrio.

715. Dubitatur 5. Quando hoc sacramentum possit iterum ministrari eidem infirmo. Respondetur: Quando infirmitas non est diuturna, ad iterandum hoc sacramentum requiritur ut infirmus a priori infirmitate *convaluerit, et in aliud simile vitae discrimen inciderit*, ut docet Trident. [2]. Quando vero infirmitates sunt diuturnae, prout sunt hectica et hydropisis, tunc s. Carolus Borromaeus [3] sic instruit: *Si ob mortem impendentem quis unctus fuerit et evaserit, deinde ex eodem morbo in aliud simile periculum mortis rursus inciderit, rursus ungi debebit.* Idem docuit d. Thom. [4]. Idem praecepit rituale rom. dicens: *In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.* Unde adverte quod in morbo diuturno, si infirmus post unctionem certe manserit in eodem periculo mortis, non poterit rursus ungi. Secus vero ait n. ss. p. Bened. XIV. [5] (de nobis optime meritus) si dubitetur an revera morbi status mutatus sit, tunc enim dicit expedire ad sacramenti iterationem propendere, eo quod haec sit uniformior veteri ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. Hoc tamen intelligendum de dubio positivo, nempe quando probabile sit infirmum iam exiisse a periculo mortis, nam alias in mero dubio negativo servandum est praescriptum Tridentini, ubi dicitur posse sacramentum iterari, si infirmi *convaluerint*; quod revera non potest verificari, nisi saltem probabiliter a periculo exierint. Unde dicit Ronc. [6] non sufficere infirmum per quatuor vel quinque dies ita se melius habuisse, ut videatur mortis periculum evasisse, secus si per notabile tempus, ut dicunt Wigandt [7] et Sporer [8] cum Suar. Con. Reg. etc., puta per mensem, ut aiunt Bon. [9] et Viva [10] cum Trull.

(1) N. 28. (2) Sess. 14. c. 3. (3) Loc. cit. (4) 4. dist. 23. q. 2. art. 4. q. 2. (5) De synodo l. 8. c. 8. n. 4. (6) Qu. 7. r. 2. (7) N. 111. (8) N. 111. (9) P. 6. n. 4. (10) Art 3. n. 3.

716. « 6. Ad sacramentum hoc cum fructu recipiendum, in eo qui rationis est compos et conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata, neque sufficit attritio. Bonac. [11] ex Reg. [12] *(Vide dicta n. 86. et antea n. 33.)*. Ordinarie autem, nisi obstet causa rationabilis (v. gr. si ob vomitum communicare non possit), praemittenda est confessio et communio, ob ecclesiae consuetudinem, quae unctionem, tamquam minus necessariam ad salutem, postponit. Vide Bon. [13] (In rit. rom. sic habetur: *Ex generali ecclesiae consuetudine observandum est ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem poenitentiae et eucharistiae sacramenta infirmis praebeantur.* Suscipere autem extremam unctionem ante viaticum, aut nullum erit peccatum aut vix veniale, ut dicunt Suar. [14] et Croix [15] nec improbat Bened. XIV. [16], quia consuetudo praemittendi viaticum non est recepta saltem sub gravi obligatione). Licet autem, per se loquendo, confessio non necessario praemittatur, cum per contritionem se disponere possit, per accidens tamen requiri potest, v. gr. si post viaticum peccasset mortaliter, et timeretur post unctionem defuturum tempus confessioni: tunc enim prius audiendus et absolvendus esset, quia sacramenta magis necessaria tali casu prius sumenda sunt. Filliuc. Barbos. Diana [17].

717. » 7. Pueris habentibus sufficientem rationis usum ad peccandum, tametsi sacram eucharistiam non accipiant, non recte negatur extrema unctio, cum inde nonnunquam salus ipsorum dependere possit. Suarez [18] Graff. Angl. Zamb. apud Laym. [19] qui parochos quorumdam locorum excusat, per consuetudinem toleratam ab episcopis, si non dent pueris ante an. 14. vel 15., excepto casu necessitatis, quo puer, quem rationis usum consecutum esse constet, aliud sacramentum ante mortem susci-

(11) D. 7. q. un. p. 3. n. 2. (12) L. 23. c. ult. a. 73 (13) L. c. n. 13. (14) D. 44. s. 1. n. 2. (15) N. 2120 (16) De syn. l. 8. c. 8. n. 2. (17) P. 5. t. 5. r. 92 (18) 3. p. t. 3. d. 70. s. 1. (19) L. 5. t. 3. c. 4. n. 2

pere non possit. Vide Chapeauvill. [1]. Ac licet parochus in confessione cognoverit puerum nunquam actualiter peccasse, debere tamen illum inungere, contra Nugn. et Sanch. docent Suarez Reg. Fill. Conc. etc. cum Diana [2]. Si vero dubium sit an puer usum rationis habeat, ungendus est sub conditione. Diana [3] et Sanch. Zambran et card. de Lugo. »

718. Dubitatur 1. An infantes sint capaces huius sacramenti.

Prima sententia affirmat quam tenent Maior. et Possev. apud Escob. [4]. Ratio quia hoc sacramentum non solum datur ad delenda peccata actualia, sed etiam ad tollendas reliquias peccati originalis, ad recuperandam sanitatem ac ad augmentum gratiae acquirendum.

Secunda sententia vero communis et vera negat, et hanc tenent s. Thomas [5] Bellarm. [6] Suar. [7] Pal. [8] Laym. [9] Bonac. [10] Sporer [11] Holzm. [12] et Esc. cum Soto Nav. Tol. Fill. Reg. etc. ex rituali rom. ubi: *Debet autem hoc sacramentum infirmis praeberi, qui ad usum rationis pervenerint*. Ratio quia (ut ait d. Th.) *pueris non competit forma huius sacramenti, eo quod non peccaverunt per visum et auditum, ut in forma exprimitur*. Ad rationem autem oppositam respondet idem s. doctor, quod extrema unctio non datur ad reliquias peccati originalis, sed actualis auferendas. Quoad autem effectum sanitatis, respondetur quod cum hic sit effectus tantum secundarius huius sacramenti, ipse cessat cessante primario. Quoad augmentum vero gratiae, cum hoc non detur nisi ut coniunctum proprio effectui sacramenti, quando subiectum non est capax effectus proprii, neque est capax augmenti. Neque obstat quod olim (ut asserunt Maldonat. et Cornel. a Lap.) infantes ungebantur oleo infirmorum, nam respondet papa Benedictus XIV. [13] quod forte, si ungebantur, tunc unctio illa potius erat benedictio sacramentalis, ut dictum est de unctione graecorum *n.* 713.

719. Dubitatur 2. An hoc sacramentum conferri possit pueris, de quorum usu rationis dubium vertit.

Prima sententia negat, et hanc tenent Sotus Aureol. et Zambran. apud Esc. [14] quia si vere puer usu rationis caret, frustratur sacramentum, et cum hoc non sit necessarium ad salutem, non debet tali periculo exponi.

Secunda sententia affirmat, quam tenent Spor. [15] et Croix [16] cum Reynaud. Schild. etc. qui dicunt in dubio pueros absolute ungendos esse, quia saltem sunt capaces effectus sanitatis corporis

Tertia sententia vero probabilior quam (praeter Dian. Sanc. et Lugo ap. Bus.) tenent Renzi [17] et Esc. [18] cum Dic. et Leand. dicit tales pueros ungendos esse sub conditione, quia per conditionem iam salvatur reverentia sacramenti, et aliunde iusta assistit causa illud ministrandi sub conditione, ne priventur pueri fructu tam salutari huius sacramenti, iuxta dicta *n.* 718.

720. Dubit. 3. An possit dari extrema unctio puero qui iam sit doli capax, sed non adhuc sit capax communionis.

Prima sententia negat, quam tenent Sotus Vivald. Aureol. Nald. etc. apud Escob. [19] cum quadam synodo hispalensi, et videtur favere d. Thom. [20] qui dicit: *Sicut eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum*. Ratio, tum quia hoc fert communis ecclesiae consuetudo, tum quia indecens videtur hoc sacramentum dari puero qui in illo statu vix potest instrui de illius effectu.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, eamque tenent Laym. [21] Sporer [22] cum Navar. Suarez Aversa etc. et Escobar. [23] cum Sa Val. Angl. Durand. Sancio et Zamb. Et idem docet papa Bened. XIV. [24] qui di-

(1) C. 5. q. 17. (2) P. 5. t. 4. res. 181.
(3) P. 5. t. 5. res. 35. (4) L. 22. n. 109.
(5) Suppl. q. 32. art. 4. (6) De extr. unct. c. 9.
(7) D. 42. sect. 1. n. 5. (8) P. 6. n. 5.
(9) C. 4. n. 2. (10) P. 5. n. 1. (11) N. 94.

(12) N. 26. (13) De synodo l. 8. c. 6. n. 2.
(14) N. 112. (15) N. 94. (16) N. 2131.
(17) De extr. unct. c. 2. q. 5. (18) N. 114.
(19) N. 115. (20) Suppl. q. 32. art. 4.
(21) C. 4 n. 2. (22) N. 94. (23) N. 107.
(24) De synodo l. 8. c. 6. n. 2

cit minime approbandam esse quamdam synodum in qua statutum fuerat non dandum hoc sacramentum pueris qui non communicarunt, et approbat quod tradit rituale argentinense, nempe non denegandam extremam unctionem pueris septennibus, ac iis in quibus malitia supplet aetatem, etsi ad septennium non pervenerint. Nec obstat textus allatus d. Thom., nam [1] ab hoc sacramento excludit tantum pueros impotes rationis qui immunes sunt a peccatis actualibus.

721. Dubit. 4. An possit dari extrema unctio infirmo adulto statim post baptismum. Negat Sanctius ap. Esc. [2], quia huic per baptismum omnes reliquiae peccatorum iam fuerunt abstersae; sed communiter et recte affirmant Laym. [3] Suarez [4] Renzi [5] Diana [6] cum Vega Led. Sylvest. Fill. Palud. Hurtad. etc. ac Esc.[7] cum Molf. Praep. et Naldo. Ratio, tum quia verius per baptismum non absterguntur reliquiae culparum actualium commissarum ante baptismum, prout sunt torpor ad bonum ac pronitas ad malum, tum quia primarius effectus huius sacramenti non tam est remissio culparum, quam corroboratio infirmi contra daemonis tentationes, ut dicunt Suar.[8] Laym. [9] Pal.[10] Mazz.[11] et alii; idque inferunt ex verbis apostoli: *Alleviabit eum Dominus.*

722. « 8. Minister est solus sacerdos proprius sive pastor: sine cuius venia, si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat, Sylv. Sot. Conc. [12] (Est commune, ut Suar. Pal. Bonac. etc. Salm.[13]. An autem quivis sacerdos possit hoc sacramentum ministrare ob consensum probabiliter praesumptum parochi, vel eius ratihabitionem. Negat Viva [14] cum Laym. Diana etc. Sed probabiliter affirmant Palaus [15] cum Val. et Sa ac Salm.[16] cum Bon. et Dic. *Vide dicta de euch. n.* 235.) et religiosus incurrit excommunicationem papalem. Suar. Regin. [17] (*Ex Clementina* 1. *de privileg.* §. 1.). Posse tamen regulares hoc sacramentum, uti et viaticum, in articulo mortis suis familiaribus ministrare, docet Diana [18] ex Marchino etc. (De hoc adest bulla apud Spor. [19] quae incipit, *Immarcescibilem*, edita an. 1567. ubi s. Pius v. concessit theatinis conferre extremam unctionem non solum fratribus et clericis ipsius congregationis, sed etiam mercenariis, operariis, servis ac famulis eiusdem congregationis, ac quibusvis hospitibus etiam saecularibus et extraneis, quos in locis vel habitationibus dictae congregat. tunc reperiri contigerit, in mortis articulo et quoties de illo dubitari contigerit, etiam licentia minime petita, nec obtenta parochorum. Item Sixtus IV. (ap. Pitton.[20]) concessit regularibus dare eucharistiam et extremam unctionem suis poenitentibus, si parochus iniuste eas negaverit vel malitiose distulerit).

723. » In necessitate vero, ut si pastor absit vel dare nolit, nec superior possit adiri pro petenda licentia, licite ministrat quivis non excommunicatus aut suspensus, etiam regularis, ut contra Gavant. docent Praep. Henr. Fern. Gran. Diana[21]; censetur enim tunc papa dare licentiam. Lay. Reg. Suar. etc.[22] Diana [23] (Ita etiam communiter Suar.[24] Bon.[25] Salm.[26] Conc.[27] Holzm.[28] Elb.[29] Fill.[30] Esc.[31] Pal.[32] cum Val. Con. etc., item Ben. XIV.[33] cum Tourn.[34] Iuenin. Natal. ab Alex. (contra Sylv. Arm. et Vivald. apud Esc.[35]). Et idem docuit s. Carolus Borrom.[36] qui concessit cuilibet sacerdoti dare hoc sacramentum, deficiente parocho. An autem pastor excommunicatus possit extremam unctionem ministrare. Affirmant Possev. Diana Victorell. et Leand. apud Esc.[37] ac probabile putant[38] Fill. et Vill. Sed

(1) Ibid. ad 2. (2) N. 121. (3) C. 3. n. 5. (4) D. 42. s. 3. n. 9. (5) C. 2. q. 2. (6) P. 5. tr. 3. r. 82. (7) N. 123. (8) D. 41. sect. 1. n. 1. (9) C. 3. n. 2. (10) P. 5. n. 5. (11) P. 221. (12) D. 9. n. 28. (13) Tract. 7. c. 5. p. 1. n. 5. (14) De sacr. qu. 6. a. 2. n. 5. (15) P. 7. n. 4. (16) Ibid. n. 4. (17) L. 13. n. 19. (18) P. 5. t. 3. r. s. 82. (19) N. 31. (20) De conf. n. 73. (21) P. 4. t. 3. r. 82. (21) Loc. c. (23) R. 176. (24) D. 44. sect. 3. n. 3. (25) P. 4. n. 6. (26) Tr. 7. c. 3. p. 1. n. 5. (27) P. 17. n. 5. (28) N. 20. (29) N. 45. (30) N. 90. (31) N. 192 (32) P. 7. n. 3. (33) De synodo l. 8. c. 4. n. 7 (34) Prael. theol. de extr. unctione qu. 2. art. 2. (35) N. 160. (36) Act. mediol. p. 4. (37) N. 165. (38) Ibid.

probabilius negant Suar. [1] Bon. [2] cum Henr. et Escob. [3] qui secus ait de pastore suspenso, et quidem probabiliter si alius desit).

724. » 9. Sufficit sacerdos sine ministro, in necessitate, nec in ea foemina adhibenda est; quod si tamen fiat, veniale esse docet Quint. [4] (Prout etiam dicit Escob. [5]. Ministrare autem sine ministro, nullum esse peccatum, etiam remota necessitate, dicunt Bonac. [6] et Escob. [7] cum Host. et Possev. etc. Sed probabilius non excusant a veniali Diana [8] Tol. [9] et Graff. Dic. apud Escob.[10] ex rituali rom. ubi dicitur: *Convocatis clericis, saltem uno etc.*). In ea posset etiam unus unam, alius aliam partem inungere, pronuntiando tamen formam illi unctioni respondentem. Bonac. [11] etc. communiter (Ita etiam Salmant. [12] cum communi, Suarez [13] Pal. [14] cum Con. et Spor. [15]. Hoc tamen intelligendum cum auctoribus citatis, licere in solo casu necessitatis, scil. si timetur infirmus decessurus, antequam omnes unctiones ab eodem ministro perficiantur, alias esset mortale, quia contra usum ecclesiae, ut recte advertit Bon.[16] cum communi. Certum est autem sufficere unum sacerdotem ad ministrandum hoc sacramentum, ut docet d. Th. et alii comm. apud Croix [17] et patet ex c. *Quaesivit, de verb. sign.* ubi: *Sacerdos, uno praesente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere.* Graeci autem adhibent septem sacerdotes, (ut ait Arc., sed Bened. XIII. concessit eis an. 1724. posse ungere unum si 7. vel 3. haberi non possint). Non tamen potest unus inungere aliquem sensum, et alius formam pronuntiare (Ut etiam Salmant.[18] cum Dic. et communi), neque unus unum oculum, et alter alterum. Vide Diana [19]. Quod si sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium quae restant, Tan. Praepos. Merat. qui apud Diana [20] notat licere etiam alteri unctiones ab initio repetere, perinde ac si prior nullam earum inchoasset (Sed melius: Quando sacerdos inter unctiones deficit, si statim alius eas suppleat, non sunt iterandae prius factae, ut Bonac.[21] cum d. Th. Poss. Fill. Molf. et s. Carolo Borrom. [22]. Secus si unctiones ab alio suppleantur post aliquam notabilem moram (puta post quadrantem), tunc enim omnes unctiones sub conditione repeti debent; ita recte ait Croix cum Aversa Merati et Nugno).»

725. Dubit. hic an sacerdos incurrat irregularitatem, si aegrotus decedat dum sacerdos curat eum revolvi ad inungendum. Recte negant Bonac.[23] cum Possev. Soto etc., et huic congruit id quod dicunt Salm. [24] cum Corneio, ex eod. Bon. [25] cum Suar. Ugol. et communi, nempe quod irregularitas non incurratur nisi per delictum, a quo est immunis qui officium caritatis exercet.

726. « 10. Etsi in administratione huius sacramenti servanda sint omnia praescripta in rituali, agenda vel manuali, mortale tamen non esse administrare in necessitate sine superpelliceo vel stola, docent Quint. et Leand. conceditque Amic. Et Diana [26] id excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius sacramenti, et ista haberi non possint, contra Suarez Regin. etc. »

Quaeritur an peccet mortaliter sacerdos ministrando extremam unctionem sine vestibus praescriptis, nempe superpelliceo et stola. Si non urgeat necessitas, certum est graviter peccare: dubium est, quando urget necessitas.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suar. [27] Pal.[28] Sporer [29] Elbel [30] et Bon. [31] cum Naldo et aliis, quia reverentia sacramenti praeferenda est cuilibet utilitati privatae.

Secunda sententia vero etiam probabilis negat, et hanc tenent Croix [32] Dia-

(1) D. 44. s. 3. n. 6. (2) P. 4. n. 4. (3) N. 165. (4) T. 5. sect. 6. (5) N. 211. (6) P. 6. n. 6. (7) N. 203. (8) P. 9. t. 6. r. 46. (9) L. 7. c. 2. (10) N. 166. (11) L. c. (12) Tr. 7. c. 5. p. 1. n. 6. (13) D. 45. s. 2. n. 4. (14) P. 7. n. 7. (15) N. 82. (16) P. 4. n. 3. (17) N. 2100. (18) Tr. 7. c. 5. p. 1. n. 6. (19) P. 9. t. 7. r. 56. (20) P. 5. t. 3. r. 87. (21) P. 4. n. 9. (22) Act. mediol. p. 4. (23) P. 4. n. 10. (24) De censuris c. 3 p. 5. n. 55. (26) De irreg. d. 7. q. 4. p. 7. n. 12. (26) P. 8. t. 1. res. 79. (27) D. 44. s. 2. n. 7. (28) P. 3. n. 11. (29) N. 120. (30) N. 46. (31) P. 6. n. 9. (32) N. 2116.

na [1] cum Leand. et Escob. [2] cum Poss. et Quintan. casu quo vestes deessent, et infirmus decederet sine sacramento, quia licet sacramentum hoc non sit necessarium, est tamen valde utile; unde non praesumitur Christus, qui illud instituit ad subsidium infirmorum in ultimo agone pugnantium, voluisse eos, ne vestes omittantur, tanto bono privari. *Vide dicta in simili casu de euch. n.* 241. *v. Ministrari.*

727. Imo etiam extra necessitatem non esse mortale 1. Omittere psalmos poenitentiales, litanias et caeteras preces, docent Pal. et Gran. Dico *extra*, quia in necessitate gravi, v. gr. tempore pestis, vel morte imminente, statim ungendus est sine praemissis orationibus, quae tamen postea supplendae sunt si supervivat infirmus. Bon.[3].

Hic distinguendum : Omittere orationes in rituali praescriptas, extra casum necessitatis, sine dubio est mortale, ut recte dicunt Tamb. [4] Pal. [5] Elbel [6] ac Bon. [7]. Dixi *extra necessitatem*, nam si periculum mortis immineat infirmo, iam praescribit rituale, quod infirmus *cito ungatur*, *et deinde* (*si supervivat*) *dicantur orationes praetermissae.* Idem probabiliter dicunt Salm. [8] cum Palao Suarez Dicast. et communi, si sacerdoti immineat periculum contagii. Omittere autem psalmos poenitentiales et litanias, dicunt Bon.[9] Pal.[10] et Esc.[11] non esse peccatum mortale, et Elbel [12] expresse dicit esse veniale. Sed probabilius puto cum Tambur. praefatas preces esse tantum de consilio, dum nullibi habetur de ipsis praeceptum. In rituali de eis sic tantum dicitur : *Dum infirmi sacro liniuntur oleo*, *dicuntur flexis genibus ab adstantibus.*

728. « 2. Deferre ad aegrum, vel administrare sine lumine. Leand. citans Possev. Quintan.[13] Barbosa [14] (Ita etiam Diana [15] et Escob. probabiliter dicunt esse tantum veniale). 3. Si solus sine ministro administret, imo hoc in necessitate permittunt Tol. Sa etc. Vide Diana [16] (*Vide dicta n.* 724.). 4. Si ungat aliter quam in formam crucis, Suarez Bec. Laym. Vide Diana[17] (Commune est esse tantum veniale omittere signum crucis inter ungendum, ita Layman [18] Suar.[19] Pal.[20] Bon.[21] Viva [22] Holzm. [23] Salm. [24] et Esc.[25] cum Con. et Zambr. Imo Escob. putat nec etiam esse veniale, sed huic non consentio nisi necessitas urgeat. Hic etiam advertendum id quod praescribit rituale, videlicet : *Si alius presbyter vel diaconus haberi possit*, *qui oleum sanctum deferat*, *per ipsum deferatur*, *qui superpelliceo indutus cum oleo sacro occulte delato sequatur sacerdotem viaticum portantem*, *et postquam infirmus viaticum sumpserit*, *inungatur a sacerdote.* Praeterea Laym. et Tamb. apud Benedict. XIV.[26] (quibus ipse adhaeret) permittunt sacerdoti interrumpere missam ad dandam extremam unctionem, si infirmo nullum aliud sacramentum conferri potest, quia si ille est sufficienter attritus, primam gratiam obtinere potest).

729. » 11. Pastor ratione officii tenetur sub mortali dare iis qui petunt, nisi iusta causa excuset, etiam tempore pestis, modo possit absque periculo vitae; cum eo enim non teneri docent Tanner. Diana [27]. Si peste infecti sint confessi, posse sine peccato omitti absolute, docet idem Diana [28] ex Villal. Tann. Amic. Franc. Lugo etc. Suarez Fill. Con. Bon. Laym.[29] (Regulariter igitur non tenetur pastor cum periculo vitae dare hoc sacramentum, nisi infirmus a longo tempore sit confessus, et verisimiliter censeatur esse in mortali, ita communiter Suar.[30] Concina [31] Pal.[32] Holzm. [33] Spor.[34] et alii passim. Salm.[35] vero dicunt nisi parochus certe

(1) P. 9. t. 6. r. 46. (2) N. 220. (3) D. 7. p. 6. num. 8. (4) De sacram. lib. 6. §. 4. num. 1 (5) P. 8. n. 15. (6) N. 46. (7) P. ult. n. 7. (8) Tract. 7. c. 5. p. 1. n. 12. (9) Loc. cit. (10) P. 8. n. 14. (11) N. 217. (12) N. 46 (13) T. 5. s. 13. (14) De offic. paroch. c. 22. (15) P. 9. tract. 6. res. 46. (16) Ibid. res. 56. (17) P. 5 tract. 4. res. 178. (18) C. 3 in fine.

(19) D. 40. sect. 2. n. 5. (20) P. 5. n. 2. (21) P. 2. in fine. (22) Art. 1. n. 5. (23) N. 12. (24) Tract. 7. c. 2. p. 2. n. 14. (25) N. 90. (26) De syn. l. 8. c. 6. n. 5. (27) P. 5. tr. 5. r. 95. (28) P. 5. tr. 4. res. 174. et p. 5. tr. 5. res. 85. et 95. et p. 8. tr. 1. res. 21. (29) Locc. cc. (30) D. 44. sect. 5. n. 20. (31) P. 17. n. 4 (32) P. 8. n. 5. (33) N. 21. (34) N. 86. (35) Tr. 7. c. 5. n. 2. n. 8. in fine.

sciat aegrotum esse in mortali, sed melius alii dicunt, nisi probabilius id sciat, iuxta dicta *n.* 624.).

» 12. Sacerdos curatus peccat mortaliter si petentem negligat inungere vel differat cum probabili periculo ne sine unctione moriatur aeger, nisi iusta causa excuset, quia in re gravi non praestat id, ad quod tenetur ex iustitia (Ita comm. Salm.[1] et Viva[2]). Alius vero sacerdos si, absente parocho, licite et facile possit, tenetur ex caritate, sed sub veniali tantum (Ita etiam cōmuniter Laym.[3] Pal.[4] Sporer[5] cum Mastr. et Salm.[6] cum Diana, contra Aversa qui putat teneri sub gravi). Nisi tamen aegrotus valde indigeret, v. gr. si alioqui sine omnibus sacramentis esset moriturus, quod aliud nullum suscipere posset, tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscere videntur. Vide Diana[7] Layman[8] (Ita pariter cum communi Salm.[9] contra Hurt. apud Viva[10]).

730. » 13. Parocho vesperi timenti ne noctu vocetur ad aegrum, non licet retinere domi sacrum oleum, ut vocatus possit venire expeditius, licet venialem culpam in eo tantum agnoscat Barb.[11] ex Possev. (Ita etiam Escob.[12] si parochus oleum servet ut commodius illud deferat ad infirmum. Sed probabiliter dicit Croix[13] cum Arriaga et Gob. in hoc non peccare parochum, si crederet noctu se vocandum, et periculum foret ne vocatus sero veniret), item Quintan.[14] qui tamen a mortali non audet excusare eum qui semper domi retineret (Cum Esc.[15]).

» 14. Decens est ut stuppa comburatur, quia ad singulas unctiones nova adhibenda est, nisi aliud habeatur in agenda. Laym.[16] Sa (In rituali sic habetur: *Minister si est in sacris, vel ipse sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacis vel rei similis eaque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in sacrario*).

731. » Resp. 2. Effectus eius principalis est roborare animam contra tentationes daemonis in morte. Secundarius est 1. delere reliquias peccatorum (Seu partem iuxta dispositionem suscipientis). 2. Tollere poenas restantes (Non vero omnes ut d. Th.[17] Laym.[18] Pal.[19] et Salm.[20]). 3. Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat, s. Th. Sylv. Suar.[21] (Ut in Trid.[22] ubi: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, cōnsequitur*).»

Commune est inter dd. per hoc sacramentum remitti peccata tam venialia quam mortalia, si haec infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem qua auferatur obex peccati, ita s. Thom.[23] qui ait: *Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut de eucharistia et confirmatione supra dictum est.* Sequuntur s. doctorem Bellarm.[24] Pal.[25] Holzm.[26] Mazzotta[27] Salmant.[28] cum Suar. Val. Laym. Coninch. Bonac. etc. ac Croix[29] cum Arcud. et Aversa contra aliquos. Idque clare colligitur ex verbis d. Iacobi: *Et si in peccatis sit remittentur ei.* Ac ex Trid.[30] ubi: *Cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

Utrum autem peccata mortalia huic infirmo remittantur per se vel per accidens.

Prima sententia quam tenent Gonet[31] Petroc.[32] Holzm.[33] Spor.[34] Mazz.[25] et Soto apud Tourn.[36] dicit remitti per accidens, quia, cum hoc sit sacramentum vivorum, non potest nisi per accidens mortalia delere.' Et huic sen-

(1) Ibid. n. 7. (2) Art. 2. n. 4. (3) C. 7. n. 3. (4) P. 3. n. 6. (5) N. 35. (6) Ibid. n. 9. in fine. (7) P. 3. tr. 4. r. 170. (8) L. 5. t. 8. c. 7. n. 3. (9) Cit. n. 9. (10) N. 4. (11) De par. c. 22. (12) N. 226. (13) N. 2114. (14) Tr. 5. l. 10. (15) D. n. 226. (16) L. c. (17) Suppl. q. 30. a. 1. (18) C. 3. n. 3. (19) P. 3. n. 9. (20) Tr. 7. c. 3. p. 1. n. 3. (21) D. 41. sect. 1. (22) Sess. 14. c. 2. (23) Suppl. q. 30. a. 1. (24) De extr. unct. c. 8. (25) P. 5. n. 4. (26) N. 56. (27) T. 3. p. 221. (28) Ibid. n. 2. (29) N. 2119. (30) Sess. 14. c. 2. (31) T. 6. p. 479. (32) T. 4. p. 193. (33) L. c. (34) N. 104. (35) P. 221. (36) Pract. theol. de extr. unct. quaest. ult. v. Quaer. 1.

tentiae videtur favere d. Th. [1] dicendo quod hoc sacramentum remittat peccata, sicut eucharistia et confirmatio, quae certe per accidens remittunt.

Secunda sententia vero probabilior et communior quam tenent Tourn. [2] Merbes. [3] Habert [4] Salm. [5] cum Suar. Pal. Con. Val. etc. dicit extremam unctionem remittere mortalia per se, etsi consequenter. Ratio est, quia licet hoc sacramentum sit vivorum, tamen ex institutione divina peccata remittit, ut patet ex verbis apostoli ut supra, et confirmatur ex Trid. [6] ubi : *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata nec alleviare infirmos ... anathema sit.* Et improbabiliter, ait Bellarm. cum d. Th. et aliis communiter, aliquos nomine *peccatorum* intelligere sola venialia. In hoc autem differunt baptismus et poenitentia ab extrema unctione, quia illa principaliter instituta sunt ad delendum peccatum actuale vel originale; extrema vero unctio (ut docet d. Th.) principaliter est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, nempe debilitatem et ineptitudinem quae ex peccato actuali relinquuntur; sed quia, cum in anima reperitur peccatum, non possunt tolli reliquiae, nisi prius tollatur peccatum, ideo ex consequenti hoc sacramentum peccatum aufert.

An autem principalis effectus huius sacramenti sit remissio peccatorum, saltem venialium. Affirmant Holzm. [7] cum s. Bonav. Scoto et aliis scotistis communiter, item Navar. Vasq. Sa et Maior. apud Escob. [8]. Sed alii communissime et probabilius dicunt principalem effectum huius sacramenti esse remittere reliquias peccatorum ut supra, nam alias qui non haberet actualia peccata, non esset capax principalis effectus illius, quod est falsum. Ita s. Th.[9] quem sequuntur Gonet [10] Pal.[11] cum communi, ut asserit, et Escob.[12] cum Suar. Soto Palud. Filliuc. etc.

732. « Huius sacramenti non sunt capaces 1. Pueri ante usum rationis, etsi sufficiat ea aetas qua possunt peccare. Navarr. Suarez. 2. Perpetuo amentes, aliis vero delirantibus, si ante petiverint, aut petituri fuissent si cogitassent, aut ostenderint signum doloris, dari potest et debet. Sylvest. Henr. Laym. (Et sic habetur in rituali ubi dicitur : *Infirmis autem qui dum sana te et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent aut non sentiant, nihilominus praebeatur.* Amentes autem bene ungi possunt, si habent lucidum intervallum, ut d. Th.[13]. In dubio autem an aeger habuerit unquam usum rationis, etiam ungendus est (intellige sub conditione) ut recte ait Croix [14] cum Rayn. Dian. Aversa etc. Et sic dicendum de ebriis deficientibus, nisi constet eos esse in mortali, ut Croix [15] cum Gob. et Lohn. ex rituali, ubi : *Impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis penitus* (sacramentum) *denegetur.* Possunt etiam ungi (ait Croix [16] cum Con. Tamb. et Lohn.) vulnerati in rixa, quia praesumuntur se conteri in illo extremo statu. Tempore autem interdicti vetitum est ministrari hoc sacramentum, ex *c. Quod in te, de poen. et remiss.*). Et si tales unctioni resistant, ligandos esse, vel fortiter tenendos, ait Tamb. ap. Diana [17] qui cum Barbosa [18] dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud sacramentum suscipere (Et huic congruit id quod addit rit. dicens: *Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino).*

» 3. Muti, surdi, et caeci a nativitate sunt capaces, atque adeo debent inungi prope organa sensuum, quibus

(1) L. c. (2) L. c. (3) Q. 23. (4) T. 6. p. 525. (5) Tr. 7. c. 3. p. 1. n. 3. (6) Sess. 14. can. 2. (7) N. 56. (8) N. 170. (9) L. c. (10) P. 475. (11) P. 3. n. 3. (12) N. 173. (13) Q. 32. a. 9. (14) N. 2111. (15) N. 2110. (16) D. n. 2110 (17) p. 3. tr. 3. r. 34. (18) De off. parochi. c. 22.

rarent, etsi exterius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent. Possev. Nald. Praep. Dian. [1] (Ita etiam s. Th. [2] et Salmant. [3] cum communi (contra Croix[4] cum Gob. etc.) et idem docuit s. Carolus Borrom. [5].

733. » 4. Non suscipere hoc sacramentum, per se loquendo, seclusoque scandalo et contemptu, non est peccatum mortale. Ita Suar. Laym. Tan. Escob. etc. (multo minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent). Veniale tamen esse docet Con.[6] contra Nugnum. Vide Dian.[7], qui notat ex Tann. non censeri contemnere, qui sciens prudens omittit tempore apto et oblata commoditate. Contrarium tamen vult Tol., praesertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas. »

Quaeritur an sit obligatio sub gravi suscipiendi hoc sacramentum.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Conc. [8] Merbes. [9] Habert [10] Roncag. [11], item s. Bonav. et p. Soto apud Escob.[12]. Diversa tamen hi aa. ratione utuntur; Ronc. quia videtur talis infirmus graviter delinquere contra caritatem sui ipsius. Alii vero, quia verba apostoli *Inducat presbyteros*, praeceptum inducunt.

Secunda sententia vero communis (ut fatetur ipse Merbesius) et satis probabilis negat, eamque tenent Suar.[13] Nav.[14] Bon.[15] Holzm.[16] Viva[17] Croix[18] Spor.[19] Elbel [20] Pal. [21] cum Palud. Covarr. et Dom. Soto Escob.[22] cum Cai. Sylvest. Vict. Arm. et Gabr. ac Salm. [23] cum Con. Sa Val. et Henr., item Estius Sylvius et Sambov. apud Habert [24] ex d. Th. [25] qui ait, sacramenta tam confirmationis quam extremae unctionis *non esse de necessitate salutis*. Ratio quia talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis huius sacramenti, cum non sit necessarium ad salutem, sed tantum utile et ad melius esse; neque ex praecepto divino, cum communiter theologi verba apostoli non interpretentur de praecepto, sed de consilio. Unde, cum hoc sacramentum sit tantum ad maiorem utilitatem institutum, non videtur caritas erga seipsum ad illud obligare sub gravi; caritas enim non obligat sub gravi praecepto ad id quod melius est. Hoc tamen non obstante, prima sententia etiam probabilis et omnino suadenda mihi apparet, non tam ratione praecepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione caritatis erga se ipsum; nam licet moribundus possit aliis praesidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte cum magna difficultate ad bonos actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriae tunc sunt debiliores, et ex altera vehementiores sunt (ut ait Tridentinum) daemonis insidiae; unde ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto, tamquam firmissimo praesidio in tanto conflictu.

Omnes tamen conveniunt quod per accidens posset infirmus peccare mortaliter omittendo suscipere hoc sacramentum, scilicet primo, si omitteret habens conscientiam peccati mortalis, et non posset aliud sacramentum recipere, ita communiter Pal.[26] et Salm.[27] cum Suar. Aversa et aliis passim; sed bene aiunt Suar. et Palaus, hunc casum vix accidere posse. Secundo, si omittendo scandalum daret, puta si ratione circumstantiarum inducerentur alii ad suspicandum quod ipse sit haereticus, vel ad nihili faciendum hoc sacramentum, ita Salm.[28] Holzm. [29] et Pal.[30] cum Suar. Sa Con. Lay. Bon. et communi. Tertio, ratione contemptus, ut communiter dd. praefati, et patet

(1) P. 5. t. 6 res. 11. (2) Q. 32. art. 7. (3) Tr. 7. c. 2. p. 5. n. 21. et 24. (4) N. 1375. (5) Act. Med. p. 4. (6) D. 19. dub. 10. (7) P. 5. t. 4. r. 170. et p. 3. t. 1. r. 53. et p. 5. t. 5. r. 97. (8) P. 20. n. 7. (9) P. 260. q. 10. (10) T. 6. p. 541. (11) P. 122. qu. 7 (12) N. 55. (13) Dist. 42. sect. 1. n. 2. (14) C. 22. n. 16. (15) P. 5. n. 10. (16) N. 51. (17) Art. 2. n. 4. (18) N. 2115. (19) N. 106. (20) N. 51. (21) Part. 3. n. 1. (22) N. 56. (23) Tr. 7. c. 4. p. 2. n. 10. (24) L. c (25) In 4. dist. 25. q. 1. art. 1. q. 5. ad 1. (26) P. 8. n. 5. (27) Tract. 7. c. 4. p. 2. n. 15. (28) Ibid. n. 12. (29) N. 51. (30) N. 5.

ex Trident. [1] ubi: *Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere . . . esse potest.* Utrum autem qui sciens et volens negligit hoc sacramentum suscipere, dicatur contemnere. Affirmant Merbesius et alii. Sed negant communius et probabilius Suarez [2] Salm.[3] Pal.[4] cum Sa etc., quia is tantum dicitur contemnere, qui illud negligit, quia parvi facit; non vero qui non vult suscipere ob aliquam repugnantiam, vel quia putat non esse in praecepto. Et huic congruit id quod dixit Martinus v. in bulla Constantiae edita (ut refert Merbes.[5]) ubi: *Hoc sacramentum* (nempe extremae unctionis) *neque negligi sine culpa, neque contemni posse sine peccato mortali.* Unde videtur pontifex satis expressisse quod contemptus huius sacramenti gravem quidem importet culpam, negligentia vero non plus quam levem. *Vide dicta de sacram. confirm. n.* 182. quae huic sacramento etiam congruunt.

Cap. II. De sacramento ordinis

Dubium I. Quid sit ordo, quotuplex et quae eius materia.

734. *Quid est sacramentum ordinis et quot sunt ordines. Et an prima tonsura sit ordo.*
735. *Quid sit ordinatio et quid ordo. Et quinam sint effectus ordinis. Definitio cuiusvis ordinis.*
736. *An singuli septem ordines sint sacramenta.*
737. *Sententia auctoris.*
738. *An episcopatus sit ordo distinctus a sacerdotio.*
739. *Quae sit materia* remota *et quae* proxima *huius sacramenti.*
740. *Dub.* 1. *An materia et forma ordinis sint a Christo in specie determinatae (Remissive ad n.* 12. *de sacram.).*
741. *Dub.* 2. *An valide ordinetur latinus per materiam graecis assignatam.*
742. *Dub.* 3. *An requiratur contactus instrumentorum.*
743. *Dub.* 4. *An contactus physicus.*
744. *An ab eodem episcopo debeat dici forma et tradi materia. Et an ab eodem qui confert ordines, debeat missa celebrari.*
745. *De materia cuiusque ordinis. An materia acolythatus sit traditio urceolorum vel candelabri.*
746. *Qu.* 1. *Quae sit materia et forma subdiaconatus. Dub.* 1. *An sit calix cum patena vel liber epistolarum.*
747. *Dub.* 2. *An calix et patena debeant esse consecrata. Et an peccet graviter subdiaconus ministrando in mortali. Remiss. ad n.* 58.
748. *Qu.* 2. *Quae sit materia et forma diaconatus.*
749. *Qu.* 3. *Quae sit materia et forma presbyteratus.*
750. *Dub.* 1. *An requiratur ad valorem traditio utriusque speciei, nempe vini et hostiae.*
751. *Dub.* 2. *An valide ordinetur qui tangit hostiam et non patenam.*
752. *Dub.* 3. *An qui tangit calicem et patenam, sed non hostiam.*
753. *Dub.* 4. *An qui tangit solum calicem, sed non patenam.*
754. *Clericus exercens munus ordinis maioris quem non habet, incurrit irregularitatem. Quid si sit laicus (Remiss. ad n.* 116.*).*
755. *De ordinatione episcoporum. Et an ad valorem requiratur trium episcoporum assistentia.*
756. *An episcopus possit conferre primam tonsuram extra suam dioecesim.*
757. *Quid agendum in dubio an ordo sit collatus.*
758. *Quomodo supplendi sint defectus in ordinatione commissi.*
759. *Et an supplendi tempore statuto ad ordinationes.*
760. *Quinam episcopus possit ordinare.*
761. *Quis sit minister ordinis.*
762. *Quaest.* 1. *An possit esse minister quivis sacerdos ex concessione papae. An etiam ad conferendum presbyteratum. Et an ad conferendum diaconatum et subdiaconatum.*
763. *Qu.* 2. *An abbates possint conferre tonsuram et ordines minores aut litteras dimissorias concedere subditis suis non religiosis.*
764. *Dub.* 1. *An possint ordines conferre suis novitiis.*
765. *Et an novitii debeant ordinari ab episcopo loci novitiatus etc.*
766. *Dub.* 2. *An abbates ordinantes non subditos, valide ordinent.*
767. *An conferens ordines minores in mortali, graviter peccet.*
768. *A quo episcopo ordinari debeant regulares.*
769. *Ordinatio saecularium fieri debet a proprio episcopo, alias etc.*
770. *Plura notanda ex bulla* Speculatores.
771. *Quid, si quis in una dioecesi habeat originem, in alia domicilium et in alia beneficium.*
772. *Quid, si quis casu alicubi nascatur*
773. *Quid, si quis habeat diversa domicilia.*
774. *Quando quis possit ordinari ab episcopo beneficii.*
775. *Dub.* 1. *An episcopus beneficii possit dispensare in interstitiis.*
776. *Dub.* 2. *An licite episcopus ordinet eum, cui confert beneficium ut possit eum ordinare.*
777. *Quid, si quis in diversis dioecesibus beneficia habeat. Et an studiosi contrahant domicilium.*
778. *Quid requiratur ut quis ordinetur ratione domicilii.*
779. *An barones eorumque filii gaudeant domicilio feudorum. An officiales domicilio loci ubi degunt.*

(1) Sess. 14. cap. 3. in fine. (2) N. 6. (3) Tr. 7. c. 4. p. 2. n. 11. (4) N. 5. (5) D. q. 10.

780. *Quomodo possit quis ordinari* ratione familiaritatis. *Et an hoc titulo possint ordinari famuli famulorum.*

734. « Resp. 1. Ordo est sacramentum quo traditur potestas circa eucharistiam rite administrandam. Ordines universim sunt septem: Ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus et sacerdotium. Quod rursus est duplex, minus et maius, sive episcopatus. Unde quidam octo numerant. Prima vero tonsura non est ordo, nisi late, sed tantum dispositio ad ordines, per quam quis fit clericus et capax beneficii ecclesiastici ac privilegiorum clericalium. (Ita s. Th. [1] Bon. [2] Pal. [3] Holzm. [4] cum Scoto et theologis communiter Salm.[5] cum Soto Trull. Nugno etc. et Barb. [6] cum Vasq. Fill. Reg. et aliis contra Cov. Fagn. et alios canonistas). Ratio quia Trid. [7] loquens de tonsura, ait: *Ut qui iam tonsura insigniti essent per minores ad maiores ascenderent.* Ergo tonsuram inter ordines non enumerat. Praeterea concilium [8] testatur hos solos ordines ab initio fuisse in ecclesia, nempe a diaconatu ad ostiariatum. Ex iis tres posteriores dicuntur maiores sive sacri, ob annexum votum solemne castitatis (etsi ordinatus per gravem metum, vel nimiis blanditiis, et importunitate parentum probabiliter eo non teneatur, nisi sponte ratificaverit. Sanch. [9] Az. Fill. [10] Con. [11] Bon. [12]. Reliqui minores, quos cum Vasquez alii sacramentum esse negant, alii cum Bell. Coninc. Fill. etc. communius et probabilius affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine, vel unitate attributionis. Vide Fill. [13] Bonac. [14]. »

Quod ordo sit sacramentum, definitum habetur in conc. Trid. [15] ubi: *Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum... anathema sit.*

735. Quaer. quid sit ordinatio et quid ordo? *Ordinatio* est actio illa per quam sacra potestas tribuitur. *Ordo* autem melius definitur cum s. Th.: *Est signaculum quoddam ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato* (adduntque communiter dd.) *in ordine ad eucharistiam.* Ordinatio autem est sacramentum, ordo vero effectus sacramenti.

Dicitur autem *ordo* ab effectu quem causat; ordo enim constituit ministros, qui duplicem peculiarem potestatem habent, unam *ordinis* erga corpus Christi reale et mysticum simul, nempe conficiendi eucharistiam et absolvendi peccata, alteram *iurisdictionis* erga corpus Christi mysticum tantum.

Additur recte *in ordine ad eucharistiam*, quia omnia alia ministeria non ad aliud communicantur, quam ad disponendos fideles, ut eucharistiam digne recipiant. Salm. [16].

Patet autem ordinem esse vere et proprie sacramentum, quia habentur in eo tria illa quae sacramenta constituunt: nempe 1. Signum externum, ex *Act.* 6.: *Et orantes imposuerunt eis manus.* 2. Promissio gratiae ad ministerium, dum habetur 1. *Tim.* 4.: *Noli negligere gratiam quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* 3. Habetur institutio Christi Domini ex eodem apost. *ad Ephes.* 4.: *Ipse dedit quosdam ... apostolos ... alios autem pastores et doctores... in opus ministerii.* Et ex *Lucae* 22.: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ubi licet tantum sacerdotium fuerit ordinatum, in ipso tamen eminenter contenta fuit ordinatio aliorum ministrorum qui sacerdotibus inserviunt.

Effectus huius sacramenti sunt: 1. Gratia sanctificans. 2. Gratia sacramentalis ad ministerium rite exercendum. 3. Impressio characteris.

De fide est in ecclesia plures ordines esse, ex Trid. [17]: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium, non esse in ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos velut per gradus quos-*

(1) Suppl. quaest. 40. art. 2. (2) Qu. un. p. 1. (3) P. 2. n. 2. (4) N. 48. (5) De ord. tr. 8. c. 1. dub. 2. n. 26. (6) De pot. ep. alleg. 2. n. 18. (7) Sess. 23. c. 2. (8) Ibid. c. 17. (9) Disp. 29. (10) L. 10. c. 4. qu. 5. (11) N. 158. (12) De matr. q. 5. p. 9. (13) Tr. 9. d. 1. (14) D. 3. q. 1. (15) Sess. 23. can. 3. (16) De sacram. ord. c. 1. p. 1. n. 8. (17) Sess. 23. can. 2.

dam in sacerdotium tendatur, anathema sit.

Singuli autem ordines sic definiuntur: et 1. Ostiariatus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi ianuam ecclesiae ac admittendi dignos excludendique indignos.* 2. Lectoratus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesia, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.* 3. Exorcistatus est *ordo quo alicui confertur specialis potestas eiiciendi daemonia.* 4. Acolythatus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni subdiacono inserviendi, accendendo cereos, praeparando et porrigendo illi ampullas vini et aquae.* 5. Subdiaconatus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni inserviendi diacono et solemniter canendi epistolam.* 6. Diaconatus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium.* 7. Presbyteratus sive sacerdotium est *ordo quo confertur alicui specialis potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, absolvendi quoque a peccatis et pascendi subditos opere ac doctrina.* 8. Episcopatus est *ordo quo confertur alicui specialis potestas confirmandi fideles et ordinandi ministros sacramentorum* (tò *ministros* sumendo latius, id est non solum pro iis qui sacramenta conficiunt, sed etiam pro iis qui conficientibus ex officio ministrant), *nec non consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.* Prima autem tonsura est *ritus solemnis ecclesiasticus, consistens in levi detonsione capillorum cum certis verbis, per ministrum idoneum celebratus, ex institutione ecclesiae significans masculum baptizatum a statu laicali in sortem Domini et statum clericalem transferri.*

736. Quaestio autem celebris est, an singuli septem ordines sint sacramenta. Adsunt quatuor sententiae:

1. *Sententia* universe affirmat et hanc docet d. Th. [1] quem sequuntur Sanchez [2] Bon. [3] Bellar. [4] Gonet [5] et Salm. [6] cum Gabr. Gran. Lez. et aliis pluribus.

2. *sententia* dicit solum sacerdotium esse sacramentum et sic tenent Durandus Caiet. et probabilem putant Sotus et Victor. apud Salm. [7].

3. *sententia* vero dicit esse sacramenta tantum tres ordines maiores, ita Nav. [8] et Sotus ac Vasq. ap. Salm. [9] atque probabilem putat Sanch. [10].

4. *sententia* demum dicit solum presbyteratum et diaconatum esse sacramenta et hanc tenent Tournely [11] Cabas. [12] et Habert [13] cum Gratiano Mag. sent. et Estio, ac probabilem vocant Salm. [14] cum Soto.

737. Circa has sententias meum proferam iudicium.

Sententia 1. est probabilis. Ratio quia Eugen. IV. in decreto ad armenos (quod affert Croix [15]) dicit materiam sacramenti ordinis esse illud, per cuius traditionem confertur ordo, et deinde explicat calicem cum vino et patenam cum hostia esse materiam presbyteratus, librum evangeliorum diaconatus, calicem vacuum cum patena vacua subdiaconatus, et res alias assignatas aliorum quatuor ordinum. Quo decreto cum praedictus pontifex declaret omnes ordines ultra sacros habere propriam materiam pro sacramento, consequenter declarat omnes alios ordines esse sacramenta. Nec obstat quod minister ordinationis sit solus episcopus, ut dicitur in Trid. [16]. Nam respondetur quod hoc intelligatur de ministro ordinario, non autem extraordinario, quem papa bene potest deputare ad huiusmodi ordines conferendos, ut dicunt Salm. [17] cum Soto Sanch. Pal. et aliis communiter ex d. Th. qui id expresse docet [18]. Et de facto habetur ex eod. Trid. [19] quod abbates possint or-

(1) 3. p. qu. 37. art. 2. ad 1. et art. 3.
(2) Cons. l. 7. c. 1. dub. 7. et 8. (3) P. 1. n. 2.
(4) De ord. c. 3. (5) D. 2. art. 1. (6) De ord. c. 1. dub. 1. n. 14. (7) Ib. n. 15. (8) C. 22. n. 13.
(9) Cit. n. 15. (10) De matr. l. 7. d. 31. n. 27.
(11) Prael. theol. de ord. q. 6. art. 2. 3. et 4.
(12) T. I. l. 3. c. 16. n. 3. (13) T. 7. p. 166. r. 5.
(14) De ord. c. 4. p. 2. n. 42. (15) L. 6. p. 2. n. 2123.
(16) Sess. 23. c. 4. et 7. (17) Ib. p. 1. n. 17. et 18.
(18) Suppl. q. 38. a. 1. ad 3. (19) Sess. 23. c. 10.

dines minores conferre; vide dicenda *n.* 763.

Sententia 2. quae dicit solum sacerdotium esse sacramentum, non est mihi et aliis communissime satis probabilis ex iis quae mox dicam, loquendo de quarta sententia.

Sententia 3. pariter ac prima est probabilis. Sed mihi probabilior est

Sententia 4. quae docet tantum sacerdotium et diaconatum esse sacramentum, non vero alios ordines.

Prima pars, quod non solum sacerdotium, sed etiam diaconatus sit sacramentum, probatur, quia in ordinatione diaconatus concurrunt tria, ut diximus, sufficientia ad sacramentum, nempe 1. Signum sensibile, scilicet impositio manuum. 2. Institutio divina; nam conc. Trid. definivit: *Si quis dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.* Per tò *ministris* saltem diaconi intelligendi sunt divina ordinatione instituti. 3. Concurrit promissio gratiae, quam significant verba episcopi: *Accipe Spiritum sanctum ad robur etc.* Quae verba habent rationem formae et vere producunt gratiam, ut scripsit Anastasius papa II.[1] apud Cabassut.[2] utque clare infertur ex Tridentino [3] ubi habetur: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra dicere episcopos: Accipe Spiritum sanctum ... anathema sit.* Ergo cum in ordinatione diaconatus iam dicat episcopus, *Accipe Spiritum sanctum etc.*, vere Spiritus sanctus datur, et per consequens verum confertur sacramentum.

Secunda autem pars, nempe quod alii ordines minores et subdiaconatus non sint sacramenta, probatur, quia pro his deest materia et forma sacramenti ordinis; deest quidem materia, quia deest impositio manuum quae est sola materia huius sacramenti, iuxta probabiliorem sententiam quam tenuimus *de sacram. in gen. n.* 12., et fusius probabimus hic *n.* 749. *Qu.* 3. Deest etiam forma sacramenti; in horum enim ordinum collatione nulla adest forma quae exprimat productionem gratiae, sed tantum fit mentio potestatis quae traditur. Nec obstat dicere quod nullus ex septem ordinibus iterari possit, ergo in singulis imprimitur character, quod imprimi non potest nisi per sacramentum. Nam respondetur, nec consecrationes ecclesiarum iterantur, neque ideo characterem imprimunt, nec sunt sacramenta. Nec obstat quod Clemens[4] dicat in ordinatione subdiaconorum hanc fieri orationem: *Tribue eis, Domine, Spiritum sanctum ut digne vasa Domini attrectare valeant.* Nam respondet Tourn. quod idem Clemens antea retulisset, eamdem dici orationem super diaconissis, quae certe sacramentum ordinis suscipere non poterant. Sed hodie haec oratio neque dicitur.

738. Quaeritur deinde. An episcopatus sit ordo distinctus a presbyteratu. Negant s. Thom. s. Bonav. et alii qui dicunt esse extensionem ordinis presbyteratus. Sed communius affirmant Bellarm. Tourn. [5] Habert Val. Aversa etc., tum quia in ipso traditur distinctus character et specialis potestas ad eucharistiam, nempe constituendi huius sacramenti ministros, tum quia ordo episcopatus confertur per manuum impositionem et per formam *Accipe Spiritum sanctum etc.* Nec valet dicere quod, si episcopatus esset distinctus ordo, posset episcopus valide saltem ordinare, licet non esset sacerdos; nam respondetur, quod hoc ordinatione divina requiratur, sicut requiritur ut sit baptizatus qui vult confirmari aut ordinari.

739. « Resp. 2. Materia *remota* ordinum est aliquod instrumentum traditum ordinandis in signum potestatis spiritualis, *proxima* est eiusdem traditio et acceptio, cuius contactum physicum et immediatum, etsi non esse essentialem aliqui probabiliter doceant

(1) In epist. ad Anast. imper. c. 7. (2) L. c.

(3) Sess. 23. can. 4. (4) L. 8. constit. c. 21.

(5) De ordine quaest. 6. art. 1. concl. 1.

cum Sa Henr. Reg. Laym. Diana [1] et aliis quos citat: contrarium tamen communius est ac tutius ut altera saltem manu tangatur, imo ex praecepto ad scrupulum vitandum, utraque manu; et quidem omnia, v. g. calix cum patena, haec cum hostia, ut docet Fill. idque simul cum prolatione verborum episcopi. Vide Laym.[2] Bon.[3] Diana[4]. »

740. Dubitatur hic 1. An materia et forma sacramenti ordinis fuerint a Christo Domino in specie determinatae. *Vide dicta de sacram. in gen. n.* 12. ubi diximus probabilius esse omnes materias sacramentorum et quoad substantiam etiam formas fuisse a Christo in specie determinatas, cum Iuen. Petrocor. Habert Concina Merbes. Contin. Tourn.[5] et aliis pluribus ex d. Thoma.

741. Dubitatur 2. An valide ordinaretur latinus per materiam graecis assignatam, nempe per solam manuum impositionem et e converso. Affirmant Suar. Vasq. Dic. Esc. apud Croix[6], quia cum ecclesia sit una, uniformia quoque debent esse sacramenta. Negat vero ipse Croix cum Arr. et aliis, quia ex determinatione ecclesiae materia graecis assignata non habet vim significandi id quod significat materia assignata latinis. Utraque est probabilis, sed prima est probabilior iuxta nostram sententiam allatam *eod. n.* 12. *de sacram. in genere*, ubi diximus solam manuum impositionem quae communis est tam grecis quam latinis esse materiam essentialem sacramenti ordinis, traditionem autem instrumentorum esse tantum materiam integralem. Si autem latinus ordinetur forma graece prolata, vel e converso, procul dubio valida est ordinatio, ut recte et communiter dicunt Lugo[7] Con.[8] et Croix[9] cum Suar. Caiet. et Dicast.

742. Dubit. 3. An attenta probabili sententia eorum qui dicunt ad valorem ordinationis requiri traditionem instrumentorum, omnino etiam requiratur illorum contactus ex parte suscipientis.

Prima sententia negat et hanc tenent Lay.[10] Nav.[11] Cai.[12] Diana[13], item Alb. Mag. Arm. Vict. Henriq. et Vasq. apud Pal.[14]. Ratio quia ad potestates et dominia rerum concedenda sufficit ut minister aut dominus tradat, et alter praesens ea acceptet sine contactu rei traditae.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent d. Thomas[15] Sanchez[16] Bon.[17] et Pal.[18] cum Val. Sa et Con. Ratio, quia Christus sic instituit conferri ordinem, prout suadent praxis ecclesiae et formae verba quae (ut ait d. Th.) *videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti*. Et haec sententia cum sit satis probabilis, omnino in praxi sequenda est, saltem in ordine presbyteratus et diaconatus; nam quoad alios ordines, probabile est non esse sacramenta, ut diximus *n.* 737.

743. Dubitatur 4. An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus instrumentorum. Negant alii, quorum sententiam merito putant probabilem Salmantic.[19] et Roncagl.[20]. Ratio quia, humano modo loquendo, hoc ipso quod aliquis rem alteri offerat et alter significet aliquo sensibili signo acceptare illam, iam censetur acceptare, esto non tangat. Affirmant vero cum sententia communiori Bonac. Ronc.[21] Viva[22] Elbel[23] Mazzotta[24] et Salm.[25] cum Soto Aversa et Trull. ac Escob.[26] cum Gran. March. etc. Ratio quia sicut in baptismo, confirmatione, et extrema unctione requiritur, ut suscipiens physice contingat materiam, ita in ordinatione; tum quia talis est usus ecclesiae, unde praesumitur sic Christus instituisse. Dices: Parvuli non possunt tangere materiam, saltem tactu voluntario, et tamen, si ordinentur, valide ordinantur, ut dicemus *n.* 782. Sed respondetur quod parvuli nec etiam con-

(1) T. 4. de sacr. n. 185. (2) L. 5. t. 9. c. 5. (3) D. 3. p. 1. punct. 3. (4) P. 3. t. 1. r. 40. et 42. (5) De sacram. in gen. cap. 2. art. 2. punct. 2. (6) L. 6. p. 1. n. 16. v. Inst. (7) D. 2. n. 107. (8) Qu. 63. (9) N. 30. (10) C. 5. n. 4. (11) Man. c. 22. n. 17. (12) Summa v. Ordinantium. (13) Part. 3. tr. 4. res. 185. (14) P. 4. n. 21. (15) Suppl. q. 34. a. 3. ad 3. (16) Cons. lib. 7. cap. 1. dub. 2. (17) P. 3. n. 11. (18) N. 22 (19) De ord. c. 2. p. 1. dub. un. n. 12. (20) P. 12. q. 3. r. 5. (21) Locc. cc. (22) Q. 7. (23) N. 13 (24) T. 3. p. 223. (25) Ibid. n. 14. (26) N. 184

tactum moralem possint adhibere, unde recte dicunt Salmant. quod ipsi tantum valide ordinentur, in quantum ordinatio ipsis est voluntaria voluntate ecclesiae, sicut eisdem est ablutio in baptismo. Et cum haec sententia sit etiam probabilis, recte dicunt dd. praefati, omnino in praxi tenendam. Merito autem dicit Esc. [1] sufficere quoad valorem, quod materia una manu tangatur. Et pariter merito cum communi censent idem Escob. [2] ac Pal. [3] Croix [4] cum Gob. et Salm. [5] cum Vasq. Con. Bon. et Aversa, sufficere tactum mediatum, nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur.

744. Notandum autem hic 1. quod in ordinibus sacris conferendis requiratur ut ab eodem episcopo qui formam profert materia tradatur, quia cum talis sit usus ecclesiae, sic censetur Christus instituisse, ita d. Thom. [6] Sanch. [7] et Salmant. [8]. Secus vero esse docet d. Thom. cum aliis cit. in collatione ordinum minorum. Notandum 2. quod si conferantur ordines ab episcopo, alio tamen celebrante missam pro ipso, valida erit ordinatio, sed illicita, prout declaravit s. c. gen. habita an. 1715. coram Clemente XI. et confirmavit Innocentius XIII. in congregat. die 5. februar. anno 1722. Ita refert n. p. Benedictus [9].

745. « Resp. 3. Ostiarius ordinatur traditione clavium ecclesiae, lector libri lectionum, exorcista libri exorcismorum, acolythus ampullarum vacuarum vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto, quia eius est praeparare lumen, vinum et aquam ad missam (An autem materia acolythatus sit traditio urceolorum vel candelabri. Respondetur esse utrumque cum s. Th. Salmant.[10] etc. contra alios. Character vero, iuxta sententiam affirmantium omnes ordines esse sacramenta, probabilius imprimitur in porrectione urceolorum, prout proximius ad sacrificium deservientium, ut Sanch. et Bonac. cum Salm. [11]). Subdiaconus traditione calicis vacui cum vacua patena superposita, quia illius est haec ad missam praeparare: diaconus impositione manus et traditione libri evangeliorum, quia eius est (Ministrare ad altare, ut habetur in pontificali) catechizare, cantare evangelium, et cum facultate parochi praedicare, baptizare, eucharistiam dare (In necessitate tamen iuxta *dicta n.* 116. *v. Certum et n.* 237. *Qu.* 1.). Sacerdos traditione calicis cum vino, et patenae cum pane, addita forma, qua datur potestas sacrificandi, deinde impositione manus, addita alia forma, qua datur potestas remittendi aliis peccata. Vide Fill. [12] Reg. Bon. Diana [13]. »

746. Quaeritur 1. Quaenam autem sit materia et forma subdiaconatus. Apud graecos est manuum impositio; apud latinos dubitatur 1. an sit calix cum patena, vel liber epistolarum. Alii dicunt materiam proximam esse solam traditionem calicis vacui cum patena, ex conc. carth. IV.[14] et florent.[15] cum sua forma: *Videte cuius ministerium vobis traditur, ita vos admoneo ut ita vos exhibeatis, quod Deo placere possitis.* Alii vero dicunt materiam pariter essentialem esse traditionem libri epistolarum, ut dicunt Escob.[16] et Filliuc. Dic. Aversa Med. Tann. etc. apud Croix [17]. Ratio istorum, quia adhuc speciale munus est subdiaconi solemniter epistolas legere. Negant hoc tamen Habert et Salm. [18] cum d. Th. Mag. sent. Vasquez Gon. Val. Bon. et Pal. qui dicit primam sententiam esse certam. Ratio quia nullo iudicio deprehenditur ecclesiam instituisse ritum illum, ut materiam necessariam huius ordinis: iam enim dicunt, per traditionem calicis et patenae sufficienter significari ministerium praecipuum subdiaconi, nimirum ministrandi diacono panem et vinum oblatum, ut sacerdoti tradat. His

(1) N. 184. (2) L. c. (3) P. 4. n. 20. (4) N. 2137. (5) Ibid. n. 19. (6) Suppl. qu. 38. art. 1. ad 2. (7) Cons. lib. 7. c. 3. dub. 3 (8) Ib. n. 22. (9) De synodo l. 8. c. 11. n. 7. (10) De ordine c. 3. p. 2. n. 17. (11) Ibid. (12) T. 9. c. 2. (13) P. 3. t. 4. res. 186. 187. et p. 8. l. c. (14) C. 3. (15) Sess. ult. §. 6. (16) L. 23. n. 170. (17) N. 2149. (18) De ord. c. 3. p. 3. n. 19.

tamen non obstantibus, censeo cum Croix [1] in praxi sententiam, nempe quod tam traditio calicis, quam traditio libri epistolarum sit materia proxima subdiaconatus, sequendam esse utpote non improbabilem.

747. Dubitatur 2. an calix et patena in ordinatione subdiaconatus debeant esse consecrata. Nulli dubium ex necessitate praecepti, sed negant Diana Bon. Henr. ex necessitate sacramenti ad valorem; sed affirmandum cum Pal. Dicast. Sylv. et Salm. [2] quia ministerium subdiaconi totum est circa vasa, et ideo debent esse proprie ecclesiastica sive sacra, ad differentiam sacerdotis initiandi, cuius ministerium, cum non sit circa vasa, non requiritur ut vasa sint consecrata, prout tenent Salmant. [3] cum Dicast. Et hoc Tamb. [4] dicit esse moraliter certum. Sed huic pariter contradicit Croix [5] cum Pal. Dicast. Sylvest. quorum sententia in praxi etiam sequenda videtur.

Ex dictis sequitur, munus subdiaconi esse tradere diacono calicem et patenam, item panem et vinum tanquam oblationes populi praesentare, deinde canere solemniter epistolam, etiam deferre crucem in processionibus.

An autem peccent graviter subdiaconi et diaconi solemniter ministrantes in mortali. Probabiliter negatur cum Vall. Vill. March. Diana et Salm. [6] contra alios, quia neque rem sacram conficiunt, neque operationes eliciunt quae ex opere operato conferant gratiam, cui ipsi obicem per peccatum ponant; peccabunt tamen saltem venialiter. *V. de hoc puncto fuse dicta de sacram. in genere n.* 38.

748. Quaeritur 2. Quaenam sit materia et forma diaconatus.

Prima sententia dicit esse solam traditionem libri evangeliorum cum sua forma: *Accipe Spiritum sanctum ad robur*, et hanc tenent Palaus [7] Bon. [8] et Vasq. Val. Regin. Vill. Diana et Trull. apud Escob. [9]. Atque huius sententiae videtur expresse esse d. Thom. [10] cum dicat: *In ipsa libri datione imprimitur character*. Ratio quia in concilio florentino sola traditio libri evangeliorum assignatur pro materia diaconatus. Et licet manuum impositio sit necessaria ex praecepto ecclesiae, tamen non est de essentia, cum sit ritus dumtaxat ab ipsa ecclesia, sive ab apostolis introductus, ut loquitur Gregor. XI. in *cap. Presbyter de sacram. non iterand.* ubi sic dicitur: *Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali* (*ritu ab apostolis introducto*) *recipiunt.*

Secunda sententia vero dicit esse solam impositionem manuum, et hanc tenent Iuenin. [11] Merbes. [12] Tournely [13] Habert [14] cum Morino et Becano, item Scotus s. Bonav. Caiet. et Durand. ap. Esc. [15]. Probatur 1. ex *Act.* 6. ubi cum sermo habeatur de ordinatione primorum diaconorum, tantum impositionis manuum fit mentio: *Orantes imposuerunt eis manus.* Probatur 2. ex concilio carth. IV. [16] ubi dicitur: *Cum diaconus ordinatur, solus episcopus manus super caput eius ponat.* Probatur 3. ex ritu ecclesiae graecae, in qua diaconi per solam impositionem manuum ordinantur. Probatur 4. ratione, quia illa est materia sacramenti, in cuius applicatione traditur Spiritus sanctus, nempe gratia sacramenti; cum vero in impositione manuum tradatur diaconis Spiritus sanctus, ut patet ex forma, *Accipe Spiritum sanctum ad robur etc.*, ideo sola impositio manuum est materia essentialis diaconatus; et quod revera in illis verbis, *Accipe etc.* tradatur Spiritus sanctus, clare (ut diximus) ostendit Trident. [17] ubi: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, anathema sit.* Nec obstat textus oppositus in dicto *cap. Presbyter;* nam (ut respondet Bellar. [18]) huiusmodi impositio manuum dicitur ab apostolis introducta, non quia ipsi

(1) N. 2149. (2) Ibid. n. 22. (3) Ibid. (4) C. 3. §. 2. (5) N. 2150. (6) Ibid n. 25. (7) P. 4. n. 10. (8) P. 3. n. 4. (9) L. 25. n. 165. (10) Suppl. q. 37. art. 5. ad 5. (11) T. 7. p. 589. (12) P. 295. q. 48. (13) Prael. theol. de ord. q. 6. art. 3. (14) C. 7. q. 5. (15) N. 167. (16) Can. 5. (17) Sess. 23. can 4. (18) De ordine c. 9.

ulam instituerint, sed quia acceptam a Domino primi executi sunt.

Tertia sententia vero dicit utramque (nempe traditionem libri et impositionem manuum) esse materiam essentialem, ita Bellarm. [1] Lugo [2] Petrocor. [3] Laym. [4] Holzm. [5] Salm. [6] cum Dicast. Gran. etc. ac Escob. [7] cum Con. Soto et Led. Ratio quia ecclesia ex potestate a Christo sibi tradita, quoad graecos determinavit materiam essentialem diaconatus esse solam impositionem manuum, quoad latinos vero, praeter impositionem, esse traditionem libri. His positis, dico primam sententiam esse probabilem, secundam probabiliorem, tertiam adhuc probabilem et ideo omnino in praxi sequendam, utpote spectantem ad valorem sacramenti.

749. Quaer. 3. Quaenam sit materia et forma presbyteratus. Adsunt pariter tres sententiae.

Prima sententia quam tenent Fagn. [8] Sotus [9], item Ang. et Nugnus apud Salmant. [10] dicit materiam esse solam traditionem instrumentorum, et formam verba illa quae profert episcopus in traditione instrumentorum, nempe: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.* Et hac sola materia et forma dicunt tradi potestatem tam sacrificandi quam absolvendi peccata. Probant ex decreto Eugenii IV. ad armenos (relato a Croix [11]) ubi dicitur: *Ordo presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Sed haec sententia communiter a dd. non est recepta. V. Salm. [12]. Decretum autem Eugenii quomodo intelligendum sit, infra explicabitur.

Secunda sententia quam tenent Bellarm. [13] Estius [14] Laym. [15] Holz. [16] Esc. [17] cum Scoto Con. et Henriq. ac Salm. [18] cum Vasq. Ledesm. Diana etc. dicit in ordinatione presbyteratus duplicem esse materiam essentialem, nempe traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super corpus Christi reale, scilicet sacrificandi, cum forma: *Accipe potestatem, etc.* ut supra; et impositionem manuum qua traditur potestas super corpus Christi mysticum, id est absolvendi peccata, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quod requiratur traditio instrumentorum cum forma: *Accipe potestatem etc.* probant ex decreto Eugenii supra relato, et ex d. Thoma [19] qui dicit: *In ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur.* Quod autem requiratur etiam impositio manuum, probant ex Scriptura [20] ubi dicuntur Paulus et Barnabas ordinati fuisse sacerdotes per impositionem manuum: *Tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Et quod forma huius impositionis manuum sint verba: *Accipe Spiritum sanctum etc.* probatur ex eodem Trid. [21] ubi declaratur per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, *nec frustra episcopum dicere: Accipe Spiritum sanctum.* Unde, cum impositione manuum dicitur ab episcopo: *Accipe Spiritum sanctum etc.*, tunc perficitur sacramentum, et eius gratia confertur.

Tertia sententia vero probabilior, quam tenent Iuen. [22] Conc. [23] et Petr. [24] cum s. Bonav. et Arc. ac Tour. [25] cum Martene Becano Menardo etc. dicit tradi utramque potestatem sacerdoti sacrificandi et absolvendi per solam secundam manuum impositionem. Dicitur *secundam*, nam in ordinatione presbyteratus episcopus ter manus imponit: Primo quando manus extendit nihil dicens; secundo quando una cum presbyteris extendit manus super initiandos et fundit preces; tertio quando post communionem dicit: *Accipe Spiritum sanctum etc.* Dicunt igitur utram-

(1) Dict. c. 9. (2) De sacram. d. 1. n. 101. (3) T. 4. p. 223. q. 4. (4) C. 3. n. 2. (5) N. 70. (6) De ordine c. 3. p. 4. n. 28. (7) N. 167. (8) In cap. Presbyter, de sacram. non iterand. (9) 4. d. 24. q. 1. art. 1. (10) Ibid. p. 5. n. 40. (11) N. 2123. (12) De ordine c. 3. p. 5. n. 41. (13) De ord. c. 9. (14) 4. d. 24. §. 24. (15) C. 5 (16) N. 70. (17) N. 158. (18) Ibid. n. 39 (19) Q. 37. art. 5. (20) Actor. c. 13. v. 3. (21) Sess. 23. can. 4. (22) T. 7. p. 589. (23) T. 10. p. 31. n. 4. (24) T. 4. p. 232. (25) Loc. cit. art. 2. concl. 2.

que potestatem tradi, non in prima (ut certum est apud omnes), neque in tertia; nam tertia iam supponit consecratos sacerdotes, dum ipsi cum episcopo iam consecrant eucharistiam, sed in secunda, quando episcopus extendit manus cum presbyteris, ut patet ex Tridentino[1] ubi: *Ministri extremae unctionis sunt, aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem* (nota) *manuum presbyterii*, hoc est, quae fit ab episcopo cum presbyteris assistentibus. Probatur 1. haec sententia ex Scriptura, ut supra, ubi de sola impositione manuum fit mentio. Dicit autem Tridentinum[2] quod sacrae litterae gravissimis verbis docent ea quae *maxime* in diaconorum et sacerdotum *ordinatione attendenda sunt;* ergo si sacrae litterae tantum de impositione manuum verbum faciunt, dicere debemus praeter manuum impositionem nihil aliud esse in ordinatione essentialiter necessarium, et hoc denotat verbum illud *maxime:* alia vero solum requiri tanquam partes integrales, nempe ad clariorem acceptae potestatis declarationem. Probatur 2. Quia graeci per solam impositionem manuum ordinantur: ergo si valida est ordinatio graecorum per solam manuum impositionem, ita etiam valida habenda est ordinatio latinorum, cum totus valor sacramentorum pendeat ab ipsorum materia et forma institutis a Christo Domino, qui (ut patet ex Script.) pro materia ordinationis impositionem manuum instituit. Accedit id quod advertit Bened. XIV.[3] ex doctissimo Martene, quod instrumentorum traditio non prius invecta sit quam a saeculo VIII. vel IX.; unde, si prius sacerdotes per solam impositionem manuum valide ordinabantur, cur non hodie?

Respondent aa. secundae sententiae, Christum instituisse materias et formas sacramentorum in genere, et reliquisse ecclesiae potestatem eas determinandi in specie, ac iustis de causis mutandi, modo adhibeat res et verba exprimentia cuiusque sacramenti effectum. Sed hanc sententiam in *tract. de sacram. in gen. num.* 12. asseruimus esse minus probabilem, et diximus Christum in specie determinasse materias et formas (quoad substantiam) omnium sacramentorum; non enim habetur (ut dicit praefatus papa Bened. XIV.[4]) unde sufficienter probetur quod Christus hanc potestatem ab adversariis suppositam tradiderit ecclesiae, imo oppositum potius eruitur ex Trident.[5] ubi dicitur, ecclesiam nullam habere potestatem circa sacramentorum substantiam (ad quam certe pertinent materiae et formae), sed tantum circa eorum dispensationem. Nec obstat quod Eugenius IV., ut supra, assignaverit pro materia presbyteratus traditionem instrumentorum cum forma: *Accipe potestatem etc.* Nam sapienter respondet idem papa Bened. XIV.[6] cum Morino Becano et Menardo Eugenium tantum ibi locutum fuisse de materia et forma integrali quam intendit tradere armenis qui optabant aggregari ecclesiae latinae, et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi iuxta ritum graecorum, quo prius ordinabantur, iam eam adhibebant. Unde dicimus Eugenium non quidem mutasse materiam et formam huius sacramenti, sed tantum impositioni manuum superaddidisse traditionem instrumentorum, tanquam partem integralem, ut diximus.

Iuxta autem hanc tertiam sententiam, quae ex intrinsecis fundamentis (speculative tamen loquendo) probabilior mihi videtur, discrepant praefati huius sententiae auctores in assignanda forma presbyteratus; alii enim, ut Petroc. (cui in parte consentit Lugo[7]) dicit esse verba quae proferuntur in traditione calicis et patenae: *Accipe potestatem etc.*, quia (ut ait) manet moralis connexio inter impositionem et praedictam formam in traditione instrumentorum. Verum Morinus et Tourn.[8] forte probabilius dicunt formam esse orationem

(1) Sess. 14. c. 3. (2) Sess. 23. c. 2.
(3) De synodo l. 8. c. 10. n. 5. (4) L. c. n. 10.
(5) Sess. 21. c. 2. (6) Loc. cit. n. 8.
(7) De sacram. dub. 2. n. 99. (8) Loc. cit.

quae in ipsa impositione dicitur ab episcopo, verba autem: *Accipe Spiritum sanctum etc.* quae dicuntur in tertia impositione, inquiunt esse tantum declarativa et confirmativa rei peractae, nempe Spiritus sancti iam collati in secunda impositione. Dixi autem *speculative loquendo* hanc sententiam esse probabiliorem, nam cum secunda sententia sit etiam probabilis, haec in praxi omnino sequenda est. Quapropter bene advertit Croix [1] quod ordinatio facta sine secunda manuum impositione tota repetenda sit, ut etiam declaravit s. c. apud Benedict. XIV. [2]. Ratio quia qui non accepit potestatem supra corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem super corpus Christi mysticum. Si vero ordinatio facta fuerit sine tertia manuum impositione, haec tantum supplenda est.

750. Sed hic, posita sententia in praxi tenenda, quod traditio instrumentorum sit etiam materia essentialis huius sacramenti, dubitatur 1. An sit de necessitate sacramenti, ut una cum calice et patena tradatur etiam utraque species, id est panis et vini. Negant probabiliter Bonac. [3] Sanchez [4], item Filliuc. Henriq. Diana Dicast. etc. apud Salmanticenses [5], et dicunt quod licet ex praecepto utraque species tradenda sit, tamen sufficiat ad valorem sacramenti ut una sola conferatur. Probabilius vero affirmant Holzman cum Tanner. Gobat. ac Sporer et Salmanticens. [6] cum Granad. Philib. Ledesm. Villalob. Aversa Diana (seipsum retractante) etc. Ratio quia per traditionem unius speciei non datur potestas directa ad totum sacramentum, et cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis (prout diximus de *eucharistia num.* 306.), et propterea non possit tradi nisi ad integrum sacrificium offerendum, sequitur quod si ad utramque speciem consecrandam non detur, ad nullam detur. Et cum haec sententia sit probabilis imo probabilior, omnino sequenda est in praxi, ut recte ait Croix [7].

751. Dubitatur 2. An valide ordinaretur qui tangeret hostiam et non patenam. Affirmant communiter Spor. [8] Tamb. [9] Holzm. [10] cum aliis, utque fere certum habent Vasquez Concin. Pal. et Schilder apud Croix [11]. Ratio quia hostia et vinum sunt materia substantialis sacerdotii, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex praecepto ecclesiae usurpatur calix et patena. Et idem consequenter dicunt Sporer et Tambur. [12] si tradatur calix cum vino et hostia ibi immixta vel imposita sine patena. Haec sententia revera videtur probabilissima. Sed La-Croix [13] refert, duos dd. a se consultos talem ordinationem iudicasse dubiam, et idem videntur sensisse Bass. [14] et Bonac. [15] qui dixerunt tutius esse *attingere immediate ipsam patenam et hostiam, iuxta ritum ecclesiae, ne ordinandus periculo se exponat non recipiendi ordines.* Etenim in decreto Eugenii assignatur pro materia presbyteratus *calix cum vino et patena cum hostia.* Et in pontificali dicitur: *Et cuppam calicis et patenam simul tangunt.* Quapropter Croix [16] (cui adhaeret Mazz. [17]) non immerito dicit consultum esse ut talis ordinatio repetatur sub conditione; quamvis enim prima sententia fere certa videatur, tamen Lugo [18], loquendo de sacramento baptismi, sic ait: *Licet sententia negans valorem sacramenti non aestimetur probabilis, nihilominus foret sufficiens motivum reiterandi, quia prudenter formidare possumus, ne forte sit probabile quod sit invalidum, aut saltem ne accedente iudicio plurium dd. id successu temporis fiat probabile.* Atque [19] tractans de sacramento ordinis, idem asserit, dicendo, quod esto quis quiescere posset in prima ordinatione propter aliquam sententiam aestimatam moraliter certam, tamen non peccabit, si stante sententia opposita aliorum pro

(1) N. 1245. (2) L. c. n. 15. (3) P. 3. n. 3. (4) L. 7. c. 3. d. 12. n. 17. (5) De ord. c. 3. p. 3. n. 45. (6) Ib. n. 47. (7) N. 2151. (8) N. 25. (9) L. 7. c. 5. §. 2. n. 5. (10) N. 30. (11) N. 2155. (12) Locc. cc. (13) Loc. cit (14) T. 1. v Ordo n. 2. (15) P. 3. n. 11. (16) Ibid. (17) T. 3. p. 229. v. Quaer. 2. (18) Resp. mor. l. 1. dub. 1. (19) Ib. dub. 35.

nullitate sacramenti, *ad maiorem animi quietem iterum sub conditione ordinetur, quod etiam episcopus licite in gratiam eius poterit facere*. Et ratio videtur esse, quia ipsa anxietas de dubio, modo sit vehemens, iusta est causa ordinationem sub conditione iterandi. Et idem sentit Croix [1] cum Gob., qui ait posse sacramentum baptismi iterari *propter dubium* non aperte vanum.

752. Dubitat. 3. An valide ordinetur sacerdos qui tantum calicem et patenam tangit, non autem hostiam.

Prima sententia negat et hanc tenent Habert [2], item Baucius atque Vill. apud Escob. [3], item Bernal. Faber et Ferdinand. apud Croix [4]. Hi dicunt hunc debere iterum sub conditione ordinari, ut a dubiis liberetur, et ab hac sententia non dissentiunt Bonac. et Bass. allati in *dub. praeced.* dicendo tutius esse attingere patenam et hostiam, *ne ordinandus periculo se exponat*.

Secunda sententia vero communis et verior affirmat et hanc tenent Sanch. [5] Wigandt [6] Gonet et Isamb. apud Habert [7] Mazzotta [8] Diana [9] et Salmant. [10] cum Vasq. Aversa Trull. etc. ac Esc. cum Led. Vega Marchino Vict. Nugn. Dicast. etc., item Scot. Val. Con. Sporer Rodr. et Gob. apud Croix [11]. Ratio, tum quia non praescribitur ab ecclesia tactus immediatus hostiae, sed tantum patenae, ut patet ex pontificali ubi sic habetur: *Pontifex tradit cuilibet calicem cum vino et patenam suppositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos; et cuppam calicis et patenam simul tangunt*. Tum quia vinum in calice contentum certe non tangitur immediate, ergo nec requiritur ut hostia immediate tangatur; unde tum ob has rationes, tum ob communem doctorum consensum bene dici potest haec sententia moraliter certa. Caeterum recte advertunt Salm. [12] curandum esse ordinando, tam calicem quam patenam et hostiam (quo melius) contingere, ut ab omni scrupulo se eximat.

753. Dubitatur 4. An valide ordinetur qui solum calicem immediate tangit, sed non patenam.

Prima sententia quam tenent Roncaglia [13] Croix [14] cum Pal. Dic. [15] et Mazzotta [16] dicit hunc reordinandum sub conditione, tum quia in pontificali, ut supra, praescribitur tactus tam calicis quam patenae, tum quia tactus patenae alias tunc esset potius moralis quam physicus.

Secunda sententia vero quam tenent Pal. [17] Esc. [18] Diana [19] cum Bauny et Io. Petit. Tamb. [20] cum Vasq. Val. Hurt. etc., item Conc. Aversa et Trull. apud Salmant. [21], dicit hunc esse valide ordinatum, quia calix et patena tunc moraliter faciunt unum. Et hanc sententiam Praepos. et Bosco apud Croix [22] vocant moraliter certam, ego tamen censeo eam tantum probabiliorem, sed primam non improbabilem, et ideo in praxi tenendam: quapropter dico, sub conditione talem clericum esse reordinandum.

754. Notandum quod carens ordine sacerdotii vel episcopatus, invalide exerceret eorum munera. Carentes autem aliis ordinibus, licite eos exercent, si ordines sint minores, illicite, si maiores. Hinc graviter peccat clericus qui sine ordine officium diaconi vel subdiaconi solemniter exercet et incurrit ipso facto irregularitatem et excommunicationem, sed hanc ferendae sententiae, ex *c. 1. et 2. de cleric. non ordin. min. Vide de hoc puncto dicenda l. 7. de irregul. n.* 360. Utrum autem eamdem poenam incurrant laici taliter ministrantes. *Vide dicta de sacram. bapt. n.* 116. *v. Sed dub.* 1. ubi negativam sententiam tutati sumus.

755. Hic aliqua libet adnotare de ordinatione episcopi, et 1. Episcopus non potest valide ordinari, nisi ab alio episcopo, ex apostolo ad *Hebr.* 7.: *Maior*

(1) N. 2145. (2) T. 7. p. 172. q. 2. (3) N. 188. et 190. (4) N. 2152. (5) Cons. 1. 7. c. 2. d. 2. n. 9. (6) Tr. 15. n. 11. et 45. (7) L. c. (8) T. 3. p. 229. (9) Part. 10. tr. 16. resol. 39. (10) De ordine c. 2. p. 1. dub. unic. n. 21. (11) Dict. n. 2152.

(12) L. c. (13) P. 125. q. 3. r. 3. (14) N. 2154. (15) De ordine n. 205. (16) T. 3. p. 229. (17) P. 4. n. 20. (18) N. 134. (19) P. 6. tr. 3. r. 19. (20) L. 7. c. 5. §. 2. n. 6. (21) De ord. c. 2. p. 1. dub. unic. n. 21. (22) L. c.

a minori non benedicitur. Ita Pal. Sanchez Vasq. etc. communiter cum Salmant.[1]. Ad talem autem ordinationem plura concurrunt, nempe impositio libri evangeliorum super scapulas ordinandi, unctio coronae ordinati et impositio manuum trium episcoporum, item tradictio baculi et annuli, ut Croix[2].

Utrum vero ad valorem exigatur trium episcoporum assistentia extra casum necessitatis. Certum est 1. quod haec requiratur ex necessitate praecepti, ex nicaeno I. *c.* 4. et carthag. II. *cap.* 7. Certum 2. videtur, ex commissione pontificis in casu necessitatis valide fieri ordinationem ab uno episcopo, ut asserunt Croix [3] Salm.[4] cum aliis fere communiter, contra Pal. et Aversa. Sic enim communiter dicunt fecisse apostolos cum episcopos ordinabant; et sic fecisse plures pontifices testatur Carden. et plures apud Croix[5] ubi adest etiam decretum s. c. quo dicitur talem ordinationem esse validam.

Ad quaesitum autem alii dicunt tres omnino requiri, et ita sentiunt Tour. [6] et Holzm. [7], item Bellarm. Vasq. Con. Pal. Barb. etc. apud Salm. [8]. Sic enim scripsit Damasus papa [9]: *Quod enim episcopi non sint, qui minus quam a tribus sint ordinati episcopis, omnibus patet*. Alii tamen negant ut Sanch. s. Anton. Az. etc. cum Salm. [10]. Ratio quia in pontificali rom. unus tantum episcoporum dicitur consecrator, alii vero assistentes; in aliis enim sacramentis unus tantum minister requiritur. Et probant ex can. 1. apostolorum apud Clem. ubi ex decreto Simonis apostoli dicitur: *Si aliquis ab uno episcopo ordinatus fuerit, is qui ordinatus est deponatur*. Si deponendus est, ergo est vere ordinatus. Utraque sententia est probabilis, unde in praxi omnino prima sequenda est, ut patet ex prop. 1. damnata ab Innoc. XI. Et ratio est, quia cum valde sit probabilis sententia (ut diximus *n.* 738.) episcopatum esse verum sacramentum distinctum a presbyteratu, tenemur utique in eius ordinatione tutiorem partem sequi ad vitandum damnum commune; nam alias sacerdotes ab hoc episcopo ordinati manerent dubie ordinati.

756. « 1. Potest episcopus extra dioecesim suis subditis conferre primam tonsuram, quia non est ordo. Bon. et alii cum Diana [11] contra Sanchez Barbosa etc. »

Sed hoc non est certum. Quaeritur igitur an episcopus possit conferre tonsuram in aliena dioecesi sine licentia episcopi loci. Negat Sanch.[12] cum Salzedo et Barbosa [13] cum Garcia Campanile Acunna et Narbona, quia in Trident.[14] vetitum est episcopis exercere pontificalia in aliena dioecesi sine licentia eius ordinarii, et cum prima tonsura sit ordo, ut putant, non potest conferri sine pontificalibus. Affirmant vero cum Busemb. ut supra, Bonac. [15] Tolet. [16] et Azor. Henr. Vill. Molf. etc. apud Barbos. et Lopez Barbat. ac Rebuff. apud Sanch.[17]. Ratio quia, cum sit sententia communior et probabilior inter theologos, quod tonsura non sit ordo, ideo bene potest et solet conferri privatim sine pontificalibus, ad quod non requiritur licentia episcopi loci.

757. « 2. Quando dubium occurrit an ordo sit vere collatus, v. g. quia materia fuit dubia, iterari potest et debet sub conditione. Quando vero sunt rationes utrinque probabiles pro nullitate et validitate, ait Diana[18] ex Gran. posse iterari sub conditione; imo debere, si sit episcopalis vel sacerdotalis, v. g. si sacerdos vel episcopus non tetigisset vasa sacra aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur character. Excipit tamen sacerdotem, qui immediate tetigit patenam, sed non hostiam. Eum vero qui non tetigit calicem et patenam, dum forma proferebatur, sed paulo post, posse quidem ad maiorem animi sui quietem sub conditione iterum ordinari, non tamen es-

(1) De ord. c. 4. dub. unic. n. 2. (2) N. 2148. (3) N. 2147. (4) De ord. c. 4. dub. unic. n. 4. (5) N. 2247. (6) Prael. theol. de ord. qn. 6. a. 1. de ministro etc. (7) N. 76. (8) Ibid. n. 6.

(9) Ep. 4. contra chorepisc. (10) Ib. n. 8. (11) P. 4. tr. 4. r. 143. (12) Cons. l. 7. cap. 1. dub. 30. n. 2. (13) In Trid. sess. 6. c. 5. de reform. (14) L. c. (15) P. 2. n. 5. (16) Lib. 1. c. 48. n. 6. alias c. 49. n. 4. (17) Locc. ce. (18) P. 5. t. 5. r. 47.

se necessarium docet Lugo[1]. Recte autem notat Diana[2], etiamsi quis timeat ne invalide ordinatus sit aut non recordetur se tetigisse sacra vasa aut se non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse ordinem, cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens ac rationabile dubium vel probabilitatem. »

758. Quaeritur quomodo supplendi sint defectus commissi in ordinatione. Distinguendum: Si defectus est circa accidentalia, nempe si defuerit unctio manuum presbyteri initiandi, tunc quamprimum suppleri debet ab eodem episcopo, si fieri potest: ita Sanchez [3] Elbel [4] Croix [5] ac Salmant. [6] cum Soto Trull. et Aversa. Alias taliter ordinatus, si non curaret huiusmodi defectum suppleri vel ante suppletionem in ordine suscepto ministraret, peccaret graviter, non vero incurreret irregularitatem, ut recte advertunt Salm. [7] et Sanch.[8] cum Sylv. Soto Tamb. Ang. et Arm. quia est irregularis qui ministrat in ordine quem non habet, sed hic vere ordinem habet. An autem qui ministraret ante suppletionem, quae fieri deberet, alicuius defectus dubie essentialis circa valorem ordinationis incurreret irregularitatem. Videtur negandum; nam qui est dubie ordinatus non potest dici absolute non ordinatus. Notandum autem hic 1. cum Salmant. [9] Sanch. et Soto hoc non intelligi quando defectus esset in re levi, sed tantum in gravi, nempe si defuisset unctio manuum, aut etiam, addunt Salmant. citantes Sanch., si presbyterandus non protulisset verba consecrationis cum episcopo, sed hoc non dicit Sanch., imo[10] tantum dicit quod si initiandus non dixerit canonem, talis caeremonia non esset repetenda. Notandum 2. cum Croix [11] et Aversa, quod si defectus fuerit occultus, occulte supplendus est, ad vitandum scandalum et turbationem aliorum.

Si vero defectus est circa essentialia, nempe circa materiam et formam, tanto magis est supplendus. Sed hic quaeres an totum sacramentum sit tunc supplendum. Resp. 1. Si sacramentum constet duplici materia et forma, ut in ordinatione sacerdotii (iuxta probabilem plurium sententiam), nempe calice cum vino, ac patena cum hostia atque impositione manuum; tunc si defectus est in parte antecedenti, nimirum in traditione calicis et patenae, utique totum sacramentum est iterandum, quia potestas supra corpus Christi mysticum fundatur in potestate supra corpus Christi reale; secus vero si defectus est in parte posteriori, quia potestas ad corpus Christi verum iam tradita est independenter a parte subsequenti. Ita Salmant.[12] Croix [13] et alii passim. Resp. 2. Si tantum pars materiae fuerit vel dubitetur an fuerit omissa in ordinatione sacerdotis et episcopi, totum equidem sacramentum est iterandum; hinc si tradita sit patena cum hostia et calix sine vino, ordinatio tota repeti debet tradendo utramque materiam, ut dicunt Elb.[14] et Croix [15] cum Aversa et aliis pluribus; sic omnino tenendum iuxta dicta *n.* 750. Dicunt autem Salm.[16] hoc quidem tenendum in ordinatione presbyteratus et episcopatus, non autem aliorum ordinum, quia in eis, si adest probabilitas pro valore ordinis suscepti, non requiritur suppleri defectum, cum in sacerdotio postea suscipiendo omnis illorum potestas recipiatur. Sed hoc non admittendum saltem pro ordine diaconatus, nam in *cap. Presbyter, de sacrament. non iterand.* loquens pontifex de ordinatione diaconorum, dicit quod si impositio manuum sit omissa, omnino sit repetenda, etsi probabile sit solam traditionem libri esse de essentia.

759. An autem huiusmodi defectus, tam essentiales quam accidentales, debeant suppleri tempore designato ad collationem ordinum. Salm.[17] cum Granad. etc. dicunt posse suppleri quo-

(1) Resolut. mor. lib. 1. d. 55. (2) Loc. cit.
(3) Cons. lib. 7. c. 1. dub. 15. n. 4. (4) N. 28.
(5) N. 2200. et 2201. (6) De ord. c. 2. p. 2. n. 25.
(7) Ibid. (8) Num. 5. (9) Ibid. n. 26.
(10) L. c. n. 5. (11) N. 2200. (12) Ibid. n. 51.
(13) N. 2204. (14) N. 28. (15) N. 2005.
(16) De ordine c. 2. p. 2. n. 52.
(17) De ordine c. 4. p. 5. n. 79

cumque anni tempore. Communius vero affirmant Croix [1] et Sanch. [2] cum Innoc. Panorm. et Arm. ex *cit. c. Presbyter*, ubi cum fiat sermo de impositione manus in ordinatione presbyteri vel diaconi, sic dicitur: *Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos caute supplendum quod per errorem extitit praetermissum.* Mihi autem videtur sic distinguendum: si defectus sit circa valorem sacramenti, tunc supplendus est tempore ab ecclesia statuto, ut censet secunda sententia, et hoc videtur non posse negari ex textu mox allato. Secus vero dicendum, si esset defectus accidentalis. Probabiliter vero dicit Tambur. [3] cum Gran. et Quintan. et Croix [4] cum Aversa et Gob. et aliis universim, ut asserit, quod si ob solum dubium iteretur ordo sub conditione vel caeremonia aliqua, poterit iterari quovis die et a quovis episcopo, eodemque die poterunt simul conferri ordines tam maiores quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem.

760. « Resp. 4. Episcopus non potest ordinare nisi subditos, vel ratione originis (si scilicet in eius dioecesi sint nati), vel ratione domicilii, ex voluntate istic perpetuo habitandi, vel ratione beneficii in sua dioecesi existentis. Diana [5] Layman Praep. etc. commun. (Vel, adde, ratione familiaritatis seu famulatus, ex Trid.[6] de quo *vide dicenda n.* 780. Ordinans autem non subditum sine licentia sui ordinarii, suspenditur per annum a collatione ordinum, ut habetur in *c. Nullus et cap. Eos qui, de temp. ordin. in* 6.). Quocumque autem horum modorum sint subditi, licite eos ordinat, ut habetur in *c. Cum nullus, de tempore ordin. in* 6. et ex communi. Henriq. Less. [7]. »

761. Notandum autem est 1. ex Trident. [8] definitum esse solos episcopos esse ordinarios sacramenti ordinis ministros, episcopus vero tantum electus et confirmatus, licet possit praebere licentiam subditis ut ab alio episcopo ordinentur, nequit tamen ordinare, nisi sit etiam consecratus; episcopus autem consecratus, etiamsi sit degradatus et episcopatum renuntiaverit, valide ordinare potest; est commune cum d. Th.[9] Salm.[10]. Sed hic plura sunt discutienda.

762. Quaer. 1. an pontifex possit praebere simplici sacerdoti facultatem ad conferendos ordines. Distingue: quod tonsura et ordines minores a quolibet sacerdote conferri possint ex commissione pontificis, est commune cum s. Th. Soto Sanch. Vide Salm. [11]. Negant tamen hoc communiter de presbyteratu, tamquam de ministerio excellentissimo qui a solo principe ecclesiae supremam facultatem habente, prout est episcopus, debet impertiri. Ita s. Th.[12] ac Palaus Aversa Nugn. et Granad. cum Salm. [13] contra Escob. [14] cum Innoc. IV. Vasq. Angl. Hurt. etc., qui dicunt nihil obstare quin papa possit simplici sacerdoti facultatem tribuere ordinandi etiam sacerdotes; et probant ex conc. antioch.[15] ubi, postquam dictum fuit chorepiscopos posse ordinare subdiaconos, statim additur: *Nec presbyterum vero neque diaconum audeant ordinare, praeter conscientiam episcopi*, id est ipso ignorante; ergo poterant ipso sciente et consentiente. Dicunt autem chorepiscopos esse simplices sacerdotes, in quo consentiunt Morinus et Thomassinus apud Tourn. [16]. Sed recte respondent idem Tourn. [17] Bonac.[18] et Pal.[19] cum Bellarm. Conc. et Laym. chorepiscopos fuisse vere episcopos, sed suffraganeos, qui non poterant ordinare sine consensu episcopi civitatis, et probant ex eodem concilio antioch.[20] relato a Tournely [21] ubi ante verba supra relata dicitur; *Qui chorepiscopi nominantur, quamvis ut episcopi consecrati sint etc.*

(1) N. 2200. (2) L. cit. n. 7. (3) L. 7. c. 5. §. 2. n. 13. (4) D. n. 2200. (5) P. 8. t. 2. res. 8. (6) Sess. 23. c. 9. (7) Lib. 2. c. 34. d. 19. (8) Sess. 23. can. 7. (9) Suppl. q. 3. art 2 (10) De ordine c. 4. p. 1. n. 13. 14. et 15.

(11) Ib. n. 19. (12) D. q. 38. a. 1. (13) Ib. n. 9. (14) N. 228. (15) Can 10. (16) Prael. th. de ord. quaest. 6. art. 1. de chorepisc. v. Una. (17) Ibid. (18) P. 4. n. 3. (19) P. 14. n. 9. (20) D. can. 10. (21) Loc. cit.

Quaestio igitur est de diaconatu et subdiaconatu. Alii affirmant ut Croix[1] Holzman[2] cum Vasq. Tann. Henno et Herinc. Ronc.[3] cum Diana Pal.[4] cum Victor. et Maior. et Escob.[5] cum Rodr. Trull. Hurt. Gab. Aversa Ang. etc., et probant ex indulto concesso abbatibus cisterciensibus ab Innocent. VIII. ann. 1489. cuius bullam testantur observasse Victor. Vasquez et Rodr. apud Frassen. qui refert verba bullae, nimirum: *Ne monachi pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra claustrum discurrere cogantur, tibi et successoribus ut religiosis subdiaconatus et diaconatus ordines conferre possitis, auctoritate apostolica indulgemus.* Alii vero negant ut Sotus Bellarm. Gon. etc. cum s. Th. qui expresse docet[6] papam non posse committere simplici sacerdoti ut maiores ordines conferat. Alii demum probabiliter cum Salm.[7] Led. Gran. Aversa Suar. etc. negant de diaconatu, cuius ministerium est immediate ad corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo; affirmant vero de subdiaconatu, quia eius munus non habet relationem tam immediatam ad Christi corpus. Neque huic obstare dicunt Salmant. doctrinam d. Thomae, nam (ut aiunt) s. doctor tantum ibi exclusit ordines maiores, qui semper in ecclesia pro sacris habiti sunt, ut infertur ex verbis ipsius Angelici, qui loquitur de ordinibus, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi; sed notum est (ut ostendit Tourn.[8], utque diximus *l.* 3. *n.* 831.) quod ordo subdiaconatus non fuerit computatus inter sacros, nisi saeculo XI. ab Urbano II., ut habetur in *cap. A multis, de aetate et qualit. praefic.*, neque subdiaconatus immediatam habet relationem ad corpus Christi; ut loquitur d. Thomas; soli enim sacerdotes possunt eucharistiam conficere, soli diaconi eam deferre aut ministrare. De indulto autem concesso cisterciensibus conferendi etiam diaconatum, dubitant Salm.[9] cum pluribus aliis; vel censendum dicunt in hoc papam secutum fuisse probabilem opinionem eorum qui dicunt in hoc bene posse pontifices dispensare.

763. Quaer. 2. An abbates possint conferre tonsuram et ordines minores aliis, quam sibi subditis regularibus. Olim bene poterant ex privilegio eis concesso in VII. synodo, ut habetur in *cap. Quoniam, dist.* 69. Attamen Trid.[10] sic sancivit: *Abbatibus ... non liceat in posterum ... cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre ... non obstantibus quibusvis privilegiis ... consuetudinibus etc.* Hoc tamen decreto non obstante, dicunt Escob.[11] Sanch.[12] cum Cov. Archid. Felin. etc. ac Salmant.[13] cum Molf. Leand. et Aversa probabilissimum esse, abbates (saltem primates qui episcopalem habent iurisdictionem, ut limitant iidem Sanchez[14] et Salm.[15] cum Molf. Aversa etc. contra alios qui cum Escob. omnibus abbatibus id concedunt) posse etiam hodie ordines minores conferre non solum sibi subditis, sed adhuc saecularibus, qui litteras dimissoriales a suis praelatis acceperint. Admittunt vero Salm.[16] cum Laym. Azor. Tamb. Leand. etc. quod abbates mitrati et ab episcopo benedicti vel potestatem habentes pontificalia exercendi, ut ait Philib. apud Salm.[17] possint ordinare saeculares sibi subditos vel alios habentes litteras dimissorias a suis praelatis, quia hi ratione licentiae suorum praelatorum iam fiunt subditi praedictorum abbatum. Et sic testantur pluries decisum fuisse a s. c. Barbosa Diana et alii apud Salm.[18]. Sed omnes istae opiniones hodie non sunt amplius probabiles, dum in decreto sacr. congr. conc. edito 17. ianuar. an. 1642. (quod referunt in extensum Croix[19] et Fagn.[20] et de quo etiam mentionem facit Be-

(1) N. 2212. (2) N. 85. v. Dices 3. (3) P. 125. c. 2. qu. 1. (4) P. 14. n. 10. (5) N. 225. (6) 3. p. q. 3. a. 1. ad 5. (7) De ord. c. 4. p. 1. n. 23. (8) Loc. cit. q. 6. a. 4. (9) N. 29. (10) Sess. 23. c. 10. (11) N. 210. (12) Cons. l. 7. c. 1. dub. 19. n. 20. (13) De ord. c. 4. p. 2. n. 55. (14) N. 25. (15) L. c. (16) Ib. n. 53. (17) De ord. c. 4. p. 2. n. 52. (18) Ib. n. 53. (19) N. 2190 (20) In cap. Aqua, de consecr eccl. a n 8. ad 19.

ned. XIV. [1]) approbante Urbano VIII. et inviolabiliter observari iubente, statutum fuit, reprobata omni contraria opinione, abbates benedictinos congr. cassinensis seu alterius congregationis vel ordinis aut instituti, habentes etiam iura episcopalia et facultatem ordines minores conferendi, non posse ordinare, praeter suos subditos regulares, alios sive regulares sive saeculares, etiam habentes dimissorias a suis ordinariis. Et ibi imponitur suspensio tam ordinantibus quam concedentibus dimissorias, si aliter egerint. Item hic notandum quod eadem s. c. die 17. decemb. 1718. (ut refert idem Bened. XIV.[2]) declaraverit in quadam causa abbatis s. Rufilli, quod etiamsi constaret de territorio separato in quo praedictus abbas habebat iurisdictionem quasi episcopalem, non posset concedere litteras dimissorias suis subditis, eo quod obstabat Trident. [3] ubi dictum fuit: *Nec ipsi abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias ... clericis saecularibus ut ab aliis ordinentur, concedant, sed harum ... ordinatio ad episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat.* Sunt tamen excipiendi (ut advertit praefatus Bened. XIV. [4]) aliqui abbates qui ex privilegio speciali post Tridentinum obtento possunt suis subditis saecularibus litteras dimissorias concedere, ut sunt abbas cassinensis ex privilegio Sixti V. et abbas cavensis ex privilegio Pauli V. et alii qui sunt adnotati in cancellaria cardinalis Urbis vicarii.

An autem abbates non existentes in aliena dioecesi, sed habentes propriam et omnem iurisdictionem episcopalem, possint dare dimissorias suis subditis saecularibus. Affirmant apud Croix [5] Aversa cum Molfes. qui affert declarationem s. c. et Marchin. qui affert decisionem rotae. Sed p. Zaccaria[6] refert oppositum sancitum fuisse alias tam a s. c. quam a s. rota. Caeterum abbates qui possunt ordines minores conferre ex privilegio bene etiam possunt dare dimissorias, ut de mandato Clem. VIII. censuit s. c. apud eumd. Croix [7].

764. Hic dubitatur 1. An abbates qui possunt suos subditos regulares et professos ordinare, possint etiam ordinare novitios suos. Negant Palaus [8] et Barbosa Sayr. Rodr. etc. apud Escob. [9], quia novitii non possunt dici proprie regulares et subditi, dum ad saeculum libere possunt redire. Sed probabilius affirmant Layman [10] Sanch.[11] Escob.[12] cum Suar. et Salm. [13] cum Leand. et Pell. et probabile putat Croix [14], quia nomine regularium in favorabilibus veniunt etiam novitii.

765. An autem tales novitii debeant ordinari ab episcopo loci novitiatus, an vero originis aut domicilii. Suarez et Henr. apud Croix[15] tenent ordinandos esse ab episcopo originis vel domicilii. Sed Sanch.[16] Pal.[17] et Delbene[18], et idem tenet Fagn. cum aliis[19], censent bene posse ordinari ab episcopo loci ubi est novitiatus, quia novitii ibi degentes iam habent animum ibi perpetuo manendi. Utraque sententia est probabilis, ut recte dicunt Croix[20] et Mazzotta[21]. Modo (omnino addendum dico) novitius per notabile tempus iam manserit in novitiatu et iuramentum praestet ibi (quantum in se est) perpetuo manendi, iuxta dicenda *n.* 770. *ad* 5.

776. Dubit. 2. An abbates ordinantes non subditos valide ordinent. Negant Suar. Aversa cum Croix [22]. Sed verius affirmant Sanch. Pell. Tambur. etc. cum Salm. [23], quia talis facultas iam invenitur abbatibus concessa in corpore iuris ex *d. c. Quoniam*, *dist.* 69. Concilium autem Trident. et decretum s. c. supra relatum videntur interdixisse tantum exercitium talis facultatis, qua de re abbates illicite ordinant, sed non invalide. Et sic (ut re-

(1) De synodo l. 2. c. 11. n. 12. (2) N. 15. (3) Sess. 23. c. 10. (4) N. 16. (5) L. 6. p. 2. n. 2254. (6) Ibid. (7) Loc. cit. n. 2236. (8) N. 14. (9) N. 211. (10) C. 9. n. 2. (11) Dec. l. 6. c. 10. n. 22. (12) N. 215. (13) De ord. c. 4. p. 2. n. 39. (14) N. 2199. (15) Ib. (16) Dec. l. 4. c. 39. n. 20. (17) P. 11. n. 8. (18) Dub. 3. sect. 8. n. 7 (19) In c. Cum inter vos, de sent. et re iud. n. 8. (20) L. c. (21) T. 3. p. 242. (22) N. 2[illegible] (23) De ord. c. 4. p. 2. n. 40.

fert Bened. XIV.[1]) declaratum fuit a s. c. die 23. nov. 1641. et confirmatum die 16. martii 1726. ubi dictum fuit huiusmodi ordinatos ab abbatibus privilegium habentibus indigere tantum absolutione et rehabilitatione a sede apostolica, sed non reordinatione, tamquam valide ordinatos. Idque magis patet ex decreto approbato ut supra ab Urbano VIII. ubi imponitur suspensio ordinatis ab huiusmodi abbatibus, ergo ipsi iam habentur pro valide ordinatis.

767. Notandum 2. probabile esse ministrum conferentem in mortali ordines minores non peccare mortaliter, quandoquidem satis probabile est quod tales ordines non sint sacramenta iuxta dicta *n.* 736. Certum est autem quod tam conferens (etiam ordines minores) innodatus aliqua censura, graviter peccabit et incurret irregularitatem exercens actum ordinationis, quam suscipiens cum censura pariter peccabit et incurret suspensionem ab ordine suscepto. Vide Salm. [2].

768. Notandum 3. Regulares ex *cap. Cum nullus,* §. *fin. de temp. ord. in* 6. debere suscipere ordines ab episcopo, in cuius dioecesi est monasterium, ubi tunc commorantur. Et quamvis s. Pius V. concesserit privilegium religiosis ut possent ordinari ab alio quam ab episcopo loci ubi degunt, attamen (ut refert Conc. [3]) Gregorius XV. hoc privilegium revocavit, hancque revocationem confirmarunt Clemens VIII. et Benedictus XIII. in bulla *In Suprema*, edita 23. septembris 1724. et novissime n. p. Benedictus XIV. in bulla quae incipit, *Impositi nobis*, an. 1747. Item notandum quod s. c. (ut refert Ronc.[4]) de mandato Clem. VIII. edidit decretum ubi declaratum fuit quod si ille episcopus non habeat ordinationem, tunc superior poterit subditis dimissorias dare ad quemcumque alium episcopum: praecipitur tamen ibi regularibus, ne ex industria differant ordinationes suorum subditorum in id tempus quo episcopus dioecesanus non est habiturus ordinationem vel abfuturus est, contra id quod ait Gob. apud Croix[5]. Et praecipitur observantia huius decreti sub poena privationis vocis et officii. Haec omnia confirmavit Bened. XIV. in mox citata bulla, et insuper statuit quod si episcopus dioecesanus fuerit absens vel non habuerit ordinationem, non possit religiosus ab alio ordinari, nisi ostendat attestationem vicarii generalis, cancellarii aut secretarii eiusdem episcopi; alias tam ordinans quam sic ordinatus incurrunt censuras et poenas quas incurrunt qui ab aliquo episcopo ordinantur sine dimissoriis. Item statuit quod talis regularis examinari debeat ab episcopo ordinante. Item quod privilegia alicuius ordinis ut eius religiosi ordinentur a quocumque episcopo debeant esse nominatim, non vero per communicationem. Item quod regulares nequeant alio discedere ut ordinentur, et postea redire ad pristinum domicilium ad hoc ut examinentur ab episcopo loci. Dicit autem Roncaglia cum Fag. et Passer. quod si monasterium sit in loco nullius dioecesis, possint eius religiosi ordinari ab episcopo viciniore. Omnes autem regulares exempti a praelatis suis dimissorias accipiunt. *Vide dicenda n.* 790.

769. Notandum 4. Ad licite ordines suscipiendos requiritur ex Trid. [6] ut initiandus (etiam prima tonsura, ut dd. communiter intelligunt, cum Salm. [7]) ordinetur a proprio episcopo vel ab alieno, sed de eius licentia. Sin autem, ipse peccat graviter et suspenditur ab exercitio ordinis suscepti, donec proprius episcopus voluerit, et ordinans incurrit suspensionem a collatione ordinum per annum; et interim, si suspensio sit notoria, sive de facto sive de iure, sui subditi clerici (non autem laici) possunt ordinari sine eius licentia *ab episcopis vicinis*, ut expressum habetur in *c.* 2. *de Temp. ord. in* 6.

770. Hic autem maxime advertere oportet ea, quae statuuntur super hac

(1) De synodo l. 2. c. 11. n. 13. (2) De ord. t. 1. p. 5. n. 71. (3) P. 35. n. 10. (4) C. 2. c. 5. (5) N. 2195. (6) Sess. 23. c. 5. et 8. (7) De ord. c. 4. p. 5. n. 45.

materia in bulla *Speculatores*, edita an. 1694. ab Innoc. XII. quam in extensum affert Croix [1] et sunt sequentia :

1. Non sufficit, quod quis statim ab aliquo episcopo beneficium sit acceptur us, ut ab eo ordinari possit, vel primam tonsuram accipere.

2. Initiatus tonsura vel minoribus a proprio episcopo, non potest ulterius ordinari ab alio titulo beneficii, nisi exhibitis prius litteris testimonialibus episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate et moribus.

3. Nulli episcopo etsi cardinali liceat externum, sibi non subditum ratione originis vel domicilii, ad clericalem tonsuram promovere praetextu cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim conferendi, seu ad quod a patronis praesentatus seu nominatus fuerit. Praeterea, ut quis possit ordinari titulo beneficii ab episcopo non proprio, requiritur ut beneficium actu possideatur, et de se sufficiat ad congruam sustentationem sine supplemento patrimonii. Quare non bene Salm. [2] cum aliis dicunt sufficere beneficium etiam tenue pro titulo ad suscipiendos ordines. Quamvis (ut recte notat Croix [3] cum Bon. Barbos. et communi, contra Less. etc.), quoad alios effectus, sufficiat quodcumque tenue beneficium, ut quis subditus fiat. Unde autem desumatur congruitas beneficii quoad effectum ordinationis, *vide dicenda num.* 815. *v. Not.* 1.

4. Qui fortuito nascitur alicubi, debet ordinari ab episcopo loci, ubi pater natus est (nisi pater postea ibidem, ubi natus est initiandus, contraxerit domicilium). Debet tamen obtinere litteras testimoniales, si illic ubi natus est tamdiu moratus sit ut ibi potuerit contrahere impedimentum. Sicut pariter indiget testimonialibus episcopi originis, qui in loco suae originis similiter impedimentum contrahere potuerit.

5. Ille tantum censendus est subditus ratione domicilii, qui aliquo venit animo perpetuo ibi manendi, et hunc animum probet vel per habitationem decennii, vel per aedificationem domus cum asportatione maioris partis bonorum, manendo simul ibi per aliquod notabile tempus, debetque iurare se hunc animum tunc habere.

6. Ut episcopus possit aliquem ordinare titulo familiaritatis, oportet ut per triennium eum aluerit secum in suo actuali servitio, eidemque intra mensem conferat beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, cum testimonialibus episcopi originis et domicilii.

7. Episcopus originis sive domicilii potest a suis subditis, etiam cum sua dimissoria ab alieno episcopo ordinatis, petere ut intra aliquod tempus exhibeant ordinum susceptorum testimoniales, in quibus inseratur observata esse, quae in hac bulla praescribuntur, alias potest eos suspendere ab exercitio suscepti ordinis.

771. « 1. Qui in una dioecesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, a quovis trium illorum episcoporum potest ordines vel dimissorias accipere. Praepos. [4] Layman [5] Diana [6] qui cum Aversa et aliis 3. contra Barb. dicit, etsi ab uno eorum acceperit ordinem unum, posse alterum ab alio accipere (*Vide dicta n. praeced. v.* 2.).

772. » 2. Potest quis ordinari ut originarius, ubi ipse vel pater eius est natus. Barb. Zerol. Aversa et alii novem cum Diana [7]. Non tamen ordinari ab episcopo, in cuius dioecesi natus est fortuito, v. gr. quia mater ibi itineris vel negotiorum causa degebat, quia non contrahit ibi ius originis, sed ubi parentes domicilium habent, ibi enim natus esse censetur. Sanch. et alii octo cum Diana [8] contra Hurtad. (*Vide num. praeced. v.* 4.).

773. » 3. Qui in diversis episcopatibus habet duo domicilia, in quibus aequaliter, etsi non mathematice, habitat, potest ab utriuslibet loci episcopo or-

(1) N. 2165. (2) De ord. c 4. p. 5. n. 51.
(3) N. 2177. (4) Qu. 1. d. 14.
(5) L. 5. t. 9. c. 9. (6) P. 8. t. 2. r. 8. et 9.
(7) Ibid. r. 12. (8) Ibid. r. 11.

dinari, quia utrique est subditus ratione domicilii. Praepos. [1] Sanch. Aversa etc. cum Diana [2]. Eius tamen filius ab illo tantum in cuius dioecesi est natus. Quod si fortuito extra utriusque dioecesim sit natus, ab utrovis potest ordinari, quia uterque censetur eius episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno quam de alio. Praepos. Diana [3]. Natus autem ex fornicatione, matris potius quam patris domicilium sequitur. Praep. Diana [4]. »

774. Potest quis ordinari ab episcopo beneficii, licet beneficium sit simplex, modo sit perpetuum, et initiandus illud iam possideat. Et idem dicitur de habente commendam perpetuam quae transeat in titulum. Ita Sanchez Trull. Av. Phil. etc. cum Salm.[5] communiter. Dicunt Tamb. [6] cum Diana et Bord. ac Salm. [7] cum iisdem auctoribus, quod sufficiat beneficium etiam tenue; sed hoc expresse reprobatur in d. bulla *Speculatores num.* 770. *ad v.* 3., ex qua requiritur beneficium sufficiens ad sustentationem de se, sine supplemento patrimonii, vide apud Croix [8]. Et hic notandum cum Croix [9] non sufficere titulum servitii-mensae vel ecclesiae aut missarum, quia revera haec non sunt beneficia. An autem ex beneficio detrahenda sint onera missarum; s. c. (ut refert Bened. XIV. [10]) die 17. iulii an. 1723. respondit, id relinquendum arbitrio et conscientiae episcopi. Nota vero, quod in nostro regno beneficium, ut quis possit cum eo ordinari, debeat ascendere, detractis oneribus, saltem ad medietatem taxae statutae pro patrimonio. *Vide infra n.* 830.

775. Sed dubit. 1. An episcopus beneficii possit dispensare in interstitiis cum aliquo, eodem modo quo posset dispensare cum eo episcopus domicilii. Negant Navar. et alii, sed verius affirmant Barb. [11] et Salm. [12] cum Garc. et Trull. quia, cum talis ordinandus iam fiat subditus episcopi beneficii quoad ordines, fit etiam subditus quoad omnia concernentia ordines, modo, intelligendum, accedat necessitas vel utilitas (respective ad ordinem qui confertur) ecclesiae, cui ordinandus adscribitur, iuxta dicenda *n.* 795.

776. Dubit. 2. An rite episcopus ordinet aliquem, cui ideo contulit beneficium, ut possit eum ordinare. Negant Quaranta Barb. etc. apud Salm.[13], quia talis collatio esset in fraudem. At valde probabile est quod possit, ut tenent Tamb. [14] cum Leandr. Bord. Diana et aliis, et huic sententiae favent Salm.[15] cum Trull. Ratio quia nullo modo fraudat legem qui utitur iure suo, ex *reg. iuris in* 6.: *Non censetur dolo facere qui utitur iure suo*. Habetur autem in *cap. Cum nullus de temp. ord.* quod indistincte concessum sit episcopis ordinare alienos ratione beneficii.

777. « 4. Qui plura habet in diversis dioecesibus beneficia, potest a quolibet illorum episcoporum ordinari. Garc. Praep.[16] Diana [17] (Idem dicunt Salm. [18] cum Pal. Trull. etc. In expositis autem spectatur locus in quo expositi sunt. Salm.[19]).

» 5. Studiosi qui in universitate habitant, etiam ultra decennium, animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque ideo ab eius loci episcopo ordinari non possunt. Imo si isthic ducant uxorem, nec filii eorum; sicut enim is non dicitur episcopus domicilii respectu patris, ita nec episcopus originis respectu prolis quae nata fingitur in domicilio patris. Diana [20]. »

778. Notandum 1. quod, licet ad alios effectus, etiam ad suscipienda sacramenta, ut domicilium acquiratur, sufficiat quod quis incipiat alicubi habitare animo ibi perpetuo manendi, ad effectum tamen suscipiendi ordines, ultra praedictum animum, requiruntur alia in bulla *Speculatores* enumerata *d. n.* 770. *v.* 5. et praecipue iuramentum de ipso animo perpetuo ibi manendi.

Notandum insuper quod, ut quis or-

(1) Loc. cit. (2) P. 8. t. 2. r. 10. (3) L. c.
(4) Loc. cit. r. 18. (5) De ord. c. 4. p. 3. n. 51.
(6) De ordine c. 3. n. 21. (7) Cit. n. 51.
(8) N. 2168. (9) N. 2178. (10) Notif. 26. n. 6.
(11) Alleg. 4. n. 54. (12) Ib. n. 53. (13) De ord. c. 4. p. 3. n. 54. (14) De sacr. ord. c. 3. n. 21
(15) Cit. n. 54. (16) L. c. (17) P. 8 t. 2. r. 28
(18) Ibid. n. 45. (19) Ibid. n. 47.
(20) P. 8. t. 2. r. 15. et 17.

dinari possit ratione domicilii, requiratur ut praestet iuramentum de domicilio ibi contracto, ex declar. s. c. quam refert p. Zachar. apud Croix [1]. Adhuc autem filius familias vivens seorsum a patre potest domicilium acquirere, ex *l. Placet* et *l. Non utique B. Ad Munif.* Idemque decrevit s. c. (ut testatur p. Zachar. [2]) de infante seu impubere. Bene tamen advertunt Sanch.[3] Bonac. [4] Pal. [5] et Salm. [6] cum Aversa Trull. Dicast. et Philib., quod si quis post domicilium contractum habeat animum alio se transferendi, bene posset ordinari ab episcopo loci in quo commoratur; ad domicilium enim perdendum, non solum requiritur animus discedendi ab illo, sed etiam actualis recessus, ut patet ex pluribus declar. sacrae congr. ut refert p. Zach. apud Croix [7].

779. Notandum 2. quod barones eorumque filii gaudeant domicilio suorum feudorum, etsi ibi non habitent, ac propterea ordinari possunt ab illorum episcopo. Ita Barb. Aversa ap. Croix [8]. Idem dicunt Salm. [9] cum Sanch. Trull. Gob. Barbos. Rebuff. apud Croix [10] de senatoribus et officialibus perpetuis alicuius loci eorumque filiis, sed merito haec ait Croix [11] non esse conformia intentioni bullae *Speculatores* relatae, ubi, ut vidimus, requiritur ut ordinandus ratione domicilii per notabile tempus ibi permanserit, et habeat animum ac iuret ibi perpetuo manendi.

780. Fit etiam aliquis subditus episcopi quoad ordines suscipiendos ratione *familiaritatis* seu famulatus, modo (ut sancivit Trid. [12]) *per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferatur*. Putat hic Vasq. sufficere si episcopus animum habeat conferendi beneficium quamprimum vacaturum, sed communiter dicunt Aversa Phil. aliique cum Salm. [13] beneficium debere esse iam vacans, licet ante ordinationem non conferatur, ut Sanch. Led. cum Salm. [14]. Per relatam tamen bullam *Speculatores* sufficit si beneficium conferatur intra mensem. *Vide n.* 770. ad *v.* 6. Declaravit autem s. c. non posse episcopum titulo familiaritatis aliquem ordinare, etiamsi det ei pensionem aut patrimonium. Vide p. Zach. apud Croix [15]. Nomine autem *familiarium* intelliguntur omnes qui episcopo famulantur et vivunt eius expensis, etsi in eius aedibus non habitent, modo degant in loco ubi est episcopus vel prope; secus si distent per decem leucas, ut dicunt aliqui, vel duas dietas, iuxta alios apud Salm. [16].

Dicit autem Barb. [17] cum Garcia et Armendar. qui hoc referunt decisum a s. c. (contra Escob. [18] qui citat pro se Marchin. et Leand.) episcopum posse ordinare suum familiarem triennalem etiam ad titulum patrimonii vel pensionis pro necessitate vel utilitate ecclesiae, cui ille est adscribendus, imo Vasq. et Gabr. censent posse eum ordinare, etiamsi non habeat patrimonium, sed hanc opinionem Barbosa [19] merito falsam vocat. Praeterea Renzi [20] et Barb.[21] cum Garc. Riccio et Molfes. (qui etiam decisum a s. c. asserunt) sufficere aiunt triennium adhuc incoeptum antequam fuisset episcopus. Advertunt tamen communiter Renzi[22] cum Pal. Tamb. March. et Leand. ac Barb.[23] cum Molf. et aliis, tempus triennale debere esse continuum; hoc vero intelligendum moraliter, unde censet Renzi [24] non interrumpi triennium, si familiaris per aliquod tempus alio discedat, idque probat ex *c. fin. de verb. sign. in* 6., ubi interrogatus papa quis veniret nomine clericorum suorum, respondit, venire clericos familiares continuo domesticos commensales, etiamsi aliquando pro suis negotiis abesse contingat. Item advertunt Renzi[25] Sanch.[26] et Barb.[27] cum Nav. Sayr. Ugol. et aliis

(1) L. 6. p. 2. n. 2176. (2) N. 2180. (3) De matr. l. 3. d. 23. n. 1. et 2. (4) P. 4. n. 11. et 12. (5) P. 15. (6) De ordine c. 4. p. 3. n. 43. (7) L. 6. c. 2. n. cit. 2176. (8) N. 2180. (9) Ibid. n. 50. (10) Ibid. (11) Ibid. (12) Sess. 23. c. 9. (13) Ibid. n. 55. (14) Ibid. n. 56. (15) L. 6. p. 2. n. 2174. (16) De ord. c. 4. p. 3. n. 56. (17) De off. ep. alleg. 5. n. 12. et 15. (18) N. 550. (19) Ibid. (20) De ord. c. 1. s. 3. q. 15. (21) N. 8. (22) L. c. (23) N. 9. (24) Ibid. (25) Q. 12. (26) L. 7. c. 1. dub. 27. n. 3. (27) N. 14.

pluribus, non posse episcopum dispensare super interstitiis cum familiari ordinando ad titulum beneficii statim conferendi, quia hic nondum est subditus, et ita refert decisum a s. c. Garcia apud Renzi [1]. Bene tamen poterit dispensare post collatum beneficium, quia ratione beneficii collati iam fit subditus, ut dicunt Piasec. et Campanile apud Barb. [2] et pariter id a s. c. decisum refert Pitton. [3] die 26. maii 1594. Sed intelligendum (ut diximus *n.* 775.), si adsit necessitas vel utilitas ecclesiae. Quaeritur an famuli famulorum episcopi possint ex hoc eodem titulo ab illo ordinari. Affirmant Sanch. [4] Diana [5] Salm. [6] Aversa Henriq. modo absit fraus, nempe si ad hoc episcopus permittat familiares suos plures famulos habere, ut possit eos ordinare, et modo omnes expensis episcopi alantur, ut advertunt [7] Salm. cum Henr. Ratio quia hi omnes revera tunc tamquam famuli ipsius episcopi reputantur.

DUBIUM II. Quae requirantur in ordinando.

781. *Quinam valide aut invalide ordinentur.*
782. *An valide ordinentur infantes.*
783. *Quae requirantur ut quis licite ordinetur apud Busemb.*
784. 1. *Ut sit viator, non neophytus, non infamis, hermaphroditus, irregularis etc. An autem remaneant ordinati irregulares etc. quos episcopus protestatur se non intendere ordinare.*
785. 2. *Animus clericandi. Dub.* 1. *An peccet suscipiens ordinem, nolens ascendere ad superiorem. Dub.* 2. *An peccet clericus in minoribus, si uxorem ducat. Dub.* 3. *An peccet suscipiens tonsuram ad effugiendum forum.*
786. 3. *Ut sit confirmatus.*
787. 4. *Ut habeat litteras dimissorias. Not.* 1. *Episcopi regulariter tenentur per seipsos ordinare. Not.* 2. *Licentia data non expirat morte concedentis. Not.* 3. *Episcopus confirmatus potest dimissorias concedere, non vero suspensus etc. Not.* 4. *Potest episcopus eas dare etiam in aliena dioecesi existens. Not.* 5. *Non potest vero vicarius generalis.*
788. *Not.* 6. *Quid de capitulo sede vacante. Not.* 7. *Quid de abbatibus. Not.* 8. *A quibus debeant habere dimissorias regulares. Not.* 9. *Quid si papa det licentiam cum clausula ut quis ordinetur* a suo ordinario tantum. *Not.* 10. *Potest episcopus ordinare habentem dimissorias. Not.* 11. *An ordinatio debeat fieri a certo episcopo designato. Not.* 12. *Sufficit licentia oretenus.*
789. *Dub.* 1. *An episcopus possit ordinare alienum sub spe ratihabitionis. Dub.* 2. *An episcopus ordinans possit dispensare cum alieno super irregularitate etc.*
790. 5. *Examen de scientia, iuxta qualitatem ordinis suscipiendi.*
791. *Qu.* 1. *Quae debeat scire sacerdos, praesertim circa sacramentum poenitentiae. Qu.* 2. *An illiterati sint irregulares. Qu.* 3. *An in regularibus minor scientia requiratur.*
792. *Quid ultra notandum circa examen.*
6. *Titulus sustentationis, de quo infra n.* 813.
793. 7. *Ut ordines gradatim suscipiantur.*
794. 8. *Ut ordines suscipiantur tempore debito. Utrum in festis liceat ordinare in minoribus plus quam duos.*
795. 9. *Ut serventur interstitia.*
796. *An qui eadem die suscipit duos ordines sacros, incurrat suspensionem. Quid, si in sabbato suscipit unum, alium in dominica. Dub.* 1. *An haec suspensio sit latae sententiae. Dub.* 2. *An incurrat suspensionem qui suscipit duos ordines sacros, non servatis interstitiis.*
697. *An liceat eadem die suscipere quatuor ordines minores cum subdiaconatu. Dub.* 1. *An excuset consuetudo contraria. Dub.* 2. *An taliter ordinatus incurrat suspensionem. Dub.* 3. *An regulares possint ordinari extra tempora. Dub.* 4. *An ipsi tunc possint ordinari in quovis festo duplici. Quid de initiandis in tribus diebus festivis.*
798. 10. *Ut servetur locus debitus et existentia episcopi in propria dioecesi.*
799. 11. *Aetas debita; alias incurritur suspensio. Dub.* 1. *An eam incurrat qui ordinatur ante aetatem ex ignorantia crassa. Dub.* 2. *An mala fide ordinatus ante aetatem, possit, ea completa, ordinem exercere. Dub.* 3. *An incurrat irregularitatem suscipiens sacerdotium ante aetatem. An autem irregularitatem incurrat, qui ordinatur irretitus censura.*
800. *Quomodo computanda aetas. Dub.* 1. *An possit ordinari mane, qui vespere complet aetatem. Dub.* 2. *An computandus annus bissextilis.*
801. 12. *Exercitium ordinis suscepti.*
13. *Sumptio eucharistiae.*
14. *Probitas vitae.*
802. 15. *Vocatio divina. Quae sint eius signa.*
803. *An peccet graviter qui sine vocatione ordinatur. An peccet episcopus hunc ordinans.*
804. *Haec vocatio tanto magis requiritur ad episcopatum et parochiam suscipiendam.*
805. *Quae sint officia ordinatorum.*

781. « Resp. 1. Ad validam ordinationem requiritur et sufficit, ut mas sit baptizatus. S. Thomas [8] Con. [9] Vasquez Fill. [10].

Unde resolves:

» 1. Incapax ordinum est, et quidem iure divino 1. Foemina. Vasq. Regin.

(1) L. c. (2) N. 15. (3) De episc. n. 292.
(4) Cons. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 24.
(5) P. 4. tr. 4. r. 133.
(6) De ord. c. 4. p. 3. n. 57. (7) Ibid.
(8) Suppl. qu. 39. a. 1. (9) D. 20. d. 10.
(10) P. 9. c. 4. quaest. 2.

Fill. [1] (Ita s. Th. [2] Salm. [3] et alii communiter, estque de fide definitum in *c. Nova de poen. et rem.*). 2. Hermaphroditus, in quo sexus foemineus praevalet. Fill. [4]. Quod si autem in eo incipiat praevalere post ordinationem validam, non potest valide consecrare vel absolvere, licet characterem sacramentalem retineat. Lugo [5]. 3. Non baptizatus [6].

» 2. Valide ordinantur 1. Perpetuo amentes, caeci, muti, privati manibus, etsi iure naturali sint inhabiles. 2. Irregulares, etsi iure ecclesiastico sint inhabiles, maneantque ab eorum usu suspensi. 3. Pueri in cunis qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti, nisi id ratificaverint. Tol. Henr. Azor.[7] Bon. [8].»

782. Quaeritur an valide ordinentur infantes. Negant Pal. Dur. et Petroc. Sot. apud Salm. [9]. Sed verius affirmat d. Th.[10] qui docet, quod omnia sacramenta quae non requirunt actum proprium suscipientis, sed in eis datur aliqua spiritualis potestas (ut sunt baptismus, confirmatio et ordo) valide suscipiantur ante usum rationis, imo ordo etiam licite suscipitur (loquendo de ordinibus minoribus) si adsit necessitas et spes profectus. S. doctorem sequuntur communiter Sanchez [11] Renzi [12] et Salm.[13] cum s. Bonav. Scoto Dom. Soto Gonet Vasq. Val. et aliis, et hoc communi sensu dd. definitum testatur Bened. XIV. in bulla *Inter sollicitas*, edita 4. maii 1745. Idque probat d. Th. ex *c. un. de cler. per salt. prom.* ubi dicitur quod si aliquis subdiaconatum receperit ante usum rationis, debet ordinari ante diaconatum, si non constet de illius susceptione, secus si constet. Dicit tamen [14] idem Angelicus, quod pueri ante usum rationis non possunt valide suscipere episcopatum.

783. « Resp. 2. Ut ordo licite, et secundum iura ecclesiae rite sumatur, aut non incurratur censura, requiritur in recipiente, praeter statum gratiae 1. Ut non sit neophytus (Qui autem non esset baptizatus certo ordinem non reciperet, ut constat ex conc. nicaeno [15] et ex *c. Veniens de presb. non baptiz.*) vel infamis vel hermaphroditus, vel irregularis suspensus, excommunicatus.

» 2. Animus clericandi. Trid.[16], sine quo, si primam tonsuram vel ordines minores accipiat, videtur peccare, saltem venialiter (nisi iusta causa excuset), quia fraus est levis; *vide l. 4. c. 2. d. 1. a.* 3. Similiter venialis inconstantia videtur sine iusta causa statum clericalem deserere. 3. Ut sit confirmatus, Trid. [17] et quidem secundum Bonac. [18] sub mortali, secundum Sotum et Con. sub veniali. 4. Litterae dimissoriae etiam pro prima tonsura episcopi proprii, sive originis sive beneficii, sive domicilii. Vide Diana[19]. 5. Examen coram episcopo de scientia necessaria ad usum cuiusque ordinis, nam Trident.[20] pro prima tonsura requirit ut sciant fidei rudimenta, item legere et scribere; et de quibus probabilis sit coniectura, quod clericatum elegerint non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent. Pro minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro subdiaconatu et diaconatu, cognitionem eorum quae ad istos ordines spectant. Pro sacerdotio tantam scientiam, ut populum docere possint necessaria ad salutem et administrare sacramenta. 6. Titulus sustentationis, ut beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ut in regularibus. Trident.[21]. Vide Bon. 7. Ordo inter receptionem unius et alterius, cuius inversio v. g. suscipere diaconatum ante subdiaconatum, erit mortale; episcopatus ante sacerdotium erit etiam invalidus. 8. Tempus; sic minores conferuntur quavis dominica vel festo quidem tali, quod ex praecepto ecclesiae celebretur etiam in foro, ut Sylvest. Azor. Barb. etc. communiter docent. Ac licet Praep.

(1) L. c. (2) Suppl. q. 39. a. 1. (3) De ord. tr. 8. c. 5. dub. 1. n. 6. (4) L. c. (5) Resp. mor. l. 1. d. 31. (6) Ib. (7) L. 13. c. 14. (8) L. c. (9) De ord. c. 5. d. 2. n. 21. (10) Suppl. q. 39. a. 2.

(11) Cons. l. 7. c. 3. dub. 32. n. 2. (12) P. 344. q. 2. (13) Ibid. n. 23. (14) Ibid. (15) Can. 19. (16) Sess. 23. c. 4. (17) Ibid. (18) D. 8. p. 5. n. 10. (19) P. 3. t. 4. r. 194. (20) Sess. 23. c. 4. (21) Sess. 21. c. 2.

Fag. Tan. Gavant. etc. putent sufficere quodvis festum duplex in ecclesia, eamque sententiam Diana [1] vocet tutam in praxi, eam tamen ex decreto Urbani VIII. reiectam esse monet card. de Lugo [2]. Eosdem autem posse ex recepta episcoporum consuetudine, etiam feria 6. vespere ante sabbatum, quo omnes ordines iure conferri possunt, notat Diana [3] ex Henr. Reg. etc. Maiores vero sabbatis quatuor temporum, et dominicae passionis ac hebdomadae sanctae. 9. Interstitia temporum. Sic maiores non nisi post annum ab alterius susceptione conferri possunt, ex Trid.[4], in quo tamen episcopus ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae potest dispensare. Eodem tamen die, non nisi de licentia papae, duo ordines maiores possunt dari, minores vero omnes, dispensante episcopo, possunt dari eodem die, et, si consuetudo sit, simul cum subdiaconatu. Nav.[5] Henr.[6] Vasq. Suar. Sa [7] Laym. [8]. 10. Locus, scilicet pro solemni collatione, ecclesia, pro privata sacellum. 11. Aetas, in qua ordinarie episcopus non potest dispensare, et sic pro prima tonsura et minoribus requiritur saltem septennium completum, licet Quint. [9] contra Sanch. etc. putat sufficere inchoatum. Pro acolytho an. 12. completus, Fill.[10]. Pro subdiaconatu vigesimus secundus, pro diaconatu vigesimus tertius, pro sacerdotio vigesimus quintus, omnes incoepti, pro episcopatu trigesimus completus. Vide Bon.[11] Filliuc.[12] Laym.[13] Diana [14]. Si autem dubium sit an quis aetatem requisitam habeat, v. gr. pro sacerdotio an annum 25. ingressus sit, ordinari non potest. Sanchez Layman Bard. [15]. Peccat autem tam ordinans quam ordinatus, si ordinetur qui non habet qualitates requisitas.»

784. Omnia tamen haec fusius discutienda. Ut quis igitur rite ordines suscipiat requiritur 1. Ut sit viator, quia sacerdos vita functus non valide consecraret. Item, ut non sit neophytus nec infamis, nec hermaphroditus, qui non est capax ordinis, nisi in eo praevaleat sexus masculinus, alias non potest vere appellari homo; unde nec licite nec valide consecraret, imo nec licite, etiamsi sexus masculinus praevaleret, quia esset monstrum, et ideo egeret dispensatione pontificia. Vide Salm.[16]. Item requiritur ut non sit irregularis, suspensus vel excommunicatus.

Quaeritur hic an cum episcopus ante ordinationem protestatur se non intendere ordinare irregulares, excommunicatos, aut alio modo indignos, utrum isti irregulares remaneant ordinati. Negat Molf. apud Escob.[17]. Affirmant vero communius Cabass. [18] Ludov. Bail. et Escob.[19] cum Navar. Sa Rodriq. Graff. etc. quia verba illa dicuntur ad terrorem, quod arguitur ex eo quod idem episcopus post hanc protestationem ante ordinationem initiandos absolvit a quacumque excommunicatione, irregularitate, etc. Sed melius docent n. ss. p. Bened. XIV. [20] qui ex decreto s. c. concilii dicit in hoc casu interrogandum esse episcopum ordinantem de sua intentione, et si ipse asserat suam intentionem protestationi alligasse, ordinationem absolute iterandam esse, si vero episcopi intentio sit dubia, ordinatio est sub conditione repetenda. Et sic pluries s. c. censuisse faciendum refert p. Zacharia apud Croix [21] qui tamen affert alias oppositas declarationes s. c. quibus dixit validam esse ordinationem quorumdam ordinatorum cum falsis dimissoriis, etsi praemissa fuerit protestatio episcopi excludens voluntatem ordinandi eos qui essent destituti conciliaribus requisitis.

785. Requiritur 2. animus clericandi, ex Trid.[22]. Hic dubitatur 1. an peccet qui suscipit aliquem ordinem sine animo ascendendi ad superiores. Certum et commune est non peccare graviter,

(1) P. 3. t. 13 r. 47. (2) L. 1. resp. mor. d. 43. (3) P. 2. t. 6. r. 18. (4) Sess. 23. c. 11. 13. et 14. (5) C. 23. (6) L. 10. c. 11. (7) V. Ordo. (8) L. 5. t. 9. c. 8. (9) T. 6. s. 21. (10) T. 9. c. 4. n. 23. (11) D. 8 q. 1 (12) Tr. 9. c. 4. (13) L. 5. tr. 9. c. 6. et 7. (14) P. 3. t. 4. r. 162. (15) D. 6. c. 11. p. 6. §. 2. (16) De ord. c. 5. dub. 1. n. 14. (17) L. 23. n. 198. (18) T. 1. l. 3. c. 16. n. 15. (19) N. 200. (20) De sacr. miss. sect. 2. §. 76 (21) L. 6. p. 2. n. 2251. (22) Sess. 23. c. 4.

etiamsi quis suscipiat ordines maiores, et non intendat suscipere sacerdotium, ut recte dicunt Laym. [1] Salm. [2] et Esc. [3] et alii passim contra Bannez, Marchin. et alios paucos (apud Escob. [4]) qui improbabiliter asserunt esse mortale. Imo idem Escob. [5] et Pal. [6] cum Conc. et Bon. probabiliter putant nullum esse peccatum, quia nullo iure praescribitur alicui ad superiores ordines ascendere, nisi quis acceptet beneficium requirens sacerdotium vel ordinem sacrum, prout sunt beneficia curata, seu ea quibus sunt annexa onera cantandi missam, evangelium vel epistolam, ut habetur ex Trid. [7]. Caeterum idem concilium [8] solum requirit in ordinando intentionem praestandi Deo fidelem cultum. Idque confirmatur ex *cap.* 1. *de filiis presbyter.* ubi dicitur episcopos posse dispensare cum illegitimo ad suscipiendos ordines minores, non ad maiores, ergo licitum est suscipere unum ordinem sine animo ascendendi ad superiores. Ratio est, quia quilibet ordo confertur ad hoc ut ordinatus inserviat Deo, proprium munus exercendo; sufficit igitur munus illud acceptare sine intentione ulterius progrediendi. Aliter vero dicendum esset de novitio qui religionem intraret animo non perseverandi, hic enim difficulter excusari potest a culpa gravi, propter damna temporalia et incommoda quae religioni tunc frustra afferret, et etiam propter scandalum quod aliis novitiis praeberet, exemplum enim socii magnam alteri tentationem ingerit.

Dubitatur 2. An peccet clericus qui initiatus in minoribus uxorem ducit. Per se loquendo certum est non peccare graviter, imo nec etiam leviter, si ob iustam causam hoc facit, puta ad sedandas inimicitias aut tentationes carnis, ad subveniendum foeminae pauperi etc., alias non excusabitur a veniali, ita Bon. [9] Pal. [10] Esc. [11] cum Tol. Azor. Val. Aug. Rodr. etc. ac Salm. [12] qui dicunt hanc sententiam esse omnium, uno Caiet. excepto, qui voluit esse mortale. Dixi *per se loquendo*, nam utrum graviter peccet qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab ea recedit, ut saeculo fruatur, *vide dicta l. 4. n.* 78., ubi diximus de hoc metuendum, ne forte existat in malo statu.

Dubit. 3. An peccet qui minores ordines aut primam tonsuram suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad saeculum. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia, quam tenent Pal. [13] et Escob. [14] dicit nullo modo peccare, quia utitur iure suo.

Secunda sententia vero quam tenent Salm. [15] Led. et Vict. apud Sanch. [16], item Marchin. Molf. Leand. et Trull. apud Escob. [17] dicit peccare mortaliter, quia in Trident. [18] sic habetur: *Prima tonsura non initientur... de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.* Cum ergo hoc crimen concilium *fraudem* appellet, ideo nequit excusari a gravi culpa qui sic ordinatur, quia graviter defraudat ecclesiam, abutendo suis sacris ministeriis ad fines temporales.

Tertia sententia demum, quam tenent Layman [19] Sanch. [20] cum Navar. Bon. [21] cum Val. et Con. Diana [22] cum Vill. et March., item Hurt. Aversa Nald. Homob. etc. apud Escob. [23], dicit hunc non peccare mortaliter, quia ex Tridentino tunc intelligitur aliquis fraudem committere quando suscipit ordines ut aliquod saeculare iudicium iam incoeptum effugiat, et hoc quidem erit mortale; alioquin erit tantum veniale ratione deordinationis finis ab ecclesia intenti. Primam sententiam non satis probabilem puto, tertiam probabilem, secundam vero probabiliorem, quia aeque videtur fraudem committere qui ordinatur ut effugiat iudicium saecu-

(1) De ord. c. 7. (2) De ord. c. 5. p. 5. n. 52. (3) N. 504. (4) N. 563. (5) N. 565. (6) P. 8. n. 8. (7) Sess. 22. c. 4. (8) Sess. 23. c. 4. (9) De matr. qu. 3. p. 9. n. 2 (10) De ordine n. 8 n. 9.

(11) N. 511. (12) De ordine c. 5. p. 5. n. 51 (13) P. 8. n. 7. (14) N. 508. (15) Ibid. n. 57 (16) De matr. l. 7. dist. 51. n. 17. (17) N. 506 (18) Sess. 23. c. 4. (19) C. 7. n. 2. (20) Loc. c (21) P. ult. n. 10. (22) P. 10. tr. 16. r. 61 (23) N. 597

lare in casu particulari, quam qui in genere pro omnibus casibus occurrentibus: quomodo autem peccet qui accipit beneficium animo illud dimittendi, *vide dicta l. 4. n. 113. Qu. 1.* ubi diximus hunc non peccare mortaliter (nisi beneficium habeat annexum ordinem sacrum); quia non constat huiusmodi deordinationem esse gravem.

786. Requiritur 3. ut sit confirmatus. An autem id requiratur sub praecepto gravi. Affirmat Bonac. [1] cui consentiunt Tol. Tan. et Aversa apud Mazz.[2] quia hic peccaret in re gravi, tum contra usum ecclesiae tum contra praescriptum Tridentini[3] ubi dicitur: *Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Alii vero, ut Holzm.[4] cum Tamb. etc., censent hoc non esse de praecepto, sed de consilio. Alii tandem communiter, ut Suar.[5] Navar.[6] Laym.[7] Pal.[8] Mazz.[9] Salm.[10] cum Vict. et Philib. ac Barb.[11] cum Azor. Val. Reg. Molf. Vivald. etc., probabilius dicunt confirmationem non requiri sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi, quia, licet verba Tridentini potius indicent decentiam, quam praeceptum, tamen in hoc contraire non excusatur a levi saltem deordinatione.

787. Requiritur 4. ut habeat litteras dimissorias proprii episcopi. Super hoc requisito plura sunt adnotanda. Notandum 1. id quod praescribit Tridentinum [12] ubi dicitur: *Episcopi per semetipsos ordines conferant; quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam ... probatos et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant.* Inde regulariter episcopus tenetur ipse suos subditos ordinare, nisi sit impeditus ex infirmitate, ut dicit concilium, vel ex alia iusta causa, ut recte aiunt Salm. [13] et Barb. [14] cum Led. Salzedo Piasec. etc. quia causa infirmitatis ibi exprimitur exemplificative, non taxative. Hinc probabiliter Croix [15] id etiam admittit, si ordinandus alibi esset aut ei incommodum foret ad suam dioecesim accedere. Debet autem episcopus proprius suum subditum examinare, ex concilio ut supra, quamvis, sicut potest examen alteri committere, sic etiam poterit eum mittere ad alienum episcopum, ut ille examinet. Episcopus vero, ad quem ordinandus mittitur, potest quidem eum ordinare sine examine, sed potest etiam examinare, si velit, ut bene aiunt Salm. [16] et Croix [17] cum aliis. Et hoc utique erit tutius, ut ait Barbosa[18] cum Bonac. Piasec. et Campanile, qui imo censent teneri examinare ex eod. Trident. [19] ubi dicitur quod nemo ab extraneo ordinetur nisi praevio examine.

Notandum 2. Licentia data alicui ut ordinetur apud alienum episcopum non expirat morte concedentis, nisi a successore revocetur; ita communiter Sanch.[20] Barb.[21] cum Suar. Salm.[22] cum Bonac. et Escob.[23] cum Henr. Quaranta Rod. et communi, quia gratia semel facta morte concedentis non expirat, ex *c. Si super gratia, de offic. deleg. in* 6.

Notandum 3. Episcopus propriam dioecesim habens, si est iam confirmatus, esto nondum consecratus, bene potest dimissorias concedere, quia hic est actus iurisdictionis, quam confirmatus secuta possessione iam habet. Ita Sanch.[24] et Salm.[25]. An autem episcopus suspensus aut excommunicatus iam declaratus possit dimissorias concedere, vel confessarios approbare, et similia. Affirmant Led. et Trull., sed probabilius negant Barb.[26] Salm.[27], quia excommunicati omni iurisdictione carent. Hinc bene ait Barb. [28] casu quo ordinandi probent suum episcopum esse excommunicatum vel suspensum, rite possunt ordinari ab episcopo viciniori, ex *cap. 2. de temp. ord. in* 6.

Notandum 4. Episcopus existens in

(1) D. 8. p. 5. n. 10. (2) T. 3. p. 254. (3) Sess. 23. c. 4. (4) N. 218. (5) T. 3. d. 38. s. 1. (6) C. 22. n. 9. (7) Tr. 3. c. 8. q. 4. (8) De confir. p. 8. n. 6. (9) L. c. (10) De ord. c. 4. p. 5. n. 73. (11) De pot. ep. alleg. 2. n. 15. (12) Sess. 23. c. 3. (13) Ib. p. 4. n. 53. (14) In Trid. l. c. (15) N. 2245 (16) L. c. (17) N. 2245. (18) Alleg. 7. n. 22. (19) Sess. 7. c. 11. (20) De matr. l. 8. d. 28. n. 35. (21) Alleg. 7. n. 24. (22) Cit. n. 53. (23) N. 418. (24) Cons. lib. 7. c. 3. dub. 20. n. 31. (25) De ord. c. 4. p. 4. n. 59. (26) Alleg. 7. n. 4 (27) Loc. cit. circa fin. (28) Loc. cit.

aliena dioecesi bene potest ibi dimissorias concedere, cum hic non sit actus iurisdictionis contentiosae, ita Salm. [1] cum Gav. et Barb. [2]. Cum Armendar. qui id decisum refert.

Notandum 5. Vicarius generalis nequit dimissorias concedere, nisi expressam de hoc facultatem habeat ab episcopo, vel nisi episcopus sit extra provinciam, aut distans per duas vel saltem unam dietam, sive diem itineris a propria dioecesi, ut dicunt Salm. [3] cum communi et Pal. [4] ac Barbos. [5] cum Azor. Rebuff. Gutt. Molf. etc. ex *c. Cum nullus, de temp. ord. in* 6. ubi dicitur: *Episcopo autem in remotis agente, ipsius vicarius generalis, vel sede vacante, capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* Probabiliter vero dicit Escob. [6] cum Ioan. Andrea Molf. March. et Leand. bene posse vicarium (ut diximus) ex peculiari licentia episcopi, expressa vel tacita, dimissorias concedere; quod confirmatur ex Glossa *in d. c.* quae ait: *Nisi habeant* (ab episcopo) *speciale mandatum ad hoc.*

788. Notandum 6. Capitulum, sede vacante, olim poterat dimissorias concedere, ut patet ex dicto *c. Cum nullus;* sed hoc limitatum postea fuit a Trident. [7] ubi habetur: *Non liceat capitulis, sede vacante, infra annum . . . ordinandi licentiam aut litteras dimissorias ... concedere;* nisi quis (ut ibi additur) sit arctatus ad ordines intra annum illum suscipiendos ob beneficium requirens obsequium personale. Aliter capitulum incurrit interdictum, et vicarius illius suspensionem ab officio et beneficio per annum; necnon sic ordinatus, si fuerit in sacris, incurrit suspensionem ab exercitio ordinis suscepti ad arbitrium episcopi futuri, si vero in minoribus, privatur privilegiis clericalibus, sed hoc non ante iudicis sententiam. Ita Salm. [8] cum Sanch. Philib. Aversa et Trull. Dicit autem Croix [9] non posse dici *arctatum*, qui tantum est praesentatus ad beneficium, nisi quis beneficium iam habeat, vel ius habeat ad illud, seu vocatus sit; sed contradicunt Salm. [10] et consentit Barbosa [11] cum Moneta Riccio et Garcia, asserens recte dici etiam *arctatum*, qui ordinatus prima tonsura est praesentatus ad beneficium: et Merola apud Renzi id refert decisum a s. c. etiam pro non adhuc tonsurato, his verbis: *Vicarius capitularis, sede vacante, infra annum potest concedere litteras dimissorias ad primam tonsuram ei qui est praesentatus a personis laicis ad beneficium ecclesiasticum iuris patronatus ipsorum, ut ille obtinere valeat.* Recte tamen dicit Croix [12] cum Garcia Ugol. et Riccio, non dici *arctatum* eum cui aliquis vult resignare beneficium requirens ordinem quo ille caret. Hicque praeterea notandum id quod habetur in concordato nostri regni [13] ubi: *I vicari capitolari non potranno senza il voto del pieno capitolo, da darsi per maggioranza de' voti segreti, concedere le lettere dimissoriali a' laici, artati per ragion di beneficio o cappellania, o pure a coloro che avendo già la prima tonsura, sono presentati a qualche beneficio o cappellania che* actu requirat certum ordinem: *coll' espressa condizione, che così nell' uno come nell' altro caso colui che chiede d' esser promosso, non sia stato altre volte rigettato dal vescovo antecessore* [14].

Bene potest tamen capitulum, sede vacante, etiam intra annum dare litteras testimoniales alicui, qui aliunde licentiam habet ad ordines suscipiendos, Salm. [15] cum Sanch. Pal. Dic. etc. Probabiliter etiam potest dare alicui licentiam ut initietur prima tonsura, eo quod tonsura non est ordo: Garcia et Gallem. apud Croix [16] qui eis adhaeret ex decl. s. c. Id autem quod potest capitulum, sede vacante, non potest per seipsum facere, sed per suum vicarium electum, Croix [17], et sic refert decisum

(1) Ib. n. 60. (2) D. all. 7. n. 29. (3) Ib. n. 62.
(4) P. 15. n. 8. (5) Alleg. 7. n. 9. (6) N. 402.
(7) Sess. 7. c. 10. (8) De ord. c. 4. p. 4. n. 65.
(9) N. 2258. (10) Cit. n. 65. (11) All. 7. n. 11.
(12) Loc. cit. (13) C. 4. n. 9.
(14) Vide alia praescripta in d. concordato n. 350
(15) De ordine c. 4. p. 4. n. 66.
(16) N. 2261. (17) N. 2266.

s. c. die 3. febr. 1604. Pitton.[1]. Item hic notandum quod sede vacante bene possit ordinari intra annum qui habet dimissorias episcopi defuncti, ut communiter dicunt Barb.[2] cum Nav. Gonzal. et Henriq. ac Croix[3] cum Sanchez Laym. Tamb. etc. ex declar. s. c. Idem dicitur de regularibus intra annum afferentibus dimissorias suorum superiorum; his enim bene potest capitulum licentiam concedere ut ordinentur ab aliquo episcopo. Et sic etiam valent dimissoriae concessae a capitulo, sede vacante, post annum, etiamsi sit iam ingressus novus episcopus. Barb.[4] cum Mol. Gonzal. Fag. Led. Quaranta etc. Praeterea notandum quod licet in concilio romano sub Bened. XIII. permissum fuerit vicario capitulari post annum luctus ecclesiae concedere dimissorias, tamen in concordato nostri regni facultas est ei sublata, nisi habeat expressam licentiam s. c. concilii.

Quamvis autem capitulum non possit intra annum dimissorias concedere, dicunt tamen Sanchez[5] Tamburinus[6] et Barbosa[7] cum Henriquez Quaranta Molfesio Piaseo. Furnar. etc. bene posse dare alieno episcopo licentiam pontificalium, et pariter conferendi ordines clericis subditis ipsi episcopo, vel subditis eidem sedi vacanti, qui non a metropolitano nec ab episcopo viciniori, sed a papa debent habere licentiam ordinandi, ut refert decisum Garcia apud Barbosam[8]. Sed huic opinioni se opponit Croix[9] dicens obstare verba Tridentini ut supra: *Non liceat infra annum ordinandi licentiam aut litteras dimissorias . . . concedere;* gerundium enim ordinandi, dicit Croix, esse activum, unde non debere applicari ordinandis, sed episcopo. At venia p. Croixii, docetur a pluribus grammaticae peritis, huiusmodi gerundia modo sumi active, modo passive. Et ipsummet concil. pluries usurpavit gerundium in passiva significatione, ut[10] *facultates de promovendo a quocumque.* Et hic iuxta proprium sensum Tridentini tò *ordinandi* verius intelligendum passive, dum concilium post verba, *non liceat capitulis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias . . . concedere*, addit, *alicui qui beneficii occasione arctatus fuerit.* Unde illud *concedere* refert tam *licentiam ordinandi*, quam litteras dimissorias subiecto *alicui*, nempe ordinando.

Notandum 7. Hodie non amplius locum habet id quod dicunt Salm.[11] cum Molf. et Philib., nempe quod abbates qui possunt suos subditos ordinare (iuxta dicta *n.* 763.) possint etiam eis concedere dimissorias ad suscipiendos ordines a quocumque episcopo vel abbate mitrato. Neque enim abbates mitrati, adhuc si habeant iurisdictionem quasi episcopalem, possunt alienos subditos ordinare, ex decreto s. c. relato *n.* 766. Neque alii episcopi quam dioecesani (ut mox videbimus) possunt regulares ordinare.

Notandum 8. Regulares exempti debent habere dimissorias a praelatis suis, scil. generalibus aut provincialibus, ut dicunt Salm.[12] cum Sanch. Diana Philib. et aliis communiter: alias peccant mortaliter et suspensionem incurrunt. Praeterea, ex decreto Clementis VIII. (relato in extensum apud Croix[13]) dimissoriae sunt dirigendae ad episcopum dioecesanum, nisi is sit absens aut non teneat ordinationem. Nec valet dicere cum Sanch. Laym. Pal. etc. apud Croix[14] posse dari regularibus dimissorias ad quemcumque episcopum, eo quod mandatum Clementis non fuit receptum, ut asserit Pal., quia (ut putat Sanch.) decretum illud valet tantum pro regularibus eidem episcopo loci subiectis. Nam in *c.* 3. *de temp. ord. in* 6. generaliter id vetatur, et praefatum decretum fuit novissime confirmatum et innovatum a Benedicto XIII. et XIV. *Vide dicta n.* 768. A quo autem possint ordinari novitii. *Vide dicta n.* 764. et 765.

(1) De canon. n. 171. (2) Alleg. 7. n. 25.
(3) N. 2239. (4) N. 24. (5) L. 7. c. 1. dub. 26. n. 2. (6) De ordine c. 9. §. 2. n. 9.
(7) Alleg. 7. n. 17. in Trident. sess. 7. c. 10. n. 5.
(8) Loc. cit. in Trident. (9) N. 2237.
(10) Sess. 7. c. 11. et 12. de benef.
(11) De ordine c. 4. p. 4. n. 67.
(12) Ibid. n. 68. (13) N. 2236. (14) L. c.

Notandum 9. Si quis obtineat facultatem a pontifice suscipiendi ordines extra tempora, sed cum clausula *a suo ordinario tantum*, bene potest cum istius dimissoriis ab alio ordinari; ita Sanch.[1] cum Nav. Mazzotta[2] et Croix[3] cum Gobat. Ratio quia apponitur illa particula *tantum*, ne praeiudicium inferatur proprio episcopo, sed minime ipse praeiudicatur quando ipsemet concedit dimissorias.

Notandum 10. Probabiliter episcopus potest confirmare eum qui adducit dimissorias sui proprii episcopi, pro tonsura; ita Croix[4] cum Rebuffo. Et idem ait Croix[5] cum Gobat. si quis est dimissus ad suscipiendum subdiaconatum, cum non adhuc susceperit ordines minores, quia tunc censetur dimissus etiam pro minoribus.

Notandum 11. Quamvis die 22 iun. 1623. (apud Pitton.[6]) s. congregatio praeposita negotiis regni neapolitani statuerit nullas esse dimissorias non directas certo ordinario; tamen anno sequenti die 16. mart. contrarium fuit statutum per s. c. episc., nempe quod episcopi regni neapolitani rite possint extraneos ordinare cum dimissoriis proprii ordinarii, licet non sint directae ad certum episcopum. Hinc probabiliter dicunt Mazz.[7] et Croix[8] cum Gobat. et Quint. quod si quis est dimissus ad certum episcopum, qui sit designatus in gratiam ipsius ordinandi, bene poterit ab alio ordines suscipere, ex regula iuris 61. in 6. ubi: *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*

Notandum 12. Ut quis ordinetur ab alieno episcopo non requiritur ut obtineat a proprio licentiam in scriptis, sed satis est si constet de illa per testes vel aliter: ita Sanch.[9] Salm.[10].

789. Sed dubitatur 1. An aliquis episcopus possit ordinare alterius subditum sine illius expressa licentia, sub spe ratihabitionis de futuro. Affirmant Paludan. Vill. Diana et Led. ap. Salm.[11]. Idque admittunt Trull. et alii plures apud Sanch.[12], si inter episcopum ordinantem, vel inter initiandum et episcopum proprium singularis amicitia intercedit. Sed verius negant Sanch.[13] Bonac.[14] Croix[15] et Salm.[16] cum Avers. Philib. et aliis pluribus. Ratio quia a Trident. ad tollendos errores et dissidia exigitur licentia expressa proprii ordinarii: *Nisi de loci ordinarii expressa licentia*, ut dicit concilium[17]. Episcopus autem bene poterit ratam habere talem ordinationem, nec opus est recurri ad summum pontificem, quia ipse potest ordinatum absolvere a suspensione ordinis suscepti, ut concedit Tridentin.; ita Sanch.[18] Salm.[19] cum Aversa et Croix[20] cum Delbene et aliis contra Rebuff. An autem sufficiat ratihabitio sive licentia praesumpta de praesenti ad ordinandum clericum alienum. Probabile mihi et aliis videtur id posse admitti, saltem sine culpa gravi.

Dubit. 2. An episcopus, cui dimissoriae diriguntur, possit dispensare cum ordinando super irregularitate aut alio impedimento canonico, super quo proprius episcopus potest dispensare.

Prima sententia affirmat, quam tenent Sylvest.[21] et Ang. Arm. ac Henr. apud Palaum[22]. Quia (ut aiunt) eo ipso quod episcopus dat licentiam alieno ordinandi, dat etiam dispensandi, cum dispensatio praemittenda sit ordinationi suscipientis; idque colligunt ex *cap. Praeterea, de offic. iud. deleg.* ubi dicitur: *Ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus quae ad causam ipsam spectare noscuntur plenariam recipit potestatem.*

Secunda sententia vero probabilior negat, et hanc tenent Palaus[23] Mazz.[24] Sanch.[25] cum Nav. et[26] cum Sa et Cr.[27] cum Diana. Ratio, tum quia privilegia non extenduntur ultra casum expres-

(1) L. 7. c. 1. dub. 25. n. 2. (2) P. 250. (3) Num. 2242. (4) Num. 2259. (5) Ibid. (6) De episc. n. 300. (7) P. 250. (8) N. 2241. (9) C. 5. d. 20. n. 4. (10) De ord. c. 4. p. 4. n. 61. (11) Ibid. n. 65. (12) L. 7. c. 3. dub. 20. n. 12. (13) N. 15. (14) P. 5. n. 23. (15) N. 2238. (16) Ibid. n. 64. (17) Sess. 14. c. 2. (18) N. 15. (19) L. c. (20) N. 2243. (21) V. Dispensatio q 9. n. 11. (22) De cens. d. 6. a. 7. n. 21. (23) L. c (24) T. 5. p. 250. (25) L. 7. c. 1. dub. 27. n. 2 (26) De matr. l. 3. d. 1. n. 24. (27) N. 2240.

sum, tum quia in disparatis non fit illatio, quando facultas data non est cum alia necessario connexa; prout (sapienter dicit Sanchez) si episcopus dat licentiam parocho assistendi alicui matrimonio, non ideo intelligitur dare facultatem dispensandi in impedimento, in quo ipse potest. Idque tanto magis valeret, si in dimissoriis adderetur clausula: *Si tamen alias nullum tibi obsistat impedimentum canonicum.* Ad textum autem supra allatum respondetur quod ibi agebatur de facultate necessaria cum data connexa, ut legenti patet.

Notandum quod ordinandus debeat semper habere litteras testimoniales ab episcopo originis, etiamsi in aetate infantili ab illius dioecesi discesserit, saltem ad testificandum de natalibus ac aetate, prout a s. c. resolutum refert p. Zacharia apud Croix [1].

790. Requiritur 5. examen de scientia. In hoc advertendum quod Tridentinum pro initiandis ad ordines minores requirat ut saltem linguam latinam intelligant, ita in *sess.* 23. *c.* 11. ubi dicitur: *Minores ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Utrum autem episcopus possit ordinare in minoribus clericum qui ignorat linguam latinam, si spes sit fore ut postea addiscat. Affirmant Innoc. Menoc. Turr. etc. apud Sanch. [2]. Sed merito negant Salm. [3] et ipse Sanchez [4] cum Nav. et Salzedo. Ratio quia illud, *nisi aliud episcopo videretur*, verius et communiter a dd. intelligitur tantum quoad interstitia, non autem quoad scientiam. Verum non videtur improbabile cum Sanchez et Rebuff. [5], quod si ordinandus non adhuc sciat linguam latinam quantum oportet, sed de brevi certo speretur fore ut addiscat, tunc poterit episcopus eum ordinare, sed melius quidem meo iudicio faciet, si non ordinabit. 2. Pro initiandis ad subdiaconatum, et diaconatum requirit concilium [6] ut sint *litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi.* Utrum autem licite possit ordinari subdiaconus vel admitti ad beneficium qui adhuc nescit ordinare officium divinum, sed probabiliter de brevi praesumitur instructum iri, ut promittit. Recte affirmant Sanch. [7] et Salmant. [8] modo (intellige) interim ab alio adiuvetur ad recitandum. 3. Pro initiandis demum ad sacerdotium vult concilium [9] ut ipsi *ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur.*

791. Sed hic quaeritur 1. quomodo intelligenda verba illa, *ad ministranda sacramenta.* Pal. [10] cum Vasq. et Con. censet intelligi, ut presbyterandi sciant ea quae requiruntur ad bene ministranda, non iam poenitentiae, sed baptismi et eucharistiae sacramenta. Sanch. autem [11] cum Led. intelligit, ut sciant quae sit materia et forma cuiusque sacramenti. Sed melius aiunt Laym. [12] et Salm. [13] cum Aversa Rodr. et Philib., presbyterandum debere quidem scire ea quae spectant ad sacrificium et sacramenta baptismi ac extremae unctionis, quorum est minister: circa vero sacramentum poenitentiae non requiri in eo tantam scientiam quanta est necessaria confessario approbato. Unde infero quod quilibet simplex sacerdos debeat habere aliqualem scientiam circa materias magis obvias, quae pertinent ad sacramentum poenitentiae, saltem pro casibus necessitatis, in quibus confessiones excipere tenetur. Et hoc est iuxta doctrinam s. Caroli Borromaei in conc. mediol. v., ubi dictum fuit quod initiandus ad presbyteratum, *circa sacramentum confessionis aliquam* (saltem) *peritiam habeat.* Alias non videtur posse a gravi culpa excusari; etenim Innocentius XIII. in bulla, *Apostolici ministerii*, confirmata a Bened. XIII.

(1) L. 6. p. 2. n. 2251. (2) Dub. 45. n. 10. (3) De ordine c. 5. p. 2. n. 43. (4) N. 14. (5) Ibid. (6) Sess. 23. c. 13. (7) C. 3. dub. 45. n. 6. (8) De ord. c. 5. p. 2. n. 44. (9) C. 14. et 23. (10) P. 8. n. 13. (11) L. 7. c. 1. dub. 45. n. 16. (12) Tr. 9. c. 7. n. 1. (13) Cit. n. 44.

apud Bened. XIV. [1]), explicando praefatum textum concilii (ut ait praefatus Bened. XIV.), nullam aliam benignior-rem interpretationem potuit ei dare, quam illam reducendo ad studium theologiae moralis. Et ratio est quia, cum sit officium proprium cuiusque sacerdotis poenitentiam ministrare in necessitate, quisque sacerdos debet scire ea quae ad tale officium rite peragendum spectant, ut clare infertur ex eo quod docet d. Thom. [2] qui ait: *Ad hoc quod homo ordinis officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia, quod sufficiat ad hoc quod dirigatur in actu ordinis illius..., ideo... talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoveri.* Benignius quidem, ut notat Natal. de Alex.[3]) agendum cum iis qui religionem professi sunt vitae contemplativae, ut sunt camaldulenses, carthusiani et similes. Secus vero cum aliis qui vitam activam profitentur; in his enim eadem scientia requiritur, qua egent alii sacerdotes: *Aliqui* (addit d. Thom. [4]) *ad sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum (supra corpus Christi verum) sicut religiosi... et... talibus sufficit si tantum de scientia habeant, quod ea quae ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad.... actum supra corpus Christi mysticum..., unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant difficiles quaestiones legis...., sed ut sciant quae populus debet credere et observare de lege.* Et hoc quidem ex illo Malach. [5]: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius.*

Unde concludo quod promovendi ad sacerdotium non possint tuta conscientia ad ordinationem accedere, nisi sciant saltem universaliora principia quibus solvant dubia saltem communiter occurrentia proxime moribundis, necnon tenentur distincte scire, quomodo se gerere debeant circa moribundos, nempe quando possint eos absolvere. An in articulo vel periculo mortis, et quali periculo. An praesente confessario approbato. An absolute vel conditionate. Quando moribundum possint censere dispositum ad absolutionem. Quid debeant imponere illi, si habeat casus vel censuras reservatas. Hinc consequenter episcopus, ne communicet peccato illius qui petit sine tali scientia ordinari, debet antequam ordinet certus fieri de tali eius idoneitate vel saltem quod de brevi ille addiscet; alias nescio quomodo posset esse tutus in conscientia. Tanto magis quod undique constat huiusmodi ordinatos, post acceptum presbyteratum, omne studium abiicere, eo quod ad nullum aliud exponi debent examen, quod erat unicus omnium suorum studiorum scopus. Hic etiam advertendum id quod habetur in concilio lateran. IV. [6] (apud Habert [7]) ubi dicitur: *Praecipimus tam in cathedralibus, quam in conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores habere, non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis, ac caeteris quae ad salutem pertinent animarum.*

Quaeritur 2. An illitterati sint omnino irregulares. Nav. [8] dicit inferri ex Trid. [9] esse irregulares, qui linguam latinam non intelligunt; Garcia autem, et Henriquez apud Bonac. [10] censent illitteratos non esse irregulares, ita ut non peccent, si in ordinibus susceptis ministrent, sed hos non posse sine culpa gravi ordines suscipere. Alii vero cum sententia communi, quam tenent Sanch. Conc. [11] Bonac. [12] Tamb. [13] Salmant. [14] cum Reg. Homob. etc. ac Pal. [15] cum Suar. Tolet. Fill. Sayr. et Avila, probabilius docent quod illi qui sunt adeo rudes, ut ignorent etiam prima rudimenta grammaticae, ita ut nesciant praestare ea quae pertinent ad ordinis exercitium, ad quod requiritur sane scientia linguae latinae, ipsi sunt pror-

(1) Notif. 16. et 32. (2) Suppl. qu. 36. art. 2. (3) De ord. reg. 22. (4) L. c. ad 1. (5) C. 2. v. 7. (6) Can. 10. et 11. (7) T. 7. p. 434. (8) Man. c. 27. n. 205. (9) Sess. 23. c. 4. (10) De cens. d. 7. q. 2. p. 1. n. 2. (11) L. 7. c. 1. d. 45. n. 5 (12) Loc. c. (13) Eod. tit. tr. 4. c. 12. n. 1. (14) De ord. c. 5. p. 2. n. 49. (15) De cens. d. 6. part. 10. n. 1.

sus irregulares et graviter peccant tam ordines suscipiendo, quam eos exercendo: et ut dicunt Salmant. et Bon. [1] cum Azor. Suar. Fill. et Reg. nec etiam papa posset cum eis dispensare, quia haec irregularitas non solum est de iure humano, sed etiam divino et naturali; ipsum enim ius naturale dictat non esse admittendos ad aliquod munus qui nequeunt illud exercere. Probatur id ex *c. Illitteratos dist.* 36. ubi illitteratus (intellige *omnino illitteratus*, ut ait ibi Glossa, nimirum *qui nunquam grammaticam audivit*) arcetur a suscipiendis ordinibus, pari modo ac corpore vitiatus. Advertit autem Palaus [2] quod illa tantum ignorantia irregularitatem inducat, quae exercitium suscepti ordinis omnino impedit, et sic pariter Ronc. [3] dicit esse irregularem qui debite et congrue nequit ordinem susceptum administrare. Advertunt etiam Anacl. [4] Holzm. [5] et Viva [6] quod haec irregularitas, sublata causa ignorantiae, de se tollatur sine dispensatione.

Quaeritur 3. An in regularibus ordinandis minor requiratur scientia, quam in saecularibus. Pro iis qui sunt addicti ad vitam contemplativam, prout sunt camaldulenses (ut diximus), carthusiani et similes, commune est inter dd. sufficere quod isti sciant legere et canere, ac ea quae pertinent ad sacrificium, ut docet d. Th. [7] dicens, quod in religiosis qui ordinantur ad altare satis sit scientia, qua possint servare ea quae ad sacrificium spectant, et idem asserunt Natal. de Alex. [8] Esc. [9] et alii passim. Difficultas est, an idem dici valeat pro religiosis aliorum ordinum, qui sunt ad vitam activam instituti. Negat Led. [10] qui dicit eamdem scientiam requiri in religiosis quam in saecularibus, imo maiorem, quia religiosi frequentius assumuntur ad ministeria proximorum; idque probabile putat Escob. [11]. Sed communissime affirmant Salm. [12] cum Scoto et Philib. ac Barb. [13] cum Sylvest. Graff. Henr. Miranda etc. ac pariter probabile putant Esc. [14] et Diana [15]. Ratio, tum quia regulares communiter ordinantur tantum ad chorum et altare; tum quia, si alia ignorent, possunt postea ex sociis ea addiscere: et ab hac sententia non dissentit (ut vidimus) d. Th., dum praefatam doctrinam tradens, generaliter loquitur de religiosis. Id autem quod ait Barb. cum aliquibus, nempe quod possint ordinari regulares, etiamsi quodammodo deficiant in lingua latina, non audeo approbare, nam si in saecularibus initiandis tantum ad ordines minores requirat Tridentinum quod saltem linguam latinam intelligant, quomodo regulares ordinari poterunt ad sacerdotium, adhuc in lingua latina deficientes? Praeterea, addunt Salmant. [16] cum Rodr. et Henriq. pariter ac pro religiosis, sufficere pro saecularibus sacristis, cantoribus et similibus, ut sciant tantum legere, canere et exequi ministeria ordinis. An autem haec doctrina sit vere et generaliter probabilis, nec audeo asserere: sapientibus me remitto.

792. Hic autem advertendum 1. quod episcopus possit quidem sine examine religiosos ordinare, acquiescendo testimonio suorum praelatorum, sed bene etiam potest si velit eos examinare, ut recte dicunt Escob. [17] Mazzotta [18] et Salm. [19] cum Aversa Mirand., et de hoc non est amplius dubitandum post bullam Bened. XIV. (allatam n. 768.) ubi statutum fuit, regulares examinandos esse ab episcopo ordinante.

Advertendum 2. pro omnibus initiandis, quod episcopus teneatur per se vel per alios eos examinare, nisi aliunde sit certus de ipsorum idoneitate per propriam notitiam vel per communem opinionem; ita recte etiam Salmant. [20] cum eisdem aa. cit. Ex omnibus autem praedictis insuper advertendum quod esto episcopus licite pos-

(1) Locc. cc. (2) Loc. cit. (3) De cens. c. ult. q. 6. art. 2. (4) De censuris q. 3. n. 26. (5) T. 1. p. 520. n. 567. (6) De irr. q. 9. a. 4. n. 12. (7) Loc. sup. c. (8) De ord. reg. 22. (9) N. 239.
(10) De ordine c. 7. concl. 4. (11) N. 294. (12) C. 3. p. 2. n. 47. (13) Alleg. 46. n. 14. (14) N. 296. (15) P. 2. tract. 16. r. 51. (16) De ord. c. 3. p. 2. n. 47. (17) N. 273. (18) T. 3. p. 255. (19) Ib. n. 46. (20) Cit. n. 46.

Nil petentes ordinare, si eam afferant, scientiam quam Tridentinum requirit; per hoc tamen non ideo ei prohibetur quominus maiorem exigat scientiam a suis subditis (nam pro alienis aliter sentiendum), maxime si illi ordinentur ad ecclesiam alicuius amplae civitatis, quia concilium in iis quae circa scientiam praescripsit, tantum voluit modum ponere episcopis, ne promoverent aliquem scientia praescripta carentem, non vero prohibuit quin episcopi maiorem scientiam requirant, nisi necessitas loci aliud omnino postularet. Hinc sapientissime d. Fabritius de Chapua archiepiscopus salernitanus (dignus perpetua memoria ob zelum in clero reformando) nullum ad sacerdotium admittebat, nisi prius eum rigoroso examine, etiam ad confessiones audiendas idoneum dignosceret. Utinam praesulis exemplum omnes sectarentur! non quidem invenirentur tot sacerdotes inutiles, imo et ecclesiae perniciosi, quia ex eo quod tales rudes sunt, studium fastidiunt, et ideo in otio marcescentes ad vitia relaxantur. Hic etiam obiter advertendum quod ex pluribus decretis s. c. concilii apud Bened. XIV. [1] episcopus de novo assumptus ad episcopatum, ex iusta causa bene possit examinare parochos, etiam regulares, ex quo infertur quod tanto magis possit examinare confessarios non curatos.

Requiritur 6. titulus sustentationis; *sed de hoc vide dicenda n.* 813.

793. Requiritur 7. ut inferior ordo ante superiorem suscipiatur: et aliter faciens, non solum graviter peccabit, sed etiam incurret suspensionem ab exercitio ordinis suscepti, quousque episcopus dispenset, ex *c. un. de clerico per salt. ord.* Qui autem susciperet ordines minores ante tonsuram, peccabit etiam mortaliter, sed non incurret suspensionem; ita Sanch.[2] et Bon.[3].

Si vero quis susciperet episcopatum ante sacerdotium, invalide susciperet, ut docent Suar. Sanch. et alii communiter apud Salm.[4]. Si autem quis susciperet sacerdotium ante alios ordines, posset quidem episcopus fieri et valide hic suum munus exerceret, non tamen licite ante susceptionem ordinis omissi.

794. Requiritur 8. ut ordinetur tempore debito. Ordines maiores conferri possunt tantum in sabbatis quatuor temporum, sabbato ante dominicam passionis et sabbato sancto; ordines autem minores dari possunt in quolibet festo (modo sit de praecepto, ut explicavit pontificale rom.), si conferantur uni vel duobus, ut habetur in *c. De eo, de temp. ordin.* ubi dicitur: *Licitum est episcopis, dominicis et aliis festivis diebus unum aut duos ad minores ordines promovere.* Utrum autem liceat ordinare plures quam duos. Negat Martin. a s. Ioseph., sed communiter affirmant dd., modo generalis ordinatio fieri non videatur, ita Sanch.[5] cum Innoc. Tab. Arm. Henr. Rebuff. Praep. Turr. etc. Salm.[6] cum Gran. Renzi[7] cum Sylvest. Pal. Bass. Quint. ac Diana[8] cum aliis et Glossa *in dicto c. De eo, v. Ad duos*, ubi dicit: *Numquid plures? utique, dummodo non videatur generalis ordinatio:* Ratio est quia verba textus non sunt apposita taxative, sed exemplificative. Praeterea, dicunt Fagn.[9] cum Host. Barb.[10] Pal.[11] cum Henr. Salm.[12] cum Gran. et Laym.[13] cum declaratione s. c. apud p. Zachariam in adnot. ad Croix[14] ordines minores posse conferri etiam publice in feria 6. ante sabbatum generalis ordinationis (et etiam feria 4. quatuor temporum, ut addit Laym.), modo adsit consuetudo, quam testantur Pal. Salm. et Barb.[15] cum aliis iam esse receptam. Episcopi consecratio potest fieri quovis die dominico, *ex c. Ordinationes 1. et c. Quod die, dist.* 75. Et Diana[16] addit ex pontificali posse etiam in natalitiis apostolorum conferri. Prima autem tonsura quolibet die et loco conferri potest. Conc.[17] et Sanch.[18].

(1) Notif. 9. n. 16. (2) L. 7. c. 5. dub. 14. (3) P. 5. n. 11. c. 1. n. 37. (4) De ord. c. 1. p. 2. n. 41. (5) C. 1. dub. 52. n. 8. (6) De ord. c. 4. p. 5. n. 78. (7) P. 564. qu. 8. (8) P. 10. tr. 11. res. 66. (9) In d. c. De eo, n. 36. (10) Alleg. 11. n. 21. (11) P. 13. n. 2. (12) Cit. n. 78. (13) C. 8. n. 1. (14) L. 6. p. 2. n. 2290. (15) Locc. cc. (16) P. 12. tr. 1. r. 61. (17) T. 10. p. 39. n. 13 (18) Dub. 30. n. 1.

795. Requiritur 9. ut ordinetur per debita temporum interstitia, quae sic servanda sunt. 1. Ut ascendatur ab uno ordine minore ad alium, requiritur aliquod tempus, quod autem a Tridentino non fuit determinatum: sed in hoc bene potest episcopus cum causa dispensare, dum in concilio [1] sic habetur: *Minores ordines.... per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Iustae causae dispensandi videntur esse (ut ait Escob. [2] vita solitaria carthusianorum, ex declar. s. c., item aetas ordinandi nimis provecta, causa studii et arctatio beneficii recepti vel recipiendi. Quale vero intervallum intercedere debeat inter unum et alterum ordinem minorem. Maiol. et Ugol. apud Barb. [3] putant sufficere intervallum de una ordinatione generali ad aliam, sed Sorbo et Campanile [4] dicunt sufficere de uno festo ad aliud. Merito autem dicit Barbosa [5] cum Miranda etc., quod licet episcopus possit dispensare in hoc ex quacumque causa, laudabilius tamen aget si abstinebit a tali dispensatione. Praeterea dicunt Sylvest. [6] ac Rebuff. Henriq. Campanile apud Barbosa [7], et decisum refert ibid. Armendarius, non licere conferre tonsuram simul cum aliquo ordine minori (nisi adsit alicubi consuetudo); sed probabilius videtur oppositum, cum probabilius tonsura non sit ordo. 2. Ut a minoribus ascendatur ad subdiaconatum requiritur spatium anni ex Trident. [8] ubi: *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat. Ecclesiae*, id est ecclesiae cui adscribitur, ut patet ex Trident. [9]. *Utilitas* autem intelligitur illa quae quomodolibet conducit ad bonum ecclesiae ut aiunt Salm. [10]. Qui autem susciperet subdiaconatum ante annum sine dispensatione graviter peccaret, sed nullam incurreret censuram: vide Salm.[11]. 3. Ut autem ascendatur a subdiaconatu ad diaconatum, etiam requiritur spatium anni, ad quod tamen dispensandum (ut recte ait Croix [12]) non requiritur necessitas vel utilitas ecclesiae, sed sufficit quaevis rationabilis causa iuxta iudicium episcopi, ut patet ex eod. Trid.[13] ubi: *Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur.* 4. Ut demum ascendatur a diaconatu ad sacerdotium, ad minus requiritur spatium anni, adque huius temporis dispensationem non sufficit ecclesiae utilitas, sed etiam requiritur necessitas, ex eod. conc.[14] ubi: *Qui... ad presbyteratus ordinem assumuntur...., hi sint, qui... in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem* (nota) *aliud episcopo videretur, ministraverint.*

796. Praeterea notandum quod ille qui eodem die duos ordines sacros exciperet, non solum graviter peccaret contra praeceptum Trident.[15] ubi: *Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus;* sed etiam incurreret suspensionem ab illorum exercitio, et in irregularitatem incideret, ut patet ex *c. Innotuit, de eo qui furtive etc.* et *c. Litteras*, ac *c. Dilectus, de temp. ord.* Hinc dicitur in *cit. cap. Litteras*, quod si quis in sabbato susciperet unum sacrum ordinem et alium in dominica, continuato ieiunio, id est nulla coena facta, etiam suspensionem incurreret; tunc enim (ut ait textus) ex fictione canonica vespera sabbati et mane dominicae pro uno die computantur; secus vero si ieiunium non fuerit continuatum. Ex quo probabiliter infert Renzi [16] cum Nicolio, quod si quis obtinuerit indultum suscipiendi ordines sacros in tribus diebus festivis, poterit, soluto ieiunio in sabbato ordinationis suscipere unum,

(1) Sess. 23. c. 11. (2) N. 445. (3) In loc. cit. Trid. n. 4. (4) Ibid. (5) N. 5. (6) V. Ordo 2. n. 7. (7) N. 6. (8) Sess 23. c. 11. (9) C. 15. (10) De ord. c. 4. p. 5. n. 86. (11) Ibid. n. 87. (12) N. 2297. (13) D. c. 15. (14) Sess. 23. c. 14 (15) Dicto c. 5. (16) P. 365. q. 7.

et alium in dominica sequenti, idque decisum refert a sacr. congr. die 25. iul. 1662. Praeterea inferunt etiam probabiliter Sanch.[1] Laym.[2] Escob.[3] cum Suar. Maiol. Villal. et Leand. ac Sylvest. Henriq. etc. apud Croix[4] quod si episcopus propter infirmitatem vel aliam causam non possit ordinationem in sabbato exercere, aut eam absolvere, poterit illam continuare in dominica; modo (ut aiunt) continuetur ieiunium tam ex parte initiandi, quam ex parte episcopi, ut recte addit Sanchez. Ad hoc autem non quidem requiritur ieiunium naturale, ut aliqui improbabiliter sentiunt, sed sufficit ecclesiasticum, quia textus de hoc clare loquitur, ut recte dicunt Sanch.[5] cum Sylv. et Tab. ac Escob.[6] cum March. et Leand.

Sed hic dubitatur 1. An suspensio praedicta sit latae sententiae. Negant Diana[7] et Villal. apud Esc.[8]. Sed recte affirmant Nav.[9] Bonac.[10] cum Suarez Sayr. Molf. Turrian. Marchino etc. Idque patet *ex d. cap. Litteras*, ubi sic dicitur: *Ab executione officii sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo disponatur*. Haec tamen suspensio incurritur tantum ab ultimo ordine suscepto, ut bene infert ex praefatis verbis Escob.[11] cum Suar. Sayr. et Molf.

Dubitatur 2. An qui suscipit duos ordines sacros, non servatis interstitiis, suspensionem incurrat. Respondetur: Qui ordinatur continuatis diebus extra tempora, incurrit quidem suspensionem ex bullis Sixti v. et Clementis VIII. prout incurrit etiam qui ordinatur sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam aetatem; vide Tamb.[12]. Qui vero ordinatur diversis diebus, non servatis interstitiis, sed legitimis temporibus, peccaret quidem graviter, sed suspensionem probabilius non incurrit, ut dicunt Bonac.[13] Barb.[14] Croix[15] Renzi[16] cum Suar. Tamb.[17] cum Pal. Salm.[18] cum Turrecr. et Escob.[19] cum Nav. Villal. March. etc. et Cabass.[20] cum Navar. et Sayr. (contra Diana[21]). Licet enim Sixtus v. in quadam extravag. poenam suspensionis imposuerit, tamen illa, respectu ad nostrum casum, sublata fuit a Clem. VIII. ut refert Tamb.[22].

797. Qui autem eadem die susciperet quatuor ordines minores una cum subdiaconatu, etiam peccaret graviter, ut habetur ex *c. 2. De eo qui furtive, etc.* ubi dicitur: *Quatuor minores ordines contulisti, quibus non contentus subdiaconatum etiam temerario ausu recepit.... Mandamus quatenus eum in minoribus dumtaxat celebrare permittas*. Dicit autem Vasq. apud Salm.[23] praefatum textum fuisse revocatum ex Trident.[24] ubi concilium tantum inhibuit duos sacros ordines simul conferri; sed haec doctrina communiter non recipitur, nam concilium id praescribendo textum non revocavit, sed illum in suo vigore reliquit. At hic dubitatur 1. an ab hac prohibitione excuset consuetudo contraria, si alicubi vigeret. Negant Sylvest. Tol. Reg. etc. apud Escob.[25]. Sed verius affirmant Navar.[26] Suar.[27] (qui affert de hoc decr. s. c.) Holzm.[28] Salmant.[29] cum Vill. Marchino Leand. etc. ac Escob.[30] cum s. Ant. Sayr. Molfes. Rodrig. et Miranda, quia huiusmodi consuetudo nullibi videtur reprobata.

Dubit. 2. Utrum taliter ordinatus, ubi non adest contraria consuetudo, incurrat suspensionem. Affirmat Bon.[31]. Sed probabilius negant Escobar.[32] et Suar.[33] quia pontifex in dicto *c. 2.* tantum praecipit episcopo ne permittat ordinato ministrare, non autem eum suspendit. Merito tamen dicit Navar.[34] contra Suar., hunc fieri irregularem quoad ordines superiores suscipiendos, dum ibi sic subditur: *Si vero* (ordinatus) *domum religiosam intravit, et*

(1) Lib. 7. c. 1. dub. 31. n. 4. (2) C. 8. n. 9. (3) N. 433. (4) N. 2291. (5) N. 5. (6) N. 456. (7) P. 5. tr. 10. r. 36. (8) N. 448. (9) C. 27. n. 241. (10) De cens. p. 1. §. 1. n. 450. (11) N. 450. (12) L. 7. c. 11. §. 1. n. 3. (13) D. 8. p. 5. n. 55. (14) In Trid. sess. 23. c. 15. n. 11. (15) N. 2502. (16) P. 560. q. 1. (17) Loc. c. (18) De ord. c. 4. p. 5. n. 87. (19) N. 457. (20) T. I. c. 16. n. 12. (21) P. 4. tract. 2. resol. 55. (22) Loc. cit. (23) De ord. c. 4. p. 5. n. 80. (24) Sess. 23. c. 13. (25) N. 444. (26) C. 25. n. 71. (27) De cens. dist. 31. s. 1. n. 41. (28) N. 86. (29) Cit. n. 80. (30) N. 445. (31) De cens. d. 3. p. 5. §. 1. n. 4. (32) N. 450. (33) L. c. n. 40. (34) Man. c. 27. n. 241

mores eius exegerint, abbas (si voluerit) in aliis poterit ordinibus dispensare. Si igitur indiget dispensatione, erit hic quidem irregularis ad alios ordines recipiendos.

Dubit. 3. an regulares possint ex licentia suorum praelatorum ordinari extra tempora. Negant Vasq. Suar. Lez. Peyr. etc. apud Escob.[1] quia licet Greg. XIII. hoc privilegium concesserit soc. Iesu, tamen expresse prohibuit, quominus aliae religiones in eo communicarent. Sed verius affirmant Laym. [2] Barbosa [3] Esc. [4] cum Machad. Leand. Delacrux Diana etc. ac Salm. [5] cum Aversa Philib. Portel. et Rodr. Ratio quia post Greg. XIII. Clem. VIII. absolute hoc privilegium concessit omnibus mendicantibus, et Urb. VIII. concessit ordini discalceatorum ss. Trinit., ut fert Escob. [6]. Et novissime Bened. XIII. (apud Bened. XIV. [7]) in concilio rom. [8] hoc privilegium confirmavit dicens: *Quod vero ad regulares privilegia a pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constat, decernimus perinde regulares eosdem absque novo indulto apostolico tute posse extra tempora ordinari.*

Dub. 4. an regulares, cum ordinantur extra tempora, possint ordinari in quovis festo duplici, esto non sit de praecepto. Affirmant Diana [9] et Praep. Fagund. Villal. et Homob. apud Esc.[10] Item Suarez Steph. et Manuel. apud Barb. [11], qui id probabile putat. Et idem dicit Croix [12] cum Gobat. Tamb. etc. de iis qui ex indulto ordinantur extra tempora in tribus diebus festivis. Ratio quia Alexander VI. loquens de initiandis per hoc privilegium, dixit posse ordinari *tribus diebus dominicis, sive duplicibus*: non autem dixit de praecepto, sed tantum *duplicibus* (ad differentiam semiduplicium) diebus, qui ut plurimum non sunt de praecepto. Sed negant probabilius, ut videtur, Esc. [13] Azor. [14] et Lugo [15] dicentes non posse ordinari nisi in festo de praecepto, in quo populus vacat ab operibus servilibus. Ratio tum quia Greg. XIII. loquendo de hoc eodem privilegio dixit *diebus dominicis et festivis diebus*, non *festivis duplicibus:* tum quia dies festivus in sua propria significatione denotat diem feriatum, ut explicat Ambrosius Calepinus [16]. Et licet in rubricis missalis et breviarii *festum* accipiatur, prout distinguitur a feriis, in iure tamen *festum* accipitur ut dies in qua vacatur ab operibus laboriosis. Haec quidem secunda sententia est tutior et videtur probabilior; sed primam non audeo reprobare, et dico standum esse consuetudini quae est optima legum interpres.

Notandum autem hic quod ii qui obtinent a papa licentiam suscipiendi ordines sacros extra tempora in tribus diebus festivis, non egeant dimissoriis sui ordinarii, sed tantum testimonialibus, sine quibus ordinans incurreret suspensionem per annum a collatione ordinum, et ordinatus suspensionem perpetuam ab exercitio ordinis suscepti; ita habetur in Tridentino [17]. Ubi tamen notandum quod hoc dicatur de eo qui obtinet indultum suscipiendi ordinem a quocumque episcopo; alias etiam a proprio debet ordinari, vel ab eo dimissorias ad alium accipere. Licentia autem suscipiendi ordines sacros in tribus diebus festivis intelligitur, ut dies sint interpolati, prout refert Croix [18] declaratum a s. c.

798. Requir. 10. locus pro collatione ordinum, de quo in Trid.[19] sic habetur: *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a iure temporibus ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur. Sin autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior (quantum fieri poterit) ecclesia semper adea-*

(1) N. 464. (2) C. 8. n. 2. (3) Alleg. 17. n. 6. (4) N. 466. (5) Ibid. n. 83. 84. et 85. (6) N. 465 (7) Notif. 25. n. 5. (8) Tit. 5. c. 2. (9) P. 5. tr. 25. r. 97. (10) N. 470. (11) Alleg. 17. n. 7. (12) N. 2295. (13) N. 472. (14) P. 2. l. 1. c. 27. qu. 19. (15) Resp. mor. l. 1. d. 56. (16) V. Festus dies. (17) Sess. 23. c. 8. (18) N. 2301. (19) Sess. 23. c. 8.

tur. Scio tamen plures episcopos etiam ordines sacros solere in privato sacello conferre: forte hodie sic usus habet.

Adde, nomine *loci* etiam requiri existentiam episcopi in propria dioecesi; nam si ipse conferret ordines in dioecesi aliena, incurreret suspensionem ab exercitio pontificalium, et ordinatus ab exercitio ordinis suscepti, ex Trid.[1]. Hoc tamen recte dicunt Salm.[2] cum Bonac. Philib. Vill. Henr. etc. non intelligi de collatione primae tonsurae, cum haec sine pontificalibus conferatur. Si autem episcopus rogatus ab alio, in eius dioecesi generalem ordinationem habeat, poterit ordinare non solum subditos suos, sed etiam aliarum dioecesium, ut Salm. [3] cum iisdem aa. et communi, quia Tridentinum [4] hoc prohibuit casu tantum quo aliquis episcopus praetextu cuiusdam privilegii vellet in alterius dioecesi ordinare sine illius licentia. An autem ordinatio debeat fieri ab episcopo celebrante. *Vide dicta n.* 744. *Not.* 2. 799. Requir. 11. Aetas. In quo notandum 1. quod pro prima tonsura requiratur ut initiandus polleat usu rationis, et ideo saltem sit septennis, ut dicit Bened. XIV. in bulla, *Inter sollicitos*, an. 1745. Sed in concordato nostri regni requiritur aetas saltem 10. annorum. Pro ordinibus minoribus nulla in iure assignatur aetas; solent tamen conferri (ut ait idem Bened. XIV. *ibid.*) ab an. 7. ad 14. Pro subdiaconatu vero statuitur annus 22. Pro diaconatu 23. Pro sacerdotio 25. Ita in Trid.[5]. Sufficit autem, ut annus praescriptus sit incoeptus, ita communiter omnes. Vide Salm. [6]. Idque colligitur ex ipso concilio [7]. Praeterea, pro episcopatu requiritur annus 30. et idem dicitur pro cardinalatu, quamvis ex concessione Sixti V. cardinales diaconi possint esse aetatis suae an. 22. Vide Salm.[8]. Pro beneficiatis autem requiritur annus 14., ex Trid. [9]. Sed si beneficium sit curatum, requiritur annus 25. saltem incoeptus. Trident.[10]. Pro canonicatu in cathedralibus requiritur annus 22. incoeptus. Trid.[11]. In collegiatis vero sufficit annus 14. cum in iure nihil pro eo sit statutum. Salm. [12].

Notandum 2. quod is qui sine legitima aetate scienter ordinatur, incurrat suspensionem perpetuam ipso facto ab exercitio ordinis suscepti, et papae reservatam, ut habetur in extravag. Pii II. quae incipit, *Cum ex sacrorum*, et refertur in extensum a Barb. [13]. Eam autem s. Pius V. et Sixtus V. auxerunt, et Clemens VIII. confirmavit, ut refert Escobar.[14]. Si vero praedicta suspensio occulte sit contracta, tunc poterit episcopus delinquentem ab ea absolvere, ex concessione Trid. [15], ut dicunt comm. Bonac. [16] et Salm.[17] cum comm.

Sed dubitatur 1. An incurrat praefatam suspensionem qui ex ignorantia crassa (non tamen affectata) ordinatur ante legitimam aetatem. Affirmant Layman [18] et Bonac. [19]. Sed communius et probabilius negant Nav.[20] Suar.[21] Tol.[22] Barbosa [23] Escob.[24] cum Con. Praepos. Rodr. et Avila ac Salm. [25] cum Trull. Aversa Dian. Vill. etc. Ratio, quia talis suspensio imposita est a Pio II. in temerarios (dum utitur verbo *temeritatem*), quales non sunt qui peccant ex sola ignorantia supina, ut dicemus *l.* 7. *de censur. n.* 47. *et* 48. Hinc dicunt praefati aa. quod taliter ordinatus, completa aetate bene potest ordinem susceptum exercere; si vero ante illam exerceret, peccaret, sed non incurreret irregularitatem.

Dubit. 2. An qui mala fide susceperit ordinem ante aetatem, possit exercere ordinem postquam aetatem compleverit, sine absolutione a suspensione incursa. Affirmant Sotus Corduba et Medina apud Escob. Sed verius id negant Barb.[26] cum Miranda et Escob.[27]

(1) Sess. 6. c. 5. (2) De ord. c. 4. p. 5. n. 75. (3) Ibid. n. 76. (4) L. c. (5) Sess. 23. c. 22. (6) De ord. c. 5. p 1. n. 50. (7) Sess 24. c. 12. (8) L. c. (9) Sess. 23. c. 6. (10) Sess. 24. c. 12. (11) Sess. 22. c. 4. (12) Ibid. n. 58. (13) Alleg. 17 n. 11. (14) N. 265. (15) Sess. 24. c. 6

(16) De censur. d. 3. p. 5. n. 2. (17) Ibid. n. 59. (18) T. 9. cap. 20. n. 2. (19) L. c. (20) Man. c. 27. n. 156. (21) De cens. d. 31. sect. 1. (22) L. 1. c. 48. n. 7. (23) Alleg. 16. n. 15. (24) N. 270. (25) De ord. c. 5. p. 1. n. 59. (26) All. 16. n. 15. (27) N. 256.

cum Bon. Henr. Marchin. Rodr. et Diana. Ratio quia censura iam contracta non tollitur nisi per absolutionem.

Dub. 3. An incurrat irregularitatem qui ante legitimam aetatem suscipit sacerdotium.

Prima sententia affirmat, quam tenent Bonac. [1] et Barb.[2] cum Cov. Nav. Salzed. et Sorbo. Ratio quia hic celebrando cum episcopo ordinante vere hostiam consecrat (ut docet d. Th. [3]) et ideo iam exercet ordinem cum suspensione susceptum.

Secunda sententia vero communior et valde probabilis negat et hanc tenent Suar. [4] Coninch. [5] Diana [6] Esc. [7] cum Sylvest Med. Ugolin. Quaranta Naldo Homob. Marchin.: item Sayr. Avila Henr. etc. apud Barbos. [8]. Ratio 1. quia consecratio illa non censetur actus moraliter distinctus ab ipsa ordinatione: sicut enim tota ordinatio episcopi a principio usque ad finem est unus actus moralis, ita et ordinati: unde non videtur aequum quod ipse una actione morali duplicem incurrat poenam, nempe suspensionem et irregularitatem. Ratio 2. quia in citata extravag. Pii II. (apud Barb.[9]) sic dicitur: *A suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint; et si, huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Quo verbo *durante* videtur pontifex supponere irregularitatem incurri tum solum cum incursio suspensionis iam moraliter tempore praecesserit ordinis exercitium. Item, cum pontifex imponat irregularitatem in praesumentes, minime videtur comprehendere hunc qui non ex propria electione, sed ex necessitate ordinationis debet cum episcopo concelebrare. ReferuntqueSuar.[10] et Escob. [11] huiusmodi ordinatos ex stylo cancellariae non reputari irregulares, cum ipsi tantum a suspensione absolvantur. Et idem dicunt Suar.[12] ac Escob. et Diana [13] cum aliis de diacono vel subdiacono, qui cum tali suspensione in eadem ordinatione canit evangelium aut epistolam. Et idem dicendum de eo qui suspensionem incurrit, cum ordinatur per saltum vel extra tempora, vel sine dimissoriis proprii episcopi, vel eadem die suscipit duos ordines sacros aut ordines minores cum subdiaconatu, iuxta supra dicta.

Utrum autem incurrat irregularitatem qui tantum ordinatur cum excommunicatione prius contracta. Affirmat Bon. [14] cum Navar. Tol. Henr. Sayr. etc. ex *cap. Cum illorum de sent. excom.* et *c. 1. De eo qui furt.* Sed probabilius negant Suar.[15] et Bened. XIV.[16] cum Tamb. Diana Lez. Gibal. etc., et ita refert sensisse s. c. Ratio quia ex praefatis textibus non expresse colligitur quod talis sit irregularis, sed tantum quod sit suspensus; pro cuius tamen suspensionis absolutione etiam ad papam debet recurri, ut advertit Cont. Tourn. [17] cum Gibert; intellige, si suspensio sit pubblica; nam alias potest absolvi ab episcopo iuxta *c. Liceat, sess.* 24. Trident. Tanto magis non incurret irregularitatem qui suspensus vel interdictus suscipit sacrum ordinem: in hoc consentit etiam Bon.[18] cum Sayr. Filliuc. et aliis. Hoc tamen intelligendum, si taliter ordinatus ordinem non exerceat in ipsa ordinatione; nam si v. g. aliquis diaconus vel subdiaconus accedat ad ordinationem iam antecedente aliqua irretitus censura, et in ordinatione susceptum ordinem exerceat canendo evangelium vel epistolam, irregularitatem non effugiet, ut recte ait Cont. Tour. [19]. Ratio quia tunc iam exercet ordinem cum censura prius contracta. Idemque merito ait Cont. Tour. [20] cum Avila procedere de sacerdote qui concelebrat cum episcopo, contra Sayr. et Lay. [21].

800. Notandum 3. quod aetas computanda sit non a die baptismi, sed

(1) Dist. 8. de sacram. q. un. p. 5. n. 15. (2) All. 16. n. 16. (3) 3. p. q. 82. ar. 2. (4) De censur. dist. 31. sect. 1. n. 71. (5) Dist. 16. n. 56. (6) P. 5. tr. 10. r. 57. (7) L. 235. (8) L. c. (9) All. 17. n. 11. (10) N. 74. (11) L. c. (12) N. 72. (13) Locc. cc. (14) De irreg. d. 7. q. 3. part. 4. n. 1. (15) De cens. dist. 41. s. 3. n. 2. (16) De syn. l. 12. c. 5. n. 6. (17) Tr. de irregul. part. 3. cap. 5. concl. 3. (18) L. c. n. 2. (19) Loc. cit. v. si quis. (20) Ibid. (21) De irreg. c. 5. n. 3.

nativitatis, ut constat ex *c.* 3. *et aliis, dist.* 77. Vide Croix [1]. Dubitatur autem 1. An quis mane diei, in cuius vespera complet aetatem requisitam, possit ordinari. Affirmant Dian. [2] Salm. [3] cum Ledesma et Philib. ac Escobar. [4] cum Trull. et Marchin., tum quia minimum pro nihilo reputatur, tum quia dies incoeptus in favorabilibus habetur pro completo; tum etiam quia vespera et mane moraliter sumuntur pro una die. Sed probabilius id negant Croix [5] cum Nav. et Vill., item March. Pasq. et Narbona apud Escob. [6]. Ratio quia v. g. pro subdiaconatu aetas debet esse annus 22 incoeptus, unde qui annum 21 non vere complevit minime potest dici annum 22 attigisse.

Dubit. 2 An dies anni bissextilis possit excludi in supputanda aetate ordinandorum. Affirmant Barbos. Henriq. Sylvest. etc. apud Salm. [7] quia annus requisitus intelligitur per se annus ordinarius, nempe constans 365. diebus. Sed verius negant Bon. [8] Sanch. [9] et Escob.[10] cum March. Molf. Dic. et Dian. Ratio quia ad aetatem requisitam anni sunt computandi iuxta consuetudinem ecclesiae, quae recte statuit de quatuor in quatuor annos addi unum diem, propter horas quae in quolibet anno supersunt.

Certum est autem quod episcopi nullo modo possint in aetate dispensare; verumtamen dicit Croix[11] hodie ex speciali privilegio posse episcopos dispensare ad certum tempus, saltem pro beneficio curato, ubi est necessitas vel utilitas ecclesiae.

801. Requir. 12. insuper ad suscipiendos ordines, ut initiandus exercuerit ordinem prius susceptum in ecclesia ubi est adscriptus, ex Trid.[12]. Sed putant Salm. [13] hoc non esse de praecepto gravi, cum verba concilii magis sint consultiva quam praeceptiva, nempe illa: *At in unoquoque ordine iuxta praeceptum episcopi se exerceant etc.*

Requir. 13. prout praescribit pontificale, ut ordinandi eucharistiam accipiant; sed hoc non sub mortali, ut ait Croix [14] cum Gob. Imo nec sub levi tenentur communicare initiandi ad ordines minores, ut dicit idem Croix cum communi ut asserit. Presbyteri autem verius tenentur communicare sub mortali, cum ipsi vere celebrent cum episcopo, ut diximus ex d. Th. [15].

Requir. 14. probitas vitae, sed de hac iam locuti sumus in *tract. de sacram. in gener. n.* 65. et iterum mox loquemur agendo de vocatione ad sacrum ministerium.

802. Requiritur 15. vocatio divina, de qua cum sit res tanti momenti, unde pendet aeterna salus tam ordinandorum quam populi christiani, mirum est quod tot morales scriptores nullum verbum faciant, praeter paucos, inter quos fuse et egregie signanter scripserunt de hoc puncto Habert [16] et p. Conc.[17]. Quam necessaria sit huiusmodi vocatio patet ex ss. patribus, et ex ipsis sacris scripturis, et praesertim ex illo d. Pauli[18]: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu.* Unde apostoli, ut in locum Iudae alium surrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu, Domine, ostende quem elegeris.* Et ipse Christus [19] dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium .... fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium,* qualis est quidem quivis sacerdos, dum cuivis sacerdoti committitur incumbere saluti animarum. Et rursus[20]: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ... ut fructum afferatis et fructus vester maneat.* Rursus [21]: *Rogate . . . dominum messis ut mittat operarios suos in messem suam.* Illi igitur qui non vocati a Deo in sacra ministeria se intrudunt, ipsi sunt de quibus per Ieremiam [22] inquit: *Non mittebam prophetas, et ipsi curre-*

(1) N. 2506. (2) Part. 9. tr. 9. r. 50. (3) C. 5. n. 31. (4) N. 264. (5) N. 2509. (6) N. 261. (7) De ord. c. 5. p. 1. n. 55. (8) D. 8. q. un. p. 5. n. 14. (9) De matr. d. 24. n. 22. (10) N. 236. (11) N. 2514. (12) Sess. 23. c. 11. et 13. (13) De ord. c. 4. p. 5. n. 74. (14) N. 2223. (15) N. 799. dub. 5. (16) T. 7. p. 453. (17) T. 10. p. 42. (18) Ad hebr. c. 5. v. 4. (19) Joan. c. 10. v. 1. (20) Joan 15. (21) Lucae 10. (22) C. 23. v. 21.

bant. Quo quidem hominum genere, ut ait catechismus, nihil infelicius ac miserius, nihil ecclesiae calamitosius esse potest.

Praecipua autem signa divinae vocationis ad statum ecclesiasticum sunt: 1. Scientia conveniens, de qua iam egimus *n.* 790. 2. Probitas vitae, de qua loquens Trident. [1] sic ait: *Sciant . . . episcopi . . . debere ad hos ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit;* iuxta illud [2]: *Aetas senectutis vita immaculata.* Hinc apostolus [3] prohibet ordinari neophytos, id est (ut explicat d. Th.) *qui non solum aetate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione.* Quapropter idem s. doctor [4] dicit: *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem.* Et alibi[5] ait: *Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.* Hanc rationem de hoc assignans: *Ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Unde sic concludit: *Et ideo praeexigitur gratia, quae sufficiat ad hoc, quod digne connumerentur in plebem Christi.* Idque prius dixit s. Dionysius[6]: *In divino omni non audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus et Deo simillimus.* Qui autem habet sanctitatem ordinariam, nempe solam gratiam habitualem, non potest quidem dici *secundum omnem habitum suum Deo simillimus.* Ad hoc facit etiam illud celebre d. Aug. dictum: *Aliquando bonus monachus vix bonum facit clericum.* Et illud aliud d. Hieron. ad Rusticum: *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis.* Unde scripsit s. Io. Chrysost. [7]: *Multo maior vitae integritas huic* (id est clerico), *quam illis* (nempe monachis) *necessaria.* 3. Signum est recta intentio, nimirum desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum, non autem (ut ait d. Bernardus [8]) *honorem quaerendi proprium aut corporis voluptatem, quae sua sunt, non quae Iesu Christi.*

803. Qui autem sine vocatione, ex talibus signis explorata, in sacrum ministerium se intrudit, non potest quidem a gravi praesumptione excusari. En quomodo s. Anselmus [9] de hoc loquitur: *Qui enim se ingerit et propriam gloriam quaerit, gratiae Dei rapinam facit et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem.* Et ratio huius eruitur ex eo quod docet d. Th.[10] ubi: *Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud* 2. *Cor.* 3.: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Ergo ille qui non ex Deo eligitur, sed ipse se ingerit, non erit idoneus minister; ideo sapienter ait Habert[11], quod iste *non sine magnis difficultatibus poterit saluti suae consulere manebitque in corpore ecclesiae velut membrum in corpore humano suis sedibus motum, quod servire potest, sed aegre et cum deformitate.* Unde concludit: *Licet absolute loquendo salvari possit, difficulter tamen ingredietur viam et apprehendet media salutis.* Cum autem hic magno periculo damnationis se exponat, nescio quomodo a culpa gravi excusetur *qui sciens* (ait doctissimus episcopus Abelly[12]), *nulla divinae vocationis habita ratione, se in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen iniiceret, peccando scilicet in Spiritum sanctum, quod quidem peccatum vix aut rarissime dimitti ex evangelio discimus.*

Huic quidem discrimini tanto magis se committunt episcopi illi, qui non vocatos ad ordines sacros promovent, ex illo apostoli [13]: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quae verba exponens s. Leo[14] dicit: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem,*

(1) Sess. 23. c. 12. (2) Sap. c. 4. v. 9. (3) 1. Tim. 3. (4) 2. 2. q. 189. art. 1. ad 3. (5) Suppl. q. 35. art 1. ad 3. (6) C. 5. de eccles. hierar. (7) L. 2. de sacerdot. c. 2. (8) Declam. in evang ecce nos, etc. (9) In cap. 5. ad hebr. super illud apostoli: nec quisquam sumit, etc. (10) P. 3. q. 27. art. 4. (11) De ord. c. 1. §. 2. (12) In opusc. sacerdos christian. c. 4. (13) 1. Tim. 5. (14) Epist. 1. (alias 87) ad African. 2.

qualis est ille qui non meruit ordinari. Hinc Tridentinum [1] praecipit episcopo ut antequam suos subditos ad ordines promoveat, *institutionem*, *mores*, *doctrinam ... diligenter investiget et examinet.* Undique enim in iure canonico praescribitur et signanter in *c. Nullus dist.* 24., *ut nullus ordinetur nisi probatus fuerit.* Unde sapienter advertit d. Bernard. ad ordines admittendos esse tantum *probatos*, *non probandos.* Ad hanc autem probationem ab episcopo exquirendam, non quidem sufficit quod ipse nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de eius positiva probitate, iuxta sublimitatem gradus ad quem ille inhiat ascendere, ut communiter dicunt Sot. [2] Sanch. [3] Salm. [4] Holzm. [5] et fusius Hab. Merbes. Conc. et alii cum d. Th. [6] qui dicit: *Ad minus* (id est *non solum*, ut bene explicat Glossa) *hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse, sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis vel officii iniungendi diligentior cura apponatur ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.* Qualitas autem promovendorum est illa, quam expressit s. doctor [7] qui dixit: *Ordines sacri praeexigunt sanctitatem ... unde pondus ordinum imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis* (nempe ut addit) *ab humore vitiorum.* Et n. ss. p. Bened. XIV. in bulla *Ubi primum*, sapientissime sic episcopos alloquitur: *Studiosa et magna adhibita diligentia investigandum a vobis est, an eorum qui priorum susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio et in sacris scientiis progressio ut vere digni iudicandi sint quibus dicatur, ascende superius; cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos manere gradu, quam cum suo maiori periculo et aliorum scandalo ad altiorem provehi.*

De tali etiam probatione loquens s. Ioann. Chrysost. [8] dicit: *Quid est illud cito? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque ea res periculo caret; eorum quae ille peccaverit, tu quoque poenam dabis, qui initium dedisti etiam praecedentium delictorum.* Qua de re episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione parochorum, qui humanis ducti respectibus in huiusmodi attestationibus concedendis facile clericis indulgent, ne in se attrahant ipsorum odium eorumque propinquorum; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent, non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas conversationes etc., sed etiam quod ille sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in ecclesiis, sacramenta frequentet et orationem, vivat a saecularibus segregatus, sociis morigeratis comitetur, studio vacet, modesta utatur veste etc. Quod si praelatus sciverit clericum alicuius publici scandali nota intinctum fuisse, tunc non satis erit communem probationem de eo exigere, sed opus erit plurium annorum experientia emendationem eius comprobare; iuste enim tunc metuere debet ne ille pietatem affectet ut ad ordines perveniat, quibus susceptis, ad pristinam redibit pravitatem. Dicet aliquis: Si hoc observaretur, deficerent utique in ecclesia ministri. Recte respondet ad hoc idem Bened. XIV. in bulla supra citata ex conc. lateran.: *Melius est pauciores habere ministros, sed probos atque utiles, quam plures qui nequidquam sunt valituri.* Utrum autem sit semper deneganda a confessario absolutio clerico habituato in vitio turpi occulto qui vult ad ordines sacros ascendere sine praevio continentiae experimento. *Vide dissert. de hoc puncto positam l.* 6. *num.* 63.

(1) Sess. 23. c. 7. (2) 4. sent. dist. 23. q. 1. n. 5. (3) Cont. c. 1. dub. 46. n. 1. (4) De ord. c. 5. p. 2. n. 41. (5) Eod. tit. n. 46. (6) Suppl. q. 36. art. 4. ad 5. (7) In 2. 2. q. 189. art. 1. ad 5. (8) Homil. 16. in Tim.

804 Si autem vocatio divina necessaria sit ad sacerdotium, magis erit necessaria ad officia episcoporum et parochorum, de quibus loquens d. Th.[1] dicit: *Appetere... episcopatum ratione... circumstantium bonorum .... est illicitum ... ad celsitudinem gradus appetere episcopatum est praesumptuosum... sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile. Verum, quia, prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.* Id confirmavit n. ss. p. Benedictus XIV. in bulla novissime edita die 12. aprilis 1753. quae incipit *Inclytum*, inquiens: *Nec unusquisque ignorare debet, a peccati culpa immune non esse desiderium ipsum episcopatus, quia quamvis desiderium aliis iuvandi laudabile sit, tamen cum hoc adiumentum praestari non valeat sine ipsa episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae praesumptionis ortum habet.*

805. « Quaeres quae sint officia ordinatorum.

R Resp. 1. Ostiarii est claves templi servare, aperire et claudere eius ianuas, arcere eos quibus non licet interesse sacris, campanas pulsare, quae intra ecclesiam sunt custodire, ei qui praedicat aperire librum. 2. Lectoris munus est legere in ecclesia lectiones veteris et novi testamenti, item docere catechumenos rudimenta fidei christianae (Item panem et novos fructus benedicere. Salm.[2]. Non autem praedicare, ut commun. Salm.[3] contra Vasq.). 3. Exorcistae munus est manus imponere supra vexatos a spiritibus immundis, ad illos adiurandos et eiiciendos, item ad exorcizandos catechumenos (Tenent Suarez et Sanchez contra Philib. omnes fideles posse exorcizare, quamvis hoc magis possint ordinati ad huiusmodi munus ab ecclesia: et ideo hi solum solemniter illud exercere valent. *Vide dicta l.* 3. *de adiur. n.* 193.). Acolythi munus est praeparare ampullas vini et aquae ad sacrificium missae et porrigere subdiacono, ferre cereos ad idem sacrificium et illi ministrare, unde et ceroferarius dicitur. 5. Subdiaconi munus est immediate subordinari diacono ad sacrificium missae, calicem et patenam illi tradere, urceolum cum aqua praebere, aquam ad lavandas manus infundere, epistolam ex officio et solemniter in missa legere (Adde cum Habert, pallas, corporalia et purificatoria abluere, ut in pontificali praescribitur). 6. Diaconi munus est cantare solemniter evangelium in missa, ministrare immediate sacerdoti in omnibus quae pertinent ad missae sacrificium, vestire altaria, crucem ferre et denique ex commissione sacerdotis praedicare et baptizare (Modo adsit iusta causa, nempe si desit sacerdos qui commode ministret, ut communiter dicunt dd. allati *de euchar. n.* 237. In necessitate vero extrema, nempe si absit alius sacerdos, potest diaconus et tenetur viaticum ministrare, etiam sine commissione pastoris; ita pariter commun. dd.[4]. Et idem currit in administratione baptismi; *vide de bapt. n.* 116. *v.* Certum. Diaconus autem solemniter ministrans baptismum vel eucharistiam sine commissione incurrit irregularitatem. *Vide dicta n.* 116. *v. Dub.* 2. *et n.* 234.). 7. Presbyteri munus est offerre sacrificium missae, absolvere a peccatis, baptizare, benedictiones aquae et similes facere, populum doctrina et exemplo pascere. Escob.[5]. »

Quatuor autem sunt obligationes praecipue eorum qui ad maiores ordines provehuntur, nempe 1. Recitandi horas canonicas. 2. Servandi caelibatum. 3. Habendi titulum, scilicet paupertatis, beneficii vel patrimonii, quo ordinentur. 4. Deferendi habitum et tonsuram. De prima obligatione officii divini iam fuse egimus in *lib.* 4. *n.* 140. Restat hic agere de secunda, tertia et quarta.

(1) 2. 2. q. 185. art. 1.
(2) De ord. c. 3 p. 2. n. 14.
(3) Ibidem.
(4) Ibid.
(5) E. 8. t. 7. c. 1.

§. 1. De obligatione caelibatus.

806. *Quomodo haec obligatio probetur.*
807. *Qu.* 1. *An ipsa sit de iure divino.*
808. *Qu.* 2. *An sit ex praecepto ecclesiae vel ex voto.*
809. *Dub.* 1. *An ignorans tale votum teneatur ad castitatem. Dub.* 2. *An qui expresse nollet castitatem vovere.*
810. *Quid, si quis ordinatus sit ante usum rationis. Et quid si ante pubertatem.*
811. *Quid, si ordinetur ob metum.*
812. *Qu.* 3. *Quomodo coniugatus, constante matrimonio, possit in sacris ordinari. Dub.* 1. *An istius uxor teneatur religionem profiteri. Dub.* 2. *An talis uxor possit nubere.*

806. Obligationem caelibatus inesse iis qui ad sacros ordines ascendunt, habetur in pluribus canonibus et signanter in *c.* 1. *d.* 28. ubi d. Greg. sic praescripsit: *Nullum facere subdiaconum praesumant episcopi, nisi qui victurum caste promiserit; quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi huius castitas ante susceptum ministerium fuerit probata*. Et in Trid. [1] sic definitum est: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto .... anathema sit.*

Ex quo habetur quod per tale votum, *solemne* dictum, irritum reddatur matrimonium contractum post votum ex *c. un. de voto et voti red. in* 6. Si vero coniugium est antecedenter contractum, ordinatus potest reddere, sed non petere. Et insuper quoties castitatem violabit, toties quoque sacrilegium committet. Vide Salm. [2].

807. Quaer. 1. An haec obligatio caelibatus sit de iure divino, ita ut papa nequeat in ea dispensare. Affirmant Maior. Valdensis etc. apud Salm. [3], et probabile putat Azor. Sed dicendum cum communi dd. (praeciso voto) non esse de iure divino, sed tantum ecclesiastico, quod ministri ordinati in sacris obligentur ad castitatem vel ab ecclesia vel per votum ordinibus annexum; et ideo recte in hac obligatione potest ecclesia cum eis dispensare. Ita s. Th. [4] Caiet. Sot. Sanch. Dic. etc cum Salm. [5] qui plura huiusmodi exempla adducunt. Ratio quia etsi talis caelibatus ab apostolis ortum habuit, ut probant Gon. Val. Sot. etc., tamen tantum ex praecepto ecclesiae sive apostolorum (ut probat Bellarm.) est introductus et firmatus, ut patet ex ipsis verbis Trid. [6].

808. Quaer. 2. An haec obligatio sit immediate ex praecepto ecclesiae vel mediate per votum ordinatorum. Utraque est probabilis ex eodem Trid.[7].

Prima sententia quam tenent Mastr. Bosco Herincx etc. apud Holzm. [8] ac Scot. Pal. Val. et Aversa apud Salm. [9] (qui cum Sanchez merito probabilem putant), dicit quod non ex voto, sed ex sola ecclesiae lege ordinati in sacris teneantur ad castitatem; tum quia, cum potuisset ecclesia per se adstringere ministros sacros ad castitatem servandam, cur dici debet quod insuper votum sacris ordinibus annecti voluerit, dum hoc expressum in iure non habemus? Tum quia, si obligatio caelibatus esset ex voto, sequeretur quod qui tale votum invincibiliter ignoraret vel qui expresse nollet illud emittere, non teneretur inde ad castitatem, quod quidem absurdum et perniciosum esset.

Nec obstat dicere quod iuxta sententiam hanc, si sacerdos peccaret contra castitatem, unum tantum peccatum committeret contra castitatem, quia lex ecclesiae, cum sit circa eamdem materiam iure naturali prohibitam, non multiplicat speciem peccati, prout furtum vetitum a lege naturali non habet novam malitiam si prohibeatur a lege humana; et hoc esset contra communem sententiam dd., qui docent ordinatos in sacris laedentes castitatem, etiam peccato sacrilegii peccare. Nam recte respondent Aversa et Salm.[10] quod praeceptum humanum bene multiplicet specie, quando ex diverso motivo praecepto naturali su-

(1) Sess. 24. c. 9. (2) De ord. c. 6. dub. 1. n. 2. (3) De ord. c. 6. dub. 1. n. 9. (4) 2. 2. qu. 88. a. 11. (5) Ibid. n. 11. (6) In cit. can. 9. (7) C. 9. (8) P. 268. n. 105. (9) Ibid. dub. 2. n. 18. et seq. (10) De ord. c. 6. dub. 2. n. 23

peradditur; percussio enim clerici duplicem habet malitiam, unam contra iustitiam ex lege naturali, alteram contra religionem ex lege ecclesiae, quae ex motivo religionis prohibet laedere personam Deo mancipatam. Quare procul dubio sacerdos laedens castitatem sacrilegium committit, quia ecclesia ex motivo religionis ob reverentiam ordinis sacri imponit suis ministris observantiam castitatis. Religiosus autem sacerdos, si peccat contra castitatem, praeter peccatum contra castitatem, unum tantum sacrilegii peccatum committit, quia eamdem virtutem religionis, non aliam laedit, ut bene notant Salm. [1] cum Sanch.

Secunda sententia tamen probabilior et communior cum s. Th. [2], quem sequuntur Bellarm. [3] Sanch. [4] Pontius [5] Salm.[6] cum Vasq. Caiet. etc. ac Esc.[7] cum Azor. Navar. et Soto, tenet quod obligatio castitatis non oriatur immediate ex lege ecclesiae, sed ex voto quod in ipso facto ordinationis emittitur. Primo, quia hoc iam est expressum in iure, et praecise in *c. Cum olim, de clericis coniug.* ubi dicitur: *Non igitur attendentes, quod orientalis ecclesia votum continentiae non admisit etc.* Ergo in ecclesia occidentali seu latina votum castitatis iam admittitur. Secundo, quia, si obligatio castitatis tota esset ex lege ecclesiae, posset pontifex omnes etiam sacerdotes ab illa absolvere; sed hoc esset contra communem sententiam dd. qui tantum in casu urgentissimo concedunt pontifici in hoc dispensare cum solis ministris, ut dictum mox *n.* 807., sed non cum sacerdotibus [8].

809. Sed hic dubitatur 1. an teneretur ad servandam castitatem qui invincibiliter ignoraret votum illius ordini annexum. Salm. [9] dicunt teneri ex communi dd. vel ex vi voti implicciti, ut ipsi sentiunt cum s. Thoma et Sanch. vel ex praecepto ecclesiae, ut alii iuxta primam sententiam probabiliter putant. Alii tamen, ut Croix [10] cum Pal. et Conin., adhuc probabiliter censent quod si ignorantia omnino fuisset invincibilis, ordinatus non teneretur ad castitatem, neque ex voto neque ex praecepto ecclesiae, quia ecclesia non intenderet talem obligare; secus vero si ignorantia fuisset culpabilis, vel si quis ordinem intenderet suscipere cum eadem obligatione qua alii suscipiunt, ut infertur ex dictis *l.* 3. *n.* 201. *v. qu.* 1.

Dubit. 2. An teneretur ad castitatem ordinem suscipiens, si expresse nollet castitatem vovere. Putat Philib. quod etiam teneretur ex voto: hoc parum probabile videtur. Censent vero Salmant.[11] cum Dicast. quod tunc teneretur ad emittendum votum; et interim dicunt quod talis si peccaret contra castitatem, non committeret sacrilegium; sed hoc ultimum, nempe quod hoc non esset sacrilegium, nec satis probabile videtur, et est contra communem, ut ipsi fatentur Salm.[12]. Hinc probabilius dicunt Sanch.[13] cum aliis et Holzm.[14] cum Amico Sayr. etc. quod in tali casu is teneretur ad castitatem, non ex voto, sed ex praecepto ecclesiae, quae ex religionis motivo (ut diximus) eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret.

810. Notandum autem certum esse quod ille qui est ordinatus ante usum rationis, quamvis valida sit ordinatio (ut probatum est *n.* 782. cum d. Th. et aliis communiter, ex *cap. un. de clerico per saltum etc.*), non tenetur tamen ad castitatem; unde valide ac li-

(1) Ibid. n. 39. (2) 2. 2. q. 88. a. 11. (3) T. 1. de matr. c. 21. (4) Eod. tit. l. 7. dist. 27. n. 10. (5) L. 7. c. 27. n. 7. (6) Ib. n. 25. et 26. (7) N. 476 (8) Nihilominus Iulius III. 16. saec Cardinali Polo, legato suo in Anglia sub Maria regina, facultatem concessit dispensandi cum clericis saecularibus, tantum presbyteris, diaconis et subdiaconis, qui tempore schismatis anglicani matrimonium de facto attentaverant, ut, dummodo alter eorum superstes maneat, inter se legitimum matrimonium contrahe-rent, de caetero sine spe coniugii ac omni ordinum ipsorum exercitio sublato. Pius VII. quoque in constitutione confirmatoria concordati die 15. augusti 1801. declarat, se per breve eiusdem dici vestigia fuisse secutum Iulii III. circa ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti, tempore revolutionis gallicanae matrimonia attentaverant. (9) Ibid. n. 55. (10) L. 6. part. 2. n. 2162. (11) De ord. c. 6. dub. 2. n. 57. (12) Ibid. n. 23. (13) De matr. t. 2. l. 7 d. 27. n. 12. (14) P. 266. n. 102

cite potest inire matrimonium. Ita Croix [1] et Salmant.[2] cum Sanch. Suar. Dic. et communi. An autem teneatur ad castitatem qui post usum rationis, sed ante pubertatem ordinatur. Affirmant Pont. [3] Bonac. [4] et Escob. [5] cum Caiet. Conc. etc., quia de iure naturali iam adest obligatio hoc votum servandi; e converso nullum adest ius canonicum tale votum irritans. Hoc est quidem probabile, sed non improbabiliter id negant Sanchez [6] Salm [7] cum Dic. Aversa etc. ac Barb. [8] cum Abb. Host. Navar. Soto et Henr. Ratio quia tale votum hominem constituit in statu irretractabili, in quo pontifex numquam aut raro dispensat, unde tale votum maturum et perfectum usum rationis efflagitat. Idem dicitur de eo qui invalide ordinatur vel ex defectu formae aut materiae vel intentionis; puta, si quis per vim aut metum ordines susciperet, sine animo se ordinandi, ut Salmant.[9] et Croix [10] cum communi (Et hic notandum quod qui non obligatur ad castitatem, nec ad officium divinum teneatur, ut dictum est *l. 4. n. 414. v. Quaeritur*). In dubio tamen praesumendum est pro valore ordinationis, ut Croix [11].

811. Sed dubium est an teneatur ad castitatem qui ordinatur ob metum gravem, sed cum animo se ordinandi. Pontius [12] ac s. Antoninus Sot. Pal. etc. apud Croix [13] dicunt teneri, donec a papa dispensetur, quia metus minuit, non vero tollit voluntarium. At probabilius Sanc.[14] Bon.[15] Escob.[16] cum Sayr. Conc. et Graff. ac Salm. [17] cum Azor. Dic. etc. dicunt non teneri, et valide posse matrimonium contrahere (non posse tamen in ordine ministrare, constante matrimonio, neque privilegiis clericalibus gaudere. Vide Salmant. [18]). Ratio quia iam ex probabiliori sententia, ut supra, ordinati non tenentur ad castitatem, nisi ex voto, et verius est quod votum metu gravi extortum irritum est, ex *c. Cum dilectus, de iis qui vi etc. Vide dicta l. 3. n. 197. v. Sed quaestio.* Limitant tamen hanc sententiam Salm. [19] cum Nav. et Vega, si hic postea, metu remoto, ordinationem ratificaret aut verbis aut in ordine ministrando, modo sciat et advertat per huiusmodi actum tali obligationi se subiicere. Caeterum consultum est ut tales metu ordinati petant dispensationem, quam pluries concessit s. c. ubi solide metus probatus fuerit, prout refert p. Zacharia apud Croix [20].

Quid, si metus ex iusta causa sit inflictus, puta si episcopus ob inopiam ministrorum adstringeret metu aliquem ad se ordinandum? Probabile putant Sanch.[21] et Dicast. ex Navar. apud Salm.[22] non teneri hunc ad votum castitatis, quia probabiliter (ut dicunt) metus, sive sit iustus sive iniustus, et sive gravis sit vel levis, semper irritat votum. Sed melius oppositum tenent ipse Sanch. [23] et Salm. [24] cum Dic. et Philib., quia eo casu esset ille irrationabiliter invitus, et ideo metus votum non irritat, sicut nec etiam irritat matrimonium iuxta dicenda *de matr. n.* 1057.

812. Quaer. 3. Quandonam coniugatus, constante matrimonio, possit sacris ordinibus initiari. Certum est quod sine licentia uxoris non liceat uxorato ordines sacros suscipere, nec etiam primam tonsuram ex *c. ult. de Temp. ord. in* 6. *et in Extrav. Antiquae, de voto.* Imponitur imo irregularitas in eum qui sine dicta licentia vel legitimo divortio in sacris ordinatur, etiamsi matrimonium non fuisset consummatum, quia hoc dirimitur tantum per professionem religionis, non vero per ordinationem, ut in *ead. Extrav.* Vide Salm. [25].

Probabile tamen est cum Sanchez Aversa et Salm. [26] quod, qui post matrimonium tantum ratum ordinaretur

(1) N. 2161. (2) Ibid. p. 1. n. 42. (3) L. 7. d. matr. c. 29. n. 15. (4) Eod. tit. q. 5. part. 9. n. 9. (5) N. 437. (6) De matr. l. 7. d. 3. n. 8. (7) De ord. c. 6. p. 1. n. 43. (8) All. 15. n. 4. (9) Ibid. n. 45. et 46. (10) N. 2162. (11) N. 2205. et 2250. (12) De matr. l. 7. c. 29. (13) N. 2165. (14) De matr. l. 7. dist. 19. n. 3. (15) Cit. q. 5. part. 2. n. 14. (16) N. 485. (17) Ibid. n. 46. (18) Ibid. n. 30 (19) Ibid. n. 47. (20) L. 6. part. 2. n. 2165. (21) De matr. l. 7. d. 19. n. 8. (22) De ord. c. 6. p. 1. n. 46. (23) L. c. (24) Ibid. n. 47. in fine. (25) Ibid. [illegible] (26) Ibid. n. 56

in sacris, non teneretur religionem profiteri, ut dicunt [1] s. Anton. Azor. et Led. Quia maius onus est religionem profiteri, quam ad solam castitatem se adstringere.

Licite autem potest coniugatus ad sacros ordines promoveri ex licentia uxoris, modo ipsa castitatem voveat, ut habetur in *c. Coniugatus, de convers. coniug.* Et modo licentia sit expressa et omnino spontanea ex *cap. Consuluit, eod. tit.* Sed hic dubitatur 1. An eo casu uxor ultra votum teneatur religionem profiteri. Affirmant Sanchez [2] et Salm. [3] cum Soto. Sed verius negant Pontius [4] Diana [5] et Hurt. ex Navar. et Sa apud Renzi [6]. Idque clare probatur ex *cit. c. Coniugatus* ubi dicitur: *Nullus coniugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Non dicitur religionem *profitente*, sed *continentiam.* Excipiendum tamen 1. si vir ad episcopatum assumatur, tunc enim uxor omnino debet religionem ingredi, ut statuitur in *c. Sane* 6. *de conv. coni.* Excipe 2. si vir fieret religiosus, et uxor esset iuvenis, ex *c. Cum sis* 4. *eod. tit.* ubi sic dicitur: *Prohibemus ne virum vel uxorem, nisi uterque ad religionem migravit, transire permittas. Verum. si ita uxor senex est et sterilis, quod sine suspicione possit esse in saeculo, dissimulare poteris ut, ea in saeculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem transeat vir eiusdem.*

Dubit. 2. An mulier huius viri ad ordines sacros promoti, si emiserit simplex votum castitatis, valide contrahat matrimonium post mortem viri.

Prima sententia negat et hanc tenent Sanch. [7] Mazz. [8] et Salm. [9] cum communi, ut asserunt, ex *c. Quia sunt* 10. *d.* 28. ubi loquens d. Greg. de secundo matrimonio inito cum huiusmodi uxore, dicit: *Qui male sociati sunt, disiungantur.* Et idem dicitur in *can. seq.* 11. *ib.* Et ratio est quia ecclesia ob reverentiam ordinis a primo viro assumpti, et ob licentiam uxoris voventis, reddit eam inhabilem ad subsequens coniugium. Haec sententia est quidem communior et valde probabilis, sed satis probabilis est etiam

Secunda sententia cum Sot. [10] et Pontio [11] qui dicunt, praefatum matrimonium esse validum; licet enim in praefatis textibus praecipiatur separatio coniugum in poenam secundi matrimonii contracti, non tamen declaratur matrimonium esse nullum, tanto magis quod huiusmodi poena separationis etiam aliis criminibus in iure imponitur (ut probat Pontius [12]) absque eo quod matrimonium sit nullum.

An autem vir qui ex iusta causa perpetuum fecerit divortium ab uxore, possit, ea inscia vel invita, ordines sacros suscipere. *Vide dicenda de matr. n.* 965. ubi dicemus cum communi, quod bene possit.

§. II. De obligatione habendi titulum.

813. *Poena in contravenientes.*
814. *De titulo* paupertatis.
815. *De titulo* beneficii. *Not.* 1. *Iuxta cuius dioecesis laxam desumenda sit sufficientia beneficii. Not.* 2. *Quid, si defectus sit modicus. Not.* 3. *Quid veniat nomine beneficii. An stipendia missarum.*
816. *Et an sufficiat beneficium de futuro.*
817. *De titulo* patrimonii.
818. *Qu.* 1. *An quis possit ordinari ad titulum suae industriae.*
819. *Qu.* 2. *An pater teneatur assignare patrimonium filio volenti ordinari.*
820. *Qu.* 3. *An incurrat suspensionem qui ordinatur sine titulo.*
821. *Dub.* 1. *An qui ordinatur cum patrimonio ficto.*
822. *Dub.* 2. *An qui ordinatur dula fide de reddendo illud donanti.*
823. *Dub.* 3. *An qui post diaconatum illud donanti renuntiat.*
824. *Dub.* 4. *An ordinatus possit patrimonium renuntiare, si habeat aliunde sustentationem.*

813. Certum est ex Trid. [13] quod episcopus neminem ad sacros ordines admittere possit, nisi ille titulum habeat sustentationis, aliter episcopus ordinans, vel dimissorias concedens, tenetur ipse eum alere, usque dum ille titulum habeat ex *c. Cum secundum, de praeb. et c. Accepimus, de aetate et qua-*

(1) Ib. (2) De matr. d. 59. n. 6. (3) Ibid. n. 33. (4) De matr. l. 6. c. 25. n. 7. (5) P. 4. tr. 4. r. 129. (6) P. 371 q. 3. (7) De matr. l. 7. d. 40. n. 2. (8) T. 4 p. 215. (9) De ord. c. 6. p. 2. n. 59 (10) De iust. l. 7. q. 3. art. 3 (11) L. 7. c. 25. n. 10. (12) C. 20. n. 6. (13) Sess. 21. c. 2

lit. ordin. Si vero episcopus rem examinatoribus remiserit, et ipsi mala fide titulum approbaverint, ipsi pro rata tenentur ad ordinati sustentationem, at, si ipsi non habeant unde alimenta praestare possint, actio datur contra episcopum, ut Glossa in *d. c. Cum secundum.* Item, si ordines sacri a diversis episcopis sint collati, quisque episcopus qui ordinavit tenetur pro rata ad alimenta ex *c. 4. De praeb.*

Ad nihil tamen tenetur episcopus vel alii, ut supra), 1. si, debita diligentia iam adhibita, curaverit ut patrimonium esset verum, et casu illud esset distractum, vel fictitium inventum. 2. Si clericus possit aliunde vivere, etiam ex suis honestis laboribus, vel si habeat patrem divitem, quia pater ex iure naturali tenetur filium alere. Salmant. [1] cum Barb.

Deinde hic notandum quod si titulus quo suscepit subdiaconatum, casu pereat, non potest is ad superiorem ordinem ascendere sine novo titulo, Croix[2] cum Pal. et Gob.

Titulus autem sustentationis potest esse vel paupertatis vel sufficientiae, nempe beneficii aut patrimonii, de quibus singulatim hic agendum.

814. Et 1. Quoad titulum *paupertatis:* hoc titulo soli regulares professi ordinantur, non autem novitii, qui ex *Const.* 75. s. Pii v. *Romanus*, non possunt sacros ordines suscipere sub poena suspensionis, nisi patrimonium habeant, exceptis religiosis soc. Iesu, qui post vota simplicia ordinari possunt, et, si inde a religione eiiciantur, teneri superiores eos alere, usque dum habeant unde vivant, dicit Philib. apud Salm.[3] afferens decisionem s. c. Sed Croix absolute hoc negat [4] referens plures alias declarat. s. c. in contrarium, imo p. Zacharia apud Croix [5] addit, quod Bened. XIII. *Motu proprio*, edito an. 1724. die 14. iun. declaraverit in perpetuum, *Societatem non teneri ad ullam subministrationem congruae sustentationis vel alimentorum illis qui post biennium probationis a suis superioribus eiiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum paupertatis promoti fuerint.* Et hanc rationem pontifex ad talem sanctionem praemittit, *ne qui dimissioni causam praebuerint, utilitatem ex sua culpa reportent.*

815. 2. Quoad titulum *beneficii*, ante omnia hic praenotandum est decretum Trid. [6] ubi: *Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare..., compertumque sit quamplures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit s. synodus ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus etc., ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, non constito quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quae eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint, antiquorum canonum poenas super his innovando.*

Not. 1. sufficientiam beneficii desumendam esse iuxta taxam dioecesis ubi est beneficium, si ipsum requirit perpetuam residentiam, si vero non requirit, iuxta taxam originis, ut pluries declaravit s. c. an. 1701. 1708. et 1713.

(1) De ord. c. 6. p. 3. n. 63.
(2) N. 2234.
(3) Ibid. n. 64.
(4) N. 2188. et n. 2196.
(5) Ad cit. n. 2196.
(6) Sess. 21. c. 2. de ref

apud Bened. XIV.[1] qui refert idem corroboratum fuisse ab Innoc. XII. in *Constit. Apostolici ministerii*; quae deinde confirmata fuit et extensa per totum orbem a Bened. XIII.

Not. 2. quod si defectus beneficii sit modicus, licite quis ordinatur, secus si sit notabilis, ut notat Viva ex Diana[2] cum Sanch. et Nav. Notabilem autem merito esse censet Viva[3] defectum quintae partis.

Not. 3. quod nomine beneficii possit etiam aliquis ordinari ad titulum coadiutoriae perpetuae, ut Sanch. et Nav. apud Croix[4] (modo coadiutor ratione illius congruam habeat sustentationem, ut recte advertunt Gonz. et Garc. apud Barb.[5]) vel quotidianarum distributionum, vel capellaniae, vel pensionis, vel praestimonii perpetui (Praestimomonia sunt quidam reditus abstracti ex reditibus beneficiorum). Ita Salm.[6] et Barb.[7] Campanile, et hoc etiamsi officiatura aut capellania illa sit amovibilis, dummodo qui habet ius nominandi, obligetur non removere ordinatum, usque dum hic sibi procuret beneficium aut patrimonium, ut sapienter advertit Bened. XIV.[8].

Non sufficiunt autem ad titulum missarum stipendia aut eleemosynae, cum sint incerta, nisi forte haec communiter occurrant sufficienter ad sustentationem, ut dicit Philib. apud Salm.[9]; *vide dicta n.* 774. Nec sufficit titulus mensae episcopalis, nisi adsit consensus capituli, saltem tacitus, nempe si sciens non contradicat, ut Croix[10] probat ex praxi.

816. Quaer. an quis possit ordinari ad titulum beneficii certi de futuro. Affirmant Sayr. Campanile etc. apud Salm.[11] et admittit Iordan. ap. Croix[12], si ex circumstantiis certe videatur non impedienda possessio. Sed verius negant Barb.[13] cum Led. Garcia Salzedo et Ugol. Bonac.[14] cum Sayr. et Cenedo ac Salm.[15] cum Philib. etc. Quia Trid.[16] requirit omnino pacificam possessionem beneficii, quare is ordinari nequit, etiamsi iniuste impediretur a possessione. Si quis tamen possidet beneficium, sed reditus exigere non possit usque dum fiat sacerdos, bene posset ordinari subdiaconus et diaconus. Ita Barb.[17] cum Armend. et Garc.

817. 3. Quoad titulum *patrimonii* pertinet, ad hunc titulum ex Trident.[18] non possunt omnes ordinari, sed tantum ii *quos episcopus iudicaverit assumendos* (verba Trident.) *pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum.* Patrimonium autem debet esse super re certa et immobili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, nec aere alieno aut hypotheca gravata, ut communiter cum Salm.[19] et Potest.[20]. Hinc non sufficit si aliquis, etiam scripto, promittat ordinando alimenta, sufficit tamen census perpetuus adhuc redimibilis, quia hic de se fructificat, modo episcopus cautionem adhibeat ut, si redimatur, in aliam emptionem applicetur, ut notat Croix. Idque sic admittit etiam Benedict. XIV.[21] et Escob.[22] cum Pal. Marchin. et Leand. ac decisione rotae rom. Sufficit etiam si quis de suis reditibus tot annuos aureos ad sustentationem sufficientes per instrumentum ordinando donet, ut dicunt Ugolin. et Philib. apud Salmant.[23]. Quod admittit Barbos. apud Croix[24] casu quo urgeret penuria sacerdotum. Imo admittit Ben. XIV.[25] ex decr. s. c. etiam quando clericus assumitur pro necessitate vel commoditate ecclesiae. Addit Gob.[26] sufficere ut aliquis comes aut communitas obliget sua bona ad clericum alendum, quod valde probabile mihi videtur, saltem quoad communitatem, sicut et aliis quos consului visum est (etsi Croix[27] oppositum probabilius vocet), Trident. enim nequaquam limitat, ut patrimonium super re stabili constituatur, tantum praescribit[28] quod sit

(1) De synod. l. 12. c. 9. n. 2. (2) P. 4. tr. 4. r. 52. (3) A. 4. n. 5. (4) N. 2269. (5) All. 19. n. 25. (6) De ord. c. 6. p. 4. n. 68. et 69. (7) L. c. n. 24. (8) Notif. 26. n. 11. (9) D. n. 69. (10) N. 2271. (11) Ib. n. 70. (12) N. 2275. (13) All. 19. n. 23.

(14) P. 5. n. 29. (15) L. c. (16) Loco supra cit. (17) N. 29. (18) D. sess. 21. c. 2. (19) De ord. c. 6. p. 5. n. 76. (20) N. 54. (21) Notif. 26. n. 12. (22) N. 578. (23) Ibid. n. 77. (24) N. 2272. (25) Loc. cit. n. 16. (26) Ibid. (27) Loc. c. (28) D. sess. 21. c. 2.

verum et sufficiens ad clericum sustentandum, quia concil. id praecipue cavere intendit, ne ecclesiae ministri ob inopiam emendicare cogantur. Tutior ideo ad hoc erit obligatio alicuius communitatis, quam assignatio alicuius rei stabilis, cum haec facilius deficere possit, quam aliqua tota communitas. Notandum vero quod in concordato nostri regni statutum sit non posse in posterum patrimonia constitui, nisi unice super bonis immobilibus aut super annuis reditibus fixis; *vide verba concordati infra n.* 830. *in fine*. Patrimonium autem computatur loco legitimae, nisi aliud constet expresse ex voluntate patris, Potest. [1] cum Pal. Mol. et Croix [2] contra Vivam [3] cum Garcia.

818. Quaer. 1. an quis ordinari possit sine patrimonio, sed ad titulum suae industriae, puta si sit pictor, ludimagister, vel alius professionis. Affirmant Gonz. Barb. Cord. Henriq. Garcia etc. apud Salm. [4] quia tunc prudenter iudicatur, victum congruum ei non fore defecturum, iuxta mentem conc. Sed verius oppositum est tenendum cum Croix [5] et Sa Diana Sanch. Led. cum Salm. [6]. Et de hoc Bened. XIV. [7] plures affert decis. s. c. et signanter unam emanatam mense octob. 1589. in qua dictum fuit: *Si quis tantum habeat quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor, aut alterius professionis, non potest promoveri, etiamsi id sit sufficiens ad sustentationem vitae.* Item die 23. maii 1609. s. congr. respondit: *Gradum doctoratus tam in theologia quam iure canonico non esse titulum, ad quem aliquis ad sacros ordines promoveri queat, sed requiri omnino vel beneficium vel patrimonium ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficiens.* Ratio quia Trident. statuit quod ordinandus non solum habeat unde vivat, sed etiam, ad evitandas fraudes et errores, praescribit quod legitime constet eum *beneficium* (sive patrimonium) *pacifice possidere.* Quibus verbis excludit quamcumque spem acquisitionis de futuro, cum haec spes per infirmitatem vel aliud accidens deficere possit.

819. Quaeritur 2. an si filius, invito parente, vellet sacerdotium suscipere, teneretur pater illi patrimonium assignare. Affirmandum est cum Sanchez [8] Barb. [9] cum Campanile et Genuensi ac Salm. [10] Philib. etc. Imo isti dicunt, ad hoc posse cogi a iudice ecclesiastico, pariter ac pater cogi potest ad assignandam, prout tenetur, dotem filiae quae dignum matrimonium contraxit, vel quae cupit religionem ingredi, ut dicunt Lopez et Aven. apud Salm. [11].

820. Quaer. 3. an incurrat poenam suspensionis qui ordinatur sine patrimonio aut beneficio.

Prima sententia negat cum Viva [12] et Tol. Con. Phil. Diana Henriq. et aliis apud Salm. [13] cum Sayr. March. et Gob. apud Croix [14], item Escob. [15] cum Tol. Avila Rodr. Henriq. Vivald. Diana et Marchino. Hanc sententiam merito satis probabilem putant Salm. [16] quia, licet in *c. Neminem et c. Sanctorum dist.* 70. imponatur suspensio ipso facto ab exercitio ordinis suscepti illi qui ficto titulo ordinatur, attamen in *cap. Cum secundum, de praeb.* Innoc. III. hanc poenam ordinati commutavit in obligationem ordinantis ad eum alendum, ut ibi notat Glossa, et dicunt Sanchez et Aversa. Cum igitur Trid. [17] innovaverit poenas, intelligitur renovasse poenas quae tunc erant in robore apud sacros canones, nempe quod ordinans teneatur alere ordinatum sine titulo, non autem quoad ordinatum, cuius poena iam erat revocata. Et de hoc Esc. [18] affert declar. s. c. editam anno 1583. (quam referunt etiam Barbosa Garcia et Vivald.) ubi sic dictum fuit: *Ordinatus contra formam huius decreti* (id est concilii) *sine beneficio vel patrimonio, non est per hoc suspensus nec aliquam poe-*

(1) N. 55. (2) N. 2277. (3) Art. 4. n. 6.
(4) De ord. c. 6. p. 3. n. 65. (5) N. 2275.
(6) Ibid. n. 66. (7) Notif. 26. n. 7.
(8) De matr. lib. 4. d. 26. n. 4.
(9) All. 19. n. 65. (10) Ibid. p. 3. n. 87.
(11) Cit. n. 87. (12) Qu. 7. art. 4. n. 76.
(13) De ord. c. 6. p. 4. n. 72. (14) N. 2285.
(15) N. 566. (16) L. c. (17) Sess. 21. c. 2.
(18) D. n. 566.

nam incurrit, sed cogendus est ordinans illi providere, iuxta cap. Secundum apostolum, de praebend. qui solus canon, non alii, a concilio innovatur. Nec obstat bulla s. Pii v. *Romanus*, edita 14. octobr. 1568., ut opponit Bonac.[1], ubi statutum fuit incurrere suspensionem religiosos qui sine patrimonio ordinantur ante professionem; idemque dictum fuit de clericis in communi viventibus. Nam id specialiter pro istis decretum fuit, nec ad alios extendendum. Quod autem moraliter peccet qui sic ordinatur, non revocatur in dubium, ut recte ait Viva [2].

Secunda sententia tamen probabilior quam tenent Suar. [3] Sanch. [4] Bonac. [5] et Salmant. [6] cum Aversa contradicit, concilium enim dixit: *Antiquorum canonum poenas super his innovando.* Dixit *innovando*, ergo etiam poenas revocatas renovavit. Dixit *poenas*, non poenam, ergo non solum poenam ordinantis, sed etiam ordinati renovare intellexit. Dixit *canonum*, ergo innovavit poenas non solius canonis Innocentii III. sed omnium, et ideo addidit *antiquorum*. Nihilominus Salm. [7] advertunt 1. cum Sanch. quod, cum in dictis canonibus non requiratur possessio, si quis ordinaretur cum vero titulo, sed sine illius possessione, peccaret quidem contra praeceptum Tridentini, sed non incurreret suspensionem. Advertunt 2. quod cum antiquitus non requirebatur titulus sufficiens ad sustentationem, sed quicumque titulus sufficiebat, ut dicunt [8] Nav. et Manuel., valde probabile est excusari a poena qui ordinatur cum titulo insufficienti, quamvis non excusetur a peccato. Advertendum autem 3. cum Viva [9] quod in synodo dioecesis neapolitanae imponatur suspensio ipso facto archiepiscopo reservata iis qui ficto titulo etiam primam tonsuram suscipiunt, et omnes ad id concurrentes incurrunt pariter ipso facto excommunicationem reservatam.

(1) P. 5. n. 17. (2) L. c. (3) De censur. d. 31 sect. 1. n. 35. (4) Cons. l. 7. c. 1. dub. 35. n. 12. (5) D. 3. q. unic. p. 5. n. 25. (6) De ord. c. 6. p. 4. n. 75. (7) Ibid. n. 75. (8) Ib. (9) Loc. cit. (10) N. 566. (11) De exam. ord. n. 64. (12) De matrim. dist. 32. n. 8. (13) De censur. dist. 31. sect. 1. n. 35. (14) L. c. p. 5. n. 21. (15) All 19. n. 37. (16) De ord. c. 6. p. 5. n. 78. (17) Ib. n. 65. (18) Notif. 26. n. 16. die 27. nov. 1710 (19) Cit. n. 78. et 79

821. Sed iuxta hanc secundam sententiam, scilicet quod ordinatus sine patrimonio incurrat suspensionem

Dubitatur 1. an aliis in locis, quam Neapoli, incurrat eam qui ordinatur cum patrimonio ficto.

Prima sententia, quam tenent Esc. [10] cum Tol. et Avila, item Palaus Diana Gobat. etc. apud Potest.[11], negat quia Tridentinum innovat poenam suspensionis, sed sub clausula, *nisi prius legitime constet eum beneficium sive patrimonium pacifice possidere.* Dicunt autem quod quando quis ordinatur cum patrimonio ficto, iam externe de ipso constet; ergo quamvis hic peccet in quantum facit testes iurare falsum, non incurrit tamen suspensionem.

Secunda sententia affirmat, et posita tamquam vera sententia ut supra, quod incurrat suspensionem ordinatus sine patrimonio, hanc sequendam censeo cum Sanch.[12] Suar.[13] Bon.[14] Barbosa [15] et Salm.[16] qui eam certam vocant cum Fagn. Leand. Bon. Led. Rodr. Potest.[17]. Isti enim dicunt quod ordinatus cum patrimonio ficto non solum peccet, testes mendaces adhibendo, et ecclesiam decipiendo, sed incurrat suspensionem. Ratio quia is qui ordinatur cum patrimonio ficto, revera sine patrimonio ordinatur, iuxta mentem concilii et canonum qui requirunt titulum ne clericus cogatur emendicare, et ideo dixit concilium, *nisi prius legitime constet etc.*: illud *legitime* significat etiam documenta tituli legitima esse debere. Alia urget ratio, quia cum quis ordinatur sine patrimonio, tenetur episcopus ordinans eum alere, sed non tenetur si, ipso inscio, ordinatur ille cum patrimonio ficto; et sic decisum refert a s. c. Bened. XIV. [18]. Idem dicendum merito putant Salm.[19] cum Nav. Rodr. etc. si patrimonium constitutum fuerit in sola apparentia, quin translatum fuerit rei dominium in clericum, quia tunc idem esset ac si non esset constitutum.

822. Dubit. 2. an incurrat suspensionem qui ordinatur cum patrimonio donato, sed data antapoca vel fide de reddendo illud donanti post ordinationem. Dicitur *post ordinationem*, nam si renuntiatio ante eam fieret, certum est renuntiationem esse validam, et tunc sine dubio (iuxta eamdem secundam sententiam allatam *n.* 820.) ordinatus suspensionem incurreret, ut bene notat Bonac. [1]. Dubium igitur est si pactum sit de restituendo patrimonio post ordinationem.

Prima sententia dicit non teneri clericum tale pactum exequi, et ideo non incurrere suspensionem; hanc sententiam tenent Diana [2] cum p. Ledesm. et Vill. ac Escob. [3] cum Sa et Leand. Ratio, tum quia eo casu episcopus acquirit ius supra patrimonium illud, cum alias ipse tenetur alere ordinatum, tum quia in Trid. [4] dicitur quod titulus ordinationis (sive sit patrimonium sive beneficium sive pensio) *sine licentia episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possit.* Et pactum illud, cum sit contrarium dispositioni concilii, tamquam turpe reiicitur, et ideo cum clericus ille sit vero titulo ordinatus, suspensionem non incurrit.

Secunda sententia autem dicit clericum teneri patrimonium restituere, et suspensionem incurrere, eamque tenent Avila Corduba Lopez et Delacrux apud Dianam [5]. Ratio quia tale pactum, esto sit illicitum, non tamen reprobatur in iure, unde clericus sic ordinatus tenetur in conscientia reddere patrimonium cum ea conditione donatum. Sed omnino distinguendum cum Pal. [6] et dicendum quod si donans verum habuerit animum donandi, tunc, licet clericus peccaverit acceptando donationem sub tali pacto post ordinationem, tamen non tenetur patrimonium restituere, propter rationem supra a prima sententia allatam, quia pactum reiicitur utpote oppositum Tridentino prohibenti alienationem patrimonii sine licentia episcopi, et ideo suspensionem non incurrit. Ita sentiunt, praeter aa. ibi citatos, Tol. [7] et Barb. [8] cum Garcia Manuel. et aliis, et sic declaravit s. c) die 6. mart. 1638. (apud Bened. XIV. [9]. dicens: *S. c. censuit eum qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem factam esse ipso iure nullam.* Et sic pariter s. c. pluries declaravit (ut refert p. Zacharia apud Croix [10]) omnem permutationem, hypothecationem, aut fideiussionem patrimonii seu tituli, sine licentia episcopi esse invalidam, etiamsi ordinandus habeat unde vivat. Si vero donans non habuerit veram intentionem donandi, tunc quidem ordinatus tenetur patrimonium restituere, quia tunc nunquam acquisivit illius dominium, cum illa non fuerit vera donatio, sed fictio donationis, ac propterea talis suspensionem incurrit, ita Nav. [11] Bonac. [12] (qui id ut certum habet) Sanch. [13] cum Maiol. Met. etc. Roncag. [14] cum Tamb. et Salm. [15] cum Philib. Gabr. etc., item Marchant. Garcia Turrebl. Lop. etc. apud Escobar. [16]. Neque huic obstat Tridentinum, quia concilium prohibendo alienationem patrimonii loquitur de clericis qui illud vere adepti sunt, ut patet ex ipsius verbis, *patrimonium vero vel pensionem obtinentes.* Neque episcopus ullum ius acquirit super re ficte donata, cum episcopus ordinans bona fide ad nihil teneatur, ut recte ait Sanchez [17] cum Navarro et Decio. Advertendum tamen hic, quod esto clericus teneatur eo casu in conscientia reddere patrimonium ante iudicis sententiam, attamen donans (ut bene etiam aiunt idem Sanch. [18] cum Corduba et Salm. [19] cum communi) in foro externo nullam habet actionem contra clericum ad repetendam rem donatam, imo meretur illa spoliari in poenam sui criminis; quapropter videtur talis clericus, si statim sit petitu-

(1) D. 8. q. un. p. 5. n. 25. (2) 5. p. tr. 4. r. 184. (3) N. 369. (4) Sess. 21. c. 2. (5) Loc. cit. (6) P. 11. n. 15. (7) L. 1. c. 43. n. 5. (8) All. 20. n. 50. (9) Notif. 26. n. 28. (10) L. 6. p. 2. ad n. 2286. (11) Man. c. 27. n. 53. (12) L. c. (13) De matr. l. 6. d. 52. n. 8. (14) P. 150. q. 3. r. 1. (15) De ord. c. 6. pag. 3. n. 82. (16) N. 567. (17) L. c. (18) L. c. (19) Cit. n. 72.

rus in iudicio rem sibi adiudicari, posse interim rem retinere (licet suspensionem iam contraxerit) iuxta dicta *l.* 3. *n.* 890. Et Monacel. refert ita decisum fuisse per s. c. episc., nempe ficte donantem teneri liberum derelinquere patrimonium ordinato.

823. Dubitatur 3. An suspensionem incurrat qui post diaconatum vel subdiaconatum susceptum cum patrimonio vere donato, illud donanti renuntiat (sine ullo praevio pacto), et deinde sacerdos ordinatur occultando renuntiationem. Affirmat Potesta [1]. Sed verius negant Bonac. [2] cum Nav. Henr. Avila Sayr. Molina etc. et Salm. [3] cum Sanch. Diana et Philib. Ratio quia talis renuntiatio est omnino nulla, ut supra vidimus, unde talis sacerdos dicitur cum vero titulo ordinatus, poena autem canonum per Trident. innovata non imponitur eis qui patrimonium alienant, sed qui sine eo ordinantur. Nec obstat quod talis ordinatus de facto non percipiat fructus patrimonii, nam sufficit quod ipse possit fructus percipere, si velit. Idque confirmatur ex decr. s. c. supra citato *n. praec.*

824. Dubitatur 4. An clericus possit renuntiare patrimonium sine licentia episcopi, si habeat aliunde sustentationem. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia affirmat quam tenent Azor. [4] Pal. [5] cum Steph. Gratiano Flaminio et communiori, ut asserit; item Garcia et Molf. apud Salm. [6], et probabilem putant Tamb. [7] Diana [8] et Barb. [9] cum Menoch. Surdo Cevall. et Cassiano, et expresse huic sententiae consentiunt Sanch. [10] et Viva [11]. Eam probant ex Trid. [12] ubi dicitur: *Atque illa* (nempe patrimonia, beneficia, etc.), *deinceps sine licentia episcopi alienari nullatenus possint, donec beneficium sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint.* Si igitur (aiunt) non potest clericus sine licentia episcopi alienare patrimonium, donec aliunde habeat unde vivat, ergo bene potest, si habet unde vivat, etiam sine licentia episcopi; qui caeterum in aliquo casu, puta ad redimendos parentes captivos et simili, potest dare licentiam alienandi patrimonium, quamvis clericus non habeat unde vivat.

Secunda sententia quam tenent Led. et alii apud Vivam [13] dicit talem alienationem esse illicitam, sed non invalidam; imo Suar. [14] dicit esse validam etiamsi clericus non habeat unde vivat.

Tertia sententia vero quam tenent Croix [15] Barbosa [16] cum Quintan. Campanile et Ugol. Escob. [17] cum Marchino Cenedo etc. ac Salm. cum Vasq. Philib. et Leand. dicit huiusmodi alienationem esse invalidam et illicitam. Ratio tum quia, si clericus non habet aliunde sustentationem, nec etiam episcopus (ordinarie loquendo, ut intelligendum est concilium) potest licentiam alienandi concedere, hoc enim significat particula illa *donec*, nempe quod episcopus tum solum licentiam dare potest, cum clericus habet unde vivat, tum quia patrimonium connumeratur inter bona ecclesiastica, et gaudet eodem privilegio, ita ut nequeat a principe saeculari subiici collectis, prout habetur in *cap. Quamquam, de censib. in* 6. Ergo tale patrimonium sine licentia episcopi est inalienabile. Et huic tertiae sententiae mihi magis lubet adhaerere, ob decretum s. c. quae die 4. februar. 1652. (apud Benedict. XIV. [18]) sic respondit: *Renuntiationem patrimonii, ad cuius titulum clericus simpliciter sacris ordinibus fuit initiatus, absque licentia episcopi factam, non sustineri, etiam post assecurationem beneficii ad eius vitam sustentandam sufficientis.* Adverte hic aliud decretum emanatum a s. c. conc. 5. febr. 1604. ubi decisum fuit non esse vetitum clerico hypothecare patrimonium, quoad eam tamen partem fructuum quae supersit ad eius sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, iuxta iudicis ecclesiastici arbitratum.

(1) De ex. ord. n. 77. (2) P. 5. n. 125. (3) Ibid. n. 85. (4) Part. 2. l. 5. c. 4. q. 3. (5) P. 11. n. 13. (6) De ord. c. 6. p. 5. n. 34. (7) De ord. l. 7. c. 6. § 4. n. 19. (8) Part. 9. de 3. r. 25. (9) N. 90.

(10) Cons. l. 7. c. 1. dub. 43. (11) Q. 8. a. ult. n. 6 v. circa. (12) Sess. 21. c. 2. (13) Q. 7. art. 9. n. 6. (14) De censur. d. 31. sect. 1. n. 38. (15) N. 2286. (16) All. 19. n. 90. (17) N. 382. (18) Notif. 26. n. 9

§. III. De obligatione deferendi habitum et tonsuram.

825. *Qu.* 1. *An peccent graviter clerici non deferentes habitum.*
826. *Qu.* 2. *An non deferentes tonsuram.*
827. *Quando isti ob habitum et tonsuram dimissam amittunt privilegium fori et canonis.*
828. *Ad quid teneantur sacerdotes vi* obedientiae *quam promittunt episcopo. An possint religionem ingredi, episcopo contradicente.*
829. *Quae obligatio sit de missis et precibus, quae ab episcopo imponuntur ordinatis.*
830. *De statutis in concordato nostri regni.*

825. Patet ex universo iure canonico clericos teneri deferre habitum et tonsuram clericalem; unde ex Trid. [1] possunt suspendi habitum et tonsuram non deferentes. Sed quaer. 1. An peccet mortaliter clericus qui habitum non deferat. Affirmat Panorm. apud Pal. [2], etiamsi ille sit tantum in minoribus constitutus, et probant ex *c. penult. de vita et honest. cleric.* Alii, ut Salmant., dicunt hunc non peccare graviter (ut revera sentit communis sententia), sed non excusari a culpa veniali, eo quod ipsi quoque tenentur suo statui se conformare. Alii vero communius dicunt huiusmodi clericum nullam habere obligationem deferendi habitum: ita Escob. [3] Navar.[4] Holzm. [5] et Pal. [6] cum Arm. Sylvest. Soto et Ang. Et huic opinioni favet constitutio Sixti v. *Pastoralis,* edita die 31. ianuarii 1588., ubi declaratum fuit habitum clericalem non teneri deferre clericos non recipientes pensionem, fructus aut bona ecclesiastica sibi in una vel pluribus vicibus reservata et concessa, non excedentia valorem annuum 60. ducatorum aureorum de camera. Id autem certum est de clericis coniugatis, ut habetur in *cap. Ioannes de cleric. coniug.* Imo, si sint bigami, non solum non tenentur, sed etiam non possunt habitum deferre, ex *cap. Altercationis, de bigam. in* 6. Maius dubium est de clericis beneficiatis vel in sacris constitutis, an hi peccent graviter si habitum non deferant. Per se loquendo, non dubitandum hos graviter peccare, cum ipsi temeritatis arguantur in Trident. [7] hi verbis: *Tanta... hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales.... Propterea omnes ecclesiasticae personae..., quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia..... ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab episcopo suo..... moniti fuerint, honestum habitum clericalem... non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus.... necnon, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum coerceri.... debeant.* Et hic insuper notandum quod Sixtus v. in bulla *Cum sacrosancta*, edita die 9. ianuarii 1588. (apud Barbosa [8]) declaravit beneficiatos non deferentes habitum in Urbe, mandatisque super his editis sub certo termino non obedierint, praeter alias poenas, ipso facto sine ulla alia monitione privatos esse quibuscumque dignitatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, beneficiis et praestimoniis. Dicit autem Caietanus[9], tales non peccare mortaliter, nisi adsit contumacia aut contemptus, et adhaerent Escob.[10] et Gobat.[11], dicentes non esse mortale, nisi sit periculum causandi contemptum. Sed oppositum omnino tenendum, quia ex concilio patet ipsam delationem habitus laicalis esse parvipensionem honoris clericalis; ita communiter Sanchez[12] Renzi[13] Layman[14] cum Arm. Sylvest. et Vasq. Pal.[15] cum Vill. Salm. [16] cum Bann. et Led. Barbosa [17] cum Abb. et Henr. Escob.[18] cum Reg. et Hurt. ac Bon.[19] cum Nugn. et comm.

Limitant vero 1. omnes praefati aa. et quidem probabilissime, si id fiat ad breve tempus, nisi (aiunt Salm.[20] cum Bannez) quis habitum dimitteret vel occultaret ut alios deciperet vel ut libere per plateas deambularet, vel ut aliquod malum committeret. Et sic pa-

(1) Sess. 14. cap. 6. (2) P. 13. n. 5. (3) N. 438. (4) C. 25. n. 110. (5) N. 103. (6) L. c. (7) Sess. 14. cap. 6. (8) In Trid. l. c. n. 4. (9) Summ. 2. cleric. peccata. (10) N. 491. (11) In exp. tract. 8. n. 769. (12) Lib. 7. cap. 1. dub. 49. (13) P. 546 q. 5. (14) C. 12. n. 2. (15) P. 18. n. 5. (16) De ord. c. 5. p. 1. n. 7. (17) Alleg. 9 n. 11. (18) N. 491. (19) P. ult. n. 2. (20) Ibid. n. 9.

riter probant Diana [1] et Burgh. [2] non excusari a mortali clericum, qui in bacchanalibus excurreret per urbem larvatus. Limitant 2. Holzm. [3] et Pal. Layman apud Salm. [4] si adsit aliqua iusta causa se occultandi, nempe ad vitandum periculum mortis vel damni gravis.

826. Quaer. 2. An peccent graviter clerici non deferentes tonsuram sive coronam (licet corona revera differat a tonsura, sed dd. confundunt). Alii, ut Panor. Soto Sylv. etc. apud Tambur. [5] affirmant de omnibus clericis ex *c. Clerici*, 15. *de vita et hon. cleric.* ubi dicitur: *Coronam et tonsuram habeant congruentem.* Alii, ut ipse Tambur. cum March. Palao [6] et Renzi [7] cum Henriq., dicunt, hoc, secluso contemptu, non esse peccatum mortale, etiam in beneficiatis et clericis in sacris constitutis, quia (ut aiunt) ex nullo textu arguitur esse de hoc grave praeceptum. Alii tamen, ut Sanch. [8] Laym. [9] Escob. [10] et Vasq. Leand. ac Hurt. ap. eumdem Tamb. [11] dicunt clericos in sacris constitutos et beneficiatos graviter peccare si tonsuram seu coronam non deferant, idque confirmatum potest alicui videri ex concilio later. sub Leone x. [12] (apud Merbes. [13]) ubi sic habetur: *Clerici in sacris constituti barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant; si quis contra fecerit excommunicationem incurrat.* Sed huic responderi posset quod hoc concilium praecipiendo tonsuram, non sit locutum proprie de corona, sed potius de abrasione comae, innovando canones conciliorum rom. sub Zacharia papa et Gregorio xi. (apud eumdem Merbes. [14]) ubi dicebatur: *Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit.* Unde saltem non est certum quod excommunicatio fuerit imposita in non deferentes coronam, et etiam quoad comam deferentes, hodie propter usum plurimorum, adhuc Romae degentium (modo coma sit moderata), non videtur poena illa excommunicationis vigere. Caeterum, quoad qualitatem peccati pertinet, Laym. et Escob. [15] pari modo loquuntur de non deferente coronam ac de non deferente habitum. Probabiliter tamen ait Croix [16] facilius mortaliter peccari non deferendo habitum, quam coronam; quis enim (dicit) arguet sacerdotem de mortali, si per 6. vel 8. hebdomadas coronam non deferat, etiam si nullum de ea vestigium appareat?

827. Plura autem hic sunt notanda pro complemento huius materiae. Notandum quod clericus non deferens habitum et tonsuram, si tertio admonitus ab episcopo non emendatur, amittat privilegium, non solum fori, sed etiam canonis, ex *cap. Contingit*, 45. *de sent. excomm.* Idemque dicitur de clerico se immiscente in negotiationibus saecularibus, omissis divinis officiis, ex *cap. Ex litteris*, 16. *de vita et honest. cleric.* Idem de gestante arma militaria in habitu laicali, si post tertiam monitionem clericalem non resumat. Quod si talis clericus armis militaribus indutus insuper enormitates committat, privatur privilegio canonis, ut habetur ex *cap. Si quis suadente*, *caus.* 17. *qu.* 4. Dubitatur autem an hic amittat ipso facto etiam privilegium fori. Affirmant aliqui apud Fagn. [17]. Sed ipse Fagn. cum Alexandro Io. Andrea et Petro de Angar. etc. dicit et probat ex pluribus iuribus non amittere privilegium fori, nisi post trinam monitionem. Hoc tamen intelligitur de beneficiatis et constitutis in sacris, nam de clerico in minoribus statutum est in Tridentino [18] quod *Is privilegio fori non gaudeat, nisi..... clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae de mandato episcopi inserviat vel in seminario..... aut in aliqua schola... de licentia episcopi.... versetur.* Dicunt autem hic Salm. [19] cum Farinac. et Philib., quod particula illa *et* valet pro *vel*. Sed probabilius tenent oppositum Palaus [20] et Barbosa [21] cum Riccio Armendar. et

(1) P. 10. tr. 15. res. 29. (2) Cent. 2. cas 59. (3) N. 103. (4) Locc. cc. (5) De ord. c. 2. §. 6. n. 16. (6) P. 13. n. 3. (7) P. 376. qu. 5. (8) Lib. 7. c. 1. n. 49. (9) C. 12. n. 3. (10) N. 491.

(11) L. c. (12) Sess. 9. (13) P. 279. qu. 13 (14) Ibid. (15) Locc. cc. (16) Lib. 4. n. 1372 (17) In d. cap. contingit, n. 14. (18) Sess. 23. c. 6. (19) De ord. c. 7. p. 5. n. 64. (20) Part. 2. n. 7. (21) In Trident. loc. cit. n. 21. et alleg. 12. n. 19

Bellet. dicentes quod clericus in minoribus, ut gaudeat privilegio fori teneatur deferre simul habitum et tonsuram et ecclesiae deservire. Sufficit vero quod inserviat alicui ecclesiae, etiamsi non sit illa, cui de mandato episcopi fuerit adscriptus, ut declaravit s. c. die 23. ianuar. ann. 1603. apud Benedict. XIV.[1]. Idque tanto magis currit, si nulli ecclesiae sit adscriptus, ex alio decreto *ibid.* edito 1. febr. 1614. Pro his autem minoristis non deferentibus habitum et tonsuram, nulla praeexigitur monitio, ut priventur privilegio fori, prout docent Bened. XIV.[2] et Fagn.[3]. Diximus *privilegio fori;* nam secus dicendum de privilegio canonis, ut tenent Gonzal. Garcia et Comitol. apud eumdem Benedict.[4] qui testatur hanc fuisse constantem sententiam s. c. concilii, afferens plures eiusdem decisiones contra de Luca. Casu vero quo clericus hic, non adimpletis conditionibus Tridentini, commiserit aliquod crimen, licet ipse nequeat allegare privilegium fori, potest tamen episcopus eum sibi vindicare a iudice saeculari, iuxta decretum s. c. approbatum a pontifice, ut refert Bened. Si tamen quis habitum dimissum reassumit, dummodo non sit in fraudem, ad pristina restituitur privilegia, ut docet idem Bened.[5] cum communi dd. in *cap. un. de cleric. coniug. in* 6. et pluribus decretis s. c. Tunc autem praesumitur in fraudem reassumere, si in causa criminali iam sit in carcerem coniectus, aut dimissus sub fideiussione, ut Fag.[6] cum decr. s. c. et idem Benedict.[7]. In causa vero civili, si habitum reassumat, postquam fuerit citatus ad forum saeculare, Bened.[8] cum decr. s. c. edito die 30. martii 1686.

Eodem privilegio fori gaudent clerici coniugati habitum vel tonsuram deferentes et alicui ecclesiae de mandato episcopi deservientes, si unam solam virginem duxerint, ex *c.* 2. *De foro compet.* Vide Salm.[9]. Sed notandum quod in *cap. ultim. de temp. ord. in* 6. prohibeatur coniugatis conferri tonsura, nisi velint ipsi religionem profiteri vel sacros ordines suscipere, quod autem non licet eis sine uxoris licentia.

828. Notandum 1. Sacerdos in sua ordinatione promittit *obedientiam* episcopo. Hinc quaeritur, ad quid teneantur sacerdotes vi huius obedientiae. Noster ss. p. Benedict. XIV. in *Constitut. Ex quo dilectus*, emanata die 14. ianuarii an. 1747. sic explicat: *Agnoscimus presbyterum huiusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia episcopi.* Hoc tamen intelligendum, nisi presbyter etiam parochus velit transire ad aliquod monasterium vel regularem canonicam, ut habetur in *can. Duae sunt caus.* 19. *q.* 2. Tunc enim (ut ibi statuit Urbanus II.) potest libere discedere, etiam contradicente episcopo. Poterit tamen episcopus, ut ait papa Bened. in praefata bulla, clericum suum revocare ex iustis causis, etiam post professionem, nempe si ecclesia ex illius absentia gravem iacturam pateretur, ut ibi dicit Innoc. IV. (*vide dicta l.* 4. *n.* 75.). Per tò autem *iacturam* intelligit pontifex laesionem sive damnum ecclesiae, dum affert doctrinam abbatis Panormitani qui sic ait: *Sed si ecclesia graviter laederetur, esset revocandus.* Unde concludit idem pontifex Benedictus: *Et sic satis provisum est etiam episcopo, qui factum clerici sui ad regularia claustra, se invito, impugnare velit.*

829. Notandum 2. aliquid circa missas et preces quae in ordinatione imponuntur ordinatis ab episcopo. Quoad obligationem pertinet, alii (ut Suarez Less. et Lay. apud Croix[10] putant persolvendas esse sub mortali. Alii tamen ibi (ut Sot. Val. Diana Pal. Pell. Gob. etc.) dicunt probabiliter huiusmodi obligationem esse decentiae, non autem sub peccato; saltem tenet Croix non esse sub gravi, cum id episcopi haud

(1) De synodo l. 12. cap. 6. n. 5. (2) L. c. c. 2. n. 1. (3) In cap. si quis de foro compet.

(4) Loc. cit. (5) L. c. c. 2. n. 1. (6) In c. Magnus, de obligat. (7) L. c. (8) Ibid. (9) De ord. c. 7. p. 5. n. 69. (10) N. 2519.

declararint. Quoad applicandas autem dictas missas, sedulo consideranda sunt verba quae dicit episcopus, videlicet: *Post primam missam tres missas dicite, unam de Spiritu sancto, aliam de beata Virgine et tertiam pro defunctis; et etiam Deum pro me orate.* Ex quibus verbis recte infert p. Mazzotta [1] non esse obligationem applicandi praedictas missas iuxta intentionem episcopi, dum ibi praescribitur tantum ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi bene possunt missas pro aliis applicare etiam cum stipendio. Patet autem quod huiusmodi missae non prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti.

An autem neopresbyter pro missa quam celebrat cum episcopo, possit stipendium accipere. Negat La Croix [2] eo quod petens missam videatur requirere missam cum omnibus caeremoniis et actionibus quae peraguntur a sacerdote in altari. Sed aliter opinatur Bened. XIV. [3] urgens exemplum sacerdotum graecorum cum episcopo celebrantium, qui alias plerumque carere deberent eleemosyna.

830. Notandum 3. id quod habetur statutum an. 1741. circa ordinationem promovendorum in concordato inito inter sanctam sedem et maiestatem nostri regnantis Caroli III. quem Deus sospitet, ubi sic habetur: 1. *Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla prima tonsura, se non che a titolo di beneficio o cappellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro nella diocesi del promovendo.* 2. *Giudicando qualche vescovo veramente utile o necessario alla chiesa conferir la prima tonsura a qualche giovane, benchè non abbia verun beneficio, potrà farlo; ma nel solo caso che abbia il medesimo una pensione ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro nella sua diocesi, o l'intiero patrimonio; il quale, per evitare qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili e sopra annue rendite fisse, e dovrà regolarsi a tenore della tassa sinodale di ciascuna diocesi, purchè non sia esso patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggiore di quaranta.* 3. *Oltre al requisito del beneficio, cappellania perpetua o pensione ecclesiasica perpetua, nella maniera spiegata di sopra, o dell'intiero patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorare almeno per un triennio in qualche seminario o convitto ecclesiastico: e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'abito clericale con licenza del proprio ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle feste di precetto di ciascun de' tre anni non abbia servito a qualche chiesa nella maniera che gli sarà dal proprio vescovo prescritta, computando questo servizio colla dimora che avrebbe dovuto fare in qualche seminario o convitto ecclesiastico, ecc.* Ac ultimo loco dicitur: *Chiunque sarà promosso alla prima tonsura, agli ordini minori o agli ordini sacri contro la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall'esercizio dell'ordine già conferitogli. E chi l'avrà così ordinato, o pure gli avrà a tal effetto concedute le dimissorie, se sarà vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli ordini e dall'esercizio de' pontificali: e non essendo vescovo, ma prelato inferiore coll'uso de' pontificali, sarà sospeso per sempre dall'esercizio de' medesimi; e non avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra persona costituita in dignità, per sempre sarà sospeso dall'esercizio dell'officio e de' suoi ordini.* An autem haec suspensio sit latae vel ferendae sententiae. *Vide dicenda de cens. lib. 7. num. 8.*

(1) De sacrif. miss. c. 4. §. 3. (2) L. 6. p. 2. n. 2323.

(3) De Sacrif. missae l. 3. c. 16. n. 10.

TRACTATUS SEXTUS

DE MATRIMONIO

CAPUT I. DE SPONSALIBUS

DUBIUM I. Quid sint sponsalia.

831. *Promissio sponsalitia, ut sit valida, debet esse* voluntaria *et* deliberata.
832. *An teneatur ad matrimonium ficte promittens sponsalia alteri repromittenti.*
833. *Quid, si quis voluit promittere, sed non se obligare.*
834. *Quando obligentur pueri.*
835. *An sint valida sponsalia contracta per dolum.*
836. *Promissio debet esse* mutua. *Qu.* 1. *An acceptans sponsalia intelligatur repromittere.*
837. *Qu.* 2. *An quis possit se obligare ad nuptias vi gratuitae promissionis. Et an haec obliget sub gravi.*
838. *Promissio debet esse* expressa signo. *Quid, si parentes contrahant pro filiis tacentibus.*
839. *Dub.* 1. *Quid, si extranei. Dub.* 2. *An sufficiat, si parentes promittant pro filiis absentibus.*
840. *Sponsalia debent fieri* inter habiles. *Quid, si verba vel signa sint dubia.*
841. *Verba de praesenti apta ad matrimonium inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in matrimonio clandestine contracto.*
842. *An sufficiat ad sponsalia dicere:* Non ducam aliam quam te.
843. *An dicere:* Contraham si papa dispensaverit. *An sufficiat subarrhatio annuli et missio munerum. Quid, si parentes annulum mittant.*
844. *Qu.* 1. *An sponsalia contracta per metum gravem sint per se nulla. Qu.* 2. *Quid si per metum levem. Qu.* 3. *An, qui contraxit ex metu levi, possit sponsalia rescindere.*

831. » Resp. Sunt promissio voluntaria, deliberata et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas iure habiles. »

Dicitur 1. *promissio*, quia propositum non sufficit, cum non inducat obligationem. Unde qui diceret: *Volo te accipere, habere aut ducere in uxorem*, non contraheret sponsalia, ut Bonac.[1] docet ex aliis, quia haec verba non promissionem, sed propositum promissionis tantum significant, nisi tamen ex circumstantiis aliud colligatur.

Dicitur 2. *voluntaria* et *deliberata*, scilicet deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, cum sponsalia sub mortali obligent. Diana[2] ex Sanch. Pont. etc., etsi Bonac.[3] plus requirat. Unde regulariter non sunt valida ante septennium completum, ut docent Con.[4] Sanch.[5], nisi malitia et prudentia suppleant aetatem. Dian.[6] Pont. etc. (quod tamen quidam negant sufficere, cum ius determinarit aetatem) imo nec post septennium, si de usu rationis sufficienti non constet, uti neque si vi, dolo, errore vel ignorantia circa substantiam aut notabilem conditionem substantialem fiant, secundum dicta de voto et contractibus.

832. Quaer. an teneatur matrimonium contrahere qui ficte promisit sponsalia alteri vere repromittenti. Fictio haec diversimode potest contingere: 1. Si is non habuit animum contrahendi. 2. Si non habuit animum se obligandi. 3. Si non habuit animum adimplendi. In primo casu certe non tenetur stare promissis, cum omnino defuerit promittendi voluntas. Ita Viva[7] et Salm.[8] cum Sanch. Lugo Sylv. etc. communiter. Contra vero in tertio casu certum est teneri, quia iam contraxit obligationem. V. Salm.[9] et Viva[10] qui bene advertunt quod si quis sciret oriri obligationem ex promissione, sed ad eam non adverteret, nihilominus teneretur ad promissum, quia iam habuit virtualem voluntatem se obligandi.

833. Quaestio tantum est de secundo casu, quando is voluit promittere, sed noluit se obligare, et respondetur: si ipse ignoravit ex promissione illa oriri obligationem exequendi matrimonium, certum est non teneri, ut dicunt Salm.[11] cum communi (quidquid aliqui aliter sentiant), quia qui ignorat naturam promissionis, non habet veram promittendi voluntatem. Dubium igitur est an teneatur ad matrimonium qui sciens naturam promissionis ficte promiserit sponsalia, nolens revera ad matrimonium se obligare.

Prima sententia dicit quod iste non solum peccet mortaliter contra iustitiam, sed etiam ex iustitia teneatur ad

(1) Q. 1. p. 1. (2) P. 3. t. 4. r. 275. (3) Q. 1. p. 4. n. 4. (4) D. 22. a 5. (5) L. 1. d. 16. q. 1. 4. n. 8. r. 274. (7) De matr. q. 1. a. 1. n. 1. (8) Eod. tit. c. 1. p. 5. n. 28. de contract. c. 1. p. 1. n. 7. (9) De matr. cit. n. 25. (10) N. 5. et 7. cit. n. 26.

contrahendum matrimonium, nec excusatur, si damnum alio modo velit resarcire. Ratio quia in ipsa promissione, quando est vera, necessario est insita obligatio ipsi competens: cum autem quis minime vult promittere, minime quidem obligatur, sed quando vere promittit, non potest nolle obligari iuxta conditionem contractus; nequit enim a promissione obligationem illi propriam separare; ita probabiliter Pont.[1] cum Vasq. Viva[2], item Sotus Lop. Led. Arag. Gutt. etc. ap. Sanch.

Secunda sententia vero probabilior cui subscribimus et quam tenent Sanchez[3] Pal.[4] Layman[5] Less.[6] Holzm.[7] Spor.[8] Escob.[9] Renzi[10] Tamb.[11] Mazzotta[12] et Salm.[13] cum Bonac. Bec. Aversa Villal. Corneio et Diana, negat esse obligationem contrahendi. Ratio praecipua est quia omnis obligatio quae non habetur ex lege, oritur ex privata hominis voluntate; ergo ubi deest voluntas se obligandi, deficit obligatio. Et hoc etiamsi promissio fuerit iuramento firmata, ut docent Sanch.[14] cum s. Bonav. s. Anton. Medina Pal. et pluribus. Escob.[15] cum Richardo Gabr. ac Salm.[16] cum Bonacina et Aversa ex d. Thom. qui[17] docet iuramentum non obligare ubi deest animus se obligandi, iuramentum enim sequitur naturam promissionis. Nec obstat ratio contraria supra allata, quia, esto ficte promittens peccarit contra iustitiam, alteram partem decipiendo, non tenebatur tamen ex iustitia ponere verum consensum, cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, et contra alter nullum acquisierit ius in eum ex suo consensu, ideo tenetur quidem postea ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere et matrimonium contrahere. Secus vero dicendum si intervenerit defloratio, quia tunc deflorans omnino tenetur ad matrimonium, cum non possit tunc alia via sat aequivalenter damnum resarcire, ut diximus *l.* 3. *n.* 642.

834. Sufficit autem ad validitatem sponsalium inter pueros, ut in ipsis probabiliter agnoscatur rationis usus. Hoc putant probabilius cum communi Salm.[18] cum Sanch. Conc. Dic. Bon. et aliis contra Pal. Aversa etc. qui dicunt pueros ante septennium non obligari. Non peccant autem graviter pueri vel parentes pro eis sponsalia promittentes, ut dicunt Salm.[19] cum Conc. Sanchez etc. contra Bonac. et Henr.

835. An vero sint irrita sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, etsi versantem tantum circa qualitatem. Affirmat Sanch.[20] cum Molina Covar. etc., et idem sentiunt p. Conc. et alii quos citavimus *l.* 3. *n.* 715. *de contract.* Sed ibi diximus probabilius eo casu contractum non irritari, neque de iure naturali, cum iam adsit consensus quoad substantiam, neque de iure civili, ut patet ex *Instit. l.* 4. *tit.* 13. *de Except.* cuius verba attulimus *dict. n.* 715. Habet vero tunc deceptus actionem irritandi contractum propter iniuriam et defectum consensus, idque currit, etiamsi deceptio provenerit ab alio tertio, parte ignorante, ut docent Sanch. cum Cov. et aliis[21]. Caeterum satis probabile est cum Les. Lay. Spor. relatis eodem *n.* 715. et cum Viva[22] quod deceptus non teneatur in conscientia stare contractui, si suus error vere fuerit invincibilis[23].

An autem stando primae sententiae, nempe quod sponsalia sint per se irrita, etiam decipiens liber remaneat. Affirmant idem Sanchez[24] et Pontius[25] cum Con. Val. Reb. etc. Sed oppositum

(1) De matr. l. 12. c. 2. n. 7. (2) L. c. n. 2. v. dico 3. (3) De mat. lib. 1. disp. 9. n. 5. et disp. 30. n. 25. (4) P. 2. n. 2. (5) C. 1. n. 10. (6) C. 18. n. 62. (7) C. 1. n. 117. (8) C. 1. n. 154. (9) L. 24. n. 92. (10) De matr. c. 1. sect. 1. qu. 5. (11) Eod. tit. l. 8. c. 1. §. 4. n. 5. (12) C. 2. §. 1. (13) Loc. cit. num. 20. (14) Dict. disp. 9. n. 9. (15) N. 95. (16) De matrim. c. 1. p. 3. n. 29. (17) In 3. dist. 39 qu. 1. art. 3. q. 3

(18) Ibid. p. 6. n. 74. (19) Ibid. n. 77. (20) De matrimonio lib. 1. d. 64. num. 5. (21 Cit. d. 64 n. 4. et 5. (22) De matr. q. 2. a. 3. n. 2. (23) Probabiliter dicunt Lessius, Laymann, Sporer et Viva, quod si res integra est, ut evenit in simplicibus sponsalibus et error sit invincibilis, in conscientia deceptus non tenetur stare contractui, ne iudicis quidem post sententiam. Hom. Ap. tr. 18. n. 2. (24) Loc. cit. (25) L. 4. c. 21. n. 7.

est probabilius, ut fuse probavimus *l.* 3. *n.* 715. cum Lugo Less. Layman Palao etc.

836. « Dicitur 3. *mutua.* Unde si Titius promittat nuptias Caiae, et haec acceptet sine repromissione, neuter obligatur, quia, cum contractus sponsalium sit onerosus et reciprocus, non potest claudicare : involvit enim conditionem, si tu repromiseris. Quod si tamen Titii promissio fuisset absoluta ac gratuita et acceptata a Caia, solus Titius obligaretur, non vi sponsalium, sed simplicis promissionis. Ita Sanch.[1] contra Pont. apud Diana [2]. »

Quaeritur hic 1. An hoc ipso quod aliquis acceptet sponsalia, simul repromittere intelligatur.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pont.[3] cum s. Anton. Palud. Sylv. etc. ac probabilem putant Salmant. [4] cum Vasq. Henr. Leand. et Gabr. a s. Vincentio. Ratio quia sicut acceptatio matrimonii de praesenti includit virtualem repromissionem seu voluntatem ad illud se obligandi, cum matrimonium valere non possit, si utraque pars non obligetur, ita etiam acceptatio sponsalium quae matrimonii naturam sequuntur. Hinc deducunt hi auctores cum Mol. et Busemb. quod casu quo uterque sponsorum non obligatur, neuter remaneat obligatus.

Secunda sententia vero probabilior negat et hanc tenent Bonac. [5] Conc. [6] Sanch. [7] Laym. [8] Spor. [9] Escob. [10] cum Soto ac Salm. [11] cum Dic. Pal. etc. qui dicunt, bene posse stare promissionem unius de futuro matrimonio, et acceptatam obligare sine repromissione alterius, neque acceptationem includere repromissionem, quia potest quisque acceptare obligationem alterius quin seipsum obliget. Advertunt tamen Salmantic. [12] hoc intelligi, si promittens voluit sponte se obligare independenter ab alterius repromissione, atque hoc sit certum, nam in dubio, ut dicunt, censendum est noluisse sine repromissione obligari. Et in tali casu notandum quod promissio illa non essent sponsalia, ideoque non induceret impedimentum publicae honestatis, sed esset mera promissio gratuita, unam tantum partem obligans, non vi quidem sponsalium, sed vi merae fidelitatis.

837. Quaeritur 2. An quis possit se obligare ad contrahendum matrimonium vi gratuitae promissionis, libera remanente altera parte.

Prima sententia negat et hanc tenet Pont. [13] cum Vasq. Conc. [14] et probabilem vocat Diana [15]. Ratio quia contractus sponsalium est instar contractus cuiusdam permutationis, unde in eo nemo potest se obligare nisi sub conditione, ut alter mutuo se obliget.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, eamque tenet Busemb., ut supra, et Sanch.[16] Laym.[17] Bon.[18] Escob.[19] Spor.[20] et Salm.[21] cum Con. Dic. et Aversa. Ratio quia licet vi promissionis sponsalitiae non possit unus remanere obligatus, altero manente libero, tamen bene potest aliquis vi simplicis promissionis gratuitae se obstringere independenter a contractu sponsalium. An autem haec promissio obliget sub gravi. Id pendet ab alia quaestione allata *l.* 3. *n.* 720. ubi diximus cum Cai. Bann. Led. Henr. et Salm., ex auctoritate d. Th. satis esse probabilem sententiam negativam. Recte vero advertunt Spor. [22] et Tamb.[23] quod regulariter nunquam sponsi intendant gratis se obligare sine conditione quod alter etiam se obliget.

838. « Dicitur 4. *signo expressa;* quia contractus inter homines non fit nisi signo externo. Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas Caiae, etiam cum consensu interno in promissionem matrimonii quod Titius ei promittit. Si tamen pater vel mater pro filio aut filia, aut curator pro eo cuius curam

(1) L. 3. d. 5. (2) P. 3. tr. 4. res. 244. (3) L. 12. c. 4. n. 10. (4) De ord. c. 1. p. 2. n. 16. (5) Q. 1. p. 1. n. 7. (6) T. 10. p. 253. n. 3. (7) L. 1. d. 5. n. 15. (8) C. 1. n. 2. (9) N. 151. (10) N. 63. (11) De matr. cap. 1. p. 2. num. 13. (12) Ibid. n. 21. (13) L. 12. c. 4. n. 2. (14) P. 259. n. 6. (15) 3. p. tr. 4. r. 244. (16) L. 1. d. 5. n. 12. (17) C. 1. n. 2. (18) Q. 1. p. 1. n. 3. (19) L. 24. n. 71. (20) N. 152. (21) Ibid. n. 20 (22) L. c. (23) De matr. tr. 3. c. 1. §. 1. n. 4.

habet, praesente et non contradicente, dummodo metus absit, contrahat, valida erunt, quia in hoc casu ius accipit taciturnitatem pro expressione consensus. Sanch. [1] Diana [2], imo etiamsi pro absente: saltem si is resciens id expresse vel tacite signo aliquo sufficienti ratificat. Sanchez Pont. Diana [3] contra quos Sot. et Henr. ne hoc quidem requirunt, sed tantum ut resciens non contradicat. Quod Coninch. admittit, si per ipsos tutores vel parentes iis proponatur, tunc enim si taceant censeri consentire.

Si parentes contrahant sponsalia, praesente filio qui taceat et non contradicat, ipsa utique sunt valida, ut communiter docent Laym. [4] Palaus [5] Ronc. [6] Sanch. [7] et alii passim. Et patet ex *cap. un.* §. *fin. de despons. impub. in* 6. ubi Bonifac. VIII. sic declaravit: *Porro ex sponsalibus quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel tacite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.* Idemque dicendum, non solum si pater sed etiam si mater contrahat pro filio, ut recte etiam communiter docent Sanch. [8] Pont. [9] Pal. [10] Boss. [11] cum Abb. et Salm. [12], idque infertur ex dicto textu, ubi non dicitur *patres*, sed *parentes;* et ratio est quia in hoc non habetur respectus ad patriam potestatem sed ad affectum parentum erga filios: matres autem non minus quam patres filios diligunt. Idem dicunt Busemb. ut supra et Spor. [13] de tutoribus et curatoribus promittentibus pro pupillis et minoribus. Sed probabilius id negant Salm. [14] cum Sanch. et Guttier. quia hoc tantum de parentibus dispositum est.

Id tamen procedit dumtaxat pro foro externo, ut bene advertunt Bonac. et Ronc. [15] ac Holzman [16] cum Anacl. Nam in foro interno, si filius dissenserit, certe ad sponsalia illa a parentibus contracta non obligatur. Et idem omnino dicendum puto si filius negative se habuerit non dissentiendo neque consentiendo: ad contrahendam enim quamcumque obligationem positivus requiritur consensus. Nec obstat praefatus textus, cum ibi dicatur *obligantur;* nam ad matrimonium, et sic pariter ad sponsalia quae matrimonii naturam sequuntur, non sufficit consensus internus contrahentium, sed requiritur consensus externe expressus aut verbis aut signis, ut habetur in can. *Sufficiat, caus.* 27. *q.* 2. Quamvis autem sponsalia contracta per solum consensum internum non valeant, valent tamen in hoc casu speciali, ut Bonifac. decernit, nempe si pater contrahat pro filio tacente et non contradicente; sed utique intelligendus pontifex loqui, modo filius interne et positive consentiat. Et sic revera mecum sentiunt Bonac. [17] et Salm. [18] dum dicunt, tunc solum taciturnitatem filii valida reddere sponsalia, quando filius interne consentit.

839. Dubit. 1. an sit speciale, quod sufficiat praesentia et taciturnitas filiorum, si parentes pro eis contrahant. Negant Hostiens. Manuel. et Anchar. ap. Sanchez [19] qui dicunt id procedere etiamsi extraneus contrahat sponsalia pro alio praesente et tacente, quia (ut aiunt) cum hic agatur de re appetibili, quisque tacens consentire videtur. Idque confirmant ex *cap.* 1. *de matr. contr. contra eccles. etc.* ubi iudicantur valida sponsalia inita a fratre pro sorore praesente et tacite consentiente, dum textus ponderat ibi aliqua signa taciti consensus. Et huic sententiae consentiunt etiam apud Sanch. [20] Vic. Henr. Led. et Sotus, loquendo tamen pro solo foro externo. Sed communissime et verius id in utroque foro esse speciale pro sponsalibus contractis a parentibus affirmant Escob. [21] Pal. [22] Boss. [23] et Sanchez [24] cum s. Anton. Palud. Innoc. Abb. Gabr. Cov. Tab. et aliis plurimis ex d.

(1) L. 1. d. 22. (2) P. 3. t. 4. r. 170. (3) P. 3. t. 4. r. 171. (4) C. 1. n. 13. (5) P. 4. n. 12. (6) P. 3. 55. q. 5. r. 1. (7) L. 1. cap. 23. n. 5. (8) N. 9. (9) L. 2. c. 14. n. 2. (10) P. 4. n. 12 (11) C. 5. n. 139. (12) De matr. c. 1. n. 4. n. 47 (13) L. c. (14) De matr. c. 1. p. 4. n. 43. (15) L. cc (16) De matr. num. 149. (17) Q. 1. p. 1. n. 11 (18) Ibid. n. 46. (19) L. 1. d. 25. n. 6. (20) L. c (21) N. 169. (22) P. 4. n. 17. (23) C. 5. n. 163 (24) Num.

Thom.[1]. Ratio quia licet matrimonium sit per se appetibile, tamen obligatio ad illud est onerosa; cum autem parentes prae magno amore erga filios praesumantur ipsis bene consulere, merito censentur filii consentire ipsorum promissioni, sed haec ratio non militat pro aliis. Nec obstat regula iuris 43. in 6. *Qui tacet, consentire videtur.* Nam bene respondent Salm.[2] Bonac. et Ronc.[3] hoc procedere in favorabilibus, non autem in obligatoriis, ubi verius oppositum praesumitur, et maxime in sponsalibus, ubi (ut diximus) positivus requiritur consensus. Neque obstat textus supra oppositus, nam respondet Escob.[4] cum Glossa, ibi bene adfuisse expressum consensum, et textum exprimere alia signa tacita, ut confirmet adfuisse verum consensum per illa signa externatum. Recte tamen Sanch.[5] cum aliis primam sententiam admittit, si alicubi (prout est apud indos) esset consuetudo ut consensus per alios exprimatur.

Dubitatur 2. an, cum parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus sufficiat ad eorum valorem, si filii certiores facti non contradicant.

Prima sententia negat dicitque requiri ut ipsi sponsalia ratificent aliquo alio speciali signo expresso vel tacito: ita Sanch.[6] Pont.[7] Ronc.[8] Esc.[9] cum Vega et Cordub. ac Boss.[10] cum Molina Fill. Barbosa Gutt. etc. Et probant ex *eod. cap. unic. de desp. imp. in* 6. ubi sic dicitur: *Et est idem si filii tempore sponsaliorum absentes, et etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacite vel expresse.* Ergo (ut arguunt) bene ibi constituitur differentia inter sponsalia contracta praesentibus filiis, ubi sufficit taciturnitas, et filiis absentibus, ubi amplius requiritur ratificatio expressa vel tacita.

Secunda sententia vero dicit sufficere ad contrahendum quod taceant et non contradicant, hanc tenent Bon.[11] Sporer[12] cum Con. et Tambur. Pal.[13] cum Palud. et Henr. ac Salm.[14] cum Soto Dic etc. Huiusque sententiae est quidem etiam d. Thom.[15] dum ait: *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi inter quos contrahuntur, ad aetatem debitam venientes non reclamant, et intelliguntur consentire quae per alios facta sunt.* Ratio quia ex praefato textu sufficit ut filii expresse vel tacite sponsalia ratificent; *expresse* ergo intelligatur consentiendo, *tacite* non contradicendo, et ideo pontifex dicit, *et idem est;* et in tantum ibi ait *ratificaverunt*, quia agitur de re per alios iam peracta. Utraque sententia est probabilis, sed secunda probabilior. Bene tamen advertit Pal.[16] cum Coninch. non sufficere quod filius casu resciat sponsalia a parente contracta et non contradicat, sed insuper requiri ut parens vel per se vel per epistolam aut nuntium filium certiorem faciat.

840. « Dicitur 5. *inter habiles*, id est qui et aetatem a iure praescriptam habent et nullo impedimento prohibentur.

Unde resolves:

» 1. Quando verba vel signa sunt dubia, in foro conscientiae standum est intentioni contrahentium, si de illa constet, in externo autem, communi intelligentiae et sensui verborum, ita tamen ut potius inclinetur in favorem matrimonii. Vide Diana[17] Bonac.[18] (Sed probabilius est, ut ait Viva, inclinandum esse in favorem libertatis).

841. » 2. Verba de praesenti inter impuberes apta ad matrimonium, cum hoc ex iure positivo sit nullum, habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa intentione contrahentium, quia actus, quando non valent eo pacto quo fiunt, valent meliori modo quo possunt, sponsalia autem virtute continentur in matrimonio. Laym.[19].

Haec doctrina est communis apud omnes, ita enim docent Sanch.[20] Pont.[21] Pal.[22] et Salm.[23] ac alii universe, ex *c.*

(1) In 4. d. 27. quaest. 1. art. 2. (2) De matr. c. 1. p. 4. n. 45. (3) Locc. cc. (4) L. c. (5) N. 14. (6) L. 2. d. 23. n. 17. (7) L. 2. c. 14. n. 14. et l. 10. c. 9. n. 9. (8) P. 155. q. 5. r. 2. (9) N. 172. (10) C. 3. n. 133. (11) Q. 1. p 1. n. 11. (12) N. 191. (13) P. 4. n. 14. (14) De matr. c. 1. p. 4. n. 47. (15) 4. d. 27. qu. 2. art. 2. ad 1. (16) Num. 15. (17) P. 3. t. 4. res. 205. (18) Q. 1. p. 1. (19) L. 3. n. 17. (20) L. 1. d. 2. n. 2. (21) L. 12. c. 3. n. 4. (22) P. 4. n. 3. (23) De matr. c. 1. p. 4. n. 51.

un. §. *Idem, de despons. impub.* ubi id expressum habetur, modo (intelligendum) impubes interius non expresse dissentiat. An autem idem valeat inter puberes, si matrimonium clandestine, id est sine parocho et testibus contrahatur. Affirmant Laym. [1] Con. Reb. ac Vega apud Barb.[2], item Avila Henr. Led. etc. apud Salm.[3], probabile putat Escob. [4]. Ratio quia, ut dicitur in dicto §. *Idem*, actus qui non valet ut fit, valet tamen ut fieri potest. Sed communissime et probabilius negant Sanchez [5] Barb. [6] Bonac. [7] Conc. [8] Escob. [9] cum Nav. Led. Manuel et Palac. Boss.[10] cum aliis pluribus et Salmant. [11] cum Becan. Diana et Vill. qui affert declar. cardinalium. Ratio quia, cum actus est nullus, non iam ex parte contrahentium, sed ex parte sui ipsius, eo quod est contra bonos mores, et ius illi resistit (prout huic resistit Trid. [12] declarans matrimonium clandestinum omnino irritum et insuper personas omnino inhabiles ad sic contrahendum), tunc talis actus nullam parit obligationem, ex *l. Non dubium, c. de leg.*

842. « 3. Ad sponsalia non sufficit 1. Si dicas, *non ducam aliam, quam te;* quia sunt verba mere negativa et potes ducere nullam. Bon. [13]. »

Idem recte tenent Lay.[14] Pal.[15] Esc.[16] Salm.[17] Boss.[18] Holzm. [19] cum Anacl. et communi, ut asserit, ac Sanch. [20] cum Henr. Ang. Man. Vega Led. etc. contra Ang. Sylv. Adrian. Villal. etc.[21]. Ratio quia talia verba, licet importent quod si ille velit uxorem ducere, non posset aliam accipere, ut bene advertunt Laym. Pal. Bonac. Salm.[22] et alii communiter, tamen per se non important quod illam ducere teneatur. Dicimus *per se*, nam aliter dicendum cum Bon. Esc. et Salm. [23], si ex circumstantiis colligatur talem vere voluisse sponsalia contrahere. Probabilissime autem dicunt Pont. [24] Viva [25] cum Perez et alii ap. Boss.[26] quod si verba sint de praesenti, nempe: *Nullam volo nisi te*, tunc vere contrahit sponsalia.

843. « 2. Non sufficit ad contrahenda sponsalia dicere: *Contraham tecum, si papa dispensaverit.* Barb. et alii 10. cum Diana [27] contra Sanchez Coninch. et Pont. Ac proinde licitum est utrique contrahenti, ante et post impetratam a pontifice dispensationem, altero invito resilire. Si tamen impensae magnae factae sint causa dispensationis, eas tenebitur refundere resiliens (Huiusmodi tamen sponsalia, impleta conditione, probabilius sunt valida, iuxta dicenda *num.* 859. Et interim, licet non valeant ad inducendum impedimentum publicae honestatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si papa in tali impedimento soleat dispensare, secus si non soleat; *vide dicta l.* 3. *n.* 650). 3. Subarrhatio annuli, et missio munerum iocalium, nisi consuetudo patriae aliud habeat. Ratio est quia potest fieri ex aliis causis (Ita etiam Sanchez [28] Boss.[29] Pal. [30] Conc.[31] et alii passim). Quod si tamen verba unius praecesserint, tunc immissio annuli et verbum *recipio*, operatur sponsalia, vel etiam matrimonium, pro ratione promissionis, ut docet Filliuc., quia recipiendo sic annulum tacite consentit: itemque si habito inter amicos tractatu de matrimonio, sponsus misit arrhas, et munera iocalia, eaque sponsa acceptavit, Laym. [32] (Ita pariter Pal. [33] Escob.[34] Boss.[35] Holz.[36] et Sanch.[37] cum Abbat. Sylv. Angl. Tab. Arm. Cov. et aliis, et hoc etiamsi (ut hi dicunt) non adsit verbum *recipio*, ut vult Busemb., sufficit enim sola acceptatio. Si autem parentes annulum mittant ad sponsam, non praesumitur filius contraxisse sponsalia, nisi annulus ex suo consensu missus fuerit, ut recte sen-

(1) C. 1. n. 18. (2) In Trid. sess. 24. c. 1. n. 159. (3) Ibid. n. 52. (4) N. 128. (5) L. 1. d. 20. n. 3. (6) All. 52. n. 143. (7) P. 8. n. 48. (8) P. 262. n. 14. (9) N. 128. (10) C. 1. n. 12. (11) N. 54. (12) Sess. 24. c. 1. (13) Q. 1. p. 7. n. 15. (14) C. 2. n. 2. (15) P. 5. n. 15. (16) N. 148. (17) C. 1. n. 44. (18) C. 3. n. 215 et 224. (19) N. 148. (20) L. 1. d. 19. n. 5. (21) Ib. n. 3. (22) Ib. n. 44. (23) Cit. n. 44. (24) L. 2. c. 10. n. 7. (25) Qu. 1. a. 4. n. 2. (26) N. 221. (27) P. 3. t. 4. r. 290. (28) L. 1. d. 22. n. 2. (29) C. 5. n. 120. (30) P. 4. n. 10. (31) P. 262. n. 15. (32) L. 5. t. 180. c. 2 (33) P. 4. n. 10. (34) N. 164. (35) C. 3. n. 125 (36) N. 146. (37) L. 1. d. 22. n. 3.

lunt Palaus[1] Sanchez[2] et Boss. [3] cum Mol. Gutt. Menoch. etc.). 4. Sponsalia metu gravi contracta, licet iuramento firmata, sunt invalida, quia iuramentum metu extortum non firmat contractum, imo probabiliter nec obligat, adeoque relaxatione non indiget. Sanchez Barb. Diana [4] *V. supra l.* 3. *t.* 2. *cap.* 2.

844. Quaeritur 1. Utrum sponsalia per metum gravem iniustum contracta sint ipso iure invalida.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Sanch. [5] Pontius [6] Laym. [7] Bon. [8] Salm. [9] cum Bec. Cov. Diana et Aversa ac Boss. [10] cum Panorm. Azor. Sa Rodr. etc. Et probant ex *c. Ex litteris*, 11. *de despons. impub.* ubi, cum quaedam puella contraxisset sponsalia cum iuramento, postea *dolens* (ut ait textus) *et invita*, *minis parentum impulsa*, adducta fuit in domum sponsi; ideo pontifex declaravit eam liberam esse ab illis sponsalibus. Nec obstat dicere quod talis puella non contraxerit sponsalia per metum, sed per metum domum sponsi adiverit. Nam communiter supponunt dd. cum Glossa, hanc puellam desponsatam fuisse per metum, idque recte ait Sanchez certe supponi in eod. textu, alias enim pontifex eam ab obligatione sponsalium non absolvisset. Dicitur autem per *metum gravem;* nam si esset levis, aliter dicendum, ut mox videbimus in quaest. 2., item dicitur per *metum iniustum*, quia si esset iustus valida quidem essent sponsalia, tunc enim pars quae ea contraxit esset irrationabiliter invita, si nollet contrahere, ut recte dicunt Salm.[11] iuxta dicenda *n.* 1057. [12].

Secunda sententia vero quam tenent Coninch.[13] Viva,[14] item Hurt. Dicast. et Trull. apud Salmant.[15] tenet huiusmodi sponsalia ex metu gravi contracta posse quidem irritari a metum passo, sed non esse per se irrita, ideoque dicit quod si adfuit iuramentum, debet ipsum servari donec relaxetur. Ratio quia omnes contractus, praeter solum matrimonium, per metum initi per se validi sint, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 716. Respondent autem ad textum allatum in *dict. c. Ex Litteris*, quod ibi ageretur de puella quae omnino invita contraxerat, et ideo eius promissio fuerit irrita declarata. Utraque sententia est probabilis, sed prima mihi videtur probabilior; licet enim, loquendo de contractibus in genere, oppositum tenui (ut dixi), nempe quod contractus metu initi sint de se validi, circa sponsalia vero diversa occurrit ratio, nam in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, nec eis resistat ius, bene potest metum passus, nisi velit contractum rescindere, manere obstrictus ad illum exequendum, at nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, et cui ius resistit, qualis esset matrimonium durante tali metu contrahendum; unde sicut non potest aliquis esse obligatus ad tale matrimonium, ita nec ad eius media, sive dispositionem, prout sunt sponsalia; dispositiones enim induunt eamdem naturam actus, et ideo passim doctores asserunt sponsalia naturam matrimonii sequi. Adde, quod connexorum idem debeat esse iudicium, ut infertur ex *cap. Translato*, *de constitut.* Quapropter sicut matrimonium ex metu est irritum, idem dicendum de sponsalibus. Ex his infertur quod ex huiusmodi sponsalibus minime oriatur impedimentum publicae honestatis.

Quaeritur 2. an sint valida sponsalia contracta per metum levem qui dederit causam contractui.

Prima sententia negat, et hanc tenent Navar.[16] Less.[17] Ronc.[18] et Boss.[19] cum Rebell. Comit. Sylv. etc. Ratio quia is qui per metum (etsi levem) extorquet consensum alterius, adhuc iniuriam ei

(1) Loc. cit. (2) N. 7. (3) N. 125. (4) Part. 3. t. 4. resol. 278. (5) De matr. l. 4. d. 21. num. 3. (6) L. 4. c. 6. n. 12. (7) L. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. (8) P. 7. n. 6. (9) De matr. c. 1. p. 5. num. 62. (10) C. 12. n. 143. (11) Ibid. n. 66. (12) Dicitur etiam *ab extrinseco*, quia si fuisset *ab intrinseco*, (v. g. si quis promitteret timens ne cogeretur ad solvendum debitum aut ne in carceres coniicerctur) tunc iste tenetur ad sponsalia. Hom. Ap. tr. 18. n. 3. (13) D. 28. n. 7. (14) Q. 2. a. 3. n. 9. (15) Ib. n. 61. (16) C. 22. num. 51. (17) C. 17. dub. 6. n. 46. (18) P. 152. qu. 4. r. 2. (19) C. 12. n. 238.

irrogat, unde indignus est ut ex sua malitia commodum reportet

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, et hanc tenent Bon. [1] Pont. [2] cum Med. Salm. [3] cum Aversa Croix [4] Viva [5] et Mazz. [6]. Ratio quia non censetur alter veram iniuriam tibi intulisse, cum facile poteras tu metum illum repellere, quare, si non repulisti, censeris sponte voluisse talem iniuriam pati.

Quaer. 3. an qui contraxit sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pont.[7] et Viva [8] cum Perez Med. etc. Et ratio est eadem quae mox supra adducta est pro secunda sententia in quaest. praeced. Haec sententia est satis probabilis, sed communior est et probabilior videtur

Secunda sententia affirmans, quam tenent Laym. [9] Sanch.[10] Wig.[11] Bon.[12] Salm.[13] Mazz.[14] Croix [15] cum Becan. et Lugo[16] cum Azor. Reg. Lop. Led. etc. et probabilem putat Viva[17]. Ratio quia, cum metus dederit causam contractui, ita ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere; unde, sicut ille tenetur relaxare fidem iniuste per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare. Idque tanto magis procederet si hic apprehendisset metum illum ut gravem, licet in se fuisset levis, quia eo casu talem metum non facile repellere poterat, sicut poterat quando novisset ut levem. Quid autem dicendum, si metus fuerit iustus vel ab intrinseco, *vide dicenda ex n.* 1046. *et* 1049.

Dub. II. Quae et quanta sit obligatio sponsalium.

845. *Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum matrimonium.*

846. *An iudex possit et debeat cogere nolentes ad matrimonium.*

847. *An fornicatio sponsae vel sponsi cum alia sit specie diversa. Ficte promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorserit a virgine.*

(1) P. 9. n. 6. (2) L. 4. c. 10. n. 5. (3) De matr. c. 1. p. 5. n. 60. (4) L. 6. p. 5. n. 65. (5) De matr. q. 4. art. 5. n. 6. (6) T. 4. p. 142. (7) L. 4. c. 10. n. 6. et 10. (8) Q. 4. art. 5. n. 6. (9) Lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 4. (10) L. 4. d. 19. n. 6. (11) Tr. 5. n. 19. (12) P. 9. n. 8. (13) De matr. c. 1. p. 5. n. 60. (14) T. 4. p. 142. (15) N. 105. (16) De contr. d. 22. n. 158. (17) Q. 4. a. 5. n. 6. (18) De matr. c. 1. p. 7. n. 81. (19) L. 1. d. 26. (20) D. 22. dub. 1. (21) P. 5. t. 4. r. 245. (22) Ib. (23) Lib. 1. d. 28. num. 2. (24) C. 17. n. 79.

848. *Si quis cum duabus sponsalia contraxit et cum secunda coierit, quam ducere debeat.*

849. *De filiis nuptias contrahentibus insciis parentibus. An tales nuptiae sint validae. Qu. 1. An et qualiter peccent filii nubentes, parentibus insciis vel inconsultis. Quid, si sponsalia fuerint iurata. Quid, si sponsus post illa virginem deflloraverit. An praelati teneantur has nuptias impedire. Ex quibus autem causis excusentur filii contrahentes sine consensu parentum.*

850. *Qu. 2. An teneatur filius obedire patri praecipienti matrimonium.*

851. *Qu. 3. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia.*

852. *Resiliens perdit arrhas etc. Not. 1. Quid, si mulier promittit aliquid viro ut eam ducat, et quid e converso.*

853. *Not. 2. De poena apposita in resilientem. Qu. 1. An liceat adiicere poenam in resilientem iniuste. Qu. 2. An iuste resiliens teneatur ad poenam promissam cum iuramento. Qu. 3. An, soluta poena, teneatur recipiens eam restituere. Qu. 4. Quid, si relinquatur legatum puellae ut nubat cum aliquo, et illa cum alio nuptias contrahat. Qu. 5. Quid, si legatum relinquatur ut non nubat et illa nubat.*

854. *An liceant tactus et oscula inter sponsos.*

845. « Respondeo 1. Obligant ad ineundum matrimonium sub peccato mortali (Ita communiter omnes, vide Salm. [18] et patet ex *cap. Ex litteris de sponsal.* Ratio quia, licet promissio simplex, iuxta probabilem sententiam, non inducat gravem obligationem, secus vero est de promissione mutua quae perfectum constituit contractum ex utraque parte obligatorium): si tamen terminus non sit praefixus, sufficiet si promittens impleat, quando a promissario requiretur, vel pro more regionis. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi in re gravi. Ratio posterioris est, quia id est commune omni debito. Sanchez [19] Coninchius [20] apud Diana [21] Pontius [22] tamen vult obligari statim post contractum. »

Quaer. igitur an qui sponsalia contraxit sine tempore praefixo ad matrimonium contrahendum, teneatur illud inire statim ac commode possit.

Prima sententia negat, et dicit tum solum teneri cum altera pars requirit, ita Busemb. ut supra, Sanch. [23] Nav.[24]

Holzm.[1] cum Abb. et Piring. ac Esc.[2] cum Pal. Sylv. etc. Ratio quia sic habetur in *l. Debitores praesentes, c. de pignor.* ubi dicitur : *Debitores prius denuntiationibus conveniendi sunt.*

Secunda sententia tamen verior affirmat, et hanc tenent Pontius[3] Palaus[4] Conc.[5] Ronc.[6] et Salm.[7] cum Con. Led. et Aversa. Ratio quia sic habetur expressum in *l. In omnibus, ff. de reg. iur.* ubi sic dicitur : *In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur.* Et in *l. Eum qui* §. *Quoties, ff. de verb. obl.* ubi : *Quod sine termino praefixo debetur, statim debetur.* Respondetur autem ad textum oppositum, quod illud tantum statuatur pro debitoribus qui dederint pignora quae iure merito non sunt distrahenda a creditoribus, nisi prius debitores moneantur. Sed notandum quod dd. primae sententiae (ut Sanchez et alii) dicunt quod si altera pars ex oblivione, timore, verecundia, vel simili causa non peteret, ut praecipue in foeminis evenit, tenetur tunc sponsus de se sine petitione matrimonium contrahere, cum commode possit. E converso dd. secundae sententiae (ut Pal.[8] et Salm.[9] cum Con. etc.) dicunt, quod si altera pars, cum possit commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire, et sic praefatae sententiae satis conciliantur. Quid autem, si in sponsalibus appositus sit terminus praefixus ad nuptias ineundas ? *Vide dicenda n.* 867.

846. « 1. Resiliens cogi potest ad matrimonium etiam a iudice per censuras, quod tamen raro expedit ob periculum infelicis exitus.»

Nulli dubium, ut diximus, quod in foro conscientiae nolens implere sponsalia sine iusta causa graviter peccaret. Dubium est an iudex possit nolentem cogere. Alii affirmant, alii negant, nisi promissio iuramento firmata fuerit. Alii negant, etiamsi adfuerit iuramentum. Et has sententias omnes probabiles putant Salm.[10]. Attamen verius et communiter dicunt Pal.[11] Conc.[12] Tambur.[13] Holzman[14] Pont.[15] Salm.[16] cum Con. Becan. Dic. etc. et Sanch.[17] cum s. Bonav. s. Antonin. Navar. Palud. et aliis innumeris, quod si ex tali matrimonio timeantur rixae aut scandala, non debeat iudex ad illud ineundum cogere partem invitam, secus si scandala non timeantur, et ita habetur expressum in *c. Ex litteris* 10. *de sponsal.* ubi dicitur : *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obstiterit.* Et sic censuit s. c. abstinendum a coactione, suffragante aliqua probabili causa, secus vero sanxit alias, ut refert p. Zacharia apud Croix[18]. Recte autem advertunt Bus. et Tamb. raro expedire ut partes ad tale matrimonium cogantur; huicque consentit p. Concina, dicens semper minus malum esse, ut pars innocens ab huiusmodi matrimonio abstineat. Item recte advertit Tamb. quod si pars renitens fuerit excommunicata, et persistat, iudex debeat eam absolvere, quia tunc non speratur profectus; et contra, si tale matrimonium contraheretur, prudenter malus exitus timendus esset. Notant etiam Salmant.[19] cum Sanch. Pont. Pal. etc. quod si constet de sponsalibus, tam iudex ecclesiasticus, quam saecularis habent ius cogendi sponsos ad matrimonium.

« 2. Si iudex secundum allegata et probata cogat ad matrimonium, licet a parte rei revera coactio sit iniusta, valet matrimonium. Sanch. et M. Perez contra Texed. apud Diana[20].

847. » 3. Fornicatio sponsae est circumstantia in confessione exprimenda, quia mutat speciem et constituit iniustitiam, quae in sponsa gravis est, ideoque mortalis habetur, ut si quis rem alteri promissam notabiliter corrumpat, quod tamen sponsus non censetur facere fornicando, cum in viro fornicatio non tanti aestimetur, nisi aliud accedat. Sanchez[21] Con. Fag. Fill. etc.

(1) N. 177. (2) N. 178. (3) L. 12. c. 6. n. 1. (4) P. 7. n. 2. (5) P. 266. n. 26. (6) P. 154. q. 2. r. 2. (7) De matr. c. 1. p. 7. n. 35. (8) L. c. (9) Cit. num. 35. (10) De matr. c. 1. p. 7. n. 33. (11) P. 3. n. 2. (12) P. 266. n. 27. (13) C. 1. §. 1. n. 10. (14) N. 178. (15) Lib. 12. c. 6. num. 2. (16) Ibid. n. 39. (17) Lib. 1. d. 29. n. 4. (18) L. 6. p. 5. ad n. 62. (19) Ibid. n. 92. (20) P. 9. t. 3. r. 26. (21) L. 1. dist. 2.

probabiliter contra Layman Azor. etc. Vide Lugo [1].»

Circa hanc quaestionem adest triplex sententia probabilis.

Prima sententia dicit quod fornicatio tam sponsae quam sponsi induat malitiam specie diversam, et ita tenent Palaus [2] Layman [3] Holzm. [4] Azor. apud Fill. [5] et Salm. [6] cum Con. Dicast. et aliis [7], quia ex parte utriusque iniuria irrogatur iuri quod unus acquisivit ad rem sive ad corpus alterius.

Secunda sententia dicit quod peccet specie diversa tantum sponsa, non autem sponsus, qui fornicando levem iniuriam videtur afferre sponsae, ita Sanch. [8] Bon. [9], item Fill. et alii apud Salm. [10].

Tertia sententia demum adhuc satis probabilis, quam tenent Pont. [11] et Trull. Covar. Diana ac Vivald. apud Salm. [12] et probabilem putant Sanch. [13] Laym. [14] Lugo [15] cum Led. et Megala Salm. [16] ac Elbel [17], dicit neutrum fornicando committere iniustitiam, quia neuter sponsorum ius acquisivit in corpus alterius, cum neuter adhuc corpus suum tradiderit. Id igitur currit tam pro sponso quam pro sponsa: si enim haec committeret iniustitiam fornicando, non posset deinde matrimonium cum sponso contrahere, nisi manifestaret vitium occultum sui corporis, quia tunc adesset inaequalitas; sed ad hoc non tenetur, ut ait Pontius cum aliis (*vide dicenda n.* 863. *ad* 2.), ergo adest aequalitas et per consequens non committit iniustitiam.

« 4. Qui simulato animo promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias, tametsi damnum creatum debeat resarcire. Dixi *per se*, quia si ficta promissione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere. Bonac. [18]. Qui excipit, si puella esset longe inferioris conditionis, v. gr. quoad nobilitatem vel divitias, tunc enim non teneri ducere, v. gr. virum nobilem filiam agricolae, praesertim si illa fuerit conscia disparis status seu conditionis, eo quod tum decipi potius voluerit, quam decepta sit, unde nec teneri eo casu illam dotare; secus tamen si ipsa inaequalitatem status ignorarit aut si ipse non ficte, sed ex animo matrimonium promiserit. Ita Bonac. [19] ex Vasq. Mol. [20] Sanch. [21] Vide Less. [22] Layman [23] et M. Perez [24] (*De omnibus his vide ea quae fuse notavimus de restit. l.* 3. *n.* 642.).

848. » 5. Sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, tametsi iurata sint, aut copula etiam accesserit, sunt invalida, Sanch. et Vill. Contrarium tamen tenent Con. et Pont. cum Diana [25]. Matrimonium tamen post sponsalia contractum cum altera est validum, licet iniustum. Bon. [26] Laym. [27].»

Certum est quod si secunda sponsa fuerit conscia priorum sponsalium, matrimonium cum prima debet contrahi, quia tunc secunda non fuit decepta, sed ipsa voluit decipi, ita communiter Bossius [28] Salm. [29] Viva [30] Holzman [31] et alii passim. Dubium est si illa fuerit ignara

Prima sententia dicit sponsum teneri contrahere cum secunda, si cum hac copulam habuit, ita Pal. [32] Viva [33] Pontius [34] cum Maior. Boss. [35] cum Diana et Salm. [36] cum Con. Reb. et Leand. Ratio tum quia ex *c. Is qui fidem, de sponsal.* olim per copulam animo maritali factam sponsalia transibant in matrimonium, licet hoc matrimonium hodie ex iure novo Tridentini [37] non amplius subsistat, tamen textus ille bene fundat ius in re, quod acquiritur a secunda sponsa per corporis traditionem, quae olim matrimonium constituebat, tum quia, quando unus agit de lucro acquirendo, et alter de damno vitando, huic potius favendum est quam primo.

Secunda sententia vero communior et

(1) D. 16. n. 176. (2) P. 7. n. 5. (3) Cap. 1. n. 6. (4) N. 134. (5) Cap. 2. n. 55. (6) De matr. (7) C. 1. p. 1. n. 11. (8) L. 1. d. 2. n. 6. (9) Q. 1. p. 10. n. 62. (10) Ib. n. 9. (11) L. 21. c. 6. n. 8. (12) Ibid. n. 7. (13) Num. 7. (14) C. 1. n. 6. (15) De poen. d. 16. n. 17. (16) L. c. (17) N. 59. (18) L. c. p. 2. (19) Qu. 1. p. 3. n. 7. (20) D. 106.

(21) L. 1. d. 10. (22) L. 2. c. 10. d. 3. (23) C. 1. n. 10. (24) D. 2. s. 3. (25) P. 3. t. 4. r. 210. (26) P. 5. et 7. (27) C. 1. n. 5. (28) C. 3. n. 90. (29) De matr. c. 2. p. 3. n. 42. (30) Q. 2. a. 7. n. 3. (31) Num. 217. (32) P. 22. num. 6. (33) L. c. (34) L. 12. c. 14. n. 4. (35) L. c. (36) Ibid. n 44. (37) Sess. 24. c. 1.

probabilior dicit sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda, ita Sanch. [1] cum Led. Henriq. Man. et Lop., item Nav. [2] Bon. [3] Ronc. [4] Elbel [5] cum communi, ut asserit, Escob. [6] Laym. [7] cum Soto et Rodr. Holzm. [8] cum Mastr. et Anacl. ac Croix [9] cum Hurt. et Aversa. Ratio quia promissio facta secundae sponsae semper est nulla utpote de re illicita, cum fuerit priori sponsae promissa, nec iniuria illata alteri ius huic adimit. Et hoc, etiamsi secunda promissio fuerit iuramento firmata, ut dicunt Holzm.[10] Sanch.[11] Laym[12] et alii, quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Nec obstat prima ratio sententiae oppositae, nam textus ille (ut recte dicunt Nav. Sanch.[13] cum Soto et Led.) intelligendus est loqui de copula affectu maritali habita, non autem de habita affectu fornicario, ut esset in nostro casu. Neque valet secunda ratio, nam hic revera non agitur de contractu lucrativo, sed potius oneroso, cum sit ultro citroque obligatorius. Dicunt tamen Spor.[14] Sanch.[15] Elbel[16] et Bon. cum Reg. ac Mol. ac Croix cum Aversa et Ronc.[17] quod ex aequitate teneatur prima sponsa cedere iuri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur, quia caritas obligat ad leve nocumentum patiendum, ne proximus gravissimum subeat, unde aiunt Henriq. apud Sanch.[18] et Croix cum aliis, quod iudex eo casu bene possit cogere sponsum ad ducendam secundam. Sed non improbabiliter Holzman[19] cum Anacl. Gutt. et Pichler, sentiunt ad hoc illam non teneri, quia secunda debet suo crimini imputare, quod tale damnum patiatur.

849. « 6. Liberi, qui parentibus insciis contraxerunt sponsalia, etiam cum iis qui imparis sunt conditionis, v. gr. nobilis cum ignobili, licet peccarint, tamen obligantur, nec a parentibus possunt impediri quominus servent fidem datam. Layman [20] ex d. Th. etc., nisi scandalum magnum ex matrimonio timeretur. Diana[21] ex Molina Sanchez etc. »

Certum est matrimonia filiorumfamilias contracta sine consensu parentum esse valida, contra Lutherum Bucerum et Erasmum (apud Bellarm.[22]) qui invalida asserebant, id patet ex Trident.[23] ubi sic dicitur: *Quique falso affirmant matrimonia a filiisfam. sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Unde non satis videtur probabilis opinio Pont.[24] et Tourn.[25] quod olim huiusmodi matrimonia sine consensu parentum inita essent invalida, nam obstat communis sententia omnium scholasticorum, ut ipse Pont. fatetur, et videtur certum esse ex praefato textu concilii. Ex hoc inferunt Layman[26] Spor.[27] et Holzm.[28] cum Anacl. et aliis communiter, quod sicut tale matrimonium est validum, ita et sponsalia. Nec officere ait Holzm. textum in *l.* 7. *ff. de sponsal.* ubi ad valorem sponsalium videtur requiri consensus parentum, pari modo ac requiritur in matrimonio iuxta *l. Si ut proponis* 7. *c. de nupt.* Respondet enim quod lex, tametsi prohibeat huiusmodi sponsalia, non tamen illa invalidet.

Haec quoad validitatem, sed quaeritur 1. an et quando et qualiter peccent filiifamilias nuptias contrahentes sine consensu parentum. Quatuor adsunt sententiae.

Prima sententia, et quidem communior docet universe eos peccare lethaliter, si matrimonium ineant, parentibus sive inconsultis, sive invitis, ita Pontius[29] Mol.[30] Sylvius[31] Nav.[32] Petr.[33] Abelly[34] Ronc.[35] Concina[36] et pro hac sententia fusam edidit dissertationem

(1) Lib. 1. d. 49. n. 5. (2) Cap. 22. num. 26. (3) P. 5. n. 7. (4) P. 370. q. 6. r. 2. (5) P. 370. n. 17. (6) N. 245. (7) C. 1. n. 5. (8) N. 117. (9) N. 75. (10) N. 116. (11) Dist. 50. n. 248. (12) L. c. (13) Locc. cc. (14) Loc. cit. (15) N. 6. (16) P. 371. n. 19. (17) Locc. cc. (18) L. c. (19) D. n. 117. (20) L. c. n. 12. (21) Part. 9. t. 7. resol. 71. (22) De matr. c. 19. (23) Sess. 24. c. 1. de ref. (24) L. 2. c. 1. n. 5. (25) Prael. theol. de matrim. quaest. 6. a. 3. concl. 1. (26) C. 1. n. 14. (27) C. 5. n. 202. (28) N. 167. (29) L. 2. c. 1. n. 26. (30) T. 1. tr. 2. d. 176. (31) Suppl. q. 47. a. 6. concl. 4. (32) C. 14. n. 15. (33) T. 4. p. 415 (34) P. 205. (35) P. 269. n. 5. (36) P. 231. n. 4

illustriss. d. Franciscus Muscettola episcopus rossanensis, cui novissime doctas addidit adnotationes eruditissimus canonicus neapol. Alexius Mazzocchius, ubi citantur pro eadem sententia Albert. Magn. Estius Merbes. Megal. Fag. Nald. Turrecrem. Bellarm. Amic. Mastr. Martin. Leand. Marchant. Vidal. Platel. Isamb. Genet. Natal. Alex. Iuenin. Cabassut. et alii: sed notandum quod ex his plures (ut observavi), prout Bellarmin. Albert. M. Estius Turrecrem. Iuenin. et Cabassut. dicunt quidem haec matrimonia esse illicita (quod revera omnes dd. concedunt), sed non explicant an sub culpa gravi vel levi. Probatur haec sententia 1. ex *cap. Aliter, causa* 30. *q.* 5. ubi legitur decretum illud Evaristo papae tributum, quo dictum fuit praesumi *non coniugia, sed adulteria*, illa quae fiunt sine consensu parentum, et sine praeviis precibus, sine benedictione sacerdotis et custodia paranympharum etc. ex *c. Honoratur* 32. ubi dicitur non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed iudicium parentum expectare. Item probatur ex Tridentino[1] ubi cum sermo habeatur de matrimoniis clandestinis et simul sermo de matrimoniis contractis a filiisfamilias sine consensu parentum dicitur: *Sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.* Probatur 2. ex iure civili, quo irritae declarantur nuptiae sine consensu parentum contractae, ut videtur expressum in *l.* 2. *ff. de rit. nupt. l. Si ut proponis, c. de nupt.* et aliis, ac signanter in *Institut. de nupt.* ubi: *Si filii sint, consensum habeant parentum, nam hoc fieri debere et civilis et naturalis ratio suadet.* Et infra: *Si adversus ea aliqui coierint, nec vir nec uxor nec nuptiae nec matrimonium nec dos intelligatur.* Et licet hae leges a iure canonico sint correctae, ut habetur in *c. Tua, de sponsal. et c. Cum causa, de raptor.* ac in Tridentino,[2] tamen ex illis deducitur ex ipso lumine naturali deprehendi deformitatem talium nuptiarum. Probatur 3. ratione, tum quia ex huiusmodi nuptiis gravia incommoda et scandala oriuntur, tum quia hoc requirit obedientia parentibus debita, tum quia iidem graviter offenduntur, si filii, ipsis insciis vel invitis, matrimonium contrahant.

Secunda sententia dicit teneri quidem filios sub mortali parentum consilium petere, non vero illud sequi; ita Sanch.[3] Laym.[4] Barb.[5] Viva[6] Bonac.[7], item Vasq. Fill. Vil. etc. apud Boss.[8]. Probatur prima pars, quia censetur gravis contemptus in re tam gravi non consulere parentes, quibus incumbit prospicere bono filiorum; poterit enim pater, qui maiori prudentia ac experientia pollet, aliqua aperire filio per quae hic mutet voluntatem. Secunda autem pars (quam praeter aa. mox citatos tenent etiam Tolet. Burg. etc. apud Croix[9], atque Viguer. Led. et Riminald. apud Sanch.[10] et videntur ibid. expresse etiam tenere Host. Suar. Lupus et Covar., saltem dicunt ibi non esse mortale Victor. et Henriquez), probatur, inquam, haec secunda pars ex d. Th.[11] qui ait: *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda.* Et licet s. doctor ibi non loquatur de filio contrahente sine consensu patris, sed de patre cogente filium ad matrimonium, ratio tamen quam ibi praemittit est generalis et pro utroque casu concludit, dum dicit: *Tenetur autem homo homini obedire in his quae exterius per corpus sunt agenda; in quibus tamen, secundum ea quae ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quae pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi* ... et sequitur ut supra. Fundamentum intrinsecum huius sententiae est, quia cum per matrimonium homo per-

(1) Dict. c. 1. sess. 24. (2) D. c. 1. (3) L. 4. d. 25. n. 10. (4) C. 2. n. 14. (5) In Trid. sess. 24. c. 1. n. 2. (6) De matr. q. 4. art. 2. num. 5. (7) Eod. tit. q. 4. p. 17. n. 25. (8) De matr. c. 11. n. 31. (9) L. 6. p. 5. num. 370. (10) L. c. (11) 2. 2. qu. 104. art. 5.

petuae servituti obligetur, ratio exposcit ut sit omnino liber in eo contrahendo. Et quamvis sit de iure naturae ut filii obsequium parentibus praestent, tamen de iure etiam naturali et potiori est ut in nuptiis omnimoda servetur libertas. Nec obstant textus supra allati consensum parentum exquirentes; ipsi enim tantum probant illum requiri de decentia et honestate, non vero de praecepto, ut aiunt Salmant.[1] Boss.[2] et Sanch.[3] cum Host. Suar. etc. ex Glossa *in cap. fin. caus.* 30. *q.* 2. *v. Parentum*, ubi: *Hoc tantum ad honestatem referas.* Textum autem Tridentini non est certum referri ad matrimonia contracta sine consensu parentum, quia verba illa *Dei ecclesia illa semper detestata est*, potius referri possunt ad matrimonia clandestina, ut colligi videtur ex verbis subsequentibus, ubi dicitur quod cum matrimonia illa prohibita homines improbi etiam contraherent, ideo declarantur irrita: ergo Tridentinum declarat hic ecclesiam tantum *detestatam* fuisse matrimonia quae prohibuit, et nunc concilium reddit invalida. Ob eamdem rationem, ut supra, tanto minus obstant leges civiles: quae autem (ut sentiunt Cuiacius et Gothofred.[4] et Holz.[5] ac Gonz.[6]) non invalidabant tales nuptias, sed tantum eas reddebant civiliter irritas, nempe quoad solos effectus contractus civilis, prout declaravit Ludovicus XIII. in regno Galliarum apud Tourn. [7].

Tertia sententia dicit, quod si filiifamilias matrimonium contrahunt, sive inconsultis parentibus sive invitis, illicite quidem contrahant, at per se loquendo non peccant mortaliter, sed tantum venialiter: ita Palaus [8] Boss. [9] Elbel[10] Tamb.[11] Renzi [12] Holzm.[13] cum Pichler Spor.[14] cum Henr. Led. et Gob. ac Salm.[15] cum Covar. Victor. Aversa Dic. et Henriq. Ratio quia licet filii teneantur hoc obsequium praestare parentibus, nempe eos consulendi in re tam gravi, haec tamen obligatio non potest esse gravis, quando filii eorum consilio stare non obstringuntur; satis autem vel per se vel per alios viros prudentes aliunde valent cognoscere quae circa id occurrere possunt; e converso parentes nequeunt esse rationabiliter graviter inviti, quod eorum consilium non exquiratur in re quae absolute pendet ab electione liberorum. Si autem filii non tenentur (saltem sub gravi) parentum consilium sequi, ut concedunt dd. secundae sententiae, non adest ratio cur sub gravi teneantur eos consulere; tanto magis, quia parentes magis se existimant offensos si filii nuptias ineant ipsis invitis post consilium datum, quam ipsis inconsultis. Idque tanto magis valet si filius iudicet parentes non graviter laturos matrimonium illud contrahi ipsis insciis. Imo minime peccabit filius si reputet parentes in eo libenter consensuros vel ipsos iniuste impedituros si consulantur, ut dicit Barb.[16] cum Con. Sanch. et Vasq. ac Boss.[17] cum Bellarmino Nav. Sayr. Gutt. etc. Idque satis probatur ex eod. Trid.[18] ubi conceditur matrimonium contrahi omissis denuntiationibus, *si fuerit probabilis suspicio matrimonium malitiose impediri posse.* Communiter tamen praefati aa. tam secundae quam tertiae sententiae, ut Sanch.[19] Pal.[20] Holzm.[21] Croix[22] et Salm.[23] et alii passim, dicunt non excusari a culpa mortali filios matrimonium contrahentes, si parentes iuste contradicant vel si censeantur rationabiliter inviti, puta si tales nuptiae redundarent in dedecus familiae, vel si ex eis sint oritura gravia scandala aut dissensiones.

Quarta sententia demum quam tenent Laym.[24] et Delbene ac Aversa apud Croix[25] distinguit et dicit quod si parentes ab omni matrimonio filium avertere conantur cum periculo incon-

(1) De matr. c. 6. p. 2. n. 24. (2) C. 11. n. 87. (3) L. c. (4) Ad l. Fil. ff. de ritu nupt. (5) N. 168. (6) In d. c. tua n. 8. (7) Prael. theol. de matr. quaest. 6. art. 3. versus fin. (8) P. 12. num. 11. (9) C. 11. n. 87. (10) P. 568. n. 9. (11) Dec. l. 3. c. 2. §. 3. n. 6. (12) p. 204. q. 2. (13) N. 172. (14) N. 206. (15) De matr. c. 6. p. 2. num. 22 (16) L. c. (17) C. 11. n. 82. (18) D. c. 1. sess. 24. (19) N. 11. (20) N. 9. (21) L. c. (22) N. 570 (23) De matr. c. 6. p. 2. n. 19. (24) C. 1. n. 14 (25) L. 6. p. 3. n. 570

tinentiae, filius non teneatur obedire, si vero impedire velint aliquod certum matrimonium, tunc videndum; si parentes iniuste impediant, tunc filius nec tenetur obedire; secus si parentes iuste impediant, nempe si ex tali matrimonio oriatur dedecus aut scandalum familiae, tunc enim filius graviter peccat si non obedit et matrimonium contrahit.

Casu autem quo filius non posset sine peccato tale matrimonium inire, dicunt dd. quod ad illud non obligetur, etiamsi cum iuramento sponsalia contraxisset, quia cum haec promissio esset de re illicita, iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis; ita Rebellius [1] Pignat. [2] Salmant. [3] Boss. [4] cum Menoch., item card. de Lauraea Gab. a s. Vincent. et Opatov. ap. Mazzoch. ex c. *Quanto*, *de iureiur.* ubi: *Iuramentum fuisse illicitum et nullatenus observandum etc.* Et clarius ex responso Alexandri II. apud eumd. Mazzoch. [5] ubi: *Peccator iste notatur periurio, quia quod observare legaliter non potuit sine iudicio parentum, temere iurare praesumpsit.* Et ait d. Thom. [6] id esse verum periurium, nempe iurare illicitum: *Quocumque enim modo quis iurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat.* Hocque verum esse dicunt Tolet.[7] Sanch.[8] cum Abb. Cov. et Mol., item Suar. et Graff. apud Mazzoch.[9]ex d. Bonav. et d. Th.[10], etiamsi res iuramento promissa esset venialiter mala; et merito, quia iniquitas levis etiam est vera iniquitas, cuius iuramentum non potest esse vinculum.

Idem dicendum putant communiter aa., scil. non teneri sponsum ad implenda huiusmodi sponsalia cum gravi parentum iniuria, etiamsi virginem defloravit, sed sufficere quod eam dotet, ita Valent.[11] Marchant.[12] Sanch.[13] qui id verissimum censet cum Navar. Lop. Cordub. Gutt. etc. Item Regin. Trull. Tambur. Serius Graff. et Gob. apud Mazzoch. (contra Boss.[14]). Ratio, quia virtus iustitiae nequit obligare ad actum qui sine peccato impleri non potest. Ex qua probabiliter videtur inferri quod si talis sponsus non possit defloratam dotare, nec etiam tenetur eam ducere, quia non potest damnum illius reparare cum gravi iniuria parentum. Praeterquamquod posito quod ipse non teneatur vi promissionis, nec etiam videatur teneri ratione deflorationis ad reparandum damnum illatum, cum nemo teneatur reparare damnum cum excedenti suo detrimento.

Et quoties filius peccaret in contrahendo matrimonio indigno, ex quo dedecus familiae vel scandala et infelices exitus prudenter timeri possent, tunc dicunt Laym.[15] Bonac.[16] Dicast.[17] Delbene[18]ac Boss.[19] cum Pontio et Rebell. quod parentes implorare possint auctoritatem praelati ad tales nuptias impediendas et praelatus teneatur impedire; ideo (ut Bossius[20]) mortaliter peccaret praelatus si filio faveret vel dispensaret in denuntiationibus ad matrimonium praemittendis.

Conveniunt autem doctores, ut notat auctor praedictae dissertationis[21], filios excusari saltem a mortali, si absque consensu parentum nuptias contrahunt ex iustis causis et praecipue 1. Si pater iniuste prohibeat filium a coniugio, ita Bellarm.[22]Lay.[23]Mol.[24]Elb.[25]cum Spor. et communi. 2. Si causa maioris dotis indignam mulierem ei dare velit, Bellarm. 3. Si pater velit tradere filio uxorem aegram aut durae conditionis, Guttier.[26]. 4. Quando filius a parentibus iniuste opprimeretur, Guttier. [27]. 5. Si pater procul distet et filius non posset commode eum certiorem facere, credatque patrem libenter consensurum, Gonet.[28] 6. Si pater ideo prohibeat

(1) P. 2. l. 2. qu. 14. sect. 1. num. 9. (2) T. 4. cons. 11. n. 1. (3) Eod. tr. c. 2. p. 6. n. 85. circa fin. (4) C. 11. n. 95. (5) p. 99. n. 186. (6) 2. 2. qu. 98. art. 1. ad 1. (7) L. 4. c. 22. n. 2. (8) L. 1. d. 32. n. 1. (9) P. 99. n. 187. (10) 2. 2. q. 89. a. 7. (11) T. 5. d. 5. (12) T. 2. tr. 7. tit. 1. qu. 2. §. 5. dub. 2. r. 2. (13) L. 1. d. 14. n. 3. (14) C. 11. n. 90. (15) C. 1. n. 14. (16) Qu. 4. p. 17. n. 26. (17) D. 4. dub. 18. (18) De immun. p. 1. c. 8. dub. 19. sect. 9. n. 45. (19) C. 11. n. 39. (20) Ib. (21) P. 56. dub. 1. n. 41. (22) D. c. 19. (23) C. 1. n. 14. (24) T. 5. d. 51. n. 2. (25) De iv. praec. n. 538. (26) C. 79. n. 19. (27) Ib. (28) C. 3. q. 1

iustum matrimonium, quia vult filium ducere aliquam contra eius voluntatem, ita auctor praefatae diss. [1]. 7. Si pater impediat filium ab aliquo matrimonio sine iusta causa, tunc enim filius non tenetur obedire, et pater graviter peccat impediendo, ut communiter dicunt Viva [2] Boss. [3] cum Gutt. Rebell. etc. ac Sanchez [4] cum p. Soto Cordub. Lop. et Vega. An autem pater iniuste impediens nuptias filii incurrat excommunicationem. Affirmat Lopez apud Sanch. [5] ex Trid. [6] ubi dicitur: *Sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.* Sed verius negant Sanch. [7] cum Mol. Henriq. Gutt. Man. et communi; nam, ut patet ex contextu, concilium tantum ibi loquitur de dominis et magistratibus, qui cogunt alios ad nuptias. Praeterquam quod probabilius dicat Barb. [8] cum Navar. Mol. Pont. Bon. Con. Menoch. Henr. etc. praefatam excommunicationem infligi a concilio non contra impedientes a matrimoniis, sed tantum contra cogentes ad illa.

An vero dissensus parentum sit per se iusta causa solvendi sponsalia, *vide dicenda n.* 877.: et an parentes possint exhaeredare filios nubentes contra ipsorum voluntatem vel nubentes cum indignis, *vide dicta l.* 3. *n.* 948. *et* 949.

850. Quaer. 2. An teneatur filius obedire patri praecipienti, ut matrimonium contrahat vel ut aliquam ducat mulierem, a qua filius abhorret. Communis est sententia negans, quam tenent Sanch. [9] cum Scoto Host. Sylv. Soto Tamb. Ang. Led. etc., item Croix[10] cum Aversa et aliis passim, ex d. Th.[11] qui ait: *Non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo.* Et d. Bon. [12]: *Per praeceptum non potest pater ad contrahendum cum hac vel illa obligare.* Communiter tamen dicunt Petrocor.[13] Laym.[14] cum Sylvest. Croix[15] cum Tolet. Sanch.[16] cum s. Bonavent. Bellarm. Nav. Soto Henr. etc. et Bossius[17] cum Lop. et Led., teneri filium obedire, si matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum, non iam vigore praecepti, sed ex virtute pietatis, quia filius tenetur subvenire parentibus in necessitate. Et huic consentit d. Th. [18] qui docet: *Pater non potest cogere filium ad matrimonium per praeceptum, sed potest eum inducere ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad praeceptum patris; at si illa causa cogat de necessitate vel de honestate, et praeceptum similiter cogat: alias non.* Sed hoc intelligendum, ait Sanch.[19] cum Palac. Led. etc., ex suppositione quod filius velit statum coniugalem eligere, nisi (excipit Sanch. cum Led.) matrimonium aliquod locuples esset necessarium ad subveniendum necessitati parentum; sed hoc etiam cum grano salis intelligendum [20].

Dicit autem Bossius [21] cum Menoch. et Salon. quod, praecisis his causis, poterit pater moderata et levi coactione, scilic. paterna increpatione et suasionibus cogere filium ad aliquod matrimonium. Sed melius, ait Spor.[22] cum Bellarm. et aliis, tantum permissum esse patri filium ad nuptias invitare ob aliquam iustam causam, puta familiam propagandi, facultates ampliandi aut nobilitatem augendi. Ait tamen idem Bossius[23] nullo modo posse patrem cogere filium ad nuptias, si hic velit meliorem statum eligere, nempe religionis aut caelibatus; item addit[24] cum Sanch. Gutt. etc. quod si filius iam

(1) L. c. (2) De matr. q. 4. art. 2. num. 2. (3) C. 11. n. 69. (4) L. 4. d. 22. n. 6. (5) L. c. n. 9. (6) Sess. 24. c. 9. (7) Ibid. (8) In Trid. l. c. n. 9. (9) L. 4. d. 25. num. 3. (10) L. 6. p. 3. n. 570. (11) 2. 2. q. 104. art. 5. (12) In 4. d. 29. n. 10. (13) T. 4. p. 414. q. 3. (14) C. 1. n. 14. (15) L. c. (16) N. 4. (17) C. 11. n. 77. (18) In 4. d. 29. q. 1. art. 4. (19) N. 3. (20) Intelligi etiam debet, quoties illi non esset horror valde intolerabilis erga illam mulierem; caritas enim neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset per totam vitam suam cum uxore, quam notabiliter horreret. Hom. Ap. tr. 13. n. 10. (21) N. 70. (22) De iv. praec. c. 3. n. 22. (23) L. c. (24) N. 71.

sponsalia contraxerit, a quibus non possit iuste recedere, non poterit pater eum cogere ad aliam ducendam.

851. Quaer. 3. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia contracta. Sedulo haec quaestio discutienda est, cum hic casus frequenter occurrat. Certum est quod si contrahentes tempore sponsalium non fuerint disparitatis conscii, sponsalia sunt nulla, dummodo ignorantia fuerit antecedens, valida tamen, si fuerit concomitans; vide Vivam [1]. Dubium est, si iam conscii fuerint. Communiter doctores infra citandi dicunt teneri ad matrimonium, nisi (excipiunt) ex illo eveniat dedecus aut scandalum propinquorum, in hoc indistincte loquentes. Sed hic necessario distingui debet dedecus a scandalo. Nam si matrimonium non posset contrahi nisi cum dedecore familiae, non dubitandum quin sponsi non teneantur matrimonium contrahere. Ratio quia promissio tunc est nulla, cum sit de re graviter illicita, utpote quae impleri non potest nisi cum magno familiae detrimento. Ita communiter Laym. [2] cum Nav. et Gutt., item Spor. [3] Ronc. [4] cum Menoch. et Gobat. ac Sanch. [5] cum Panorm. Praepos. Cord. Felin. Lopez etc. Et licet Laym. et Sanch. [6] dicant quod sponsalia contracta cum persona disparis conditionis per se valeant, addunt tamen quod si matrimonium non possit iniri sine familiae dedecore vel magno scandalo inter consanguineos, talis promissio non obliget, utpote versans circa rem illicitam, ad quam nemo potest se obligare. Notandum autem hic quod non sufficiat qualiscumque disparitas ad liberandum sponsum a matrimonio promisso, sed requiratur notabilis, puta si vir nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici, ut ait Nav. [7], vel agricolae, ut Bus. [8] *Vide dicta l. 3. n. 643.*

Sed quid dicendum si matrimonium contrahi posset sine familiae dedecore, nempe si disparitas non sit in nobilitate, sed tantum in divitiis. Eo casu, duo (ut in principio diximus) doctores asserunt: primo, quod per se teneatur promittens ad matrimonium; secundo, quod non teneatur, imo non possit promittens matrimonium contrahere, si adsit probabilis timor magni damni vel odii capitalis inter consanguineos. Ita communiter Sanch. [9] cum Mol. et Cord. Bonac. [10] Less. [11] Laym. [12] Spor. [13] Salm. [14] cum Az. Viva [15] et aliis. Ratio primae partis, nempe quod sponsus teneatur ad matrimonium, est, quia promittens, licet peccaverit eiusmodi prodigam promissionem faciens, tamen tenetur ad illam, quia promisit quod suum est, et cum iam cognitam habuerit suam meliorem conditionem, censetur excessum illum donasse; prodiga enim promissio (ut dicunt), quamvis illicite fiat, facta tamen et ab altero acceptata, valet et obligationem parit. Hoc est totum fundamentum istius sententiae.

Cum autem ratio haec pendeat a quaestione, nimirum an promissio prodiga acceptata obliget, haec prius hic disserenda. Adsunt in ea tres sententiae.

Prima sententia tenet obligare ad totum; hanc tenent Lugo [16] Sanch. [17] Croix [18] Spor. [19] Fill. [20], item Mol. Caiet. et Val. apud Sanch. [21] qui etiam huic sententiae inclinat. Ratio, quia licet promissio fuerit facta cum peccato, tamen, cum is cui facta est promissio iam acquisierit ius ad rem promissam, illius executio, ad satisfaciendum iuri alterius, evadit licita et debita.

Secunda sententia, quam probabilem putat Tamb. [22] cum Tancredi, dicit huiusmodi promissionem ad nihil obligare, nec etiam ad partem quae licite dari potuit, quia cum promissio

(1) De matr. q. 1. art. 5. n. 7. (2) De matr. l. c. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14. (3) De matr. c. 1. n. 203. (4) De 4. praec. c. 1. q. 3. (5) L. 1. d. 14. n. 3. (6) N. 2. (7) C. 26. num. 18. (8) N. 347. v. 4. (9) De matr. l. 1. d. 14. n. 1. (10) De matr. q. 1. p. 2. n. 2. (11) L. 2. c. 13. n. 9. (12) De spons. p. 1. n. 14. (13) De matr. cap. 3. num. 198. (14) De matr. c. 1. p. 7. n. 32. (15) Dict. n. 7 (16) De iust. d. 18. n. 61. (17) L. c. num. 5. (18) L. 3. p. 2. n. 795. (19) De matr. c. 3. n. 198 (20) T. 2. d. 271. (21) In dec. l. 3. c. 9. n. 27. (22) Dec. l. 3. c. 3. §. 3. n. 20.

sit indivisibiliter facta, tota materia evadit inhonesta.

Tertia sententia, cui subscribimus, verior et communis, ut fatetur ipse Lugo, docet promissionem prodigam obligare ad partem quae non est prodiga, non vero ad excessum. Ita Salmant.[1] cum Soto Bann. Prado Serra, item Suar. Led. Palac. Salon. Manuel. et Arag. apud Sanch.[2], qui aeque probabilem putat, et Croix[3] etiam probabilem censet. Ratio cur obliget ad partem, quia utile per inutile non vitiatur, et sic respondetur secundae sententiae Tamb. Ratio autem cur non obliget promissio ad excessum est quia malitia prodigalitatis principaliter consistit in praestatione, minus vero principaliter in promissione; ideo enim non licet prodige promittere, quia illicitum est prodige dare. Posito igitur quod actus prodigae praestationis sit per se principaliter malus, minime unquam poterit ipse impleri sine peccato, neque executio poterit cohonestari ab obligatione promissionis factae, quia nemo se potest obligare ad rem illicitam exequendam, ut habetur ex *reg. iuris* 69. *in* 6. ubi: *In malis promissis fidem non expedit servari*. Et consequenter pars acceptans ex promissione ipsi facta nullum potest ius acquirere ad id quod altera pars nequit sine peccato praestare. Et sic respondetur ad rationem primae sententiae. Hinc infertur 1. Sot.[4] et Ledesm. Bann. Sa Machad. Palac. ac Manuel. apud Sanch.[5], quod si quis prodige aliquid promiserit meretrici pro usu corporis, non teneatur solvere excessum, quia cum sit promissa res illicita ratione prodigalitatis, promissio nulla est. Recte infertur 2. Salm.[6] cum aliis a se citatis, quod si res promissa sit impartibilis, ad nihil teneatur promittens, quia tunc vere tota materia evadit illicita.

Iuxta igitur hanc tertiam sententiam, ut ad casum nostrum veniamus, sponsus prodige promittens matrimonium, cum res sit indivisibilis et promissio tota per se illicita evadat, non tenebitur utique ad illam. Nec obstat quod culpa prodigalitatis non excedat veniale peccatum, quia promissio rei qualitercumque malae, adhuc venialiter, puta mentiendi etc., nec etiam potest ullam parere obligationem, ut notant Salm.[7] et certum est. Pro conclusione igitur huius puncti, mihi et aliis doctis iunioribus (salvo sapientiorum iudicio) videtur dicendum 1. sponsum, qui antecellit divitiis, in casu proposito non teneri ad matrimonium, necnon venialiter peccare ratione prodigalitatis, si illud contrahat. Dicendum 2. hoc procedere, stando in terminis verae prodigalitatis: verumtamen, cum culpa prodigalitatis non sit plus quam venialis, quaevis mediocris iusta causa vitium prodigalitatis auferre potest. Hinc satis excusabitur sponsus foeminam disparem ducens, si noverit in ea aliquam specialem praerogativam, nimirum providentiae, devotionis, magnae honestatis vel etiam alicuius dotis naturalis, propter quam putet sponsus cum illa quietam ducturum vitam. Hinc infertur vix casum accidere posse quod sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime deerit aliqua ex his causis quae culpam prodigalitatis excusabit. Dicendum 3. quod casu quo sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine vel a foemina honesta, tunc omnino tenetur eam ducere: quia perditio virginitatis aut bonae famae est res pretio inaestimabilis, quae praevalet aut saltem aequivalet excessui disparitatis sponsi, et ideo in eo casu promissio facta bene est valida, cum iam adfuerit aequalitas in contractu sine vitio prodigalitatis. Et hoc procederet (iuxta id quod ait Lugo[8]) non solum cum foemina amiserit, sed etiam cum se exposuerit periculo famae amittendae. Hoc tamen currit si disparitas sit tantum in divitiis; nam si sit in nobilitate, tunc etiamsi intercesserit deflora-

(1) De rest. c. 1. p. 6. n. 167. (2) L. c. in dec. d. n. 27. (3) L. 3. p. 1. n. 319. (4) De iust. l. 5. q. 7. a. 1. ad 2. (5) L. c. de matr. d. 14. n. 1. (6) L. c. (7) Ib. (8) De iust. d. 12. n. 54.

tio, non tenetur vir ad matrimonium cum dedecore familiae, imo probabiliter nec etiam ad damnum illatum, ut diximus *l.* 3. *n.* 643.

Ad id autem quod dd. dicunt, ut supra diximus, scilicet quod talis sponsus non possit illud dispar matrimonium inire (intellige *dispar* tantum ratione divitiarum, non autem nobilitatis cum dedecore familiae, ut iam distinximus), si probabiliter timeantur damna aut odia propinquorum, rationem afferentes, quia eo casu graviter peccaret sponsus contra caritatem, et ideo, cum matrimonium illud contrahere tunc esset res illicita, non potest promissio facta ad illam obligare. Et ob eamdem rationem dicit Sanch.[1] cum Navar. Cordub. Lop. et Gutt. hoc dicendum, etiamsi sponsa deflorationem passa fuerit. Et etiamsi (ut addit Sanchez[2] cum Lop.) nulla sit inter contrahentes disparitas. Fateor quidem hanc esse communem sententiam et per se loquendo veram, quando filius commode huiusmodi scandala vitare posset; sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductae videtur obstare quod caritas non obliget cum gravi incommodo, hinc puella ad vitanda scandala virorum non tenetur perpetuo domi manere, ne diu sua libertate privetur; quia grave incommodum hoc ipsi esset, ut dictum est *l.* 2. *n.* 53. cum Caiet. Sanch. Pal. Less. Nav. Azor. Salm. Spor. et aliis. Si ergo mulier, ne sua libertate diu privetur, non tenetur longo tempore abstinere ab egrediendo, etiamsi alii scandalum sint passuri; quomodo filius tenebitur sub mortali, ne parentes scandalum patiantur (sine tamen eorum dedecore ut supponimus), a matrimonio desiderato abstinere? Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur matrimonium cum puella, quacum credit quietam se ducturum vitam, ob vehementem amoris passionem qua se sentit affectum erga illam? grave quidem incommodum existimant hoc omnes dd. illi, quos in praecedenti quaestione retulimus, qui ideo excusant a culpa gravi filios matrimonium ineuntes invitis parentibus; quia, ut dicunt Sanch.[3] Escob.[4] et Salm.[5], per matrimonium quisque perpetuae obligatur servituti, maxima secum afferenti onera, quae nisi ex omnino spontanea voluntate suscipiantur, difficillime perferri poterunt. Si igitur ob hoc motivum excusantur filii ab obsequio parentibus debito, cur non ob eamdem rationem excusabuntur a praecepto caritatis quod cum gravi incommodo non obligat? Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis iunioribus videbatur cum Pal.[6] tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus, ab huiusmodi matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis quod (ut dicunt ipse Sanch.[7] et Holz.[8]) huiusmodi scandala, quamvis antea iactentur, inito tamen matrimonio facile evanescunt et animi conciliantur. Caeterum, cum hoc sit contra communem, propterea sapientibus discutiendum relinquo[9].

852. « 7. Resiliens culpabiliter a sponsalibus perdit suas arrhas, et tenetur ad alterius partis reddendas, ac ad restitutionem, quanti eius intererat talem contractum impleri. »

Hinc autem notandum 1. quod si a muliere promittatur aliquid viro ut eam ducat, valet quidem promissio, prout habetur ex *c. De illis, de condit. appos.*, quia tunc promissio praesumitur facta causa dotis. Secus si vir promittat aliquid mulieri si secum nupserit, quia tunc promissio praesumitur facta ob causam turpem, nempe libi-

(1) L. c. n. 3. (2) Ibid. (3) D. l. 4. d. 23 n. 10. (4) De matr. dub. 175. n. 723. (5) De matr. c. 6. p. 2. n. 23. (6) D. 2. p. 12. n. 9. (7) L. 1. d. 14. n. 3. (8) N. 266. (9) Dicunt dd. quod licet matrimonium non sit familiae opprobrio, nec liceret illud contrahere, cum timerentur damna aut odia inter parentes. Sed considerando quod obligatio haec matrimonium non contrahendi in hoc casu non esset nisi caritatis actus, nescio quomodo posset obligari sponsus cum suo damno aut incommodo ad tale matrimonium non contrahendum, ut vitet odia inter parentes; nisi esset quod ex tali matrimonio orituraeessent communes perturbationes apud plures familias in oppido parvo, adeo ut esset aliquo modo iudicari esse malum commune toti regioni. Hom. Apostr. 13. n. 16.

dinis explendae; ita communiter Sanchez [1] et Salm. [2] cum aliis passim, ex *l. Si stipulatus*, §. *Si tibi*, *ff. de verbor. obligat.* ubi id expresse habetur. Excipiunt tamen, si vir sit ignobilis aut senex, et mulier sit nobilis aut iuvenis, quia tunc promissio iuste fit in compensationem nobilitatis aut iuventutis, ex *l. Mulieres*, *c. de dignit.*

853. Notandum 2. quod promissio poenae appositae in sponsalibus in resilientem est illicita et invalida, ex *c. Gemma*, *de sponsal.*, quia per huiusmodi poenam matrimonii libertas laederetur; ita in textu praefato: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant*, *et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit merito improbanda.* Hinc communissime dicunt doctores peccare, qui sponsalia cum hac poena contrahunt. Alii vero dicunt id esse mortale, ut Bonac. [3] et Salm. [4]. Alii autem censent esse veniale, ut Sanch. [5] Boss. [6] cum Caiet. Arm. Gutt. et Reb. Hoc autem procedit si poena apponatur a sponsis, vel ab eorum consanguineis aut amicis, ut communiter tenent Pal. [7] Sanch. [8] et Salm. [9] cum Aversa Lop. et Corneio. Non vero si apponatur ab extraneo, ut iidem aa. ex *l. Quae omnia*, *c. de spons.* Ratio quia in primo casu etiam minuetur libertas matrimonii, eo quod sponsi illud possunt inire, ne propinqui vel amici talem poenam solvant: secus tamen accidit, cum poena motu proprio ab extraneis apponitur. Praeterea advertendum id procedere, si poena generaliter apponatur etiam in eum qui iuste resiliat, tunc enim certum est apud omnes promissionem poenae non obligare, sed

Quaerit. 1. an promissio talis poenae sit valida et licita, si adiiciatur in iuste resilientem.

Prima sententia satis probabilis negat, et hanc tenent Sanch. [10] Bonac. [11] Boss. [12] Conc. [13] et Aversa Becan. et Dic. apud Salm. [14]. Et probant ex *l. Titia* 134, *ff. de verb. oblig.* ubi dicitur: *Inhonestum enim visum est*, *vinculo poenae matrimonia obstringi*, *sive futura sive iam contracta.* Item ex *l. Mulier*, §. *fin. c. de sponsal.* ubi: *Si cautio poenam stipulationis continens fuerit interposita ex utraque parte*, *nullas vires habebit*, *cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat.* Probant etiam ratione, quia adhuc libertas laederetur, posset enim accidere quod pars quae iuste posset resilire, nequiret suam causam in iudicio probare et sic invita nuptias iniret.

Secunda sententia vero probabilior affirmat et hanc tenent Pontius [15] Lay. [16] Ronc. [17] Holz. [18] cum Anacl. et Haunold. Palaus [19] cum Suar. Vasq. et Con. ac Salm. cum Leand. et Diana. Ratio quia talis adiectio poenae non est neque contra ius naturale neque positivum. Non contra naturale, quia per se rationabile est poenam imponi culpabiliter resilienti; nec est contra libertatem ad matrimonium requisitam, impedire sponsos ab iniuste resiliendo; licet enim iura in matrimonio approbent libertatem rationabilem, reprobant tamen irrationabilem, et ideo non officit libertati matrimonii, quod iudex cogat sponsos ad contrahendum per censuras, carcerem aut poenam pecuniariam, cum talis metus iuste incutiatur. Quod autem aliquando posset aliquis iuste resilire, et non posset probare, hoc per accidens se habet, et fundamentum nostrae sententiae non elidit. Neque obstant leges supra allatae, nam in tantum hae leges promissionem poenae in sponsalibus irritabant, in quantum olim ex iure civili ad sponsalia solvenda sufficiebat voluntas unius partis, sive cum causa sive sine causa resiliebat, ut patet ex *l. 1. c. de spons.* et Glossa ibi; sed de iure canonico *c. Praeterea* 2. *de spons.* omnino requiritur consensus utriusque. Caeterum in *l. fin. ibid.* approbatur tamquam valida et licita poena solvendi duplum, triplum vel quadru-

(1) L. 1. d. 55. n. 8. (2) Tr. cit. c. 1. p. 8. n. 108. (3) Qu. 1. p. ult. n. 3. (4) De matr. c. 1. p. 8. n. 94. (5) L. 1. d. 50. n. 2. (6) C. 11. n. 415. (7) P. 9. n. 1. (8) N. 11. (9) Ibid. n. 95. (10) L. 1. d. 50. n. 2 (11) P. ult. n. 1. (12) C. 11. n. 420. (13) P. 267. n. 30. (14) Ibid. n. 96. (15) L. 12. c. 19. n. 8. (16) C. 1. num. 8. (17) P. 155. qu. 3. r. 2. (18) N. 203. (19) D. 1. p. 9. n. 3.

plum pro arrhis, quas iniuste resiliens acceperit. Imo Leo imperator in *Novell.* 18. (ut videre potes apud Pontium) expresse approbat adiectionem poenae in sponsalibus contra inconstantes sive iniuste resilientes, addens id esse iam consuetudine firmatum.

Quaerit. 2. an iuste resiliens a sponsalibus teneatur solvere poenam promissam, si promissionem iuramento firmaverit.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lessius [1] Mol. [2] Suar.[3] et Con.[4]. Ratio quia licet sit vetita promissio poenae, non tamen est vetita eius solutio, quae aut vi obligationis naturalis aut saltem iuramenti debetur, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 177. ubi dictum est ex *cap. Debitores*, *de iureiur.* iuramentum obligare, esto promissio facta irritetur a iure in odium iniqui creditoris, prout est promissio solvendi usuras.

Secunda sententia vero probabilior negat et hanc tenent Sanch.[5] Pontius[6] Bossius [7] cum Barb. Bonac. Filliuc. et Vill. Pal. [8] cum Gomez Covar. et Gutt. Escob. [9] cum Bartol. Ang. et Praepos. ac Salm. cum Aversa Trull. Corneio et Dic. Ratio tum quia cum adiectio poenae contra iuste resilientem sit iniqua et ideo illicita, non obligat iuramentum, quod non potest esse vinculum iniquitatis; tum quia ius prohibens promissionem poenae, non tam promissionem interdicit, quam solutionem, non tam enim promissio quam solutio matrimonii libertatem laedit. In contractu vero usurario irrita est promissio, non autem solutio usurarum, et ideo promittens tenetur ad iuramentum.

Quaerit. 3. an si poena in sponsalibus adiecta solvatur, teneatur recipiens illam restituere.

Prima sententia negat, et hanc tenent Sanch. [10] Less. [11] et Escob.[12] cum Mol. Henr. Vega Lop. etc. Ratio quia iura solam promissionem irritant, non vero solutionem. Et confirmant ex simili, nempe quod recipiens pecuniam victam in ludo vetito non tenetur restituere, licet victus non tenebatur eam solvere.

Secunda sententia tamen probabilior affirmat et hanc tenent Salm. [13] cum Dicast. Boss.[14] cum Hurt. Gutt. et Mascard. ac Pal. [15] cum Soto Med. Lop. etc. Ratio quia recipiens non habet titulum retinendi, cum ius omnino talem promissionem irritet, ut patet ex *l. Mulier*, §. *fin. c. de spons.* ubi dicitur quod talis adiectio poenae, *ex utraque parte nullas vires habebit.* Unde deficiente titulo, nequit ille dominium soluti acquirere. Nec obstat paritas ludi; nam ibi ideo victor pecuniam recipiens non tenetur restituere, quia contractus per se est validus, et iura tantum praebent actionem victo repetendi solutum, ut diximus *l.* 3. *num.* 887., ac ideo potest victor retinere illud usquedum in iudicio repetatur. Bene tamen Pal. cum Guttier. hanc secundam sententiam limitat, nisi qui solverit poenam iam noverit se non esse obligatum, quia tunc recte censetur donasse. In dubio autem haec donatio non praesumitur, ut recte ait Boss. ex Gutt. [16] iuxta *l. Campanus*, *ff. Oper. libertor.*

Quaer. 4. an debeatur legatum relictum puellae sub conditione nubendi cum aliquo viro, si illa cum alio nubat. Per se loquendo, certum est non deberi, ex *l. Titio* §. 1. *ff. de condit. et demonst.* quia cum libere possit puella tales nuptias acceptare vel respuere, hic non laeditur libertas ad matrimonium requisita. Excipiendum tamen, nisi alioquin a patre gravetur legitima filiae debita, vel nisi ipsa inducatur ad nubendum cum indigno, quia tunc conditio illa reiicitur tamquam turpis, et debetur ei legatum, si ipsa nubat cum alio, ex *l. Cum ita*, §. *Videamus*, *ff. eod. tit.* Ita communiter Salm.[17] et Boss.[18] cum rota rom. Mol. Gutt. Villal. Laym. Pontio Vasq. etc. Item ait

(1) L. 2. c. 17. n. 56. v. ubi. (2) Tr. 2. d. 151. (3) De relig. l. 2. c. 25. (4) D. 22. dub. 5. n. 25. (5) Lib. 1. d. 31. n. 21. (6) L. 12. c. 19. n. 7. (7) C. 11. n. 445. (8) P. 9. n. 6 (9) N. 195.

(10) Lib. 1. d. 31. num. 2. (11) Cap. 17. n. 56. (12) N. 292. (13) De matr. cap. 1. p. 3. n. 106. (14) Cap. 11. num. 449. (15) P. 9. num. 9. (16) N. 454. (17) De matr. c. 1. p. 3. n. 107. (18) C. 11. n. 463.

Buss.[1] cum Cov. Sanch. Gutt. Mol. Vill. etc. (contra Pontium et alios[2]) si puella, ut obediat patri, alium ducat, quia, adhuc admissa sententia, quam tenet et obiicit Pontius, quod filia non peccet si nubat personae dignae sine consensu patris, tamen (ut vidimus *n.* 849.) commune est inter dd. esse contra honestatem non expectare in nuptiis patris consensum; et ideo cum puella non possit honeste nubere, patre non consentiente, non debet legato privari. Sed huic responderi potest quod ex hac eadem iusta causa, nempe ne illa legatum amittat, satis ab huiusmodi dehonestate excusaretur, si cum persona designata digna ipsa nuberet.

Quaerit. 5. an legatum relictum mulieri ut non nubat, debeatur ei si nubat. *Vide dicta l.* 3. *n.* 930. *v. Dub.* 7. ubi diximus deberi, si mulier esset virgo, secus si vidua.

« Resp. 2. ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia iure antiquo transeunt in matrimonium per quaevis signa externa, maritali affectu exhibita, v. g. per copulam. Dico, *ubi Trid. etc.*, quia ubi hoc receptum est, haec signa non tenent, si sint clandestina ideoque graviter in iis peccari potest.

Unde sequitur.

854. » Sponsis non licent tactus impudici, cum proxime disponant ad copulam et pollutionem, etsi liceant amplexus et oscula in signum amoris. Sanch.[3]. Vide Dian.[4]. »

Quaer. an inter sponsos sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem? (dicitur *pudici*, nam certum est impudicos esse lethalia). Duplex adest sententia :

Prima sententia, quam tenent Sanchez[5] ac Salm.[6] cum Aversa Diana et Azor. dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis, et adsit commotio spirituum genitalium, dummodo non sit magna, et absit periculum pollutionis vel consensus in copulam. Ratio quia sicut matrimonium cohonestat copulam, sic sponsalia, quae sunt quaedam inchoatio matrimonii, cohonestant tales actus qui sunt copulae inchoatio. Eo magis quia per illos plus fovetur amor ad matrimonium contrahendum. Adduntque Salm.[7] praedictos actus excusari etiam a veniali, si adsit causa iusta, v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem vel servandi morem patriae.

Secunda sententia longe probabilior et omnino sequenda, quam tenent Less.[8] Mazzot.[9] Roncag.[10] Conc.[11] Bon.[12] cum Henr. et Rebell. Croix[13] cum Mendo et aliis ac Viva[14] cum Suar. Perez et Hurt. docet, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo quo vetantur omnino solutis. Ratio quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit ius ad corpus sponsae, et si forte aliquale ius acquirit per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfecte dominus rei, non potest re illa uti ne imperfecte quidem : sicuti ille cui promissa est venditio vineae, nequit illa uti ne imperfecte quidem, donec vinea de facto ei vendatur et tradatur. Praeterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus qui tantum ad copulam sunt ordinati. Concedunt tamen Croix et Viva[15] cum aliis aa. ab ipsis adductis, quod oscula et amplexus iuxta morem patriae aliquando sponsis permitti possint, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit Roncag.[16] qui etiam eos admittit ad benevolentiae demonstrationem : sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus, ut etiam ait Mazzot.[17]. Id autem quod dicunt Busemb. *lib.* 3. *n.* 431. et Less.[18] cum Nav. Tol. Caiet. etc., nempe quod sponsis liceant tactus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam, secus vero si vene-

(1) N. 469. (2) Ibid. (3) L. 9. d. 47. (4) P. 2. t. 17. r. 6. et t. 1. misc. r. 31. et p. 4. r. 151. (5) De matr. l. 9. d. 46. n. 57. (6) De matr. c. 15. p. 6. n. 91. (7) Ib. (8) T. 14. n. 59. (9) T. 4. p. 169. (10) P. 299. qu. 6. r. 1. (11) T. 10. p. 559. n. 9. (12) De matr. q. 4. p. 9. prop. 1. n. 6. (13) L. 6. p. 3. n. 151. (14) De matr. qu. 1. art 7. n. 6. et 7. (15) Locis cit. (16) L. c. (17) L. c. (18) Ib. n. 58. et 59.

ream, recte aiunt Ronc.[1] et Croix[2] non esse practice probabile, quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream cum sensitiva tam coniunctam. Qua ratione spectata, prima etiam sententia nec practice probabilis est; quia in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere a non labendo in pollutionem, vel copulae consensum. An autem sponsis liceat delectari de copula futura. *Vide dicta l.* 5. *n.* 24. ubi sententiam negativam (contra Bonac. Salm. etc.) omnino tenendam diximus cum Holz. Pal. Laym. Sanch. Ronc. etc. quibus adde Less.[3] et Mazzot.

Dub. III. Quomodo dissolvantur sponsalia.

855. *Solvuntur sponsalia.* 1. *Per* matrimonium *cum alia.* 2. *Per* mutuum consensum *inter puberes. Quid, si sponsalia fuerint iurata.*
856. *Quomodo autem solvantur inter impuberes. Quid, si ipsi iuramento promiserint nuptias.*
857. 3. *Per* impedimentum dirimens *superveniens. Dub.* 1. *An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis.*
858. *Dub.* 2. *An nocens teneatur petere dispensationem.*
859. *Dub.* 3. *An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant.*
860. 4. *Per* crimen alterius.
861. *An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi. Dub.* 1. *Quid, si sponsa fuerit per vim oppressa.*
862. *Dub.* 2. *Quid, si uterque sponsus fornicetur.*
863. 5. *Per* mutationem notabilem, *nempe* 1. *Si timeantur odia etc.* 2. *Si superveniat defectus noxius.* 3. *Si superveniat paupertas.*
864. *An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso.*
865. *An cum defectu non pernicioso. Et quid si sponsa interrogetur, an sit virgo.*
866. 6. *Per* discessum alterius *in longinquum. Quid, si in propinquum, animo redeundi.*
867. 7. *Per* lapsum temporis praefixi. *Dub.* 1. *Quid, si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem.*
868. *Dub.* 2. *Quid, si alter fuerit iuste impeditus. Dub.* 3. *An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur.*
869. 8. *Per* susceptionem ordinis sacri et ingressum in religionem.
9. *Per* votum castitatis.
870. *Distinctius de his agitur, et* 1. de professione religiosa. *Dub.* 1. *An per ingressum in religionem solvantur sponsalia ante professionem. Dub.* 2. *An, si sponsalia fuerint iurata, teneatur sponsus ante ingressum nuptias inire.*
871. 2. De susceptione ordinum. *Dub.* 1. *An peccet sponsus suscipiens ordines sacros invita sponsa.*
872. *Dub.* 2. *An per susceptionem ordinum minorum solvantur sponsalia.*
873. 3. De voto *ingrediendi religionem, suscipiendi ordines sacros aut servandae castitatis. Dub.* 1. *An per votum castitatis aut suscipiendi ordines sacros, solvantur sponsalia etiam ex parte voventis.*
874. *Dub.* 2. *Quid, si sponsus post votum copulam extorsit.*
875. 10. *Rursus agitur de solutione sponsalium per* matrimonium validum *cum alia, et quaeritur an per illud solvantur sponsalia etiam mortuo coniuge.*
876. 11. *An per* haereditatem novam *supervenientem. Et quid, si offeratur coniugium notabiliter melius.*
877. *An dissensus parentum sit causa solvendi sponsalia.*
878. *Dub.* 1. *An ad solvenda sponsalia semper requiratur auctoritas iudicis. Dub.* 2. *Quae probatio sufficiat in foro externo et quae in interno.*

855. « Resp. 1. Dissolvuntur sequentibus casibus: 1. Per *matrimonium validum* cum alia initum. Bon.[4] (An autem, mortuo coniuge, obligent. *Vide infra n.* 875.) 2. Per *mutuum consensum*, sicut quivis contractus. Laym.[5]. »

Inter puberes per mutuum consensum solvuntur sponsalia, etiam iuramento firmata, non solum valide, sed etiam licite, si adsit rationabilis causa, nam alias esset saltem veniale: ita communiter Viva[6] Holzm.[7] Pal.[8] cum Conin. et Guttier. Sanch.[9] cum Nav. Henr. et Lop. Pontius[10] cum Mol. et Reb. ac Escob.[11] cum Vivald. Philiarch. contra Sotum Sylvestrum Ang. etc.[12]. Idque probabiliter dicunt Roncag.[13] et Pal. Viva ac Holzm.[14] et Salmantic.[15] cum Sanch. procedere, etiamsi sponsalia sint iurata principaliter propter Deum; quia iuramentum in favorem tertii, quamvis principaliter fiat in honorem Dei, semper conditionem includit, si alter acceptet vel si non remittat, iuxta dicta *de iuramento l.* 3. *n.* 193. ex d. Thoma[16] qui dicit quod iuramentum factum in utilitatem proximi bene possit ab eo remitti. Casu autem quo una sola pars

(1) Ib. (2) D. n. 151. (3) L. 4. n. 120. (4) Part. 7. (5) C 2. num. 8. (6) De matr. q. 2. art. 1. n. 1. (7) P. 296. n. 28. (8) P. 17. n. 4. (9) L. 1. d. 42. n. 3. (10) L. 12. c. 9. n. 2. (11) N. 264. (12) Ibid. num. 262. (13) C. 3. q. 1. r. 1. (14) Locc. cc. (15) De matrim. cap. 2. pag. 1. num. 5. et 14 (16) 2. 2. q. 39. art. 9. ad 2.

consentiat in solutionem sponsalium, sponsalia non solvuntur absolute, sed tantum datur ius resiliendi alteri parti iuxta communem. Vide Salm. [1].

856. Inter impuberes vero non solvuntur sponsalia, nisi ipsi fiant puberes, ex *c. De illis*, *de despons. impub.* ubi dicitur: *Cum ad annos pubertatis pervenerit*, *reclamaverit*, *iudicio ecclesiae poterunt ab invicem separari*. Perveniendo autem ad pubertatem, quaeque pars potest resilire reclamando statim, scilicet post triduum coram iudice vel testibus, alias praesumitur consensisse. Tempus tamen hoc trium dierum incipit currere a tempore, non iam pubertatis adeptae, sed adeptae cognitionis privilegii resiliendi, tempus enim utile datum a lege ad utendum privilegio non currit nisi postquam privilegium agnoscitur. Quod si impubes sciens et advertens suum privilegium, volensque resilire, statim non resilit, iam sponsalibus censetur consentire. Quod impubes factus pubes debet statim reclamare, infertur ex cit. *cap. De illis*, ex verbis: *Cum ad annos pubertatis pervenerit*, *reclamaverit etc.* Ubi enim non apponitur tempus, intelligitur statim, ut communiter hic intelligunt dd. utque diximus *n.* 845. ubi probatum est statim deberi id quod debetur. Quod autem illud statim intelligatur intra triduum, probatur ex *l. fin. c. de errore advoc.* ibi: *ex continenti*, *id est triduo*. Ita communiter Sanch.[2] Pont.[3] Salm.[4] Viva[5] Pal.[6] cum Guttier. et Felin. ac Holzm. [7] cum Pichler. Dicunt autem Sanchez [8] Pont. [9] quod si alter sponsorum ante pubertatem dissenserit et in tali dissensu perseveraverit, solvantur sponsalia cum ille ad pubertatem pervenit. Si tamen interne tantum dissenserit, censent Sanch.[10] et Bon.[11] cum Con. etc. posse etiam resilire in conscientia; sed probabilius id negant Conc.[12] et Pont. ac Pal.[13] cum Gutt. etc., tum quia hoc beneficium resiliendi non conceditur a iure nisi reclamantibus, quod certe intelligitur externe, tum quia, sicut ad ineundum contractum non sufficit solus consensus internus, ita ad contractum solvendum nec sufficit solus internus dissensus.

Quaer. autem, an casu quo impuberes iuramento sponsalia firmaverint, possint invita parte resilire in pubertate. Negant Bonac. [14] Roncaglia [15] et Salmant.[16] cum Aversa Becano Dic. et Sanch. [17]. Id probant 1. ex *c. Litteris de sponsal.* ubi dicunt id expressum haberi. Probant 2. ratione, quia sponsalia impuberum, secluso iuramento, valida sunt quamvis dissolubilia; ergo iuramento firmantur. Sed affirmant Pontius[18] Conc.[19] Viva[20] cum Perez ac Pal. [21] cum Palud. Henr. etc. Et merito Salm.[22] id probabile putant, quia iuramentum sortitur legem contractus seu sponsalium, quae (ut vidimus) inter impuberes sunt revocabilia. Nec obstat textus in cit. *c. Ex litteris*, nam, ut advertunt Pontius Pal. et Viva, ibi sermo erat tantum de *impubescentibus* (ut exprimit textus), id est de pubertati proximis, qui, malitia aetatem supplente, iure merito ut puberes habentur, et huic sententiae etiam adhaeret Sanch.[23] cum Cov. Lop. etc.

857. « 3. Si superveniat *impedimentum dirimens* matrimonium. Bon.[24]. »

Dubit. 1. An per impedimentum superveniens sponsalia dissolvantur. Hic distinguendum: Si impedimentum sit impediens, communissime et probabilius Sanch.[25] Pal.[26] Escob.[27] cum Palud. Bonac.[28] cum Reg. et Salm. cum Conin. contra Sotum Aversa et Led. negant sponsalia dissolvi, nisi impedimentum proveniat ex voto religionis et valde probabiliter etiam castitatis, iuxta dicenda *n.* 873. *dub.* 1. Ratio quia alia impedimenta hodie non vigent nec indigent dispensatione. Si ve-

(1) Loc. cit. num. 4. (2) L. 1. d. 51. n. 14. (3) L. 10. c. 1. n. 4. (4) Ibid. n. 9. (5) L. c. (6) P. 17. n. 5. (7) N. 215. (8) N. 16. (9) N. 5. (10) L. c. (11) Q. 1. p. 6. n. 5. (12) P. 263. n. 5. (13) Loc. cc. (14) N. 4. (15) P. 136. q. 1. r. 2. (16) De matr. c. 2. p. 1. n. 15. (17) L. 1. d. 51. n. 22. (18) L. 12. c. 9. n. 8. (19) P. 368. n. 5. (20) Q. 2. art. 1. n. 5. (21) P. 17. n. 9. (22) L. c. (23) Loc. cit. n. 24. (24) P. 8. n. 5. (25) Lib. 1. d. 56. n. 5. (26) P. 26. n. 1. (27) Num. 135 (28) P. 7. n. 8.

ro impedimentum sit dirimens, certum est apud omnes (vide Salmant. [1]) dissolvi ex parte innocentis, ita ut iste non teneatur admittere dispensationem. Sufficit autem ad solvenda sponsalia sola fama huiusmodi impedimenti, ut bene advertit Viva [2] ex *c. Cum in tua* 27. *de spons. et c. Super eo* 2. *de consang.* ubi: *Si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, etc.* Ad hoc tamen requiritur fama, non sufficit rumor: *fama* est quando adest opinio impedimenti apud maiorem partem viciniae, *rumor* apud minorem, Viva[3]. Sed dubium est an tunc sponsalia solvantur etiam ex parte nocentis. Affirmat Dic.[4] et probabile putant Salm.[5], quia, supposito tali impedimento, iam factum est impossibile matrimonium. Negant vero communius et probabilius Sanch. [6] et Pal. [7] cum Conin. et Gutt. qui dicunt tunc suspendi obligationem sponsalium donec tollatur impedimentum, quia aequum non est ut delinquens commodum ex suo crimine reportet, ex *c.* 2. *de translat. praelat.* Sed

858. Dubit. 2. An qui impedimentum apposuit, teneatur dispensationem obtinere vel ipsam oblatam acceptare. Alii, ut Fill. Con. et Aversa apud Salm.[8] dicunt non teneri, etiamsi sponsalia fuerint iurata, nisi ad hoc obligetur ratione damni illati, nempe deflorationis vel famae deturpatae, tum quia promissio intelligitur facta, rebus in eodem statu manentibus, ex *c. Quemadmodum, de iureiur.*, tum quia nemo tenetur a lege se extrahere per dispensationem. Alii vero, ut Ronc. [9] Pal.[10] cum Ochag. ac Salm.[11] cum Led. etc., dicunt teneri, adhuc praeciso damno illato, ad procurandam dispensationem una cum diligentia et expensis quae communiter pro tali dispensatione fieri solent, etiamsi essent magnae. Ratio, quia tenetur quisque modo quo potest resarcire ius alterius quod ipse iniuste laesit opponendo impedimentum. Alii demum probabilius, ut Sanch.[12] Viva[13] Wigandt[14] Bon.[15] cum Gutt. et Spor.[16] (cum communi ut asserit) dicunt teneri quidem, etiam secluso damno illato, si dispensatio facile possit impetrari; secus si ad eam requirerentur magnae expensae et longa mora, quia obligatio orta ex sponsalibus urget sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et facilia, non autem difficilia et extraordinaria. Excipit tamen Spor.[17] cum Tamb. nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famae ut supra, quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare, sed non tantam ut cogeretur a suo statu decidere. An autem habens votum castitatis teneatur ducere virginem defloratam sub promissione matrimonii. Et an teneatur petere dispensationem, qui sub promissione matrimonii violaverit consanguineam. *Vide dicta l.* 3. *n.* 649. *et* 650.

859. Dubit. 3. Si sponsalia sint contracta inter habentes impedimentum dirimens, sub conditione expressa, si papa dispensaverit, utrum impleta conditione, valida sint sine novo consensu, *vide dicta l.* 3. *n.* 650., ubi sententiam tenuimus affirmativam cum Lugo, Laym. Sanch. Pal. Salm. etc. quibus adde Pontium[18] et Bon.[19]. Licet enim sponsalia ante conditionem impletam vera sponsalia non sint, inducunt tamen absolutam obligationem expectandi eventum conditionis: ergo consensus perseverat usque ad impletionem conditionis. Unde infertur quod esto ante conditionis verificationem haec sponsalia non inducant impedimentum publicae honestatis, peccaret tamen sponsus si cum sorore sponsae matrimonium contraheret, et haec secunda sponsalia essent nulla, cum esset promissio de re iniusta, quae non obligat, ut recte dicunt Spor.[20] et Pontius [21] cum decr. s. c.

860. « 4. Per *atrox crimen alterius* sponsi solvuntur ex parte innocentis,

(1) De matr. c. 2. p. 5. n. 70. (2) Q. 2. ar. 7 n. 4. (3) L. c. (4) Tr. 10. d. 1. dub. 53. (5) L. c. (6) L. 1. d. 56. (7) P. 26. n. 2. (8) Ibid. n. 72. (9) Pag. 140. q. 10. r 2. (10) P. 26. num. 4. (11) Ibid. n. 73. (12) L. 1. d. 56. n. 4. (13) Qu 2. art. 7. n. 5. (14) Tr. 16. n. 22. (15) P. 7. n. 9 (16) N. 277. (17) L. c. (18) L. 12. c. 7. n. 1 (19) D. 1. par. 7. num. 10. (20) Num. 211. (21) L. 7. c. 56. n. 7.

quale censetur 1. fornicatio sive spiritualis, ut haeresis; sive corporalis, tam sponsi quam sponsae, post sponsalia et sponsae etiam ante illa, sed a sponso ignorata, licet per vim facta, Bonac. [1]. Imo si sponsa permittat se tangi impudice ab alio per oscula et amplexus, potest sponsus resilire a sponsalibus; sed non vice versa, quia, etsi sponsus id faciat, non est dedecus sponsae, nec mutatio alicuius momenti. Reg. Diana [2] (Ita etiam Sanch. [3] et Salm. [4] cum Con. Dic. etc.). Limitant tamen (Ut etiam Sanch. et Salm.[5] cum aliis citatis) nisi talia oscula et tactus sint ita frequentes ut indicent valde propensum sponsi animum in alteram, ut merito timeri possit ne sponsae non sit fidem servaturus. Si autem uterque sponsus fornicetur post sponsalia, neutrum posse resilire docent Palaus et Bonac. contra Conin. Regin. Sanch. Laym. et Pont. qui soli viro id eo casu permittunt, eo quod delicta sint imparia, et longe gravius damnum immineat ipsi propter incertitudinem prolis. Diana [6]. 2. Furtum grave, homicidium etc. vel simile, quod grave damnum vel infamiam pariat. Bon. [7]. »

861. Si fornicatio fuerit ante sponsalia, certum est apud omnes posse virum, cognita fornicatione sponsae post sponsalia, eam relinquere. E converso non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem sponsi cum alia ante habitam, ut communiter docent Sanch. [8] Pont. [9] et Salm. [10] cum Pal. et Dic. (contra Holzm.[11]). Nisi, limitant Sanch.[12] Pont.[13] Tamburin.[14] et Ronc.[15] cum Con. et Pal., vir insuper prolem ex alia habuerit vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio cum pluribus foeminis se commiscendo.

Si vero fornicatio fuerit post sponsalia, certum est posse sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntarie fornicata sit. Sed dubitatur 1. an vir possit a sponsalibus resilire, si sponsa violenter fuerit fornicationem passa. Negant Armilla Tabiena Rosella etc. apud Escob.[16]. Quia (ut aiunt), cum ipsa culpa vacaverit, non est suo iure privanda. Sed communiter et verius affirmant Sanch.[17] Nav.[18] Conc.[19] Sporer[20] Holzman[21] Pont.[22] Pal.[23] Laym.[24] cum Sylv. et Cov. Escob. [25] cum s. Antonino Palud. Soto et Led. ac Bon.[26] cum Con. Fill. Henr. Gutt. et Reg. ex *c. Raptor* 33. *caus.* 27. *q.* 2. ubi expresse permittitur sponso repudiare sponsam violenter raptam. Et ratio est quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur, unde notabiliter mutantur circumstantiae, iuxta mox dicenda *n.* 863. [27].

862. Dubit. 2. an, utroque sponso fornicante, utrique liceat resilire. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia, quam tenet Pal.[28] affirmat, nam esto fornicatio sponsae turpior sit, tamen sponsus, cum etiam per suam fornicationem violet fidem datam, iam tribuit sponsae iustam causam resiliendi.

Secunda sententia, quam tenent Viva[29] Bonac.[30] cum Palud. Holzm.[31] cum Babenst., item Aversa et Perez apud Salm.[32] dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem, ita ut neuter queat a sponsalibus recedere. Ratio, quia sicut post matrimonium contractum, si uterque coniux adulteretur neuter potest petere divortium ex *c.* 6. *de adulter.*, ita si post sponsalia uter-

(1) Part. 3. (2) P. 3. t. 4. r. 285. (3) L. 1. d. 55. n. 5. (4) De matr. c. 2. p. 5. n. 30. (5) Ll. cc. (6) L. c. r. 284. (7) P. 3. n. 12. (8) Lib. 1. d. 65. n. 9. (9) L. 12. c. 18. n. 2. (10) Ib. p. 6. n. 38. (11) N. 265. (12) N. 10. (13) L. c. (14) De matrim. c. 5. §. 9. n. 6. (15) P. 159. q. 7. r. 2. (16) N. 275. (17) L. 1. d. 55. n. 7. (18) C. 22. n. 27. (19) P. 276. n. 25. (20) N. 272. (21) N. 234. (22) Lib. 12. cap. 17. n. 3. (23) P. 26. num. 5. (24) Cap. 2. n. 11. (25) N. 175. (26) P. 3. n. 3. (27) Si crimen esset fornicationis, inquit s. Alph. in Hom. Ap. tr 13. n. 13. distinguere oportet virum a muliere. Quoad sponsam certum est, virum liberum fieri, si illa ab alio carnaliter fuerit cognita, licet invita, iuxta communem et veriorem sententiam.... contra quoad sponsum, sive ipse fornicatus esset ante sive post sponsalia, etiam communius et probabilius dicunt Sanch. Pont. Castrop. Salm. etc. sponsam non posse recedere. Excipiunt tamen et merito praefati aa. cum aliis, si celebratis sponsalibus cognovisset sponsa ex alia muliere sponsum habuisse prolem aut in hoc vitium frequenter lapsum fuisse, cum multis congressum habendo. (28) P. 2 n. 10. (29) Q. 2. a. 2. n. 2. (30) D. 1. p. 3. n. 6. (31) N. 258. (32) De matr. c. 2. p. 5. n. 35.

que sponsus fornicetur, neuter potest resilire.

Tertia sententia vero probabilior et communis (ut fatetur ipse Pal.), quam tenent Pont. [1] Sanch. [2] Laym. [3] Conc. [4] Escob. [5] Sporer [6] Renzi [7] Salm. [8] cum Con. Henriq. Diana, Leand. Dic. etc. docet sponsum bene posse resilire, non vero sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur aequa compensatio, cum longe turpior sit fornicatio sponsae quam sponsi. Dispar autem est ratio divortii propter adulterium, quia obligatio matrimonii quoad torum difficilius solvitur quam sponsalium obligatio, quae solvi potest ex quacumque rerum notabili mutatione (sicut esset haec) superveniente, ut mox dicetur *n. seq.*

863. « 5. Si *notabilis mutatio* accidat vel detegatur, quae si a principio cognita fuisset, a sponsalibus deterruisset (Ita comm. Sanch. [9] Pont. [10] Pal. [11] Salm. [12] et alii passim. Et hoc procedere ait Viva [13] etiamsi intervenerit copula, tunc enim sufficit damnum compensare) qualis esset, v. g. 1. inimicitia vel odium grave inter sponsos, quo refertur morum asperitas vel saevitia post sponsalia primum cognita, item iustus timor ne ex matrimonio scandala et gravia odia nascantur inter parentes vel consanguineos. Layman [14] Bonacina [15] etc. 2. Si alteruter incidat in lepram, paralysim, morbum gallicum etc.; si graviter mutiletur, ut amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur, praesertim sponsa, vel sponsus reddatur ineptus ad opificium exercendum vel acquirendum officium ad sustentationem familiae necessarium. Diana [16] Sanch. [17] Conin. [18] Laym. et Bon. [19] (Ita comm. omnes cum d. Th. [20], et hoc etiamsi non adsit certitudo de tali defectu, sed sola (vehemens tamen sive prudens) suspicio, ut Pontius [21] et Pal. [22]). Non tamen tenetur sponte aperire tales defectus qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen perniciosas, praesertim si aliquam infamiam habeant adiunctam (v. g. si sponsa vi vel sponte fuisset corrupta), dummodo tamen contrarium positive verbo factove non simulet; potestque interrogatus licite dissimulare et contrahere matrimonium. Si vero defectus sint perniciosi, v. g. morbus contagiosus, gravis infamia sive personalis sive generis aut familiae, non licet, etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit, contrahere cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipse patiatur. Coninch. Pont. Diana [23] qui ex Con. et Salm. contra Pontium Navar. etc. infert sponsam post sponsalia corruptam posse sponsum defectus istius occulti ignarum cogere ad standum sponsalibus et contrahendum matrimonium. 3. Si magna alterius debita detegantur vel grave sit periculum fortunarum, famae, morbi, paupertatis etc., vel sponsa dotem promissam afferre nequeat, vel denique si sponsus incipiat vagari cum incommodo sponsae. Bonac. [24] (Item Spor. [25] Sanch. [26] ac Pont. [27] cum Con. Reb. et Tol. sive dos, ut aiunt, sit promissa sive non. Et idem dicunt Sporer et Pont. [28] si timeatur pater filium exhaeredaturus). Quod si autem, defectu sponsae detecto, dubitet sponsus an si eum ab initio cognovisset, contracturus fuisset, tunc si defectus ille censeatur gravis ac notabilis, praesumetur pro sponso, cui liberum erit resilire, Sanchez Bon. Tan. [29]; secus si defectus sit levis. Bard. [30]. »

864. Quaer. an pars laborans occulto defectu sufficienti ad solvenda sponsalia teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel eis contractis, ante matrimonium. Distinguendum cum communi. Si defectus redderet nuptias

(1) L. 12. c. 17. num. 3. (2) L. 1. d. 55. n. 9. (3) C. 2. n. 12. (4) P. 276. n. 26. (5) N. 181. (6) Num. 271. (7) P. 435. q. 3. (8) Ibid. n. 34. (9) L. 1. d. 65. n. 2. (10) Lib. 12. c. 6. n. 13. (11) P. 29. (12) De matr. c. 2. p. 5. n. 66. et 67. (13) Ou. 2. art. 6. num. 4. (14) Cap. 1. n. 13. (15) P. 3. n. 3. (16) P. 3. tr. 4. r. 35. (17) L. 1. d. 57. (18) Dist. 13. dub. 3. (19) Locc. cit. (20) Suppl. qu. 45. a. 3. ad 3. (21) L. 12. c. 17. n. 4. (22) P. 27. n. 3. (23) Part. 5. t. 4. resol. 28. (24) L. c. (25) N. 232. (26) L. 1. dist. 39. n. 2. et 4. (27) Lib. 12. cap. 17. num. 3. (28) Locc. cit. (29) T. 1. l. 1. dist. 65. (30) L. 9. c. 11. p. 7.

perniciosas, ut esset infamia, lepra, morbus gallicus aut alius contagiosus, tenetur manifestare vel a nuptiis desistere, nisi altera pars eodem defectu laboret; ita Pont. [1] Ronc. [2] Pal. [3] cum Salm. [4] cum Diana [5] Spor. [6] cum Perez et Gob. (quidquid dicant Sanch. [7] et alii apud Salm.). Ratio quia sicut peccat contra iustitiam qui alteri vendit merces noxias credenti bonas, ita a fortiori qui cum pernicioso defectu vult matrimonium contrahere.

865. Si vero defectus non redderet nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles, nempe si sponsa esset pauper quae reputatur dives, ignobilis quae nobilis, deformis quae pulchra, corrupta quae virgo; tunc esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, tamen non tenetur defectum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare aequivoce respondendo; tunc enim non fingit, sed occultat vitium occultum; ita Sanchez [8] Pontius Sporer Diana [9] Roncaglia[10] Renzi[11] Croix[12] Pal.[13] cum Conin. et Turr., Salm. [14] cum Dic. et Aversa Escob.[15] cum Hurt. et Leand. (contra Ochag.[16] et Conc.[17]).Ratio, tum quia est consuetudine iam receptum ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, tum quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, si non laedat ius alterius: licet enim sponsus, cognito defectu, habeat ius resiliendi a sponsalibus, opponendo exceptionem propter talem defectum, tamen usquedum ipse exceptionem non opponit, potest cogi a sponsa ad matrimonium: sicut adultera, usquedum vir non opponit exceptionem propter cognitum adulterium potest ab eo debitum petere. Unde dicunt praefati aa. quod sponsa ab alio corrupta, etiamsi interrogetur a sponso an fuerit ab alio cognita, poterit dissimulare et negare per restrictionem non pure mentalem, respondendo non esse corruptam, subintelligens in communi aestimatione, aut ad aperiendum tibi, additque Diana posse illam sine peccato aut saltem sine mortali, uti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat esse corruptam.

Excipiunt tamen 1. Sporer[18]Palaus[19] Pont.[20] et Croix[21] cum Con. et Perez, si sponsa ex concubitu habito cum alio sit praegnans, quia tunc adest periculum damni sponsi, nempe quod deberet alere prolem alienam. Excipiunt 2. Sanch.[22] Pont.[23] Salm.[24] Roncag.[25] Croix[26] et Pal.[27] cum Nav. Con. et Turr. si, non manifestato defectu, prudenter timeatur ne ille propaletur post nuptias initas, et graves inde discordiae sint proventurae; tunc enim dicunt teneri sponsam vel suam violationem passam propalare vel a matrimonio desistere, quia tenetur ex caritate erga sponsum et etiam erga seipsam talia damna praecavere; sed huic obiici posset quod caritas non videatur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi vel remanendi semper innuptam. *Vide dicta n.* 851. *v. Ad id autem.*

Ad videndum autem quaenam causae sufficiant ad solvendam obligationem sponsalium, attende has duas regulas.

Prima regula, pro causis supervenientibus ad sponsalia sufficit illa causa, quae si esset praevisa, sponsalia non fuissent contracta: tunc enim ab eis libera manet pars quae de novo has causas non dedit; ita communiter Sanchez[28] Pal.[29] et Salm.[30] cum Aversa Led. Henr. Dicast. et aliis. Ratio quia sponsi sub hac conditione censentur obligari, nisi accedat notabilis mutatio, qua praevisa, minime contraxissent.

Secunda regula, pro causis ignotis anterioribus ad sponsalia, illa sufficit, quae si superveniret iam esset suffi-

(1) Lib. 12. c. 18. n. 6. (2) Pag. 140. q. 12. (3) P. 30. n. 5. (4) De matr. c. 2. p. 6. n. 99. (5) 3. p. tr. 4. r. 287. (6) N. 286. (7) Lib. 1. d. 68. n. 8. (8) L. 6. d. 27. n. 9. (9) Locc. cc. (10) L. c. et reg. in prax. 7. (11) P. 437. q. 10. (12) N. 132. (13) P. 30. n. 2. (14) De matr. c. 2. p. 6. n. 97. (15) N. 324. (16) Ibid. n. 322. (17) P. 278. n. 31. (18) N. 286. (19) P. 30. n. 5. (20) D. n. 6. (21) N. 185. (22) N. 11. (23) Ib. (24) Ibid. n. 98. (25) D. reg. 7. (26) N. 184. (27) N. 3. (28) L. 1. d. 62. n. 5. (29) P. 28. n. 8. (30) De matr. c. 2. p. 5. n. 62.

ciens ad illa rescindenda, ita Pontius [1] Sanchez [2] Pal.[3] et Salm.[4] cum Dic. Aversa Leand. et communi, quia in tali casu etiam adest notabilis mutatio, quae si ab initio fuisset cognita iam sponsalia impediisset. Quapropter si ignorantia non dedisset causam contractui sed fuisset concomitans, nempe si sponsus, adhuc cognita prius causa, etiam contraxisset, minime poterit a sponsalibus deinde resilire, quia tunc non advenit illa notabilis mutatio; ita Pont. [5] Sanchez [6] Pal. [7] et Salm. [8] cum Dic. Con. Leand. et Trull.

866. « 6. Si alter sine alterius licentia *proficiscatur* in terram longinquam, quia censetur renuntiare suo iuri, Layman [9] Bon. [10].»

Certum est quod si sponsus alio transfert suum domicilium, vel si in longinquam regionem abeat, etsi cum animo redeundi, poterit sponsa statim ad alias nuptias transire, hoc est expressum in *c. De illis*, 5. *de spons.* ubi dicitur: *Qui praestito iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre.* Si vero sponsus discessit in propinquum locum cum animo redeundi, tunc si discessus fuerit ex causa necessaria, puta infirmitatis, aut alterius gravis negotii, statutum est in *l. Saepe*, *ff. de spons.* expectandum esse negotii finem; si autem ex causa voluntaria, quando discessus fuerit intra provinciam, dicitur in *l.* 2. *c. eod. tit.* expectandum esse ad biennium, quando extra provinciam ad triennium ex *l.* 1. *c. de repud.* Dicunt autem fere communiter Sanchez[11] Bonac.[12] Spor.[13] Viva [14] Ronc.[15] Holzm.[16] Escob.[17] cum Soto Armilla etc. ac Salm.[18] cum Dicast. Gonet et Aversa, ius civile in hoc correctum fuisse a iure canonico in *citat. cap. De illis.* Et hoc dicendum (ut aiunt Sanchez[19] Ronc. et Viva[20] cum Perez contra Bonac.) etiamsi discessus fuerit ex causa necessaria. Sed melius dicunt Palaus[21] Pontius [22] cum Canisio, in hoc minime correctum fuisse ius civile a canonico, nam in *dicto c. De illis* sermo fit tantum de eo qui domicilium mutavit, non autem de illo qui discessit reversurus. Verum recte addunt, neque in hoc standum esse iuri civili, quia praefatae leges terminum statuunt, non ut sponsa possit sponsalia dissolvere, cum (ut diximus *num.* 853. *qu. I.*) ex iure civili olim sufficiebat unius sponsi voluntas ad solvenda sponsalia, sed ut possit sponsa resilire, lucratis arrhis. Unde concludendum cum s. Anton.[23] Pont.[24] Sanch.[25] et Salm.[26] cum Con. Reb. et Dic. quod semper ac sponsus discessit in propinquum locum, expectandum sit donec redeat, vel requiri debet sponsus, ut intra certum tempus accedat ad contrahendum matrimonium: quod si ille requisitus reditum iusta ex causa differat, vel erit expectandum ad prudentis arbitrium, ut dicunt Ronc. Spor.[27] Conc.[28] et Salmant.[29] cum Conc. Reb. et Dicast., vel (quod securius est) causa est remittenda arbitrio iudicis, qui inspectis circumstantiis vel admonebit sponsum ut redeat infra certum tempus vel terminum determinabit (praesertim si ille longe abierit) post quem sponsa libera remaneat, ut dicunt Pontius et Ronc.[30] Pal.[31] ac Salmant. cum eisdem aa. Et idem docet Bened. XIV.[32] cum Anaclet. Cler. Perez etc. ac declar. s. c. die 2. octob. 1723. quae pariter sic agendum respondit. Haec autem procedunt si in sponsalibus nullum fuerit tempus praefixum ad nuptias ineundas, nam si fuerit terminus assignatus, *vide dicenda num. seq.*

867. « 7. Si sint inita cum conditione, *certo tempore contrahendi* matrimonium, liberatur obligatione is, per quem

(1) Lib. 12. c. 13. (2) Lib. 1. d. 65. num. 2. (3) P. 29. (4) Ibid. p. 6. n. 37. (5) L. c. n. 4. (6) Dist. 65. num. 2. (7) N. 2. (8) Ibid. n. 95. (9) L. c. (10) P. 6. (11) L. 1. dist. 54. n. 6. (12) Part. 6. n. 8. (13) N. 224. (14) Q. 2. a. 5. n. 2. (15) P. 157. q. 2. (16) N. 230. (17) N. 270. (18) De matr. cap. 2. p. 4. n. 61. (19) Num. 6. (20) Locc. cc. (21) P. 23. n. 2. (22) L. 12. c. 15. n. 4. (23) 3. p. tit. 1. c. 13. §. 1. (24) L. c. (25) N. 10. (26) Ibid. n. 62. (27) L. c. (28) P. 374. n. 17. (29) L. c. (30) Locc. cc. (31) N. 3. (32) Notif. 46. n. 5

non stetit quominus sit contractum. Laym. [1]. »

Cum terminus sponsalibus apponitur, spectandum est an apponatur ad sollicitandam sive ad non differendam obligationem contrahendi matrimonium, vel an ad obligationem finiendam. Tunc apponitur ad sollicitandum, quando partes ideo praefigunt terminum ut neutra ante illum possit alteram cogere ad implendum contractum. Tunc autem ad finiendum, quando terminus apponitur ut eo elapso nulla remaneat obligatio. Et haec ita servanda sunt, si expressis verbis partes ita conveniant. Sed

Dubitatur 1. Si verba sint ambigua, quando terminus censeri debeat appositus ad sollicitandam obligationem et quando ad finiendam. Respondetur cum communi sententia duas regulas in tali dubio assignari.

Prima regula: Si terminus ab una tantum parte praefigitur, altera negative se habente, tunc censetur appositus ad sollicitandum, si vero ab utraque, ad finiendum.

Secunda regula: Si terminus apponitur antequam sponsalia contrahantur, censetur ad finiendum, secus si post sponsalia contracta; ita Sanch. [2] Roncaglia [3] Renzi [4] et Salmant. [5] cum Con. Bec. Dic. etc. Quamvis Pontius [6] dicat praefatas duas regulas non esse generice veras. Casu autem quo terminus est appositus ad finiendam obligationem, elapso tempore ex culpa unius partis, altera innocens liberatur, etiamsi sponsalia fuerint iurata, ut commune est apud omnes cum d. Thom. [7] et patet ex *c. Sicut* 22. *de sponsal.* ubi pontifex praecepit imponi poenitentiam cuidam sponso qui recessit a sponsalibus cum quadam contractis, et nuptias cum alia inivit: *Nisi* (addidit) *iuramento suo certum terminum praefixit, intra quem dictam P. duceret in uxorem, et per eum non stetit* (nota), *quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Ergo si per eum non stetit, licite recessisset.

868. Dubitatur 2. An elapso termino ex defectu v. gr. sponsi, possit sponsa resilire a sponsalibus, si inculpabiliter omiserit ille nuptias inire, iusto detentus impedimento.

Prima sententia negat et hanc tenent Pontius [8] Bonac. [9] cum Regin. Viva [10] et Sanch. [11] cum Palud. Gomez etc. [12], item Guttier. ap. Pal. [13] Trullench. apud Salm. [14]. Ratio quia non est aequum ut privetur iure suo, qui ex iusta causa impeditur a promissis adimplendis, ex *l. 1. c. de annal. except.* ubi: *Legitime impedito non currit tempus, ut iure privetur.* Id probant etiam ex citato *c. Sicut;* sed praefatus textus verius probat oppositum, ut mox videbimus. Notant vero Bon. et Viva [15] cum aliis quod ut pars innocens liberetur a sponsalibus, mora alterius debet esse tanta, ut, inspectis circumstantiis, prudenter ipsa censeatur rea culpae mortalis. Item advertit Pontius, quod si ob tale impedimentum unius partis diutius differatur matrimonium, bene poterit altera adire iudicem, ut monita parte impedita, alium terminum praefigat, quo elapso ipsa omnino libera remaneat.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat et hanc tenent Laym. [16] Pal. [17] Navar. [18] Coninch. [19] Salmant. [20] Conc. [21] Ronc. [22]. Ratio quia terminus ad hoc apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis, alias frustra tempus praefigeretur. Haec autem sententia clare probatur ex praedicto textu in *c. Sicut*, quem perperam ad suam sententiam adversarii detorquent; casus enim (ut diximus) ibi fuit, quod vir quidam post sponsalia contracta cum una contraxisset matrimonium cum alia, hinc pontifex decrevit quod si per ipsum stetit quominus cum prima nuptiae initae fuissent intra terminum praefixum, debuisset agere poe-

(1) N. 16. (2) L. 1. d. 53. n. 3. (3) P. 137. qu. 3. r. 2. (4) P. 435. qu. 3. (5) De matr. c. 2. p. 4. n. 51. (6) L. 12. c. 16. n. 3. (7) In 4. d. 27. quaest. 2. art. 3. ad 2. (8) L. 12. c. 16. n. 4. (9) P. 6. n. 6. (10) Q. 2. ar. 3. n. 3. (11) L. 1. d. 53. n. 7. (12) Ibid. n. 16. (13) P. 24. n. 7. (14) De matr. c. 2. p. 4. n. 56. (15) Locc. ec. (16) C. 2. n. 17. (17) P. 24. n. 8. (18) C. 22. n. 27. casu 11. (19) D. 27. d. 6. n. 47. (20) Ibid. n. 57. (21) P. 273. n. 16. (22) C. 3. q. 3. r. 2.

nitentiam. Unde ex textu consequenter declaratum fuit quod si per ipsum non stetit (intellige quidem culpabiliter, nam alias, si culpa defuisset, nulla ei fuisset imponenda poenitentia) quin matrimonium intra definitum tempus contractum fuisset, licite potuerit elapso termino cum alia contrahere. Ergo, si licite ille potuit matrimonium inire cum secunda, cum per ipsum culpabiliter non steterit quin statuto tempore cum prima nuptiae fuissent contractae, supponit pontifex quod ipse elapso termino liber omnino remanserit ab obligatione sponsalium. Hinc concluditur quod cum terminus praefixus elabitur, omnino cesset obligatio sponsalium ex parte illa quae iam parata erat ad nuptias. Sed

Dubitatur 3. An, elapso termino, in sponsalibus apposito, remaneat libera ab eorum obligatione etiam pars quae culpabilem apposuit dilationem.

Prima sententia communior negat et dicit remanere liberam tantum partem per quam non stetit, ita Pont. [1] Lay. [2] Pal. [3] Nav. [4] Con. [5] Salm. [6] et Sanch. [7] cum Palud. etc. Ratio quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Certum est autem ap. omnes cum Pont. [8] et Sanch. [9] quod si per utramque partem stetit ne matrimonium intra tempus praefixum celebratum esset, ex utraque parte sponsalia solvantur.

Secunda sententia vero affirmat quod, elapso termino, utraque pars remanet libera, etiam illa quae in culpa fuit: sic tenent Ronc.[10] Conc.[11] et hanc expresse etiam tenet d. Thom.[12] qui ait: *Si per eum stetit, quod matrimonium non est completum, debet agere poenitentiam de peccato fractae promissionis aut iuramenti, et contrahere cum alia, si vult, iudicio ecclesiae.* Ratio videtur esse, quia cum terminus sit appositus ad obligationem finiendam, illo elapso cessat obligatio; cum enim terminus sit conditio intrinsece apposita contractui, ea deficiente, estó per culpam unius contrahentis, ipse liber manet, nec obstat quod tunc ex sua culpa commodum reportet, quia lex contractus non culpam sed conditionis defectum respicit, ex reg. iur. in 6. ubi: *Contractus ex conditione legem accipere dignoscitur.* Prima sententia est quidem longe communior et mihi longe probabilior, sed haec secunda sua probabilitate non caret, maxime ex auctoritate d. Thomae.

869. « 8. Solvuntur, licet sint iurata, per susceptionem ordinis sacri vel ingressum alterius in religionem, aut votum eam ingrediendi. Laym.[13] Bon.[14]. Nec obstat si hic postea ad saeculum redeat, ut docet Sanch.[15], licet Praep. Fill. et alii putent, talem ex parte sua prioribus sponsalibus teneri, uti etiam ad damna resarcienda sponsae, si quae passa esset. Unde non posset ingredi religionem, si sponsam deflorasset, nec aliter quam per matrimonium posset resarcire damnum. V. Diana[16] Bon. [17].

» 9. Probabile est, solvi etiam per votum simplex castitatis, ut docent Suarez Azor. aliique, cum hoc sit de meliori bono, etsi contrarium doceant Fill. Sanch. Con. et alii, eo quod Deus non acceptet promissionem rei alteri promissae et in alterius praeiudicium. Unde etiam in foro externo talis solet compelli, ut vel fidem servet vel intret religionem. Interim post tale votum alteri parti datur ius sponsalia solvendi, eo quod vovens resilierit et censeatur iuri suo renuntiasse. V. Bon.[18].»

870. Hinc distinguendum inter professionem religiosam, susceptionem ordinum sacrorum, et votum religionis vel ordinum vel castitatis. Et 1. Quoad *professionem religiosam*, dubitatur 1. utrum per ingressum in religionem unius sponsi solvantur sponsalia contracta ante professionem. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia asserit per ingressum ex neutra parte dissolvi sponsa-

(1) L. 12. c. 16. n. 4. (2) C. 2. n. 17. (3) P. 24. n. 8. (4) C. 22. n. 27. (5) D. 6. n. 47. (6) De matr. c. 2. p. 4. num. 55. (7) L. 1. d. 55. n. 7. (8) L. c. (9) N. 6. (10) P. 137. q. 3. r. 2. in fine. (11) P. 273. n. 16. (12) In 4. d. 27. qu. 2. art. 3. ad 2. (13) L. c. (14) P. 5. (15) L. 1. d. 25 (16) P. 3. tom. 4. r. 207. (17) Loc. cit. (18) P. 6. n. 13.

dia, ita Cov. Durand. Armill. etc. ap. Salm. [1]. Ratio quia sicut matrimonium ratum non per ingressum, sed tantum per professionem dissolvitur, ut ex *c.* 2. *de convers. coniug.*, ita dicendum est etiam de sponsalibus: sed haec sententia non videtur satis probabilis.

Secunda sententia communior cui adhaereo et quam tenent Laym. [2] Spor.[3] cum communi, ut asserit Croix [4] Pal.[5] Pont. [6] cum Reb. et Gabr. Viva [7] cum Con. Perez et Henriq. ac Salm. [8] cum Gonet Vill. et Led., dicit tunc dissolvi sponsalia tantum ex parte manentis in saeculo, tum quia alter ingrediendo religionem censetur cessisse iuri suo, tum quia ex eius parte tunc accedit notabilis mutatio, cum dedecori aestimetur nubere cum eo qui religionem deseruit; non autem dissolvi ex parte ingredientis, si postea ad saeculum redeat, quia per ingressum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum matrimonium, sicut redderetur per professionem.

Tertia sententia quam tenent Bus. *n. ant.* Sanchez[9] Tol.[10] Bon.[11] cum Conc. Fill. Henr. etc., item Bec. et Dic. apud Salm.[12] dicit dissolvi sponsalia ex parte utriusque. Ratio 1. est, quia sicut novitiatus se habet ad professionem, ita se habent sponsalia ad matrimonium: quemadmodum igitur matrimonium ratum dissolvitur ex parte utriusque per professionem, ut declaratur in *c.* 2. *de convers. coniug.*, ita sponsalia per ingressum. Sed huic rationi respondetur quod tale privilegium ex iure divino (ut declaratum est ab ecclesia) concedatur tantum professioni religiosae tanquam statui perfectionis; sed quod per ingressum sponsalia solvantur, nullo iure habetur: et revera aequum non esset ut gauderet privilegio concesso statui religioso, qui ab eo viliter retrocedit. Ratio 2. huius sententiae est, quia ingressus in religionem cum animo perseverandi iam solvit voventem a voto religionis, ita ut, si postea egrediatur experiendo religionem imparem suis viribus esse, iam liber maneat a voto: ergo a fortiori solvit obligationem sponsalium quae sunt minoris obligationis voto religionis. Sed haec ratio neque suadet, nam vovens ideo per ingressum liberatur a voto, quia iam implet suam obligationem, votum enim intelligitur emissum sub conditione si religio sibi conveniat: contra vero sponsus per ingressum in religionem nullo modo implet obligationem sponsalium, et ideo si ab illa egreditur, merito manet eadem obligatione obstrictus. Hinc secunda sententia absolute probabilior mihi videtur.

Dubit. 2. an si sponsalia sint iuramento firmata, teneatur sponsus ante ingressum in religionem matrimonium celebrare.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Scot. Navar. et Led. ap. Pont.[13] ac Reb. et Vega ap. Salm.[14]. Id probant ex *c. Commissum* 16. *de spons.* ubi dicitur tutius esse quod eo casu sponsus prius nuptias ineat, et deinde ante consummationem ingrediatur religionem, si velit; en verba textus: *Tutius est ei* (*religione iuramenti servata*) *prius contrahere, et postea, si elegerit, ad religionem migrare.*

Secunda sententia tamen communissima, et per se loquendo verior, negat, eamque tenent Pontius[15] Sanch.[16] Pal.[17] Bonac.[18] Petr.[19] Viva[20] Sporer[21] Holzm.[22] et Salm.[23] cum Dicast. Ratio, tum quia iuramentum semper censetur emissum sub conditione, nisi status perfectior eligatur, tum quia iuramentum sequitur naturam contractus ex *c. Quemadmodum* 25. *de iureiurando*, ubi dicitur quod qui iuravit se cum muliere contracturum, propter supervenientem fornicationem vel deformitatem repellere potest; si ergo sponsalia nuda non obligant ad matrimonium contrahendum ante ingressum in reli-

(1) De matr. c. 2. p. 2. n. 19. (2) C. 2. n. 2. (3) N. 148. (4) N. 137. (5) P. 18. n. 3. (6) L. 22. c. 10. n. 4. (7) Q. 2. art 4. n. 4. (8) De matr. c. 2. p. 2. n. 21. (9) L. 1. d. 42. n. 2. et 5. (10) L. 7. c. 21. (11) P. 5. n. 2. (12) Ib. n. 20.

(13) L. 12. c. 10. n. 10 (14) De matr. c. 2. p 2. n. 17. (15) N. 15. (16) L. 1. d. 45. n. 3. (17) P 16. n. 2. (18) P. 5. num. 4. (19) T. 4. p. 279 (20) Q. 2. art. 4. n. 5. (21) N. 246. (22) N 240 (23) Ibid. n 13.

gionem, nec etiam obligant iurata. Recte autem respondent praefati aa. ad textum oppositum, quod ibi, cum sponsus non erat certo determinatus ad ingrediendum, sed tantum aspirabat, ut ibi exprimitur, ideo pontifex, ne ille fieret reus periurii non ingrediendo religionem nec celebrando matrimonium tempore statuto, dixit tutius id esse nuptias contrahere, et deinde si voluerit, religionem intrare; unde si sponsus antequam terminasset tempus praefixum religionem ingressus esset vel deliberate statuisset ingredi, utique non tenebatur, imo nec poterat matrimonium sine gravi culpa inire, ut bene advertunt Sanch. [1] Spor. [2] Pont.[3] cum Soto et Bon. [4] cum Sylv. Con. Gutt. et Rodriquez contra Cai. et Led., quia gravem iniuriam irrogasset sponsae, eam cogendo per annum suam professionem expectare. Dixi, *per se loquendo*, nam recte addunt Bon. Spor. et Holz. [5] ac Pont. [6] cum Suarez quod teneretur sponsus ante ingressum nuptias celebrare, si hoc necessarium esset ad prolem legitimandam, scandalum reparandum vel honori sponsae providendum, si alio modo non posset occurri. Et hoc casu nec etiam permittitur sponso post celebrationem matrimonii ingredi religionem, illudque non consummatum relinquere: nequit enim tunc deserere uxorem, quae propter infamiam non posset alias nuptias invenire, ut recte notavit Busemb. *l. 1. n. 65. v. Unde.*

871. 2. Per *susceptionem ordinum sacrorum* certum est etiam dissolvi sponsalia, non autem matrimonium ratum, ita omnes cum Sanch. [7] Pont. [8] Conc. [9] et aliis passim, et patet ex *Extrav. Antiquae de voto*, ubi dicitur: *Licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium, sit efficax reputandum etc.* Sed dubitatur 1. utrum peccet qui ordines sacros suscipit, inscia vel invita sponsa.

Prima sententia affirmat peccare graviter, et hanc tenent Sanch.[10] Palaus[11] Ronc.[12] et Croix[13] cum Con. et Perez. Ratio quia nullo iure concessum est ordini sacro sponsalia dirimere, sicut est datum statui religioso, imo ipsum ius prohibet ordinari in praeiudicium alterius, ut habetur ex *c. un. de oblig. ad ratioc. non ordin.*

Secunda sententia vero non minus probabilis negat, eamque tenent Pont.[14] Nav.[15] Con.[16] Bon.[17] cum Gutt. et Cord. Salm. [18] cum Aversa Diana et Henriq. ac Escob.[19] cum Soto Sylvio et Vega. Ratio quia in promissione sponsalium imbibita semper est conditio, nisi melior status eligatur, aequum enim non est ut ad serviendum creaturae impediatur status Creatori se dicandi. Nec obstat textus oppositus, nam ibi non tam consideratur praeiudicium tertii, quam infamia ecclesiae, ut ibidem exprimitur, praeterquamquod in nostro casu nulli infertur praeiudicium, cum sponsus utatur iure suo. Idque videtur confirmari ex *eadem Extrav.* supra citata, ubi tantum prohibetur suscipere ordines sacros post matrimonium contractum, non autem post sponsalia.

872. Dubit. 2. utrum per susceptionem ordinum minorum dissolvantur sponsalia.

Prima sententia affirmat, quam tenent Ronc. [20] Spor. [21] cum Tanner. et Gob., tum quia talis est mutatio sponsi, dum minoribus initiatur, ut merito iudicetur noluisse sponsa se obligare ad nuptias cum eo contrahendas, tum quia censetur sponsus cedere iuri suo, cum suscipiat statum qui ordinatur ad ordines maiores incompossibiles cum matrimonio.

Secunda sententia tamen communior et verior negat, et hanc tenent Sanch.[22] cum Palud. Wig.[23] Pont.[24] Salm.[25] et Escob.[26]. Ratio quia revera status ordinum minorum per se non est incom-

(1) L. 7. (2) L. c. (3) L. 12. c. 2. num. 2. (4) P. 5. n. 11. (5) Locc. cc. (6) D. c. 10. n. 15. (7) L. 1. dist. 47. num. 1. (8) L. 1. c. 11. n. 2. (9) P. 270. n. 6. (10) L. c. n. 5. (11) P. 19. n. 2. (12) C. 5. q. 5. r. 2. (13) L. 6. p. 3. num. 200. (14) L. 12. c. 11. num. 3. (15) C. 22. num. 25. (16) D. 260. n. 6. (17) P. 5. n. 20. (18) De matr. c. 2. p. 2. n. 26. (19) N. 237. (20) P. 158. q. 5. r. 1. (21) N. 256. (22) L. 1. dist. 47. n. 3. (23) Tr. 16. num. 29. (24) L. 12. c. 11. num. 1. (25) De matr. c. 2. p. 2. n. 25. (26) N. 254.

possibilis cum matrimonio, cum quis bene possit fieri clericus coniugatus, ut patet ex *c.* 1. *et* 2. *de cler. coniug.*

873. 3. Quoad *votum* ingrediendi religionem vel suscipiendi ordines sacros, vel castitatis servandae, certum est 1. quod vovens ingredi religionem, licite voveat et debeat ingredi, nec teneatur stare sponsalibus, si vere vult fieri religiosus, nam si egreditur, tenetur, ut diximus supra *n.* 870. Certum est 2. cum Sanch. [1] Pont. [2] Roncag. [3] Viva [4] Salm. [5] ac aliis passim, quod per huiusmodi tria vota solvuntur sponsalia ex parte non voventis, cum merito iudicetur per ipsa vovens sponsalibus renuntiare. Certum est 3. quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiam profitendi religionem, tunc sponsalia ex parte utriusque dissolvantur, quia vovens tunc fit omnino inhabilis ad matrimonium contrahendum, ut recte dicunt Salm. [6] et Viva [7]. Sed

Dubitat. 1. an per votum servandae castitatis vel suscipiendi ordines sacros solvantur sponsalia etiam ex parte voventis. Si votum antecedat sponsalia, certum est ipsa esse irrita, quia ipsorum promissio, cum sit de re illicita, non obligat; dubium igitur est, si subsequatur.

Prima sententia negat, et hanc tenent Navar. [8] Laym. [9] Pal.[10] Cabass.[11] Ronc.[12] Holzm.[13] Spor.[14] Viva[15] et Sanchez[16] cum s. Anton. Arm. Sylv. Cord. etc., item Tol. Con. Hurt. Filliuc. Bec. Reb. etc. apud Escobar.[17]. Ratio quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissae, et ab eo acceptatae, nec ullo iure habetur, quod sponsalia per haec vota dirimantur. Neque obstare aiunt textum in *c. Veniens*, *Qui clerici vel vov.* ubi casus fuit, quod quaedam mulier sponsalia contraxerit cum certo, cuius saevitia (ut narrabatur) postea deterrita, votum emiserit castitatis, quo audito, vir matrimonium cum alia inivit. Consultus autem Alexander III. respondit: *Mandamus, quatenus* (mulier quae licentiam nubendi petierat) *si plus processit, sibi de fide mentita, et voto violato congruam satisfactionem indices, et ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.* Hunc textum doctores utriusque sententiae pro se adducunt, sed revera ille pro neutra parte concludit. Auctores secundae sententiae quos mox recensebimus ex verbis illis *de voto violato... et licentiam tribuere etc.* inferunt praedictum votum validum fuisse, et proinde dispensatione indiguisse; ergo, ut dicunt, per simplex votum castitatis, cum sit validum, iam sponsalia dirimuntur. Sed huic recte respondent Pal. Laym. et Holzm. cum Glossa *ib. verb. Vota violata*, quod hoc nihil aliud probet, nisi quod votum satis esset validum respectu ad nuptias cum alio contrahendas, quas mulier intentabat, et ideo pontifex ipsam declaravit ream de voto violato, sed minime probat validum fuisse respectu ad virum, quocum prius sponsalia contraxerat.

Secunda sententia vero affirmat, et hanc tenent Pontius[18] Petroc.[19] Suar.[20] Conc.[21] cum Gonet et Led. Azor.[22] cum Rich. Ang. et Maior. Escob.[23] cum Vasquez et Diana et Bonac.[24] cum Soto Nald. Gutt. Henr. et Rodr., item Caiet. Turr. Praepos. Lop. Veracr. Manuel. etc. apud Sanch.[25] qui vocat probabilissimam, et communiter probabilem vocant et tutam Salm.[26] Pal.[27] Cabass.[28] et Laym.[29]. Eamque absolute docet d. Thom.[30]: *Propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* Ratio s. doctoris est, quia ubi duae concurrunt obligationes, potior est praeferenda. Ratio alia, quam communius tradunt, est, quia

(1) L. 1. d. 46. n. 5. et d. 47. n. 4. (2) L. 12. c. 12. n. 4. (3) P. 138. q. 5. r. 3. 4. et 5. (4) Q. 2. art. 4. n. 8. (5) Ib. n. 29. et 31. (6) Cit. n. 29. (7) D. a. 4. (8) C. 22. n. 27. (9) C. 2. num. 6. (10) P. 20. n. 6. (11) T. 1. l. 3. c. 17. n. 20. (12) P. 138. q. 5. r. 4. et 5. (13) Num. 236. (14) N. 236. (15) Q. 2. a. 4. n. 8. (16) L. 1. d. 46. n. 9. et d. 47. n. 3. (17) Num. 232. et 236. (18) L. 12. c. 11. n. 3. et c. 12. n. 4. (19) T. 4. p. 280. v. instabit. (20) L. 2. de voto c. 4. n. 15. (21) P. 270. n. 7. et 9. (22) L. 11. c. 21. qu. 10. (23) N. 253. et 257. (24) P. 5. n. 15. (25) L. 1. d. 46. num. 7. (26) De matr. c. 2. p. 2. num. 35. (27) P. 20. n. 3. et 6. (28) L. c. (29) Num. 7 (30) Suppl. qu. 52. art. 1. ad 1.

promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione, nisi melior status eligatur. Idque valere dicunt etiamsi sponsalia fuerint iurata, quia (ut pluries supra dictum est) iuramentum sequitur naturam contractus. Et adest etiam de hoc decisio s. c. conc. apud Pitton. [1] edita 5. martii an. 1701. ubi dictum fuit votum castitatis aut suscipiendi sacros ordines per electionem melioris status irritare sponsalia etiam iuramento firmata. Nec officere aiunt praefatum textum in *c. Veniens*, ubi dicitur *de fide mentita*, ex quo adversarii arguunt illicite mulierem vovisse castitatem post sponsalia contracta, nam probabiliter respondet Pont.[2]. Papam sic dixisse, quia agebatur de foro externo; cum enim votum fuisset secretum, et sponsalia publica, de his quidem constabat, non autem de voto, unde de foro externo merito censendum erat fidem fuisse violatam. Item respondent Petr. et Conc. et forte melius, quod ideo pontifex foeminam ream dixerit de fide mentita, non quia voverat in praeiudicium sponsalium, sed quia in fraudem ipsorum, nempe ut sponsum eluderet, et deinde nuberet alteri per dispensationem voti, quam iam petebat. Utraque sententia est probabilis. Recte autem inquit Concina quod si sponsus votum ederet, ut sponsam eluderet, scilicet petendo dispensationem post votum, ut alteri nuberet, tunc graviter peccaret, et priora sponsalia deberet implere. Item probabilius dicunt Salm. [3] cum Reb. et Aversa, quod etiamsi sine animo eludendi sponsus voverit castitatem, si postea obtineat dispensationem voti, non poterit aliam ducere, quia prior obligatio non omnino extinguitur, sed tantum suspenditur, donec castitas servatur; sed non omnino improbabiliter Bon. [4] et Sanchez [5] id negant, quia per votum priora sponsalia omnino solvuntur, unde cum obligatio illa omnino sit extincta, per dispensationem voti non reviviscit, et huic consentit etiam Conc.[6] quamvis addat teneri de honestate sponsum ducere desponsatam, ut scandala et murmura vitentur.

874. Dubit. 2. Ad quid teneatur vir qui vovit religionem, ordines vel castitatem, et postea mulierem cognovit sub promissione matrimonii. *Vide dicta l. 3. n. 649.* ubi tenuimus cum Less. Sanchez Lugo Vasquez Con. etc. (contra Laym. Salm. etc.) quod si mulier fuerit inscia voti, non obstante voto, ille tenetur ad matrimonium, sive eius promissio fuerit vera sive ficta, et etiamsi mulier fuerit conscia voti, probabiliter tenetur petere dispensationem. Utrum autem casu quo mulier fuerit inscia voti, possit sponsus eam ducere sine dispensatione. Negant Salmant. [7] Lugo [8] et Pont. [9] quia, cum de facili possit, tenetur utrique obligationi satisfacere. Sed negant Tamb.[10] et Spor. [11], item Less. Trull. et Candid. apud Salm.[12], quia tunc cessat sive omnino suspenditur obligatio voti, cum revera non possit tunc utrique obligationi satisfieri, et praevaleat (ut diximus) obligatio matrimonii ineundi. Contracto tamen matrimonio, eo casu non poterit vir petere debitum, et ideo recte subdit Tamb. cum Less. adeoque dispensationem obtinendam esse; ut etiam petere valeat.

875. »10. Per *matrimonium validum* sponsalia dissolvuntur, saltem quoad eum qui non contraxit matrimonium, quoad eum vero qui contraxit, non extingui obligationem, si alter expectet, sed suspendi, et matrimonio isto soluto, teneri ad implenda sponsalia priora docet Pont. contra Sanch. qui vult omnino dissolvi. Vide Diana [13].»

Quaeritur an per matrimonium subsequens omnino dissolvantur sponsalia antecedentia. Certum est quod, durante matrimonio post sponsalia cum alia contracto, cessat illorum obligatio ex *c. Si inter de spons. et c. 1. de spons. duor.* Dubium est an, illo soluto

(1) De matr. n. 2513. (2) Loc. cit. num. 5. (3) De matr. c. 2. p. 2. num. 35. (4) Num. 16. (5) D. 36. n. 8. (6) L. c. (7) De rest. c. 3. p. 1. §. 1. n. 22. (8) De iust. dist. 12. n. 41. (9) L. 6. c. 12. n. 8. (10) Dec. l. 3. num. 36. (11) De matr. c. 3. n. 601. (12) L. c. (13) P. 3. t. 4. r. 209.

per mortem coniugis, urgeat obligatio priorum sponsalium.

Prima sententia negat et hanc tenent Bon. [1] Laym. [2] Wigandt [3] Conc. [4] (qui huic inclinat) Escobar. [5] cum Bec. Fill. Henr. Rodr. Vill. Machad. ac Sanch. [6] cum Palud. Manuel. Gabr. etc. cum s. Bonav. qui sic ait: *Iurantem sponsalia, aliudque ineuntem matrimonium amplius non obligari*. Ratio quia obligatio semel extincta numquam reviviscit ex *c. Quaeris, de consec. dist.* 4.

Secunda sententia vero mihi absolute probabilior affirmat, et hanc tenent Pont. [7] Ronc. [8] Pal. [9] cum Conc. Led. Adriano etc. ac Salm.[10] qui, licet contrariam probabilem vocent, hanc tamen veriorem putant cum Gonet Sylv. Leand. Vega et aliis. Ratio quia nullo iure probatur quod sponsalia per matrimonium subsequens omnino irritentur; non iure positivo, quia nullibi hoc habetur, non naturali, quia obligatio sponsalium, durante matrimonio cum illa persona inito, utique pro illo tunc non obstringit, et ideo suspenditur quidem, sed non extinguitur, prout patet in eo qui post votum religionis matrimonium consummaret, hic enim mortuo coniuge teneretur quidem votum adimplere. Nec valet dicere cum Sanch. quod hoc procedat quando vinculum superveniens sit diversae rationis, non vero si vincula sint eiusdem, ut sunt matrimonium et sponsalia, nam respondetur, nihil referre quod obligatio subsequens sit eiusdem vel diversae rationis, semper ac possit primae obligationi satisfieri, tantummodo attendenda est conditio vinculi subsequentis; si illud est perpetuum utique extinguitur prima obligatio, si vero est temporale illa suspenditur donec impleri possit vinculo cessante, prout si quis venderet equum uni, et deinde venderet et traderet illum alteri, casu quo rediret equus in dominium ipsius, certe tenetur eum tradere primo emptori, ut colligitur ex *l.* 15. *cod. de rei vend.*

(1) P. 2. n. 1. (2) C. 2. (3) Tr. 16. n. 25. (4) P. 272. n. 13. (5) N. 241. (6) L. 1. d. 48. n. 3. (7) L. 12. c. 13. num. 4. (8) P. 158. qu. 6. r. 1. (9) P. 21. n. 4. (10) De matr. c. 2. p. 3. n. 39.

876. « 11. Si sponso *nova supervenia haereditas*, ita ut illi sponsa iam sit inaequalis, non habet ideo ius resiliendi, quia non est deceptus in conditione sponsae, in qua nulla facta est mutatio. Idem est de sponsa, si ipsi haereditas nova superveniat. Sanch. Con. Regin. Diana[11].»

Ita cum Bus. sentiunt communissime Pal.[12] Sanch.[13] Conc.[14] Ronc.[15] et Esc.[16] cum Gutt. Sed contradicunt Hurtad. Trull. Leand. et Ochagav. apud eumdem Escob.[17] (qui probabile putat) eo quod in tali casu iam accedit notabilis rerum mutatio. Iuxta autem primam sententiam dicit Croix[18] quod si quis contraxerit sponsalia cum una et postea offeratur ei coniugium cum altera ditiore, non poterit primam relinquere, quia tunc nulla in ea facta est mutatio. Sed si qualitas secundae sponsae esset excedenter melior, ego non auderem sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet, licet enim in hoc casu non mutetur status sponsae sive sponsalium, tamen (ut communiter dicunt dd.) sponsalia non obligant nisi rebus in eodem statu manentibus, unde sicut non teneretur sponsus illa exequi cum magno suo damno, ita nec teneri, alicui videri posset, cum amissione magni lucri, talis enim amissio gravi damno aequiparatur ex *l. un. c. de sent. quae pro eo etc.* iuxta dicta *l.* 3. *n.* 301. Et sic invenio in vita s. Ioannis a Capistrano[19] sensisse plures theologos in huiusmodi casu, quamvis ipse s. Ioannes contrariae fuerit sententiae, a qua revera abscedere nec unquam ego consulere auderem.

877. Quaeritur pro complemento huius puncti, an dissensus parentum sit causa solvendi sponsalia. Affirmat Menochius apud Croix[20]. Et sic etiam sentire debent omnes illi qui dicunt Trid.[21] iam declarasse quod huiusmodi matrimonia sine consensu parentum celebrata ab ecclesia sint prohibita,

(11) P. 5. t. 3. r. 236. (12) P. 23. n. 5. (13) L. 1. d. 39. n. 7. (14) P. 276. n. 25. (15) P. 159 q. 3. v. aliqui. (16) N. 506. (17) N. 504. (18) N. 160 (19) C. 9. (20) N. 101. (21) Sess. 24. c. 1.

ita enim dicunt Petroc. [1] Ronc. [2] atque Fagnan. Gonet Sayr. et Marchand. apud episc. Muscettola [3] qui proinde ex praefato textu infert dissensum parentum esse verum impedimentum impediens matrimonium. Sed communiter id negant ipse Croix[4] cum Gab. Sanch.[5] Laym. [6] Holzman [7] cum communi, ut testantur Elbel [8] etiam cum communi, Spor.[9] et Boss. [10]. Hi dicunt quod sponsalia filiorum ex hoc solo capite quod sint inita sine consensu parentum nequeant irritari, quia eorum consensus non de necessitate, sed tantum de honestate a iure canonico requiritur. Excipiunt tamen, nisi magnum scandalum ex tali matrimonio timeatur, eo quod virtus iustitiae non possit obligare ad actum qui sine peccato impleri nequit, ita Laym.[11] Nav.[12] Holzm.[13] ac Sanch.[14] cum Cord. Gutt. et Lop. Et hoc addit Sanch.[15] cum Lop. valere, etiamsi nulla sit disparitas inter contrahentes. Advertunt tamen ipsi Sanchez et Holzm. caute considerandum esse hoc scandalum, saepe enim (ut dicunt) minae et discordiarum pericula iactantur, quae postea, teste experientia, ubi nuptiae contractae sunt, facile cessant et animi conciliantur. Sed redeundo ad quaesitum ego censeo dicendum cum Ronc.[16], qui citat Laym. et Gutt., quod si pater iniuste dissentiat a tali matrimonio, filius non possit a sponsalibus recedere, et tam ipse quam pater peccarent si vellent ea dissolvere. Secus vero si pater iuste contradicat, nempe si matrimonium vergeret in dedecus familiae, tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exequendam rem iniustam. Et idem dicunt Laym. et Sanch. [17] cum aliis communiter, si ex tali matrimonio magna scandala sint oritura inter propinquos. Posse etiam (addit Ronc.[18]) filium solvere sponsalia, si pater iuste minetur exhaeredationem, et ego subdo etiam si iniuste, quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi (ut diximus *n.* 863.) sub hac conditione, si non accedat talis mutatio unde grave sit contrahere matrimonium. Excipe, nisi haec exhaeredatio iam fuerit praevisa, quia tunc contrahens merito censetur iuri suo cessisse.

878. « Resp. 2. In supradictis causis, quando manifestae sunt, non requiritur auctoritas iudicis ad dissolvenda sponsalia, alioqui requiritur. Quod si sponsus, cognito suo iure resiliendi, nihilominus carnaliter cognoverit sponsam, censetur tacite suo iuri renuntiasse et sponsalia ratificasse. Laym.[19]. »

Dubit. 1. An ad sponsalia solvenda semper requiratur auctoritas iudicis. Resp. Certum est 1. quod si sponsalia sint publica, et causa publica ac certa, non requiritur auctoritas iudicis, et idem dicendum si sponsalia sint occulta et causa occulta, ita Sanch.[20] Pont.[21] Nav.[22] Holzm.[23] et Pal.[24] cum Sylvio Val. Gutt. et Reb. Certum est 2. quod si causa sit dubia iure vel facto, omnino requiritur auctoritas iudicis. Sanchez[25] Holzman et Palud. cum Gutt.[26]. Quando autem sponsalia sunt publica et causa occulta, tunc etiam requiritur auctoritas iudicis, sed non sub culpa gravi, nisi inde grave scandalum timeatur. Pontius[27] Holzm.[28] Pal.[29] cum Navar. Lop. et Gutt. ac Sanch.[30] cum Sylvio An. et Vega. Si vero causa illa non possit coram iudice probari, nec etiam sub levi auctoritas iudicis exigitur, ut ait Sanch.[31] cum Palud. et Henr. Casu autem quo defectus alterius partis iam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens alteram commonere et minari quod manifestabit defectum, et si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licite poterit defectum ad iudicium deferre, ut aiunt Lay.[32] Pont.[33] San.[34] et Pal.[35] Con. et Reb.

(1) T. 4. p. 415. (2) P. 269. q. 3. (3) Dissert. de filiis, etc. p. 10. n. 11. (4) Loc. cit. (5) L. 1. d. 14. n. 2. (6) C. 1. n. 14. (7) P. 167. et 287. (8) P. 368. n. 9. (9) N. 202. (10) C. 11. n. 106. (11) L. c. v. enim vero. (12) C. 16. nus. 18. (13) N. 167. et 266. (14) L. c. n. 5. (15) Ib. (16) p. 140. q. 9. r. 1. (17) L. c. (18) R. 2 (19) C. 1. n. 25. (20) L. 1. d. 69. n. 3. (21) L 12. c. 18. (22) C. 22. n. 23. (23) Num. 277 (24) P. 51. n. 1. (25) N. 8. (26) L. c. (27) C 18. n. 8. (28) L. c. (29) Num. 2. (30) Num. 6. (31) Num. 7. (32) C. 2. n. 12. (33) Num. 8 (34) L. 1. d. 70. n. 2. (35) N. 4.

Dubit. 2. quaenam probatio requiratur ad solvenda sponsalia. Distinguendum: Si agitur de probando impedimento, sive dirimente sive impediente, tam in foro interno quam externo, sufficit unus testis iuratus ex *cap. Super eod. de test. et attest.*, etiamsi testis ille sit criminosus et non citatus, sed a parte productus, et etiamsi clam deponat et sine manifestatione sui nominis, ita Sanchez [1] Holzman [2] Viva [3] Croix [4] Pal. [5] cum Gutt. et Salmant. [6] cum Aversa et Coninch. Et hoc, etiamsi sponsalia fuerint iurata, ut verius tenent Sanch. [7] Salm. [8] cum Cov. Gutt. Trull. Aversa et Gabr. ac Pal. [9] (contra Palud. et Lop.[10]) quia testis oculatus et iuratus magis probat quam fama, quae certe sufficit ad solvenda sponsalia etiam iurata. *Vide dicenda n.* 997. *dub.* 2.

Si vero agitur de probanda alia causa quae non sit impedimentum, sed tantum quae det alteri ius resiliendi, ut deformitas, fornicatio sponsae etc. quoad forum externum requiruntur saltem duo testes fide digni deponentes sub iuramento, ut alii dicunt et communius, prout Sanchez[11] Palaus[12] Laym.[13] et Salmant.[14] cum Con. Gutt. Trull. et Gabr. Quia (ut aiunt) in *c. Veniens, et c. In omni de testib.* dicitur duos testes requiri ubi agitur de praeiudicio tertii. Verum sufficere unum testem fide dignum dicunt Palud. et Aversa, apud Salm.[15] (qui cum Trull. horum sententiam probabilem putant), quia durum est compellere virum ad ducendam sponsam, quam ab aliquo fide digno audit et prudenter iam suspicari potest fuisse fornicatam. Et revera haec sententia satis probabilis mihi videtur, loquendo de fornicatione sponsae, cum agatur de vinculo perpetuo matrimonii, et ideo ob talem suspicionem viri prudenter iudex timere potest infelicem exitum ex hoc coniugio proventurum. Et huic sententiae reipsa expresse consentiunt ipsi Layman et Pal.[16], dum aiunt quod stante probabili timore infelicis exitus, licite potest vir a sponsalibus recedere. Quoad forum autem internum conveniunt dd. cum Sanch.[17] Pal.[18] Croix[19] cum Gobat. et Salm.[20] cum Con. Aversa et Dic. sufficere ad solvenda sponsalia unum testem fide dignum, minime de mendacio suspectum, et testantem de certa scientia, vel etiam opinionem probabilem de causa sufficienti ad solutionem, ut idem Sanch.[21] Croix[22] et Viva.[23] Hinc subdunt Viva et Sanchez cum Lop.[24] quod si vir doctus affirmet causam esse sufficientem, licite poterit pars innocens resilire.

(1) L. 1. d. 71. num. 2. 3. et 4. (2) Num. 277. (3) Q. 2. art. 9. num. 1. (4) Num. 215. et 217. (5) P. 32. n. 3. (6) De matr. n. 2. p. 7. n. 110. (7) N. 8. (8) Ib. n. 111. (9) N. 6. (10) Ib. n. 5.

Caput II. de matrimonio secundum se

Dub. I. Quid sit, quae eius materia, forma et minister.

879. *Quid sit matrimonium. Et in quo consistat eius essentia.*
880. *Quae sit materia sacramenti matrimonii*
881. *Ob quem finem liceat nubere.*
882. *Distinguuntur tres fines. Dub.* 1. *An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiae.*
883. *Dub.* 2. *An ob fines extrinsecos.*
884. *Quomodo peccent contrahentes in mortali.*
885. *Quae requirantur ad contrahendum matrimonium per procuratorem.*
886. *Quid, si qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam matrimonium contrahatur mandatum ratificaverit.*
887. *Qualis consensus sufficiat ad contrahendum. Quid, si quis ficte contrahit. An verba sint necessaria ad valorem.*
888. *An sint necessaria de praecepto.*
889. *An sufficiat ad contrahendum donatio annuli vel traductio sponsae.*
890. *An sufficiat consensus conditionatus.*
891. *Quid, si conditio sit necessaria aut turpis aut contra substantiam matrimonii.*
892. *Quid, si apponatur conditio,* si pater consenserit. *Dub.* 1. *Quid, si pater taceat.*
893. *Dub.* 2. *Quid, si pater primo dissentit et postea consentit.*
894. *Dub.* 3. *Quid, si tempore conditionis pater erat mortuus.*
895. *An impleta conditione requiratur novus consensus.*
896. *In quo differat conditio a demonstratione, causa, modo et die.*
897. *Dissertatio de ministro et forma matrimonii.*
898. *Solvuntur obiectiones.*
899. *Illationes ex nostra sententia.*

879. « Respond. Est sacramentum inter baptizatos quo vir et mulier sibi

(11) Num. 7. (12) N. 3. (13) C. 2. num. 12. (14) Ib. n. 114. (15) Ibid. n. 113. (16) Locc. cc. (17) L. 1. d. 73. n. 2. (18) N. 3. (19) N. 215. (20) De matr. c. 2. p. 7. n. 108. (21) Lib. 1. d. 69. n. 9. (22) N. 217. (23) Q. 2. a. 9. n. 1. (24) Ib.

mutuo legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitae societatem, usum prolis suscipiendae et remedium concupiscentiae. Materia ex qua et proxima, est mutuus consensus externis signis expressus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem acceptationis. Suar. [1] Sanch. Vasq. Minister non est sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam et formam. Porro matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis; consummatum vero dicitur, quando ea secuta est. »

Matrimonium dicitur a *matris munere*, ut ait d. Tourn. sive *ut mater fiat*, ut d. August. Ante Christi adventum matrimonium tantum habebat vim contractus, sed a Christo fuit postea evectum ad rationem sacramenti. De fide autem est matrimonium esse sacramentum, ut definivit Tridentinum[2] ex illo Apostoli [3]: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et ecclesia.* Unde matrimonium ut sacramentum, significat coniunctionem spiritualem inter Christum et ecclesiam.

In matrimonio, ut habente rationem tam contractus quam sacramenti, tria considerantur, nempe ratio contractus, vinculum perpetuum animorum cum obligatione reddendi debitum, et copula carnalis. Hoc vero tertium, licet alia duo ad ipsum ordinem ducant, tamen non est essentialis pars matrimonii, nam sine copula matrimonium bene consistere potest. Essentia igitur matrimonii in ratione sacramenti consistit in contractu inito per mutuum consensum, quia sacramentum, cum contractus perficitur, tum gratiam producit. In ratione vero matrimonii proprie dicti, eius essentia consistit in vinculo coniugali, quod numquam per se solvi potest.

880. Quaeritur quae sit materia et forma et qui minister sacramenti matrimonii. Communis est sententia, ministros huius sacramenti esse ipsos contrahentes, et formam ipsorum verba consensum exprimentia, ut probabimus in brevi dissertatione, quam afferemus in fine huius dubii ex *n.* 897. Quod vero ad materiam, magis dd. discrepant, sex sententias enumerat Sanch.[4], septem Pont. [5]. Duae tamen sunt plus receptae.

Prima sententia, quam tenent Bus. ut supra, et Sanch. [6] Salm. [7] Ronc. [8] et alii plurimi apud ipsos, dicit: verba sponsorum, quatenus exprimunt traditionem corporum sunt materia, quatenus vero exprimunt acceptationem sunt forma.

Secunda sententia autem cui magis adhaereo et quam tradunt s. Anton. [9] Petroc. [10] Frassen[11] Abelly [12] Holzm. [13] Laym.[14] cum Palud. et p. Soto ac Pont.[15] cum s. Bonav. Gerson. Vasq. Adrian. Comit. et aliis, dicit materiam remotam huius sacramenti esse corpora contrahentium mutuo tradenda, sive ius mutuum in corpus alterius; materiam proximam esse ipsam traditionem iuris in corpora factam per verba seu signa consensum exprimentia; formam vero esse mutuam acceptationem verbis aut signis expressam. De forma infra loquemur, ut diximus supra. Quod autem materia remota sint corpora contrahentium, et proxima sit ipsa mutua corporum traditio, sic probatur. Hoc sacramentum iuxta communem sententiam habet rationem contractus; sicut igitur in aliis contractibus res sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma, et traditio rei est materia proxima contractus, nempe applicatio formae ad materiam remotam; ita in matrimonio corpora (sive ius in corpora) sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma; ipsa autem traditio iuris in corpora est materia proxima, quae fit per applicationem formae ad materiam remotam, nempe ad ius quod transfertit. 1. c. 2. §. ante. (10) T. 4. p. 505. q. 2. (11) T. 12. p. 159. concl. 1. (12) P. 200. q. 1. (13) T. 2. p. 321. n. 516. (14) De matr. c. 2. n. 5. (15) Lib. 1. c. 7.

(1) Tr. 5. d. 2. s. 1. art. 1. (2) Sess. 24. c. 1. (3) Ad Eph. 5. (4) De matr. l. 2. d. 5. (5) Eod. tit. l. 1. c. 7. (6) L. c. n. 6. (7) Tr. 9. c. 5. dub. 2. n. 65. (8) P. 135. q. 1. r. 1. (9) 3. p.

tur. Contractus autem matrimonii ad sacramenti rationem elevatus id habet speciale, quod ad hoc ut transferatur dominium iuris in corpora contrahentium, non requiritur realis traditio rei, ut exigitur in aliis contractibus, sed sufficit sola voluntas externa expressa, ut docent s. Ambrosius [1] qui : *Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed passio coniugalis.* Et s. Ioannes Chrysost. [2]: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Unde resolves:

881. « 1. Valide et licite contrahi potest cum pacto continentiae, sine intentione prolis, et remedii concupiscentiae. Ratio est quia non pugnat cum essentia matrimonii. Et patet exemplo beatae Virginis et sancti Iosephi.

» 2. Non videtur licitum contrahere tantum propter voluptatem carnis vel vanitatem : quia finis debet esse saltem honestus. Nav. [3] Sanch. [4].

» 3. Licite contrahitur in remedium concupiscentiae, nihil aliud intendendo, modo proles positive non impediatur : hoc enim sub mortali non licet. Con. [5] Pont. [6] Hurt. Perez [7]. Hinc etiam coniuges possunt abstinere ab usu coniugii, et optare ne plures accipiant liberos quam possint alere, dummodo, ut dixi, positive non impediant nec abortum procurent. Perez [8] Bonac. [9] Nav. [10] etc.

» 4. Licite etiam contrahitur ob fines honestos extrinsecos, fini intrinseco sacramenti (qui est mutua animorum coniunctio et coniugum sanctificatio) non contrarios, v. gr. ad pacem inter regna vel illustres familias componendam, vel splendorem familiae conservandum. Ita contra Sanch. et Sylv. docent Praep. Pont. Gasp. Hurt. Diana[11]. Vide Per.[12] qui cum Dian.[13] etiam permittit ob divitias et nobilitatem.

» 5. Valide, sed illicite contrahitur cum intentione negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, moechandi, etc. nisi tamen talis intentio in pactum deducatur, id est, nisi adiiciatur tamquam conditio obligans ad aliquid contrarium essentiae matrimonii. Unde invalide contrahit qui vinculum matrimonii vult tantum durare per annum, vel reservat sibi potestatem adulterandi, vel non reddendi debitum debite exigenti. Vide Perez [14] etc.[15]. »

882. Tres fines in matrimonio considerari possunt, fines intrinseci essentiales, intrinseci accidentales, et fines accidentales extrinseci. Fines *intrinseci essentiales* sunt duo, traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile. Fines *intrinseci accidentales* pariter sunt duo, procreatio prolis, et remedium concupiscentiae. Fines autem *accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax concilianda, voluptas captanda etc. His positis, certum est, 1. quod si quis contraheret, positive excludendo fines intrinsecos substantiales matrimonii, nempe animo non reddendi debitum, vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium; ita communiter omnes cum d. Th.[16]. Certum est 2. quod si quis excluderet duos fines intrinsecos accidentales, non solum valide, sed etiam licite posset quandoque contrahere, prout si esset senex, et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiae; sufficit enim ut salventur fines substantiales ut supra, et sic contraxerunt b. Virgo cum s. Ioseph, qui utique non intenderunt procreationem prolis nec remedium concupiscentiae, et tamen validum quidem et licitum coniugium inierunt, ex Matth.[17] ubi : *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*

Dubitatur 1. An venialiter peccet qui nubit principaliter ob remedium concupiscentiae.

Prima sententia affirmat et hanc tenet s. Th. [18] quem sequuntur Nav. [19]

(1) De instit. virg. c. 6. (2) Hom. 32. in Matth. (3) C. 22. n. 79. (4) L. 2. d. 29. q. 3. (5) D. 25. d. 2. n. 16. (6) L. 1. c. 21. (7) D. 18. s. 7. n. 6. ex 1. Cor. 7. (8) L. c. (9) Q. 4. p. 1. n. 12. (10) C. 16. (11) P. 3. t. 4. r. 219. (12) Dist. 18 s. 6. n. 7. (13) L. c. (14) S. 6. (15) Locc. cc. (16) In 4. d. 31. q. 1. a. 3. (17) C. 1. (18) Suppl q. 49. a. 5. ad 2. (19) C. 22. n. 9.

Natal. Alex. [1] Conc. [2] Bossius [3] cum Sylv. Henr. et Led. ac Sanch.[4]. Id probant ex auctoritate plurimorum ss. patrum. Item probant ratione, quia, licet remedium concupiscentiae sit etiam finis honestus matrimonii, finis tamen primarius est procreatio prolis; unde contra rationis ordinem est, ut finis secundarius prae primario eligatur.

Secunda sententia vero non minus communis, nec minus probabilis, negat ullo modo peccare, modo contrahens non excludat finem procreandae prolis; ita tenent Pal.[5] Ronc. [6] Croix [7] Holz.[8] Boss.[9] Salm.[10] cum Con. et Dic. Pont.[11] cum p. Soto Gabr. Almain. Cov. etc.; item Caiet. Maior. Durand. Rich. Palac. Sa Med. Philiarch. Angles Perez Ugolin. etc. apud Sanch.[12]. Et id quod dicunt de sponsis idem asserunt de coniugibus qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam sedandam. Ratio huius sententiae est, quia matrimonium est a Deo institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiae, ut probatur ex Ap. 1. *Cor.* 7. 2. ubi: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* Huic tamen textui respondet s. Th.[13] sic dicens: *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum, quia haec est quaedam redditio debiti .... sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas; et secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est matrimonium institutum nisi secundum indulgentiam quae est de peccatis venialibus.* Sed venia tanti doctoris (cuius sententiis universe obsequi in caeteris ego studui) magis propria videtur interpretatio s. Ioannis Chrysostomi, cuius verba mox infra afferam, et quem sunt secuti Estius Salmeron et Cornelius, nempe quod illud *propter fornicationem*, non intelligatur de vitanda fornicatione coniugis, sed propria: idque videtur patere ex contextu eiusdem apostoli dicto c. 7. ubi dicitur: *Bonum est hominem mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* Eu quomodo apostolus viris consilium praebet ut abstineant a tacto mulierum, si vero ipsi in periculo sint incontinentiae, ne incidant in fornicationem, remedium non solum permittit, sed suadet, dicendo *unusquisque suam uxorem habeat.* Et quamvis addat: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* id tamen profert pro iis qui non sunt incontinentes, quibus tantum permittit nubere, sed suadet a nuptiis abstinere, dum ait: *Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.* Neque hic *indulgentia* importat permissionem culpae venialis, verius enim (ut ait Pontius cum Estio Salmerone et Cornelio) indulgere non est veniam dare ad leviter peccandum, sed permittere ut licitum. Cum autem d. Paulus sermonem revocat ad eos qui sunt in periculo incontinentiae, non solum permittit, sed etiam ipsos ad nubendum absolute hortatur, dicens: *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Tò *nubant* verius hortationem quam permissionem importat. Id bene confirmatur ab eo quod dicit apostolus eodem in loco ubi loquens de coniugibus scribit: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Si licet ergo coniugibus debitum petere tantum ad vitandam incontinentiam, licebit etiam ob eumdem finem matrimonium inire. Hinc s. Io. Chrysostomus explicans textum apostoli, inquit unam ex causis, cur Deus instituerit matrimonium, esse ut vitetur incontinentia; en eius verba: *Quae igitur fuit causa coniugii? Et cur illud*

(1) A. 3. reg. 3. (2) T. 10. de matr. p. 595. n. 5. (3) C. 10. n. 265. (4) L. 1. d. 29. n. 26. (5) P. 10 n. 3. (6) P. 144. q. 2. r. 2. (7) L. 6. n. 5. n. 256. (8) N. 180. (9) T. 2. c. 7. n. 45. (10) De matr. c. 3. p. 5. n. 28. (11) L. 1. c. 21. n. 4. (12) L. 9. d. 9. n. 5 (13) L. cit.

datum est divinitus? Audi Paulum dicentem: Ad vitandas scortationes quisque suam uxorem habeat, etc. *Ut scortationem vitemus, ut moderemus concupiscentiam, contenti uxore propria, hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum est, in hoc quaerendae nuptiae, ut ad vitam pudice degendam nos adiuvent.* Ita s. doctor [1]. Ad auctoritates ss. patrum quae opponuntur respondet auctor Petrocorens.[2] quod ideo patres coniuges damnent, quia eos libidinis impetum sequi supponunt. Ad rationem autem contrariae sententiae, nempe quod sit deordinatio eligere finem secundarium prae primario, respondetur quod deordinatio quidem esset si ordinaretur finis primarius ad secundarium, sed non si ex duobus finibus licitis secundarius prae primario eligatur. Huiusmodi tamen fines intrinseci accidentales vel procreandae prolis, vel vitandae incontinentiae, ut honesti sint, oportet ut referantur ad Deum, si non actualiter, saltem virtualiter et habitualiter, ut communiter tradunt Sanch.[3] Pont.[4] et Boss.[5] cum Reg. Vill. Fill. etc.

883. Dubit. 2. An sit licitum contrahere matrimonium principaliter ob fines accidentales extrinsecos, nempe ob voluptatem captandam, pacem familiarum conciliandam, et similia.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pont. [6] Pal. [7] et Salm. [8] cum Caiet. Con. et Gabr., ac probabilem putat Sporer [9] cum Tamb., modo non excludatur finis debitus intrinsecus ut supra. Ratio quia semper ac finis debitus retinetur, non est illicitum nuptias ad fines indifferentes ordinare; tunc enim finis (v. g. voluptatis) non est principalis, sed tantum impellens ad contrahendum matrimonium, quo iam cohonestatur voluptas.

Secunda sententia negat et hanc tenent d. Th.[10] Sporer[11] Tamb.[12] Ronc.[13] et Sanch.[14] citans s. August. et s. Anselm. Ratio quia non potest esse immune ab aliqua deordinatione, velle ordinare rem sacram ad profanam, et matrimonium contrahere ob fines alienos ab illis per quos nuptiae sunt licitae. Ego puto distinguendum: si finis sit per se honestus, nimirum pax populi, amor inter consanguineos, honoris familiae conservatio, sanitatis tuendae et similia, tunc puto dicendum cum Busemb. *ut supra n.* 4. Pont.[15] Con.[16] et Pal.[17] (qui id habent ut certum contra Sanch.) licite matrimonium contrahi, quia haec non est deordinatio, ut mox supra diximus, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis prae fine primario, modo iste non excludatur. Secus vero si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis vel cupiditatis divitiarum aut vani honoris, ut tenent Busemb. *n.* 2. cum Nav. et Sanch. et Vasq.[18] cum communi.

884. « 6. Contrahentes, ut non peccent, debent esse in gratia, etiam tunc quando per procuratorem contrahunt: quia verum sacramentum suscipiunt, licet dormiant. Secus est de procuratore per quem contrahunt, uti et de sacerdote copulante, quia nec suscipit nec administrat sacramentum, sed tantum ut testis assistit. Card. de Lugo[19] (Ita Salm.[20] cum Sanch. et communi. Peccaret autem mandans, si tunc esset in mortali, eodem modo ac si per se contraheret. Ronc.[21] et Bon.[22] cum Reb. Con. Gutt. etc. Et peccaret quidem duplici peccato sacrilegii: primo quia indigne susciperet sacramentum, secundo quia indigne ministraret, ut dicemus *n.* 897. *et seq.* Sed hoc ultimum probabiliter non est mortale iuxta dicta *de sacr. in gen. n.* 32., cum sponsi non sint ministri ad tale sacramentum consecrati). »

885. Notandum hic quod, ut procu-

(1) Hom. 9. t. 6. col. 19. (2) T. 1. p. 442. v. sed quia. (3) L. 8. d. 9. n. 3. (4) L. 10. c. 8. n. 2. (5) T. 2. c. 7. n. 17. (6) L. 1. c. 21. num. 13. (7) P. 10. n. 3. (8) De matr. c. 3. p. 3. n. 30. (9) Num. 293. (10) In 4. d. 31. q. 2. art. 3. (11) Num. 297. (12) Tr. 4. c. 2. §. 3. num. 11. (13) P. 144. q. 2. r. 2. (14) L. 6. d. 11. num. 4 (15) L. c. (16) D. 25. dub. 1. n. 14. (17) D. n. 3 (18) Q. 3. art. 2. n. 4. (19) De sacr. dub. 8. n. 9. n. 155. (20) De matr. c. 3. p. 1. n. 10. et p. 3. dub. 4. num. 39. et 92. (21) P. 143. q. 6 (22) P. 3. n. 12.

rator contrahat matrimonium nomine alterius, plura requiruntur; scil. 1. Speciale mandatum; ad quod autem non requiritur scriptura, sed sufficit si detur oretenus, ut dicunt Sanch. [1] Salm.[2] et Pal.[3] cum Gutt. et Perez. Nec requiritur diversitas sexus, unde bene hoc officium gerere possunt duo mares vel duae foeminae, ut Sanch.[4] et Pal.[5] cum Guttier. 2. Ut mandatum sit de contrahendo cum determinata persona; vide Salm. [6]. 3. Ut procurator per se contrahat, non potest enim ipse alium delegare nisi habeat expressam et specialem a mandante licentiam. Et haec tria habentur expresse in *c. final. de procurat. in* 6. 4. Ut mandatum non sit revocatum (nec etiam mentaliter) a mandante, antequam matrimonium celebretur. Sanch. [7] Pal.[8] et Salm.[9] cum Pont. et Bon. Et hoc currit etiamsi revocatio fiat tacite, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum alia. Sanchez [10] et Pal. [11] cum Cov. Con. et Gutt. 5. Ut procurator ostendat mandatum parocho et testibus, et coram eis contrahat matrimonium, iuxta formam Tridentini. Non requiritur autem ut coram eisdem tradatur mandatum procuratoris ex parte mandantis. Sanchez[12] et Salm.[13] cum Pontio Bon. etc. 6. Ut procurator limites mandati non excedat. In hoc tamen advertendum quod si conditio sit requisita a mandante, scilicet ut contrahatur cum tali dote, tali tempore etc., si non servatur conditio, matrimonium erit nullum. Sanch.[14] Ronc.[15] et Con.[16]. Si vero conditio sit requisita a iure, nempe ut contrahatur praemissis denuntiationibus, obtenta licentia episcopi etc., tunc validum erit matrimonium sine ipsis initum, ut communiter dicunt Bon.[17] Sanch.[18] Nav.[19] et Salm.[20] cum Pal. Trull. Reg. Diana etc. Quia matrimonium sine illis per se est validum, quamvis illicitum: ergo sic etiam, cum celebratur per procuratorem; talis enim formam apponitur ad rite faciendum actum, sed non ut conditio, sine qua mandatum sit invalidum.

886. Quaerit. hic an, si quis dederit mandatum sine animo contrahendi, sed ante celebrationem matrimonii mandatum ratificavit, tunc valide matrimonium contrahatur. Negant Pal.[21] et Coninch.[22] quia mandatum illud, deficiente animo contrahendi, fuit nullum, et ideo non potuit solo consensu reconvalidari, sed oportet ut denuo consensu expresso constituatur. Sed affirmant Sanch.[23] Bonac.[24] Ronc.[25] et Salmant.[26] cum Trull. Ratio quia procurator ideo valide contrahit, in quantum suis verbis significat voluntatem non iam praeteritam, sed praesentem mandantis; sufficit igitur ut tempore quo contrahit adsit voluntas mandantis, ut valeat actus. Haec videtur probabilior, sed primam non censeo improbabilem. In talibus autem nuptiis parochus interrogare debet procuratorem: *Vis in uxorem Luciam, nomine N. N.?* Et foeminam: *Vis in maritum Franciscum, mediante praesente suo procuratore?* Vide Salmant.[27]. Matrimonium autem per epistolam contrahitur, quando unus, v. gr. sponsus scribit ad sponsam, se illi tradere in maritum, et ex tunc eam acceptare in uxorem, et sponsa idem rescribit viro, et uterque postea epistolas legit coram parocho et testibus. Sed quando vir scribit foeminae, se illi in virum tradere et acceptare illius consensum ex tunc quo illa praestiterit, tunc, licet foemina non rescribat, sufficit ut matrimonium contrahatur, si foemina coram parocho et testibus litteras aperiat et consensum praestet, ita Sanch.[28] Salmant.[29] cum Diana et Vill. ac Pal.[30] cum Nav. Molina Con. Henr. et Gutt.

« 7. Coniux habet potestatem in alterius corpus, sed non ad exercendam

(1) L. 2. d. 11. n. 5. et 14. (2) De matr. c. 3. p. 4. n. 97. (3) Part. 9. n. 2. (4) N. 15. (5) Ib. (6) L. c. (7) N. 6. (8) N. 2. (9) Ibid. n. 98. (10) N. 10. (11) D. n. 2. (12) N. 25. (13) Ib. n. 102. (14) N. 17. (15) P. 145. q. 6. (16) D. 24. dub. 9 n. 67. (17) P. 5. n. 8. (18) N 18. (19) C. 27. n. 78. (20) Ib. n. 101. (21) P. 9. n. 2 (22) D. 27. dub. 7. n. 72. (23) L. 2. d. 11. n. 15. (24) Part. 5. n. 6. (25) P. 145. q. 6. (26) De matr. c. 3. p. 4. num. 104. (27) Ibid. num. 107. (28) L. 2. d. 12. num. 3. (29) Ibid. num. 108 (30) P. 9. n. 11.

ibidinem generationi adversantem.

887. » 8. Requir. consensus de praesenti, verbo, scripto, aut nutibus expressus. Sufficit tamen 1. exprimere per alium, ut si parentes pro filiis contrahant, his tacentibus. Vide Diana [1] (Id quod dictum est de sponsalibus filiorum, quae, ipsis tacentibus, a parentibus contrahuntur (*vide n.* 838.), idem dicitur de ipsorum matrimonio tali modo inito. Vide Salm. [2] cum d. Th. Sanchez Bonac. Con. etc.). Sufficit etiam 2. si alterius consensui praecedenti et non revocato alterius accedat. Unde si quis coram parocho non vere consenserit, satisfacit consentiendo postea. Vide Diana [3] (Vir autem ficte matrimonium contrahens tenetur ducere, ut docent Lugo [4] et Croix [5] cum Sanch. [6] etiamsi adsit disparitas, quae (ut ait Lugo) raro excusat. Excipitur tantum 1. Si fraus mulieris intercesserit, ut declaravit s. c. V. p. Zach. ap. Croix [7] Excipitur 2. Si nullum damnum sit puellae obventurum, ut aiunt Sanch.[8] et Croix [9] cum Palao et Krimer). »

Certum est apud omnes (exceptis paucis quos refert Bossius[10]), ad contrahendum valide matrimonium verba non esse necessaria, ut docent d. Th.[11] Bellarm.[12] Sanch.[13] Ronc.[14] et Bossius[15] cum Panorm. Nav. Cov., et alii passim. Probatur ex *c.* 23. *de sponsal.* ubi muti et surdi valide quidem nubunt, et ex *c. un.* §. *fin. de despons. impub. in* 6. ubi dicitur ad matrimonium filiae sufficere consensum parentum, si ipsa taceat, item ex *c. Is qui fidem de sponsal.* ubi olim sponsalia per copulam in matrimonium transibant. Ex quibus canonibus infertur, verba non esse necessaria, cum ibi sufficiat ad contrahendum consensus signis tantum expressus et etiam praesumptus. Clarius id probatur ex *c. Tuae fraternitati* 25. *de spons.* ubi ad quaesitum: *Utrum ex solis verbis matrimonium contrahatur;* Innoc. III. sic respondit: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad ecclesiam, verba consensum exprimentia de praesenti; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum sine verbis.*

888. An autem verba sint *necessaria* de praecepto. Alii affirmant, ut Aver. Corneio et Rodriq. apud Salmant.[16]. Et probant ex verbis mox supra relatis (in *cit. c. Tuae fraternitati*): *Sunt necessaria, quantum ad ecclesiam, verba etc.* Et ideo sentiunt peccare graviter sponsos qui signis tantum consensum exprimunt, cum possint verbis. Alii autem negant verba esse de praecepto: ita Pontius[17] Palaus[18] Viva[19] et Diana[20]. Quia (ut aiunt) nullibi patet tale adesse praeceptum. Respondent ad praefatum textum pontificem ibi minime intendisse excludere alia signa consensum exprimentia, et dixisse necessaria esse verba *quantum ad ecclesiam*, non quoad substantiam actus, sed quoad faciliorem coniugii probationem. Et sic sentit etiam Glossa *ibid. v. Verba*, dicens: *Non contrahitur sine verbis, vel per aliquod aliud per quod intelliguntur consentire.* Ac ideo ait Pont. Trid.[21] nihil aliud requirere, nisi quod parochus *viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos coniungo etc.* Alii vero probabilius dicunt verba requiri, sed tantum sub culpa veniali, ita Sanch.[22] Roncaglia[23] et Boss.[24] cum Con. Fill. et Henr., quia alias ageretur contra consuetudinem ecclesiae. Sed a tali culpa bene excusaret verecundia aut alia rationabilis causa.

889. Certum est quod donatio annuli vel traductio sponsae in domum sponsi de se non sint signa sufficientia ad contrahendum matrimonium, nisi haec ex consuetudine loci habeant consensum significare, ita communiter San-

(1) P. 3. t. 4. r. 272. (2) De matr. c. 6. p. 4. n. 61. (3) L. c. r. 292. (4) De iust. d. 12. num. 48. (5) L. 6. part. 3. num. 258. (6) Lib. 1. dub. 11. (7) L. c. (8) L. c. n. 5. (9) Dicto num. 258. (10) C. 3. n. 41. (11) In 4. d. 27. qu. 1. art. 2. q. 2. ad 2. et 3. (12) De matr. c. 8. (13) L. 2. d. 31. n. 5. (14) P. 144. qu. 1. (15) Num. 44. (16) De matr. c. 6. p. 3. n. 52. (17) L. 2. c. 7. n. 14. (18) P. 7. num. 7. (19) Qu. 4. art. 2. num. 1. (20) P. 3. tr. 4. r. 248. (21) Sess. 24. c. 1. (22) L. 2. d. 31. n. 10. (23) P. 144. q. 1. r. 2. (24) C. 3. n. 48.

chez [1] Pont.[2] et Salm.[3] et alii passim. Sufficiens vero est signum si viro exprimenti consensum foemina manum porrigat, ut communiter aa. citati. An autem sufficiat si manum non retrahat a viro manum porrigente. Pariter affirmant Pontius [4] et Viva [5]. Sed verius huic contradicit Sanchez [6] *ex c. 1. de spons. duor.* ubi sic dicitur: *Fides autem consensus est, quando, etsi non stringit manum, corde tamen et ore consentit ducere.* Unde non sufficit ad contrahendum quod alter manum non retrahat quando fides datur, sed insuper requiritur ut ille ore consensum exprimat, ita etiam Glossa *v. Stringit.*

890. « Quaer. an sufficiat consensus conditionatus.

» Respondetur 1. Sufficit conditionatus sub conditione de praeterito vel praesenti, stante conditione, quia tunc contractus non suspenditur (Et hoc currit etiamsi conditio esset turpis, scilicet: *Te volo, si fornicata fueris; si odio habeas inimicum meum.* Tunc enim non verificata conditione matrimonium est nullum, quia omnino ibi deest consensus).

» Resp. 2. Sufficit sub conditione necessaria de futuro, dummodo contrahentes non intendant suspendere tantisper consensum, v. gr. *duco te, si cras sol oriatur.* Item sub conditione de futuro impossibili, v. gr. *si coelum tetigeris*, vel de futuro turpi, modo non repugnet substantiae matrimonii, et consensus sit absolutus, v. gr. *si patrem occideris.* Ratio est quia tales conditiones habentur pro non adiectis. Sanch. [7] Mol. Fill. Less. [8] Laym. Bon.

» Resp. 3. Non sufficit sub conditione de futuro, quae sit contra substantiam obligationis matrimonialis, v. gr. si prolis generationem impedire velis maleficio, vel victum comparare adulterio. Patet ex *c. fin. de cond.* V. Sanchez [9] Con.[10] Fill. etc. »

(1) L. 1. d. 22. n. 1. et 3. (2) L. 2. c. 1. n. 3. (3) Ib. p. 4. n. 60. (4) N. 8. (5) Qu. 4. a. 2. n. 1. (6) L. c. num. 6. (7) L. 5. dub. 15. (8) L. 2. c. 18. dub. 15. (9) L. 5. d. 10. (10) D. 29. dub. 3. (11) In 4. d 29. qu. 2. ar. 3. q. 3. (12) P. 145.

891. Si igitur conditio de futuro est necessaria, nempe *si pater tuus moriatur; si cras sol occidet etc.*, de se non suspendit matrimonium, ut communiter dicunt s. Thom.[11] Ronc.[12] Holzm.[13] et Salm.[14] cum aliis. Dicitur *de se*, nam si contrahens sic dicens intendat velle expectare tempus talis conditionis, tunc matrimonium suspenditur usque ad illius eventum. Ronc. et Holzm.[15] et Salmant.[16] et Concina[17]. Si vero conditio esset turpis, tunc distinguendum: Si illa sit contra substantiam matrimonii, nempe contra bonum sacramenti, fidei vel prolis, tunc utique nullum reddit matrimonium. Secus vero si conditio esset alio modo turpis (vel si esset impossibilis); haec enim, licet in aliis contractibus nullum contractum redderet, saltem ante impletionem ipsius, ut dicunt Holzm.[18] et Viva [19] *ex institut.* §. 11. *de inu. stipul.*, tamen in matrimonio habetur pro non adiecta; ita expressum est in *c. finali de condit. appos. etc.* ubi: *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri:* Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas; *matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.* Ratio est quia, quando conditio est turpis vel impossibilis, tunc praesumit ecclesia adesse absolutum consensum contrahentium. Unde bene advertunt Pont.[20] Boss.[21] Salm.[22] et Viva[23], quod si partes nollent vere contrahere, nisi verificatis his conditionibus, tunc matrimonium esset quidem invalidum. In dubio tamen praesumendum est illas appositas esse ioco et non animo suspendendi consensum, ut aiunt Sanch.[24]

q. 4. r. 1. (13) N. 341. (14) De matr. c. 7. p. 2. n. 9. et 10. (15) L. c. (16) De matr. c. 7. p. 2. n. 12. (17) P. 207. n. 30. (18) N. 344. (19) Q. 4. ar. 6. n. 5. (20) L 3. c. 4. n. 9. (21) C. 10 n. 123. (22) Ib. p. 1. n. 2. (23) Q. 4. a. 6. n. 5 (24) Lib. 5. d. 3. n. 15

Pont. [1] Ronc. [2] Holzm. et Viva [3] ex *c. fin. de sent. etc.* ubi in dubio semper iudicandum pro valore matrimonii.

892. Quaer. autem hic quid dicendum cum matrimonium celebratur sub conditione, si *pater meus consenserit.* Resp. si conditio sit de praesenti vel praeterito, stante consensu patris, iam valet matrimonium, etiamsi contrahentes illum ignorent. Quando vero conditio est de futuro, tunc omnino suspenditur matrimonium usque ad eventum conditionis; haec certa sunt apud omnes. Vide Sanch. [4] et Pont. [5]. Sed

Dubit. 1. Quid dicendum si pater taceat? Respondetur, tunc pensandae sunt circumstantiae; nam si coniectura sit talis quod pater taceat quia dissentit, puta si pater taceat ne forte domino vel amico displiceat, tunc taciturnitas habenda est pro dissensu, secus si coniectura sit quod ideo taceat quia sibi placet, ita Sanch. [6] et Conc. [7]. In dubio autem de consensu vel dissensu patris standum est intentioni contrahentium, an ipsi contenti fuerint vel ne, quod pater positive non contradicat, ut ait Bonac. [8]. Sed quid si dubium sit de hac intentione nubentium. Ang. Ledesm. et Dicast. apud Salmant.[9] dicunt tunc requiri positivum consensum patris, et merito id probabile Salm. putant, quia conditio debet impleri in specifica forma, ex *l. Qui haeredi*, §. 1. *et l. Maevius*, *ff. de condit. et demonst.* At communius et etiam probabiliter aiunt Ronc.[10] Bonac.[11] Viva[12] cum communi, ut asserit Spor.[13] Sanch.[14] cum Adrian. Praep. Navar. Lop. etc. ac Salmant.[15] cum Henr. Sylvest. Corn. Leand. etc., huiusmodi taciturnitatem habendam pro consensu, quia talis conditio, *si pater consentiet*, iuxta communem sensum intelligitur, si positive non dissentiet. Idque tanto magis locum habebit si pater moriatur antequam dissentiat, ut recte inquit Viva [16] contra Pont.[17]. Bene autem advertit Ronc.[18] quod parochi sine urgentissima causa nunquam admittere debent haec matrimonia conditionalia propter plura inconvenientia et difficultates quae deinde occurrere possunt contra ipsorum validitatem.

893. Dubit. 2. Quid si pater certior factus primo dissentit et postea consentit, an tunc censeatur impleta conditio. Negant Sanch.[19] Pont.[20] Ronc.[21] et Salmant.[22] cum Soto Con. Per. Dic. etc., quia posito dissensu patris, iam deficit conditio apposita pro matrimonio, et ideo possunt contrahentes ab eo recedere, etiamsi pater postea consentiat: obligatio enim semel extincta amplius non reviviscit. Oppositum vero tenent Sylvest. Lopez Tap. ap. Sanchez[23], quia (ut aiunt) tunc contrahentes adhuc perseverant in eodem proposito et animo se obligandi. Haec ratio, per se loquendo, mihi non probatur, sed valde probabilis videtur haec secunda sententia, si pater post breve intervallum consenserit, ut dicunt Palaus[24] Navarr.[25] et Viva[26] cum Hurt. et Con. Ex communi enim intelligentia verba talis conditionis morali modo accipiuntur, id est si pater acquiescat intra aliquod breve tempus iuxta arbitrium prudentium. Sicut e converso matrimonium probabilius dicendum est invalidum, si pater post consensum mox dissentit, ut Viva[27] et Conc.[28]. Et huic sententiae adhaeret Croix[29] recte dicens quod tum sponsalia dissolvantur cum pater ita firmiter dissentit, ut nulla sit spes fore ut intra breve tempus consentiat.

894. Dubit. 3. Quid si tempore conditionis positae de consensu patris, pater erat iam vita functus. Respondetur: Si contrahentes iam conscii erant de morte patris, tunc conditio illa habetur ut non adiecta, tamquam impossibilis, ita communiter Pal.[30] Salmant.[31]

(1) D. n. 9. (2) p. 145. q. 5. r. 2. (3) L. c. (4) Lib. 5. d. 7. n. 3. (5) Lib. 3. c. 13. num. 23. (6) L. c. n. 11. (7) P. 210. n. 34. (8) Q. 2. p. 10. num. 20. (9) De matr. c. 7. p. 5. num. 58. (10) P. 147. q. 7. r. 1. (11) L. c. (12) Q. 4. a. 6. n. 7. (13) Num. 326. (14) L. 5. d. 7. num. 12.

(15) Ib. n. 59. (16) Loc. c. (17) L. 4. c. 17. n. 13. (18) L. c. reg. in prax. 2. (19) L. 5. d. 7. n. 10. (20) L. 4. c. 17. n. 15. (21) P. 146. q. 7. r. 1. (22) Ibid. n. 57. (23) N. 9. (24) P. 11. §. 2. n. 7. (25) C. 22. n. 61. (26) Q. 4. art. 6. n. 7. (27) L. c. (28) P. 210. num. 34. (29) L. 6. p. 3. num. 46. (30) P. 11. §. 2. n. 9. (31) De matr. c. 7. p. 5. n. 59

cum Henr. Bonac. [1] cum Con. Gutt. et Fill. ac Sanch. [2] cum Nav. Sylv. Lop. Led. et Praep. Maius dubium est, si tunc inscii erant, an valeat matrimonium. Negant Navarr.[3] ac Sylv. Praep. et alii ap.Sanch., quia conditio consensus, quae possibilis reputabatur, non potest amplius verificari. Sed probabilius Sanch. [4] Pal. [5] cum Con. et Salmant. [6] cum Henr. affirmant, quia conditio illa intelligitur apposita ne contra voluntatem patris matrimonium fieret, quae ratio, patre defuncto, iam cessat.

An autem valeat contractus matrimonii aut sponsalium inter impeditos aliquo impedimento dirimente, initus sub conditione: *Si papa dispensaverit. Vide super hoc dicta l.* 3. *n.* 650. *et hoc l.* 6. *n.* 859.

« Resp. 4. Consensus sub conditione honesta de futuro est contractus sponsalium tantum et non matrimonii, quia hic debet esse de praesenti. Ob quam rationem non incipiet validari matrimonium sine novo consensu postquam conditio impleta fuerit, ut docet s. Th. cum aliis apud Sanch. Etsi Fill. Laym. et alii quidam putent contrarium esse probabile, eo quod contractus celebratus sub conditione honesta futura, hac impleta purificetur. Quod concedit Bonac. [7] si contrahentes in eodem consensu manserint, saltem virtualiter. »

895. Quaer. an, impleta conditione in matrimonio, requiratur novus consensus.

Prima sententia affirmat quam tenent Suar. [8] Conc.[9] Pont. [10] cum Soto Val. Cov. et Led., item Trull. Villal. Con. etc. apud Salm.[11] qui cum Sanchez probabilem vocant. Et huic videtur favere d. Th.[12] qui ait: *Aut* (conditio) *est contingens, ut datio pecuniae vel acceptatio parentum, et tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro, unde non facit matrimonium.* Ratio 1. est quia, cum matrimonium non solum sit contractus, sed etiam sacramentum, non potest pendere a futura conditione, nam omnia sacramenta statim aut valida aut nulla esse debent. Ratio 2. quia, licet in aliis contractibus possit transferri dominium ad tempus, in matrimonio tamen dominium corporum debet tradi in perpetuum, et ideo oportet quod impleta conditione novus apponatur consensus.

Secunda sententia vero negat et hanc tenent Laym.[13] Bonac.[14] Pal.[15] Nav.[16] Ronc.[17] Sanchez [18] cum Palud. p. Soto et Henr. ac Salmant.[19] cum Con. Per. Dicast. Aversa Gabr. Reb. et Corn. Ratio quia matrimonium, esto sit etiam sacramentum, habet tamen rationem contractus, omnes autem contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur ex *l. Haec venditio*, 7. *ff. de contrahenda emption.* Et sic respondetur 1. rationi. Respondetur ad 2. quod dominium non tradatur pendente conditione, sed ea verificata: tunc enim, cum consensus praecedens virtualiter perseveret, matrimonium de conditionato fit absolutum. Nec revera huic sententiae contradicit d. Th., dum s. doctor[20] tantum loquitur independenter ab implemento conditionis, et ideo merito dicit quod pendente conditione non possit illud dici verum matrimonium, sed quod interim aequiparetur sponsalibus, ita ut non liceat nuptias inire cum alio. Utraque sententia est probabilis, at haec secunda videtur probabilior. Caeterum recte dicunt Viva [21] et Croix [22] consultius esse eo casu iterum contrahi matrimonium.

Quid si inter sponsos sit impedimentum contrahendi, et ipsi spoponderint sub conditione, *si cessabit impedimentum.* Sentiunt pariter Sanch.[23] et Croix[24] cum Ang. Covar. et Krim., nec requiri novum consensum si impedimentum cesset. Attamen Victoria a-

(1) P. 10. num. 20. (2) L. 5. d. 7. num. 19. (3) C. 22. n. 64. (4) N. 19. (5) L.c. (6) Dict. n. 59. (7) Q. 2. p. 10. n. 20. (8) De rei. i. 7. c. 12. n. 18. (9) P. 208. num. 23. (10) L. 3. c. 14. num. 5. (11) De matr. c. 7. p. 5. dub. 1. num. 64. ad 66. (12) Suppl. q. 47. a. 5. (13) C. 7. num. 2. (14) P. 10. num. 10. (15) P. 11. §. 2. num. 5. (16) C. 22. num. 65. (17) P. 147. q. 7. r. 2. (18) L. 5. d. 8. n. 5. (19) Ibid. n. 67. (20) L. c. (21) Q. 4. art. 6. num. 4. (22) L. 6. p. 3. 762. (23) De matr. l. 5. d. 8. n. 10. (24) L. 6. p. 3. n. 34

pud eumdem Croix censet requiri, hocque mihi videtur probabilius, dum consensus, tempore impedimenti praestitus, non videtur satis validus, et sic refert p. Zacharia apud Croix [1] in simili casu s. c. declarasse.

896. Notandum hic quod differat conditio a demonstratione, causa, modo, die, quia *demonstratio* sive *causa* adiecta (puta, si quis dicat: *Duco te quae es virgo*, vel *quia es virgo)* non vitiat nec suspendit matrimonium (esto causa sit falsa aut turpis, etiam contra substantiam matrimonii, ut Sanch.[2]). Nam, licet ille non contraheret si sciret eam non esse virginem, praebet tamen tunc absolute consensum, qui non impeditur nisi ab errore circa substantiam, sive circa conditiones substantiales matrimonii, sed *vide n.* 1012. Neque suspendit *modus* si dicatur v. g. *duco te ut mihi inservias*. Ita Salmant. [3] et Viva [4]. Etiamsi modus sit de re turpi aut impossibili: *Duco te ut occidas etc.* Ratio quia consensus non pendet a modo, sicut pendet a conditione. Et etiamsi (ait Viva cum Pal.) modus sit contra substantiam matrimonii, scil.: *Duco te ut adulterium facias etc.* Sed probabilius contradicunt huic Salm. [5] cum Sanch. quia non videtur habere animum contrahendi qui intentionem habet contractui oppositam.

Utrum *dies* appositus suspendat contractum, puta, si dicatur: *Duco te post tres dies*. Negat Sanch. [6]. Sed probabilius affirmat Viva cum Con. Hurt. Perez et Salm. [7], quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem.

DISSERTATIO

De ministro et forma sacramenti matrimonii.

897. Alii dicunt ministrum matrimonii esse sacerdotem assistentem, et formam ipsius verba: *Ego vos in matrimonium coniungo, etc.* Ita Canus [8] Iuenin. [9] Conc.[10] Tour.[11]. Idque probabile putant Estius[12] et Habert [13] citans pro hac sententia Tolet. [14], sed non bene, Toletus enim[15] expresse dicit formam sacramenti matrimonii esse consensum contrahentium, si igitur consensus nubentium sit forma, ipsi necessario sunt ministri; nam (ut recte aiunt Bellarm.[16] et Frass.[17]) qui in sacramento formam applicat materiae, ille utique est sacramenti minister. Momenta autem huius *primae sententiae* afferentur infra in obiectionibus quibus respondebimus.

Secunda sententia vero communis quae videtur moraliter certa dicit ipsos contrahentes esse ministros huius sacramenti, et formam esse verba quibus ipsi consensum exprimunt, ita Bellarminus, qui vocat sententiam nostram communem in scholis, (ut fatetur etiam ipse Canus) et contrariam, novam ac falsam, Gonet[18] Frass.[19] Cabass.[20] cum communi omnium theologorum Layman [21] Abelly[22] Wigandt[23] Holzm.[24] Barbosa [25] Suar.[26] Bonacina[27] cum Con. Reb. Gutt. Fill. Reg. Rodr. etc. comm. Pont.[28] cum Vasq. et Led. summ. p. Benedict. XIV.[29] cum Gotti Raynaud. etc. de Lauraea card. Bell.[30] qui vocat falsam sententiam Cani, et nostram communem, Fagnan.[31] qui ait opinionem contrariam esse periculosam in fide, Sanch.[32] cum Lop. Vega Henr. et Manuel., qui vocant oppositam temerariam, Merbes.[33], qui testatur omnes theologos asserere opinionem Cani numquam fuisse probabilem, refertque Vasq. et Led. asserere eam non posse defendi sine nota, et Sotum ac Vivald. vocare temerariam. Nostram sententiam tenent quoque expresse d. Thom.[34] (cuius verba referemus in respons. ad 1. Obiect.) et Scotus [35].

(1) L. c. (2) L. 5. d. 19. n. 2. (3) De matr. c. 7. p. 1. num. 5. (4) Q. 4. art. 6. num. 2. (5) De matr. c. 7. p. 1. n. 6. (6) Ibid. num. 11. (7) Ibid. num. 3. (8) De locis theol. l. 8. c. 8. (9) Instit. theol. de matr. q. 2. c. 2. (10) T. 10. p. 191. n. 5. (11) Prael. theol. de matr. quaest. 3. a. 2. (12) L. 4. d. 26. §. 10. (13) De matr. c. 4. (14) L. 7. de matrim. (15) Ibi c. 2. (16) De matr. c. 7. (17) Q. 5. a. 3. (18) Man. de matr. c. 7.

(19) Eod. tit. q. 3. ar. 1. (20) L. 3. c. 18. n. 1. (21) C. 2. n. 2. (22) P. 200. q. 1. et 2. (23) Tr. 16. n. 10. (24) P. 322. et 320. (25) Alleg. 32. n. 169. (26) De sacram. q. 64. d. 10. sect. 1. (27) P. 4. n. 5. (28) L. 1. c. 8. n. 3. (29) De synodo l. 8. c. 12. (30) Controv. t. 3. de sacr. matrim. c. 7. et 8. (31) T. 4. in cap. quod nob. de clandest. desp. n. 51. (32) L. 2. d. 6. (33) De matr. q. 6. (34) In 4. d. 26. q. 2. art. 1. ad 1. et dist. 28. q. 1. art. 3. (35) In 4. d. 26 q. 4. n. 14.

Prob. 1. quia Trident. [1] declaravit olim omnia coniugia clandestina, scil. sine assistentia parochi celebrata, esse vera et rata, idque negantem de anathemate damnavit. Matrimonia autem fidelium non possunt dici rata, nisi sint sacramenta, ut mox infra probabitur. Si ergo matrimonia clandestina olim fuerunt rata, ac propterea sacramenta, dicendum quod non parochus sit minister, sed ipsi contrahentes. Quod autem matrimonia ideo sint rata quia sint sacramenta probatur ex divo Augustino [2] qui: *Bonum nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti.* Item [3]: *Sed in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam foecunditas uteri.* Et inde nascitur (ut dicit[4]) vinculum indissolubile: sine enim sacramenti ratione fidelium nuptiae tantam firmitatem non haberent. *Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi quoddam sacramentum adhiberetur. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri eius talis est causa cum uxore, scilicet indissolubilitatis sacramenti.* Et clarius probatur ex *cap. Quanto, de divort.* ubi Innocent. III. sic ait: *Etsi matrimonium infidelium verum existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum* (nota), *ut ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Ergo, si ante concilium matrimonium fidelium sine parocho initum erat sacramentum, necessario dicendum tunc sponsos ministros tantum de illo fuisse. Nec dicas illud *coniugii sacramentum* non intelligi de sacramento matrimonii, sed de eius vinculo, utpote symbolice significante coniunctionem Christi cum ecclesia, adeo ut matrimonia per solum baptismum (dictum *sacramentum fidei*) evadant rata cum infideles convertuntur ad fidem, esto non fiant sacramenta. Nam respondetur non esse verum quod matrimonia infidelium per solum baptismum fiant rata, id est omnimode indissolubilia; licet enim coniugia infidelium natura sua etiam indissolubilia sint, tamen, accedente aliqua urgenti causa, adhuc post conversionem ad fidem aliquando solvi possunt (modo non fuerint consummata post conversionem), prout refert Cardenas [5] Urban. VIII. declarasse die 20. octob. an. 1626. et rursus 7. septemb. 1627. his verbis: *Nos attendentes huiusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quia suadente necessitate solvi possunt.* Et s. p. Bened. XIV. [6] refert s. Pium V. et Greg. XIII. solvisse post conversionem ad fidem quaedam matrimonia in infidelitate contracta. Si ergo matrimonia clandestina fidelium ante concilium, id est sine assistentia parochi celebrata, ideo fuerint rata quia sacramenta, ergo non parochus, sed ipsi contrahentes sunt huius sacramenti ministri.

Prob. 2. ex Florentino, ubi: *Septimum est sacramentum matrimonii, ut quod est signum coniunctionis Christi et ecclesiae secundum apostolum. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Si igitur contrahentes per consensum verbis expressum sunt causa efficiens matrimonii, ipsi ergo sunt ministri, non solum contractus (ut aliqui perperam explicant), sed etiam sacramenti; nam concilium suscipit explicandum non quidem contractum, sed sacramentum, dicens: *Septimum est sacramentum matrimonii.*

Prob. 3. ex eodem Trident. [7] ubi in clausula irritante matrimonium dicitur: *Qui aliter quam praesente parocho... contrahere attentabunt..., inhabiles reddit, et huiusmodi contractus nullos esse decernit.* Non dicitur qui aliter quam praesente parocho et verba proferente, sed tantum: *Qui aliter quam praesente parocho;* si igitur non irritatur matrimonium tacente paro-

(1) Sess. 24. c. 1. (2) L. de bono coniug. c. 24. (3) C. 8. (4) C. 7. (5) In prop. Innoc. XI. diss. 2. n. 550. (6) De synodo l. 13. c. 21. num. 3. (7) D. sess. 24. c. 1

cho, sed tantum absente, ergo verba parochi non sunt de essentia matrimonii, et consequenter ipse non est eius minister. Sed dices ex hoc inferri quidem quod absente parocho matrimonium sit nullum, etiam quoad contractum, sed non deduci quod, praesente parocho et tacente, validus sit non solum contractus, sed etiam sacramentum. At respondetur quod ratio sacramenti non distinguatur a ratione contractus, dum communiter dicunt theologi contractum matrimonii fuisse a Christo evectum ad rationem sacramenti. Et quod nostram sententiam tenuerint patres concilii, censendum est ex eo quod communiter theologi (quorum iudicium debet credi patres concilii sectatos fuisse) ante concilium asserebant, ministros sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, ut testantur Bellarm.[1] et Pont.[2] atque fatetur ipse Canus, asserens (ut diximus) hanc sententiam esse communem scholarum, et Dom. Sotus[3] scripsit nullum suo tempore ausum fuisse oppositum scribere, et licet Canus citet pro se Guilielmum parisiensem, tamen Bellarm. et Petroc. explicant illam nuptiarum benedictionem quam requirit Guilielmus esse conditionem, non tamen formam sacramentum matrimonii constituentem. Item Bellarm. ait alios aa. quos affert Canus, non loqui de benedictione quam dat sacerdos dum assistit et dicit: *Ego vos coniungo etc.* sed de benedictione quam dat sacerdos in missa, de qua loqui ait idem Bellarminus pariter pontifices a Cano adductos, et quae (ut patet) non potest esse forma sacramenti, cum ibi nulla sint verba quae forma sacramenti videantur.

Prob. 4. ex eodem Trid. ex eo quod concilium, dum nuptiae ineuntur, imponit parocho ut dicat: *Ego vos in matrimonium coniungo etc.*, ac deinde subiungit, *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.* Si autem concilium reputasset parochum esse matrimonii ministrum, quomodo ei potuisset praescribere pro forma quaecumque verba quae sunt iuxta ritum receptum uniuscuiusque provinciae? Hoc argumentum cardin. Pallavicino[4] visum est evidens ad probandum quod non sacerdos, sed sponsi nuptiarum ministri sint.

Probatur 5. Bened. XIV. in laudato opere *de Syn.*[5] sic ratiocinatur: In locis ubi Tridentinum promulgatum est, non raro contingit, aliquos matrimonium contrahere testibus fortuito astantibus, et parocho reluctante, quin ipse verbum ullum proferat. Huiusmodi coniugium in sententia Cani esset validum in ratione contractus, sed non sacramentum, ob sacerdotalis benedictionis defectum. Si ecclesia sententiam Cani haberet pro vera (imo addo si haberet tantum pro probabili) deberet ecclesia contrahentes compellere aut saltem hortari ad suum contractum renovandum coram eodem parocho, ut eius verbis fiat sacramentum, ne eius gratia illi perpetuo carerent. Deinde subdit quod ob eamdem rationem ecclesia curare deberet instaurari clandestina coniugia inita in locis ubi Trident. decretum non est receptum. Sed cum in neutro casu renovationem ab ecclesia urgeri videamus, coniiciendum quod uterque contractus, licet sacerdotis benedictione careat, ab ecclesia pro sacramento habeatur. Respondere possunt adversarii, ideo ecclesiam non curare de praedictis coniugiis instaurandis, quia contractus matrimonii semel valide initus nequit deinceps effici sacramentum, ut tenent Vasquez Durand. Pont. et alii. Sed respondet Benedictus[6] quod longe communior sit sententia aliorum dd. quos sequitur Sanchez[7] quae docet bene posse matrimonium, antea validum in sola ratione contractus, denique renovari, et assequi virtutem sacramenti Unde difficultas proposita non solvitur, in hoc enim dubio ecclesia not negligeret urgere fideles ut in illis ca-

(1) D. c. 7. (2) L. c. n 7. (3) In 4. d. 26. qu. 2. art. 5. (4) Istoc. del concil. l. 23. c. 14. (5) L. 8. c. 13 n. 8. (6) L. c. (7) De matr. n. 2. disp. 9.

sibus coniugia renovarent, ne carerent saltem spe consequendi gratiam, quam iuxta communiorem sententiam ipsi ex iteratione contractus obtinerent. His tamen non obstantibus, laudatus Benedictus ait sententiam Cani, tot doctorum suffragiis communitam esse probabilem, cuique liberum eam amplecti, absque ulla erroris nota. Adde praxim ecclesiae in reconvalidandis coniugiis iam coram parocho et testibus prius initis, sed invalide propter occultum impedimentum, in quibus s. poenitentiaria ex oraculo s. Pii v. dispensando minime requirit, imo expresse dicit illa reconvalidanda secreto, sine assistentia parochi et testium, et sic communiter docent contra paucos Nat. Alexand. Tourn. Habert et idem Bened. XIV. cum Van-Espen Pontas et pluribus declarationibus s. c. et decisionibus rotae rom. et aliis aa. innumeris; *vide dicenda n.* 1110. His positis valde miror quod laudatus Benedictus, postquam contenderit rationibus tam urgentibus contra sententiam Cani, illam [1] appellet probabilem, quamvis non intrinsece, sed tantum extrinsece eam probabilem censere videatur, eo quod (ut ait) est ipsa *doctorum suffragiis communita*. Verumtamen magis oportet attendere ea quae scribit Benedictus in decretali sive epistola ad archiepiscopum Goanum, quae incipit *Paucis abhinc hebdomadis*, ubi scribit ut pontifex, quam ea quae profert ut doctor privatus in praefato opere *de Synodo*; in praedicta enim decretali expresse docet ministros sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, non vero sacerdotem, dum ait quod *materia sit mutua corporum traditio, verbis ac nutibus assensum exprimentibus, et mutua corporum acceptatio forma* [2].

898. Obiiciunt 1. Solos sacerdotes esse legitimos sacramentorum ministros ex illo apostoli [3]: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*. Et idea dicunt statutam esse formam, ut habetur ex rituali, quam parochus super nubentes proferre debet, dicens: *Ego coniungo vos in matrimonium*. Ideoque addunt, aliquos ss. patres (quos refert Bellarm. [4]) dixisse, quod matrimonia per sacerdotes sanctificentur. Sed respondetur cum s. Th. [5] qui sic docet: *Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale. Sacramentale*, id est quaedam solemnis caeremonia quae ex praecepto ecclesiae requiritur. Et hoc est quod ss. patres intelligere volunt. Id clarius patet ex eodem Trid. [6] ubi non dicitur quod sacerdos absolute proferre debeat formulam praedictam: *Ego coniungo etc.*, sed quod *vel eam dicat, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum*. Formula vero illa alium sensum non prae se fert, quam si sacerdos diceret (ut dicunt Frassen. et Sanch.): *Ego approbo et benedico nuptias vestras in faciem ecclesiae*. Verum autem non est quod omnia sacramenta non per alios quam per sacerdotes ministranda sint, cum laici etiam quandoque sint legitimi ministri sacramenti baptismi. Christus enim constituit ministros sacramentorum, iuxta uniuscuiusque sacramenti naturam, et quia contractuum natura est, ut per solum consensum nubentium ineantur, ideo in matrimonio, quod consistit in contractu ad sacramentum elevato, non alios ministros Christus constituit, quam ipsos nubentes, qui per eorum consensum formam sacramenti ministrarent.

Obiiciunt 2. Concil. coloniense an. 1536. ubi [7] sic habetur: *Quod sacramentum* (scilicet matrimonii) *si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem, sicut Chri-*

(1) N. 4. (2) Ex dictis minorem vim habent, quae s. Auctor in Hom. Ap. tr. 13. n. 23. dixerat: oppositam sententiam, nimirum parochum esse ministrum matrimonii... territus auctoritate tantorum virorum non audeo improbabilem dicere, tanto magis quod Benedictus XIV. in opere de synodo eam valde probabilem vocat. (3) 1. Cor. 4. (4) C. 3. (5) Dist. 26. q. 2. (6) Cit. c. 6. sess. 14. (7) P. 7. c. 4.

stus dilexit ecclesiam. Ex quo inferunt quod si per benedictionem sacerdotis donum Spiritus confertur, ergo per illam conficitur sacramentum. Sed recte respondent Frassen. et Bellarm.[1] quod ex verbis istius concilii potius deducitur oppositum; nam illa ex suo sensu non significant quod per precationem sacerdotalem conficiatur sacramentum, sed potius quod, sacramento iam confecto, precatio illa accedat qua donum conferatur Spiritus sancti preces sacerdotis exaudientis. Tanto magis quod enchiridion, eiusdem concilii nomine deinde vulgatum, expresse dixit: *Verba coniugum, quibus ipsi mutuo dant sibi fidem, esse verbum* (id est formam) *quo fit sacramentum*.

Obiicit 3. Canus testimonium Evaristi papae in *cap. Aliter*, *caus.* 30. *quaest.* 5. ubi dicuntur matrimonia contracta sine benedictione sacerdotis praesumi adulteria vel fornicationes potius quam legitima coniugia. Sed bene respondet Bellarmin.[2] hic loqui pontificem de probatione matrimonii quoad forum externum, eo quod ecclesia in foro externo non iudicat legitima coniugia illa quae non probantur per sacerdotis testimonium, praesumendo tunc defuisse mutuum consensum, nisi (ut subditur in eodem textu) voluntas propria suffragaverit, ergo ubi adest voluntas contrahentium, legitimum initur matrimonium, licet in foro externo aliud praesumatur. Quod autem Evaristus certe ibi loquatur de foro externo, sapienter ait Bellarm. ipsum Canum negare non posse, nam Trid. expresse declaravit coniugia clandestina esse vera matrimonia, dum e converso Evaristus non iam dicit ea non esse sacramenta, sed vocat adulteria et fornicationes; unde ne dicatur Tridentinum contradixisse testimonio Evaristi, id quod Evaristus dicit, necessario de foro externo intelligendum. Alia obiicit Canus quibus facilius respondetur, ut videre poteris apud Bellarm.[3].

(1) Locc. cc. (2) Loc. cit. cap. 8. (3) Cit. c. 8. (4) L. 2. d. 11. n. 27. (5) C. 7. n. 8. (6) L. 5. c. 29. n. 22. (7) De matr. c. 8. p. 5. n. 67 (8) L. 5. d. 39. n. 6. (9) Biblioth. t. 5. v. matrimonium n. 19.

899. Ex nostra autem sententia infertur 1. quod matrimonia quae per procuratorem celebrantur, quia sunt legitimi contractus, ideo vera etiam sunt sacramenta, nec opus est ut contrahentes postea coram parocho se sistant ad matrimonium ratificandum. Sanch.[4] et Bellarm.[5] cum Nav. Soto et aliis contra Canum. Infertur 2. quod coniugia malitiose contracta coram parocho reluctante et benedictionem denegante, sunt quidem graviter illicita, sed valida et vera sacramenta, ut dicunt omnes pro nostra sententia allati, et hoc etiamsi parochus affectet nolle intelligere, nempe oculos et aures claudendo, ut sentiunt Pontius[6] et Salmant.[7] cum Led. et Leand. (contra Bonac. et Trull. ac Sanch.[8]) ex decreto sacr. congr. conc. apud Farinac. ubi ad quaesitum: *Et quid si parochus adfuisset, nihil tamen eorum quae agebantur vidit vel audivit, utrum tale matrimonium sit nullum.* Sacra congreg. conc. respondit: *Matrimonium non valere, si non intellexisset, nisi ipse parochus affectasset non intelligere.* Infertur 3. quod matrimonia coram parocho et testibus semel celebrata cum occulto impedimento dirimente, sublato impedimento per dispensationem, vera evadant sacramenta per consensum absente parocho praestitum; *vide dicenda n.* 1110. Et hoc argumentum, ut ait Bened. XIV. loco citato, valde probat ministrum matrimonii non esse sacerdotem, sed ipsos sponsos; alias recte dicit quod ecclesia, nisi id haberet pro certo, numquam permitteret sponsos relinqui in periculo quod remaneant sine gratia sacramenti. Adest tamen decretum s. c. sub die 8. iunii an. 1619. apud Ferrar.[9] quod si matrimonium esset nullum ex causa publica, scilicet ob defectum aetatis, tunc reconvalidandum est ante parochum et testes. Infertur 4. quod parochus, si assistat matrimonio existens in mortali non peccet graviter, quia non con-

ficit nec ministrat sacramentum, ita Sanch. [1] et Bon. [2] cum Suar. Coninch. Henr. Gutt. et Reg. Utrum autem requirantur de praecepto gravi verba parochi: *Ego coniungo vos etc.* vel alia iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum, ut dicitur in Trid.[3]. Negat Bon. [4] qui citat Sanch. Conc. Gutt. et alios putantes earum omissionem esse tantum venialem ob parvitatem materiae, sed affirmant Barbos. [5] cum Reb. Henriq. et Salzedo, et hoc mihi magis placet.

Fit autem quaestio an a sponsis, qui matrimonium ineunt, possit valide separari ratio contractus a ratione sacramenti. Negant Suar. [6] Pont. [7] et alii, dicentes non posse hominem separare quod Deus coniunxit. Sed affirmant Vasq. Cai. Duraud. Victoria et alii apud Spor. [8] qui tenent bene posse contractum sine sacramento validum remanere. Sed hic notandum omnes asserere quod hoc agere non careret gravi culpa. Unde infertur quod ecclesia numquam permitteret reconvalidari matrimonium sine assistentia parochi (ut passim ecclesia admittit), tolerando quod matrimonium persisteret tamquam contractus, et non sacramentum, si non haberet pro certo quod sponsi sint veri sacramenti ministri.

Dub. II. De usu matrimonii.

Art. I. An usus matrimonii, sive actus coniugalis sit licitus.

900. *Actus coniugalis illicitus est. Si matrimonium est nullum.* 2. *Si matrimonium est dubium.*
901. *Qu.* 1. *An liceat contrahere cum dubio de impedimento.*
902. *Qu.* 2. *An cum opinione probabili de insussistentia impedimenti. Qu.* 3. *An cum opinione probabili probabilitate facti.*
903. *Qu.* 4. *An in dubio de valore matrimonii iam contracti liceat petere et reddere. Et signanter an uxor non certa de morte primi viri teneatur reddere secundo.*
904. *Dub.* 1. *An, contracto matrimonio bona fide, subveniente dubio, liceat petere post diligentiam.*
905. *Dub.* 2. *Quid si adsit opinio probabilis tantum pro nullitate matrimonii.*
906. *Dub.* 3. *An, nuptiis initis cum dubia fide, dubitans post diligentiam, possit petere.*
907. *Dub.* 4. *An in dubio positivo iudicandum sit in favorem matrimonii contracti.*
908. *An coniux teneatur credere alteri asserenti se ficte consensisse. Quid si audiat impedimentum a testibus fide non dignis. Quid si audiat ab uno fide digno.*
909. 3. *Illicita est copula, si fiat cum periculo sanitatis. Dub.* 1. *An liceat petere, si alteruter coniugum laborat lepra, morbo gallico et simili.*
910. *An liceat petere post balnea aut sectionem venae vel cum febri vel an statim post prandium.*
911. *Dub.* 2. *An tempore lactationis.*
912. 4. *Si fiat ob voluptatem.*
913. 5. *Si fiat mente adultera. Quid si coniux ad se excitandum delectetur de pulcritudine alterius personae.*
914. *Quid si delectetur de copula aliena.*
915. 6. *Si fiat modo indebito.*
916. *Qu.* 1. *An sit mortale inchoare copulam in vase praepostero.*
917. *Qu.* 2. *An coire situ innaturali.*
918. *Qu.* 3. *An cohibere seminationem post copulam incoeptam.*
919. *An autem uxor, viro se retrahente, post seminationem possit ipsa statim tactibus se excitare ad seminandum.*
920. 7. *Si fiat in loco indebito (Remissive ad lib.* 3. *num.* 458.*).*
921. 8. *Si fiat tempore indebito.*
922. *Qu.* 1. *An liceat coniugi coire die communionis (Remiss. ad num.* 273. *et* 274. *in hoc lib.* 6.*).*
923. *Qu.* 2. *An in diebus festivis.*
924. *Qu.* 3. *An tempore praegnationis. An autem, secluso periculo abortus, sit venialis coitus cum praegnante.*
925. *Qu.* 4. *An liceat coire tempore menstrui.*
926. *Qu.* 5. *An tempore purgationis post partum.*
927. *Licitus est autem usus matrimonii,* 1. *propter prolem.* 2. *Ad vitandam incontinentiam.* 3. *Propter alios fines honestos.*
928. *Qu.* 1. *An aliquando vir teneatur petere.*
929. *Qu.* 2. *An aliquando uxor.*
930. *Qu.* 3. *An coniux prohibitus petere ob votum vel affinitatem contractam, possit aliquando petere.*
931. *Qu.* 4. *An liceat petere excommunicato et an ab excommunicato.*
932. *An et quando liceant tactus, aspectus, et verba turpia inter coniuges.*
933. *Qu.* 1. *An sint mortales inter ipsos tactus et aspectus turpes, secluso periculo pollutionis.*
934. *Qu.* 2. *Quid si periculum pollutionis iam praevideatur.*
935. *Perpenduntur quidam tactus enormiter turpes*
936. *Qu.* 3. *An peccet graviter coniux turpiter seipsum tangens, altero absente.*
937. *Qu.* 4. *An si morose delectetur de copula habita vel habenda.*

900. « Resp. Per se est licitus et honestus. Quod est de fide et patet ex 1.

(1) L. 2. d. 6. n. 2. (2) P. 4. num. 5.
(3) Cit. sess. 24. c. 1. (4) P. 8. n. 4.
(5) De potest. episcop. alleg. 32. n. 180.
(6) In 3. p. de matr. d. 7. sect. 1.
(7) L. 7. c. 9. n. 3. (8) De matr. c. 1. n. 359

Corinth. 2. *Uxori vir debitum reddat.* Per accidens est illicitus in sequentibus casibus:

» 1. Si matrimonium a parte rei sit nullum: quod tamen, si uterque ignorat, non peccat nisi materialiter. Si uterque vel alter id certo sciat, non potest, quocumque etiam periculo proposito, uti matrimonio. Unde si non potest sine periculo vitae aut famae detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet vel ingredi religionem (si necdum consummavit), vel fugere vel petere divortium (ob coniugis saevitiam, v. gr. vel adulterium, si tale sit) vel certe omnia incommoda patienter sustinere. Bon. [1].

» 2. Si matrimonium sit dubium. Et quidem, si alter tantum dubitet, is non potest petere debitum, reddere tamen tenetur, cum alter habeat ius petendi. Si uterque dubia fide contraxit vel dubitat de eius valore, neutri petere aut reddere licet ante veritatis indagationem. Vasq. Sanch. Diana Barb. [2]. Secus post eam. Bon. [3].»

Piget me de hac materia quae tantam prae se fert foeditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem, sed utinam non esset haec materia tam frequens in confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino confessarium plena tractatione, sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar, et ad casus particulares qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. Quod si cui mirum videatur, auctores caeteroqui prudentes ac pios de hac re fusius pertractasse, et minutas etiam variorum casuum circumstantias descripsisse, audiat clarissimum virum Ludovicum Bail, qui ab hac censura doctissimi Thomae Sanch. egregium opus de matrimonio vindicat his verbis: *Licet quaedam de materia foedorum actuum tangat, turpior est infernus; et si foedus est sermo, foedius est in peccato putrescere, ut ait Petrus Blesensis. Ille auctor aliquas spurcitias movet, sed ad aegrotantium curationem. Si angeli essent homines talibus non indigerent.*

901. Quaeritur 1. An liceat matrimonium contrahere cum dubio de impedimento dirimente. Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam, certum est non licere: post vero diligentiam adhibitam, communiter docent dd. posse contrahi matrimonium cum opinione probabili probabilitate iuris de carentia impedimenti, modo opinio illa sit universe vel certe ab aa. recepta ut probabilis, ita Sanchez [4] Palaus [5] Cardenas [6] Viva [7] Suarez [8] Croix [9] Boss.[10] Mazz.[11] et Holzman[12] cum communi; hancque sententiam vocant tutam et moraliter certam Card.[13] Holz.[14] Viva[15] et Croix[16] cum aliis. Nec obstat dicere quod cum opinione probabili non liceat sponsis administrare sacramentum matrimonii. Nam respondetur quod eo casu non ministratur sacramentum cum sola opinione probabili, sed cum morali certitudine; quando enim adest opinio probabilis de iure, quod non subsit impedimentum, tunc ecclesia ex antiquissima consuetudine praesumitur contractum matrimonii approbare, et omne removere impedimentum, ut communiter dicunt praefati aa. cum aliis, et fuse probant Card.[17] pluribus decisionibus rotae romanae, ac quaedam declarationes Urbani AIII.

Advertendum tamen 1. quod si dubium vertat circa mortem prioris coniugis, tunc sive sit negativum sive positivum, non licet matrimonium contrahere (quidquid dicant Boss.[18] et Vidal. apud Wigandt [19]) quia cum possideat prius coniugium, non potest secundum iniri cum praeiudicio prioris, nisi constet (saltem moraliter) de mor-

(1) Q. 8. p. 8. n. 10. (2) D. 6. tr. 11. p. 7. §. 3. (3) Qu. 4. p. 4. (4) De matr. l. 1. d. 6. n. 18. (5) Tr. 28. d. 3. p. 4. §. 9. n. 4. (6) In prop. 1. Innoc. XI. diss. 2. n. 525. et 528. (7) In camd. prop. n. 29. (8) 3. p. t. 3. q. 67. ar. 8. dub. ult.

(9) L. 6. p. 1. n. 117. et p. 3. n. 527. ac 558. (10) T. 1. mor. lit. 1. §. 51. n. 1928. (11) T. 4. p. 220. (12) T. 2. p. 369. n. 491. (13) L. c. (14) N. 492. (15) D. n. 29. (16) D. n. 11. (17) L. c. num. 542 (18) T. 2. c. 2. num. 41 (19) Tr. 16. casu post. n. 52

te prioris coniugis, ut expressum habetur in *c. Dominus, de secund. nupt.* Advertendum 2. cum Pal. [1] quod si constet de impedimento et non constet de ipsius dispensatione, tunc non possit matrimonium contrahi, neque post contractum peti debitum, tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus vero si constet de dispensatione et dubitetur de eius valore, quia tunc possessio stat pro valore dispensationis. Hoc tamen valet si impedimentum sit de iure ecclesiastico. Sed

902. Quaer. 2. An, stante impedimento probabili de iure naturali, liceat contrahere matrimonium cum opinione pariter probabili de insubsistentia impedimenti. Respondeo: Per se loquendo non licet, quia illicitum est ministrare sacramentum matrimonii cum opinione tantum probabili de illius valore, ut patet ex prop. 1. damnata ab Innoc. XI. quando contra adsit etiam probabilitas impedimenti etiam de iure naturali: nempe si dubium vertat de solutione prioris matrimonii, tunc enim ecclesia nequit dispensare, ut potest et praesumitur iam dispensare cum adest dubium positivum (ut diximus) de impedimento iuris tantum ecclesiastici. Dixi *per se loquendo;* nam urgente gravissima causa poterit matrimonium contrahi, modo accedat declaratio summi pontificis tamquam unici interpretis legis divinae. Et sic refert Cardenas [2] olim declarasse Urbanum VIII. Delato enim ad ipsum dubio per Ioannem de Lugo, postmodum cardinalem, an matrimonia quorumdam infidelium indorum in regno Paraquariae in infidelitate contracta essent valida, et an ipse post baptismum tenebantur accipere primam uxorem ex pluribus quas habuerant vel an poterant eligere quam malebant. Pontifex, indicto consulto, dixit quod ubi doctorum sententiae utrinque probabiles intercederent, sequeretur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores. *Vide d. n.* 897. *v. Prob.* 1.

Quaer. 3. An liceat matrimonium contrahere cum opinione probabili non solum iuris, id est ex doctorum auctoritate, sed etiam facti, nempe cum ex utraque parte adest facti probabilitas pro existentia et pro carentia impedimenti. Affirmant Tamb. [3] ac Bonac. et alii apud Croix [4]. Sed recte negant Cardenas [5] Viva [6] et Croix [7] cum Gormaz ac Aversa. Ratio quia licet ecclesia praesumatur supplere sive dispensare in impedimento, quando adest probabilitas orta ex iure, ut mox supra diximus, attamen hoc non procedit quando habetur probabilitas tantum orta ex facto, quae non fundat nisi semiplenam probationem, ut explicat Carden. [8]. Quo supposito, non licet in matrimonio contrahendo uti prima sententia; nam quamvis probabilis esset prima opinio, quod cum sola probabilitate facti pro carentia impedimenti praesumatur ecclesia etiam dispensare: tamen, cum haec opinio non sit communiter aut certe recepta tamquam probabilis (prout quidem esse debet ad praesumendum quod ecclesia suppleat, ut recte dicunt Carden. [9] et Croix [10] cum Aversa et Gorm.), et cum agatur de valore sacramenti, non possumus opinionem illam tuto sequi.

Dicunt autem Sanch. [11] Carden. [12] Viva [13] et Tamb. [14] cum Merolla, idque probabile putat Croix [15] cum Spor. Gob. Krim. etc. quod in quaestione facti, si adsint utrinque coniecturae, istae non constituant nisi merum dubium negativum, et ideo si dubium de impedimento non possit vinci, licite contrahatur matrimonium, quia tunc standum est pro libertate. Sed huic opinioni contradicunt Pal. [16] Less. [17] Contin. Tourn. [18] Ronc. [19] Renzi [20] cum Vidal. et Laym. [21] cum Hurt. et Veracr.,

(1) P. 4. §. 9. n. 4. (2) In prop. 1. diss. 2. n. 555. (3) Dec. l. 1. c. 3. §. 3. n. 27. (4) L. 6. p. 1. n. 118. (5) In prop. 1. Innoc. XI. diss. 2. n. 524. et 629. (6) In camd. prop. n. 29. (7) L. c. (8) N. 629. (9) N. 624. (10) L. 6. p. 1. n. 117.

(11) L. 3. d. 6. n. 18. (12) N. 527. (13) In d. prop. 1. n. 31. (14) Dec. l. 1. c. 3. v. matri. n. 1. (15) L. 6. p. 3. n. 555. (16) Tr. 1. d. 3. p. 8. n. 10. (17) Auct. v. matr. cas. 10. (18) Tr. de dispens. part. 1. cap. 17. art. 3. (19) P. 152. q. 5. (20) T. 1. p. 45. q. 4. (21) L. 1. tr. 1. c. 5. n. 23.

meritoque non approbant rationem ab adversariis adductam; quamvis enim in aliis contractibus, non obstante dubio negativo de inhonestate contractus, licitum sit illum inire, si dubium vinci non possit, quia tunc standum est pro libertate; matrimonium tamen, quia non solum habet rationem contractus, sed etiam sacramenti, non potest contrahi cum materia dubia; sicut et in aliis sacramentis non licet uti materia dubia extra casum necessitatis, ne sacramentum exponatur periculo frustrationis, iuxta prop. 1. damnatam ab Innoc. XI. Tantum igitur prima sententia posset dici probabilis, si probabilis esset opinio eorum quos retulimus *l.* 1. *n.* 51. dicentium praefatam propositionem fuisse proscriptam non ratione periculi frustrationis sacramenti, sed ratione caritatis erga suscipientem, ne privetur fructu sacramenti, si forte opinio de eius valore non sit vera. Et eo casu advertit Croix [1] cum aliis, partem dubitantem teneri ad monendam alteram de tali dubio, ne haec exponatur periculo gravium incommodorum. Quod si vero (addunt Sanch. et Card. [2]) in tali dubio praesumptio urgeret pro impedimento, et nulla esset praesumptio pro illius carentia, v. g. si vir coierit, et postea dubitat an seminarit, vel an intra vas aut extra, tunc praesumptio orta ex communiter contingentibus est pro impedimento, et impediendum est matrimonium. Secus autem si adsit praesumptio in contrarium, ut si vir seminaverit prope vas; tunc enim (ut ait Sanch.[3]) procul dubio nuptiae contrahi possunt.

Caeterum probabiliter dicunt Emman. Sa [4] Merbes.[5] et Contin. Tourn.[6] cum Pichler, ac probabile putat Dian.[7] (contra Sanch. [8] quamvis alibi [9] videtur se retractasse) quod in impedimentis dubiis bene potest episcopus dispensare. Et idem dicunt communissime dd. generice loquendo de omnibus casibus sive impedimentis pontifici reservatis, quando dubitatur an indigeant dispensatione, ut Pal.[10] Cabass.[11] Barb.[12] Ronc.[13] Holzm.[14] Elbel [15] et Salm.[16], ac probabile putat Bonac. [17] Ratio quia ex una parte, licet dispensatio huiusmodi impedimentorum sit papae reservata, tamen, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda et restringenda tantum ad casus certos, prout diximus in simili *n.* 600. Ex alia parte sat probabiliter potest episcopus dispensare in tali dubio, tum ex *c. Nuper* 29. *de sent. excomm.* ubi: *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Ibique sic addit Glossa: *Et hoc est argumentum, episcopos posse dispensare ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur, quod non est probibitum.* (*Vide dicta l.* 1. *n.* 191. *et infra hoc l.* 6. *n.* 980. *v. Sed dub.*). Et hoc approbant etiam Sporer [18] Elbel [19] et Roncagl. [20] tum quia, cum in casibus qui frequenter occurrunt possit inferior dispensare in lege superioris (ut diximus cum communi *l.* 1. *n.* 190.), bene poterit episcopus in impedimentis dubiis dispensare, eo quod in iis frequenter contingit dubitare de indigentia dispensationis.

903. Quaer. 4. An matrimonio iam inito, liceat contrahentibus petere aut reddere in dubio de eius valore. Certum est quod durante dubio, sive dubium antecesserit matrimonium sive ei supervenerit, coniux dubitans ante diligentiam adhibendam ad dubium vincendum non potest petere, sed potest et tenetur reddere alteri petenti in bona fide; id patet ex *c. Dominus, de sec. nupt.* ubi dicitur: *Sane super matrimoniis quae quidam ex vobis (nondum habita obeuntis coniugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias mi-*

(1) D. n. 555. (2) N. 528. (3) D. n. 18. (4) V. dispensatio n. 1. (5) T. 1. p. 406. n. 8. vers. quartus. (6) Loc. cit. v. existimat. (7) P. 4. tr. 3. r. 17. (8) D. n. 28. (9) Dec. l. 4. c. 40. n 26. (10) P. 4. tr. 3. d. 6. n. 5. n. 10. (11) T. 1. l. 1. c. 8. n. 5. (12) Alleg. 55. n. 19. (13) P. 54. q. 6. (14) T. 1. p. 99. n. 491. (15) T. 1. p. 147. n. 442. (16) De leg. c. 5. p. 4. §. 4. n. 45. (17) Eod. tit. d. 1. q. 2. p. 2. n. 18. (18) P. 4. c. 4. n. 22 (19) De matr. n. 474. (20) De 5. praec c. 2. q. 61

grare praesumat donec ei constet quod ab hac vita migraverit coniux eius. Si vero aliquis hoc non servavit, et de morte coniugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei quae sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Et huius ratio patens est quia in dubio nemo privandus est suo iure certo quod bona fide possidet, ut communiter docent dd. cum Sanch. [1] Salm. [2] Conc. [3] et alii passim. Item ait Pontius [4], sed hic diversam assignat rationem, dicens ideo teneri dubitantem reddere debitum petenti, quia de duobus malis minus est eligendum, iuxta *c. Duo mala, dist.* 13. Minus autem malum est in dubio reddere quam non reddere, quia non reddendo est periculum iniustitiae, reddendo vero tantum fornicationis, quae est minus malum quam iniustitia. Sed haec ratio non subsistit; nam si possessio secundi viri non praeberet ipsi ius petendi, non evitaretur maius malum iniustitiae, quam Pontius supponit, dum adhuc mulier illa se committeret periculo iniustitiae, nempe irrogandi iniuriam primo viro, si forte vivat. Unde necessario recurrendum ad primam rationem nempe ad ius certum possessionis quod habet secundus vir, quodque praeferri debet iuri incerto primi viri, cum de eius morte dubitetur.

Semper igitur ac mulier non est certa de vita primi viri, tenetur reddere secundo viro petenti; et hoc etiamsi adsit opinio probabilis pro invaliditate secundi matrimonii, et nulla pro valore, quia secundus vir non potest expoliari suo iure certo, nisi habeatur certitudo de vita primi viri, ut recte docent s. Anton. [5] Croix [6] cum Card. Merolla et Bressero ac Sanch. [7] cum Soto Navar. Palud. Sylv. Ang. Led. Corrad. Henr. Man. etc. Idem clare probatur ex *cap. Inquisitioni, de sent. excomm.* ubi sic habetur: *Inquisitioni tuae respondentes credimus distinguendum, utrum alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugii, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus utrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientia levis et temeraria credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum coniugale. Verum, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra iudicium conscientiae committat offensam.* Nota illud *certo sciat:* ergo si certo non scit, tenetur reddere. Confirmatur ex *c. Si virgo, caus.* 34. *qu.* 2. ubi: *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, numquam ex hoc adultera erit; si autem sciat* (nota) *iam adultera esse incipit.* Ubi recte notat Sanch. [8] cum Sylvest. tò *sciat* sumi pro certitudine. Idem docet d. Th. [9]: *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem; si primo modo, nec exigere nec reddere debet; si secundo, debet reddere, sed non exigere.* Item dicit s. Bonav.[10]: *Si certificatur de vita primi viri nec petere debet nec reddere.*

904. Sed dubit. 1. An contracto matrimonio in bona fide, si dubium superveniat, et adhibita diligentia illud vinci non possit, liceat dubitanti non solum reddere, sed etiam petere.

Prima sententia negat et hanc tenent Navar.[11] Conc.[12], item p. Soto Medina Sylv. et Corrad. apud Sanch. [13]. Et huius sententiae videtur certo etiam esse d. Th. [14] dicens: *Si oriatur dubitatio de vita prioris viri, ex aliqua causa quae etiam certitudinem facere possit, non debet reddere nec exigere debitum; si autem illa causa fecit proba-*

(1) L. 2. d. 42. n. 112. (2) De matr. c. 15. p. 4. n. 43. (3) P. 385. n. 5. (4) L. 10. c. 15. n. 3. (5) 3. p. tit. 1. c. 3. §. 3. (6) L. 6. part. 3. n. 300. (7) L. 2. d. 44. n. 5. (8) L. c. (9) In 4. d. 41. q. unic. art. 5. q. 1. ad 3. (10) In 4. d. 38. sub finem. (11) C. 12. n. 54. (12) P. 382. n. 5. (13) L. 2. d. 42. num. 45. (14) In 4. d. 38. in expos. litterae.

bilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere. Idem sentit s. Bonav.[1] dicens: *Si probabiliter dubitat, debet debitum reddere, sed non exigere.* Id probant ex dicto *c. Inquisitioni*, mox supra allato, ibi: *Verum, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet.*

Secunda sententia vero longe communior et probabilior affirmat, et hanc tenent Sotus [2] Lugo [3] Pal. [4] Laym. [5] Wig.[6] Con.[7] Holz.[8] Ronc.[9] Fill.[10] Hab.[11] Diana[12] cum Valent. et Vill. Salm.[13] cum Reg. et Henriq. Bon. [14] cum Rodr. Croix [15] cum Suar. Less. et Boss. ac Sanch.[16] cum Led. Lop. Bann. Veracr. et probabilem tenent [17] Canus Victor. et Manuel. Ratio quia qui matrimonium bona fide contraxit non est privandus suo iure quod possidet petendi, donec constet de impedimento; licet enim, superveniente dubio, suspendatur ius possessionis usquedum veritas inquiratur, dubio tamen remanente post diligentiam, cum ignorantia sit tunc invincibilis, manet possessio pro valore matrimonii, et consequenter pro illius usu: possessor enim bonae fidei sicut post diligentiam potest rem retinere, sic etiam potest illa uti. Haecque ratio bene confirmatur ex *c. Laudabilem, de frigid. et malef.* ubi in dubio de valore matrimonii propter dubietatem impotentiae coniugum ad copulam, conceditur eis spatium triennii ad debitum petendum; in tantum igitur conceditur eis licentia petendi in tali dubio, in quantum coniuges bona fide contraxerunt, et ideo possident ius petendi, donec per experimentum triennii fiat certum impedimentum impotentiae. Ad textum autem citatum in *c. Inquisitioni*, praefati aa. multipliciter respondent; Lugo [18] dicit quod pontifex ibi loquatur de casu quo coniux habeat probabilitatem tantum de invaliditate matrimonii, et nullam pro valore. Alii vero communius et rectius, ut Sotus[19] Sanch.[20] et Pal.[21] cum Con. respondent quod textus intelligatur vetare petitionem, antequam diligentia adhibeatur; secus vero post diligentiam; tunc enim (ut supra iam dictum est) coniux manet in possessione sui iuris, practice deposito dubio per principium illud reflexum, quod in dubio melior sit conditio possidentis. Et revera textus, dicendo non posse coniugem opinantem petere, supponit eum non adhuc sibi efformasse iudicium practicum conscientiae, dubium deponendo, cum subdat non posse petere: *Ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra iudicium conscientiae committat offensam.* Hinc apparet quam necessarium sit in moralibus admittere quod liceat deponere dubia per principia reflexa; his enim negatis, nulla apparet ratio cur licitum sit (ut licitum iam ibi declarat pontifex) coniugi dubitanti de morte prioris coniugis debitum reddere postulanti. Recte autem advertit Sanch. [22] non posse dubitantem reddere debitum in primo bimestri ante praemissam diligentiam, etiamsi petens sit in bona fide, quia eo tempore alter non habet ius petendi. Et idem dicendum si alter petens per incestum vel adulterium sit privatus iure petendi.

905. Dubit. 2. An, contracto matrimonio in bona fide, coniux habens rationem probabilem pro invaliditate matrimonii, et nullam pro valore possit petere post adhibitam diligentiam.

Prima sententia negat et hanc tenent San.[23] Lug.[24] Salm.[25] Spor.[26] Bon.[27] Reg. et Gutt. ac Viva[28] qui vocat eam communem. Hi dicunt coniugem taliter opinantem teneri ad reddendum alteri

(1) Dict. d. 33. (2) De iust. l. 4. d. 5. art. ult. (3) Eod. tit. d. 17. n. 38. (4) De spons. d. 3. p. 4. §. 9. n. 6. (5) De conscien. c. 5. §. 3. num. 24. (6) Tr. 16. n. 39. (7) D. 34. dub. 10. n. 105. (8) N. 466. (9) P. 185. qu. 6. r. 2. (10) Tract. 10. c. 9. num. 343. (11) T. 7. p. 327. qu. 4. (12) P. 3. tr. 4 r. 295. (13) De matr. c. 15. p. 4. n. 46. (14) P. 4. n. 5. (15) L. 6. p. 3. n. 302. (16) L. 2. d. 41. n. 46. (17) Ibid. (18) De iust. d. 17. n. 38. (19) Loc. cit. (20) N. 55. (21) N. 6. (22) Num. 48. (23) L. 2. d. 44. num. 2. et 4. (24) De iust. d. 17. n. 38. (25) De matr. c. 15. p. 4. n. 49. (26) De consc. n. 77 (27) Q. 4. p. 3. n. 13 (28) Q. 7. art. 3. n. 11.

qui bona fide contraxit, sed petere non posse. Ratio quia possessio suffragatur dubitanti, non autem habenti assensum opinativum tantum pro nullitate matrimonii.

Secunda sententia vero satis probabilis affirmat et hanc tenent Pal.[1] cum Con. et Croix [2]. Hi enim dicunt coniugem non interdici a petendo post diligentiam, dubium deponendo, et conscientiam sibi formando ex eadem regula dicta ut supra, nempe quod nemo sit privandus iure suo certo quod possidet bona fide, nisi certo probetur quod nullum ius habeat, ut dicunt in terminis de matrimonio Anaclet.[3] cum Henriq. ac Cardenas Merola et Bress. ap. Croix[4] atque fatetur ipse Sanch.[5]. In hoc enim differre videtur qui bona fide ab eo qui mala fide contraxit, nam possessor malae fidei non potest petere, ut dicunt Sanch. [6] Spor. [7] et Salmantic. [8] nisi habeat certitudinem vel saltem probabilitatem pro valore matrimonii (quamvis non desint dd. qui tuentur tunc etiam sufficere, si post diligentiam dubium deponatur, ut videbimus in dubio sequenti), possessor autem bonae fidei post diligentiam factam petere potest, semper ac non constet de nullitate matrimonii, quia possessio praebet ei ius certum petendi, quod praevalet cuicumque probabilitati oppositae: probabilitas enim, cum sit opinativa, et consequenter semper includat formidinem in opinione contentam, auferre nequit legitimam praesumptionem validitatis matrimonii ortam ex ipsa possessione coniugii bona fide contracti. *V. quae in simili casu diximus l. 1. n.* 36. Id confirmatur ex *c. Laudabilem de frigid. et malef.* ubi in dubio de impotentia conceditur coniugibus usque ad triennium experiri, et enim peto, si post biennium coniux non adhuc potuerit consummare, num est probabile matrimonium esse validum? Certe quidem est improbabilissimum, et e converso probabilissimum est tunc esse nullum: et tamen, hoc non obstante, possunt coniuges pergere ad experiendum usque ad finem triennii, rogo, qua ratione? non utique alia, nisi quia matrimonium non est adhuc certe nullum, neque illi sua possessione adhuc sunt expoliandi. Praeterea ipsimet adversarii concedunt coniugem opinantem teneri ad reddendum, etiam si adsit probabilitas tantum de nullitate matrimonii, nec id negare possunt, cum id expressum sit in *c. Inquisitioni sup. citato*. Et ratio est quidem, quia nemo expoliandus est sua legitima possessione donec constet de nullitate sui iuris. Sicut ergo, non obstante unico illo assensu opinativo pro nullitate, non potest coniux dubitans alteri debitum negare, ne privet eum sua certa possessione, ita post diligentiam non tenetur ipse ex illa sua conscientia tantum opinativa se expoliare certa sua possessione, nisi certus sit quod nullum ius sibi competat. Dicitur autem ex *conscientia tantum opinativa* quae formidinem includat et ad certitudinem non pertingat, nam si coniux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate matrimonii, ut fundent de ea moralem certitudinem, tunc certe nec petere nec reddere potest. Item recte advertit Croix[9] etc. cum Cardenas, quod dubitans si adhuc spem prudentem habet inveniendi maiorem certitudinem, tunc nequeat petere, quia cum dubium adhuc est vincibile, non potest uti iure petendi.

906. Dubit. 3. An, contracto matrimonio cum dubia fide de impedimento, possit dubitans post diligentiam petere debitum, dubio adhuc perseverante.

Prima sententia communior negat et hanc tenent Pal.[10] Ronc.[11] Salmant.[12] Bon.[13] cum Coninch. Fill. etc. ac Sanchez[14] cum Navar. Sylvest. etc. Probatur 1. ex *c. Dominus de sec. nupt.* ubi dicitur contrahens in mala fide minime posse petere. Probatur 2. ratione, quia nemo potest uti re quam mala fi-

(1) De spons. l. 3. p. 4. §. 9. n. 6 (2) L. 6. p. 5. n. 502. (3) De matr. d. 15. qu 6. num. 38. (4) N. 500. (5) L. c. n. 5. (6) L. 2. d. 42. n. 9 (7) D. num. 77. (8) Ibid. n. 48. (9) Num. 501. (10) D. 5. p. 4. num. 6. (11) P. 185. q. 6. r. 2. (12) De matr. c. 15. p. 4. n. 48. (13) P. 4. n. 10 (14) L. 2. d. 42. n. 2.

de incoepit possidere, unde si non potest dubium deponere, nunquam petere potest.

Secunda sententia vero satis probabilis affirmat, eamque tenent Holzm. [1] Elbel [2]. Ratio quia esto dubitans non possit deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen deponere ex aliis principiis, nempe primo, quia in dubio standum est pro valore actus, ut habetur in *l. Quoties, ff. de reb. dub.* Secundo, quia, cum matrimonium sit causa favorabilis, in dubio standum pro eius valore, ut probat ipse Sanch.[3] cum Cov. Lopez et Menoch., eo quod sicut in foro externo in dubio iudicandum est pro valore matrimonii, iuxta communem sententiam ibi ex *c. fin. de sent. et re iudic.*, ita etiam iudicandum in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non innititur falsa praesumptione. Nec obstat textus oppositus in *d. cap. Dominus*, quia ibi sermo fit de contrahente cum dubio de morte prioris coniugis, quo casu certum est dubitantem non posse petere, donec constet de illius morte; nam alias potius est ius prioris matrimonii. Hoc tamen procedit respectu ad coniugem qui contraxit cum dubia fide, secus vero quoad coniugem qui contraxit cum bona fide, ut diximus *n.* 904. Communiter autem dicunt Sanchez [4] Bonac. [5] Boss. [6] Spor. [7] Ronc. [8] et Salm. [9] cum Dicast. et Croix[10] cum Schild. Aversa etc., quod etiam contracto matrimonio cum dubia fide possit dubitans petere, si matrimonium reputetur probabiliter validum, etiamsi probabilius sit esse nullum, ut dicunt Sanch. et Sporer. At hoc minime admittendum, nam in dubio de morte prioris coniugis, sive nuptiae sint initae cum bona fide sive cum dubia fide, nunquam coniux dubitans petere poterit, nisi de morte prioris coniugis habeatur certitudo, aut saltem tanta praesumptio quae moralem certitudinem statuat. Alias, si tantum probabilitas de morte habeatur, nequit unquam coniux ille dubitans petere, tum quia tunc remanet probabile periculum iniuriae prioris coniugis, iuxta dicta in tractatu de conscientia quem ipse condidi, tum quia eo casu possidet prius matrimonium, donec constet fuisse solutum.

907. Dubit. 4. An in dubio positivo de valore matrimonii, puta si dubitetur de impedimento vel de consensu praestito et simili, iudicandum sit in favorem matrimonii contracti. In foro externo procul dubio affirmandum, ut communiter docent dd. Vide Sanch.[11]. Sed in foro conscientiae negant aliqui eo quod in dubio possidet libertas ab onere matrimonii. Sed verius est oppositum, ut tenent Sanch.[12] Pontius [13] Elbel[14] Tambur.[15] cum Covar. Menoch. et communi. Ratio quia licet matrimonium sit tantum probabiliter validum, tamen certa est eius possessio, donec non constet de nullitate, cum in dubio (ut diximus) semper iudicandum sit pro validitate actus, ut dicunt Palaus[16] Busemb. Elbel[17] et Croix [18] ex *l. Quoties ff. de reb. dub.*

908. Ad dignoscendum autem quomodo quis possit esse certus, vel probabiliter dubitare de nullitate matrimonii, tres regulae dantur.

Prima regula est quod ordinarie loquendo non tenetur coniux credere alteri asserenti se ficte consensisse, etiamsi id affirmet cum iuramento, ex *c. Per tuas, de probationib.* et *c. Cum a nobis, de testib. et attest.* ubi: *Nimis indignum est ut quod quisque sua voce protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare.* Dicitur, *ordinarie loquendo*: nam aliter dicendum si ex circumstantiis aliter censendum esset, puta si coniux ille sit in articulo mortis, si non soleat peierare, vel sit persona pia et vellet separari aut religionem ingredi etc., tunc enim alter habet sufficiens motivum prudenter dubitandi,

(1) P. 355. num. 466. (2) P. 404. num. 146.
(3) L. 1. d. 18. num. 6. (4) L. 1. d. 42. num. 8.
(5) P. 4. num. 10. (6) T. 2. c. 2. num. 41.
(7) De conse. n. 77. (8) L. c. (9) Ibid. n. 51.
(10) Num. 299. (11) L. 1. disp. 18. num. 5.
(12) Num. 6. (13) Lib. 8. c. 2. num. 6.
(14) Num. 146. (15) Dec. l. 1. c. 3. v. matr.
(16) Tr. 28. d. 3. p. 4. §. 9. n 4. (17) L. c.
(18) L. 6. p. 3. n. 298.

ita Bonac. [1] Diana [2] Sanch. [3] cum Soto Adriano Palud. Sylvest. Nav. Ang. etc. ac Salm. [4] cum Val. Dic. Verac. et Led. *Secunda regula* est quod si quis audiat a personis non fide dignis vel ex fama a nullo auctore certo exorta, adesse impedimentum, licite potest matrimonium contrahere aut post contractum reddere et petere debitum, quia talis fama aut dictum non habetur ut ratio prudens dubitandi. Sanchez [5] ex *c. Si duo* 35. *q.* 6., item Salm. [6] cum Sylv. et Bonac. [7].

Tertia regula est quod dictum unius testis fide digni de impedimento aut fama publica ex certo auctore (ut dicunt Sanch. [8] Dic. Sylv. et Salmant. [9]) sufficit ut quis teneatur veritatem inquirere, et interim abstinere a petendo debito, quia, cum talis ignorantia tunc sit vincibilis, in dubio non potest operari. Non sufficit tamen hoc ut teneatur debitum negare, quia licet possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, quantumvis fide digno, qui non inducit necessitatem credendi, maxime in sui praeiudicium, ex *cap. Cum a nobis de testib. etc.* Salm.[10]. Post autem adhibitam diligentiam bene potest reddere et petere, ut dicunt iidem Salmant. [11] cum Nav. Sylv. Ang. et Lop.

909. « 3. Si fiat cum gravi periculo vitae aut sanitatis: nisi tamen sit causa gravis, cui damnum corporale videatur postponendum, v. gr. periculum incontinentiae in se vel comparte. Bon. [12] Perez [13]. »

Dubit. 1. An liceat petere cum periculo sanitatis, nempe si alteruter coniugum laboret lepra, morbo gallico, phthisi aut alio morbo contagioso. Per se loquendo non licet, cum nemo sit dominus suae vitae aut salutis, attamen probabiliter Bus., ut supra, cum Bonac. et Perez ac Sanch.[14] cum Caiet. p. Soto Graff., item Boss.[15] cum Pont. Laym. et Reg. dicunt quod si morbus esset diuturnus, et non proxime tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre, ut esset pestis aut lepra leonina (qua frustatim membra decidunt), tunc non erit illicitum sano petere, si aderit iusta causa, nimirum fovendi amorem coniugalem aut vitandi incontinentiam in se vel in altero, quia alias esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu coniugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiae. Advertendum tamen quod coniux infectus morbo gallico aut simili contagioso, non poterit petere ab altero inscio, nisi vitium suum illi manifestet, et manifestando possit alter remediis occurrere morbo, imo nec etiam poterit reddere nisi certiore facto sano. Hinc bene ait Boss.[16], quod dupliciter peccaret qui laborans morbo gallico fornicationem committeret, et insuper teneretur compensare expensas pro curatione. Probabiliter tamen ab hac compensatione excusat foeminas, nisi ipsae requisitae fraudulenter suum morbum tegerent. Non potest igitur coniux infectus tunc reddere, nisi morbum manifestet. Caeterum vero non tenetur manifestare, quia non tenetur cum tanto detrimento suae famae coniugale debitum praestare: in omnibus enim contractibus gravissimum incommodum in solutione excusat a debito reddendo, ut ait Tamb.[17] cum Soto, iuxta dicenda in simili casu *n.* 944.

910. Non licet autem petere statim a balneis vel a sectione venae, nam, ut dicunt Sanch.[18] Bonac.[19] et Poss.[20] cum s. Ant. et Fill. coitus eo tempore est notabiliter periculosus. Idem dicunt Bonac.[21] Pont.[22] Sanch. [23] Boss.[24] cum aliis de laborante febri. Idem ait Croix de viro coeunte cum uxore laborante gonorrhoea, scilicet profluvio seminis, dicto *fluxo albo*: sed quidam medicus mihi asseruit minime nocere talem copulam neque viro neque mulieri. Praeterquam quod non videtur copula tunc

(1) P. 4. n. 19. (2) 5. p. tr. 4. r. 2. (3) L. 2. d. 45. n. 5. (4) De matr. c. 15. p. 4. num. 52. (5) N. 29. et 32. (6) Ib. n. 55. (7) L. c. n. 20. (8) N. 25. (9) N. 54. (10) Dict. n. 54. (11) Ib. n. 48. (12) P. 6. num. 8. (13) D. 50. s. 4. num. 5.

(14) L. 9. d. 24. n 23. (15) C. 1. n. 195. et 209. (16) C. 1. n. 180. (17) L. 7. decision. c. 3. §. 5. n. 25. (18) L. 9. d. 24. n. 5. (19) Q. 4. p. 1. n. 4 (20) C. 1. n. 171. (21) L. c. (22) L. 10. c. 14. n. 5 (23) Num. 5. (24) Num. 170.

prohiberi, cum huiusmodi fluxus soleant esse fere perpetui, unde grave incommodum esset coniugibus tandiu abstinere ab usu matrimonii, prout dictum est de muliere laborante menstruo innaturali, vide dicenda *n.* 925. Excipiendum tamen nisi fluxus sit maleficus, et tunc etiam excusatur coitus si adsit periculum incontinentiae tam in petente quam in reddente, iuxta mox dicta *n. praeced.* Vir autem laborans fluxu seminis semper licite potest petere, quia coitus nullum affert damnum nec ipsi nec uxori nec proli, ita Sanch. [1].

Videtur etiam non licere petere statim post prandium, dum inquiunt Pontius [2] Bonacin. [3] Boss. [4] cum Palud. et Sanch. [5] cum Vega, coniuges saepe excusari a reddendo in tali tempore, eo quod coitus soleat tunc afferre grave damnum, ob ciborum cruditatem vel corruptionem quam causat. Refertque s. Anton. [6] quemdam propter hoc in phthisim incidisse. Sed dico quod si hoc esset verum omnes fere coniuges phthisici evaderent. Medici autem quos consului, et experientia negant in hoc grave damnum adesse. Hinc non auderem damnare coniugem post prandium petentem, cum isti communiter post prandium vel coenam soleant coire. Neque contra excusarem hac ratione coniugem a reddendo, nisi experientia constaret quod tali coitu ipsi vel alteri notabile damnum provenerit, alias certum est ipsos teneri ad reddendum etiam cum aliquali seu levi impedimento, iuxta dicenda *n.* 950. *v. Quaeritur.*

911. Dubitatur 2. An liceat debitum petere tempore lactationis. Alii negant, ut Butrius et Alex. de Nevo ap. Boss.[7]. Imo Tiraq. et alius auctor ap. Sanch. [8] dicunt esse mortale, tum quia in *can. fin. dist.* 5. d. Greg. dicit: *Ad eius vero concubitum vir accedere non debet* (*debet*, non autem *decet*, ut refert Sanch.) *quousque qui gignitur ablactetur;* tum quia in tali coitu est timor nocumenti prolis si uxor concipiat. Communissime vero affirmant licere Pal. [9] Bon.[10] Pont.[11] Salm.[12] Croix[13] Holzm.[14] Elb.[15] Sanch.[16] cum Rich. Turr. Rosell. etc. ac Boss.[17] cum Con. Fill. Hurt. Leand. Vill. etc. Ratio quia non extat lex prohibens. Textum enim d. Gregorii, aiunt Sanch.[18] Holzm.[19] et Boss.[20] esse solum de consilio, item, quia periculum inficiendi lac, teste experientia, rarum est, saltem non tantum ut teneantur coniuges tanto tempore abstinere ab usu coniugii, cum continuo periculo peccandi. Excipiunt tamen Pontius[21] et Bossius[22] si coniuges sint valde pauperes et prudens adsit timor de gravi damno prolis, tunc enim (ut dicunt) neuter tenetur reddere, imo nec potest petere, etiamsi sit periculum incontinentiae, quia non licet sibi consulere cum damno innocentis, cum alia suppetant media ad incontinentiam sedandam. Verum Sanchez[23] eo casu excusat quidem coniuges a reddendo (ut excusat etiam Bonacina[24]), sed non audet damnare exigentem, dicens quod tunc vel alia via ipse poterit proli consulere, vel erit iusta causa ipsam periculo exponendi, ne tamdiu coniuges cogantur abstinere cum tanta difficultate. An autem coniuges peccent respectu prolis, petendo tempore praegnationis vel menstrui aut purgationis post partum. *Vide dicenda n.* 924. 925. *et* 926. Et quid si coniuges laborent lepra. *Vide n.* 950. An autem liceat coire tempore menstrui. *Vide n.* 925.

912. « 4. Si fiat pravo fine, v. gr. tantum voluptatis causa, quod tamen doct. communiter, ut Sanch.[25] Bonac.[26] censent esse tantum veniale, contra Pontium, qui vult esse nullum: nullum autem erit, si delectatio non quaesita sentiatur vel ad eam se excitent quando copula debita redditur. Sanchez[27]

(1) L. 9. d. 11. n. 9. (2) Lib. 11. c. 14. n. 3. (3) Quaest. 4. p. 1. num. 6. (4) C. 1. num. 171. (5) L. 9. d. 24. n. 4. (6) P. 1. tit. 1. l. 16. §. 10. (7) C. 1. num. 213. (8) L. 9. d. 22. num. 13. (9) P. 4. n. 14. (10) P. 1. n. 11. (11) L. 10. c. 14. num. 9. (12) De matr. c. 15. p. 6. num. 79. (13) Num. 526. (14) Num. 465. (15) N. 590. (16) L. c. n. 14. (17) C. 1. n. 214. (18) N. 16. (19) L. c. (20) N. 215. (21) L. c. (22) N. 215. (23) Num. 15. (24) D. n. 11. (25) L. 9. n. 11. (26) Q. 4. n. 6. (27) L. 9. d. 11.

Vide etiam Diana [1] Bon. [2] M. Perez [3].»

Certum est esse illicitum habere copulam propter solam voluptatem, ut patet ex prop. 9. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Commune tamen est apud omnes, id non esse mortale, sed tantum veniale peccatum: ita Sanch. [4] Pont. [5] Boss. [6] et alii passim, ex d. Th.[7] qui expresse id docet. Et ratio cur non sit mortale est, quia delectatio de aliquo obiecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis vel quia obiectum ipsum est graviter vetitum vel quia homo delectatur de illo tanquam ultimo fine, sed in hac delectatione neutrum intervenit: non primum, ut patet, non secundum, ut supponitur. Non excusatur autem a veniali, quia est perversio quaedam ordinis, cum delectatio quae intenta est a natura ut medium ad generationem, fit finis habendae copulae. Nullum autem erit peccatum, ut recte aiunt Croix [8] et Viva [9] si coniux principaliter intendat procreationem prolis, et utatur voluptate (eam moderate intendens), ut se excitet ad copulam, sicut pariter minime peccat qui intendit moderatam delectationem in comedendo, ad praestandum corpori conveniens alimentum.

913. « 5. Si exerceatur mente adultera, ut si, dum accedit ad suam imaginetur aliam ut animum pascat, quod est mortale. Sanch. Bon.[10]. »

Excusant autem a mortali Sanchez[11] et Sporer [12] coniugem qui se excitaret ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personae, sed absque affectu turpi, at merito dicunt hoc esse valde periculosum, et non permittendum. Sicut nec etiam permittendum puto cum Diana ap. Spor.[13] se excitare ad coitum respiciendo ad imagines diversi sexus: maxime si essent sacrae, quod recte aiunt Croix[14] et Sporer esse mortale, propter gravem irreverentiam.

914. An autem liceat marito delectari de copula aliena cogitata, ut se excitet ad coitum cum uxore. Ex una parte videtur negandum, cum obiectum de quo delectatur sit per se turpe. Ex alia non videtur damnandum talem coniugem, cum ideo solutis est illicita spectatio concubitus humani, sive delectatio de visu cogitato talis concubitus, quia in tali visu vel delectatione adest proximum periculum commotionis spirituum generationi deservientium, et cum ipsis copula sit prohibita, consequenter etiam est vetita commotio spirituum: coniugatis autem, cum eis iam permissa sit copula, non videtur vetita saltem sub gravi talis commotio spirituum; quamvis ipsa ex delectatione illa oriatur. Hanc tamen cogitationem, si esset de copula inter personas determinatas, non excusarem a mortali, ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum coniuge aliena. Caeterum quia hoc dubium apud nullum inveni discussum, sapientibus remitto decernendum. Illud autem quod probabile putat Arriaga[15], nempe licitum esse marito delectari de copula cogitata inter ipsum et alienam, dico cum Croix[16] omnino reiiciendum, cum talis delectatio sit de obiecto intrinsece malo, et ipsi coniugi omnino vetito.

915. « 6. Si fiat modo indebito, v. g. 1. Si non servetur vas naturale: quod multi docent esse veram sodomiam, alii esse grave peccatum contra naturam. *Vide* 6. *praecept.* 2. Si sine iusta causa situs sit innaturalis, praeposterus etc. quod aliqui dicunt esse mortale, alii, secluso periculo effusionis seminis, veniale tantum, etsi grave et graviter increpandum. Diana[17]. 3. Si alter coniugum ex morositate vel alia ratione seminationem cohibeat: quod quidam generatim dicunt esse mortale, quia finis actus coniugalis, scilicet generatio, impeditur; quidam tamen, ut Praep. et Sanch., dicunt in foemina nullum esse. Vide Bon. [18].

(1) P. 3. t. 4. r. 216. (2) P. 6. (3) D. 49. s. 2. n. 6. (4) L. 9. d. 11. n. 4. (5) L. 1. c. 21. n. 6. et 11. (6) C. 7. n. 65. (7) Suppl. q. 64. a. 6. (8) Num. 296. (9) De matr. q. 5. a. 2. num. 4 (10) P. 6. num. 7. (11) L. 9. d. 16. num. 16 (12) Num. 505. (13) L. c. (14) Num. 329 (15) De peccat. d. 47. num. 16. (16) Num. 551 (17) Part. 3. t. 4. res. 204. (18) P. 6. n. 15. et p. 1

916. Quaer. 1. An peccet mortaliter vir inchoando copulam in vase praepostero ut postea in vase debito eam consummet. Negant Nav. [1] ac Ang. Zerola Graff. Zanard. et Gam. ap. Diana [2] modo absit periculum pollutionis, quia alias (ut aiunt) omnes tactus etiam venerei non sunt graviter illiciti inter coniugatos. Sed communiter et verius affirmant Sanch. [3] Pont. [4] Pal. [5] Bonac. [6] Spor. [7] Tamb. [8] et Boss. [9] cum Filliuc. Perez Aversa Fagund. et Leand. Ratio quia ipse huiusmodi coitus (etsi absque seminatione) est vera sodomia, quamvis non consummata; sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienae est vera fornicatio, licet non adsit seminatio. An autem sit mortale viro perfricare virilia circa vas praeposterum uxoris. Negant Sanch.[10] et Boss.[11] cum Filliuc. et Perez, quia tangere os vasis praeposteri non est ordinatum ad copulam sodomiticam. Sed verius pariter affirmant Pont.[12] Pal.[13] Diana[14], item Fag. Leand. etc. apud. Boss.[15] atque Tamb.[16] (qui testatur ab aliquibus codicibus sententiam Thomae Sanchez esse deletam: imo Moya asserit ipsum Sanch. se retractasse in editione Antverpiensi anni 1614.). Ratio est, quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico.

917. Quaer. 2. An et quomodo peccent coniuges coeundo situ innaturali. Situs naturalis est, ut mulier sit succuba et vir incubus, hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis, et receptioni in vas foemineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere vel praepostere more pecudum, vel si vir sit succubus et mulier incuba. Coitum hunc, praeter situm naturalem, alii ap. Sanchez [17] generice damnant de mortali, alii vero dicunt esse mortale ultimos duos modos, dicentes ab his ipsam naturam abhorrere. Sed communiter dicunt alii, omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentalia copulae, ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit, ita s. Anton.[18] cum Alb. M.Nav.[19] Pont.[20]Petroc.[21]Salm.[22]Boss.[23] Holzm.[24] Spor.[25] Ronc.[26] Croix[27] Pal.[28] cum Sa Tolet. Hurt. Coninch. et Henr. ac Sanchez[29] cum Gerson Cai. p. Soto Dom. Soto Sylv. Arm. Vict. etc. Et aperte favet d. Th.[30] qui sic ait: *Sed in secundo modo* (nempe mutando situm naturalem) *non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiae.* Ergo ex d. Thoma mutatio situs per se non est mortalis, sed potest esse mortalis ex prava *concupiscentia*, puta ex affectu bestialitatis vel sodomiae, vel si huiusmodi voluptas habeatur ut finis ultimus. Hinc communiter dicunt praefati aa. cum Conc.[31] coniuges minime peccare si mutent situm ex iusta causa, nempe ob aegritudinem vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortus aut scandali aliorum, idque expresse dicit Angelicus[32] qui subdit: *Quandoque sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tanto est gravius quanto magis a naturali modo receditur.* E converso conveniunt omnes (ut asserunt Sanc.[33]Pal.[34]Boss.[35] etc.) quod si experientia constaret quod mutato naturali situ nihil seminis foemina retineret ob nimiam vasis laxitatem vel humiditatem vel propter aliquam infirmitatem na-

(1) L. 5. consil. de poenit. cons. 7. (2) P. 2. t. 17. r. 37. (3) L. 9. d. 17. n. 5. (4) L. 10. c. 11. n. 5. (5) P. 4. §. 2. n. 6. (6) P. 11. n. 12. (7) Num. 497. (8) L. 7. c. 3. §. 5. num. 31. (9) C. 7. n. 174. (10) N. 5. (11) N. 175. (12) L c. (13) N. 6. (14) P. 4. tr. 4. r. 104. et p. 5. tr. 7. r 7. (15) L. c. (16) N. 32. (17) L. 9. d. 16. num. 2. (18) 3. p. tit. 2. c. 2. §. 3. (19) C. 16. num. 42. (20) L. 10. c. 11. num. 1. (21) T. 4. p. 445. v. tertius casus. (22) De matr. c. 13. p. 3. n. 73 (23) C. 7. n. 63. (24) N. 458. (25) Num. 495 (26) P. 184. q. 4. (27) N. 332. (28) De sponsal. d. 5. p. 4. §. 3. n. 1. (29) L. 9. d. 16. num. 5 (30) In 4. d. 31. in fin. in exp. litt. (31) P. 405. n. 2 (32) L. c. (33) N. 5. (34) L. c. (35) N. 171

turalem, ut ait Palaus, tunc esset mortale: secus vero dicit Sanch., si non ex situ sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio provenit.

Dicunt autem Sanch. [1] Pont. [2] Pal. [3] et Boss. [4] cum Perez Hurt. et Aversa non esse mortale, si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento sufficiente ad generationem, quod dicunt Sanch. et Bossius aliquando evenire, imo fere semper evenire aiunt Pal. et Pontius, qui testatur sic medicos asserere. Verum Salmant.[5] hanc opinionem vocant nimis laxam, quia (ut inquiunt) prodigere semen humanum sine rationabili causa non potest excusari a mortali: certe dicunt ipsi Salmant. [6] ac Sanch. [7] et Sporer [8] cum Aversa non teneri confessarium interrogare coniugem de hoc se accusantem, an semen effusum sit vel non, quia raro (ut aiunt) accidit semen effundi, et sic etiam ego pluries audivi ab eis qui apud me in confessione se accusabant praepostere coivisse. Eos vero qui coeunt stando vel sedendo, vel muliere incuba, puto esse in maiori periculo semen effundendi. Sed per hoc non audeo damnare sententiam Sanchez Pontii Palai et aliorum ut supra, nam possent ipsi Salmanticensibus respondere quod sine iusta causa prodigere semen, sive (ut melius Salm. dicere debebant) permittere ut semen prodigatur, numquam liceat, quando semen extra vas uxoris effunditur, non vero quando intra immittitur, et per accidens, non autem ex ipso actu prodigitur, quia tunc matrix, ut dicunt aa. praefati, iam attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum tamquam superfluum expellit [9]. Utrum autem teneatur coniux reddere alteri petenti debitum situ innaturali sine iusta causa. *Vide dicenda n.* 946.

(1) D. n. 5. (2) D. c. 11. n. 3. (3) D. n. 1. (4) Num. 171. (5) De matr. c. 15. p. 5. n. 74. (6) L. c. (7) Num. 5. (8) N. 493. (9) An sit mortale mutare situm, si propter id casu aliquid seminis effunditur? affirmant Salmanticenses, sed communius negant Sanch. Pont. Castr. Boss. Perez, Hurtad. et Aversa. Hom. Ap. tr. 18. num. 39.

918. Quaer. 3. An peccent mortaliter coniuges, si incoepta copula cohibeant seminationem. Respondetur: si coniuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale, illa enim penetratio vasis foeminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter coniuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis, ita communiter s. Anton. [10] Pont. [11] Pal. [12] Laym. [13] Bonac. [14] Less. [15] Spor. [16] Salm. [17] cum Aversa et Dicast. Boss. [18] cum Fill. Hurtad. et Perez ac Sanchez [19] cum Palud. Caiet. Ang. Sa Arm. Tasi etc. Dixi 1. *si ambo consentiunt*, nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat, ut dicunt omnes aa. praefati. Dixi 2. *Per se loquendo*, nam sapienter advertit Sanchez [20] cum Veracrux, id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi coniuges experti sint oppositum, quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali, quidquid dicat Sanchez [21] cum aliis.

Si vero foemina iam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere sine gravi culpa, quia tunc ipse est causa ut semen uxoris prodigatur, communiter dicunt s. Anton. [22] Salm. [23] Holzm. [24] et Sanch. [25] cum Palud. Cai. Ang. Sa et alii passim. Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis vel scandali aliorum; tunc enim licite potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia haec per accidens et praeter intentionem eveniret, et contra non tenetur cum periculo tanti damni generationem procurare: ita com-

(10) 5. p. tit. 1. c. 20. §. 6. (11) L. 10. c. 11. n. 9 (12) P. 4. §. 3. n. 3. (13) L. 6. sect. 4. n. 19. (14) Quaest. 4. p. 6. n. 15. (15) L. 4. c. 3. n. 55. (16) Num. 490. (17) De matr. c. 15. p. 6. n. 32. (18) C. 9. n. 58. (19) L. 9. d. 19. n. 3. (20) L. c. (21) Ibid. (22) Loc. cit. (23) De matr. c. 15. p. 6. n. 31. (24) N. 461. (25) N. 4.

muniter Sanch. [1] Pal. [2] Diana [3] Boss. [4] cum Less. Aversa et Perez ac Salm. [5] cum Cai. Dicast. Hen. etc. Haec sunt certa apud omnes.

Si autem vir iam seminaverit, dubium fit an foemina lethaliter peccet si se retrahat a seminando, aut peccet lethaliter vir non expectando seminationem uxoris.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Aversa Hurtad. et Ochagav. apud Boss. [6] et probabilem putat Diana [7] atque videntur cohaerere Tab. et Arm. apud Sanch.[8], dum indistincte dicunt esse mortale, si altero seminante coniux a seminatione se retrahat. Ratio quia (ut aiunt) etiam semen mulieris active concurrit ad generationem, prout censent ex medicis Hippocrates Galenus Valesius et Petrus Matha apud Sanch.[9] et ex theologis Suar.[10] qui ait: *Semen maternum simpliciter necessarium est ad concipiendum filium.* Item d. Bonav. et Maior. apud Boss.[11] ac Caiet. Abul. et plures alii apud Sanchez[12] et ipsi Sanch. et Boss. hanc opinionem satis probabilem putant, saltem (ait Boss.) semen mulieris iuxta omnes valde confert prolis perfectioni, cum ad hoc saltem fuerit a natura institutum.

Secunda sententia vero communior negat et hanc tenent Sanch.[13] Pont.[14] Bon.[15] et Salm.[16] cum Cai. Henr. Dic. Veracr. etc. Hi contrario nituntur fundamento, nempe quod semen mulieris non sit necessarium ad generationem, ut asserunt Aristoteles Avicenna Galenus sibi contrarius ac Hugo senensis et Alb. M. apud Sanch.[17] qui ait hanc esse sententiam communem theologorum, exceptis scotistis. Nec obstare dicunt aa. huius secundae sententiae, quod semen foeminae conferat perfectioni prolis, nam respondent quod non teneantur coniuges ad convenientiorem modum generandi, sed satis est si generationi non obstent. Quamvis autem dicant praefati aa. non teneri virum expectare seminationem mulieris, si ipse iam seminaverit, concedunt tamen ei posse continuare copulam, usque dum seminet foemina, quia hoc pertinet ad complementum copulae uxoris, ut censent Pontius et Diana[18] Bon.[19] cum Cai. et Sanch.[20] cum Tab. et Graff. contra Henr. (apud Bonac.[21]) qui sentit virum non teneri expectare seminationem foeminae, quia periculum est ut hoc pacto impediatur generatio, quod non videtur satis probabile nec cohaerens, nam si adesset tale periculum, non debuisset dicere non teneri, sed non posse, quod nemo asserit, nemo enim hoc periculum supponit.

Sed redeundo ad primam quaestionem, esto secunda sententia sit quidem communior et probabilior, ut videtur, censeo tamen cum Boss.[22] primam sententiam esse satis probabilem, et ideo in praxi tenendam. Ratio quia non licet sequi opinionem probabilem cum damno tertii, cum autem hic agatur de damno prolis sive generationis adversus naturam, quae ius habet ut non impediatur generatio, cum ad hoc instituerit actum coniugalem, propterea ubi est periculum impediendi generationem non licet uti opinione probabili; ubi enim (ut diximus *l. 1. n. 42.*) agitur non de honestate actionis, sed de veritate rei, illicitum est sequi (ut omnes fatentur) opinionem probabilem pro libertate, adversus aliam stantem pro lege. Hinc neque practice probabile puto id quod dicunt Sanch.[23] et Spor.[24] cum Perez Escob. Dic. et Gob. nimirum posse mulierem in actu coitus animum ad alia divertere ne concitetur ad seminationem.

919. An autem, si vir se retrahat post seminationem, sed ante seminationem mulieris, possit ipsa statim tactibus se excitare ut seminet. Negant auctor *addit.* ad Wigandt[25] ac Diana et

(1) D. n. 4. (2) N. 5. (3) 3. p. tr. 4. r. 204. (4) N. 60. (5) Dict. n. 81. (6) Cap. 9. n. 51. (7) P. 5. tract. 14. r. 57. (8) Lib. 9. d. 19. n. 5. (9) L. 2. d. 21. n. 11. (10) T. 2. in 3. p. d. 10. sect. 1. v. secundo infertur. (11) D. num. 60. (12) L. c. (13) L. 9. d. 19. n. 9. (14) L. 10. c. 11. n. 2. (15) P. 6. n. 14. (16) Ibid. num. 80. (17) L. 9. d. 17. n. 9. (18) Locc. cc. (19) N. 14. (20) D. 17. n. 11. (21) L. c. (22) L. c. n. 32. (23) Num. 5. (24) Num. 491. (25) Tr. 16. post num. 106.

Rodr. apud Boss. [1] adhaeretque Pal. [2] (dicens id non esse licitum, si mulier posset se continere). Ratio quia semen mulieris non est necessarium ad generationem, item quia effusio illa mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. Communius vero affirmant Wigandt [3] Less. [4] Bon. [5] cum Sanch. [6] Pot. [7] Tamb. [8] Salm. [9] cum Dic. Fill. [10] Spor. [11] Boss. [12] cum Aversa Perez Fag. et Leand. ac Elb. [13] cum Cleric. Homob. Diana Gob. et Bosco, et non reprobat Concina [14]. Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum coniugalem, qui consistit in seminatione utriusque coniugis, unde sicut potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, ita etiam potest actum copulae perficere; tum quia, si mulieres post talem irritationem tenerentur naturam compescere, essent ipsae iugiter magno periculo expositae mortaliter peccandi, cum frequentius viri, quia calidiores, prius seminent (sed haec ratio non suadet, nam si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret, et vir maneret irritatus; at dd. communiter dicunt id vetitum esse viris, ut Sanch. [15] Wigandt et Bon. [16]), tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem, nihil enim a natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus quae frigidioris sunt naturae, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo. Vide Conc. [17].

920. « 7. Si in loco indebito, v. gr. sacro, qui inde violetur, vel in loco publico (*Vide dicta de hoc puncto l.* 3. *n.* 458. ubi diximus cum Nav. Vasquez Tol. Azor. Con. Pont. etc. quod licet probabile sit per copulam coniugalem occultam in ecclesia non committi sacrilegium, neque ecclesiam pollui, probabilius tamen est oppositum, nisi adsit necessitas, cum Suarez Sanchez Less. Bonac. Holzm. Croix Salm. etc. Etsi eo casu non tenentur clerici ibi abstinere a divinis officiis celebrandis, nisi concubitus ille habitus publicetur, ut dicunt iidem aa. et probatur in hoc *l.* 6. *n.* 364. quia ecclesia non censetur polluta quoad celebrationem officiorum, nisi crimen sit notorium notorietate facti).

921. » 8. Si absque urgente causa fiat tempore indebito, 1. in magna solemnitate, ut paschae vel pridie communionis. Vide Perez [18]. 2. Quando uxor est gravida, saltem si sit periculum abortus. Navar. Sylv. Sanch. Concina Fill. [19]. Hoc enim si non sit, non erit saltem mortale, quod enim tunc fine suo frustretur semen, non sequitur per se ex actu. Unde Diana [20] et Coninch. [21] nullum peccatum agnoscunt. 3. Quando uxor laborat fluxu menstruo. Quod tamen non esse mortale contra Azor. docet Sanch. [22]. Imo aliqui apud Dian. [23], ut Pont. [24], docent, nec veniale esse si periculum urgeat, quod Sanch. [25] docet esse probabile, additque M. Perez si ob finem honestum fiat nullum esse, et teneri reddere debitum uxorem, si maritus exigat [26]. »

922. Quaer. 1. An liceat coniugi coire die communionis. *Vide quae fusius diximus hoc. l.* 6. *n.* 273. *et* 274. ubi tenuimus esse veniale accedere ad eucharistiam die copulae habitae ob voluptatem, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Si vero copula est habita causa procreandae prolis, vel etiam incontinentiae vitandae, tunc est solum consilii a s. communione abstinere ex *c. Si vir* 7. *caus.* 33. *q.* 7. Et sic pariter est consilii abstinere die quo coniux reddidit debitum; a quo autem reddendo ordinarie loquendo propter communionem non potest eximi, nam aliquando potest honestis precibus re-

(1) L. 9. num. 54. (2) P. 4. §. 3. num. 6. (3) Tr. 16. n. 103. v. solve. (4) L. 4. c. 3. n. 94. (5) Q. 4. p. 6. n. 15. (6) L. 9. d. 17. num. 10. (7) T. 1. c. 4. n. 4310. (8) Dec. l. 1. c. 3. §. 5. n. 18. (9) C. 15. n. 30. (10) Tr. 10. n. 330. (11) N. 491. (12) Cap. 9. num. 55. (13) P. 479. num. 425. (14) P. 406. n. 11. (15) Num. 10. (16) L. c. (17) Num. 13. (18) D. 49. s. 3. (19) Num. 337. (20) P. 3. tr. 1. r. 204. (21) D. 34. dub. 9. (22) L. 9. d. 21. n. 2. (23) L. c. (24) L. 10. c. 11. et c. 14. num. 5. et 6. (25) L. c. (26) Vid dist. 49. s. 3.

sistere. Quid autem debeat confessarius respondere coniugi interroganti an teneatur reddere die communionis. *Vide dicta n. 274. v. Quid.* Post vero communionem sumptam nullum est peccatum reddere. An autem petere. Alii dicunt esse veniale, alii nullum; *vide ibi v. Die autem.*

923. Quaer. 2. An in diebus festivis vel ieiunii aut rogationum sit illicitus actus coniugalis. Commune est non esse vetitum tunc debitum reddere cum d. Th. [1] qui dicit: *Cum mulier habeat potestatem in corpore viri et e converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quacumque hora.* An autem sit vetitum petere.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent d. Thom. [2] s. Anton. [3] Concina [4], item Mag. sent. Alb. M. Palud. Gers. Sylv. Tab. etc. apud Sanch. [5]. Hoc tamen sub culpa veniali, ut ait d. Thom. cum aliis, non vero sub mortali, ut aliqui improbabiliter tenent apud Sanchez, quia tempus sacrum *non est circumstantia* (ratio s. d.) *trahens in aliam speciem peccati, unde non potest in infinitum aggravare.* Rationem autem cur sit veniale assignat idem angelicus dicens: *Actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus in quibus praecipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.*

Secunda sententia vero communior negat esse illicitum, et hanc tenent Sanch. [6] cum s. Bon. Scoto Cai. Arm. Soto Ang. Valent. etc., item Pontius [7] Pal. [8] Bon. [9] Salm. [10] cum Henr. Dic. Con. Aversa Led. etc. ac Boss. [11] cum Azor. Reg. Fill. Perez etc. Ratio quia id non habetur vetitum ullo iure, non divino, quia in festis sola opera servilia prohibentur, non ecclesiastico, quia diebus festivis et ieiunii, non obstante congressu maritali, bene possunt coniuges servare ea quae sunt de praecepto. Quod si canones et ss. patres videantur iis diebus expresse prohibere usum coniugii, dicunt praefati aa. id intelligi de consilio, non de praecepto, ut multis nititur probare Sanch. cum Glossa in canones et aliis interpretibus.

924. Quaer. 3. An liceat coire coniugibus tempore praegnationis. Commune est id non esse mortale, nisi adsit periculum abortus, ita omnes cum Sanch.[12] Pont.[13] Pal.[14] Salm.[15] Ronc.[16] et Boss.[17] ex d. Augustino[18] qui ait: *Coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge propter fidem tori, venialem habet culpam.* Idem docet d. Ambrosius [19]: *At vero homines nec conceptis ipsis, nec Deo parent, illos contaminant, hunc exasperant.* Nota tò *contaminant;* ergo supponit s. doctor periculum abortus. Item d. Hierom.[20]: *Postquam venter intumuerit, non perdant filios.* Item d. Th. [21]: *Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impraegnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.*

Censent autem Sylvest. Ang. et Tab. apud Sanch.[22] adesse periculum abortus si copula habeatur circa initium conceptionis, quia ex novo coitu materia illa nondum plene formata, facile dispergitur, nam licet matrix post conceptionem statim claudatur, tamen (ut ait Avicenna) ex vehementi delectatione coitus irritata, aliquando aperitur et materia effunditur. Hoc tamen non obstante, dicunt Pontius [23] Pal.[24] Sanchez[25] cum Ang. et Sylvestro (contra Tabien.) ac Boss.[26] cum Filliuc. Hurt. Perez et Raynaud, quod coire cum tali periculo non reputetur mortale, quia

(1) Suppl. q. 64. art. 7. (2) L. c. art. 1. (3) 3. p. tit. 1. c. 20. §. 11. (4) T. 10. p. 395. n. 10. (5) L. 9. d. 12. n. 3. (6) L. 9. d. 12. num. 5. (7) L. 10. c. 9. per totum. (8) P. 4. §. 4. n. 5. (9) Q. 4. p. 6. n. 28. (10) De matr. c. 15. p. 5. n. 58. (11) C 7. num. 34. (12) L. 9. d. 22. num. 3.

(13) L. 10. c. 14. n. 7. (14) P. 4. §. 4. n. 12. (15) De matr. c. 1. p. 6. n. 78. (16) P. 134. q. 3. r. 2. (17) C. 9. num. 35. (18) De bono coniug. c. 6. (19) In Luc. c. 1. (20) In can. origo, caus. 32 quaest. 4. (21) In 4. dist. 31. in fin. in expos. litt (22) Loc. cit. n. 1. (23) Dict. n. 7. (24) N. 11 (25) Dict. n. 1. (26) N. 13

(ut aiunt Sanch. et Bossius) cum materia non sit adhuc formata, et coniuges dent operam rei licitae, utendo iure suo, modo abortum non intendant, damnum illud non est tantum ut lethalem constituat culpam. Sed haec ratio mihi non probatur, quia cum per copulam noceatur vitae vel formationi prolis, coniux tunc non habet ius ad copulam. Potius videtur dicendum non adesse tale periculum, quia (ut dicunt idem Sanch. [1] Pal. [2] Boss. [3] Holzman [4] cum Illsung. et Bon. [5] cum Con. et Regin.) communiter non adest tale periculum, dum matrix recepto semine arctissime constringitur, nec ordinarie reseratur per coitum, ut tradunt ipse Avicenna et Valverdus apud Boss. [6] cum coniuges indiscriminatim accedant, et tamen abortus non succedunt, unde ait Boss. quod usquedum non constet experientia, aliquam uxorem ex coitu pluries foetum emisisse, non est praesumendum periculum abortus. Tanto minus autem aderit tale periculum, si habeatur copula tempore proximo partui, ut perperam aliqui dixerunt, putantes tunc exponi prolem discrimini suffocationis, nam verius (ut ait Boss.[7] cum Raynaudo) foetus humanus ita secundinis involvitur, ut eum non possit semen contingere. Hinc ait Petr. [8] periculum abortus non ita facile praesumendum, et ideo non esse vexandos coniuges importunis interrogationibus ut abstineant tempore praegnationis: *Quae enim* (ait) *spes eos a concubitu avocandi? et quale non timendum periculum, si a sua bona fide perturbentur?*

Utrum autem, secluso periculo abortus, sit culpa venialis habere coitum cum praegnante. Affirmant d. Ant. [9], item Sotus Palud. Alens. Palac. apud Sanch.[10] quia, stante foetu concepto, frustratur semen suo fine generationis. Idque confirmant ex auctoritate plurium ss. patrum. Negant vero Sanch.[11] cum Gabr. et Henr. Bon.[12] cum Fill. Pal.[13] Ronc.[14] Holzm.[15] Elbel[16] et Salmant.[17] cum Dicast. Aversa et Diana, tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum, tum quia esset onus gravissimum, et res exposita innumeris periculis peccandi venialiter, si coniuges tenerentur tamdiu abstinere ab usu coniugii, manendo in eodem toro. Respondent autem ad rationem oppositam, quod ut coitus sit licitus in matrimonio, sufficiat ut per se actus sit ad generationem idoneus; quod autem ipsa non eveniat per accidens se habet. Caeterum mihi arridet sententia quam tenent Pont.[18] Azor.[19] Boss.[20] cum Guil. Paris. Perez Con. Barbos. Fill. Hurt. Aversa etc., et huic se adnectunt etiam Pal. et Ronc.[21] nempe quod coitus cum praegnante non possit excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiae vel alia honesta causa, iuxta dicta *n.* 882. *dub.* 1. *etc.*

925. Quaer. 4. An licitum sit coniugibus coire tempore menstrui. Hic praenotandum quod fluxus mulieris alius sit naturalis et ordinarius, et iste proprie dicitur menstruus, quia communiter singulis mensibus solet in foeminis accidere, et durat ut plurimum per duos vel tres dies. Alius extraordinarius proveniens ex aliquo morbo diuturno, qui aliquando durat usque ad 12. dies et ultra. Tempore fluxus extraordinarii certum est licere tam reddere quam petere; ita communiter Sanch.[22] Pont.[23] Holzm.[24] Salm.[25] et Boss. [26] cum Azor. Reb. Fill. Hurt. etc. ex d. Th.[27] qui expresse hoc docet et rationem adducit dicens: *In fluxu menstruorum innaturali non est prohibitum ad menstruatam accedere in lege nova, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest, tum quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus, unde oportet quod vir perpetuo abstineret.* Tempore autem fluxus naturalis adsunt tres sententiae.

(1) N. 7. (2) D. n. 11. (3) D. n. 18. (4) P. 463. (5) Q. 6. part. 6. n. 12. (6) L. c. (7) N. 30. (8) T. 4. p. 447. (9) 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4. (10) D. d. 22. n. 4. (11) L. c. n. 6. (12) P. 6. n. 11. (13) P. 4. §. 4. n. 12. (14) P. 154. quaest. 3. r. 2. (15) N. 463. (16) N. 590. (17) De matr. c. 15. p. 6. n. 78. (18) L. 10. c. 14. n. 7. (19) T. 3. c. 31. quaest. 14. (20) C. 9. n. 36. (21) Locc. cc. (22) L. 9. d. 21. n. 1. (23) L. 10. c. 14. n. 5. (24) N. 462. (25) De matr. c. 15. p. 6. n. 76. (26) C. 9. n. 15. (27) In 4. d. 32. quaest. un. a. 2

Prima sententia damnat coitum de mortali, et hanc tenet idem d. Th. [1] qui dicit tempore huius menstrui peccare mortaliter tam virum voluntarie petentem, quam uxorem voluntarie reddentem; excipit si mulier quasi coacta debitum redderet. Eamdem sententiam tuentur s. Bonav. Alens. Scot. Tab. Palac. etc. apud Boss. [2]. Probatur 1. ex *Levit. c.* 20. *v.* 18. ubi dicitur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo et revelaverit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo.* Obiiciunt huic Sanch. [3] et Boss. [4] quod lex illa fuit caeremonialis, et ideo non obligat in lege evangelica. Sed respondet d. Th. [5] quod licet illud praeceptum fuerit caeremoniale quoad immunditiam, fuit tamen morale quantum ad *nocumentum* (verba s. d.) *quod in prole ex huiusmodi commixtione frequenter sequebatur*. Probatur 2. ex *can. fin. dist.* 5. ubi Gregorius papa: *Cum et sine partus causa, cum* (uxores) *in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur*. Probatur 3. ratione, tum quia proles eo tempore nascitura exponitur periculo nascendi leprosa et monstruosa, tum quia adest periculum semen frustra effundendi, cum raro vel nunquam eo tempore mater sit apta conceptioni.

Secunda sententia totaliter opposita dicit accessum ad menstruatam omni culpa carere; hanc tenent Glossa in *can. Si caus. v. Conceptus* 33. *q.* 14., item Perez Fill. et Hurt. apud Boss. [6] eamque Sanch. [7] putat aeque probabilem ac tertiam, quam mox referemus. Ratio quia hodie id nullo iure prohibetur, non divino, cum lex Levitici, adveniente lege nova, iam cessaverit. Nec obstare dicunt quod prohibitio illa non cessavit, quatenus fuit moralis propter vitandum damnum prolis, nam respondent quod testetur s. Hieron. [8] rationem prohibitionis in Levitico fuisse, quia illo tempore, ob sanguinem foemineum infectum ex coitu, foetus leprosi et elephantiaci nascebantur, sed hodie incertum est adesse tale damnum, et multo certius est mulierem tempore menstrui non concipere, ut dicunt Sanch. Pal. Boss. et Salm. [9] ac demum, etiamsi concipiant cum aliquo damno prolis, dicunt Sanch. [10] et Boss. [11] id non obstare, quia melius est prolem sic nasci, quam non nasci; forte enim postmodum non gigneretur, vel non esset eadem proles, unde proles beneficium recipit, non damnum; nec valet dicere quod si non proli, saltem sic infertur damnum naturae quae postulat ut proles modo convenientiori generetur; nam respondent quod si non infertur damnum proli, neque infertur naturae. Non prohibetur igitur iure divino, non iure ecclesiastico, nam ad textum Gregorii respondet Pontius [12] prohibitionem illam ecclesiasticam hodie exolevisse, imo verbum illud pontificis *prohibeantur*, explicatur ab aliis, ut dicit ibi Glossa: *prohibeantur, id est sub forma prohibitionis dissuadeantur*. Nec iure naturali, quia licet sit facile periculum eo tempore frustrandi semen, tamen ad coitum cohonestandum non requiritur ut ex eo sequatur generatio, sed sufficit quod coitus ille per se sit aptus generationi, esto per accidens semen dispergatur, ut accidit in accessu ad mulierem praegnantem aut sterilem. Neque (aiunt) in tali coitu adest indecentia culpabilis, nam (ut dicit Perez) illa est potius materialis. Hinc concludunt nullo modo peccare coniuges si eo tempore coeant, non iam ex affectu libidinis (quod non posset excusari a veniali), sed ut utantur iure suo cum moderata delectatione.

Tertia sententia demum communissima et probabilior dicit coitum, tempore menstrui, non esse mortale, sed non excusari a veniali; ita s. Antonin. [13] Navar. [14] Conc. [15] Pont. [16] Pal. [17] Ronc. [18] Holzm. [19] Bonac. [20] cum Henr. Led. et

(1) L. c. q. 3. ad 1. (2) C. 9. n. 16. (3) L. c. n. 2. (4) N. 16. (5) Dict. quaest. 2. (6) N. 20. (7) L. 9. d. 21. n. 7. (8) In c. 18. Ezech. (9) Locc. cc. (10) L. 9. d. 21. n. 7. (11) C. 9. n. 22. (12) L. 10 c. 14. n. 6. (13) 3. part. tit. 1. c. 20. §. 3. (14) C. 16. n. 52. (15) P. 598. n. 20. (16) L. 10. c. 14. n. 6. (17) P. 4. §. 4. n. 3. (18) P. 184. qu. 3. r. 3. (19) N. 462. (20) P. 6. n. 9.

Rodr. Salmant. [1] cum Aversa Vivald. Corneio et Soto Boss. [2] cum Sa Conin. Pal. Reg. Vill. Vega Graff. etc. ac Sanchez [3] cum Caiet. Abul. Arm. Vict. et Lopez. Quod non sit mortale, probat ratio adducta mox supra pro secunda sententia. Quod autem sit veniale probatur, quia talis concubitus, nolendo coniuges expectare tempus generationi aptius et iam brevi adventurum, involvit quamdam turpitudinem et deordinationem; cum foemina tunc sit inepta commodae receptioni et retentioni seminis, et ideo coitus tunc minus convenit fini generationis. Conveniunt autem Nav. Pal. Sanch. Salm. [4] et Boss. [5] cum Hurt. quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit aliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia aut incontinentiam in se vel in altero, aut alia similia.

An autem casu quo nulla adsit causa, uxor menstruata possit et teneatur debitum reddere, si maritus monitus nolit desistere. Affirmant Pal. [6] cum Con. Salm. [7] et Sanch. [8] cum Palud. Soto Led. etc. qui citat pro se etiam d. Th. [9], sed non bene, ut mox videbimus. Verum probabilius negandum cum Pontio[10] et Bon.[11] qui citat Sylv. Reb. et Henr. Ratio quia cum culpa, etiamsi venialis, se teneat ex parte actus, probabilius non tenetur coniux, neque potest licite debitum reddere: *vide dicenda n.* 946. Nec contrarius est nostrae sententiae d. Thom., nam [12] dicit tunc uxorem posse et teneri ad reddendum, *quando maius periculum timeretur in non reddendo*. Sed hoc non supponitur in nostro casu.

926. Quaer. 5. An sit illicitum coire tempore purgationis post partum. Certum est non teneri coniuges hodie observare tempus purgationis praescriptum in *Lev.* 12. ubi, cum mulier arcebatur ab ingressu templi per 40. dies in partu masculi et 80. foeminae, videtur eo tempore fuisse ei etiam interdictus coniugii usus. Sed hoc praeceptum iam cessavit, et sicut hodie puerperae non tenentur abstinere ab ingressu ecclesiae, ut dicitur in *c. un. de purific. post part.*, ita nec a coniugii usu, ut communiter dicunt Sanchez[13] Boss. [14] et alii passim cum s. Anton.[15] qui tamen addit, hoc non obstante, bene posse mulierem abstinere ab ecclesia et omittere audire missam, ubi talis est consuetudo, toto eo tempore vel saltem per sex hebdomadas, ut testantur esse communem usum Sporer et Elbel, *vide dicta l.* 3. *n.* 330. *v. Bene.* Circa autem quaesitum triplex adest sententia.

Prima sententia dicit esse mortale et hanc tenent Butrius et Alexander de Nevo apud Sanchez[16]. Ratio, tum quia in cit. *c. fin. dist.* 5. d. Gregorius id expresse vetitum declaravit, dicens: *Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri*, tum quia damnum infertur proli, si eo tempore concipiatur, ut ait Galenus apud Pontium[17].

Secunda sententia dicit nullum esse peccatum, ita Sanch.[18] cum Ang. Henr. Palac. Turrecr. Holzman [19] ac Filliuc. Perez Vill. et Hurt. apud Boss.[20]. Quia (ut aiunt) huiusmodi immunditia est tantum materialis, non moralis.

Tertia sententia probabilior et communior quam tenent s. Anton.[21] cum Rich. et Pet. de Palud. Pontius[22] Pal.[23] Ronc.[24] Boss.[25] cum Azor. Ochag. et Led., item Sotus Palud. Tab. Lop. etc. apud Sanch.[26] dicit esse veniale, non autem per se mortale. Est veniale, quia talis coitus continet aliquam indecentiam; unde nisi excuset causa honesta, nempe periculum incontinentiae vel dissidii vel alia similis, nequit ab omni culpa excusari. Non autem est mortale per se loquendo, quia talis indecentia non videtur tanta ut mortalem culpam

(1) De matr. c. 15. p. 6. n. 76. (2) C. 9. n. 22. (3) Dict. d. 21. n. 5. (4) Locc. cc. (5) N. 15. (6) P. 4. §. 4. n. 9. (7) De matr. c. 15. p. 6. n. 77. (8) D. 21. n. 96. (9) D. 32. art. 2. q. 5. (10) C. 11. n. 5. (11) P. 6. n. 10. (12) L. c. in resp. ad 5.

(13) L. 9. d. 22. n. 8. (14) C. 7. n. 130. (15) 3 p. t. 1. c. 20. §. 4. (16) L. c. d. 22. num. 9 (17) L. 10. c. 14. n. 8. (18) N. 11. (19) N. 464 (20) C. 9. n. 42. (21) L. c. (22) D. n. 8. (23) P. 4 §. 4. n. 16. (24) P. 134. q. 5. r. 5. (25) N. 44 (26) N. 10.

inducat. Ad prohibitionem vero d. Gregorii respondet Pontius illam hodie exolevisse; at d. Antonin. cum Guill. respondet eam fuisse de congruitate, non de praecepto. Ad rationem autem nocumenti prolis respondetur quod tale damnum vel non accidet, cum difficile sit eo tempore mulierem concipere, vel non erit grave. Dicitur autem *per se loquendo*, nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus vel notabilis aggravatio morbi immineret, ut dicunt s. Antoninus et Sanch.[1] cum Palud. Sylvest. Ang. etc. Huiusmodi periculum etiam prudenter timeri potest, ut ait Roncag., si coitus habeatur statim post partum, nempe eodem die vel sequenti, ut medicus valde peritus mihi asseruit.

927. « Ex dictis casibus consequenter resolvitur licitum esse uti matrimonio 1. Prolis causa, etsi haec non necessario debeat intendi dum exercetur, dummodo positive non impediatur. Imo etiam aliquando simplici affectu licite excludatur, v. g. a paupere, ne nimium prolibus gravetur. 2. ad vitandum periculum incontinentiae in se vel comparte. Mart. Perez [2] ex Conin. Pont. Hurt. etc. contra Sanch. qui vult esse veniale, nisi tamen stimuli carnis aliter sedari non possint. *(Vide dicta n.* 882. *dub.* 1., iidem enim fines, quos habere licet ad matrimonium contrahendum, cohonestant etiam petitionem copulae.). 3. Valetudinis causa vel propter alios fines extrinsecos, quia honestum ex natura sua et relatum ad unum finem, licite refertur ad alium isti non repugnantem, ut docent Sa Coninch. Layman [3] Mart. Perez [4]. Vide Diana [5]. Solius tamen sanitatis causa uti, probabile est esse veniale, ut docent s. Th. Laym.[6] contra Mart. Perez. etc.[7] (*Vide n.* 883. *dub.* 2.). »

928. Hic quaeritur 1. An aliquando vir teneatur petere. Per se loquendo non tenetur petere, tenetur vero per accidens, nimirum si uxor tacite exigat; puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet, quia in mulieribus ob innatam etiam verecundiam talia signa habentur pro vera petitione, ita communiter Sanchez [8] et alii universe ex d. Th. [9] qui: *Quando vir percipit per aliqua signa quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet .... tenetur reddere.* E converso recte dicit Sanch.[10] cum Soto et Palac. ex eodem d. Th.[11] non teneri mulierem reddere viro, nisi hic expresse petat, cum enim non pudeat viros expresse exigere, bene possunt uxores praesumere quod viri expresse non petentes nolint ipsas obligare ad petendum; imo ego sentio nec posse, quia nequit maritus obstringere mulierem, ut cum tanta sua erubescentia debitum petat. Recte tamen excipit Sanch.[12] cum s. Anton. Nav. Sylv. et Manuel., nisi talis erubescentia potius praesumatur aliquando (quod caeterum raro accidit) esse ex parte viri, quam foeminae; puta si illa esset maximae auctoritatis aut ferae conditionis et vir valde pusillanimis ac verecundus. Regulariter tamen (bene subdit Sanchez) non tenetur uxor reddere, nisi evidenter ei constet de hac pusillanimitate et pudore mariti.

929. Quaer. 2. An uxor teneatur aliquando petere debitum. Certum est primo, ordinarie non teneri uxorem ad petendum, quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. Certum secundo, quod cum alter coniux sit in periculo incontinentiae, tam vir quam uxor teneatur petere, ad liberandum alterum a periculo; ita communiter Pontius[13] Sanchez [14] cum Soto Adrian. etc. ac Boss.[15] cum Fill. Henr. etc. Sed dubium fit an teneatur uxor tunc petere ex caritate vel ex iustitia.

Prima sententia, quam tenent Pont.[16] et Boss.[17] cum Led. Henr. Diana et p. Soto, dicit teneri ex iustitia. Ratio quia, cum teneantur coniuges servare

(1) N. 11. (2) D. 40. s. 2. (3) L. 5. t. 10. p. 3. c. 4. (4) D. 49. sect. 2. n. 4. (5) P. 2. t. 4. r. 213. (6) L. c. (7) Locc. cc. (8) L. 9. d. 2 n. 3.

(9) Suppl. 3. p. q. 64. art. 2. (10) Num. 8. (11) In 4. d. 32. qu. un. art. 3. ad 2. (12) L. c. (13) L. 10. c. 2. n. 3. (14) L. 9. d. 2. num. 9 (15) C. 1. n. 17. (16) L. c. (17) N. 21.

bonum fidei, quando alter est in periculo incontinentiae, tunc esto non petat alter, ipsa tamen necessitas petit ut bonum fidei servetur vitando alterius incontinentiam; ideoque tunc potius est redditio quam petitio debiti. Confirmatur exemplo; si enim medicus teneatur ex contractu mederi aegroto, tenetur ex iustitia exhibere ei medicinam, quamvis ille non petat. Et huic sententiae videtur adhaerere d. Th. [1] qui dicit: *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum, quia haec est quaedam redditio debiti, quae ad bonum fidei pertinet.*

Secunda sententia vero quae videtur probabilior et quam tenet Sanch.[2] cum Palud. et Durand. ac Con. apud Boss[3]. dicit teneri tantum ex caritate. Ratio quia ubi nulla est petitio alterius coniugis expressa vel tacita, nulla adest obligatio iustitiae ad reddendum. Ad bonum autem fidei matrimonii spectat quidem ut coniux non adulteretur, non vero ut avertat alterum ab adulterio; licet enim hoc etiam quodammodo pertineat ad bonum fidei, non tamen ita pertinet ut stricte obliget ex iustitia ad petendum; ideo a d. Th. huiusmodi petitio non dicitur absolute redditio, sed *quaedam redditio debiti;* et hoc adducit s. doctor tantum ad excusandum petentem, si petat ad vitandam incontinentiam in altero, non vero ad obligandum ut petat. Nec obstat exemplum medici: medicus enim tenetur utique praebere medicinam infirmo non petenti, quia ex contractu se obligavit ad eum curandum; coniux autem se obligavit ad non frangendam fidem, non vero ad impediendum alterum quominus fidem frangat. Ex hac sententia infertur quod coniux, cum non teneatur ex iustitia, sed tantum ex caritate eo casu ad petendum, non teneatur petere cum magno incommodo; hinc probabiliter tunc excusatur uxor a petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet.

(1) Supp. q. 49. ar. 5. ad 2. (2) Dict. d. 2. n. 7. (3) N. 22. (4) L. 9. d. 7. n. 5. (5) C. 1. n. 251.

930. Quaer. 3. An coniux prohibitus a petendo ratione voti vel affinitatis aut cognationis spiritualis post matrimonium contractae, possit quandoque licite exigere debitum. Id admittunt communiter dd. cum Sanch.[4] (qui citat Ioan. Andr. Praepos. Adrian. Vict. etc.) si adsit periculum incontinentiae in altero coniuge: imo dicunt Boss.[5] et idem Sanch.[6] cum Pet. Sot. Henr. Palac. Angles. tunc teneri petere, quia haec obligatio oritur ex ipsa institutione matrimonii. Item admittunt etiam communiter s. Thom.[7] Boss.[8] et Sanch.[9] cum Sa Sylv. Ang. Turrecr. Henr. Led. etc. posse coniugem impeditum petere, si alter interpretative exigat, nempe quando *mulier* (ut ait d. Thom.) *verecunda est, et vir sentit eius voluntatem de debiti redditione.* Tunc enim potest coniux impeditus se offerre, quia tunc potius est reddere quam petere. Quoties autem liceat ei se offerre. Led. apud Sanch. dicit hoc licere quater in mense, sed melius Boss.[10] et idem Sanchez cum Victoria dicunt id ex circumstantiis esse pensandum, nempe ex maiori vel minori propensione alterius ad venerem. Censent autem idem Boss.[11] et Sanchez[12] cum Ang. non licere marito voto impedito se ad coitum offerre, quando uxor ei concessit licentiam vovendi castitatem, quia tunc censetur ipsa, nisi (excipiunt cessisse iuri suo, nempe quod vir in eius gratiam debitum petat; Sanchez et Bossius contra Conin. et Pal.) uxor esset in periculo incontinentiae, quo casu dicunt quod vovens teneatur petere ex obligatione orta, ut supra dictum est, ex ipsa institutione matrimonii.

An autem liceat petere coniugi impedito, si ipse sit in periculo incontinentiae. Affirmant Viguerius et Quint apud Boss.[13], maxime si ille esset impeditus ratione affinitatis vel cognationis spiritualis, et commode non posset haberi dispensatio, essetque peri-

(6) N. 14. (7) In 4. d. 38. q. 1. a. 3. (8) C. 1 n. 261. (9) D. 3. n. 1. (10) N. 260. (11) N. 263 (12) N. 2. (13) N. 262.

culum in mora, quia lex ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. Negant vero Sanch.[1] cum Guttier. et Cov. Boss. [2] cum Coninch. etc., quia periculum incontinentiae quidem est iusta causa dispensandi, non autem coeundi. Sed prima sententia respectu ad impedimentum ab ecclesia impositum, mihi non videtur improbabilis, si revera dispensatio brevi obtineri nequeat et magnum periculum sit in mora; idque magis firmatur ex quaest. seq.

931. Quaer. 4. An liceat coniugi excommunicato petere debitum, et an petere ab excommunicato. Quod liceat coniugi petere ab excommunicato, certum est ex *c. Quoniam multos, caus.* 11. *q.* 3. ubi d. Greg. VII. expresse id concedit. An autem liceat excommunicato etiam petere. Negat Glossa *in c. cit. v. Uxores;* et aperte videntur consentire Archid. Sylv. Lop. et Tab. apud Sanch.[3], quia in bulla Martini v. *Ad evitanda*, excommunicatis, quoad communicationem cum fidelibus, nullum privilegium conceditur. Sed communiter et verius affirmant Suar.[4] Bon.[5] Sanch. [6] cum Henriq. et Ugolin. ac Boss.[7] cum Palud. Sayr. Con. Avila Fill. Bordon. etc. Ratio quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset separari ab altero coniuge (ut revera non potest) et non posset petere.

932. « Quaeres an et quando liceant tactus, aspectus et verba turpia inter coniuges.

» Resp. Tales actus per se iis licent, quia cui licitus est finis, etiam licent media et cui licet consummatio, etiam licet inchoatio. Unde licite talibus naturam excitant ad copulam. Quod si vero separatim et sine ordine ad copulam, verbi gratia, voluptatis causa tantum fiant, sunt venialia peccata, eo quod ratione status qui illos actus cohonestat habeant ius ad illos: nisi tamen, ut saepe contingit, sint coniuncti cum periculo pollutionis aut coniuges habeant votum castitatis, tunc enim sunt mortalia, ut dictum supra *l.* 3. *t* 4. *c.* 2. *d.* 4. Diana [8].

Unde resolves:

» 1. Coniux venialiter tantum peccat 1. Tangendo seipsum ex voluptate et tactum non ita expresse referendo ad copulam, ut contra Vasq. et alios probabiliter docet Sanchez [9]. 2. Oblectando se veneree, sine periculo pollutionis de actu coniugali cogitato, dum abest compars vel actus exerceri non potest. Fill. Laym. Tann. Malder. cum Diana[10] contra Navar. Azor. etc.

» 2. Peccat graviter 1. vidua quae se veneree oblectat de copula olim habita, quia est illi illicita per statum. 2. Bigamus qui in actu coniugali cum secunda exercito repraesentat sibi priorem et de ea carnaliter delectatur, quia est permixtio cum aliena. Lay.[11] vide supra *l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *et l.* 5. *c.* 1. *d.* 2. *a.* 2. (Et idem diximus *l.* 5. *n.* 24. de sponsis, quibus illicitum est delectari de futura, etiam ex appetitu rationali, etsi non carnali). »

933. Qu. 1. An sint mortales tactus et aspectus turpes inter coniuges propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, si non adsit periculum pollutionis. Affirmant s. Anton. Sylvius Margar. etc. apud Sanchez [12], quia (ut dicunt) omnis actus venereus, non relatus ad copulam coniugalem, est mortalis. Negat vero sententia communis et verior eamque tenent Laym.[13] Pal.[14] Less.[15] Bonac.[16] Sporer[17] Sanch.[18] cum Abul. Vict. Ang. Arm. Sa Med. Ledes. etc. Salm.[19] cum Henr. Aversa Perez et Diana Boss.[20] cum Vasq. Fagn. Vill. et Hurt. ac Croix[21] cum Soto Tol. Cai. Con. Fill. et pluribus aliis. Ratio quia status coniugalis sicut cohonestat copulam, ita etiam huiusmodi tactus et aspectus; alias enim, cum sit tanta inter coniuges societas et ipsi multoties

(1) N. 7. (2) N. 262. (3) L. 9. d. 14. n. 19. (4) De censur. d. 15. sess. 4. n. 9. (5) Eod. tit. 2. d. 2. p. 6. §. 2. n. 20. (6) N. 20. (7) C. 1. n. 232. (8) P. 3. t. 4. r. 204. et 216. (9) Lib. 9. dub. 44. (10) P. 3. t. 4. res. 224. (11) L. 1. t. 9. c. 6.

(12) L. 9. d. 44. n. 11. (13) L. 3. s. 4. n. 12. (14) P. 4. §. 2. (15) L. 4. c. 3. n. 125. (16) Q. 4. p. 3. n. 12. (17) N. 502. (18) Dict. d. 44. n. 12. (19) De matr. c. 15. p. 6. n. 34. (20) C. 7. n. 157. (21) N. 341.

non possint coire, iugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem delectatio quaesita in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspectibus. Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum vel esset impossibilis ob impotentiam quae supervenisset, ut dicunt Sanch.[1] Croix[2] et Boss. [3] cum Con. Fag. Aversa Fill. Villal. etc. quia, cum copula sit licita inter coniuges, tactus inter ipsos non possunt esse graviter illiciti. Secus vero dicendum si coniux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream, voluntarie captam; ita communiter Sanch.[4] et Boss.[5] cum Vasq. Fill. Con. et aliis. An autem idem procedat, si coniux sit impeditus a copula ob affinitatem vel cognationem spiritualem contractam. Affirmat Aversa apud Bossium,[6]quia cui vetita est copula, vetiti etiam sunt tactus qui sunt dispositiones ad copulam. Sed negat Boss.[7] cum Fag. Fill. et Perez, quia lex prohibens copulam, cum sit poenalis aut inhibitiva, non est extendenda ad tactus. Caeterum in praxi impeditus ordinarie se debet abstinere ab huiusmodi tactibus, praesertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis vel petitionis copulae contra prohibitionem petendo.

934. Quaer. 2. Quid, si coniuges ex his turpibus tactibus praevideant pollutionem secuturam in se vel in altero. Plures adsunt sententiae.

Prima sententia, quam tenent Sanchez [8] Filliuc.[9] Viva[10] Escob.[11] Elbel[12] cum Herincx et Sporer[13] cum Perez et Gob., id excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam et modo tactus non sit adeo turpis ut iudicetur inchoata pollutio (prout esset digitum morose admovere intra vas foemineum); ac praeterea adsit aliqua gravis causa talem tactum adhibendi, nempe ad se praeparandum ad copulam vel ad fovendum mutuum amorem. Ratio quia tunc iusta illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter coniuges; et si pollutio obveniat, hoc erit per accidens. Dicitur *si adsit gravis causa*, nam si non adsit, praedicti actus non excusantur a mortali.

Secunda sententia quam tenent Pal.[14] Boss.[15] et Salm.[16]cum Soto Caiet. Dec. Led. Hurt. Aversa et communi, ut asserit, distinguit et dicit esse mortalia tactus impudicos si praevideatur pollutio ex eis provenienda; quia, cum hi proxime influant ad pollutionem et non sint per se instituti ad fovendum affectum coniugalem, censentur voluntarii in causa; secus si sint pudici, ut oscula et amplexus, quia actus isti per se inter coniuges sunt liciti, cum per se apti sint ad fovendum coniugalem amorem.

Tertia sententia, quam tenet Diana[17] cum Praepos. et Vill. dicit tactus tam impudicos quam pudicos esse mortalia, si praevideatur periculum pollutionis. Ratio quia ideo tactus licent inter coniuges, in quantum quaeruntur intra limites matrimonii, in quantum nihil sequitur repugnans fini et institutioni seminis; cum autem praevidetur seminis dispersio, licet non intendatur, qualescumque tactus sunt illiciti.

His sententiis positis, puto probabilius dicendum quod tactus turpes inter coniuges cum periculo pollutionis, tam in petente quam in reddente sint mortalia, nisi habeantur ut coniuges se excitent ad copulam proxime secuturam, quia cum ipsi ad copulam ius habeant, habent etiam ius ad tales tactus, tametsi pollutio per accidens copulam praeveniat. Tactus vero pudicos etiam censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu quo habeantur ob solam voluptatem vel etiam ob levem causam: secus si ob causam gravem, puta si aliquan-

(1) N. 20. et 22. (2) N. 339. (3) N. 199. (4) D. d. 44. n. 26. (5) C. 7. n. 201. (6) N. 200. (7) Ibid. (8) L. 9. d. 43. n. 54. (9) Tr. 5. c. 9. n. 336. (10) Quaest. 7. a. 4. n. 4. (11) L. 26. n. 207. (12) N. 395. (13) N. 500. (14) P. 4. §. 2. n. 2. (15) C. 7. n. 215. (16) De matr. c. 15. p. 6. n. 38. (17) P. 6. tract. 7. r. 65.

do adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem vel ut coniux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus. Probabiliter dicunt Sanchez [1] Bossius [2] et Escob. [3] in reddente tactus etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei, ad quam obligatur propter ius petentis qui, tametsi peccet, non tamen ius amittit, cum culpa se teneat ex parte personae, iuxta dicenda *n.* 944.

935. An autem sit semper mortale si vir immittat pudenda in os uxoris. Negant Sanch. [4] et Boss. [5] cum Fill. ac Perez, modo absit periculum pollutionis. Sed verius affirmant Spor. [6] Tamburin. [7] et Diana [8] cum Fagund., tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia haec per se videtur nova species luxuriae contra naturam (dicta ab aliquibus *irrumatio*); semper enim ac quaeritur a viro aliud vas, praeter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriae. Excipit tamen Spor. [9] cum Fill. et March. si id obiter fiat; et hoc revera sentire videtur etiam Sanchez dum excusat actum illum a mortali, si cesset omne periculum pollutionis. Excipit etiam Pal. [10] si vir hoc faceret ut se excitet ad copulam naturalem; sed ex praedictis neutrum admittendum puto. Eodem autem modo Sanchez [11] damnat virum de mortali, qui in actu copulae immitteret digitum in vas praeposterum uxoris, quia (ut ait) in hoc actu adest affectus ad sodomiam. Ego autem censeo posse quidem reperiri talem affectum in actu, sed per se loquendo hunc affectum non agnosco in tali actu insitum. Caeterum graviter semper increpandos dico coniuges huiusmodi foedum actum exercentes.

(1) D. d. 35. n. 34. (2) D. n. 203. (3) N. 207. (4) L. 9. d. 17. n. 5. (5) C. 7. n. 175. et 193. (6) De matrim. n. 496. (7) L. 7. c. 3. §. 5. n. 35. (8) P. 6. tr. 7. r. 7. (9) L. c. (10) P. 4. §. 2. n. 6. (11) [illegible] n. 52. (12) P. 4. [illegible]

936. Quaer. 3. An sint mortalia tactus turpes quos coniux habet cum seipso, altero absente et secluso periculo pollutionis.

Prima sententia negat quam tenent Pal. [12] Escob. [13] Boss. [14] cum Perez Hurtad. Ochag. apud Sanch. [15] cum Palud. et Lopez et pro hac sententia Salm. [16] citant etiam d. Thomam [17]. Ratio quia huiusmodi tactus ab ipso statu coniugali cohonestantur, cum de natura sua ordinentur ad copulam; et ideo, secluso periculo pollutionis, non possunt esse in coniuge graviter illiciti, etsi copulam de praesenti ipse non posset consummare.

Secunda sententia vero probabilior et in praxi omnino suadenda affirmat, et hanc tenent Laym. [18] Diana [19] (quamvis hic auctor sit valde benignus) Sporer [20] cum Arm. et Vasq. ac Salmant. [21] cum Aversa Sanctio Salas Montesin. Dic. et Ant. a Sp. s. Ratio, tum quia coniux non habet ius per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum ut possit se disponere ad copulam; unde cum copula tunc non sit possibilis, tactus cum seipso omnino ei sunt illiciti, tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose et cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum eius periculo.

937. Quaer. 4. An sit mortalis delectatio morosa in coniuge de copula habita vel habenda, quae tamen non possit haberi de praesenti. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pont. [22] Wig. [23] Sylv. ac Vega Rodr. et Dicast. apud Salm. [24] qui probabilem vocant. Ratio quia talis delectatio est quasi inchoata pollutio, quae, cum eo tempore non possit haberi modo debito, omnino fit illicita.

Secunda sententia vero communior

(14) C. 7. n. 205. et 207. (15) L. 9. d. 44. n. 15. (16) De matr. c. 15. p. 6. n. 87. (17) Quaest. 6. de bon. matr. dub. 26. n. 138. (18) Tr. 3. c. 6. n. 12. (19) P. 3. t. 4. r. 215. (20) N. 503. (21) L. c. (22) L. 10. c. 16. n. 11. (23) Tr. 4. num. 59. (24) Ibid. n. 83.

negat eamque tenent Bonac.[1] Escob.[2] Spor.[3] Croix[4] cum Suarez et Gerson Boss.[5] cum Fill. et Perez et Sanchez[6] cum s. Anton. Palud. Arm. Caiet. Met. Viguer. Tab. et communi, ut asserit, utque fatetur etiam Pontius, item Coninch. Aversa Gabr. et Diana ap. Salmant.[7] qui etiam probabilem putant. Haec sententia dicit talem delectationem non esse mortalem, si absit periculum pollutionis, sed tantum venialem. Est venialis, quia ipsa caret debito fine, cum non possit ordinari ad copulam praesentem. Non autem est mortalis, quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab obiecto; et cum copula sit licita coniugatis, non potest esse eis graviter illicita illius delectatio. Et huic expresse favet id quod ait d. Thom.[8] qui ait: *Sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale coniugato, non potest esse gravius peccatum consensus in delectationem quam consensus in actum.* Idque admittit Sporer etiamsi habeatur delectatio venerea orta ex commotione spirituum.

Tertia sententia demum quam tenet Salm.[9] distinguit et dicit quod si delectatio sit absque commotione spirituum non erit mortalis, secus si cum commotione et titillatione partium.

Ego meum iudicium proferam. Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio cum Conc.[10] (contra Spor. ut supra) eam non posse excusari a mortali, quia talis delectatio est proxime coniuncta cum periculo pollutionis. Secus vero puto dicendum si absit illa voluptuosa titillatio, quia tunc non est delectationi proxime annexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum, et sic revera sentit Sanchez[11] cum Vasq. cum non excuset delectationem cum voluptate venerea, sed tantum (ut ait) cum commotione et alteratione partium absque pollutionis periculo. At quia talis commotio propinqua est illi titillationi voluptuosae, ideo maxime hortandi sunt coniuges ut abstineant ab huiusmodi delectatione morosa. Item advertendum eam esse omnino illicitam in coniuge qui esset obstrictus voto castitatis, ut dicunt communiter Sanch.[12] et Bossius[13] cum Vasq. Fill. et aliis.

Art. II. An actus coniugalis sit praeceptus et debitus.

938. *Coniuges per se tenentur reddere et quandoque etiam petere.*

939. *Tenentur etiam ad cohabitationem, nisi adsit iusta causa excusans. Dub. 1. An possit vir expellere uxorem ob dotem non solutam. Dub. 2. An teneatur eam alere, non soluta dote. Dub. 3. An si ipsa adulterium commiserit.*

940. *De obligatione reddendi debitum. Qu. 1. An sit mortale negare debitum semel vel bis. Quid si alter remisse petat vel si precibus cedat. Quid si immoderate petat. Quid si alter differat reddere ad breve tempus.*

941. *Qu. 2. An multiplicitas filiorum possit esse causa iusta negandi debitum.*

942. *Peccat coniux reddens se impotentem.*

943. *Qu. 1. An coniux teneatur reddere alteri illicite petenti.*

944. *Dub. 1. Quid si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis etc.*

945. *Dub. 2. Quid si petens sit incestuosus.*

946. *Qu. 2. An coniux teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali.*

947. *Qu. 3. An liceat reddere vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incoeptam.*

948. *An coniux teneatur et possit reddere, si mutuo cum altero voverit castitatem. Quid si alter sit amens vel ebrius.*

949. *Incestuosus et vovens castitatem non potest petere, sed tenetur reddere.*

950. *Coniux non tenetur reddere cum gravi damno suo vel prolis. An teneatur reddere alteri laboranti morbo contagioso. Quid si damnum sit leve et alter sit leprosus. Quid si damnum sit grave. An tunc possit reddere. Ex quibus causis possit coniux reddere cum gravi periculo salutis.*

951. *An coniux possit reddere cum periculo prolis.*

952. *An teneatur reddere uxor laborans febri vel tempore menstrui aut praegnationis aut si alter petat modo innaturali.*

953. *Quid, si uxor experta sit in pariendo periculum mortis vel filios parere mortuos.*

954. *An aliquando liceat impedire generationem. Quando peccet uxor surgens aut mingens statim post copulam. Dub. 1. An puella oppressa possit statim expellere semen. Dub. 2. An liceat copulari senibus vel infirmis, plerumque non valentibus seminare intra vas.*

938. « Resp. 1. Etsi coniuges nulla

(1) P. 4. quaest. 8. num. 12. (2) Num. 204. (3) N. 505. (4) Num. 537. (5) C. 1 n. 215. (6) L. 9. d. 44. num. 3. (7) Ibid. num. 39 (8) De malo quaest. 15. a. 2. ad 17. (9) De matr. c. 15. p. 6. n. 90. (10) P. 403. n. 10. (11) L. c. n. 4. (12) D. d. 44. n. 26. (13) C. 7. n. 201.

lege obligentur ad usum matrimonii, tenentur tamen per se ex iustitia sibi reddere debitum, si alter ab altero expresse vel tacite, verecundia scilicet obstante, petat. Ratio prioris est quia non tenentur uti suo iure. Ratio posterioris sequitur ex natura contractus mutui. S. Thom. [1] etc. communiter ex 1. *Cor.* 7.

Unde resolves:

» 1. Neuter tenetur, per se loquendo, ad petendum debitum, etsi per accidens aliquando teneatur, vel ex caritate, v. gr. ad avertendum periculum incontinentiae imminens coniugi. Vide Perez [2] (*Vide dicta n.* 928. *et* 929.) vel ex iustitia legali, eo quod salus publica periclitetur nisi proles nascatur.

939. »2. Coniuges tenentur ad cohabitationem, nec potest alter ab altero invito diutius abesse sine necessitate, quia haec obligatio sequitur ex obligatione reddendi debitum. Sanch. [3] Coninch. [4] Perez [5]. »

Certum est coniuges teneri ex obligatione iustitiae ad cohabitandum in eadem domo, mensa ac toro; vide Sanchez [6] et Boss. [7]. Hinc infert neminem coniugum posse alio discedere, altero invito, ad longum tempus, ut habetur ex *c.* 1. *de coniug. lepros.* nisi adsint iustae causae, nempe ob bonum publicum vel ad alendam aut tuendam familiam vel ad vitandum damnum ab inimicis, ut dicunt Sanch. [8] Layman [9] Pal.[10] et Boss.[11] cum Aversa Villal. et aliis. Dicit autem Boss.[12] cum Tolet. et Sayrō, quod si vir diu deberet alibi manere, teneretur, si commode potest, uxorem eo adducere ut secum cohabitet. An autem uxor teneatur sequi virum propter cohabitationem. *Vide dicenda n.* 977.

Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subiecta illius voluntati, et non deceat statum mulierum peregrinari; ita Sanch.[13] Pal.[14] et Boss.[15] cum Laym. Vill. Fag. et Perez ex d. Th.[16]. Ex mutuo autem consensu bene possunt coniuges invicem separari, modo absit periculum incontinentiae et nocumentum prolis educandae. Sanchez[17] et Boss.[18] cum Fill. Vill. Perez Fag. et aliis, ex illo apostoli [19]: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas.*

Dubit. 1. an liceat viro non cohabitare cum uxore, eamque expellere a domo ob dotem promissam et non solutam. Affirmant Panor. Armilla Tab. et Gomez apud Boss.[20] quia vir non tenetur alere uxorem si dos non sit soluta, ergo neque tenetur cohabitare, quamvis tenetur reddere debitum. Sed negant probabilius et communius Sanchez [21] Pal.[22] Mol. [23] Boss. [24] cum Reb. Henr. Reg. Vill. Fag. etc. Ratio quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa lege naturali et divina qua vir tenetur debitum reddere uxori, et ideo cum ea habitare; unde dicunt aa. praefati (contra tamen Mol. et Reb.) quod etiamsi vir non adhuc uxorem traduxerit in domum suam, teneatur traducere, non obstante quod dos non fuerit soluta.

Sed hic dubit. 2. An vir teneatur alere uxorem, non soluta dote. Communiter negant dd. si culpa promittentis intervenit: ita Sanchez[25] Bon.[26] Boss.[27] et Salm. [28] cum Fag. et Trull. ac alii passim *ex l. Pro oneribus c. de iure dotium*, ubi dicitur ideo constitui dos, ut ex ea vir uxorem alat. Excipe tamen 1. nisi vir duxerit sine promissione dotis, Sanchez[29] cum Host. Praepos. et Sylv. ac Salm.[30] cum Abb. Mol. Bon. etc. Excipe 2. si uxor sit in viri obsequio, tunc enim saltem ut famulam tenetur eam alere. Salmant.[31] cum Abb.

(1) In 4. d. 32. q. 1. art. 2. (2) D. 50. s. 2. n. 4. et 5. (3) L. 9. d. 4. (4) D. 34. d. 2. n. 19. (5) D. 50. s. 3. (6) L. 9. d. 4. n. 2. (7) C. 6. §. 7. n. 2. (8) N. 12. (9) C. 1. n. 3. (10) P. 5. §. 1 (11) N. 4. et 6. (12) Num. 12. (13) Num. 13 (14) N. 5. (15) N. 8. (16) Quodlib. 4. art. 11.

(17) N. 5. (18) N. 18. (19) 1. Cor. 7. (20) C. 6. n. 26. (21) L. 9. d. 5. n. 17. (22) §. 2. n. 5 (23) De iust. d. 245. §. si marito. (24) C. 6. n. 28. (25) L. 9. d. 5. n. 2. (26) P. 7. n. 7. (27) C. 6. n. 29. (28) De iv. praec. c. unic. p. 3. §. 1. n. 50. et 55. (29) N. 8. (30) Cit. n. 50. (31) Ib.

Lupo etc. ap. Sanch. [1] qui tamen cum Surdo et aliis id non admittit, quia (ut ait) uxor tenetur et dotem et obsequia praestare viro, unde non necessario alenda est, tantum obsequia praestando. Sed magis adhaereo oppositae sententiae, quia ipsum ius naturae dictat ut alas qui ad tibi famulandum se occupat. Excipe 3. si uxor ex sua culpa cum viro non cohabitet, secus si ob iustam causam. Salm.[2] cum iisdem. Caeterum quandò sive vir sive uxor est vere pauper, puta si dos fortuito periit, tenetur alter alterum alere. Sanch. [3] Bon.[4] Salm. [5] cum Mol. Trull. etc. *ex l. Si cum dotem*, §. *Si maritus*, *ff. soluto matrim.* ibi: *Quid enim tam humanum est quam fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem esse?* Hic autem notandum 1. quod ob dotem non solutam nequeat vir debitum negare uxori. Sanch. [6] et Salm. [7] cum Molina Sylv. etc. Notandum 2. quod in extrema necessitate prius subveniendum sit parentibus, qui diligendi sunt ratione principii, quam coniugii, ut d. Thom. [8] et Salm. [9] contra Laym. Bon. Pal. etc. ap. Boss.[10]. Et prius etiam filiis, cum ipsi sint pars parentis. Salm.[11] cum aliis. In necessitate vero gravi prius succurrendum coniugi, quam parentibus et filiis, quia quoad domesticam administrationem maior est coniunctio inter coniuges, cum ipsi sint una caro. Sanchez[12] Bonac.[13] et Salm.[14] cum Tolet. Bann. Trull. et aliis.

Dubit. 3. An vir teneatur alimenta praestare uxori adulterae. Alii affirmant, ut Clarus et Anton. Gabr. apud Salm.[15], quia uxor adultera non desinit esse uxor. Alii, ut Sylvest.[16] et Ang. ac Surd. apud Salm.[17] negant, si adulterium est publicum, quia tunc potest vir uxorem e domo expellere, secus si occultum, tunc enim expellere nequit. Alii vero communius et probabilius, ut Sanc.[18] et Salm.[19] cum Soto Man. Fag. et Trull., negant teneri, sive adulterium fuerit publicum sive occultum. Ratio quia adhuc concesso quod ob adulterium occultum uxor non posset expelli ne eius crimen prodatur, utque scandalum vitetur (in quo tamen quaestio est, *vide dicenda num.* 968.), nihilominus ratio haec non militat in negatione alimentorum, quae sine scandalo et infamia uxoris negari possunt. Idque dicunt esse probabile Salmant.[20] cum card. de Lauraea et Surdo, etiamsi uxor admiserit tantum oscula ab alio, si sint notoria, vel si occulta, si sint nimis lasciva aut si uxor sit nobilis.

940. « 3. Peccat mortaliter qui coniugi serio et instanter petenti debitum negat, quia est res gravis et debetur ex iustitia: intellige, nisi petens precibus aut alia ratione honesta averti possit, et petitio non sit immoderata, (nam, si saepe petenti semel vel bis negetur, citra periculum incontinentiae, videtur esse tantum veniale, ob levitatem materiae: aliquando, si nimis immoderate et iusto saepius petat, nullum, secundum Perez[21]) nec sit alia iusta causa negandi, Bon.[22] ex Sanch. Fill. etc. Iustam autem, secluso periculo incontinentiae utriusque, esse censet M. Perez[23] si plures nascantur filii quam possint alere.

Quaer 1. An peccet graviter coniux negans debitum una vel altera vice.

Prima sententia negat, modo absit periculum pollutionis, et hanc tenet Pont.[24] cum Sa Sanch.[25] cum Bonac.[26] ac Aversa Hurt. Corn. et Ochag. apud Boss.[27], quia id non videtur materia tam gravis ut culpam lethalem constituat.

Secunda sententia vero quam tenent Pal.[28] Tamb.[29] Boss.[30] cum Tanner. et Croix[31] cum Gobat. dicit etiam negare semel vel differre debitum serio et in-

(1) N. 6. (2) Ib. n. 51. (3) N. 10. (4) N. 8. (5) Ibid. n. 55. (6) L. c. n. 1. (7) L. c. n. 52. (8) 2. 2. q. 26. art. 11. (9) Ibid. num. 51. (10) C. 22. n. 1255. (11) Ibid. n. 51. in med. (12) L. 9. d. 29. num. 4. (13) P. 7. num. 19. (14) De iv. prace. c. unic. p. 3. §. 1. n. 51. in fin.

(15) Ibid. num. 54. (16) Vers. dos. q. 14. dist. 9. (17) Ibid. (18) L. 1. d. 3. n. 25. (19) Ib. n. 55. (20) Cit. n. 55. (21) D. 50. s. 4. (22) q. 4. p. 1. (23) L. c. num. 6. (24) L. 10. c. 2. num. 5. (25) L. 9. d. 2. n. 11. (26) P. 1. (27) C. 1. n. 40. (28) P. 4. §. 1. n. 5. (29) L. 7. c. 3. §. 3. n. 20 (30) C. 1 n. 41 (31) N. 591.

stanter petenti, per se loquendo esse mortale, adhuc remoto periculo pollutionis. Ratio quia hoc videtur materia satis gravis, tum ratione prolis quae ex unica copula bene gigni potest, tum ratione discordiae et periculi incontinentiae quae ex tali negatione potest sequi. His tamen non obstantibus, prima sententia non videtur improbabilis cum gravitas materiae pendeat ab hominum aestimatione, et tot graves dd. censeant hanc esse materiam levem: ipsimet autem id dicunt, supponendo quod absit periculum incontinentiae vel magni dissidii: caeterum procreatio prolis pro illa vice est valde incerta. Conveniunt autem communiter non peccare uxorem negando, si vir benevole aut remisse petat, ita Pont. [1] Bonac.[2] Croix [3] Ronc. [4] Tamb.[5] cum Corneio et Ochag. Laym. [6] ac Poss.[7] cum Soto Reb. Rodr. Henr. Reg. Lop. Fag. Hurt. Vill. Aversa et Diana. Item, si coniux petens, adhuc instanter, cedat precibus negantis, qui negat cum iusta causa; alias etiam venialiter saltem peccaret, ita Sanchez [8] cum Navar. Sylv Margar. Philiarch. etc., nisi preces essent ita importunae, ut alter quasi coactus videretur cedere, vel nisi adesset in altero periculum incontinentiae, tunc enim nec etiam precibus, sine causa gravi, liceret eum avertere, ita Sanchez [9] cum Nav. Sylv. Lop. d. Th.[10].

Praeterea non peccat negans, quando alter immoderate petit, sine tamen periculo incontinentiae, et in hoc etiam omnes conveniunt, vide Boss.[11]. Hinc dicunt Laym.[12] Croix [13] Holzm.[14] Sporer[15] cum Rodr. et Gloss. non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam. Imo addunt Tamb.[16] Sporer[17] et Sanchez[18] cum Led. nec esse mortale petenti quinquies in mense negare semel, sed huic non acquiesco, cum ex una parte petere quinquies in mense sit valde moderatum, et ex altera negare semel in mense videtur materia sat gravis. Item non videtur peccare uxor, si differat reddere ad breve tempus nempe usque ad noctem, ut Pont.[19] Sanch.[20] cum Vict. Ronc.[21] Sporer[22] cum communi, et Croix[23] cum Perez Gobat. et Dian. Vel si a nocte differat ad mane, ut Boss.[24] cum Sanch. Pon. Vict. Hurtad. Vill. Led. etc., excluso tamen semper periculo incontinentiae. Non potest autem post copulam habitam in die negare in nocte.

941. Quaer. 2. An sit iusta causa negandi debitum, si plures nascantur filii quam coniuges possint alere.

Prima sententia negat et hanc tenent Laym.[25] Ronc.[26] Spor.[27] (qui excipit solum casum quo coniuges multiplicata prole ad extremam necessitatem redigerentur), item Pal.[28] cum Sylv. Con. Nav. Ang. Reb. Margar. Lop. et Graff. Ratio, tum quia procreatio prolis spectat ad praecipuum finem matrimonii, cui postponendum quodvis incommodum, melius enim est ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit, tum quia aut coniux negaret diu aut aliquando: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiae: si aliquando, frustra negaret, nam coniuges rarius coeundo facilius concipiunt.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent Sanchez[29] Pont.[30] Diana[31] Bon.[32] cum Led. Rodr. et Sa ac Boss.[33] cum Sot. Comit. Vill. Regin. Hurt. et Fag. et probabilem putant Tambur.[34] et Spor.[35]. Ratio, tum quia multiplicitas prolium futurarum cederet in nocumentum filiorum iam genitorum, tum quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Conveniunt tamen omnes esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiae: quod revera (ut bene advertit Con.) vix non aderit, si in eodem

(1) L. c. n. 4. et 5. (2) D. n. 1. (3) N. 591. (4) P. 185. q. 2. r. 1. (5) N. 21. (6) C. 1. n. 1. (7) C. 1. n. 55. (8) D. d. 2. num. 15. (9) L. c. (10) I n 4. d. 32. q. 1. art. 2. ad 4. (11) N. 18. (12) C. 1. n. 1. (13) Num. 396. (14) N. 463. (15) N. 515. (16) N. 22. (17) L. c. (18) N. 11. (19) C. 2. n. 5. (20) D. n. 11. (21) L. c. (22) N. 515. (23) N. 591. (24) N. 57. (25) Tr. 16. c. 1. n. 16. (26) P. 185. q. 2. r. 1. (27) N. 516. (28) P. 4. §. 10. n. 8. (29) L. 9. d. 25. n. 3. (30) L. 10. cap. 5. n. 7. (31) P. 9. tr. 7. r. 3. (32) P. 1. n. 13. (33) C. 1. n. 220. (34) L. 7. c. 3. §. 5. num. 3. (35) L. c.

toro coniux habitet, et alter debitum petat; et ideo prima sententia magis mihi arridet.

942. 4. Peccat graviter vir vel mulier, si se impotentem reddat, etiam mediis alias licitis, v. gr. ieiuniis etc. invita comparte: imo si aliter non possit reddere debitum, licite non observat ieiunia ecclesiae (*Vide dicta l.* 3. *n.* 1034. *v.* 3. *Excusantur*, ubi diximus id procedere de viro, nam uxorem difficile videtur per ieiunia fieri impotentem ad reddendum, ut Salm. [1], sicut et uxor, si notabiliter iis fiat deformior. Bonac. [2] Sanch. [3] Regin. Con. Fill. [4] Perez[5]).

943. » 5. Coniux tenetur reddere debitum, quamvis illicite petenti, si redditio hic et nunc non sit illicita, v. g. petenti voluptatis causa, vel ligato castitatis voto vel die festo etc. V. Sanchez [6] Pont. [7] Con. [8] Perez [9]. Quia malitia alterius non dat illi ius negandi quod suum est. Non tamen tenetur reddere petenti, sine gravi causa, modo innaturali, vel in loco publico vel sacro etc. »

Certum est coniugem non teneri ad reddendum debitum cum peccato proprio et etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum; ita communiter Pal.[10] Bon.[11] Lay.[12]. Sporer [13] Boss. [14] et alii passim.

Sed quaer. 1. Utrum liceat reddere illicite petenti cum peccato mortali. Resp. Si culpa se tenet ex parte actus, puta si alter petat in loco sacro vel publico, vel si cum periculo abortus, vel sanitatis propriae aut alterius, omnes conveniunt non teneri coniugem nec posse reddere sine gravi culpa, quia tunc, cum actus sit per se malus, alter iniuste petit, eo quod non habet ius petendi, ita San.[15] Pont.[16] Sal.[17] cum d. Th. Con. Bon. Henr. et aliis passim. Sed

944. Dubit. 1. Si culpa se tenet ex parte personae exigentis, nempe si ille sit obstrictus voto castitatis, aut petat ob pravum finem, an alter possit reddere.

Prima sententia communis dicit non solum posse, sed etiam teneri, et hanc sequuntur Suar.[18] Lugo[19] Cont. Tour.[20] Conc.[21] Laym.[22] Bonac.[23] Pal.[24] Spor.[25] Holzman[26] Elbel[27] Escob. [28] cum Sylv. Con. Cov. et Henr. Sanch.[29] cum Ang. Led. Manuel. p. Soto Veracrux et Met. Boss.[30] cum Perez Diana Fill. et Villal. ac Salm. [31] cum Aversa Reb. Dic. etc. Ratio quia coniux ille per votum non amisit ius petendi, unde quamvis illicite, non tamen iniuste debitum exigit.

Secunda sententia vero quam tenent Pont.[32] et Croix[33] cum Sylv. Comit. et aliis paucis, dicit quod sive culpa se teneat ex parte actus, sive ex parte personae petentis, non licet ei reddere (nisi sit in potestate petentis ab illa prava circumstantia se liberare, puta si exigeret ob malum finem). Ratio quia posito impedimento voti, actus coniugalis necessario est illicitus petenti, cui cooperari alteri non licet. Nec petens eo casu habet dominium in corpus alterius, tum quia dominium tunc est impeditum a voto, tum quia coniux non habet ius nisi ad usum licitum matrimonii. Huic autem congruunt *dicta de rest. l.* 3. *n.* 697. ubi dicunt Lugo[34] et Croix cum Less. Mol. Soto Nav. etc. quod debitor non teneatur restituere domino rem qua ille est abusurus ad peccandum, quod expresse etiam tradidit d. Thom.[35] qui: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur.* Dicit tamen Lugo[36] quod, cum haec obligatio sit tantum caritatis, non obligatur debitor ad negandum, si non possit ne-

(1) D. 4. praec. c. unic. p. 3. §. 1. num. 49. (2) L. c. (3) L. 9. d. 3. n. 11. (4) Num. 306. (5) D. 30. s. 2. (6) Lib. 9. d. 6. (7) L. 9. c. 3. (8) D. 34. d. 6. (9) D. 30. s. 5. (10) P. 4. §. 11. n. 1. (11) P. 3. n. 3. et 4. (12) C. 1. n. 17. (13) N. 517. (14) C. 1. n. 226. (15) L. 9. c. 6. d. 16. n. 3. (16) L. 10. c. 3. n. 3. (17) De matr. c. 15. p. 2. n. 21. (18) De censur. d. 15. sect. 4. n. 9. (19) De sacram. d. 3. num. 182. (20) Tr. de matrim. cap. 7. num. 4. v. dico 1. (21) P. 369. n. 2. (22) L. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 17. (23) Qu. 4. p. 3. n. 3. (24) P. 4. §. 11. num. 3. (25) N. 517. (26) N. 467. v. tertio. (27) N. 416. (28) L. 25. n. 91. (29) D. d. 6. n. 7. (30) C. 1. num. 241 (31) De matr. c. 15. p. 2. num. 18. (32) L. 10. c. 3. n. 3. (33) L. 6. p. 3. n. 353. (34) De iust. 4. 21. n. 62. (35) 2. 2. q. 26. art 3. ad 1

gare sine gravi incommodo. Haec sententia est quidem probabilis, sed prima videtur probabilior, saltem extrinsece; gravi utique nititur ratione, quia obstrictus voto adhuc retinet ius ad petendum, et consequenter tenetur alter ei reddere, prout si quis votum emitteret non exigendi a te pecuniam debitam, si ille postea petit, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit ius suum, et eo casu tu reddendo minime cooperaris formaliter eius peccato, cum non sis causa cur ille debitum exigat, sed tantum concurris ad materiale peccati quod tu non potes impedire, cum debes rem suo domino reddere, ideo nec teneris impedire quia impediendo actum iniustitiae committeres. Nec valet dicere quod nemo habeat ius ad actum illicitum, nam responderetur quod esto coniux ille petens non habeat ius ad petendum cum peccato, habet tamen ius ad actum coniugalem qui per se est honestus, unde alter reddendo non peccat, quia dat operam, non alterius peccato, sed actui licito et ex iustitia debito. Hinc dicunt Sanch. [1] cum Palud. Henr. Man. et Led. ac Salm. [2] cum Con. et Bon., quod licet coniux voverit ex consensu alterius, st tamen expresse non cessit iuri suo petendi, etiam tenetur alter debitum reddere. Imo etiamsi ad invicem voverint, non intendentes cedere iuri suo, adhuc tenetur alter petenti reddere, ut dicunt idem Salm. [3] cum Sanch. Less. Bon. et Henr.

Bene tamen advertunt Sanch. [4] cum Cov. et Adrian. ac Boss. [5] cum Con. Reb. et Vill. quod eo casu tenetur coniux monere petentem ligatum voto, ut a petitione desistat, modo possit monere sine timore magni dissidii vel indignationis aut incontinentiae alterius: quae incommoda, dicunt Sanchez et Bossius, ut plurimum adesse. Quando autem coniux praevidet quod alter impeditus voto vel alio impedimento illicite petet, tunc tutius erit ut ipse praeveniat, et si ille iam petierit, ipse tunc etiam petat, dicens, *volo ut tu mihi reddas*: sed ad hoc merito ait Sanch. [6] uxores raro obligari, quia magnum onus esset eis ob naturalem mulierum verecundiam teneri ad semper petendum. Praeterea advertendum cum Bossio [7] quod si coniux impeditus petat infra primum bimestre, non teneatur nec possit alter ei reddere; cum eo tempore ille non habeat ius ad petendum.

945. Dubit. 2. An coniux possit et teneatur reddere debitum incestuoso petenti. Adsunt tres sententiae. Alii, ut Hostiensis et Lopez apud Boss. [8], dicunt teneri. Alii, ut Pontius [9] et Palac. ac p. Led. apud Sanch. [10], dicunt nec teneri nec posse, quia cum incestuosus sit privatus iure petendi, alter reddendo illicite cooperaretur illius peccato. Alii vero communius et probabilius dicunt non teneri, sed posse; ita Sanch. [11] Pal. [12] Bon. [13] Salm. [14] Boss. [15] cum s. Ant. Palud. Sylv. Laym. Cov. Victor. Reg. Vill. etc. Ratio quia licet incestuosus sit privatus iure suo, coniux tamen innocens, cum habeat ius petendi, a fortiori habet ius reddendi, alioqui grave onus deberet subire (maxime uxor), si semper deberet petere; imo magnis scrupulis deberet angi, existimans ne forte moveatur ad reddendum ex tacita petitione alterius; hoc autem onus satis excusat a cooperatione ad materiale peccati quod committit incestuosus. Tutius autem erit (ut diximus), ut coniux innocens tunc ipse petat.

946. Quaer. 2. An petenti cum sola culpa veniali teneatur alter reddere. Alii affirmant, ut Boss. [16] Escob. [17] Sporer [18] Sanch. [19] cum Caiet. et p. Soto Laym. [20] cum Dom. Soto et Nav. ac Boss. [21] cum Con. etc. Ratio, tum quia vinculum iustitiae, quo coniuges tenentur reddere, fortius stringit quam vinculum caritatis quo tenentur vitare

(1) Lib. 9. d. 36. n. 11. (2) De matr. c. 15. . 2. n. 20. (3) L. c. (4) L. 9. d. 6. num. 5. (5) C. 1. n. 248. (6) D. n. 5. (7) N. 252. et 275. (8) C. 1. n. 249. (9) L. 10. c. 3. n. 3. (10) L. 1. d. 6. n. 11. (11) N. 12. (12) P. 4. §. 6. n. 7. (13) Quaest. 4. p. 3. n. 3. (14) De matr. c. 15. p. 2. n. 15. (15) C. 1. n. 250. (16) C. 1. n. 250. (17) L. 25. n. 93. (18) N. 518. (19) L. 9. d. 6 n. 6. et d. 16. n. 8. (20) C. 1. n. 18. (21) C. 1. n. 250.

peccatum alterius; tum quia semper (ut aiunt) adest iusta causa reddendi, scilicet ne exigenti displiceat, vel saltem (ut dicit Sanch.) ne privetur iure suo reddendi. Alii tamen (ut Bon.[1] cum Armilla) dicunt non teneri, nisi adsit iusta causa ex parte petentis. Ego dico omnino distinguendum; si actus est illicitus ex parte personae petentis, puta si petat ob voluptatem vel alium finem leviter malum, vel die quo vult eucharistiam accipere, tunc tenetur reddere; quia, cum actus sit per se honestus, tenetur ex iustitia ad reddendum, etiamsi exigens peccet graviter in petendo, ut diximus *n.* 944. *dub.* 1. Si vero actus est venialiter illicitus ex parte ipsius actus seu copulae, ut si petatur situ innaturali, vel tempore menstrui aut puerperii, tunc quando adest iusta causa, potest quidem reddere, cum quaelibet iusta causa excuset a veniali. Iusta autem causa erit v. g. ne incurrat indignationem alterius sive rancorem illius quodammodo notabilem, et non possit eum commode avertere. Causa vero quam adducit Sanch., nempe ne coniux privetur suo iure reddendi, non videtur sufficiens; nam sicut petens tunc non habet ius ad sic petendum, ita nec alter ius habet ad sic reddendum. Dixi, *potest reddere*, sed non tenetur, quia licet vinculum iustitiae fortius sit vinculo caritatis, attamen cum actus sit tali modo per se illicitus, alter non habet ius ad illum, et sic responderetur ad rationem primae sententiae; ita Bus. *ut supra n.* 934. ac Less.[2]; item Palac. et Led. apud Sanch. [3] et probabilem putat Croix [4] cum s. Antonin. [5] qui ait tunc teneri coniugem ad reddendum quando alter petit modo naturali; ergo, si innaturali, non tenetur. Sane vero teneretur reddere, si petens haberet iustam causam etiam ex sua parte sic petendi, puta si peteret copulam situ innaturali, eo quod uxor sit praegnans, aut ipse sit pinguis, vel alioquin immineret periculum scandali, *vide dicta n.* 917. Vel si petat tempore menstrui aut puerperii cum periculo incontinentiae, iuxta dicta *n.* 925. *circa fin.*

An autem coniux teneatur reddere petenti statim post prandium. *Vide dicta n.* 910. *v. Videtur.* An petenti die communionis. *Vide n.* 922. *ac in Tract. de Euch. l.* 6. *n.* 274. An petenti in die festivo, ieiunii et rogationum. *Vide n.* 923.

947. Quaer. 3. An liceat uxori reddere debitum, vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incoeptam.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pont. [6] Tamb.[7] et Sporer [8] quia (ut aiunt) cum mulier reddit aut petit, dat operam rei licitae, nec ipsa propter malitiam viri debet suo iure privari.

Secunda sententia, quam tenent Roncag.[9] et Elbel [10] dicit uxorem non posse nec petere nec reddere, nisi adsit gravis causa quae ipsam excuset in permittendo peccatum viri et in cooperando ad materiale peccati illius, alias tenetur ex caritate, cum possit sine gravi incommodo, viri peccatum impedire. Ego tamen distinguendum puto: Si agatur de reddendo debito, dico uxorem probabiliter posse et teneri negare debitum, si possit sine gravi incommodo, iuxta secundam sententiam allatam *num.* 944., quia abusurus re sibi debita non habet ius ad rem sibi vindicandam; sed probabilius videtur uxor non solum posse reddere, ut dicit prima sententia, quam sequitur etiam Sanch.[11], sed etiam teneri. Ratio quia (iuxta dicta *cit. num.* 944.) quando culpa se tenet ex parte personae petentis, cum ipse habeat ius ad copulam, nequit alter sine iniustitia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere; et tunc patet quod reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum

(1) Quaest. 4. p. 3. n. 10. (2) L. 3. c. 3. n. 39. (3) D. d. 16. a. 3. (4) N. 356. (5) 3. p. tit. 1. c. 2. §. 7. (6) L. 10. c. 11. n. 3. (7) Dec. l. 7. c. 4. §. 3. n. 4. (8) P. 356. n. 490. (9) P. 197. quaest. 10. r. 2. (10) P. 471. num. 394. (11) L. 9. d. 16. n. 3.

copulae incoeptae, quae per se omnino utrique est licita. Si vero agatur de petitione debiti, dico cum secunda sententia uxorem non posse petere, si non adsit iusta et gravis causa; tunc enim revera tenetur ex caritate impedire peccatum viri. Iustam autem causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo iure petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum vel ne, tunc se continere. *Vide dicta in pari casu l. 2. n. 55. v. Si vero* [1].

948. « 6. Non tenetur reddere 1. Si alter alteri debitum remiserit, v. g. si consensu mutuo voverint castitatem (Sed oppositum est probabile, si non intenderint cedere iuri suo, *iuxta dicta num. 944. circa fin.*) vel auctoritate publica celebrarint divortium; 2. Si petens sit amens, quia talis non est capax usus dominii, nec petit cum ratione et humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio quam amenti; nisi esset periculum foetus enecandi. Nav. [2] Sylvest. Laym. [3]. 3. Si alter moechatus sit, quia *frangenti fidem fides frangatur eidem;* nisi tamen ipse quoque sit adulter vel causa adulterii. (*Vide dicenda num. 966.*). »

Quaer. an coniux teneatur reddere debitum amenti vel ebrio. Affirmant Nav. [4] et Sylv. Ang. Graff. Led. etc. apud Boss. [5], quia coniux ebrius vel factus amens adhuc retinet dominium acquisitum in corpus alterius, nec officit amentia ad procurationem prolis. Negant vero communissime et probabilius cum Bus. ut supra, Laym.[6] Pal.[7] Bon.[8] Sanch.[9] Conc.[10] Croix[11] et Boss.[12] cum Soto Con. Fill. Vict. Lop. Henr. Reg. Aversa Hurt. etc. Ratio quia, licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usus dominii. Excipe 1. si in eis sit periculum prodigendi semen, quia tametsi ipsi non peccent, est tamen impeditus actus materialiter malus. Excipe 2. si quis non esset universe amens, sed in una tantum vel altera materia. Sanch.[13] Boss.[14] vel si ille esset tantum fatuus, non vero omnino mente captus, vel si petat dum habet lucidum intervallum. Boss.[15] cum Sanch. Ric. et Conc.

Quamvis autem non sit obligatio reddendi coniugi amenti vel ebrio; licitum est tamen ei reddere, ut communiter dicunt praefati aa. cum usus matrimonii per se sit licitus, et proles educari possit a coniuge sanae mentis. Modo intelligendum absit periculum scandali vel abortus; unde bene addunt Sanch.[16] et Boss.[17] quod non liceat coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsa experta sit sterilis. Peccaret etiam qui coniungeret ad copulam coniuges ambos amentes, quia esset causa ut filii carerent debita educatione. Sanchez[18] cum Led. et Lop. et Boss.[19] cum Bon. Con. Laym. p. Soto Fill. etc.

949. « 7. Etsi is qui, matrimonio contracto, sciens prudens voluntarie cognovit consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, non possit petere debitum *(ex cap. 1. de Eo qui cogn. etc. Vide dicenda n. 1070.)*, tenetur tamen reddere. Idem est de eo qui, inscia comparte, vovit castitatem post ma-

(1) Ad quaestionem: an liceat uxori reddere debitum vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incoeptam? respondit pluries sacra poenitentiaria et inter alia; 1. Feb. 1823.

Cum in proposito casu, mulier a sua quidem parte nihil contra naturam agat detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedit qui loco consummandi retrahit se et extra vas effundit; ideoque si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera, mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut probati theologi docent) citra periculum permissive se habere; cum in rerum adiunctis ipsa sui viri peccatum simpliciter permittat idque ex gravi causa quae eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, eum tanto incommodo non obligat.

Ex alia decisione eiusdem Tribunalis, 15. Nov. 1816.

Probati castigatique morales theologi in hoc consentiunt, ut liceat uxori debitum reddere, si ex eius denegatione male habenda sit a viro suo, et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim, aiunt, hoc in casu, censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantummodo ex iusta et rationabili causa permittere. Moneat tamen orator huiusmodi uxorem, ut non cesset prudenter commonere virum suum, ut ab hac turpitudine desistat.

(2) C. 16. (3) C. 1. n. 9. (4) C. 16. n. 26. (5) C. 1. n. 293. (6) C. 1. n. 9. (7) P. 4. §. 4. n. 19. (8) P. 1. n. 10. (9) L. 9. d. 22. num. 9. (10) P. 402. n. 31. (11) N. 394. (12) N. 294. (13) N. 6. (14) N. 297. (15) N. 298. et 299. (16) N. 7. (17) N. 302. (18) N. 5. (19) N 303.

trimonium consummatum. Si tamen ante vovisset, videtur obligari ad ingressum religionis, saltem primo bimestri (nisi tamen matrimonium consummaverit); imo etiam post, si uxor consentiat, de quo plura vide apud Laym. [1].

950. » Resp. 2. Coniux non tenetur reddere debitum, si inde grave damnum vel periculum sibi vel proli merito timeat. Perez [2]. Unde non tenetur sequentibus casibus :

» 1. Si illud petat maritus morbo contagioso laborans, v. g. gallico, peste, lepra etc. (nisi tamen haec ante matrimonium fuerit cognita, et non sit nimis gravis) Bon. [3] Perez [4] Sanchez [5] Laym. [6]. »

Quaer. an coniux teneatur reddere debitum alteri laboranti aliquo morbo contagioso, puta lepra, peste, phthisi, morbo gallico, et simili. Certum est, 1. Coniuges teneri ad reddendum cum levi suo damno, huic enim praeponderat lex iustitiae, obligans quidem sub gravi, cum redditio debiti gravis sit materia; ita communiter Sanch. [7] cum Soto Nav. etc. ac Boss.[8] cum Bon. Reb. et Val. Unde dicunt d. Th.[9] et d. Bon. Ric. et alii apud Sanch.[10] uxorem teneri ad reddendum debitum viro leproso, ex *c.* 2. *De coniug. lepros.* ubi: *Quod si virum sive uxorem leprosam fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto apostoli, quod exigitur est solvendum : cui praecepto in hoc casu nulla exceptio invenitur.* Ratio quia, cum copula brevi fit, non imminet ex ea periculum infectionis: et ideo ait d. Th.[11]: *Tenetur reddere ... non tamen . . . cohabitare ... quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione.* Communiter tamen id limitant 1. dd. si ex tali coitu iudicio medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiae; ita Boss.[12] cum Laym. et Sanch.[13] cum s. Anton. Nav. Soto Palud. Cai. Vict. et aliis. Limitant 2. si coniux sanus tantum horroris habeat ad coeundum cum leproso, ut id sit ipsi moraliter impossibile : impossibilium enim nulla est obligatio ex *l. Impossibilium*, *ff. de reg. iur.*, ita Sanchez[14] et Boss.[15] cum Host. Panorm. Sylv. Pont. Soto Barb. Laym. Reg. Vill. etc.

Certum est. 2. non teneri coniugem reddere debitum cum gravi periculo propriae vitae aut sanitatis, ita d. Th.[16] qui: *Vir tenetur uxori debitum reddere... salva tamen prius personae incolumitate.* Et ita communiter omnes (v. Sanch.[17]). Ratio *quia* (ut ait d. Th.) *hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet; et hic est etiam ordo caritatis quae naturam perficit.*

Certum est 3. coniugem non solum non teneri, sed nec etiam posse reddere cum gravi periculo suae salutis, quia nemo est dominus vitae suae; ita communiter Pal.[18] Pont.[19] Sanch.[20] cum Soto Cai, Arm. Led. etc. ac Boss.[21] cum Laym. Con. Fill. etc. Et hoc etiamsi illud grave damnum immineret soli petenti, ut dicunt Sanch.[22] et Boss.[23] cum Soto Arag. etc.; eo enim casu reddens tantum excusari posset, si ab altero timeretur proximum periculum occisionis. Limitant vero Sanch.[24] cum Led. Palac. Vega Man. etc. ac Laym. Azor. Fill. apud Boss.[25] si coniux sanus ante matrimonium iam noverit alterius morbum contagiosum, quia (ut aiunt) in omnibus contractibus, quando detegitur vitium rei, non minus obligantur contrahentes, quam si res vitio careret. Sed merito hanc limitationem reiiciunt Pal.[26] et Ang. ac Vill. apud Boss.[27], quia emens rem quam scit vitiosam cedit iuri suo et bene cedere potest; sed coniux (ut diximus) non potest cedere iuri servandae suae salutis.

(1) C. 11. num. 10. (2) Dist. 50. scss. 4. (3) Q. 4. p. 1. n. 3. (4) D. 50. (5) L. 9. d. 14. (6) L. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. (7) L. 9. d. 24. n. 2. (8) L. 2. c. 1. n. 168. (9) 3. p. q. 64. a. 1. ad 4. (10) L. c. n. 15. (11) Suppl. q. 64. art. 1. ad 4. (12) C. 7. num. 131. (13) D. d

(14) N. 21. (15) N. 194. (16) Suppl. qu. 64. a. 1. (17) D. d. 24. num. 2. (18) P. 4. §. 10. num. 4. (19) L. 10. c. 14. n. 3. (20) L. 9. d. 24. n. 8. (21) C. 1. n. 199. (22) N. 9. (23) N. 209 (24) N. 22. (25) C. 1. n. 189. (26) L. c. (27) Num. 189.

Probabiliter tamen poterit coniux reddere alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriae sanitatis: 1. Si proles sit necessaria ad bonum commune. Sanch. [1] cum Ledesm., nemine contradicente, ut asserit. 2. Si coniux infectus petens esset in probabili periculo incontinentiae, nam licet sanus nec etiam eo casu teneatur reddere cum periculo suae sanitatis, ut dicunt Laym. [2] Pont. [3] Sanch. [4] Boss. [5] cum Maior. Reg. Comit. et Vill. ac Pal. [6] cum Con. (contra Gabr. Led. et Rodr.) tum quia caritas non obligat cum tanto onere, tum quia alter non est in extrema necessitate, cum possit aliter sibi subvenire; attamen licite potest reddere, et tale periculum subire ex motivo caritatis; quia, esto homo non sit dominus suae vitae, potest tamen propter caritatem illam exponere, ut Pont. [7] Sanch. [8] Bon. [9] et Boss.[10] cum Maior. Vill. Con. Aversa p. Soto Laym. Hurt. Comit. et Reg. 3. Si redderet ad vitanda magna dissidia vel ad fovendum amorem coniugalem, et etiam ad vitandum periculum incontinentiae propriae, et tunc potest etiam petere, quia vitatio incontinentiae, aut conservatio pacis familiae ac amoris coniugalis praevalet obligationi vitandi infectionis periculum. Haec tamen omnia intelligenda (ut diximus *n.* 909.) si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, phthisis etc., non vero si sit de illis qui de brevi et facili solent mortem afferre, ut est infectio pestis aut leprae leoninae. 4. Addo si coniux sanus possit praeservativis facile vitare contagium sive eius periculum.

Sicut autem non potest coniux sanus reddere infirmo cum periculo propriae salutis, sic etiam infectus nec potest reddere sano cum periculo salutis illius, etiamsi ille petat iam conscius sui periculi, prout non licet reddere gladium volenti se necare, cum nemo sit dominus suae vitae; ita Sanchez [11] Pont.[12] et Boss.[13] cum Soto Con. Azor. etc. communiter. Probabiliter tamen excipiunt Busemb. *n.* 909. cum Perez Bon.[14] Sanch.[15] cum Caiet. p. Soto et Crass. ac Boss.[16] cum Laym. Pont. et Reg. si reddat ad vitandum periculum incontinentiae in se vel in altero, vel ad vitanda dissidia, aut ne diu privetur usu coniugii, quod vix esse potest sine periculo incontinentiae. Hocque etiam intelligendum si eius morbus sit diuturnus, et non proxime ad mortem tendens, itemque si alter sanus petens iam eius morbi sit conscius, iuxta dicta *n.* 909. *Dub.* 1.

951. An autem coniux possit et teneatur reddere quando timetur damnum prolis nasciturae. Negant Medina et Palacius apud Sanch.[17] quia nemo tenetur nec potest reddere debitum cum damno innocentis. Sed communiter et verius affirmant d. Th.[18] s. Anton.[19] Sanchez[20] cum s. Bonav. Palud. Sylvio Led. etc. ac Boss. [21] cum Soto Laym. Reb. Fill. Reg. Vill. etc. Ratio assignatur a d. Th.[22] qui ait: *Uxor tenetur viro leproso reddere debitum*, *et quamvis proles gigneretur infirma*, *tamen melius est ei sic esse*, *quam penitus non esse.* An vero liceat reddere tempore praegnationis vel menstrui aut purgationis post partum. *Vide dicta n.* 924. 925. *et* 926.

952. « 2. Si petat ab uxore laborante febri vel alio morbo cui copula noceret, Bon.[23] ex Sanch. etc., item Perez [24] (Sive post balnea aut sectionem venae; *vide dicta n.* 910.). Vel, ut quidam volunt, tempore menstrui, Bon.[25] contra Sanch. Hurt. Per.[26] (*Vide dicta n.* 925.). Aut cum uxor est gravida, et ex redditione periculum mortis (vel etiam abortus) probabile timetur proli iam conceptae, imo tunc nec petere nec reddere licitum est, ut per se pa-

(1) D. d. 24. n. 11. (2) C. 1. n. 5. (3) L. 10. c. 14. n. 2. (4) D. 24. n. 12 5 N 204. et 205. (6) P. 3. §. 10. n. 4. (7) D c. n 4 c 2 n 7 (8) N. 12. (9) Q. 4. p. 1. n. 5. et 4 10 294 (11) L. 9. d. 6. n. 17. (12) L. 10. n. 2 n. fin. (13) C. 1. n. 209 (14) p 6 n 8. (15) D. 24. n 25. (16) D. n. 209. in fin. se remittens ad num. 195. (17) L. 9. d. 24. n. 24. (18) In 4. d. 32. q. un. ar. 1. ad 4. (19) 3. p. tit. 1. c. 20. §. 10. circa fin. (20) Num. 25. (21) C. 1. num. 156. (22) L. c. (23) Q 4 p 1. n. 4. (24) L. c. (25) Q. 4. p. 3. n. 11. et p. 6. n. 10. (26) D. 49 s 3.

tet, ait Laym.[1], et esse mortale dicit Perez[2] (addens ex Sanch. Coninch. et Hurt. cessante periculo prolis usum matrimonii licitum esse) (*Vide dicta n.* 924.). Aut si non possit uxor edere foetum nisi mortuum. Bon.[3] (Layman tamen[4] dicit eo casu licere reddere, imo et petere, quod Bonac.[5] concedit, si fiat ob periculum incontinentiae) aut non possit edere nisi cum praesenti periculo vitae. Bon.[6] Laym.[7]. Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia gravi ex causa, eam posse permittere et debitum reddere, insinuat Laym.[8] ex Sanchez[9] (*Vide dicenda n. seq.* 953.). Denique propter grave periculum morbi (non tamen propter ordinarios dolores partus) potest coniux negare debitum, etiamsi in altero esset periculum incontinentiae. Sanch. Praepos. Pal. Diana[10] (*Vide dicta mox sup. n.* 950.).

» 3. Si alter debitum exigat innaturali modo, nisi tamen ex negatione timeantur graviora mala, v. g. rixae, odium, incontinentia. (*Vide dicta n.* 946.).»

953. Commune est non teneri uxorem reddere debitum si experta sit se non posse parere sine probabili periculo mortis, ita Laym.[11] Bon.[12] Sanch.[13] et Boss.[14] cum Con. Reg. Filliuc. et Rod., quia solutio debiti non obligat cum tanto detrimento. Quid si mater experta sit se filios parere mortuos? Hoc casu Laym.[15] dicit quod bene poterit uxor reddere, quia illa mors foetus per accidens evenit, et praeterea melius est puero esse cum culpa originali, quam omnino non esse; attamen Bossius[16] et Bon.[17] cum Rodr. Vict. Led. et Reg., tenent eam non posse reddere, quia mater ex morte prolis (ut ait etiam Boss.) exponitur magno periculo vitae. Excipit tamen Bon.[18] cum aliis, nisi adsit periculum incontinentiae, et huic consentit Sanch.[19] addens quod si perpetuo propter hanc causam deberent coniuges ab usu matrimonii abstinere, essent ipsi in maximo incontinentiae periculo. An autem uxor quae non possit reddere propter arctitudinem vasis, teneatur pati incisionem. *Vide dicenda n.* 1099.

954. « Quaeres an aliquando licea impedire prolis generationem.

» Resp. Possunt quidem coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur effusio seminis; peccant tamen, si in usu matrimonii vel post usum faciant aliquid quo impediatur conceptio, aut semen conceptum reiiciatur. Ratio prioris est quia non impeditur generatio, ne indirecte quidem, sed tantum permittitur ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est quia agunt contra fidem et finem principalem matrimonii. Unde tales non excusat paupertas imminens aut periculum ex partu.

Unde resolves:

» 1. Licite interrumpitur actus coniugalis, etsi ex naturae concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit iusta causa interrumpendi, v. g. si ex continuatione immineat periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. Vide Perez[20] (Ita etiam Sanch.[21] Palaus[22] et Boss.[23] cum Less. Perez et Aversa ac Salm.[24] cum Caiet. Dic. etc.).

» 2. Peccat probabiliter foemina quae in usu matrimonii alio animum distrahit ne natura excitetur, venialiter tamen, ut ex Per.[25] docet Sanch. (Sed verius est id esse mortale, iuxta dicta *n.* 918. *v. Sed redeundo*).»

Dicunt Sanch.[26] Pont.[27] Salm.[28] Bonac.[29] cum Reb. Hurt. et Reg. ac Boss.[30] cum Fill. Fag. Diana et Vill. quod uxor peccabit mortaliter, si statim post copulam mingit aut surgit, vel aliud aliquid facit animo ut semen receptum expellat, quia frustrat finem ad quem

(1) C. 1. n. 7. (2) Dist. 49. s. 3. (3) Q. 4. p. 1. et 2. num. 14. (4) C. 7. num. 7. (5) L. c. (6) L. c. num. 7. (7) L. c. num. 6. (8) L. c. (9) L. 7. d. 102. n. 11. (10) P. 6. t. 7. r. 64. et p. 9. t. 7. r. 4. (11) C. 1. n. 6. (12) P. 1. n. 7. (13) L. 7. d. 102. num 9. (14) C. 1. num. 175. (15) N. 7. (16) L. c. (17) N. 14. (18) L. c. (19) L. 7. d. 102. n. 8. (20) D. 49. s. 9. (21) L. 9. d. 19. n. 4. (22) P. 4. §. 3. n. 3. (23) C. 9. n. 60. (24) De matr. c. 15. p. 6. n. 81. (25) L. c. n. 7. (26) L. 9. d. 20. n. 3. (27) L. 10. c. 13. num. 1. (28) Ibid. n. 75. (29) P. 6. n. 18. (30) C. 9. n. 3.

semen est a natura institutum, ita praefati aa. contra Tambur.[1] qui cum Bellocchio id excusat a mortali, eo quod matrix mulieris, semine effuso, semper retinet id quod necessarium est ad generationem. Dictum est autem, si mulier id facit *statim et animo expellendi semen*, nam si id faceret ex aliqua necessitate, puta ad vitandum periculum mortis aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare, sicut etiam conveniunt non opus esse ut uxor post copulam diu immota et resupina maneat, eo quod brevi tempore matrix semen attrahit et arctissime clauditur.

Dubitatur autem hic 1. an puella violenter oppressa, possit licite expellere incontinenter semen viri immissum ne concipiat. Affirmant Sanchez[2] et Boss.[3] cum Raynaud. Marchant. ac Diana, et non improbabile putat Esc.[4] quia (ut aiunt) tunc puella licite expellit semen tamquam sui honoris aggressorem, cum illud non adhuc sit in pacifica possessione uteri. Sed rectius id non admittunt Pont.[5] Tamb.[6] et hanc tenet etiam ut veriorem Esc.[7] cum Leand. Huic ego etiam adhaesi *l.* 3. *n.* 394. *v. Dicunt*, et hic quoque adhaereo, quamvis diversa ratione ductus. Ratio cur haec sententia mihi probatur est quia nunquam licet eiicere semen effusum, atque receptum in utero, ubi statim ac recipitur, (quod puto quidem statim recipi) habet suam pacificam possessionem, unde non potest mulier ab eo expellere, quia iniuriam irrogaret naturae sive speciei humanae, cuius propagatio impeditur. Merito tamen et communiter dicunt aa. tam primae quam secundae sententiae, quod mulier vi oppressa bene possit se vertere (imo dico tenetur) et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset extra vas effundendum; tunc enim non expellitur semen immissum, sed impeditur ne immittatur et ideo tunc licite illud repellitur tamquam violentus honoris aggressor.

(1) Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14. (2) Lib. 2. d. 22. n. 17. (3) C. 9 n 5. (4) L. 25. n. 301. (5) L. 9. c. 10. n. 4. (6) Dec l 7. c. 3. §. 5. n. 14.

Dubit. 2. an liceat coniugibus copulari si ob senectutem vel aliam dispositionem plerumque accidat quod semen extra vas effundatur. Affirmant probabiliter Boss.[8] Bonac.[9] Sporer[10] Laym.[11] Sanch.[12] cum Henr. et Croix[13] cum Gab., modo adsit spes probabilis seminandi intra vas, quia semper ac adest talis spes, ius habent ad copulam, et si semen effunditur hoc per accidens evenit; *vide dicenda n.* 1066. *in fin.*

Dub. III. An et quibus ex causis possit fieri divortium.

955. *Fit divortium quoad* vinculum. 1. *Si habentur sufficientia indicia de morte coniugis.* 2. *Si alter convertatur ad fidem.* 3. *Si fit religiosus ante consummationem.* 4. *Si papa dispenset in matrimonio rato.*

956. *De indissolubilitate matrimonii.*

957. *An, si infidelis nolit converti, liceat fideli transire ad alias nuptias.*

958. *Inter fideles matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam.*

959. *An solvatur etiam per dispensationem papae.*

960. *Permittitur autem divortium quoad* torum, 1. *ob adulterium coniugis.*

961. *Qu.* 1. *An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio.*

962. *Qu.* 2. *An liceat facere divortium ob sodomiam vel bestialitatem commissam a coniuge. Qu.* 3. *An ob copulam sine seminatione.*

963. *Qu.* 4. *An vir cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere.*

964. *Qu.* 5. *An uxor teneatur divertere a viro adultero.*

965. *Et an coniux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum.*

966. *Qu.* 6. *In quibus casibus coniux nequeat divertere ab adultero.* 1. *Casus, si uterque sit reus adulterii.* 2. *Si coniux consentiat in adulterium alterius.* 3. *Si adulterium accidat sine culpa.* 4. *Si iniuria remittatur.*

967. *Dub.* 1. *An facto divortio per sententiam iudicis, possit coniux innocens adulterum ad se revocare. Dub.* 2. *Quid si, facto divortio, innocens etiam adulteretur.*

968. *Dub.* 3. *An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate.*

969. *Facta iuridica separatione, vir potest ingredi religionem aut fieri sacerdos, invita adultera; adultera vero id non potest nisi de licentia alterius.*

970. *Permittitur* 2. *divortium ob saevitiam alterius.*

971. *Qu.* 1. *An ob hanc causam possit coniux recedere propria auctoritate. Qu.* 2. *An possit fieri religiosus altero invito. Qu.* 3. *Qualis timor sufficiat ad faciendum divortium ob saevitiam.*

972. *Qu.* 4. *An sola verbera sint iusta causa divortii.*

(7) L. c. (8) C. 7. n. 190. (9) P. 6. num. 17. (10) Num. 222. (11) L. 3. sect. 4. num. 19. (12) L. 9. d. 17. n. 24. (13) N. 316.

973. *Permittitur* 5. *divortium coniugi, si alter trahat eum in peccatum.*
974. *Permittitur* 4., *imo aliquando praecipitur divortium ob haeresim alterius.*
975. *Permittitur* 5. *ob mutuum consensum.*
976. *Facto divortio, apud quem sint filii educandi. Et cuius coniugis expensis.*
977. *An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem.*

955. « Resp. 1. Etsi matrimonium consummatum inter christianos nullo casu solvi possit, quoad vinculum, vivente utroque coniuge (Vide Sanchez et Per.[1]), divortium tamen, seu potius separatio quoad torum (Hic error irrepsit, nam pro verbo *torum* debet dici *vinculum*, alias enim non congruunt ea quae sequuntur) fit sequentibus casibus :

» 1. Si alter coniux moriatur. De quo si est certum, rursus nubere potest, quod si interim alter mortuus non sit, fama tamen et indicia sufficientia habeantur, excusatur nubens, neque ex dubio superveniente an prior vivat, debent separari, cum forte non vivat, ideoque matrimonium sit validum. (*Vide dicta n.* 906. *dub.* 3.

» 2. Si ex coniugibus infidelibus, altero ad fidem converso, alter maneat infidelis (saltem nisi pacifice cohabitare velit, sine contumelia Creatoris), idque ex dispensatione divina in favorem fidei, ut patet ex 1. *Cor.* 7. 15. Per. [2] etc. commun.

» 3. Si ante matrimonii consummationem (ad quam intra primum bimestre, quod ad deliberationem datur, non tenentur nec cogi possunt sine iniuria) alter intret religionem, in eaque profiteatur. Perez [3] etc. communiter.

» 4. Si papa ex alia iusta causa dispenset ante consummationem, sicuti eum posse probabilior sententia affirmat. Nav. Bell. Per. [4].»

956. Certum est 1. quod inter catholicos matrimonium est indissolubile, ut declaravit Trid. [5] Et hoc per se verum est non solum de matrimonio consummato, sed etiam de tantum rato; vide Salm. [6]. Haec autem indissolubilitas est ab ipso iure naturali, quia necessarium est ad prolis educationem ut parentes perpetuo eius bono incumbant, ita communissime d. Th.[7] Bell.[8] Pont. [9] Bonac.[10] et Salm. [11] cum Palao Becan. Led. etc. contra Sanchez[12] qui cum aliis tenet (sed minus probabiliter) ex se praecise matrimonium non esse necessario indissolubile. Quamvis autem olim apud iudaeos permissus erat libellus repudii ex *Deut.* 24., in lege tamen nova interdictus fuit a Christo Domino, Matth. 19. ubi : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Ubi nota quod tò *nisi ob fornicationem* (ut communiter explicant interpretes, vide Corn. a Lap.) non intelligitur quod, fornicatione interveniente, possit vir aliam ducere, sed tantum quod possit ab ea separari. Certum est 2. quod inter infideles validum est matrimonium si fuerit legitimum, id est iuxta leges celebratum, ut patet ex *c. De infidel. de consang.* Certum est 3. quod si uterque coniux ad fidem convertitur, matrimonium fit ratum, id est indissolubile ex *c. Quanto, de divort.*, modo sit consummatum post conversionem, alias papa in aliquo casu ex urgentissima causa bene potest in eo dispensare, ut diximus *num.* 797. *vers. Prob.* 1., ex decr. Urbani VIII. et fuse defendit Bened. XIV. in quadam dissert. quam innuit *de Synodo l.* 6. *c.* 4. *n.* 5. ubi asserit s. Pium v. et Gregor. XIII. id in praxim deduxisse. Certum est 4. quod si unus convertitur, et alter non vult cohabitare nisi cum iniuria Creatoris, sive cum blasphemia divini nominis, tunc fidelis libere potest alias nuptias inire, ut expressum est in *eod. c. Quanto*, ubi dicitur ex triplici causa posse fideles transire ad alias nuptias: 1. Si infidelis renuat cum eo habitare, 2. si velit habitare, sed nonnisi cum iniuria Creatoris, 3. si eum vult pertrahere ad peccatum mortale.

(1) D. 25. s. 9. et d. 55. s. 4. (2) D. 26. s. 4. (3) L. c. (4) D. 20. sect. 7. (5) Sess. 24. in princ. (6) De matr. c. 4. p. 1. dub. 1. n. 11.

(7) 3. p. quaest. 67. a. 1. (8) De matr. l. 1. c. 12. (9) L. 1. c. 12. (10) P. 11. n. 2. (11) Ibid. n. 16. et 17. (12) L. 2. d. 15. n. 7.

957. Quaer. an si infidelis nolit converti, sed tamen vult pacifice cohabitare, sine iniuria Creatoris, liceat fideli ab eo separari, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia absolute negat et hanc tenet d. Th. [1] Estius [2] Petroc. [3], item s. Bonav. s. Anton. Palud. Gabr. etc. apud Sanch. [4]. Idque probant ex apost. 1. *Cor.* 7. ubi: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Secunda sententia absolute affirmat et hanc tenet Bellarm. [5]. Ratio huius mox adducetur in tertia sententia: dicit autem Bellarm. textum mox relatum d. Pauli non continere praeceptum, sed tantum consilium, cum apostolus statim ad praedicta verba subdiderit: *Caeteris ego non Dominus.*

Tertia sententia demum communior et probabilior quam tenent Sanchez [6] Conc. [7] Pont. [8] Tourn. [9] et alii apud Salm. [10] dicit olim, si nullum aderat periculum perversionis, non potuisse fidelem transire ad alias nuptias, quia non aderat causa discedendi a coniuge infideli, cum per miracula quae frequentius tunc per fideles fiebant, plures infideles ad fidem convertebantur; sed hodie, cum cessaverint miracula tam frequentia, illicitum est cohabitare cum coniuge infideli ex recepta ecclesiae consuetudine quae introducta est ex eo quod experientia docuerit non modicum perversionis periculum imminere ex consortio infidelis, nisi (excipiunt Tourn.[11] et Sanch.[12]) episcopus dispenset ad cohabitandum propter probabilem spem conversionis illius. Verumtamen advertendum 1. cum d. Th.[13] Conc.[14] et Petroc.[15] quod matrimonium illud non solvitur donec fidelis ad alias nuptias transeat. Advertendum 2. quod antequam fidelis cum alia matrimonium contrahat debeat monere infidelem si velit ad fidem converti ex praecepto Greg. XIII. et s. Pii v., ut dicunt Pont.[16] Sanchez[17] et Croix[18]. Excipit tamen Sanchez[19] cum aliis, contra Pont., si constet infidelem esse pertinacem, vel si multum distet. Notat autem Croix[20] quod casu quo infidelis non possit moneri, ad contrahendas alias nuptias requiritur dispensatio pontificis, ut asserit iam praescripsisse praefatum Greg. XIII.

958. Matrimonium autem inter fideles nunquam solvitur, nisi alter coniugum intra bimestre a matrimonio contracto et non consummato, religionem ingrediatur, ut habetur in *c. Si quis coniugatus, caus.* 27. *q.* 2. et in Trid.[21]. Hoc tamen intelligitur, prout diximus *n.* 870. *in fine*, modo matrimonium non esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum aut honorem sponsae, tunc enim non posset vir fieri religiosus relinquendo sponsam quae ob infamiam nequiret amplius nuptias inire. Dicunt autem Sanch.[22] Pont.[23] et Salm.[24] cum Corn. Trull. et Dic. quod si transacto bimestri coniux ingreditur religionem, illicite hic profiteretur, sed valide, quia concil.[25] indistincte sic pronuntiavit: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Ut dicatur autem matrimonium consummatum, non sufficit penetratio vasis foeminei, sed requiritur effusio seminis in illud, ita communiter dd. cum Concina [26] et d. Th. *Vide dicenda n.* 1036. *v. Hic autem.* Quilibet vero coniugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi religionem, quia utitur iure suo, ita communiter Pal.[27] et Salmant.[28] cum Soto Con. Led. Henr. Dic. et Trull. Pecca-

(1) In 4. d. 36. quaest. un. art. 5. (2) In 4. d. 39. §. 6. (3) T. 4. p. 331. reg. 4. (4) L. 7. d. 74. n. 8. (5) De matr. c. 12. (6) L. c. num. 9. (7) P. 224. n. 5. (8) L. 9. c. 4. n. 22. (9) Praelect. theol. tr. de matrim. quaest. 8. de imped. disp. multus quaer. 3. r. 3. (10) De matr. c. 4. p. 2. n. 43. (11) L. c. quaer. 4. v. observat. (12) D. 75. n. 13. (13) L. c. (14) P. 225. n. 7. (15) D. p. 431. ex cit. cap. quanto. (16) L. 7. c. 48. n. 25. (17) D. 74. n. 12. (18) N. 408. (19) Num. 13. et 14. (20) Loc. cit. (21) Sess. 24. can. 6. (22) L. 2. d. 25. n. 27. (23) L. 9. c. 9. n. 7. (24) De matr. c. 4. p. 4. n. 90. (25) D. can. 6. (26) P. 232. n. 4. (27) P. 2. §. 5. n. 7. (28) De matr. c. 4. p. 4. n. 91.

ret tamen (ut diximus *n.* 870. *d.* 2. *in fine*) sponsus qui matrimonium contraheret animo intrandi religionem.

959. An vero possit papa ex dispensatione solvere matrimonium ratum et non consummatum. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pont. [1] Palaus [2] Gonet [3], item s. Bonav. Scot. Val. Soto Led. etc. ap. Salm. [4]. Ratio quia matrimonium ratum eiusdem est naturae quam consummatum, cuius indissolubilitas (ut declaravit Trid. [5]) est de iure divino, in quo nihil potest pontifex.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent cum Bus. Sanch. [6] Bell. [7] Navar. [8] et Salm. [9] cum Cai. Vasquez Con. Bonac. Reb. Bec. etc. Ratio, tum quia pontifices pluries hoc in usum deduxerunt dispensando in matrimonio rato, ut referunt de propria scientia Navar. Caiet., tum quia summus pontifex tamquam Christi vicarius, cui regimen ecclesiae est commissum, bene potest cum iusta causa dispensare in aliquibus quae sunt de iure divino, et humanos actus concernunt. Causa autem iusta (ut dicunt praefati aa.) esset vel impotentia superveniens, aut scandalum imminens, vel sterilitas de novo cognita, quando opus esset ad bonum publicum ut proles gigneretur. Addunt etiam, si adsint disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones praevisae, mutuus coniugum consensus, sed has quatuor causas non admittit Conc.[10] et merito, saltem nisi urgeat necessitas boni publici, nam alias, istis admissis, pauca matrimonia rata et firma stare possent.

960. « Resp. 2. Manente vinculo matrimonii, licite fit divortium et separatio quoad torum et cohabitationem, ad tempus vel in perpetuum, ob gravem et iustam causam, qualis est:

» 1. Alterius coniugis culpabile adulterium (per quod hic etiam intelligitur omnis species luxuriae, in qua caro cum alia dividitur, qualis est bestialitas, sodomia etiam intra eumdem sexum. Bon.[11] contra Filliuc. Sanchez Perez[12] ex *Matth.* 5. et ex *c. Gaudemus*, *c. Ex litteris*. Non tamen mollities, vel pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudici. Bonac. Sanch. Perez[13]; licet propter similia ad tempus possit aliquando fieri separatio, ut nocens emendetur) (Ut Salmant.[14] cum Sanchez Trull. et com.) tunc enim innocens religionem ingredi, aut sacros etiam ordines suscipere potest; nocens vero non, nisi cum innocentis consensu. Excipitur tamen ab hoc casu 1. Si uterque coniux particeps sit eiusdem criminis vel aequalis. Sanch.[15] Bonac.[16]. Nisi innocens alteri condonarit. Quod aliqui eum fecisse censent, si eam post adulterium intellectum rursus cognoverit. Bon. ex Conc. Henr. Filliuc. Perez[17] ubi vide plures casus exceptos. »

Certum est virum posse dimittere uxorem adulteram, ut docuit Christus Dominus *Matth.* 5. *et* 19. et expressum habetur in *c. Gaudemus, c. Ex litteris, et c. Significasti, de divort.* Idem communiter dicunt dd. de viro adultero, quem uxor possit relinquere, ita Sanchez[18] Pont.[19] et Salmant.[20] cum Con. Bon. Trull. ex *c. Praeterea* 32. *quaest.* 5. *et c. Idololatria* 36. *quaest.* 1.

961. Quaer. 1. An ad divortium faciendum sufficiat suspicio de coniugis adulterio. Quod sola suspicio sufficiat, habetur expressum in *c. Dixit Dominus, caus.* 32. *q.* 1. ubi d. Hieronymus dicit: *Ubicumque est fornicatio vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor.* Communiter tamen advertunt d. Th.[21] Viva[22] Sanch.[23] cum s. Bonav. s. Antonin. Palud. Soto Innoc. Hostiens. Abb. et aliis, non sufficere quamcumque probabilem suspicionem, sed requiri violentam quae moralem certitudinem

(1) L. 9. c. 3. n. 3. (2) D. 3. p. 2. §. 2. n. 3. (3) D. 5. n. 13. (4) De matr. c. 4. p. 2. dub. 3. n. 58. (5) Sess. 24. in princ. (6) L. 2. d. 14. num. 2. (7) L. 2. de monach. c. 8. (8) C. 22. num. 21. (9) Ib. n. 61. (10) P. 247. n. 20. (11) Quaest. 4. p. 5. n. 2. (12) D. 56. s. 1. et 2. (13) L. c. (14) De matr. c. 16. p. 1. n. 10 (15) L. 19. d. 6. (16) Loc. cit. (17) S. 3. (18) L. 10. d. 3. n. 6. (19) L. 9. c. 16. (20) Ib. n. 2. (21) In 4. d. 35. quaest. un. a. 3. ad 4. (22) Quaest. 8. a. 2. n. 4. (23) L. 10. d. 12. n. 41.

fundet, prout si probetur visus fuisse solus cum sola, et nudus cum nuda, ut dicitur in c. *Caeteris* 12. *de praesumptionibus*. Dicit autem Pal.[1] cum Farin. Gutt. etc. hoc requiri ad divortium faciendum auctoritate ecclesiae; nam quoad forum internum, ait sufficere suspicionem probabilem, modo sit vehemens. Sed hoc intelligendum quod licet in foro interno non requiratur tanta certitudo quanta in externo, semper tamen requiritur talis suspicio, ut habeatur non sola probabilitas, sed moralis etiam certitudo de adulterio patrato, alias (bene ait Viva [2]) per solam probabilatem nequit alter privari sua certa possessione. Hinc, nisi aliae adsint circumstantiae, non sufficiunt amplexus, tactus et oscula ad faciendum divortium, ita Pontius [3] Viva [4] Sanch. [5] cum Nav. Palud. Perez Barb. et Lop. et ipse Pal. [6] cum Con. Hurt. etc. Item non sufficit quod inveniatur solus cum sola in loco secreto, ut Sanchez [7] cum Nav. contra Menoch., sufficit vero in foro conscientiae, si vir fide dignissimus testetur de adulterio vel de violento indicio, ut Sanchez [8] Viva [9] et Pal. [10] cum Gutt. Menoch. etc. Sufficiunt etiam, ut ait Pal.[11] cum Menoch., litterae amatoriae uxoris, quibus adulterium praeteritum fatetur. Et sic puto etiam sufficere si aspiciatur aliquis solus cum sola in eodem lecto.

962. Quaer. 2. An liceat facere divortium ob sodomiam aut bestialitatem commissam a coniuge.

Prima sententia negat, quam tenent Innoc. Abul. et Palac. ap. Sanc.[12], hanc sequitur, speculative loquendo, etiam Pont.[13]. Ratio, tum quia per solam fornicationem caro dividitur, tum quia lex poenalis, qualis haec est, non debet extendi de casu ad casum, textus autem *in c. Gaudemus, et c. Litteris de divort.* ut supra de sola fornicatione loquuntur.

Secunda sententia vero communior et probabilior (saltem extrinsece) affirmat et hanc tenent d. Thom.[14] Sanchez[15] Pal.[16] Conc.[17] Salm.[18] cum Soto etc. Ratio quia ex iure naturali uterque coniux tenetur fidem servare non dividendi carnem suam cum alia, quae vere dividitur cum habetur concubitus sodomiae vel bestialitatis. Nec obstat quod lex poenalis non sit extendenda, nam ius discedendi ab adultero qui cum alia carnem suam dividit, non oritur ex lege positiva, sed ex ipso iure naturali quod prohibet ne coniux cum alia carnem dividat. Sed aa. primae sententiae semper replicare possent, vere non dividi carnem sine copula naturali. Caeterum bene ait Pontius[19] ab hac sententia non recedendum cum sit communis, sed revera eam non probari.

Quaeritur 3. An copula habita cum aliena sine seminis effusione, sit causa sufficiens ad divortium.

Prima sententia affirmat et hanc tenet Conc.[20] citans s. Bonav. Sot. Sylv. Palud. Vega et Henr. Rationem non assignat, sed ratio videtur esse quia fornicatio sine seminatione vera fornicatio est, licet non consummata, qua vere dividitur caro. Citat etiam d. Thom. et Bonac. sine locis, sed Bonac. (ut infra) expresse oppositum tenet, et locum d. Thom. ubi id tradit non potui invenire.

Secunda sententia vero probabilior negat, eamque tenent Sanchez[21] Bon.[22] Escob.[23] et Salm.[24] cum Fill. Trull. et Led. Ratio quia nomine fornicationis intelligenda est fornicatio in suo genere perfecta, nempe consummata per seminationem, alias non adest vera divisio carnis, sed potius divisio attentata, per solam enim seminationem fornicantes fiunt una caro.

963. Quaeritur 4. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere. Ratione adulterii certe non tenetur,

(1) P. 6. §. 4. n. 8. (2) L. c. (3) L. 9. c. 16. n. 5. (4) L. c. (5) N. 47. (6) P. 6. §. 1. n. 2. (7) N. 45. (8) N. 51. (9) L. c. (10) P. 6. §. 4. n. 8. (11) §. 4. num. 8. (12) Lib. 16. d. 4. num. 2. (13) L. 9. c. 16. n. 5. (14) Supp. quaest. 62. art. 1. ad 4. (15) Loc. cit. n. 5. (16) P. 7. §. 1. n. 2. (17) P. 255. n. 7. (18) C. 16. n. 9. (19) L. c. (20) P. 255. num. 9. (21) L. 10. d. 4. num. 13. (22) Qu. 4. p. 5. num. 2. (23) L. 25. num. 151. (24) De matr. c. 16. p. 1. n. 10

dum haec dimissio a Christo Domino tantum sit permissa, non praecepta, ita d. Thom. [1] et alii omnes ex *can. Idololat. caus.* 28. *quaest.* 1., ubi d. Aug. sic dixit: *Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non iussit, dedit locum apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem.* Ratio patet, quia divortium introductum est in favorem innocentis, unde non debet in eius poenam verti. Tantum vero potest vir teneri ad dimittendam adulteram ratione correptionis fraternae aut scandali vitandi, ut docent s. Thom. [2] Pal. [3] Bon. [4] Salm. [5] et alii ex *c. Si vir de adult.* ubi dicitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et eius peccati particeps.* Sed quoad obligationem correptionis pertinet, communiter dicunt dd. non teneri virum dimittere uxorem si alia via, nempe verbis aut verberibus possit eam corrigere, ita d. Thom. [6] Salm. [7] ac s. Bonav. Caiet. Sylvest. Arm. Covar. Barbosa Manuel. etc. apud Sanch. [8]. Item nec tenetur si ex tali dimissione timeat gravia incommoda, nimirum periculum propriae incontinentiae, vel rixas cum propinquis uxoris, vel infamiam aut iacturam gubernationis domesticae et similia, quia praeceptum correptionis non obligat cum gravi incommodo, ita s. Anton. [9] Pont.[10] Pal.[11] Escob.[12] Nav. [13] Bonac.[14] Salm.[15] et Sanchez[16] cum Soto Palud. Led. etc. Caeterum bene aiunt Laym.[17] Viva[18] quod si putet vir hac sola via adulteram corrigendam esse, eo casu tenetur ex caritate (intellige si possit absque gravi incommodo) ad tempus eam dimittere.

Quod ad scandalum autem pertinet, tenetur etiam vir uxorem dimittere, ne videatur ipse peccato uxoris consentire, ut docent d. Thom.[19] Sanch.[20] Pont.[21] et Salm.[22] cum aliis, ex *cit. c. Si vir*, ubi maritus retinens uxorem pertinacem declaratur *reus, et eius peccati particeps.* Et idem dicitur in *c. Non solum 6. caus.* 28. *q.* 1. ibi: *Quod si in his factis perseverat, recede ab illa. Sin autem, et tu particeps peccati illius eris.* Hoc tamen intelligitur 1. ut dicunt s. Anton.[23] Sanch.[24] Pontius et Salm.[25] si adulterium sit notorium, non vero si occultum. Intelligitur 2. ut dicunt Laym.[26] Pal.[27] Pont.[28] Salm.[29] cum Dicast. et Per. ac Bon.[30] cum Sylv. Tol. Con. Cai. Reg. Gutt. Reb. Fill. et Led. si vir aliquo modo nequeat scandalo occurrere, secus vero si posset alia via, nempe uxoris reprehensione, reclusione, verberatione aut alia moderata coercitione. Quod si, his mediis adhibitis, scandalum perseverat, erit vir excusatus si uxorem non dimittit ex iusta causa, nempe ratione periculi suae incontinentiae, vel si laboret inopia aut morbo, et ideo indigeat ope uxoris, vel si alias deberet grave damnum subire, vel si alias uxor deterior evaderet aut illi immineret notabile detrimentum sanitatis aut si adsit probabilis spes fore ut brevi uxor resipiscat, prout docent s. Anton.[31] Palaus[32] Salm.[33] et Sanch.[34] cum Soto Nav. Palud. Maior. Tab. Led. Palac. Philiarch. Gabr. Ang. Sylv. Lop. Arm. Ricc. et Abul., etsi non omnes aa. citati omnes praefatas causas excusantes proponant. Addunt Salmant.[35] sufficere insuper causam, si plures expensae essent impendendae ut divortium fieret auctoritate iudicis, vel si ex divortio contentiones timeantur. Demum d. Anton.[36] sic concludit: *Ergo vir cum detrimento iuris sui et periculo non tenetur* (uxorem) *expellere.* Ita praefati aa., sed alii probabiliter dicunt quod si vir iam praebuerit sufficientia indicia quod ipse aegre ferat uxoris a-

(1) Suppl. quaest. 62. art. 2. (2) L. c. (3) P. 6. §. 3. n. 3. (4) P. 5. n. 15. (5) De matr. c. 16. p. 1. n. 5. et 6. (6) L. c. ad 1. (7) Ibid. n. 7. (8) L. 10. d. 13. n. 9. (9) 3. p. tit. 2. c. 20. §. 9. (10) L. 9. c. 17. n. 4. (11) N. 3. (12) N. 136. (13) C. 16. n. 28. (14) D. n. 13. (15) Cit. n. 7. (16) N. 8. (17) C. 7. n. 15. (18) Quaest. 2. n. 5. (19) L. c. (20) N. 10. (21) Num. 3. (22) Ibid. num. 6. (23) L. c. (24) N. 21. (25) De matr. c. 16. p. 1. n. 7. (26) D. n. 5. (27) N. 3. (28) N. 5. (29) Locc. cit. circa fin. (30) N. 13. (31) 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 9. (32) N. 3. (33) Cit. n. 7. (34) D. d. 13. n. 19. (35) Ibid. (36) L. c.

dulterium, non tenetur eam dimittere ratione scandali, quia si nihilominus alii scandalizantur, scandalum ipsorum erit pharisaicum, quod non tenetur ipse vitare, ita Pal. [1] cui consentit etiam Laym. [2] cum Palud. qui ait: *Si explicet maritus quod non foveat illam in crimine, sed iuxta se retineat ut cohibeat a peccato. Quod si nihilominus aliquis scandalizetur, scandalum est ex malitia, quod contemnitur*. Idem sentit Glossa *in c. Non solum*, supra citato, ubi ad verba, *sin autem, et tu particeps peccati illius eris*, explicat: *Id est, si non revocas eam a proposito*. Ergo vir qui revocat adulteram a proposito non est reputandus particeps peccati illius. Clarius id docet d. Anton. [3] dicens: *Propter scandalum pharisaeorum non tenetur homo dimittere ius suum, prius debet* (maritus) *exponere quod non foveat illam in crimine, sed magis, ut eam melius cohibeat a peccato, iuxta se retinet, et cum hoc sit verisimile, si quis ex hoc scandalizatur, non erit scandalum pusillorum, et cum non potest dimittere sine periculo suo, licite potest retinere*. Hinc ex omnibus praedictis bene inferunt Pal. [4] Sanch. [5] cum Led. et Abb. ac Salm. [6] cum Soto Pont. Dec. Perez Trull. etc. quod propter hanc causam scandali raro teneatur vir uxorem adulteram dimittere.

964. Quaer. 5. An uxor teneatur divortium facere a viro adultero.

Prima sententia quam tenent s. Anton. [7] et Sanchez [8] cum Palud. Sylv. Soto Tab. Arm. Sa Led. etc. dicit nunquam teneri: non ratione scandali quia nunquam praesumitur uxor consentire in viri adulterium, non ratione correptionis quia tantum superioris est corrigere facto; uxor autem est subdita viro, unde *ipsa* (ait d. Anton.) *non debet virum corrigere facto sed verbo*.

Secunda sententia tamen mihi verior quam tenent Bon. [9] Con.[10] Nav.[11] Antoine[12] Salmant.[13] cum Dic. et Perez, item Pet. Soto Palao Gabr. Ledesm. etc. apud Sanch.[14] dicit etiam uxorem teneri aliquando divertere a viro adultero, quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo, corrigere superiorem modo quo potest et a fortiori ad id tenetur uxor, cui iam concessum est relinquere virum adulterum, dummodo tamen (ait Antoine) ipsa sciat virum hoc medio certo emendandum: sed melius dicit Concina si probabilis sit spes emendationis, quia correctio bene debet fieri ubi spes probabilis intervenit, ut dicunt Salm.[15] cum Suar. Pal. Diana etc. Merito vero dicunt praefati aa. ad hoc raro sive rarissime teneri uxorem, tum quia rarissime uxor potest corripere virum, tum quia rarissime poterit uxor a viro discedere sine gravi incommodo. Et ideo nec etiam tenetur ei debitum negare: tanto magis quia negando vir fieret deterior, ut docent s. Anton et Bonac.[16] cum Sanch. Fill. et aliis.

965. Utrum autem teneatur coniux innocens recipere alterum ex adulterio emendatum. Affirmant Concina ac Bus. *infra n.* 5. cum Laym. et Perez ad hoc teneri ex caritate, si alias ille sit in periculo relabendi. Sed ego minime auderem innocentem ad hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus Dom. eum perpetuo liberaverit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex alia non videtur caritas ad tantum onus obligare, ut coniux recipiat alterum qui fregit sibi fidem. Unde merito dicunt Salm.[17] tantum ex honestate et decentia debere innocentem sibi conciliare emendatum si commode potest. Nec obstat quod in *c. Si vir adult.* dicatur: *Debet, sed non saepe recipere peccatricem:* nam Glossa tò *debet* explicat: *Debet debito honestatis, non necessitatis*.

966. Quaer. 6. In quibus casibus illicitum sit coniugi divortium facere ab altero in adulterium lapso. Primus est si uterque reus sit adulterii, tunc enim neuter ius habet ad divortium, et-

(1) N. 5. (2) D. num. 17. (3) L. c. (4) L. c. (5) N. 26. (6) De matr. c. 16. p. 1. n. 7. in fin. (7) 3. p. tit. 1. c. 20. §. 9. (8) L. 10. d. 14. n. 29. (9) P. 5. n. 15. (10) P. 256. n. 16. (11) C. 22. n. 21. (12) P. 587. quaest. 9. (13) C. 16. n. 7 (14) N. 27. (15) Tr. 21. c. 7. p. 4. §. 3. n. 66 (16) L. c. (17) De matr. c. 16. p. 2. n. 21.

si unus semel peccaverit et occulte, alter vero centies et publice; ita Sanch.[1] Pont.[2] et Salm.[3] cum Soto Coninch. Trull. Dic. et aliis passim, ex d. Th.[4]. Dubitatur autem hic an in tali casu coniux emendatus possit divortium facere ab altero in adulterio perseverante. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia negat, nisi condonationem sui criminis iam obtinuerit, quia emendatio illius, ut dicunt, iniuriam alteri (vel semel factam) non extinguit. Ita Pont.[5] Dicast. Led. Hurt. Bas. apud Salm.[6].

Secunda sententia autem sat probabilis quam tenent Sanch.[7] Viva[8] Aversa Trull. Con. Bonac. Reg. Henriq. etc. ac Salm.[9] dicit quod emendatus possit separari ab altero qui post correctionem non resipiscit. Ratio, quia (ut dicunt) si post crimina ambo conjuges se reconciliarent, tunc, uno relabente, posset alter certe recedere: ita pariter in praesenti casu, nam emendatus per ipsam correptionem iam virtualiter offert reconciliationem quam alter admittere tenetur, et sic terminus iam imponitur compensationi: ita ut alter non amplius habeat ius in posterum compensandi novum peccatum cum praeterito coniugis emendati, et ideo ob novum adulterium iuste tribuitur emendato ius recedendi.

Secundus casus est si coniux consentiat in adulterium alterius: tunc enim amittit ius recedendi ex *c. Discretionem de eo qui cog. etc.* Et est communis sententia cum Sanch.[10] Bonacina[11] et Salm.[12] Con. Trull. Per. etc. d. Th.[13]. Notandum tamen hic uniformiter quod non sufficiat ad praesumendum consensum viri, si ille prudenter dissimularit vel non averterit adulterium uxoris eo quod non potuit sine magno incommodo; vel si causam tantum remotam praebuit, ut si male eam tractavit; in allatis enim textibus statuit non excusari foeminam adulterantem etiamsi a viro sit iniuste dimissa.

Tertius casus est si coniux sine culpa formali adulteretur, puta, ob errorem inculpabilem vel si violenter cognita sit, ita communiter s. Thom.[14] Sanchez Con. etc. cum Salm.[15]. Secus vero, ut notat Sanch.[16], si per metum consentiret, quia propter metum non excusatur a culpa. Notat etiam Dicast. apud Salmant.[17] quod si uxor putans virum esse mortuum, extra matrimonium fornicetur, etiam vir potest eam dimittere, secus si vir fornicetur putans mortuam uxorem.

Quartus casus est, si iniuria sit remissa, sive ante sive post divortium. Si autem post remissionem relabatur vel reconciliatus vel reconcilians, alter iam dimittendi ius habet, Sanch.[18] Salmant.[19] et alii. Praesumitur autem facta remissio vel ex verbis vel factis, ut si coniux innocens, conscius et memor adulterii, omnino sponte coeat cum adultero, ut docent s. Thom.[20] Sanch.[21] Salm.[22] cum Dicast. Trullench. Aversa et aliis apud Bus. Signa pariter sunt remissionis, si maneant in eadem domo, mensa, lecto, maxime si interveniant oscula, tactus, amplexus. Notandum tamen quod si coniux innocens per haec vere animum non habeat remittendi, in conscientia semper recedere potest, quamvis in foro exteriori divortium ei negetur, ita Sanchez[23] et Fill. Aversa Trull. Vill. cum Salm.[24].

967. Sed dubitatur hic 1. An facto divortio per sententiam iudicis, possit innocens adhuc adulteram cogere ut ad se redeat. Duplex est sententia.

Prima sententia quam tenent Soto et Led. apud Sanch.[25], qui probabilem vocat, dicit quod per sententiam etiam adultera remaneat soluta ab obligatione cohabitandi et reddendi debitum.

Secunda sententia vero et communis quam tenent Sanch.[26] cum Sylv. Henr.

(1) L. 19. d. 6. n. 8. (2) L. 9. (3) Ib. n. 12. (4) In 4. d. 35. qu. un. a. 6. ad 5. (5) L. 9. c. 17. (6) Ibid. n. 13. (7) L. 10. d. 7. n. 4. (8) Q. 8. a. 1. num. 7. (9) De matr. c. 16. p. 2. num. 14. (10) Lib. 10. d. 5. num. 4. (11) P. 5. num. 14. (12) Ib. n. 15. (13) Suppl. q. 62 a. 1. (14) L. c. (15) Ibid. num. 17. (16) Num. 15. (17) L. c. (18) D. 6. n. 7. (19) De matr. c. 16. p. 2. n. 18 (20) Suppl. quaest. 62. art. 1. (21) D. 6. n. 19. et d. 14. n. 6. (22) Ib. n. 19. (23) D. 14. n. 21. (24) Dict. n. 19. circa fin. (25) L. 10. d. 10. n. 2 (26) N. 3

Led. Sa et pluribus aliis, item Palaus [1] Pont. [2] Bon. [3] et Salm. [4] cum Con. Gutt. Reg. Aversa etc. docet quod semper ac status utriusque coniugis non sit mutatus, nempe si neuter voverit castitatem etc., teneatur adultera redire, quia innocens suum ius non amittit per sententiam, quae tantum in poenam adulterae, non in favorem emanatur, ita expresse docet d. Thom.[5] qui ait: *Cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei ius petendi debitum, vel revocandi uxorem, unde uxor tenetur ei reddere et ad eum redire si fuerit revocata, nisi de licentia eius votum continentiae emiserit.* Et ad hoc ut adultera teneatur redire, recte dicit Sanchez[6](contra Palac.) non requiri novam sententiam iudicis. Merito vero ait Palaus [7] cum Gutt. raro posse compelli uxorem adulteram redire ad virum, propter prudentem timorem mortis aut saevitiae facile ab illo inferendae.

Dubit. 2. Si coniux innocens, facto divortio per sententiam, labitur in adulterium, utrum is amittat ius ad divortium, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire.

Prima sententia affirmat quia iniuria iam est compensata, nec sententia ita abstulit adultero ius, ut innocens post divortium possit adulterari, ita Pont.[8], item apud Salm. [9] s. Anton. s. Bonav. Per. Dicast. Con. Aversa Sotus Diana Leand. et probabilem vocant Salm.[10].

Secunda sententia tamen quam longe probabiliorem censeo et tenent s. Th.[11] Sanch.[12] et Salm.[13] Fill. Reg. Bon. Led. et alii, dicit non teneri: quia per sententiam absolute latam iam innocens absolutus mansit a servitute, et adulter iure suo privatur. Hoc tamen non obstante, d. Thom.[14] sic advertit: *Secundum aequitatem iuris iudex ex officio suo debet eum cogere*[15], *ut caveat periculo animae eius et scandalo aliorum, quamvis uxor non possit reconciliationem petere.* Et in hoc omnes conveniunt, ut dicunt Salm.[16].

968. Dubit. 3. An coniux possit adulteram dimittere propria auctoritate. Adsunt tres sententiae satis probabiles.

Prima sententia absolute negat et hanc tenent d. Thom.[17] qui ait: *Divortium non potest celebrari, nisi iudicio ecclesiae*, Concina[18] ac Bellarm. Aversa apud Salm.[19]. Ratio quia separatio coniugum est actio publica, pertinens ad externam gubernationem, unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione.

Secunda sententia quam tenent Layman [20] Pont.[21] et Salm.[22] cum s. Ant. Soto Con. Henr. Vill. etc. distinguit et affirmat, si adulterium est notorium, negat vero si occultum, quia tunc fama coniugis adulteri iniuste proderetur. Idque confirmant ex *c. Significasti 4. de divort.* ubi dicitur: *Si notorium est mulierem adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.* Item ex *c. Ex parte* 9. *de spons.* ibi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.*

Tertia sententia demum absolute affirmat posse fieri divortium sine sententia, sive adulterium sit publicum sive occultum, modo sit certum, et ex separatione non interveniat scandalum quod non possit aliter reparari, ita Sanchez[23] cum Soto Pal. Henr. Abb. etc. ac Bonac.[24] cum Sa Led. Reg. Con. et Fill. Probatur 1. ex *c. Dixit Dominus* 32. *q.* 1. ibi: *Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor.* Nota tò *libere*, quod denotat nullam requiri sententiam aut licentiam. Et ratio est quia absolute concessum est a Christo Domino dimittere coniugem adulterantem. Haec sententia mihi probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte foeminae; durum enim esset cogere virum certum

(1) P. 6. §. 7. n. 1. (2) L. 9. c. 19. (3) P. 5. n. 16. (4) Ibid. n. 22. (5) Suppl. quaest. 62. art. 6. ad 3. (6) N. 24. (7) P. 6. §. 7. n. 3. (8) L. 9. c. 20. num. 6. (9) De matr. c. 16. p. 2. num. 23. (10) Cit. n. 23. (11) Suppl. q. 62. art. 6. ad 4. (12) L. 10. d. 10. n 30. (13) Ibid. n. 24. et 25. (14) L. c. ad 4. (15) Alias monere. (16) N. 14. (17) Suppl. quaest. 62. a. 3. (18) P. 256. n. 14. (19) L. c. p. 4. n. 46. (20) C. 7. num. 3. et 9. (21) C. 13. num. 2. et 6. (22) Ibid. num. 47. (23) L. 10. d. 12. n. 31. et 32. (24) P. 5. n. 14.

de adulterio uxoris, ut publicum faciat illius crimen in iudicio cum suo perpetuo dedecore. Bene tamen advertit Bonac. [1] quod si post divortium iudex cogat coniugem ad cohabitandum, teneatur obedire, sed iuxta hanc sententiam non tenetur reddere.

969. Notandum autem hic quod, facta iuridica separatione, vir innocens possit ingredi religionem, etiam invita adultera, *c. Agatosa* 27. *q.* 2., possitque etiam ordines sacros suscipere, ut Salmant.[2] cum communi, manente tamen vinculo matrimonii: quare, si is, suscepta religione vel ordinibus sacris, cum alia coiret, licet tunc non detur amplius criminis compensatio, attamen verum adulterium committeret. Item, si uxorem cognosceret, peccaret quidem peccato sacrilegii, sed non fornicationis. Hoc autem esset, si matrimonium iam consummatum fuerit, nam alias matrimonium per professionem religiosam (non autem per ordines sacros) etiam quoad vinculum dissolvitur, Salm. [3] et communiter. Recte autem advertunt Salm. [4] quod si coniux innocens absque sententia iudicis separetur ab adultera, vix unquam posset, etiam iuxta primam opinionem, ut supra, sacerdotium suscipere: quia difficulter hoc fieri posset absque scandalo.

E converso adulter, nec etiam facto divortio iuridico, potest religionem ingredi aut sacerdotium suscipere, nisi de licentia alterius, vel nisi alter iam statum irrevocabilem assumpserit. Alias, si religionem aut sacerdotium suscipere velit, esto iam assumpserit, potest ab illo repeti, et tenetur reddere. Sed sufficit ad hoc licentia tacita, ut si alter sciens hunc velle mutare statum, non impediat, cum commode possit. Et sufficit etiam si alter requisitus neget reconciliationem, ut dicunt Sanch.[5] et Salm. [6] cum Con. Aversa Dic. Dian. Bon. Led. ex *c. Gaudeamus de conversione coniug.* Addunt Pont. [7] Sanchez [8] cum aliis et Pal [9] quod si post bienium adulter non revocatur, potest libere religionem ingredi vel sacris initiari, quia tunc censetur alter in hoc ei consentire, iure sic disponente in authentica *Sed hodie c. ad l. Iul. de adult.*

970. » 2. Saevitia mariti vel uxoris. Ex qua, si grave periculum comparti immineat, potest separatio peti a iudice, imo, si mortem minetur vel venenum paret, potest divertere ante iudicis consensum. Vide Bonac. [10] Laym. Perez [11]. »

Constat ex *c. Ex transmissa, de rest. spol.* ob saevitiam coniugis posse alterum separari, quamvis iste ob aliquod suum crimen fuerit causa saevitiae illius, *c. de bened.* 32. *q.* 1. Non tamen sine sententia iudicis, et postquam crimen sit plene probatum, ut ex conc. carthag. in *c. Saeculare* 33. *q.* 2.

971. Sed quaeritur 1. an tunc possit recedere propria auctoritate. Affirma, si periculum sit in mora (ut ait hic Busemb.) vel si non posset litigare, aut iudicem adire, vel facile saevitiam probare, ita Sanchez [12] Anaclet.[13] et Salmant.[14] cum Aversa Trull. Vill. Si vero possit iudicem adire et saevitiam probare tenetur expectare sententiam, ut dicunt Sanch.[15] Pal.[16] Pont.[17] et Salmant.[18] ex *c. Significasti de divort.* contra Trull. et Hurt. Ratio, tum quia exigitur sententia ne passim divortia fiant, tum quia causa haec saevitiae introducta est auctoritate ecclesiae, et ideo aequum est ut nemo ea utatur ad discedendum sine ecclesiae auctoritate.

Quaeritur 2. an talis iuste recedens possit, invito coniuge, religiosus fieri. Negatur, nisi timor de damno gravi sit talis, ut nunquam deponi possit, ex *c. Litteras, de rest. spol.* Alias divortium tantum ad tempus erit, donec cesset periculum, data cautione in iudicio, ita Sanch.[19] Salm.[20] cum Bas. Trull. Fill. Dicast. Notant autem Salm.[21] cum Dic. in praxi vix credi posse, quod ces-

(1) Loc. cit. (2) De matr. c. 16. p. 4. n. 50. (3) Ibid. (4) Ib. n. 52. (5) L. 10. n. 15. et 19. (6) De matr. c. 16. p. 4. n. 54. (7) L. 9. c. 6. n. 5. (8) N. 8. (9) P. 6. §. 7. n. 2. (10) Loc. cit

(11) S. 5. (12) L. 10. d. 18. n. 5. (13) P. 667. n. 110. (14) Ibid. p. 5. num. 58. (15) L. c. (16) §. 4. num. 6. (17) L. 9. c. 25. num. 7. (18) Dict. num. 58. (19) L. 10. d. 18. n. 5. (20) De matr. c. 16. p. 5. n. 57. (21) Ib. n. 50

set unquam periculum, si coniux fuerit amens et furiosus, vel ita pronus ad iram, ut saepe intervenerit periculum damni, et aliquando uxorem vulneraverit, vel si dederit venenum, etiam semel.

Quaer. 3. qualis timor sufficit ad divortium ratione saevitiae. Resp. Sufficit ut prudenter timeri possint quaecumque mala gravia a coniuge vel ab eius propinquis, ut si adessent comminatio mortis, verba iniusta, frequentia convicia et iurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortus intentati, vel mali gravis in aliis filiis aut consanguineis, etc. Ita Sanch. [1] ac Salm. [2] cum communi. Recte tamen advertunt Salm. [3] quod aliqua ex his quae respectu foeminae nobilis essent gravia, respectu alterius humilis conditionis levia erunt. Item advertunt Sanchez[4] et Roncaglia[5] non sufficere solas minas, nisi coniux solitus sit illas exequi; quapropter iudex bene perpendere debet minantis conditionem et modum, ex *l. Haec autem* 5. *ff. Si cui plus, etc.*

972. Quaer. 4. an sola verbera sint causa iusta divortii. Alii affirmant, Bart. Bald. Lupus Graff. etc. apud Sanch. [6] Alii negant, nisi ex verberibus probabiliter timeatur periculum mortis, ut Cuiac. etc.[7]. Alii vero communissime, ut Pont.[8] Ronc.[9] et Sanch.[10] cum Host. Abb. Ang. Sylv. Henr. Arm. Tab. etc. dicunt licitum esse viro verberare uxorem, modo non fiat frequenter, nec ex levi causa, nec acriter, quamvis causa sit magna: sed raro et mediocriter. Unde probabiliter ait Sanch. non posse uxorem discedere si verberatio est levis, etiamsi sine causa verberata fuerit (excipiunt Salm.[11] nisi mulier esset nobilis). Item addunt Ronch.[12] Bon.[13] Pal.[14] et Sanch.[15] cum Rol. et Rimin. non licere uxori divortium facere ex una verberatione, etsi gravi, sed requiri saltem binam, nisi probabiliter timeatur ne maritus verberationes replicet, attenta illius natura et circumstantiis, puta si ipse domi vel etiam extra domum detineat concubinam.

973. « 3. Si coniux compartem trahat in peccatum, v. g. sollicitet ad haeresin, veneficium etc. (Adde si vir alios in domum introducat cum periculo quod tentet ad adulterium. Vel si vir velit exercere sodomiam cum uxore, etsi ipsa consentire renuerit, ut Salm.[16] cum Sanch. Bas. Soto) tunc enim innocens potest se separare, imo tenetur, si periculum sit grave. Laym.[17].

» 4. Morbus contagiosus, v. g. lepra. (Ut d. Th.[18] qui ait: *Uxor viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen ei cohabitare.* Hoc autem recte ait Sanch.[19] cum s. Anton. et aliis, intelligi si ex cohabitatione probabiliter immineat periculum infectionis. Item iusta erit causa discedendi, si alter coniux sit furiosus aut maleficus aut energumenus, ut Salm.[20] cum communi). Quod si tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad id tenetur, aut saltem adhabitare et ministrare, nisi alter remittat.

974. » 5. Haeresis vel apostasia superveniens matrimonio. Quo casu, si separatio facta sit iudicio ecclesiae, non tenetur coniugem conversum recipere, saltem ex iustitia: nam ex caritate aliquando tenetur, ut si sit periculum incontinentiae. Bon. Laym. [21] Per.[22] (Nota hic quod non ob quaecumque crimina coniugis potest alter separari, sed tantum ob perniciosa. Potest autem ab haeretico discedere, etsi haeresis sit occulta: imo tenetur si sit in periculo perversionis, vide Salm.[23] Et si crimen sit declaratum, potest alter etiam fieri religiosus, ut Salm.[24], modo iudicio ecclesiae discesserit, ut patet ex *c. De illa, de divort.*, ubi hoc divortium declaratur esse perpetuum).

975. » 6. Mutuus consensus. Ex quo licite se separant vel toro, sive ad tem-

(1) L. 10. d. 18. n. 11. et 12. (2) Ibid. n. 41. (3) Cit. n. 41. (4) N. 15. (5) P. 130. q. 5. r. 1. (6) D. 18. n. 14. (7) Ib. n. 5. (8) L. 9. c. 25. n. 5. (9) P. 130. quaest. 5. r. 1. (10) N. 16. (11) De matr. c. 16. p. 5. n. 41. (12) L. c. (13) P. 5. n. 5. (14) P. 6. §. 9. n. 8. (15) N. 16. (16) Ib. n. 35 (17) L. 5. t. 10. p. 3. c. 7. n. 16. (18) Suppl quaest. 64. a. 1. ad 4. (19) L. 9. d. 24. n. 29 (20) Dict. n. 35. (21) Loc. cit. (22) D. 37. s. 1 (23) De matr. c. 16. p. 5. n. 27 et 23. (24) Ib. n 34

pus sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non solet permitti, nisi uterque ingrediatur religionem, vel uxore ad religionem transeunte (aut si vetula sit, id est sexagenaria, Azor. etc., vel saltem quinquagenaria, Sanch. Bonac. Barb. Dian. [1] manente in saeculo in voto continentiae), maritus suscipiat sacros ordines (Si autem coniux remanens in saeculo nesciebat se teneri eo casu ad emittendum votum castitatis, dicunt Sanch. Fagn. etc. (contra Anacletum) apud p. Ferraris [2] quod ille, adhuc praestito consensu, potest ad se revocare coniugem etiam in religione professum). Porro, apud quem et cuius expensis, facto divortio, liberi sint educandi. Vide Laym.[3] et Sanch. Vide Per. [4] Bon. [5]. »

976. Conveniunt dd. quod, facto divortio iuridico, filii sint educandi apud coniugem innocentem; quo vero ad expensas, si divortium fit culpa patris, eius expensis educanda est proles, ex *Authent. Si pater, c. Divortio facto*, ubi : *Si pater causam divortii praestiterit, apud matrem, ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris expensis*. Et contra expensis matris, si divortium fit culpa matris; ita Glossa *in dicta Auth.* Pal. [6] Laym. [7] et Sanch. [8] cum Bart. Palud. Hist. Sylvest. Henriquez Gutt. etc. ex *eadem Authent.* ubi legitur : *Si vero contra, tunc apud patrem, matris locupletis expensis, nisi pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Sed negant Sal. Boerius et Alex. apud Sanch. [9] quod asserunt praedicta verba non esse in textu originario (ut fatetur ipsa Glossa) sed inserta fuisse ab Irnerio. At hoc non obstante, non discedendum a sententia communi, ut ait eadem Glossa, quia, cum matri adulterae dos, facto divortio, restituatur, ius naturale postulat ut ipsa matrimonii onera sustineat; alias commodum ex suo crimine reportaret. Ad hoc tamen bene advertit Sanch.[10] cum communi omnium omnino requiri sententiam iudicis. Quando autem alter coniugum esset infidelis vel haeretious, proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis fuerit in culpa, ut Sanch.[11] Pal.[12] cum aliis.

977. « Quaeres an uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem.

» Resp. Teneri, quia vir est caput familiae et uxoris.

Excipiuntur tamen sequentes casus:

» 1. Si ex sequela timeatur grave onus vel periculum, v. g. vitae, pudicitiae vel salutis; vel uxor a viro peregre non alatur.

» 2. Si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facile sit sequi, secus tamen, si ante fuit vagus, idque ipsa scivit.

» 3. Si in contractu matrimonii additum fuit pactum de non mutando domicilio, et nulla gravis necessitas urgeat. »

Regulariter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium etiamsi mutet sine iusta causa, modo causa non sit turpis. Sanch.[13]. Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quae non potest derogare iuri divino, quod constituit virum caput uxoris, ut in 1. *Cor.* 11. 3. Item etiamsi vir longe discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus, secus vero si brevi inde reversurus sit; ita Sanch.[14] cum Panorm. et Alex. de Nevo ac Boss.[15] cum Suar. Barb. et Farin., tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem, ut dicunt Salm.[16] cum Sanch. Tol. Bon. Sayr. Fill. etc. Prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magnae expensae requirerentur ad eam illuc transvehendam. Salm.[17] cum aa. citatis. E converso uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponeretur gravi periculo

(1) P. 3. t. 4. r. 73. (2) Bibl. verb. Coniux n. 23. (3) Hic l. 1. (4) D. 53. et 59. (5) Q. 3. p. 5. n. 11. (6) P. 4. c. 10. n. 5. (7) C. 7. (8) L. 10. d. 20 n. 7. (9) L. c. n. 5. (10) N. 8. (11) N. 3. (12) L. c. (13) L. 1. d. 40. n. 2. et 6. (14) L. c. d. 41. n. 11. (15) C. 6. n. 34. (16) De 4. praec. c. unic. p. 3. §. 1. n. 43. (17) Ib. d.

vitae, ut Sanch.[1] cum Sylv. Nav. Arm. Ang. etc., aut periculo gravis detrimenti, ut Boss. [2] cum Laym. et aliis communiter. Sic pariter non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi uxor ante matrimonium id sciverit, ut Sanch. [3] cum Sylv. Ang. Nav. Lopez Man. et Boss. [4] cum aliis communiter. An autem uxor teneatur sequi virum in exilium condemnatum. Probabilius affirmandum cum Sanch. [5] Boss. [6] et alii. *Vide dicta l. 3. n. 353.*

CAP. III. De impedimentis matrimonii.

978. *Impedimenta alia sunt impedientia, alia dirimentia.*
979. *An ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia.*
980. *Quis possit ea constituere. Dub. 1. An episcopi.*
981. *Dub. 2. An impedimenta dirimentia apposita ab ecclesia obligent infideles.*

978. « Duplicis generis sunt impedimenta : quaedam illicitum tantum, alia insuper irritum matrimonium reddunt. Priora dicuntur impedientia, posteriora dirimentia. »

979. Non dubitant haeretici nostri temporis posse ecclesiam constituere impedimenta matrimonium impedientia, negant tamen posse constituere dirimentia. Sed conc. Trid.[7] sic statuit: *Si quis dixerit ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anathema sit* [8]. Nec obstat dicere quod ecclesia nequit invalida reddere sacramenta instituta a Christo Domino, quando celebrentur cum debita materia et forma. Nam resp. quod sacramentum matrimonii subsistit in illius contractu; quare, etsi ecclesia sacramentum invalidare non possit, potest tamen ob bonum commune spirituale, ratione cuius supremam habet potestatem super populum christianum invalidare contractum, sine quo sacramentum minime conficitur.

980. Hanc autem facultatem indicendi impedimenta dirimentia, certum est habere summum pontificem et concilium generale auctoritate illius confirmatum.

Sed dubitatur 1. an habeant illam etiam episcopi ex potestate ordinaria in suis dioecesibus. Attento iure naturae, affirmant Sanch. [9] Pont. [10], item Sot. Trull. Bonac. et alii apud Salm.[11]. Ratio quia episcopi possunt in suis dioecesibus, quod papa potest in ecclesia universali, nisi aliquid pontifex sibi expresse reservet, ut sentiunt Sotus[12] Pont.[13] Cabass.[14] cum Panorm. et Ió. Andr. ac Sanch.[15] cum Abul. Arrag. Victor. Cov. Perez Hurt. Henr. Maiol. Veracr. et aliis; exceptis tamen iis quae pertinent ad statum universae ecclesiae, prout est res fidei definire. Negant vero Suar.[16] Lug.[17] et Salm. [18] cum Con. Dian. Perez et Dic., quia res maximi momenti non sunt decernendae nisi a suprema sede. Caeterum ipsi Sanch. et Pont. fatentur quod, esto nulla sit lex prohibens episcopis inducere impedimenta dirimentia, id tamen

(1) L. 1. d. 41. num. 5. (2) C. 6. num. 38.
(3) L. c. n. 7. (4) N. 48. (5) L. 1. d. 41. n. 15.
(6) C. 6. n. 46. (7) Sess. 24. c. 4.
(8) Huc etiam pertinet censura Prop. 59. synodi pistoriensis in constit. *Auctorem fidei* :

Doctrina synodi asserens: *Ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia*, quod *ius originarium* praeterea dicitur cum *iure dispensandi essentialiter connexum*; subiungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii*, quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium in eisdemque distensare:

Canonum III. IV. IX. XII. sess. XXIV. concilii Tridentini eversiva, haeretica.

Recens exemplum suppeditat responsio sacrae poenitentiariae data 1. iun. 1824. ad episcopum vivariensem, qua declarat valida omnino esse christianorum coniugia inita cum impedimentis civilibus irritantibus; quae praeterea addit: *Ita eruitur ex instructione a suprema inquisitione per s. congregationis concilii organum ad episcopum brexinonensem an. 1824. transmissa: matrimoniis fidelium quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta.*

(9) L. 7. d. 1. num. 9. (10) L. 6. c. 1. num. 12.
(11) De matr. c. 11. dub. 1. n. 8. (12) De iust. l. 10. q. 1. a. 3. in fin. ad 2. (13) L. 6. c. 1. n. 12
(14) T. J. l. 1. c. 3. n. 6. (15) De matr. l. 1. d. 62. num. 3. (16) T. 5. d. 7. s. 4. num. 5.
(17) R. mor. l. 1. d. 45. (18) Ibid. n. 9.

vetitum est ex inveterata consuetudine. Sed praeter hanc consuetudinem refert Bened. XIV. [1] Urban. VIII. suo decreto approbasse declarationem s. c. ubi id expresse vetitum fuit, ac insuper pontificem praecepisse ne in posterum hoc in dubium revocaretur.

981. Dubit. 2. An impedimenta dirimentia ab ecclesia assignata obligent infideles. Resp. cum Sanch. [2] Salm. [3] Bec. Aversa etc. tantum obligare infideles viventes in locis summo pontifici temporaliter subiectis, cum ibi universaliter adstringantur legibus contractuum; secus si alibi degant.

Dub. I. Quae sint impedimenta impedientia tantum.

982. *Quae reddant matrimonium illicitum.* 1. *Ecclesiae vetitum, scil. prohibitio episcopi etc.*
983. 2. *Tempus feriarum quo prohibentur solemnitates, benedictio etc.*
984. *Dub.* 1. *An tunc liceat consummare. Dub.* 2. *An liceat consummare ante benedictionem.*
985. 3. *Catechismus.* 4. *Crimen, scil. incestus, raptus, uxoricidium etc.* 5. *Sponsalia.*
986. 6. *Votum castitatis aut religionis. Dub.* 1. *An episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post matrimonium.*
987. *Dub.* 2. *An in voto emisso ante matrimonium ad debitum petendum. An id possint mendicantes. Dub.* 3. *An aliquando episcopi, etiam ad matrimonium contrahendum.*
988. *Impedit etiam matrimonium* 1. *Clandestinitas.* 2. *Omissio benedictionis.*
989. 3. *Omissio denuntiationum.*
990. *Dub.* 1. *An peccet graviter parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum. Et quod dicitur de obligatione denuntiationum ante matrimonium idem dicitur post illud. Quid, si una tantum denuntiatio omittatur.*
991. *Dub.* 2. *An denuntiationes faciendae in ecclesia et in missa. Dub.* 3. *In qua parochia debeant fieri.*
992. *Dub.* 4. *In quibus diebus festivis. Et an aliquando possint fieri in diebus ferialibus.*
993. *Quando sint repetendae.*
994. *De obligatione denuntiandi impedimenta.*
995. *Dub.* 1. *An teneatur denuntiare impedimentum qui illud probare nequit.*
996. *Dub.* 2. *An unus testis de impedimento impediat matrimonium.*
997. *Requisita ut talis testis impediat.*
998. *Dubium* 3. *An sufficiat unus testis, si sponsalia fuerint iurata.*
999. *An fama impediat matrimonium. Quid si iudex privatam habuerit notitiam famae aut ipsius impedimenti.*
1000. *An contrahens teneatur impedimentum fateri.*
1001. *Quid debeat agere parochus cognito impedimento.*
1002. *Dub.* 1. *An parochus teneatur impedire matrimonium, si ipse solus noverit impedimentum. Dub.* 2. *Quid si ordinarius solus sit impedimenti conscius.*
1003. *Quis possit dispensare in denuntiationibus.*
1004. *An episcopus et ob quam causam.*
1005. *Causae ob quas episcopus tenetur dispensare.*
1006. *Causae ob quas non tenetur sed potest dispensare.*
1007. *Dub.* 1. *An possit dispensare vicarius generalis. Dub.* 2. *An aliquando parochus possit dispensare aut saltem declarare.*

982. « Resp. Praeter peccatum mortale et excommunicationem, sex potissimum reddunt matrimonium mortaliter illicitum, scilicet:

» 1. *Ecclesiae vetitum*, 2. *nec non tempus feriarum.*

» 3. *Atque catechismus*, 4. *crimen*, 5. *sponsalia*, 6. *votum.*

» *Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

» Dicitur 1. *Vetitum*, id est prohibitio ecclesiae, quae fit ab episcopo vel parocho, ob dubium impedimenti alicuius vel inhabilitatis inter copulandos. Vide Bon. [4] (Et tunc sponsi contrahendo graviter peccarent; leviter tamen, si prohibitio sit ob venerationem alicuius festi. Salm. [5].

983. » Dicitur 2. *Tempus feriarum*, quod secundum Trid. [6] incipit nunc ab adventu Domini usque ad epiphaniam inclusive: et a die cinerum usque ad octavam paschae inclusive. Quo tempore non prohibetur ipse contractus aut eius consummatio, sed tantum nuptiarum solemnitates, ut est benedictio nuptiarum, solemnis sponsae in domum sponsi traductio, solemniora convivia et tripudia etc. (Sed haec non sub gravi, nisi excessus sit magnus: imo, si fiant moderate, nulla erit culpa, ut ait Sanch. [7]. Neque Trid. [8] prohibet matrimonium consummari ante benedictionem, sed tantum hortatur ne fiat. Vide Bon. [9] Sanch. [10] Con. [11] Fill. [12] M. Per. [13]. »

(1) De syn. l. 8. c. 10. n. 2. (2) Ibid. n. 5. (3) Ibid. num. 10. (4) Qu. 1. p. 14. num. 1. (5) De matr. c. 13. p. unic. n. 1. (6) Sess. 24. c. 10. de reform. (7) L. 7. d. 7. n. 18. (8) Sess. 24. c. 1. (9) L. c. (10) L. 7. d. 7. (11) D. 50 (12) T. 10. p. 2. c. 9. (13) D. 45. s. 10. n. 7

984. Dubit. 1. an liceat consummare matrimonium tempore feriarum. Negant d. Th. [1] Fagn. [2], item s. Anton. et plures canonistae apud Sanchez [3] et probant ex *c. Nec uxorem caus.* 33. *q.* 4. ubi eo tempore interdicitur uxoris traductio; ex quo inferunt interdici etiam usum coniugii, quia propter hunc traductio prohibetur. Sed verius affirmant Sanch.[4] Pont.[5] Bellarm. [6] et fuse ss. p. Bened. XIV. [7] cum Diana Croix Bon. Pignatel. Perez Fill. Monac. et aliis; idque confirmat ex quadam declarat. s. c. edita die 10. iun. 1684. ubi dictum fuit permissam esse temporibus vetitis traductionem sponsae ad domum sponsi, modo fiat absque solemnitatibus. Et ratio est, ut ait praefatus Benedictus, quia non sunt imponenda certa onera ubi manifesta lex non adest illa praescribens. Ad canones autem qui opponuntur respondet idem pontifex eos consilii esse, non praecepti. Hinc refert Van-Espen reprehendentem canonistas qui nimis addicti rigorosis antiquorum canonum expressionibus, in praeceptum reduxerunt quod potius erat consilii.

Dubit. 2. an liceat consummare matrimonium ante benedictionem sacerdotalem. Negant plures, quorum alii dicunt esse tantum veniale, ut Caiet. Soto Covar. Ledesm. Henr. etc. apud Boss. [8]. Alii tenent esse mortale, ut Conc. [9] ac Palud. Gulielmus et Rosell. apud Escob.[10] et s. Anton.[11] qui putat coniuges toties peccare tunc mortaliter, quoties coeunt. Id probant ex pluribus canonibus quos affert Sanchez[12]. Probabilius tamen et communius dicunt nullum esse peccatum Navarr.[13] Pontius[14] Laym.[15] Salm.[16] Viva[17] Pal.[18] cum Con. et Ledes. Escob.[19] cum Vill. Ochag. Sanch.[20] cum Palac. Veracrux Philiarch. etc. Boss.[21] cum Bellarmino Barbosa Gutt. Fill. etc. Idemque docet Bened. XIV.[22]. Probatur 1. ex *c. Nostrates, caus.* 30. *q.* 5. ubi expresse dicitur id nullum esse peccatum his verbis: *Sicque demum benedictionem et velamen coeleste suscipiunt. Peccatum autem esse, si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus.* Probatur 2. Trident.[23] ubi: *Praeterea eadem s. synodus hortatur ut coniuges, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Per tò *hortatur* clare denotat concilium id esse consilii, non praecepti. Et idem habetur ex rituali rom.[24] ubi: *Moneat parochus coniuges ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consumment.* Cuique patet monitionem non importare praeceptum. Conveniunt tamen omnes quod omissio absoluta benedictionis non excusetur saltem a veniali. *Vide dicenda n.* 988. *v. Secundum.*

985. « Dicitur 3. *Catechismus:* Quod impedimentum contrahitur ab eo qui respondet pro infante, quando supplentur caeremoniae post baptismum collatum in necessitate (Dicunt tamen Salm.[25] catechismum esse illam professionem fidei, quae ante baptismum fit nomine baptizandi. Sed hoc impedimentum probabilius est sublatum per Tridentin. ut Salm.[26] cum Pal. etc. Et sic decisum a s. c. refert Diana[27]). Sed videtur sublatum per Trid. secundum Sanch. Fag. Conin. Fill. qui ideo monent parochos ut in libro distinguant patrinos catechismi a patrinis baptismi. Vide Bon.[28].

» Dicitur 4. *Crimen*, ut 1. Incestus cum consanguinea coniugis in primo vel secundo gradu scienter admissus (qui impedit matrimonium cum quacumque alia persona: vide Perez[29]) vel cum propria matre vel filia. 2. Raptus alienae sponsae. 3. Uxoricidium. 4.

(1) In 4. d. 32. art. 7. q. 4. (2) In c. capellanus, de feriis n. 6. (3) L. 7. d. 7. num. 21. (4) L. c. n. 25. (5) L. 6. c. 3. n. 9. (6) L. 1. de matr. c. 31. (7) Notif. 80. n. 17. (8) De matr. t. 1. c. 9. n. 11. (9) P. 302. n. 16. (10) L. 25. n. 258. (11) 3. p. tit. 1. c. 16. §. 1. (12) L. 3. d. 12. n. 1. (13) Man. c. 22. n. 85. (14) L. 5. c. 2. n. 3. (15) Ç. 4. n. 12. (16) De matr. c. 8. p. 6. n. 80. (17) Qu. 4. art 4. n. 6. (18) P. 13. §. 5. num. 8. (19) Num. 945. (20) L. c. num. 7. (21) L. c. num. 12. (22) Eadem notif. 80. n. 17. (23) Sess. 24. c. 1. (24) De sacram. matr. (25) Tr. cit. c. 15. p. unic. n. 3. (26) L. ç. (27) 3 p. de sacr. r. 26. (28) L. c. (29) D. 23. s. 5.

Presbytericidium. 5. Susceptio propriae prolis ex baptismo ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica poenitentia, quamdiu durat. 7. Matrimonium cum moniali. Verum haec per non usum sunt sublata. Vide Laym. [1] ex Navar. Sanch. [2] Conin. [3] (Sic etiam Conc. [4] et Salm. [5] cum Sanch. et communi, excepto voto, interdicto et sponsalibus. Episcopus autem tantum in interdicto potest dispensare. Salm. [6]).

» Dicitur 5. *Sponsalia*, scil. cum una contracta et non dissoluta. Con.[7] Sanchez Fill. Bonac. [8].

986. » Dicitur 6. *Votum*, scilicet simplex sive castitatis sive religionis sive non nubendi. V. Sanchez [9] Regin. [10] Bon. [11]. »

Notandum hic quod votum religionis aut castitatis absolutum non potest ab episcopo dispensari ante matrimonium; secus si fuerit conditionale aut poenale, ut dictum est *de voto l.* 3. *n.* 260. *Qu.* 3.

Sed dubitatur 1. an possit episcopus dispensare in voto castitatis a coniugibus emisso post consummatum matrimonium. Resp. Affirmative cum s. Antonin.[12] Pal.[13] Bon.[14] Sanch.[15] et ibi Arrag. Man. et Gutt. ac Salm.[16] et ibi Aversa et Corneio contra Lopez et alios. Ratio quia votum hoc non est omnimodae castitatis, cum nequeat obligare ad non reddendum debitum, nisi (bene advertit Sanch.[17]) emittatur ante consummationem, cum animo ingrediendi religionem. Censent autem Salm.[18] etiam vicarium generalem episcopi posse dispensare in huiusmodi voto ex concessione generali quam ipse habet ad omnes casus episcopales. In voto tamen castitatis coniugum de mutuo consensu emisso solus papa dispensare valet, ut communiter docent Sanch. Spor. Anacl. etc. ap. Ferraris[19].

987. Dubit. 2. an possit episcopus dispensare in voto castitatis emisso ante matrimonium ad petendum debitum. Negant Lessius [20] et Caiet. Sylv. Tol. ac Ledes. apud Sanch.[21] nisi adsit necessitas, puta periculum incontinentiae. Sed communius et valde probabiliter affirmant Sanch.[22] cum s. Anton. Soto Val. Sa Vega Henr. et pluribus aliis, item Elbel[23] Tamb.[24] Auctor libri *Istruz. per li nov. conf.*[25] Barb.[26] cum Sayr. Gutt. et Sylv. ex d. Thoma ac Conc.[27] cum Nav. et Henr. Ratio, tum quia lex reservationum est in aedificationem: esset autem in destructionem, si pontifex vellet sibi reservare talem dispensationem cum tanto periculo quod communiter adest: tum quia (ut ait Sanchez) haec facultas dispensandi conceditur episcopis ex consuetudine quae iurisdictionem praebet ex *c. Cum contingat, de foro compet.*

An autem in hoc voto possint dispensare confessarii mendicantes. Communiter affirmant Pal.[28] Wig.[29] Sanch.[30] cum Cordub. Veracr. Palac. Manuel. et Henr. Cont. Tourn.[31] cum Suar. et Laym. ac Salm.[32] cum Gutt. Candido Diana et Aversa. Et hoc virtute privilegiorum plurimorum pontificum quae referemus infra *n.* 1128. et signanter vi privilegii s. Pii v. vivae vocis oraculo. Id admittit etiam Pontius[33] quando scilicet votum castitatis est emissum ante matrimonium; negat vero si post matrimonium contractum, quia, ut ait (et idem dicunt Manuel et Vega apud Sanch.[34]) privilegium s. Pii loquitur tantum de dispensatione voti emissi ante matrimonium. Sed verius Sanchez et Salmant.[35] admittunt pariter de voto emisso post matrimonium, quia, licet virtute privilegii s. Pii non possint regulares dispensare, possunt tamen virtute aliorum privilegiorum, vi quorum valent ipsi dispensare in omnibus vo-

(1) Hic c. 15. (2) L. 7. d. 17. (3) D. 30. d. 3. (4) P. 542. n. 15. (5) De matr. c. 15. p. unic. n. 15. (6) Ib. num. 16. (7) D. 30. d. 3. (8) L. c. n. 5. (9) L. 7. d. 15. (10) L. 31. c. 24. num. 134. (11) L. c. n. 7. (12) 3. p. tit. 1. c. 24. §. 2. (13) P. 1. n. 16. (14) P. 15. n. 5. (15) L. 8. d. 11. num. 3. et 4. (16) Tr. cit. c. 14. p. 1. n. 15. (17) N. 4. (18) L. c. (19) Bibl. v. debit. coni. n. 4.

(20) L. 2. c. 40. n. 126. (21) L. 8. d. 12. n. 2. (22) N. 4. (23) P. 582. n. 71. (24) De voto c. 17. §. 4. n. 54. (25) P. 2. c 15. n. 51. (26) All. 37. n. 9. (27) T. 10. p. 544. (28) D. 4. p. ult. §. 1. n. 18. (29) Tr. 16. num. 160. resp. 3. (30) L. 8. d. 16. n. 5. (31) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 17. art. 5. reg. 1. (32) De matr. c. 14. p. 1. n. 14. (33) L. 8. c. 20. num. 12. (34) N. 5. (35) L. c.

tis in quibus episcopi dispensare possunt iure ordinario, ut procul dubio episcopi iure ordinario in eo voto dispensant, cum tale votum non sit omnimodae castitatis; *vide dicenda dicto n.* 1128. An autem regulares possint dispensare in impedimento affinitatis in ordine ad petendum debitum. *Vide dicenda n.* 1076. *vers. Insuper.*

Dubit. 3. An episcopus, urgente necessitate et periculo incontinentiae, possit dispensare in voto castitatis ad matrimonium contrahendum. Respond. affirmative; *vide dicta l.* 3. *de voto n.* 258. *v. Notandum.* 2. Et ita tenent Sanchez [1] cum Suar. Led. etc., item Salmant. [2] et Less. [3] cum Navarr. Sot. et Sylv. dummodo periculum sit in mora et non sit facilis aditus ad papam. Caeterum ante matrimonium episcopus, excepto voto castitatis et sponsalibus cum altero initis, potest universe in aliis impedimentis impedientibus dispensare, sicut etiam in omnibus matrimonio supervenientibus. Croix et Salm. [4] cum Pal. Bon. etc. *Vide dicenda n.* 1126.

988. « Dixi in responsione, *potissimum:* quia praeter supra dicta alia tria impedimenta numerantur :

» Primum est clandestinitas: etsi enim valeat matrimonium clandestine contractum, ubi Tridentinum non est receptum, non licet tamen sub mortali. Ubi autem Trid. est receptum, saltem quoad punctum matrimonii, est irritum, de quo sequenti dubio.

» Secundum, omissio benedictionis[5], quia sine hac, etsi valide, illicite tamen contrahitur matrimonium, saltem primum, ut ex *c. Nostrates et c. Sponsus*, *caus.* 30. *q.* 5. docent Bon. [6] Sanch. [7] Sa Henriq. Fill. etc., qui tamen concedunt non esse mortale (Ut comm. docent Sanch. [8] Boss. [9] Mazz.[10] cum communi et Escob.[11] cum Soto Sa Hurt. etc.) intellige, per se loquendo, nam per accidens ratione praecepti particularis, scandali vel contemptus, ut si omittant nihil faciendo, ac si esset res vana vel vile ac puerile haberent ei se subiicere, docet Per.[12] posse esse mortale. Dixi *primum:* nam secundae nuptiae non benedicuntur, nisi primae non fuissent benedictae. Quod si autem alter coniugum sit viduus, alter vero primas nuptias celebret aut saltem numquam fuerit benedictus, etsi iure antiquo non licuerit, nunc tamen quibusdam locis consuetudo habet ut benedicantur; ut vide Bonac.[13]. Et patet ex *Agenda.* Debet autem fieri in templo a proprio parocho, sine cuius licentia si quis faciat, manet ipso facto suspensus, donec absolvatur ab ordinario parochi a quo benedictio erat accipienda.

989. » Tertium, si contrahatur matrimonium sine praeviis proclamationibus, sine quibus, etsi valeat, non licet tamen sub mortali, ut habet communis (quamquam Sanchez[14] Gasp. et Hurt.[15] putent non esse mortale unam omittere, quando certum est moraliter nullum subesse impedimentum; sed contrarium docet Per.[16] ex Conin. et Pontio) nisi episcopus vel eius vicarius dispenset, ut patet ex Trident.[17] quod circa eas praecipit sequentia: 1. Ut fiant in ecclesia inter missarum solemnia. Possunt tamen etiam fieri in oratorio vel iuxta ecclesiam, aliove loco, confluente magno populo. 2. Ut fiant a proprio parocho vel alio sacerdote de eius licentia. 3. Ut fiant in parochia propria, et quidem utriusque contrahentis, uti declaravit congregatio. 4. Ut fiant tribus diebus festivis, non immediatis, continuis tamen, id est, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen festo interpolentur. Vide Bon.[18].»

990. Plura dubia hic discutienda. Dubitatur 1. an peccet mortaliter parochus, si assistat matrimonio, omissis

(1) Dec. l. 4. c. 40. n. 34. (2) De voto c. 3. p. 11. n. 97. (3) L. 2. c. 40. n. 127. (4) De matr. c. 14. p. 1. n. 15. (5) Quae datur a parocho, aut a sacerdote de eius licentia in missa pro hac re peculiariter designata pro primis nuptiis. Hom. Apostr. 18. num. 55. (6) Qu. 4. p. 6. num. 2.

(7) L. 7. d. 32. (8) L. 7. d. 32. n. 9. (9) T. 1. l. 9. c. 9. num. 9. (10) T. 4. p. 195. num. 3. (11) N. 619. (12) D. 45. s. 10. n. 4. (13) L. c. (14) L. 3. d. 5. num. 7. (15) D. 3. num. 59. (16) D. 42. s. 1. num. 7. (17) Sess. 24. c. 1. (18) Q. 2. p. 6.

denuntiationibus, sine dispensatione episcopi, quando iam per diligentiam certus factus fuerit nullum subesse impedimentum. Negant Sotus Machad. et Ledes. apud Sanch. [1] quia (ut aiunt), cessante adaequate fine legis, cessat lex. Sed communissime et verius affirmant Sanch. [2] Pont. [3] Bon. [4] Escob. [5] Boss. [6] Barb. [7] Ronc. [8] et Salm. [9] cum aliis pluribus. Ratio, tum quia, esto per diligentiam parochus impleat finem Tridentini, transgreditur tamen diligentiae formam quam concilium praescribit; quod cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali, nisi urgens adsit necessitas quae moram non patiatur, tum quia alias non adaequate satisfit fini praecepti denuntiationum; nam diligentia parochi non satis supplet effectum denuntiationum ad impedienda mala quae alioquin evenire possunt, eo quod, neglectis denuntiationibus, si supervenit impedimentum, filii reputantur illegitimi, etiamsi contrahentes impedimentum ignoraverint, ut habetur ex *c. fin.* §. *Si quis de clandest. despons.*, quando contra legitimi habiti fuissent, si praecessissent denuntiationes, ut in *c. Ex tenore*, *qui filii sint legit.* Praeterea in Trident. [10] contrahentibus sine denuntiationibus adimitur spes de obtinenda dispensatione impedimenti, scilicet consanguinitatis vel affinitatis (non autem publicae honestatis, ut declaravit s. c. apud Farinac., prout refert Boss. [11]). Hoc autem quod dicitur de denuntiationibus faciendis ante matrimonium, idem dicendum de obligatione eas faciendi post nuptias contractas ante consummationem; ita recte docent Sanchez [12] Pont. [13] Salm. [14] Pal. [15] Escob. [16] cum Palud. Trull. et Villal. ac Boss. [17] cum Nav. Laym. Con. Bon. Reg. Diana etc. (contra Dic. Lopez et Ledes.) quia concilium, iuxta textum mox supra allatum, aeque praecipit fieri denuntiationes ante matrimonium, quam post et ante eius consummationem. Et bene addunt Pont. ac Pal. [18] Boss. [19] Sanch. [20] cum Navarr. et Man. ac Escob. [21] cum Con. Trull. et Leand. (contra Henriq.) coniuges consummantes ante denuntiationes toties peccare graviter, quoties copulantur, quia toties copulantur cum eodem periculo fornicationis; unde oppositum mihi videtur dicendum si ipsi certi essent nullum subesse impedimentum, quia, violato iam praecepto Tridentini per consummationem, illud amplius non urget.

An autem omittere unam denuntiationem sit mortale. Pariter affirmant Pontius [22] ac Pal. Con. et Leand. apud Escob. [23]. Sed probabiliter negant Sanchez [24] Boss. [25] et Escob. [26] cum Filliuc. Barb. Gutt. Led. Diana Veracr. et Vill., quia respectu ad totum praeceptum non videtur gravis materia. Imo Salmant. [27] cum Trull. Reb. et aliis putant nec esse mortale si etiam duae denuntiationes omittantur; sed huic probabilius contradicit p. Concina [28].

991. Dubit. 2. an denuntiationes debeant fieri in ecclesia et inter missarum solemnia. Revera sic praescribitur in Trid. [29], et in missa parochiali vel conventuali, arbitrio parochi, etiam contradicente capitulo, ut declaravit s. c. Vide Zachar. apud Croix [30]. Sed probabiliter dicunt Sanchez [31] Barbosa [32] et Ronc. [33] posse etiam fieri in ecclesia tempore concionis vel processionis. Imo Wig. [34] Sanch. [35] Layman [36] Barb. [37] Boss. [38] Escob. [39] cum Fill. Vill. Diana Trull. etc. (contra Pontium [40] et Hurt. Led. Possev.) aiunt posse fieri extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic iam obtinetur finis concilii. Idque probabile videtur, saltem sine mortali, et si adsit aliqua causa sine ulla culpa.

(1) L. 3. d. 5. n. 3. (2) N. 6. (3) L. 5. c. 50. n. 3. (4) P. 6. n. 7. (5) N. 547. (6) T. 1. c. 8. n. 3. et 14. (7) All. 32. n. 2. (8) P. 153. q. 1. r. 1. (9) De matr. c. 8. p. 6. n. 77. (10) Sess. 24. c. 5. (11) N. 27. (12) L. 3. d. 11. num. 5. (13) L. 10. c. 4. n. 2. (14) Ibid. p. 7. num. 94. (15) P. 3. §. 5. n. 6. (16) N. 612. (17) C. 8. n. 6. (18) L. c. (19) N. 7. (20) N. 5. (21) N. 614. (22) Loc. cit. (23) N. 549. (24) N. 7. (25) L. c. (26) N. 550. (27) De matr. c. 8. p. 6. num. 78. (28) P. 298. num. 4. (29) Sess. 24. cap. 1. (30) L. 6. p. 3. n. 474. (31) L. 3. d. 3. num. 9. (32) All. 42. n. 15. (33) P. 165. q. 1. r. 2. (34) Tr. 16. n. 96. v. Quid. (35) L. c. (36) C. 4. n. 20. (37) In c. 1. Trid. n. 21. (38) C. 7. n. 13. (39) N. 558. (40) L. c. n. 6.

Notat autem Boss.[1] cum Marchino, quod tempore pestis, si nequeant fieri denuntiationes in ecclesia et non possent induci sponsi ad matrimonium differendum, tunc episcopus potest vel permittere ut fiant denuntiationes per vocem praeconis aut per edicta loco publico affixa, et hoc in quocumque die; vel eas remittere, et ad id etiam tenetur, si urgeat necessitas, iuxta dicenda *n.* 1005. Quod si nequeat adiri episcopus, parochus bene potest, et iusta urgente causa etiam tenetur sponsos coniungere, postquam sit certior factus nullum subesse impedimentum.

Dubit. 3. in qua parochia debeant fieri denuntiationes. Certum est faciendas esse in parochia utriusque contrahentis, ut dicunt communiter cum Busemb. Sanch.[2] Laym.[3] Pal.[4] et alii passim; quia sic fert consuetudo. Excipiunt Laym.[5] Boss.[6] et Salm.[7] cum Dicast., nisi parochiae essent valde propinquae. Sed dubium fit, ubinam faciendae denuntiationes, si alter sponsorum de brevi moratur in aliquo loco. Pontius[8] putat sufficere si fiant in loco ubi ille actu degit. Sed longe probabilius Sanch.[9] Con.[10] Barb.[11] Ronc.[12] et Escob.[13] cum Gutt. Henriq. Reg. Ochag. etc. ex declarat. s. c. dicunt omnino fieri debere in parochia unde discessit, quia denuntiationes ideo fiunt ut impedimenta manifestentur, ac propterea oportet eas fieri ubi sponsi diutius sunt commorati. Et hic notandum quod si alter sponsorum sit externus, parochus non debet facere denuntiationes nisi postquam ipse per fidem authenticam probaverit statum liberum coram ordinario, ut habetur ex instructione s. c. s. officii, quae observatur apud Genet.[14] et apud Pitton.[15]. Et plurie declaravit s. c. denuntiationes necessario faciendas in loco originis, ut refert Croix[16]. Quoad vagos autem Tridentinum[17] praecipit parochis non assistere eorum matrimoniis, nisi post diligentem inquisitionem adhibitam, et nisi prius ab ordinario licentiam assistendi obtinuerint. Hinc recte ait Roncag.[18] quod graviter peccaret parochus si tale praeceptum non servaret, esto alioquin matrimonium esset validum, cum concilium nullam irritantem clausulam adposuerit. *Vide alia dicenda* circa vagos *n.* 1089.

992. Dubit. 4. in quibus diebus possint fieri denuntiationes. In Trid.[19] praescribitur ut fiant *tribus continuis diebus festivis*. Praxis fert (prout ait Ron.[20]) ut denuntiationes fiant tribus diebus festivis *continuis*, ita tamen ut non intercedant alii dies festivi, sed non immediatis (nempe tribus festis paschatis), ut sentiunt ipse Ronc. et Barb.[21] Sanch.[22] Pont.[23] et alii, quia tempore tam brevi non satis obtineretur finis concilii. Ac probabiliter dicunt Salm.[24] cum Trull. Hurtad. Regin. Leand. etc. posse fieri etiam in tribus festis immediatis, quia in concilio dicitur *continuis diebus festivis*, nec ibi excipitur quod non sint immediati. Et sic pariter dicunt Salm.[25] cum Trull. Aversa et Leand. (citant etiam Bonac. Con et Diana, sed non bene, ut mox videbimus) posse fieri denuntiationes tribus diebus festivis discontinuis, modo plures dies festi non intercedant, quia sic sufficienter iam satisfit intento concilii. Sed verius Sanch.[26] Palaus[27] Bon.[28] et Escob.[29] cum Con. Vill. Diana Machad. et Regin. censent id non esse quidem mortale (contra Henriq.), quia non videtur gravis transgressio, sed non excusari a veniali, quia iam transgreditur praescriptum concilii.

An autem possint fieri denuntiationes diebus ferialibus, si ex aliqua causa fieret magnus concursus in ecclesia. Negant Pont.[30] et Fill. Leand. Hurtad.

(1) C. 7. num. 99. (2) Lib. 3. d. 6. num. 4. (3) C. 4. n. 9. (4) N. 15. §. 3. n. 2. (5) C. 4. n. 10. (6) Cap. 7. n. 18. (7) De matrim. c. 3. p. 6. n. 72. (8) L. 5. c. 50. n. 5. (9) N. 6. (10) D. 2. n. 60. (11) All. 32. n. 11. (12) P. 155. q. 1. r. 3. (13) N. 556. (14) Ad calcem in tract. de matr. t. 5. (15) De n. 30. n. 175. (16) L. 6. p. 3. n. 476. (17) Sess. 24. c. 7. (18) P. 168. q. 4. (19) Sess. 24. c. 1. (20) P. 155. q. 1. r. 2. (21) All. 32. (22) L. 3. d. 6. n. 8. (23) Lib. 3. c. 39. n. 8 (24) De matr. c. 8. p. 6. n. 75. (25) L. c. (26) L. 3. d. 3. n. 8. (27) P. 15. §. 3. n. 4. (28) P. 6. n. 19. (29) N. 508. (30) L. 5. c. 50. n. 7.

etc. apud Escob.[1]. ex declar. s. c. Sed probabiliter affirmant Sanch.[2] Bonacina[3] Barbosa[4] Bossius[5] cum Layman Regin. Possev. et Escobar.[6] cum Ochag. Regina et Guttier. ex alia contraria declar. s. c. apud Ochag., quia sic iam satis impletur finis concilii. Saltem probabile est id posse fieri sine culpa gravi, ut diximus *n.* 991. de denuntiationibus factis extra ecclesiam in loco magni concursus.

993. « 1. Licet statim post ultimam proclamationem contrahere, etiam eadem die: non licet autem differre ultra 4. menses, intra quos si non contrahant, repetendas esse denuntiationes declaravit congreg.[7] (Et Salm.[8] cum Pont. et Leand.). Imo rit. rom. duos tantum menses permittit, intra quos si non contrahatur, iubet repetere denuntiationes, nisi videatur aliud episcopo.

994. » 2. Post proclamationes tenetur sub mortali, qui novit impedimentum, illico denuntiare, quantumvis secretum esset, ad impedienda gravia mala, v. g. incestum, sacrilegium etc. Si tamen inde alteri periculum infamiae nasceretur, is ex caritate prius esset monendus ut a matrimonio desisteret. Sanch.[9] Fag.[10] Henr. Laym.[11] etc. communiter contra Pontium[12] qui negat teneri denuntiare, si sit occultum. Idemque tenet Mart. Perez[13], sed cum hac limitatione, si tantum audiverit et nesciat a quo, vel si pro foro interno sit dispensatum, vel si metuat magnum scandalum aut periculum, vel si sciat contrahentes esse in bona fide.»

Certum est 1. quod si impedimentum possit per testes probari, quilibet illud sciens denuntiare tenetur, sive impedimentum sit dirimens sive impediens, esto sit occultum et infamatorium, nempe quod ortum habuerit ex peccato; ita Pal.[14] Pont.[15] Boss.[16] et Salm.[17] cum Trull. Av. Dic. et communi. Quivis enim tenetur manifestare peccatum occultum alterius quod est tertio nocivum, quando praelatus legitime id praecipit, prout praecipit episcopus imponens (dum fiunt proclamationes) omnibus consciis alicuius impedimenti ut revelent. Et tenentur revelare etiam ii qui noverint impedimentum sub secreto naturali et adhuc cum iuramento non propalandi, ut dicunt Sanchez[18] Escob.[19] cum Pal. et card. Boss.[20] cum Barb. et Fag. ac Salmant.[21] cum aliis, ex d. Th.[22] qui docet promissionem et iuramentum non obligare quando imminet damnum communitati vel tertiae personae, prout in nostro casu utrique damnum imminet. Advertunt tamen praefati aa. antequam fiat denuntiatio, praemittendam esse correptionem fraternam, et etiam pluries, nisi probabiliter non sit profutura, modo periculum non sit in mora. Certum est 2. quod si impedimentum sit occultum, et iam fuerit pro eo obtenta dispensatio quoad forum internum, illud sciens non tenetur denuntiare: secus si adesset publica fama de impedimento et dispensatio esset occulta, ut Sanchez[23] Bossius[24] et Palaus[25]. Certum est 3. quod si noveris impedimentum ex auditu, sed non recordaris a quo, vel si accepisti a persona non fide digna, non teneris denuntiare, Sanchez[26] Pont.[27] Pal.[28] cum Gutt. et Farinac. ac Boss.[29] cum Nav. Con. Bon. Fill. Cord. et Hurtad.

995. Sed dubitatur 1. An, si tu solus impedimentum noveris nec possis probare, tenearis illud denuntiare.

Prima sententia, quam tenent Pontius[30] Diana[31] ac Sa Maior et Gabr. apud Salm.[32] negat, quia nemo tenetur denuntiare impedimentum quod probare non potest, unde sic arguunt: Aut sponsi sunt in bona vel in mala fide: si in bona non peccant contra-

(1) N. 560. (2) L. 3. d. 6. n. 10. (3) P. 6. n. 10. (4) Alleg. 32. n. 15. (5) C. 7. n. 6. (6) N. 562. (7) In sess. 24. cap. 1. de reform. (8) De matr. c. 8. p. 6. n. 75. (9) L. 3. d. 15. (10) P. 2. l. 6. c. 5. (11) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 3. (12) D. 3. q. 6. (13) D. 45. s. 6. n. 1. et seq. (14) P. 12. §. 6. n. 1. (15) L. 5 c 34. n. 3. (16) T. 1. c. 7. n. 133. (17) Ibid. p. 8. num. 95. (18) L. 3. d. 16. n. 6 (19) N. 622. (20) N. 176. (21) Ibid. num. 99. (22) 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1. (23) L. 3. d. 14. n. 4 (24) N. 167. (25) L. c. n. 2. (26) Num. 7. (27) N. 1. (28) N. 3. (29) N. 164. et 166 (30) L. 3. c. 34. n. 6. (31) 3. p. tr. 4. r. 224. (32) De matr c 8. p. 8. n. 97.

hendo matrimonium; si in mala, nihil proficies, cum testimonium unius non sufficiat ad nuptias impediendas.

Secunda sententia vero communissima et verior affirmat teneri, si commode potes, eamque tenent Sanchez [1] Pal. [2] cum Hurt. Con. Henr. Covar. et Escob. [3] cum Laym. Bon. Barb. Fag. Arriag. et Lop. Boss. [4] cum Filliuc. et Reg. ac Salm. [5] cum Dic. Trull. Leand. etc. Ratio quia, si sponsi sunt in mala fide, bene proficiet revelatio ad vitandum peccatum, cum testimonium unius de impedimento satis est ad matrimonium impediendum, ut diximus *n.* 878. et mox fusius probabimus in *dub. seq.* Si vero in bona fide, proficiet saltem ad reparandam iniuriam materialem sacramenti. Diximus *si commode potes*, nam cum tuo gravi damno aut aliorum scandalo non teneris denuntiare, cum neque lex ecclesiastica neque praeceptum correctionis obliget cum gravi incommodo aut scandalo aliorum.

996. Dubit. 2. An sufficiat unus testis de impedimento, ut episcopus prohibeat contrahi matrimonium. Adsunt quatuor sententiae.

Prima sententia, quam tenent Pont.[6] et Diana [7] dicit sufficere si impedimentum ortum habeat ex crimine, si vero non provenerit ex peccato, sed ex cognatione carnali aut spirituali, requiri duos testes fide dignos, nisi adsint alia adminicula quae plenam faciant probationem.

Secunda sententia omnino opposita quam tenet La-Croix [8] dicit quod si impedimentum non sit ob crimen, sufficiat ad impediendum unus testis fide dignus, si vero ob crimen, requiruntur saltem duo, quia tunc agitur de praeiudicio tertii, adversus quem nequit ferri iudicium sine plena probatione.

Tertia sententia, quam tenent Con. [9] et Salm.[10] cum Trull. Dic. Aversa etc. dicit sufficere unum testem, qualecumque sit impedimentum, modo testis ille sit omni exceptione maior et deponat ex certa scientia.

Quarta sententia demum communissima et verior quam tenent Sanchez[11] Panorm.[12] Nav.[13] Ronc. [14] Pal. [15] cum Con. Covarr. et Mascard. ac Boss. [16] cum Host. Sylvest. Gutt. Farin. Barb. Piasec. Comit. Hurt. etc. absolute docet sufficere unum testem ad impediendum matrimonium, etiamsi non sit omni exceptione maior, modo habeat qualitates infra explicandas. Id probatur 1. ex *c. Super eo* 22. *de test. et attest.* ubi sic habetur: *Matre asseverante* (intellige alterius sponsorum) *ipsos esse consanguineos, non debent coniungi, quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium iuramento dissolvi.* Probatur 2. ex *c. Praeterea* 12. *de Spons.* ubi, cum quidam vir cupiebat contrahere matrimonium, eius consanguineus asserebat eum cum sponsa coivisse, respondit papa: *Ut matrimonium ipsum fieri, nisi iuramentum intervenisset, districte prohibeas, ne deterius inde contingat.* Ex quo textu recte inferunt Sanchez [17] cum Mascard. et Alex. de Nevo ac Boss. [18] cum Panorm. Gutt. et aliis supra citatis, hoc procedere etiamsi testis sit accusator vel denuntiator, et etiam sit criminosus, suamque turpitudinem alleget. Ratio nostrae sententiae est quia, licet quando agitur de praeiudicio tertii plena requiratur probatio, attamen cum hic agatur de vitando periculo animae, nempe si forte matrimonium contraheretur cum impedimento, minori probatione ius contentum est. Secus vero dicendum, ut bene aiunt Sanch.[19] cum Panorm. et Boss.[20] cum Gutt. contra Palud., si agatur de praeiudicio tertii, et non agitur de peccato vitando, puta si testis allegaret fornicationem sponsae, vel quid simile,

(1) L. 3. d. 13. num. 2. (2) P. 12. §. 6. n. 5. (3) L. 25. n. 625. (4) N. 173. (5) Cit. num. 97. (6) L. 5. c. 34. n. 8. et 9. atque c. 36. num. 2. (7) P. 3. tr. 4. r. 12. (8) L. 6. p. 3. num. 215. (9) P. 201. n. 12. (10) De matr. c. 8. p. 3. n. 106.

(11) T. 1. d. 71. (12) In c. super eo, de test. (13) Man. c. 2. n. 85. (14) P. 154. q. 7. r. 1. (15) P. 32. num. 3. (16) T. 1. c. 7. num. 153 (17) N. 3. et 4. (18) N. 142. (19) Num. 8. (20) N. 155.

tunc enim bene requiritur plena probatio ex *c. Licet*, *cap. Veniens et c. In omni*, *de test. et attest.*

997. Quamvis autem (ut diximus) ad impediendum matrimonium non requiratur ut testis sit omnino integer, requiritur tamen 1. ut ipse non tantum denuntiet, sed etiam deponat, esto sponte se offerat ad deponendum, ut dicunt Sanch. [1] cum Alex. de Nevo et Boss. [2] cum Gutt., nisi talis testis denuntiando probaret de fama impedimenti, ut aiunt iidem aa. ex *c. Non in duo*, *de spons.*, quia tunc sufficit, ut tantum denuntiet, quin deponat. 2. Ut deponat cum iuramento, Ronc. [3] Sanchez [4] cum Host. Panorm. Palud. Praepos. Lop. etc. Palaus [5] cum Covar. et Gutt. ac Boss. [6] cum Con. Barbos. et Hurt., quia in iis quae sunt in praeiudicium tertii non creditur testi nisi iurato ex *c. Tua de cohabitat. cleric.* 3. Ut deponat non ex auditu, sed ex certa scientia, ut Roncag. [7] Sanchez [8] cum Abb. Cov. Praep. etc. Pal. [9] cum Con. et Gutt. ac Boss.[10] cum Navar. et Riccio. Excipiunt tamen aa. citati et Salm.[11] ex *c. Licet*, *de testib.* nisi impedimentum sit consanguinitatis vel affinitatis, tunc enim sufficit ut testis deponat se illud audisse a duobus fide dignis, et maxime a consanguineis sponsorum, qui magis sunt idonei ad probandam vel negandam consanguinitatem, ut Boss.[12] cum aliis. 4. Demum requiritur ut testis ille non sit persona vilis, dummodo factum non sit ita occultum ut nequeat probari nisi per vilem personam, quia ubi deest facultas probandi, admittitur probatio etiam per se non sufficiens, ita Pal.[13] cum Menoch. Bossio [14] cum Gutt. et Sanchez[15] cum Panorm. et communi contra Goffred.

998. Dubit. 3. An si sponsalia fuerint iurata sufficiat unicus testis deponens impedimentum ad impediendum matrimonium. Negant Glossa in *c. Praeterea de sponsal. v. Nisi*, ac Palud Henriq. Lop. etc. apud Sanch.[16], quia in praefato textu *cap. Praeterea* supra allato expresse dicitur non sufficere unum testem, si sponsalia sint iurata. Sed probabilius affirmant Sanch.[17] cum Covar. et Veracr. Palao[18] cum Gutt. et Masch. ac Bossio [19] cum Hostien. Praepos. Hurtad. etc. modo testis ille sit fide dignus et deponat ex certa scientia. Ratio quia, si fama impedimenti bene sufficit ad dissolvenda sponsalia, ut habetur ex *c. Super eo de consanguin.* tanto fortius debet sufficere testis integer, qui efficacius probat, quam sola fama, idque certum esse apud omnes testantur Palaus[20] et Sanch.[21]. Ad textum autem oppositum in *cit. c. Praeterea*, recte respondent Panorm. [22] atque Sanchez Palaus et Boss.[23] quod in casu textus praefati non esset testis ille omnino integer, tum quia allegabat turpitudinem suam, tum quia non deponebat in forma testimonii.

999. Notandum autem hic quod fama impedimenti satis sit ad impediendum matrimonium, ut expressum habetur in *c. Super eo de consang.*, nisi fama infirmetur iuramento consanguineorum, ut excipiunt Sanchez [24] et Pal.[25] cum Abb. Gutt. etc. ex *c. Cum in tua de spons.* Imo addit Sanch.[26] quod iuramentum ipsorum contrahentium etiam valet adversus famam arbitrio iudicis. Probabilius autem censet Pal.[27] cum Gutt. (contra Palaum) in probatione famae oportere ut testis denuntiet cum iuramento, cum ipse Sanchez fateatur (ut supra dictum est *n.* 997. *ad* 2.) in iudicio non credi testi non iurato, ubi agitur de praeiudicio tertii. Praeterea notandum quod notitia privata famae non sufficiat iudici, ut possit nuptias impedire, sed tantum ut possit inquirere de impedimento, ita commun. Sanch.[28] Pal.[29] cum Gutt. et Boss.[30] cum Innoc. Barb. et aliis. An

(1) Dict. d. 71. n. 10. (2) N. 146. (3) Loc. cit. (4) N. 12. (5) P. 32. num. 4. (6) N. 147. (7) Ib. (8) N. 12. (9) D. n. 4. (10) N. 234. (11) De matr. c. 3. p. 3. num. 107. (12) N. 132. (13) Loc cit. (14) Num. 143 N. 15.

(16) L. 1. d. 71. n. 9. (17) L. c. (18) P. 32. n. 6. (19) C. 7. n. 144. (20) N. 6. (21) L. 2. d. 45. n. 27. (22) In d. c. super eo. (23) Locc. cc. (24) L. 1. d. 71. n. 18. (25) P. 32. n. 7. (26) L. c. (27) Dict. n. 7 (28) N. 15. (29) L. c. (30) C. 7. n. 121

autem possit iudex impedire matrimonium, si sciat privatim impedimentum esse notorium. Negat Pal.[1] cum Gutt. dicens requiri ut talis notorietas sit probata in iudicio, nam alias notitia esset privata, ex qua iudex nequit ferre iudicium. Haec opinio probabilis videri posset alicui ex eo quod iudex debet iudicare secundum allegata et probata, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 208. Sed probabilior est mihi sententia affirmans, quam tenent Sanchez [2] cum Glossa in *l.* 1. *c. Qui adv. quos, etc.* ac Boss.[3] cum Barb., quia alias iudex, pronuntiando sententiam de matrimonio contrahendo, cooperaretur ad ineundum matrimonium nullum, quod esset intrinsece malum.

1000. « 3. Contrahens ipse, legitime interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri, vel matrimonio abstinere, nisi dispensationem pro foro conscientiae acceperit, tunc enim fateri non tenetur nisi iudex aliunde habeat sufficientem probationem. Sanchez Sylv. Layman [4]. Vide Bonac. [5] Perez [6] (Ita communiter Sanch. [7] Pontius [8] et Boss. [9] cum Laym. Con. Fill. etc. An autem sponsi teneantur fateri copulam incestuosam, si in dispensatione adsit clausula: *Nisi copula fuerit habita. Vide dicenda n.* 1135.).

1001. » 4. Parochus, cognito impedimento, tenetur prohibere matrimonium, et remittere ad episcopum vel eius officialem, neque potest assistere Sanch.[10] Mart. Perez[11] etc. (Cum Salmant.[12] et communi) contra Pontium. Nisi tamen ex sola confessione nosset, tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publice sive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confessionem, licet in confessione posset ac deberet. Et tunc, si quidem sine magno scandalo a matrimonio non possent desistere nec vellent, suadere ut contrahant communi consensu, sub conditione, si papa dispenset, animo tantisper cohabitandi ut fratres (non autem quoad torum) donec accedat dispensatio, et iterum contrahant. Ita ex Beia et Pont.[13] Per.[14] qui addit, si id omnino nolint, persistantque petere, debere parochum assistere.»

1002. Dubit. 1. an parochus, si ipse solus noverit impedimentum, teneatur impedire matrimonium publice petitum. Si impedimentum denuntiatur ab aliis, certum est ex *cap. fin. de cland. desp.* teneri parochum interdicere nuptias, et rem ad ordinarium deferre ut ille cognoscat. Dubium fit, si solus parochus impedimentum sciat extra confessionem, an possit et teneatur nuptias impedire. Negat Pont.[15] eadem ratione ductus, ut dixi supra *n.* 995., quia nemo tenetur denuntiare quod probare non potest. Affirmant tamen verius Sanch.[16] Boss.[17] Ronc.[18] Pal.[19] Cov. et Gutt. ac Escob.[20] cum Henriq. Hurt. etc. Ratio quia si quilibet tenetur (ut diximus *dict. n.* 995.) impedimentum revelare, etiamsi ipse solus illud sciat, a fortiori tenetur parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ovium. Nec obstat quod peccatori occulto, publice petenti sacramentum, illud non sit denegandum, nam respondetur cum aa. citat. quod hoc procedat quando impedimentum dumtaxat reddit illicitam sacramenti susceptionem, seous vero si impedimentum (praeter susceptionem) praebet occasionem aliorum damnorum et culparum.

Dubit. 2. an ordinarius, qui solus conscius sit impedimenti, teneatur matrimonium impedire. Sanch.[21] Pont.[22] et Pal.[23] cum Gutt. Con. et aliis, sentiunt eum nec teneri nec posse, quia nemo potest esse iudex et testis. Sed probabilius affirmant Conc.[24] Escob.[25] cum Leand. Bon.[26] cum Con. et Hurt.

(1) Ibid. (2) N. 16. (3) N. 127.
(4) L. c. n. 10. (5) L. c. (6) D. 43. s. 7. n. 2.
(7) L. 3. d. 14. n. 2. (8) L. 5. c. 33. n. 1.
(9) C. 7. n. 182. et 188. (10) L. 3. d. 15.
(11) D. 43. s. 7. n. 9. (12) De matr. c. 8. p. 8. n. 103
(13) L. 5. c. 35. (14) L. c.
(15) L. 5. c. 35. n. 5. et 6. (16) L. 3. d. 15. n. 11
(17) C. 7. num. 195. (18) P. 154. q. 7. r. 2
(19) P. 2. §. 7. n. 3. (20) N. 628.
(21) L. 3. d. 15. n. 11. (22) L. 6. c. 35. n. 5
(23) P. 12. §. 7. n. 4. (24) P. 501. n. 11.
(25) N. 634. (26) Cap. 7. n. 205

et Salm. [1] cum Aversa Trull. Dicast. etc. Ratio, tum quia bene potest esse aliquis iudex et testis, quando agitur de peccato impediendo, tum quia eo casu saltem potest ipse ordinarius deferre impedimentum ad iudicem superiorem (et etiam ad suum vicarium, ut aiunt Salm. cum aa. cit.[2]) ut ille iudicium proferat, et ad hoc ipse episcopus tenetur, ut impediat peccata quae ex matrimonio invalido orirentur.

1003. « 5. Potest episcopus vel eius vicarius, non autem decanus ruralis, dispensare, vel ut una tantum fiat proclamatio, vel ut fiant post contractum subito factum coram parocho et testibus, ante consummationem, vel etiam ut plane omittantur, si iusta causa subsit, v. gr. timor ne alioqui malitiose impediatur matrimonium, pudor contrahentium, senium inconstantia, status disparitas, metus scandali, infamiae, incontinentiae etc. Bon. [3].

» 6. Etsi, quando per dispensationem contractum est matrimonium ante proclamationes, postea faciendas, coniux non teneatur nec debeat alteri reddere debitum, priusquam factae fuerint, quando tamen certi sunt nullum subesse impedimentum, non peccare mortaliter consummando, tenent Sot. Led. Texed. contra Sanch. apud Diana [4].

» 7. Etsi parochus dispensare non possit, potest tamen in casu necessitatis per epikeiam declarare praeceptum hoc hic et nunc non obligare, v. g. si moriturus concubinam velit ducere ob prolis legitimationem. Bon. [5] ex Sylv. Sanch. etc. »

1004. Quoad dispensationem denuntiationum, observa quae habentur in Trid. [6] ubi: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicaverit ut praedictae denuntiationes remittantur; quod illius prudentiae et iudicio s. synodus relinquit.*

1005. Quamvis autem a concilio [7] concedatur episcopo facultas dispensandi in denuntiationibus, ob solam causam si timeatur quod matrimonium iniuste impediatur, tamen communiter dicunt dd. quod etiam ob alias iustas causas episcopus potest, et quandoque tenetur in denuntiationibus dispensare, licet enim concilium unicam dumtaxat assignasset, eam tamen exemplificative, non taxative proposuit, praeterquam quod rem hanc statim postea prudentiae ordinarii reliquit, ita Sanchez[8] Pont.[9] Cabass.[10] Pal.[11] Barbos.[12] Ronc. [13] Concina[14] Wigandt[15] Escob.[16] Salmant.[17] et Boss.[18] cum aliis (contra Cebal. et Bor., et ita pluries declaravit s. c. concilii, ut referunt Escob.[19] et Boss.[20] qui praesertim ex Bellarm.[21] has declarationes affert: *Denuntiationes possunt omitti non solum ex causis hic expressis, sed ex aliis bene visis episcopo, qui has denuntiationes potest remittere etiam post matrimonium contractum, et ante consummationem.* Item in alia declaratione: *Episcopus potest has omnes denuntiationes remittere, etiamsi non sit rationabilis suspicio quod possit matrimonium impediri, quia relinquitur suae prudentiae.*

Docent etiam communiter dd. quod si oporteat ad vitandum grave damnum commune vel privatum, spirituale aut temporale, et adhuc si expediat ad notabile bonum spirituale aut temporale communitatis vel alterius privati, episcopus non solum potest, sed etiam tenetur dispensare, ita Sanch.[22] Pont.[23] Barb.[24] Pal.[25] Ronc.[26] cum Gutt. Boss.[27] cum Con. Bon. Fill. et Hurt. Huiusmo-

(1) De matr. c. 8. p. 8. n. 104. (2) Dict. n. 104.
(3) L. c. (4) P. 9. t. 8. r. 19. (5) L. c.
(6) Sess. 24. cap. 1. (7) L. c. (8) L. 5. d. 7. n. 1.
(9) L. 5. c. 52. n. 1. (10) L. 5. c. 20. num. 2.
(11) P. 15. §. 4. n. 8. (12) All. 52. num. 27.
(13) P. 154. q. 4. r. 2. (14) P. 500. num. 7.
(15) Tr. 16. n. 96. v. dico. (16) L. 25. n. 587.
(17) De matr. c. 8. p. 7. n. 39. (18) T. 1. c. 7. n. 54.
(19) N. 586. (20) L. c. (21) In d. cap. 1. Trid
(22) L. 2. d. 10. n. 5. (23) L. 2. n. 6. (24) N. 51.
(25) §. 5. n. 1. (26) L. c. r. 1. (27) N. 105

di igitur causae ob quas episcopus tenetur dispensare sunt, 1. Si adsit probabilis timor ne matrimonium malitiose impediatur iuxta sensum Tridentini. 2. Si matrimonium sit necessarium ad vitandum damnum sive infamiam contrahentium vel prolis, nempe si concubinarii reputabantur coniuges, vel si praecesserit defloratio, et timeatur ne vir mutet voluntatem, item si alter sponsorum esset in articulo mortis, et esset proles legitimanda, Sanch. [1] Boss. [2] Ronc. [3] cum Barb. 3. Si immineat periculum animae, corporis aut fortunae, Sanch. et Ronc. [4] Boss. [5]. 4. Si sponsus statim sit longe profecturus, et urgeat necessitas contrahendi ob unam ex causis supra descriptis, Boss. [6]. 5. Si parentes vel tutor praetendant ut virgo nubat indigno, Escob. [7] cum Caiet. 6. Addit Roncag.[8] si immineat tempus adventus vel quadragesimae, et alias urgeat periculum incontinentiae vel gravis praeiudicii. Ratio huius videtur esse, quia non licet consummare matrimonium ante benedictionem nuptialem, verum (iuxta nostram sententiam allatam *num.* 984.), cum nulla sit culpa ante benedictionem consummare, melius dicendum est, posse propter hanc causam episcopum dispensare, sed non teneri, ut dicunt Barb. [9] cum Coninch. Reg. Ugol. etc. et Boss.[10] cum Sanch. Pont. Salzedo et Hurt. Caeterum bene ait Ronc. teneri episcopum dispensare ob quamcumque aliam causam quae prudentis iudicio urgens videatur.

1006. Causae vero ob quas episcopus non tenetur, sed potest dispensare, sunt 1. Si nuptiae sint contrahendae inter magnates, quia horum coniugia non fiunt nisi magna praecedente consideratione. 2. Si sponsi sint valde senes, aut valde dispares in conditione, aetate, divitiis aut qualitate. 3. Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum, ita Sanch.[11] Barbosa[12] Bon.[13] Boss.[14] Pal.[15] Pont.[16] Cabass. [17] Fill.[18] Salm.[19], licet non omnes hi aa. omnes dictas causas exprimant. Praeterea notant hic Ronc. et Barb.[20] cum aliis, quod episcopus possit in denuntiationibus dispensare etiam cum altero sponsorum non sibi subdito, sicut enim potest eum cum subdito coniungere, ita etiam dispensare. Et hanc esse consuetudinem testatur Roncag., qui addit eamdem facultatem dispensandi habere praelatos qui iurisdictionem quasi episcopalem habent. Hic autem notandum quod episcopus dispensando in denuntiationibus semper tenetur diligenter aliunde inquirere de impedimentis, nisi communiter constaret non adesse.

1007. Dubit. 1. an vicarius generalis episcopi possit in denuntiationibus dispensare. Negant Pontius[21] Diana[22] et Gomez Menoc. et Henr. apud Escob.[23] ex concilio toletano et concilio mediol. ac declar. s. c. an. 1591. apud Henr. Sed affirmant communius et probabilius Sanch.[24] Pal.[25] Bonac.[26] Wigandt[27] Elb.[28] Barb.[29] Ronc.[30] (qui asserit cum Gutt. et Sperelli ex antiqua consuetudine vicarios semper in hoc dispensasse) et Escob.[31] cum Nav. Con. Fill. Bord. et Hurt., quia vicarius facit unum tribunal cum episcopo; Boss. autem et Escob. dubitant de authenticitate oppositae declar. s. c.

Dubit. 2. an parochus possit aliquando dispensare in denuntiationibus. Affirmant Vega Marchant. Vivald. Led. et Veracr. apud Escob.[32] et alii apud Salm.[33] qui[34] satis probabile putant, casu quo (ut aiunt) urgeat necessitas, et non possit adiri episcopus, qui alias teneretur tunc dispensare ob aliquam ex causis descriptis *n.* 1006. Verius tamen et communiter negant posse parochum dispensare Sanchez[35] Pal.[36]

(1) N. 6. (2) N. 105. (3) L. c. (4) Locc. cc. (5) N. 95. (6) N. 90. (7) N. 587. (8) L. c. (9) All. 32. n. 48. (10) N. 87. (11) L. 3. d. 9. n. 3. (12) All. 32. n. 41. (13) Q. 2. p. 6. (14) N. 79. (15) §. 5. n. 8. (16) L. 5. c. 32. n. 6. (17) L. 3. c. 20. n. 3. (18) Tr. 10. c. 5. (19) De matr. c. 3. p. 7. n. 89. (20) Locc. cc. (21) L. 5. c. 51. n. 5 (22) P. 5. t. 4. r. 265. (23) N. 570. (24) L. 3. d. 7. n. 10. (25) P. 13. §. 4. n. 2. (26) P. 6. n. 7. (27) Tr. 16. n. 96. v. Dico. (28) P. 586. n. 81. (29) All. 32. num. 29. (30) P. 155. q. 3. r. 1. (31) N. 572. (32) N. 605. (33) Ib. n. 84. (34) N. 86 (35) L. 3. d. 7. n. 17. (36) P. 13. §. 4. n. 3.

Pont. [1] et Escob. [2] cum Nav. Layman Con. Vill. etc. Ratio quia revera parochus nullam habet iurisdictionem in foro externo. Valde probabiliter tamen dicunt Sanch. [3] Laym. [4] Croix [5] Elb. [6] et Ronc. [7] cum Gob. quod esto parochus non possit dispensare, tamen in casibus in quibus episcopus dispensare tenetur, et adiri non possit, periculumque sit in mora, poterit declarare praeceptum proclamationum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum. Imo in huiusmodi casibus censent Busemb. supra *num.* 1003. Pontius [8] Bossius [9] cum Hurtad. Salmantic. [10] cum Palao Trullench. Dicast. Sanch. Coninch. Gutt. ac Escob. [11] cum Sot. Lop. Led. etc. posse ipsos sponsos, si certi sint non esse impeditos, nuptias inire sine denuntiationibus. Dicit autem Boss. [12] quod si in talibus casibus episcopus iniuste neget dispensationem, tenentur sponsi recurrere ad iudicem superiorem, alias non possunt contrahere, nisi forte periculum sit in mora et ad superiorem non pateat aditus. Notandum hic denique quod si quis praesumit adsistere matrimonio sine proclamationibus ex *c. Cum inhibitio*, §. *Sane, de clandest. desp.* incurrat suspensionem ab officio per triennium, sed ferendae sententiae.

Dub. II. Quae sint impedimenta dirimentia matrimonium.

1008. *Impedimenta dirimentia sunt quindecim, videlicet:*

1. Error, 2. Conditio, 3. Votum, 4. Cognatio 5. Crimen,
6. Cultus disparitas, 7. Vis, 8. Ordo, 9. Ligamen, 10. Honestas,
11. Aetas, 12. Affinis, 13. Si Clandestinus, 14. et Impos,
15. Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae.

1009. 1. Error personae.
1010. *De errore circa personam.*
1011. *De errore circa qualitates personae.*
1012. *An irritet matrimonium error circa qualitatem, si dederit causam contractui.*
1013. *Dantur tres regulae, ad dignoscendum, quando error qualitatis redundet in substantiam.*
1014. *Prima, si quis actualiter contrahit sub conditione qualitatis.*
1015. *Secunda, si qualitas est propria cuiusdam personae.*
1016. *Tertia, si consensus fertur directe in qualitatem.*
1017. 2. Conditio, *scilicet servilis. Plura notanda usque ad n.* 1023.
1024. 3. Votum solemne.
1025. *Dub.* 1. *An hoc dirimat matrimonium iure divino vel ecclesiastico.*
1026. *Dub.* 2. *An papa possit dispensare in voto solemni.*
1027. 4. Cognatio. *Et* 1. *de cognatione* legali.
1028. 2. *De cognatione* spirituali.
1029. 3. *De cognatione* carnali *et de regulis pro distinguendis gradibus.*
1030. *Arbor consanguinitatis.*
1031. 5. Crimen. *Primum* homicidium. *Secundum* adulterium.
1032. *Tertium* raptus.
1033. *Assignatur regula:* 1. Utroque patrante, *scil. si adsit solum homicidium.*
1034. *An requiratur, quod intentio matrimonii alteri sit manifestata.*
1035. 2. Uno patrante, *scil. si adsit homicidium cum adulterio.*
1036. *Requisita ad hoc impedimentum incurrendum.*
1037. 3. Neutro patrante, *scil. si adsit adulterium sine homicidio. Requisita ad hoc impedimentum.*
1038. *Dub.* 1. *An taciturnitas adulterae sufficiat pro consensu.*
1039. *Dub.* 2. *An promissio ficta inducat impedimentum.*
1040. *Dub.* 3. *An promissio conditionata inducat impedimentum.*
1041. *Dub.* 4. *An ad incurrendum impedimentum requiratur ut promissio fuerit mutua.*
1042. *Oritur etiam impedimentum ex adulterio cum matrimonio attentato vivente coniuge.*
1043. *Peccat qui vivente coniuge promittit alteri matrimonium.*
1044. 6. Disparitas cultus. *Quid de matrimonio cum haereticis.*
1045. 7. Vis *sive metus gravis et iniuste incussus ad extorquendum matrimonium.*
1046. *In quo vis differat a metu. Et quid sit metus ab intrinseco et metus ab extrinseco.*
1047. *Quae requirantur ad metum gravem.*
1048. *Quae mala constituant metum gravem.*
1049. *Quae requirantur ut metus irritet matrimonium.*
1050. *Dub.* 1. *Quid, si iudex iniuste aliquem damnet et promittat liberationem si ducat filiam.*
1051. *Dub.* 2. *Quid si reus iuste damnetur.*
1052. *Dub.* 3. *Quid si quis esset innocens, sed iuste damnaretur secundum allegata.*
1053. *Dub.* 4. *Quid si medicus neget mederi, nisi ducat filiam.*
1054. *Dub.* 5. *An metus irritet matrimonium de iure naturae aut ecclesiastico.*
1055. *Dub.* 6. *An irritet metus levis.*
1056. *Dub.* 7. *An metus reverentialis.*

(1) L. 5. c. 1. n. 2. (2) N. 605. (3) L. 3. d. 10. n. 15. (4) C. 4. n. 11. (5) L. 3. p. 6. n. 494. (6) P. 586. num. 32. (7) P. 155. q. 3. r. 2. (8) L. 5. c. 32. n. 3. (9) N. 108. (10) De matr. c. 8. p. 7. n. 92. (11) N. 608 (12) Num. 115.

1057. *Dub.* 8. *An possit resilire, qui metum incussit.*
1058. 8. Ordo.
1059. *An ordo sacer dirimat matrimonium de iure divino.*
1060. 9. Ligamen.
1061. 10. Honestas. *Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis, neque ex conditionatis.*
1062. *Qu.* 1. *An ex matrimonio nullo.*
1063. *Qu.* 2. *An ex sponsalibus iuste dissolutis.*
1064. *Qu.* 3. *An ex matrimonio clandestino.*
1065. 11. Aetas.
1066. *Vide plura de matrimonio impuberum.*
1067. *An sit nullum matrimonium contractum, si puer aetate completa nequeat coire. Quid de matrimonio senum.*
1068. 12. Affinis.
1069. *De impedimento affinitatis ante matrimonium contractum.*
1070. *De impedimento non petendi.*
1071. *Qu.* 1. *An uxor cognita per metum a consanguineo viri privetur iure petendi.*
1072. *Qu.* 2. *An ignorantia excuset ab hoc impedimento contrahendo. Et primo si ignorantia sit iuris.*
1073. *Secundo, si ignorantia sit facti.*
1074. *Tertio, si ignorantia sit poenae.*
1075. *Qu.* 3. *An ad contrahendam affinitatem requiratur ut copula ex utraque parte sit consummata.*
1076. *Qu.* 4. *Quis possit dispensare in hoc.*
1077. *Poena contrahentium cum impedimento affinitatis.*
1078. 13. Clandestinitas.
1079. *Quid si alicubi non possit haberi parochus.*
1080. *An peregrini valide contrahant sine parocho.*
1081. *Quis intelligatur nomine parochi.*
1082. *An parochus excommunicatus aut irregularis etc.*
1083. *Dub.* 1. *An excommunicatus assistens peccet graviter.*
1084. *Dub.* 2. *An talis parochus possit alteri dare licentiam.*
1085. *Quales testes sufficiant.*
1086. *Quid si sint duo parochi. Vel si sponsi habeant duo domicilia.*
1087. *An sufficiat parochus alterutrius sponsi.*
1088. *Sufficit licentia praesumpta de praesenti et oretenus.*
1089. *De vagabundis.*
1090. *De militibus.*
1091. *De peregrinis, carcere detentis, aegris, puellis in conservatoriis degentibus etc.*
1092. *An valide nubant sponsi coram parocho nolente.*
1093. *An licite.*
1094. *Quomodo peccet parochus non interrogans de consensu vel non dicens:* Ego vos coniungo *etc.*
1095. 14. Impotentia. *Qualis impotentia dirimat matrimonium.*
1096. 1. *De impotentia ex maleficio.* 2. *Ex frigiditate.* 3. *Ex improportione corporum.*
1097. *Dub.* 1. *An valeat matrimonium, si foemina possit incidi cum periculo gravis morbi, sed non mortis.*
1098. *Dub.* 2. *An, soluto matrimonio propter arctitudinem foeminae, si postea per copulam cum secundo viro fiat apta primo, teneatur ad primum redire.*
1099. *Dub.* 3. *An foemina arcta teneatur pati incisionem.*
1100. *Dub.* 4. *An teneatur pati incisionem claustri virginalis, si etc.*
1101. *Quid agendum, si impotentia est certa.*
1102. *Quid si dubia, et dubium antecedat matrimonium.*
1103. *Quid si dubium superveniat.*
1104. *Quid in dubio an matrimonium sit consummatum vel an impotentia praecesserit.*
1105. *Quid censendum de matrimoniis in partibus haereticorum.*
1106. 15. Raptus.
1107. *Ad incurrendum impedimentum raptus requiritur ut mulier rapiatur* 1. *de loco ad locum;* 2. *causa matrimonii;* 3. *invita.*
1108. *Quid si vir rapiat eam quacum sponsalia contraxerat.*

1008. « Resp. praeter defectum consensus, de quo *supra c.* 2. *d.* 1., sunt quae sequentibus versibus comprehenduntur:

» 1. *Error*, 2. *Conditio*, 3. *Votum*, 4. *Cognatio*, 5. *Crimen.*

» 6. *Cultus disparitas*, 7. *Vis*, 8. *Ordo*, 9. *Ligamen*, 10. *Honestas.*

» 11. *Aetas*, 12. *Affinis*, 13. *Si clandestinus*, 14. *Et impos.*

» 15. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae;*

» *Haec socianda vetant connubia, facta retractant.*

1009. » Dicitur 1. *Error*, scilicet personae, qui dirimit iure naturae, v. gr. si Caio volenti ducere Annam offerat se Maria, quacum, putans esse Annam, contrahat: quia error aufert libertatem et consensum requisitum iure naturae ad contractum.

» Dixi *personae*, quia error qualitatis seu conditionis personae (excipio servitutem) non irritat matrimonium, ut v. gr. si putetur esse nobilis, virgo, dives, etc. quam quis vult ducere, nec sit talis: quia hic error non tollit consensum in personam et materiam contractus. Aliud tamen esset, si absolute nollet consentire in personam, nisi tali conditione affectam, aut si ipsa conditio, iuxta intentionem contrahentis, transiret in conditionem personae: ut si quis vellet ducere primogenitam regis nec aliam, et tamen alia substitueretur, non subsisteret contractus. Bon.[1] ex Sanch. [2] Con. [3] Fill. etc. »

(1) Q. 3. p. 2. (2) L. 7. d. 18. (3) D. 31

1010. Certum est 1. apud omnes quod error circa personam de iure naturae dirimit matrimonium, quia contrahentium personae sunt substantiale matrimonii obiectum; ergo si variatur persona, erratur circa substantiam contractus, dum qui intendit contrahere cum una non consentit contrahere cum alia, ita d. Thom. [1] Sanch. [2] Pont. [3] Salmant. [4] cum Soto Bonac. Pal. et aliis passim. Et hoc etiamsi error sit vincibilis et crassissimus, ut Sanch. [5] Roncaglia [6] et Salmant. [7] cum Con. Aversa Trull. etc. Item, etiamsi error sit concomitans, seu non dans causam contractui, nimirum si, cognito errore, adhuc fuisset initum matrimonium. Sanchez [8] Ronc. [9] Bonac. [10] et Salm. [11] cum Con. Aversa etc.

1011. Certum est 2. quod error circa qualitatem personae concomitans, seu non dans causam contractui, non irritat matrimonium, unde si quis contraheret cum corrupta aut paupere aut ignobili, quam putabat virginem, aut divitem aut nobilem, non principaliter motus ex his qualitatibus, sed aliunde, valet procul dubio matrimonium, quia tunc iam adest voluntarium ad illud requisitum, Sanch. [12] Pontius [13] Bon. [14] et Salm. [15] cum Coninch. Trull. Pal. Aversa Dicast. et aliis commun.

1012. Sed magna quaestio fit, an irritet matrimonium error circa qualitatem dans causam contractui, nempe si, cognito errore, matrimonium non fuisset contractum.

Prima sententia affirmat et hanc tenet Pont. [16] citans Arrag. et Ledesm.: citat etiam Sanchez, sed non bene, ut mox videbimus. Ratio quia dum sponsus contrahit, credens sponsam habere aliquam qualitatem nobilitatis aut pulcritudinis etc., tunc praestat consensum virtualiter conditionatum, nempe si sponsa habeat illam qualitatem, qualitate igitur deficiente, deficit consensus.

Secunda sententia vero communis et verior negat et hanc tuentur Sanch. [17] qui eam verissimam vocat cum Abb. Mol. Lop. etc. Laym. [18] Conc. [19] Nav. [20] Ronc. [21] Habert [22] Holzm. [23] Pal. [24] cum Valent. Escob. [25] cum Tol. Gutt. et Fill. ac Salm. [26] cum Gonet Less. Bonacina Trull. Candido Aversa Dicast. etc. ex d. Thom. [27]. Ratio, tum quia tunc iam adest simpliciter voluntarium circa substantiam matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quae sunt personae qualitates; tum quia alias innumera coniugia evaderent dubia et litibus exposita. Nec valet dicere cum Pontio quod, cum consensus sit actus indivisibilis et feratur in obiectum tali qualitate vestitum, deficiente qualitate, deficit consensus: alias dici deberet quod contrahens duos actus eliceret, unum consentiendo in obiecti sive personae substantiam, alterum in qualitatem, quod ait Pont. non posse dici, cum actus voluntatis sit unus indivisibilis. Sed recte respondent Salm. [28] quod, licet actus voluntatis formaliter sit in se indivisibilis, virtualiter tamen respectu ad obiectum sive personam bene potest esse divisibilis, unico enim illo actu voluntas fertur aequivalenter circa substantiam et circa qualitatem, ac si duos actus eliceret, et ideo, deficiente consensu minus principali circa qualitatem, remanet consensus principaliter movens circa substantiam.

1013. Communiter tamen et recte docent dd. quod error circa qualitatem personae bene irritaret matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam. Sed magna difficultas est ad dignoscendum, quandonam error qualitatis redundet in substantiam sive in personam. Tres attende regulas.

1014. *Prima regula*, tunc qualitas re-

(1) Suppl. qu. 51. a. 1. (2) L. 7. d. 18. n. 11. (3) L. 4. c. 20. n. 3. et 7. (4) De matr. c. 10. dub. 1. n. 4. (5) N. 7. (6) P. 155. q. 2. (7) Ibid. n. 5. (8) N. 6. (9) L. cit. (10) Qu. 3. p. 2. n. 4. (11) Ib. n. 6. (12) N. 21. (13) L. 4. c. 21. n. 5. (14) P. 2. num. 6. (15) De matr. c. 10. dub. 2. num. 9. (16) L. 4. c. 21. n. 7. (17) L. 7. d. 18. n. 18. (18) C. 2. n. 2. (19) P. 310. num. 4. (20) C. 22. num. 32. (21) P. 155. q. 2. (22) T. 7. p. 797. (23) P. 374. n. 511. (24) P. 4. num. 5. (25) Lib. 26. n. 9. (26) Ibid. n. 14. (27) Suppl. q. 51. a. 2. in corp. ad 1. et ad 3. (28) Ibid. n. 11

dundat in substantiam, cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis: tunc enim verificatur quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus. Hoc certum est cum Sanch. [1] Pal.[2] Pont. [3] et Salmant.[4] ac alii passim. Et idem est cum iisdem aa. (vide Salmant. [5]) si contrahens ante matrimonium expressam habuerit intentionem, et eam non retractavit, non contrahendi nisi sub tali conditione, quia tunc consensus ille, si non actualiter, est saltem virtualiter conditionatus.

1015. *Secunda regula* est: quando qualitas non est communis aliis, sed propria et individualis alicuius determinatae personae, puta si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniae, tunc qualitas redundat in personam, unde errando in qualitate, erratur in persona, et proinde nullum est matrimonium, etiamsi ille non habuerit expressam intentionem non contrahendi, ita Pal. [6] Petroc. [7] Habert [8] Holzm. [9] Laym.[10] et Sporer [11]. Non autem acquiesco doctrinae Bonac.[12] Sanchez[13] et Escob.[14] qui dicunt idem esse, cum quis putaret contrahere cum filia regis Hispaniae, quia cum qualitas filiae sit communis aliis filiabus regis Hispaniae, qualitas illa non est individualis, unde non redundat in personam, et tanto minus approbo id quod dicunt Salmant.[15] cum Aversa, nempe quod qualitas etiam transeat in personam, si sit individui vagi, puta si quis crederet contrahere cum filia regis, cuiuscumque regis filia sit, et citant d. Thom.[16], sed non bene, nam s. doctor non loquitur de eo qui in contrahendo credit illam esse filiam regis, sed de eo qui antea directe et principaliter intendit qualitatem personae, nempe contrahendi cum filia regis; tunc enim dicit angelicus quod, si alia praesentetur ei, error redundet in personam, en eius verba: *Si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impediet matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei, quam filius regis, est error personae et impedietur matrimonium.* Ubi observa quod hic clare loquitur d. Th. non de muliere quae erravit in credendo, sed de illa quae ante matrimonium directam habuit intentionem contrahendi cum filio regis, et ideo nullum dicit esse matrimonium cum alio celebratum.

1016. *Tertia regula* igitur quam tradit d. Thom. et sequuntur Sotus Abul. Sylv. Tab. Led. Man. Lop. Rosell. Philiarch. etc. apud Sanch.[17], item Holz.[18] et Tamb.[19] est, quod si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam, secus si consensus principaliter fertur in personam et secundario in qualitatem: v. gr. si quis dixerit, *volo ducere Titiam quam puto esse nobilem*, tunc error non redundat in substantiam, et ideo non invalidat matrimonium. Secus si dixerit, *volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam;* tunc enim error redundat in substantiam, quia directe et principaliter intenditur qualitas et minus principaliter persona. Hinc ad casum relatum a Sanc.[20], scilicet cum quidam adolescens petierit in coniugem filiam cuiusdam secundogenitam valde pulcram, pater negavit illam et obtulit primogenitam iuveni ignotam, quam hic postulavit prius ostendi cuidam suo amico; pater isti amico pro primogenita, quae turpis erat, ostendit secundogenitam, quam cum audisset iuvenis etiam esse pulcram, contraxit, sed visa deinde illius deformitate, contendebat matrimonium esse nullum. Sentit Sanchez[21] cum Tab. valuisse matrimonium, quia error fuit qualitatis, non personae, sed probabilius contradicunt Pont.[22] Spor.[23]

(1) L. 7. d. 18. num. 21. (2) P. 4. num. 5.
(3) L. 4. c. 21. n. 5. (4) De matr. c. 10. dub. 2. n. 9.
(5) Ibid. n. 11. (6) P. 4. n. 5. (7) T. 4. p. 367.
(8) T. 7. p. 796. (9) N. 512. v. Tertius casus.
(10) C. 2. n. 2. (11) P. 237. n. 7. (12) P. 3. n. 7.
(13) N. 27. (14) N. 10. (15) Ibid. n. 17.
(16) Suppl. qu. 51. a. 2. ad 5. (17) N. 25.
(18) N. 515. (19) De matr. l. 8. c. 2. §. 2.
(20) L. 7. d. 18. n. 35. (21) L. c.
(22) L. 4. c. 21. n. 3. (23) P. 237. n. 8.

et Tamburin. [1]. Ratio quia verius est eo casu qualitatem pulcritudinis fuisse (ut mox supra diximus) principalius intentam, quam personam, cum ideo iuvenis petierit ostendi amico, item quia voluntas eius revera non fuit determinata ad accipiendam oblatam a patre, sed ostensam amico.

1017. « Dicitur 2. *Conditio*, scilicet servilis, ut si homo liber ignoranter contrahat cum serva, vel servus cum serva, nullum est matrimonium. Idque secundum sententiam communiorem, iure tantum ecclesiastico (Et sic probabilius tenent d. Thom. [2] et Salmant. [3] cum communi) fundato tamen in iure naturali, cui est valde conforme. Ratio est quia talis contractus adversatur 1. Bono sacramenti, cum servus, invito domino, nequeat cohabitare coniugi. 2. Bono fidei coniugalis, cum non possit solvere debitum ad libitum alterius. 3. Bono prolis, cum servus omnia acquirat domino. Ubi tamen notandum, non esse proprie servos qui sunt coloni originarii vel adscititii, vulgo dicti *Leibeigene*. Vide Laym. [4]. »

1018. Certum est quod si liber scienter contrahat cum ancilla, matrimonium est validum, et si forte ius civile aliud statuerit in *l. Cum ancillis*, *c. de incest. nuptiis*, in hoc correctum est a iure canonico. Nec talis contrahens graviter peccaret, quamvis efficeretur irregularis, ex *c. Si quis dist.* 34. Vide Salm. [5].

Si vero ignoranter quis contrahat cum ancilla, nullum est matrimonium sive contrahens sit liber sive servus, ut sentit Bus. Sed hoc probabilius negandum, nam si servus contrahit cum serva, valet matrimonium, ut absolute docent s. Th. [6] Sanch. [7] et Salmant. [8] cum Bonac. Con. etc. Quia ecclesia irritans talia matrimonia attendit conditionis inaequalitatem, quae solum adest quando liber contrahit cum serva.

1019. Dubit. 1. Utrum, si error liberi sit crassus, irritet matrimonium. Negant Sot. Led. Vill. etc. apud Salm. [9] quia in errore crasso videtur adesse voluntaria deceptio. Sed probabilius affirmant Sanch.[10] et Salm.[11] cum Con. Dic. Aversa Trull. etc. quia quaecumque ignorantia efficit actum saltem non perfecte voluntarium.

1020. Dubit. 2. An tunc utraque pars possit propria auctoritate a matrimonio resilire. Deceptus certe potest, nisi adsit scandalum, et ita pariter serva. Sed utrum haec, si liber factus conscius eius servitutis vellet revalidare matrimonium, teneatur consentire. Probabiliter opinantur Salm. [12] cum Soto etc. quod, si serva bona fide contraxit, non tenetur, secus si mala fide decipiens alterum, quia tunc tenetur ratione iniuriae.

1021. Dubit. 3. Cuinam incumbit onus probandi ignorantiam servitutis. Henriq. censet libero. Sed communius et probabilius Sanch.[13] Salm.[14] cum Pal. etc. tenent incumbere ancillae probare scientiam, nisi ipsa communiter ut talis sit nota.

1022. Dubit. 4. An validum sit matrimonium cum serva ignorata, si per matrimonium illa fiat libera. Tres sunt casus in quibus per matrimonium acquiritur libertas. 1. Si dominus dotale instrumentum conferat ancillae contrahenti [15]. 2. Quando dominus accipit ancillam in coniugem, ut dicunt Salmant.[16] cum Pont. Pal. Vasq. etc. contra Sanch. Gutt. etc. 3. Quando dominus servam matrimonio tradit libere alteri illius servitutem ignoranti[17]. In his autem casibus fit dubium, an matrimonium sit validum. Negat Palaus[18] cum Covar. Affirmant vero communius et probabilius Sanch.[19] Bonac.[20] et Salmant.[21] cum aliis. Et idem putat Sanchez[22] (contra Pal.[23] cum Pont.) si dominus promiserit se servam brevi di-

(1) L. c. n. 2. (2) Suppl. q. 52. a. 1. ad 3. (3) De matr. c. 10. p. 1. n. 25. (4) L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. (5) Ibid. n. 20. (6) Suppl. qu. 52. a. 1. ad 1. (7) L. 7. d. 19. n. 23. (8) Ib. n. 25. (9) De matr. c. 10. p. 1. n. 27. (10) N. 20. (11) Ibid. n. 28. (12) Ib. n. 31. (13) N. 8.

(14) Ibid. n. 32. (15) L. un. c. de latin. libert. (16) Ibid. p. 2. n. 35. (17) Auth. Ad haec, c. de lat. libert. (18) D. 4. p. 5. §. 1. n. 4. (19) L. 7. d. 19. n. 14. (20) Q. 3. n. 3. (21) Ibid. n. 38. (22) L. c. n. 4. (23) L. c.

missurum, quia illa tunc moraliter iam censetur libera.

1023. Matrimonium autem cum liberta, id est serva quae facta est libera, certe validum est, modo libertas non solum illi sit promissa, sed etiam iam donata, ut censent Salmant. [1] cum Pont. Pal. etc. contra Sanch. et Con.

1024. « Dicitur 3. *Votum*, scilic. solemne castitatis per susceptionem ordinis sacri vel per solemnem professionem in religione approbata sponte emissam.

« Dico 1. *sponte*, quia metus gravis irritat professionem, ut *vide supra l.* 3. *n.* 197.

» Dico 2. *solemne*, quia votum simplex tantum impedit, non dirimit (excipe tamen vota simplicia societatis Iesu). Vide Laym. [2]. »

1025. Dubit. 1. An votum solemne religionis dirimat matrimonium de iure divino vel ecclesiastico.

Prima sententia dicit de iure ecclesiastico, et hanc tenet Sanc.[3] cum Scot. Gerson. Host. Abb. etc. quia votum solemne non irritat matrimonium ratione voti, sed ratione solemnitatis; cum autem solemnitas sit ex iure ecclesiastico, ut habetur in *c. un. de votis in* 6., ergo solo iure ecclesiastico dirimitur matrimonium.

Secunda sententia tamen probabilior dicit dirimere de iure divino, eamque tenent d. Th. [4], item d. Bonav. Maior. Val. Henriq. Vict. etc. apud Sanch. [5]. Ratio quia in voto simplici corpus tantum promittitur Deo, sed in solemni, per acceptationem legitimam praelatorum, corpus insuper Deo traditur.

1026. Dubit. 2. An papa in aliquo casu possit dispensare in voto solemni castitatis in professione emisso. *Vide dicta l.* 3. *n.* 256. *v. Quaeritur*, ubi affirmativam tenuimus sententiam cum eodem d. Thom. [6] et pluribus, quibus adde Ronc. [7] et Fagnan. [8] qui asserit eam esse communem theologorum. An vero ordo sacerdotalis dirimat matrimonium de iure divino. *Vide dicenda n.* 1059. Quomodo autem votum, quod emittitur in susceptione sacrorum ordinum, dirimat matrimonium. *Vide dicta hoc l.* 6. *n.* 808.

1027. « Dicitur 4. *Cognatio*, quae triplex est.

« Prima dicitur *legalis*, quae est propinquitas personarum, proveniens ex adoptione perfecta (qua scilicet persona extranea assumitur in filium vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptantis eique succedat, vel tanquam haeres necessarius ex testamento in quarta parte, vel tanquam filius ab intestato in totum) ea enim dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes [9]. Vide Bonac.[10]. Vide tamen Laym.[11] et Diana[12] qui contra communem sententiam notat ex Henr. Less. etc. probabile esse, quod post Trident. tantum dirimat usque ad gradum secundum inclusive, sicut cognatio spiritualis. »

Notandum igitur 1. quod adoptio perfecta est illa qua principis rescripto persona sui iuris transit in potestatem et familiam adoptantis, sicut ac etiam filii eius. Imperfecta est, quando fit sine rescripto principis supremi, sed auctoritate inferioris magistratus, nec adoptatus cum filiis transit in potestatem adoptantis. Dubitatur an cognatio legalis oriatur etiam ex adoptione imperfecta. Affirmant Pal.[13] Pontius Tol. etc. apud Salm.[14]. Sed probabilius dicunt s. Thom.[15] Sanch.[16] Salm. [17] cum aliis, oriri tantum ex adoptione perfecta.

Notandum 2. quod hoc impedimentum est perpetuum inter adoptatum et adoptantem et uxorem illius, vel e converso; verum inter adoptatum et filios adoptantis est tantum ad tempus, scil. usquedum filii sunt sub potestate illius, ita Salmant. cum s. Thoma et alii

(1) De matr. c. 10. p. 2. n. 40. (2) L. c. c. 3. (3) Lib. 7. d. 26. n. 4. (4) In 4. d. 38. q. 1. a. 3. (5) N. 4. (6) L. c. a. 4. q. 1. ad 3. (7) P. 156. q. 4. (8) In c. Cum ad monasterium, p. 2. l. 3. decretal. (9) C. Per adoptionem, caus. 30. q. 3. Ita diligere, caus. 30. q. 3.
(10) Q. 3. p. 3. §. 3. n. 4. et 5. (11) C. 7. (12) P. 9. t. 6. r. 54. (13) P. 9. n. 9. (14) De matr. c. 12. p. 3. n. 39. (15) Suppl. q. 57. a. 2 (16) L. 7. d. 65. n. 9. (17) Ib. n. 40.

passim [1]. Hic autem dubitatur, ad quos extendatur haec legalis cognatio. Pont. Sot. Val. etc. apud Salm. [2] dicunt extendi usque ad quartum gradum in linea recta. Sed Salm. [3] cum Sanch. Aversa Corneio et Hurt. tenent omnino dicendum, non extendi ultra primum gradum: quia hic tantum a iure positivo assignatur. Extenditur tamen inter adoptantem et omnes qui sunt sub potestate adoptati. Vide Salm. [4].

1028. « Secunda est cognatio *spiritualis* quae iure ecclesiastico oritur inter personas aliquas ratione baptismi et confirmationis, dirimitque matrimonium (ut habetur *c.* 1. *De cognatione spirituali in* 6. *c. Nedum:* et constat ex Trid. [5]. Vide Bonac. [6] Sanch. [7] Suar. [8]) inter baptizantem et baptizatum, et huius patrem et matrem: item inter susceptorem et susceptum et huius patrem et matrem (Hic plura dubia occurrunt, de quibus iam satis egimus in tract. de baptismo, unde ne actum repetamus, *vide dicta ibi lib.* 6. *n.* 149.).

1029. » Tertia est cognatio *consanguinitatis carnalis*, quae est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium, dirimitque matrimonium usque ad quartum gradum lineae transversae inclusive. Et quidem quoad primum, fortassis iure naturae: quoad reliquos tres, solo iure ecclesiastico. Unde etiam pontifex in his ex iusta causa dispensare potest. Gradus vero lineae rectae, probabile est, omnes iure naturae esse prohibitos (Sed satis probabile est omnes esse vetitos iure ecclesiastico, excepto primo gradu in linea recta; *vide dicta l.* 6. *n.* 470.). Porro pro gradibus consanguinitatis dignoscendis statuuntur sequentes regulae.

» *Prima regula.* In linea recta tam ascendentium quam descendentium, quot sunt personae, tot sunt gradus, una dempta, scilicet stipite (*Linea* est series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus. *Stipes* est ille a quo descendunt contrahentes) v. g. pater et filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos et avus in secundo etc.

» *Secunda regula.* In linea transversa aequali (quae est inter personas a communi stipite aequaliter distantes) quot gradibus personae singulae a communi stipite distant, totidem distant inter se. Unde frater et soror sunt in primo gradu lineae transversae, patrueles et consobrini in secundo, filii eorumdem in tertio.

» *Tertia regula.* In linea transversa inaequali, inter personas inaequaliter distantes a communi stipite, quot gradibus remotior persona distat a stipite, tot gradibus distant inter se. Unde patruus et nepos, filius et soror patris sunt consanguinei in secundo gradu, quae omnia patent in adiuncto schemate.

(1) Vide tr. et cap. cit. n. 42. (2) Ibid. n. 43. (3) Ibid. (4) De matr. c. 12. p. 3. n. 44. (5) Sess. 24. c. 2. (6) Q. 3. p. 5. (7) L. 7. d. 34. (8) 3. p. q. 67.

1030. SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus. M. Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER. MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	✠ Hypotheticus.	I. Soror.
II. Filii et Filiae Fratris.	I. Filius. Filia.	II. Filii et Filiae Sororis.
III. Nepotes et Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes et Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes et Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes et Proneptes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

Advertendum hic cum Salm. [1] Continuat. Tourn. [2] quod a linea transversali inaequali in supplicatione dispensationis tam ex una quam ex altera parte debeat exprimi gradus propinquior et remotior, si propinquior esset primus gradus; hoc habetur ex bulla s. Pii v. *Sanctis.*, quia in eo primo gradu papa non intendit dispensare, nisi exprimatur.

1031. « Dicitur 5. *Crimen*, idque triplex. Primum est *homicidium* coniugis ab altero coniuge et alio tertio, sive physice, v. gr. gladio vel veneno, sive moraliter, ut imperio, perfectum, eo consilio, ut postea inter se matrimonium contrahant. Quod si caedes tentata sit, sed non perfecta, vel perfecta, sed absque intentione matrimonii ineundi vel cum intentione quidem ea, sed non significata exterius, vel non communi consilio, sed ab altero tantum, non dirimit matrimonium, nisi etiam adulterium praecesserit : tunc enim, etsi unus tantum caedem perfecerit, altero ignaro, dummodo id fecerit intentione matrimonii, vere dirimit. Ita Con. Less. Sa Sanch. [3].

» Secundum est *adulterium* , quan-

(1) De matr. c. 14. p. 4. n. 46. (2) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 17. art. 1. n. 4.
(3) L. 7. d. 78. n. 15. et d. 79

lo nimirum duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius coniuge, et vel matrimonium ineunt de praesenti, vel saltem dant fidem de ineundo post mortem coniugis. Sed in hoc casu requiritur ut promissio sit acceptata, et uterque sciat alterum esse coniugatum: si enim vel alteruter ignorat, non irritatur matrimonium, si quod postea ineatur coniuge mortua. Perez Con. [1] Sanch. [2] Filliuc. [3]. Vide etiam Bon. [4] Dian. [5] excusatque ignorantia quaevis etiam facti, Sanch. M. Leo [6]; sufficit autem si adulter dubitet utrum tempore adulterii et promissionis de matrimonio cum adultera vixerit alter coniux, quia praesumitur vixisse, nisi mors probetur: Nav. Sanch. [7] Bard. [8].

1032. » Tertium est *raptus*, per quem persona cum violentia abducitur, libidinis exercendae vel matrimonii ineundi causa. S. Thom. Mol. [9]. Durat autem hoc impedimentum secundum Trid. quamdiu rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat. Unde libertati restitutam ducere potest. Probabile tamen est, Tridentini decreto tantum comprehendi raptum, qui sit causa matrimonii. Sanch. [10] Vide Laym. »

1033. De impedimento ob crimen *raptus* loquemur in fine huius dubii *n.* 1107. Hic tantum sermonem facimus de impedimento ob crimen *homicidii*, et ob crimen *adulterii*. Ad distinguendum autem tale impedimentum, attende regulam ab aliquibus traditam. Incurritur hoc in tribus casibus, nempe utroque patrante (id est crimen homicidii, ut illud *patrante* intelligendum), uno patrante, et nemine patrante. Et 1. *Utroque patrante,* quando non est adulterium, sed uterque conspirat ad homicidium, animo inter se nubendi. 2. *Uno patrante*, quando v. g. vir post adulterium occidit coniugem ad ducendam adulteram, licet ista non conspiret ad homicidium: modo illius intentio huic manifestata sit. 3. *Nemine patrante*, quando non adest homicidium sed tantum adulterium, et promissio matrimonii, quae non sit ficta, et sit saltem acceptata, antequam moriatur coniux adulteri.

Ex 1. capite igitur, nempe *utroque patrante*, id est cum homicidium coniugis fit sine adulterio, ad contrahendum impedimentum criminis requiritur 1. ut occisio eveniat ex communi consilio viri et foeminae; ita communiter Bell. [11] Sanchez [12] Pontius [13] Palaus [14] Bonac. [15] Cabass. [16] Concina [17] Holzm. [18] et Salm. [19] ex *c. Laudabilem*, 1. *de convers. infid.* Requiritur 2. ut homicidium fiat animo contrahendi matrimonium cum complice homicidii, ut communissime tenet Glossa [20] Bell. [21] Pal. [22] Pont. [23] Cont. Tourn. [24] Laym. [25] Spor. [26] Salm. Bon. Cab. et Conc. [27] Sanch. [28] cum s. Bon. Soto Palud. Maior. et aliis multis, contra Cai. Scot. et alios paucos, qui dicunt non requiri animum nubendi cum adultero, eo quod in *cit. c. Laudabilem*, nulla fit mentio de hac conditione. Sed bene respondent aa. primo loco citati, quod licet in iure non exprimatur praefata conditio, ipsa tamen colligitur ex fine legis, nimirum ne coniux machinetur mortem alterius ut postea cum altero nubat.

1034. Notant tamen Sanch. [29] et Salm. [30] cum Cand. et Dic. sufficere ad incurrendum impedimentum, quod, inita ab utroque machinatione occisionis, intentio matrimonii adsit tantum ex parte unius. Utrum autem requiratur ut talis intentio alteri saltem manifestetur. Negant Sanch. [31] cum Man. et Vega ac Pal. [32] cum Soto et Gutt. tum quia ecclesia non ponit praecise intentionem, sed occisionem externam hac in-

(1) D. 31. n. 57. et 61. (2) L. 7. disp. 79. n. 12. (3) Num. 256. (4) Q. 3. p. 6. n. 8. (5) P. 3. t. 4. r. 198. (6) In praxi p. 2. s. 234. (7) L. 7. de matr. disp. 79. (8) D. 6. c. 11. §. 8. (9) T. 3. d. 105. (10) D. 13. (11) L. 1. de matr. c. 22. v. Crimen. (12) L. 7. d. 78. n. 9. (13) L. 7. c. 45. n. 4. (14) P. 12. n. 3. (15) P. 6. n. 5. (16) L. 3. c. 23. n. 3. (17) P. 322. n. 4. (18) N. 568. (19) De matr. c. 12 p. 4. n. 55. (20) In c. Si quis vivente, caus 31. q. 1. verb. Occidisse. (21) L. c. v. Adde. (22) N. 5. (23) L. c. (24) Tr. de dispens. in spec part. 1. c. 3. not. 4. v. An autem. (25) C. 10. n. 4 (26) N. 102. (27) L. c. (28) N. 15. (29) N. 9. (30) De matr. c. 12. p. 4. n. 55. (31) L. 7. d. 78. n. 19. (32) P. 12. n. 5.

tentione factam, tum quia haec intentio, quando patratur homicidium, iam praesumitur, argumento *Clement.* 1. §. *Verum de haeret.* ubi excommunicantur inquisitores qui ex odio reis iniustitiam faciunt, vel ex eorum amore omittunt inquirere. Affirmant vero Pontius [1] Diana [2] et Salm. [3] cum Vasq. Perez et Hurt., quia ecclesia non potest punire quod non potest cognoscere; lex enim humana exposcere nequit nisi illam obedientiam quae homini debetur; homini autem non debetur nisi externa operatio quae praecipitur, interna enim soli Deo debita est. Respondent autem ad casum Clementinae, quod ibi non excommunicantur qui ex odio vel amore simpliciter interno ducti iniustitiam committunt, sed qui insuper talis odii vel amoris externum indicium praestant. Unde sic mihi probabilius dicendum videtur: Si occisionem praecesserint sufficientia indicia intentionis, puta munera, familiaritates, epistolae amatoriae, et similia inter eos qui contrahere volunt, tunc incurritur impedimentum; secus si intentio remanserit omnino interna; tunc enim ecclesia nequit punire homicidium ex tali intentione factum, si nullum de ea indicium praecesserit.

1035. Ex 2. capite, *Uno patrante*, nempe ex homicidio cum adulterio, ad dirimendum matrimonium sufficit, quod, stante adulterio, una pars tantum perpetret homicidium, quamvis altera inscia, ita communiter Sanch. [4] Pont.[5] Pal.[6] Bon. [7] et Salm.[8] cum Dic. Aversa Corneio etc. Id patet ex *c. Si quis vivente* 5. *caus.* 31. *qu.* 1. ubi dicitur, non obstante adulterio, valere matrimonium cum adultero post mortem coniugis, *nisi forte vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur.* Item ex *c. Propositum* 1. *de eo qui dux. etc.* ubi: *Nullus copulet matrimonio quam prius polluerat adulterio; illam maxime cui fidem dederat, uxore sua vivente, quae machinata est mortem uxoris.* Item ex *c. Significasti* 6. *eod. tit.* ubi validum fuit declaratum coniugium cum adultera, *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo.*

1036. Ad hoc autem impedimentum incurrendum requiritur 1. Ut mors vere secuta sit ex percussione, veneno etc. dato a coniuge vel eius mandato; ita Pontius [9] Pal.[10] Bon.[11] Salm.[12] cum Sanch.[13] et communi. 2. Ut adulterium praecedat occisionem, Pont.[14] Elb.[15] et Salm. [17] cum Con. 3. Ut prius matrimonium fuerit validum, quamvis non consummatum, et licet obtentum sit divortium, Sanch.[17] ac Pont.[18] ex *c. Significasti* 6. *de eo qui dux.* Requiritur 4. Ut adulterium sit consummatum, ita ut facta sit una caro; hinc si vir vere non seminat in vase mulieris, nequaquam incurritur hoc impedimentum, ut Sanch.[19] Pont.[20] Pal.[21] Elb.[22] et Salmant.[23] cum s. Th. s. Ant. et comm.

Hinc autem dubitatur an requiratur, ad consummationem adulterii, ut non solum vir, sed etiam foemina seminet. Negant Sanch.[24] et Pal. Trull. Bon. etc. apud Salm. [25]. Sed plures alii affirmant, ut Conc.[26] cum communi, s. Bonav. Innoc. Host. et Viguer. ap. Sanch.[27] et expresse id tenet d. Th.[28] qui ait: *Vir et mulier efficiuntur . . . una caro per commixtionem seminum. Unde quantumcumque aliquis claustrum pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur... affinitas.* Et ideo merito hanc sententiam probabilem vocant Sanch. [29] et Salm. cum Pal. Trull. Dian. Ronc. *Vide infra n.* 1075.

Requir. 5. Ut adulteri sint conscii matrimonii; quare, si foemina rem habet cum coniugato, quem putabat solutum, impedimentum non contrahi-

(1) L. 7. c. 45. n. 5. (2) P. 9. tr. 7. r. 25.
(3) Cit. num. 55. (4) L. 7. d. 78. n. 9.
(5) L. 7. c. 45. n. 4. et 5. (6) P. 12. (7) P. 6. n. 8.
(8) De matr. c. 12. p. 4. n. 47. (9) N. 4.
(10) N. 4. (11) N. 6. (12) Ibid. n. 48.
(13) N. 7. (14) N. 4. (15) P. 408. n. 170.
(16) Ibid. n. 50. (17) N. 20. (18) N. 5.
(19) L. 7. d. 79. in princ. (20) N. 4. (21) N. 8.
(22) L. c. (23) Ibid. n. 50. et c. 4. p. 1. n. 5.
(24) L. 2. d. 21. n. 11. (25) Dict. c. 4. n. 4.
(26) P. 551. n. 4. (27) L. c.
(28) Suppl. q. 55. ar. 4. ad 2. (29) L. c.

tur; ita Sanch. [1] Pal. [2] ac Con. Avers. Dic. etc. cum Salm.[3] ex *c. Veniens*, et *c. Propositum, de eo qui dux. etc.* An autem excuset tunc ignorantia crassa et culpabilis adulterii. Negant Val. Con. Per. etc. apud Salm. [4]. Quia tunc, ut dicunt, adesset verum adulterium. Sed affirmant probabiliter Bus. ut supra, et Sanch.[5] ac Salm.[6] cum Reb. Avers.; tum quia excusat quaelibet ignorantia facti, ut esset haec, ex regula *c.* 10, *de reg. iur.;* tum quia ad adulterium requiritur dolus, ex *l. pen. ff. ad l. Iul.* At cum ignorantia crassa, nisi fuerit saltem affectata, non datur dolus, ex Gloss. *in l. Magna, ff. de verb. sign.*

Requir. 6. Ut occisio facta fuerit cum animo nubendi cum adultera, saltem ex parte occidentis, modo is externe talem intentionem alteri manifestarit, iuxta sententiam allatam mox supra *n.* 1034. ubi diximus requiri manifestationem saltem per indicia praecedentia; idque procedere in utroque casu dicunt Salm.[7] cum Sanch. Pont. Vasq. Per. Dic. etc. Hinc infertur quod si vir uxorem occidat, ut liberius adultera fruatur, vel ob aliam causam, etiamsi ista consenserit ad homicidium, sed absque intentione matrimonii, impedimentum non contrahitur. Immo, si vir occidat uxorem ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde ducere adulteram, Sanch.[8] Pont. [9] Pal.[10] Bon.[11] et Salm.[12] cum Pal. etc. Secus tamen si occidat ut aliquam ex adulteris ducat, ut Salm.[13] cum Con. Avers. Dic. etc.

1037. Ex 3. capite, *Neutro patrante*, nempe quando non adest homicidium, sed solum adulterium cum promissione matrimonii, ut habetur in relatis *c.* 1. *et* 6. *de eo qui dux.*, et clarius in *c. fin. eod. tit.* Docentque Sanch.[14] Pont.[15] et Salm.[16] cum Pal. Bon. Con. etc. tale impedimentum contrahi a coniuge fideli etiam cum infideli adultera, quia licet ecclesia non possit punire infidelem, potest tamen fidelem. Ad hoc autem impedimentum incurrendum requiritur 1. ut tam adulterium quam promissio habita sint vivente coniuge, ut Sanch.[17] Spor.[18] et Salm.[19] cum Bon. et Conin. Requir. 2. ut promissio non fuerit revocata ante adulterium, Sanchez [20] Spor.[21] et Salm.[22] cum Conin. et Bon. Dixi *ante adulterium;* nam si fuit revocata postea, tunc remanet impedimentum, cum iam contractum sit, sive promissio antecesserit, sive subsecuta fuerit adulterium, ut expressum habetur in *c. fin. de eo qui dux.* ubi: *Caeterum tolerari non debet, si prius vel postea* (ad fidem datam) *dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Requir. 3. ut promissio fuerit externa et acceptata; unde non sufficit si adultera mere negative se habuerit, ut communiter docent Pal.[23] Bon.[24] Cab.[25] Conc.[26] Salm.[27].

1038. Sed dubit. 1. An taciturnitas adulterae sit sufficiens signum consensus. Affirmant Pont. [28] et Conin. Reb. et Hurt. apud Pal.[29] quia in materia favorabili taciturnitas habetur pro consensu. Sed negant Sanch.[30] et Pal.[31] cum Gutt., quia talis materia potius est odiosa quam favorabilis, cum acceptans subiiciatur poenis ecclesiasticis. Merito Spor.[32] cum Tamb. utramque sententiam vocat probabilem.

1039. Dubit. 2. An promissio ficta matrimonii cum adulterio inducat impedimentum. Affirmant (modo fictio externe non appareat) Sanch.[33] et Pal.[34] cum Conin. et Gutt., quia talis promissio ficta iam apta est inducere adulteram ad captandam mortem coniugis, quod iura vitare intendunt. Sed probabilius et communius negant Bon.[35] Spor.[36] Holzm.[37] Croix [38] Elbel [39] et Salm.[40] cum Laym. Perez Dic. etc. Ra-

(1) L. 7. d. 78. n. 12. (2) P. 12. n. 8.
(3) De matr. c. 12. p. 4. n. 51. (4) Ibid. n. 52.
(5) L. 7. d. 79. n. 38. (6) L. c. (7) Ib. n. 53.
(8) L. 7. d. 78. n. 18. (9) N. 5. (10) P. 12. n. 5.
(11) P. 6. n. 4. et 8. (12) Ibid. n. 54.
(13) Cit. n. 54. in med. (14) L. 7. d. 79. n. 43.
(15) L. 7. c. 45. n. 7. (16) De matr. c. 12. p. 5. n. 64. (17) L. c. n. 5. (18) N. 108. (19) Ib. n. 60.
(20) Ibid. (21) Num. 107. (22) Dict. n. 60.
(23) P. 12. n. 11. (24) P. 6. n. 9. (25) L. 3. c. 23. n. 9. (26) P. 322. n. 6. (27) Ibid. n. 61.
(28) L. 7. c. 45. n. 2. (29) P. 12. n. 11.
(30) L. 7. d. 79. n. 25. (31) L. c. (32) N. 119.
(33) L. 7. d. 79. n. 20. (34) P. 12. n. 12.
(35) P. 6. n. 3. (36) N. 109. (37) N. 562
(38) N. 625. (39) N. 175.
(40) De matr. c. 12. p. 5. n. 62.

tio quia iura in textibus citatis *n.* 1035. requirunt fidem sive promissionem matrimonii: ficta autem promissio non est promissio; et quamvis cum tali ficta promissione non vitetur periculum in adultera decepta captandae mortis coniugis, tamen cum agatur de lege prohibitiva et de materia odiosa, stricta facienda est interpretatio: tanto magis quod finis praecepti non cadit sub praecepto.

1040. Dubit. 3. An promissio conditionata eo casu inducat impedimentum. Affirmant Cont. Tourn. [1] ac Sanch. [2] cum Nav. Man. et Vega, quia promissio conditionata inducit obligationem non resiliendi, et per eam vere dicitur data fides, et vere praebetur ansa captandi mortem coniugis. Negant vero probabilius Laym. [3] Holzm. [4] Tamb. [5] Elbel [6] et Spor. [7] cum Conin. et Perez. Ratio, quia iura requirunt fidem, per quam (cum simus in odiosis, ubi lex stricte interpretanda) intelligenda est fides, seu promissio pura et absoluta. Praeterquam quod per promissionem conditionatam non ita datur ansa captandae mortis, sicut per promissionem absolutam. Dicunt tamen praefati aa. talem promissionem bene inducere impedimentum, postquam conditio verificata fuerit ante mortem coniugis. Sed huic responderi posset quod promissio illa, adhuc impleta conditione, nec pura per se dici potest, prout requiritur a iure, caeterum quia communiter hanc exceptionem dd. tradunt, sapientibus me remitto.

1041. Dubit. 4. An ad incurrendum impedimentum requiratur ut promissio fuerit mutua. Affirmant Bellarm.[8] Elb.[9] et Holzm.[10], item Laym. Henr. Gob. et Dian. apud Croix [11]. Idque clare indicat Glossa *in c. Significasti* 6. *de eo qui dux.* quia, ut aiunt, iura videntur illam requirere promissionem, quae alias in sponsalibus obligationem utrinque inducit ad matrimonium contrahendum. Sed communius et probabilius negant Sanch.[12] Bonac.[13] cum Con. Sylv. Perez et Reb. et Pal.[14] cum Sot. Hurt et communi, ut asserit. Ratio quia in iure (ut patet ex *c.* 1. *et* 6. *de eo qui dux.* relatis *n.* 1035.) nulla mentio fit de repromissione, sed tantum de fide data. Alia igitur promissio requiritur in sponsalibus inter solutos, ut obliget ad matrimonium, quod pendet a iure naturali: alia inter coniugatos, ut inducat impedimentum, quod pendet a iure positivo.

1042. Ultimo hic notandum quod tribus criminibus, ex quibus oritur impedimentum, addatur quartum, adulterium nimirum cum matrimonio attentato, scilicet cum quis, sua uxore vivente, copulam habuerit cum alia, cum qua matrimonium insuper contrahere ausus sit; hoc matrimonium nullum est, sive copula praecesserit attentatum, sive subsecuta sit. Ita ex *c. Significavit* 2. *c. Ex litterarum* 4. *c. Cum haberet.* 5. *et c. Si quis* 8. *de eo, qui duxit in matr.* Vide Croix [15].

1043. Qui autem vivente sua coniuge promitteret alteri matrimonium, sed sine adulterio et matrimonio attentato, quamvis non incurrat impedimentum, non tamen excusatur a peccato mortali; ut Sanch.[16] Laym.[17] Bon.[18] Elb.[19] et Pal.[20] cum Abb. ex *c. fin. de eo qui dux.*

1044. « Dicitur 6. *Disparitas cultus*, sive religionis, quae dirimit matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, etiam catechumenum. Idque iure tantum ecclesiastico, non scripto, Bon.[21] ex Con. etc. Inter baptizatos vero non dirimit, etsi impediat. Matrimonia vero cum haereticis, etsi illicita, sunt tamen valida. *Vide l.* 2. *n.* 19. (Ut habetur *in c.* 1. *de divort. Vide dicta l.* 6. *n.* 56. ubi adde id quod dicit ss. p. Benedictus XIV. in bulla, *Matrimonia*, edita die 4. nov. 1741. (invenies in fine operis) ubi postquam pontifex declara-

(1) Tr. de dispens. in spec. part. 1. c. 5. n. 2.
(2) L. 7. d. 79. n. 11. (3) C. 10. n. 3. v. Sexta.
(4) N. 562. (5) C. 6. §. 3. n. 4. (6) N. 162.
(7) N. 109. (8) De matr. l. 1. c. 22. v. Casu 2.
(9) N. 165. (10) N. 562. (11) N. 626.
(12) L. 7. d. 79. num. 12. (13) P. 6. n. 9.
(14) P. 12. n. 13. (15) L. 6. p. 5. n. 621.
(16) L. 7. d. 79. n. 50. (17) C. 10. in fin.
(18) P. 6. n. 11. (19) N. 164.
(20) P. 12 n. 13. (21) Q. 5. p. 7.

vit coniugia inter haereticos esse valida, sic ait: *Dolens sanctitas sua esse inter catholicos, qui in insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta mater ecclesia perpetuo damnavit, ex animo non abhorrent, episcopos omnes, vicarios, parochos in iis partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos ab huiusmodi nuptiis in propriarum animaram perniciem ineundis quantum possint absterreant, atque efficaciter impedire satagant*).

1045. » Dicitur 7. *Vis*, sive violentia et gravis metus iniuste incussus ad matrimonium extorquendum: irritatque in utroque foro (Ex c. *Significavit*, c. *Cum locum*, c. *Veniens, et* c. *Consultationi*, *de eo qui duxit etc.* Vide Salm. [1] cum d. Th. et comm. Et hoc etiamsi intervenerit iuramentum; nisi iuramentum sit de ponendo consensu libero, quia tunc certe obligat, ut bene notat Viva [2]). Et quidem iure naturae, si a contrahente, positivo autem, si a tertio sit incussus.

» Addo 1. *gravis*, qualis scilicet cadit in virum constantem, v. g. mortis, perpetui carceris, amissionis bonorum, iniustae excommunicationis, enormis indignationis patris valde austeri. Quando vero metus est levis, contractus censetur spontaneus, idque, ad cavendas lites, etiam in matrimonialibus, ut sacramento consulatur. Reb. Sanchez Pont. etc. communiter cum Dian.[3], quamvis Navarr. Gabr. et Cov. id negent, si metus ita extorserit consensum, ut absque eo non fuisset. Addidi 2. *iniuste*, quia si iuste sit incussus, valet matrimonium: talis enim non tam infertur ab alio, quam ab ipsomet qui causam dedit, ut si v. g. deprehenso in crimine cum filia mineris accusationem nisi illam ducat. Addidi 3. *ad extorquendum*, quia matrimonium ex metu etiam gravissimo, undecumque et quandocumque incusso, dummodo non ad matrimonium extorquendum, valet; tunc enim non tam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi periculum, et matrimonium est simpliciter voluntarium.

» Unde resolvitur valere matrimonium in sequentibus casibus. Vide Bonacina [4].

» 1. Si concubinarius metu gehennae vel mortis in morbo vel naufragio contrahat cum concubina. Bon. [5].

» 2. Si quis a medico persuasus non diu se victurum, nisi ducta uxore, eam ducat. Bon. [6].

» 3. Si in carcerem coniectus, spe evadendi, contrahat cum filia lictoris. Sanch. [7] Con. [8].

» 4. Si ad mortem damnatus, ut evadat, ducat meretricem aut aliam. Conin. [9] Fill. [10].

» 5. Si princeps obsessus offerat filiam in matrimonium obsidenti ut liberetur obsidione [11].

» 6. Si raptor vel deflorator virginis metu mortis offerat se iudici ad eam ducendam. Bon.[12] ex Reg. Henriq. etc.

» 7. Si ad mortem decumbens contrahat cum filia medici, alias illi mederi nolentis. Reb. Sanchez[13] Con. Filliuc. [14], etsi alii quidam negent.

» 8. Etsi metus gravis incussus fuerit tantum ad contrahendum matrimonium in genere, contractum tamen nullum esse docent Sanchez Salas Palaus Pont. etc. cum Diana[15] contra Azor. et alios 4.

» Quando matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non teneri (in foro conscientiae) per se loquendo illud perficere, posseque altero invito resilire, etiam eum qui liber a metu fuit, etiamsi ab ipso seu eius culpa illatus fuerit, docent Sanchez Villal. Hurtad. et Ochag. cum Diana[16] contra Con. et Pont. »

1046. Supponendum est 1. vim differre a metu; vis enim omnino tollit voluntarium, cum sit a principio extrinseco et ipse vim passus nihil agit; metus vero non tollit simpliciter vo-

(1) De matr. c. 9. dub. unic. n. 2. et 3.
(2) Q. 4. art. 3. et 4. (3) P. 3. t. 4. r. 230. et t. 5. r. 117. (4) Q. 3. p. 8. (5) L. c.
(6) Loc. cit. n. 19. (7) L. 4. d. 12. num. 10.
(8) D. 23. dub. 1. c. 3. (9) N. 10.
(10) Cap. 4. quaest. 9. (11) Ibid. (12) N. 22.
(13) D. 12. (14) N. 105. (15) P. 4. t. 4. r. 55
(16) P 3. t. 4. res. 229. et p. 9. t. 3. r. 27.

luntarium; unde in *l. 1. ff. de eo quod metus causa etc.* sic metus definitur: *Est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Hic autem advertendum quod vis accipiatur pro metu. Supponendum 2. metum, alium esse ab intrinseco, alium ab extrinseco: metus ab intrinseco est ille qui infertur a causa intrinseca vel naturali, qualis est metus mortis ex morbo aut naufragio etc.; metus vero ab extrinseco est qui infertur a causa extrinseca et libera, nempe ab homine, et hic requiritur ad irritandum matrimonium. Supponendum est 3. metum, alium esse gravem sive cadentem in virum constantem, alium esse levem. Dicitur metus gravis, quando grave est malum quod timetur.

1047. Ut autem metus censendus sit gravis requiritur 1. Ut malum, quod alter minatus fuerit sit grave, saltem respectu metum passi, ex *l. Metum* 5. *ff. de eo quod met. etc.* Sufficit vero quod malum sit absolute in se grave ex communi hominum opinione, quamvis non sit maius respectu ad illud quod eligitur, ut advertunt communiter Sanch.[1] Pont.[2] et Boss.[3] cum Less. Nav. et Con. Sufficit etiam, si malum timetur non solum sibi, sed aliis sibi stricte coniunctis, Sanch. [4] Pont.[5] Less.[6] Salm. [7] et Boss. [8] cum Villal. ex *l. Isti quidem, ff. de eo quod etc.* Dummodo propinqui sint coniuncti saltem in quarto gradu, sive sint consanguinei sive affines, ut Sanchez [9] et Pont.[10] cum aliis. Id extendunt etiam ad famulos et domesticos, ex *c. Quicumque, de sent. excomm. in* 6. et ex Clem. 1. *de excess. praelat.* Requiritur 2. ut prudenter (non autem vane et leviter) malum timeatur proxime inferendum, Sanchez [11] et Salm.[12]. Requiritur 3. ut malum nequeat alias evitari, Sanch. et Salm.[13] ac Bossius [14]. Requiritur 4. ut minans malum possit exequi, nisi expertus sit verbosus, qui facile minas iactat et postea non exequitur vel facile placatur, ut dicunt Sanch.[15] Salmant.[16] cum Pal. Corneio Dic. et Aversa ac Boss.[17] cum Barb. Menochio etc. Insuper addunt Sanchez Salm. et Boss.[18] requiri quod incutiens metum solitus sit minas exequi, ex *l. Metum, c. de his quae vi etc.* ubi: *Metum non iactationibus tantum vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit.* Sed venia praefatorum dd. huic doctrinae nescio acquiescere, nam etsi aliquis non sit expertus verbosus et levis, non video cur prudenter non possit timeri malum, quod vir gravis serio et ex proposito minatur. Concedunt autem ipsi Sanchez[19] et Bossius [20] cum Barbosa Gutt. Arrag. et rota rom. ex *l.* 3. *ff. de vi et vi armata,* sufficere ad metum gravem incutiendum si alii actu armati matrimonium exposcant.

1048. Mala gravia, quorum metus irritat matrimonium, censentur 1. Mors vel gravis cruciatus[21]. 2. Exilium, ut Sanch. [22] cum Soto Henr. etc. 3. Carcer[23]. Hoc tamen dicunt Sanchez[24] cum Soto Rodr. et Led. ac Boss.[25] cum Con. Less. Gutt. etc. (contra aliquos) intelligendum de carcere diuturno aut vinculis atrocibus. 4. Amissio status[26] sive honoris, Sanchez[27] et Boss. [28] cum multis. 5. Violatio virginis [29] aut viduae honestae, Sanch.[30] et Boss.[31] cum Pontio etc. 6. Ablatio famae, puta si quis, deprehenso altero in crimine infami, comminetur eum prodere[32]. Vide Sanch.[33]. Et idem ait Boss.[34] cum Pontio Barb. etc. de metu magnae verecundiae, nempe si quis, nisi contrahas matrimonium, minetur te denudare cum publico dedecore. 7. Iniusta excommunicatio (nisi facile ei possit occurri), quia haec saltem in externo irrogat gravem notam infamiae, Sanch.[35]

(1) L. 4. d. 2. n. 3. (2) L. 4. c. 2. art. 2.
(3) T. 1. c. 10. n. 13. (4) D. 4. n. 1.
(5) C. 5. n. 4. (6) L. 2. c. 17. n. 35.
(7) De matr. c. 9. p. 1. n. 18. (8) N. 18.
(9) N. 5. (10) N. 5. (11) L. 4. d. 1. n. 17.
(12) Ibid. n. 19. (13) Locc. cc. (14) C. 10. ex n. 15. (15) D. 1. n. 19. et 20. (16) Dict n. 12.
(17) N. 15. (18) Locc. cc. (19) D. 5. n. 5.
(20) C. 12. n. 55. (21) Ex c. Cum dilectus, de his quae vi, etc. (22) L. 4. d. 5. num. 8.
(23) Ex l. Qui in carcerem, ff. de eo quod metus, etc.
(24) N. 9. (25) C. 12. n. 46. (26) Ex l. Isti, ff. eod. tit. (27) Num. 11. (28) N. 42. et 43.
(29) Ex dict. l. Isti. (30) N. 12. (31) Num. 45.
(32) Ex l. Nec timorem 7. ff. eod. tit.
(33) N. 14. et 18. (34) N. 44. (35) N. 17.

cum Host. Abb. et Sylv. ac Bossius [1] cum Pont. Azor. Con. et aliis communiter. 8. Amissio bonorum magni momenti, Sanch.[2] cum Soto Cord. etc. ac Boss.[3] cum Barb. Gutt. etc. 9. Amissio magni lucri; sed recte aiunt Sanchez [4] et Boss.[5] cum Pont. et Con. hoc intelligi tantum quando metum passus habet ius ad illud lucrum vel saltem ne ab illo iniuste impediatur, quia alias non esset pati metum damni, sed potius allici ad spem lucri. Advertit autem Sanchez [6] quod ubi causa metus non est in iure expressa, arbitrio iudicis definienda est.

1049. Ut autem metus irritet matrimonium requiritur 1. ut sit ab extrinseco sive ab homine, non autem ab intrinseco, ut communiter docent Sanchez [7] Pont. [8] Bon. [9] Ronc.[10] Boss.[11] et Salm.[12] cum Soto Cov. Aversa Candido et communi. Requiritur 2. ut metus incutiatur ad finem contrahendi matrimonium, Sanch.[13] Bon.[14] Holz.[15] Ronc.[16] et Salm.[17] cum Pont. Soto Trull. Henr. et communi, et patet ex *c. Cum locum, et c. Veniens, de spons.* Requir. 3. ut metus sit iniuste incussus, Sanchez[18] Bon.[19] Holzm. et Ronc.[20]. Unde si pater inveniret stupratorem suae filiae et minas illi incuteret mortis ad extorquendum matrimonium, equidem matrimonium esset nullum, ut habetur in dicto *c. Veniens, de spons.*; secus vero si comminaretur mortem ad ulciscendam iniuriam, et stuprator ad se liberandum iniret nuptias, quia tunc metus non fuisset ad matrimonium extorquendum; ita communiter Sanch.[21] Pontius[22] Bon.[23] Salm.[24] et Boss.[25] cum Host. Abb. Con. Henriq. Gutt. Villal. Hurt. etc. Idem dicendum si pater minetur accusare stupratorem apud iudicem, et ille, ne accusetur, duceret filiam, Busemb. ut supra, Sanchez[26] et Boss.[27]. Idem si iudex includeret stupratorem in carcerem ut puellam ducat vel dotet (iuxta praescriptum in *c. 1. et 2. de adulter.*), et ille matrimonium iniret. E converso nullum esset matrimonium, si absolute eum cogeret ad ducendum, quia de iure ille non tenetur absolute eam ducere, sed vel ducere vel dotare, ut recte dicunt Sanchez[28] Pontius[29] Boss.[30] cum aliis. Nisi (excipiunt) stuprator ille nollet vel non posset alia via damnum resarcire; et merito, quia stuprator, quando non dotat, omnino tenetur ducere violatam, ut docent Lugo[31] Tamb.[32] Salm.[33] cum aliis communiter.

1050. Dub. 1. Si iudex iniuste damnaret reum ad mortem, et promitteret se eum liberaturum, si ducat suam filiam, an valeret tale matrimonium.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Sanchez[34] et Salmant.[35] cum Cov. Aversa Dic. Trull. et Candido. Ratio (ut aiunt), quia tunc non incutitur illi metus ad extorquendum matrimonium, sed ei offertur modus se liberandi, matrimonium ineundo.

Secunda sententia tamen verior negat et hanc tenent Pont.[36] Boss.[37] Diana[38] cum Cov. Gutt. Ledesm. et Vega. Ratio, quia tunc metus iam oritur ab extrinseco, nempe a iudicis iniustitia; licet enim a principio damnatio illa non sit facta ad extorquendum matrimonium, tamen revera ad hunc finem saltem incutitur sententiae executio, a qua iudex teneretur abstinere. Secus vero dicendum cum Bossio, quando alius tertius offerret ei liberationem, si eius filiam duceret; hic namque nullo modo incuteret metum, sed potius offerret modum vitandi metum.

1051. Dubit. 2. Quid si reus iuste meretur mortem, et iudex offert ipsi liberationem, si suam filiam ducat. Negat pariter Pont.[39] cum Rebell. valere tale matrimonium, et consentiunt Mol.

(1) N. 53. (2) N. 25. (3) N. 49. (4) N. 28.
(5) N. 62. (6) D. d. 5. n. 5. (7) L. 4. d. 1. n. 2.
(8) L. 4. c. 19. num. 5. (9) P. 8. n. 16.
(10) P. 162. qu. 3. *c.* 2. (11) C. 13. n. 7.
(12) De matr. c. 9. p. 3. n. 41. (13) L. 4. d. 12 n. 3.
(14) L. c. (15) Num. 579. (16) L. c. r. 3.
(17) Ibid. n. 52. (18) D. n. 3. (19) P. 8. n. 8.
(20) Locc. cc. (21) L. c. v. Quarto. (22) N. 10.
(23) N. 22. (24) Ibid. n. 46. et 47. (25) N. 188.
(26) L. c. (27) N. 189. (28) L. 4. d. 13. n. 7.
(29) L. 4. c. 19. num. 14. (30) Num. 173.
(31) De iust. d. 12. n. 51. (32) De rest. c. 5. n. 27.
(33) Eod. tit. c. 3. p. 1. §. 1. num. 9.
(34) L. 4. d. 12. n. 1. (35) De matr. c. 9. n. 49.
(36) L. 4. c. 19. n. 9. (37) C. 12. n. 186.
(38) P. 4. tr. 7. r. 222. (39) L. 4. c. 19. n. 13

et Bon. apud Boss. [1] quia, licet iudex iuste damnaret illum ad mortem, iniuste tamen ab eo consensum extorqueret ad matrimonium, ad quod reus non tenetur, nisi esset in compensationem delicti, nempe si existeret consuetudo ut condonetur vita reo qui ducit uxorem vel filiam occisi, iuxta id quod ait Sanchez [2]. Probabilius vero affirmant valere Boss. [3] et Sanch. [4] cum Covar. Praepos. Vega Ledesm. Gutt. et Palac. Ratio quia tunc non infertur metus a iudice, sed potius aufertur: et quamvis iudex iniuriam irroget legi, reo tamen favorem praebet.

1052. Dubit. 3. Quid si iudex secundum allegata et probata cogeret ad matrimonium aliquem qui revera esset innocens.

Prima sententia dicit validum esse matrimonium, et hanc tenent Sanch. [5] Bonac. [6] Boss. [7] et Dic. et Trull. apud Salm. [8]. Ratio quia huiusmodi coactio iam approbatur a iure canonico, unde credi non potest quod ab ipso iure tale matrimonium dirimatur, cum de iure naturali iam sit validum iuxta sententiam multorum, ut infra *n.* 1054.

Secunda sententia vero probabilis et forte probabilior, dicit matrimonium esse nullum, et hanc tenent Pontius [9] Cont. Tourn. [10] Diana [11] et Salm. [12] cum Aversa et Dic. probabilem putant. Ratio quia sententia iudicis fundatur in falsa praesumptione et ideo non obligat; unde licet iudex iuste decernat secundum allegata, non tenetur tamen patiens secundum rei veritatem matrimonium contrahere. Nec valet dicere, credi non posse reprobari a iure canonico quod ab eodem approbatur. Nam hoc valeret si metus irritaret matrimonium tantum de iure ecclesiastico, sed valde probabile est metum irritare etiam de iure naturae, ut videbimus *dub.* 5. *seq.*

(1) C. 12. n. 134. (2) L. 4. d. 12. n. 12.
(3) L. c. (4) N. 11. (5) L. 4. d. 13. n. 8.
(6) P. 3. n. 14. (7) C. 12. num. 136.
(8) De matr. c. 9. p. 3. n. 50. (9) L. 4. c. 19. n. 11.
(10) De disp. in spec. part. 1. cap. 7. v. Sed quid.
(11) P. 4. tract. 4. r. 33. (12) Ibid. num. 51.
(13) L. 4. d. 12. n. 15. (14) P. 3. num. 23.
(15) L. 4. c. 19. n. 15. (16) Ibid num. 54.

1053. Dubit. 4. An si medicus nollet mederi aegrotum nisi contrahat cum sua filia, valeat matrimonium. Affirmant absolute Sanch. [13] cum Led. Cord. Vega et Lop. ac Bonac. [14] cum Sa Con. Fill. etc. communiter. Ratio, quia tunc metus non incutitur extrinsece a medico, sed intrinsece ab ipso morbo. Sed melius distinguunt Pont. [15] et Salm. [16] cum Aversa et Reb. ac Bossius [17] et dicunt quod si medicus non tenetur ex iustitia curare infirmum, tunc utique validum est matrimonium; secus si tenetur ex iustitia, quia tunc metus licet principaliter oriatur intrinsece ab infirmitate, tamen oritur etiam ab extrinseco, nempe a curationis denegatione, quae vere est grave damnum. Et idem dicendum aiunt Salmant. [18] et Boss. cum Conc. si necessitas urgeret et alius non adesset, quamvis medicus tantum ex caritate teneretur ad curandum.

1054. Dubit. 5. An metus irritet matrimonium de iure naturae aut ecclesiastico.

Prima sententia dicit irritare de iure ecclesiastico, et hanc tenent Sanchez [19] Laym. [20] Bonac. [21] Less. [22] Conc. [23] Contin. Tourn. [24] Ronc. [25] cum communi, ut asserit, et Salm. [26] cum Gonet Soto Valent. Pal. Led. etc. Ratio, quia in tali matrimonio iam adest sufficiens voluntarium, et licet libertas ex metu minuatur, ex tali tamen diminutione nequit reddi nullum matrimonium; nam alias irritari deberet etiam ex metu intrinseco, quod nemo dicit: cum autem huiusmodi matrimonium naturaliter sit illicitum, merito ecclesia illud irritat.

Secunda sententia vero, non minus probabilis et forte probabilior, tenet metum irritare matrimonium de iure naturae: hanc tenent Pont. [27] Navarr. [28] Diana [29] Bossius [30] cum Mol. Cov. Med. Comit. Reb. Villal. etc. Holzm. [31] cum

(17) C. 12. n. 191. (18) L. c. (19) L. 4. d. 14. n. 2
(20) L. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. (21) P. 8. n. 8.
(22) L. 2. c. 17. num. 47. (23) P. 206. n. 21.
(24) Loc. cit. (25) P. 162. qu. 2. r. 1.
(26) De matr. c. 9. dub. unic. num. 7.
(27) L. 4. c. 14. num. 4. (28) C. 22. n. 51.
(29) P. 4. tr. 4. r. 33. (30) C. 12. n. 269
(31) Num. 585.

Scoto et scotistis communiter, ut asserit, eamque expresse tenet etiam d. Th. [1] qui ait: *Vinculum matrimonii est perpetuum, unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum, et ideo coactio talis metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium et non alia.* Prima ratio igitur est haec d. Thom.; dicit enim s. doctor quod omnes contractus metu initi non sint firmi et perpetui, ac ideo per restitutionem in integrum rescindi possunt; contractus autem matrimonii, cum sit per se perpetuus et indissolubilis, non aliter gaudere potest restitutione in integrum, nisi ab ipso iure naturali dispositum sit quod ab initio sit nullus. Ratio secunda est, quia matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter coniuges, ut ex *Matth.* 19.: *Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae.* Unde, quando ob metum matrimonium contrahitur, oportet de se esse nullum, alias cum metu non potest mutuus amor consistere; nemo enim adhaerere solet rei quam tenet invitus. Ratio tertia, quia si tale matrimonium naturaliter valeret, natura approbaret actum ex quo gravissima mala contra commune bonum orirentur, nempe quod saepe innocens cogeretur vitam duram ducere et reus commodum ex sua iniquitate reportaret: quae non sunt naturali rationi consona. Valide insuper confirmatur haec sententia ex *c. Cum locum* 14. *de spons.* ubi sic habetur: *Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur; matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire.* Observa igitur quod in hoc textu non loquitur pontifex tamquam aliquid novum statuens, sed potius ut ius naturale declarans et promulgans; quod probat matrimonium ex ipso iure naturae esse nullum.

1055. Dubit. 6. An metus levis irritet matrimonium. Affirmant Lugo[2] Navarr. [3] Tamb. [4] Viva [5] et Cov. Rodr. Man. et Veracr. apud Salm. [6], et probabilem putant Sanch. [7] Tambur. [8] et Viva [9]. Verius tamen negant Busemb. ut supra cum communi, Pont.[10] Pal.[11] Tamb. et Viva[12] Boss.[13] et Sanch.[14] cum d. Bonav. Soto Palud. Arm. Arrag. et aliis communissime, d. Thoma[15] qui: *Coactio metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium et non alia.* Ratio quia matrimonium initum ex metu levi neque est nullum de iure naturali neque de iure positivo; non de iure naturali, quia non censetur invitus contraxisse qui contraxit ex metu levi quem facile repellere poterat. Neque de iure positivo, nam ad hoc (ut patet ex *c. Veniens*, 15. *de spons. et c. Consult. de iis quae vi etc.*) sola matrimonia ex metu gravi inita invalida declarantur; et merito, nam alias, si adhuc ex levi metu redderentur nulla, innumera matrimonia dissolverentur.

1056. Dubit. 7. An metus reverentialis sufficiat ad invalidandum matrimonium. Metus reverentialis est ille quo quis veretur resistere ei cui subiicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, regi, domino, praelato, tutori et curatori, ut communiter docent dd. cum Sanchez[16]. Item etiam patruo aut patrueli vel fratri maiori, si cum eis metum passus habitet et ab ipsis alimenta recipiat, Sanch.[17] et Boss.[18] cum Pontio Gutt. Menoch. etc. Ad dubium autem deveniendo:

Prima sententia, quam tenent Abb Navarrus Immola et alii canonistae apud Sanch.[19], dicit purum metum re-

(1) Suppl. qu. 47. a. 3. (2) De iust. d. 22. n. 141. (3) C. 22. num. 51. (4) Dec. l. 1. §. 6. n. 12. (5) De matr. q. 4. a. 2. n. 6. (6) De matr. c. 9. p. 2. n. 29. (7) De matr. l. 4. d. 17. num. 2. (8) Dec. l. 1. §. 6. n. 12. (9) De matr. q. 4. a. 2. n. 6.

(10) L. 3. c. 18. n. 2. (11) De peccat. d. 1. p. 12. n. 1. (12) Locc. cc. (13) C. 12. n. 165. (14) L. c. n. 3. (15) Suppl. qu. 47. a. 3. (16) L. 4. d. 6. n. 24. (17) Num. 31 (18) C. 10. n. 35.

verentialem, si est principalis causa matrimonii, illud irritare. Ratio, quia metus sine quo matrimonium non fieret, iam liberum aufert consensum.

Secunda sententia vero communis et recepta, quam tenent Less. [1] Sanch. [2] cum Soto Pal. Henr. et Sa Bon. [3] cum Suar. Val. Mol. et Reb. ac Boss. [4] cum Laym. Con. Barb. Gutt. Cov. Villal. etc. ac decis. rotae rom. dicit non sufficere puram reverentiam, sed requiri ut adiungantur aut verbera aut minae aut timor alicuius gravis mali, puta odii, diuturnae indignationis etc. Ratio quia purus metus reverentialis per se non est gravis, prout requiritur ad contractum irritandum; idque expressum habetur in *l. Interpositas, c. de trans.* ubi: *Non quilibet metus ad rescindenda ea quae consensu terminata sunt sufficit, sed talem metum probare oportet qui salutis periculum vel corporis cruciatum contineat*. Praeterquamquod bene ait Pont.[5], quod purus metus reverentialis sine apprehensione alterius gravis mali non est metus, sed reverentia, quae non inducit metum alicuius mali, sed tantum quamdam erubescentiam, quae verius non ab extrinseco, sed ab intrinseco provenit.

1057. Dubit. 8. An in matrimonio contracto ex metu gravi possit resilire ille qui metum incussit.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Busemb. ut supra, Sanch. [6] cum Soto Henriq. Man. Arrag. Pal. [7] cum Hurt. Ochag. Vill. et Gutt. Diana [8], et probabilem putat Bonac. [9]. Ratio, tum quia in contractu matrimonii nequit alter esse obligatus, altero libero remanente; tum quia incutiens metum non tenetur stare matrimonio neque ratione contractus neque ratione iniuriae illatae; non ratione contractus, quia ex contractu nullo nulla consurgit obligatio; non ratione iniuriae, quia haec iniuria non censetur tanta ut non possit nisi per matrimonium resarciri.

Secunda sententia vero negat, eamque tenent Navar.[10] Bon.[11] Pont.[12] cum Con. et Salmant.[13] cum Aversa Henriq. Trullench. Leand. etc. Ratio quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Haec autem sententia una cum praefata ratione maxime probatur ex *c. Propositum 1. de eo qui dux. etc.* ubi, cum quidam coniugatus aliam uxorem duxerit insciam prioris matrimonii, mortua deinde prima uxore, pontifex decrevit virum teneri stare secundo matrimonio, si mulier voluerit, hanc rationem adducens: *Nec dignum est ut praedictus vir lucrum de suo dolo reportet*. Nec valet dicere quod ibi sermo fit de dolo, non metu, nam in *c. Contingat, de iureiur.* dolus et metus aequiparantur. Imo ait Lugo[14] quod iura maiorem censent iniuriam irrogari per metum quam per dolum; unde quod in textu disponitur de dolo aeque et forte potius intelligendum de metu. Hinc fit quod, licet metum incutiens non remaneat obligatus vi contractus, remanet tamen obligatus ratione iniuriae. Utraque sententia est probabilis, sed haec secunda videtur probabilior, maxime si metus non possit probari, quia tunc, cum ecclesia cogat metum passum ad cohabitandum, tale gravissimum incommodum non est reparabile nisi per verum matrimonium, et tanto magis si pars metum passa fuerit foemina, quae alias, soluto matrimonio, semper aliqua infamia remaneret notata. Et huic consentit etiam Palaus[15] qui dicit primam sententiam tantum locum habere quando iniuria posset alia via reparari.

1058. « Dicitur 8. *Ordo*, scilicet sacer, sive maior, quem qui non coactus susceperit, invalide matrimonium contrahit, *ut vide supra de sacram. ordinis* et hic *impedimento tertio.* »

1059. Certum est ordinem sacrum dirimere matrimonium, ut habetur in *c. De diacono et c. Ex litterarum, Qui cler. vel vovent., et in extrav. Antiqua*,

(1) L. 1. c. 17. dub. 6. (2) N. 7. (3) P. 8. n. 6.
(4) C. 10. num. 99. (5) L. 4. c. 5. n. 4.
(6) L. 4. d. 15. n. 5 (7) D. 2. p. 12. n. 2.
(8) P. 3. tr. 4. r. 229. (9) P. 3. num. 53.
(10) C. 21. n. 51. (11) L. c. (12) L. 4. c. 15. n. 5
(13) De matr. c. 9. dub. unic. n. 17.
(14) De contract. d. 22. n. 119. v. Quarto
(15) L. c.

de voto. Sed dubitatur an ordo sacer dirimat matrimonium ex iure divino vel ecclesiastico.

Prima sententia, quam tenent Maior. Barb. et alii apud Sanch. [1] dicit dirimere iure divino, quia in *c. un. de voto in* 6. votum solemne ordinis sacri aequiparatur professioni religiosae quae de iure divino iam irritat matrimonium, iuxta probabiliorem sententiam, quam tenuimus *n.* 1025.

Secunda sententia vero communior et probabilior, docet dirimere de iure ecclesiastico, ita d. Thomas [2] qui : *Sed quod* (ordo) *impediat matrimonium ex constitutione ecclesiae habet*. Bellarm.[3] Pont. [4] Pal. [5] Cont. Tourn. [6] Bonac. [7] Holzm. [8] Spor. [9] cum Scoto Suarez et Per. ac Sanch.[10] cum s. Bonav. Albert. Magno Soto Caiet. Vict. Palac. etc. Ratio quia ordo per se non dirimit matrimonium, cum status ordinis per se non repugnet statui coniugali, ut patet in graecis, ergo ordo dirimit tantum ratione voti castitatis; votum autem non dirimit matrimonium qua votum, quia votum tantum impedit matrimonium, sed qua solemne, at solemnitas est solum ex iure ecclesiastico, dumtaxat igitur ex iure ecclesiastico ordo dirimit matrimonium. Ac proinde bene potest papa dispensare cum ordinatis in sacris, non vero cum sacerdotibus, iuxta dicta *n.* 807. *et* 808. Quamvis referat Continuator Tournely [11] olim Benedictum IX. permisisse Ramiro presbytero religionem professo, ut labentem Arragoniae prosapiam editis liberis propagaret. Quomodo autem votum solemne clericorum dirimat matrimonium, *vide dicta n.* 808.

1060. « Dicitur 9. *Ligamen*, propter quod, quamdiu quis ligatus est coniugi adhuc viventi, invalide contrahit cum alio, quamquam licite, et sine peccato, si moraliter sit certus de morte coniugis; qui si postea compareat, tenetur ad eumdem redire, dimisso posteriore. Vide Bon.[12] (*vide dicta n.* 901. *et* 903.).

1061. » Dicitur 10. *Honestas*, hoc est iustitia publicae honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, quacum contraxit sponsalia vel matrimonium ratum. Et quidem ante Tridentinum et iure antiquo, hoc impedimentum dirimit matrimonium inter sponsum et consanguineos sponsae usque ad 4. gradum, oriturque ex sponsalibus quibuscumque, etiam invalidis (praeterquam ex defectu consensus), iure vero novo Tridentini non oritur, si sponsalia sint invalida, et irritat tantum usque ad primum gradum, si ex sponsalibus, ad quartum vero, si ex matrimonio rato sequatur (Etiam ex matrimonio rato nullo, nisi nullitas sit ex defectu consensus, oritur impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum, ut notat Croix [13] et p. Zacharia [14] ex mente s. c. et cardinal. Lambertini). Vide Bonac.[15] Sanchez[16] Fill.[17]. Notat etiam Diana non oriri ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis [18] ex Pont. et aliis 3. contra Sanch. (Neque ex sponsalibus incertis, ut habetur in *c. un. de spons. in* 6.; incerta autem sponsalia sunt, si v. gr. fuerint contracta cum persona incerta, puta cum una ex filiabus Petri) uti neque ex conditionatis, donec conditio sit impleta [19] ex Opatov. (Ita Sanch.[20] et Salm.[21] cum Pal. Bon. et comm. Et certum est ex decl. Bonif. VIII. apud Cont. Tourn.[22] ubi dictum fuit : *Qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de praesenti, cum secunda remanere debebit*). Oriri tamen ex matrimonio invalido (nisi sit tale ob defectum consensus[23]) ex declaratione s. Pii v. atque adeo etiam ex clandestino

(1) L. 7. d. 28. n. 9. (2) In 4. d. 37. quaest. 1. a. 1. (3) L. 1. de cleric. c. 18. (4) L. 7. c. 22. (5) D. 4. p. 6. n. 5. (6) Tr. de dispens. in Spec. part. 1. cap. 8. (7) P. 9. n. 12. (8) N. 487. (9) N. 45. (10) L. c. num. 12. (11) Loc. cit. c. Prob. 3. (12) P. 10. (13) L. 6. n. 5. n. 68. (14) Ibid. (15) P. 11. (16) L. 7. d. 68. (17) T. 10. p. 2. c. 6. (18) P. 3. t. 4. r. 222 (19) P. 9. t. 6. r. 25. (20) L. 7. d. 69. n. 1 (21) De matr. c. 12. p. 7. n. 91. (22) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 8. n. 5. (23) P. 9. t. 6. r. 35

Idem [1] ex Pont. Pal. Hurt. Perez etc. contra Sanch. et Praep. »

1062. Breviter discutiamus quaestiones ab auctore hic vix enuntiatas. Quaer. 1. an oriatur impedimentum publicae honestatis ex matrimonio nullo. Praenotandum quod si nullitas sit ex alia ratione, quam ex defectu consensus, certum est induci impedimentum ex matrimonio nullo, cum in hoc minime sit correctum a Tridentino ius antiquum, ut dicunt Sanch. [2] Pont. [3] Pal. [4] Bon. [5] et Salm. [6] cum communi. Dubium est an detur impedimentum, si nullitas sit ex defectu consensus. Affirmant Sanch. [7] Pont. [8] et Sylvius Henr. et Leand. apud Salm. [9] si defectus sit occultus. Et pariter dicunt isti oriri impedimentum ex sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, si contra in foro externo sint valida: quia, ut aiunt, hoc impedimentum introductum est ab ecclesia ad evitandam indecentiam, quae iam apparet, si publice sponsalia haberentur ut valida. Sed Palaus [10] Bonac. [11] Cont. Tourn. [12] Conc. [13] et Salm. [14] cum Dicast. Aversa Con. Hurt. Led. etc. probabilius dicunt, ex matrimonio nullo ex defectu consensus, et ex sponsalibus ex quocumque defectu (praecise consensus) nullis, nullum oriri impedimentum. Nam quoad sponsalia concilium Tridentinum indistincte dixit, sponsalia quacumque ratione invalida, nullum parere impedimentum, quod intelligendum, sive defectus fuerit publicus sive occultus. Circa autem matrimonium in *c. un. de spons. in* 6., sancitum etiam universe fuit, ex matrimonio nullo ex defectu consensus non oriri impedimentum. Atque ita confirmasse s. congr. cardinalium testantur Barb. et Farin. apud Salm. [15].

1063. Quaerit. 2. an ex sponsalibus mutuo consensu vel ex alia iusta causa dissolutis oriatur impedimentum. Negant Pont. [16] Pal. [17] cum Hurt. Gutt. et Farin. ex decr. s. c. ubi fertur dictum fuisse invalida esse sponsalia soluta de consensu. Sed verius affirmant Sanchez [18] Cont. Tourn. [19] Conc. [20] et Salm. [21] cum Soto Laym. Bonac. Perez Dicast. Aversa et sic omnino tenendum (recte ait Croix [22]) ob declarationem s. c. approbatam ab Alex. VII. die 6. iulii 1658. quam affert etiam Pitt. [23], ubi pontifex prohibuit quod deinceps haec resolutio in dubium revocetur. Et ratio est quia in Tridentino [24] dicitur quod sponsalia valida dirimunt matrimonium usque ad primum gradum: unde cum ex sponsalibus validis iam sit ortum impedimentum, hoc amplius non potest auferri per voluntatem sponsorum vel aliam causam supervenientem.

1064. Quaerit. 3. an inducatur hoc impedimentum ex matrimonio nullo, eo quod fuerit clandestinum.

Prima sententia negat et hanc tenent Sanch. [25] cum Palud. Nav. Sa etc. et Con. ac Dic. apud Salm. [26] et probabilem putat Spor. [27]. Ratio quia (ut aiunt) Bonif. VIII. [28] definivit non oriri impedimentum publicae honestatis ex matrimonio nullo per defectum consensus; tale autem matrimonium clandestinum dicunt vere ex defectu consensus esse nullum, cum careat eo consensu quem exigit ecclesia; ergo non parit impedimentum.

Secunda sententia tamen verior affirmat et hanc tenent Pont. [29] Palaus [30] Pign. [31] Conc. [32] Cont. Tourn. [33] Holzm. [34] Ronc. [35] et Salm. [36] cum Laym. Bon. et Aversa. Ratio quia de iure antiquo ex *dict. cap. unic. de spons. in* 6., quod etiam nunc viget, ut declaravit s. Pius V. apud Salm. [37], tantum ex matrimonio nullo directe ob defectum

(1) P. 9. t. 6. r. 53. (2) L. 7. d. 70. n. 5. (3) L. 7. c. 35. n. 3. et 5. (4) D. 4. p. 10. n. 5. (5) P. 11. n. 10. (6) De matr. c. 12. p. 7. n. 35. (7) L. 7. dist. 68. n. 14. (8) C. 36. n. 10. (9) Ib. n. 34. (10) P. 10. n. 7. (11) P. 11. n. 5. (12) Loc. cit. v. Secunda opinio, et not. 2. (13) P. 329. n. 3. (14) Ib. n. 35. (15) Cit. n. 35. (16) L. 7. c. 35. n. 9. (17) P. 10. n. 9. (18) L. 7. d. 78. n. 20. (19) Loc. cit. v. Caeterum. (20) P. 330. n. 5. (21) De matr. c. 12. p. 7. n. 88. (22) L. 6. p. 3. n. 683. (23) De matr. n. 1397. (24) Sess. 24. c. 3. (25) L. 7. d. 70. n. 15. (26) Ibid. n. 36. (27) N. 66. (28) In c. 4. et 8. de spons. (29) L. 7. c. 36. n. 5. (30) P. 10. n. 5. (31) L. 4. cons. 15. n. 2. (32) P. 330. n. 4. (33) Loc. cit. v. Opposita. (34) Num. 602. (35) P. 164. q. 2. r. 4. (36) L. c. (37) Cit. num. 36.

consensus, non autem ex alia causa impedimentum excusatur. Et sic declarasse s. congr. cardin. refert Holzman [1] ex Gall. *ad sess.* 24. *Trid.* ubi dictum fuit: *Praesupposita declaratione per constitutionem s. Pii* v. *super hoc decreta, censuit congr. oriri impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus per verba de praesenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti conc. Trid.* [2], nempe clandestine sine parocho et testibus.

Notandum hic id quod habetur in *c. un. de spons. in* 6. nempe quod matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum in praeiudicium priorum sponsalium. Unde si quis post sponsalia valide contracta cum una ducat eius sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest et tenetur contrahere cum prima, cum matrimonium fuerit nullum.

1065. « Dicitur 11. *Aetas*, quia ad valorem matrimonii iure ecclesiastico requiritur annus 14. viri, et 12. foeminae completus, nisi tamen malitia aetatem suppleat, hoc est, adsit et doli capacitas et potentia ad copulam, de quibus iudicare prudentum est. Layman [3] ex *c. De iis et c. ult. de despons. impub.* »

1066. Certum est quod matrimonium impuberum per se est nullum, ut habetur ex *c.* 6. 10. *et* 14. *de despons. impub.* Et hoc etiamsi pauci deessent dies ad aetatem pubertatis, ut communiter docent Sanch. [4] Pont. [5] Pal. [6] Escob. [7] et alii (contra paucos), ut clare probatur ex dict. *c.* 2. *et c.* 11. *Ex litteris eod. tit.* ubi: *Donec compleat puer annum decimum quartum, expectet.* Ante autem aetatem hanc praescriptam commune est matrimonium non esse nullum de iure naturae, sed tantum ecclesiastico, Sanch. [8] Contin. Tourn. [9] Pont. et Pal.[10] ac alii passim. Dicunt vero canones validum esse matrimonium, si malitia suppleret aetatem, ut habetur in *c. De illis* 9. *et* 6. *Puberes, eod. tit.* ubi: *Certum autem est eum puberem esse, qui habitu corporis pubertatem ostendit, et generare iam potest.* Docent vero d. Thom.[11] et Sanch. [12] cum Abb. Sylvio Soto Ang. Cov. Tab. etc. non sufficere ad valorem matrimonii solam potentiam generandi, ut volunt Host. Praep. Henr. etc.[13], sed insuper requiri discretionem ad intelligendam vim consensus coniugalis; cum enim tale vinculum sit perpetuum, perfectus exigitur consensus, ut infertur ex *c. fin. de despons. impub.* ubi haec malitia prudentia nuncupatur. Plura autem assignant dd. signa, ex quibus coniiciatur impuberes posse generare, v. gr. si puer iam habuerit copulam, vel si iam sit aptus ad effusionem seminis, vel si puella iam habuit menstruum. Haec tamen signa non admittuntur, nisi sponsi sint proximi ad pubertatem, ut ex dicto *cap. Continebatur*, vide Sanch.[14]. In quanam autem aetate quis dicendus sit pubertati proximus, alii apud Sanchez [15] dicunt, si desint tres dies, alii sex menses, alii tres anni, Pal.[16] si desit annus; Sanch. vero[17] et Pont.[18] dicunt id relinquendum prudentiae iudicis, qui spectare debet qualitatem personae, temperiem regionis etc. Ait autem Contin. Tourn.[19] quod si certo constaret de matrimonii consummatione, v. g. si puella iam concepit, iniquum erit eos separare. Addit idem Cont. Tourn.[20] cum Nav. posse papam dispensare cum principibus, si aliquando expedit coniungi impuberes ob bonum pacis, ex *c. Ubi* 2. *de despons. impub.* in quo interdicuntur impuberes a matrimonio, *nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.*

1067. Quaeritur hic, an si aetate completa pubertatis, puer non valeat coire, nullum sit matrimonium. Affirmant

(1) L. c. (2) Sess. 24. c. 1. (3) C. 12. n. 1. (4) L. 7. dist. 104. n. 1. et 3. (5) L. 7. c. 65. n. 1. (6) D. 4. p. 14. §. 4. n. 1. (7) L. 27. n. 525. (8) N. 9. (9) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 14. v. Quod ad impub. (10) L. c.

(11) In 4. dist. 36. q. un. art. 5. (12) L. 7. d. 104. n. 21. (13) Ibid. n. 20. (14) N. 50. (15) N. 57. (16) L. c. (17) N. 40. (18) N. 5. (19) Loc. cit, v. Censent. (20) Ibid. v. Haec regula.

Abb. et Veracr. apud Sanch.[1], eo quod in *c. Puberes*, *de despons. impub.* dicitur, ii esse puberes, qui possunt generare (ergo inferunt) qui generare nequeunt, impuberes potius sunt dicendi, et inepti ad nuptias. Communiter vero negant Pal. [2] Escob. [3] Sanchez [4] cum Sylvio Host. Praep. Nav. Cov. Henriq. etc. Ratio quia in iure tantum habetur ad matrimonium requiri aetatem pubertatis; licet autem dispositum sit in textu praefato et aliis valere matrimonium inter impuberes, si potestatem habeant generandi; tamen nullo iure habetur matrimonium esse nullum inter puberes, si potentia generandi careant, tunc enim impotentia potius iudicanda est temporalis, unde dicunt aliqui his dandum esse biennium vel triennium ad experiendum; sed communius censent Pal. [5] Pont. [6] Escob.[7] cum Henr. Sylv. et Praep. et Sanch.[8] cum Abb. Host. Ang. Tab. etc. expectandum in viro usque ad annum 18. et in foemina usque ad 14., quia tunc natura perfecto robore pollet. Neque hic procedit regula triennii in *c. Laudabilem de frig. et malef.*, illa enim procedit quando impotentia provenit ex frigiditate vel alio impedimento, non vero quando provenire potest ex imbecillitate aetatis.

Matrimonium autem senum, quantumcumque decrepitorum, validum est, modo possint saltem arte medicinae copulam habere, ita communiter Sanchez [9] et Salm.[10] cum d. Thom. et aliis passim. Secus dicendum (contra Nav. et alios), si omnino sint impotentes, ut Sanch.[11] cum Ang. Sylvio Lop. Scot. Rich. et Boss.[12].

1068. « Dicitur 12. *Affinis*. Est autem affinitas, propinquitas personarum nata ex copula carnali, sive licita sive illicita. Utraque iure saltem ecclesiastico dirimit matrimonium; illa usque ad 4. gradum inclusive, haec vero iure novo usque ad secundum tantum. Et quidem si antecedat matrimonium; nam si superveniat, v. g. si Titius cognoscat uxoris suae cognatam in secundo gradu, non dirimit, licet is qui peccavit non possit petere debitum, sed tantum reddere. Porro gradus et lineae affinitatis accipiuntur, sicut in consanguinitate, ita ut qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectae sive transversae lineae, is sit affinis marito in eodem gradu lineae rectae vel transversae. Denique omnis affinitas quae oritur ex affinitate sublata est per concil. lateran. Vide Layman et Bon.[13].

Unde resolves:

1069. » 1. Is qui fornicatus est cum sorore sponsae suae, cum neutra potest valide contrahere citra dispensationem, imo nec cum earum consobrina vel matertera (Sic pariter censuit s. c. ut refert p. Zach. apud Croix[14] posse contrahi matrimonium inter vitricum et uxorem quae fuit privigni).

» Si quis post dispensationem rursus cognoscit eamdem sororem sponsae, non eget nova dispensatione, *vide n.* 1140.

» 2. Potest quis ducere affinem fratris sui etiam in primo gradu, v. gr. duo fratres possunt ducere duas sorores, imo pater et filius possunt ducere matrem et filiam. Laym. Bonac.[15].

» 3. Titius potest successive ducere Titiam et Bertam, quae fuerunt uxores Caii et Sempronii fratrum.

» 4. Titius, qui duxerat sororem Caii, potest post mortem Caii, eiusque sororis, ducere Bertam uxorem Caii. »

Hoc igitur impedimentum affinitatis tantum contrahitur quando vir habet rem cum consanguinea uxoris, vel uxor cum consanguineo viri, unde minime contrahitur si a consanguineis viri habeatur copula cum consanguineis uxoris vel e converso. Hic autem notandum quod de iure antiquo hoc impedimentum extenderetur usque ad septimum gradum ex *c. Nullum et c. Aequaliter*, *caus.* 35. *q.* 3. Sed dein-

(1) L. 7. d. 104. n. 14. (2) D. 3. p. 14. §. 4. n. 5. (3) L. 27. n. 541. (4) L. c. n. 15. (5) N. 6. (6) L. 7. c. 65. n. 1. (7) N. 543. (8) N. 18. (9) L. 6. d. 92. n. 19. et 20. (10) De matr. c. 12. p. 10. n. 126. (11) N. 23. (12) C. 7. n. 190. (13) P. 12. (14) L. 6. p. 5. ad n. 695. (15) L. c.

ceps restrictum fuit ad quartum gradum in *c. Non debet de consanguin. et affin.* tam ex copula licita quam illicita. Item ex Trid. [1] restricta est affinitas ex copula illicita solum ad secundum gradum.

1070. Sic de impedimento affinitatis contracto ante matrimonium. Post vero matrimonium, si coniux rem habet cum consanguinea vel consanguineo alterius coniugis, tunc contrahit impedimentum ad petendum, ut communiter dicunt dd., modo incestus sit cum consanguineis coniugis in primo vel secundo gradu, ut habetur ex *c. Si quis 1. de eo qui cognov. etc.* ubi: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem.* Hic igitur praescribitur impedimentum in incestum in primo gradu affinitatis. Quod autem extendatur tantum ad secundum gradum, habetur ex declar. Gregorii XIII. apud Boss. [2] ubi dictum fuit: *Ss. d. Gregorius* XIII. *ex sententia congregationis dixit per hoc decretum* (id est Trident.) *ablatum censeri impedimentum quoque superveniens affinitatis post contractum matrimonium. Concilium sustulit tertium et quartum gradum, ergo in omnibus.*

1071. Quaerit. 1. An uxor cognita a consanguineo viri, metu gravi coacta, privetur iure petendi.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pont. [3] et Sanchez [4] cum Sylvio Rich. Led. Graff. etc. Ratio quia id clare videtur inferri ex *c. Sacris* 5. *de iis, quae vi etc.*, ubi cum dubium verterit, an communicans propter metum cum excommunicato excommunicationem incurrerit, Innoc. III. dixit: *Licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Nec valet interpretatio aliquorum, id intelligi de metu levi, nam pontifex aperte intelligit etiam de gravi cum dicat *pro nullo metu etc.*

Secunda sententia vero, communior et probabilior, negat, et hanc tenent Bon. [5] cum Nav. et Reb. Elbel [6] cum Tamb. et Ills. et probabilem putant Laym. [7] Pal. [8] Salm. [9] cum Gabr. et Ant. a Spir. s. ac Sot. et Vill. apud Boss.[10]. Ratio quia, sicut metus excusat a lege ecclesiastica, sic etiam a poena ab ipsa imposita; nec obstat textus supra oppositus, quia (ut explicant aa. praefati cum Soto Barbosa et Vict. apud Boss.[11]) textus ille intelligitur loqui de metu incusso in contemptum excommunicationis, nam extra contemptum metus gravis certe excusat a lege ecclesiastica, et etiam ab excommunicatione, casu quo res, quae metu agitur, ex solo iure ecclesiastico est prohibita, ut certum est apud omnes, *vide dicenda de cens. l. 7. n. 46.*

1072. Quaer. 2. An ignorantia excuset ab incurrendo hoc impedimento petendi. Hic distinguenda est triplex ignorantia, iuris, facti et poenae.

Primo igitur, si adsit ignorantia *iuris*, nempe si vir accedit ad consanguineam uxoris, nesciens adesse legem humanam id prohibentem, Cordub. et Man. apud Sanch. [12] dicunt incurrere impedimentum, et idem sentire debent Sot. Turrec. Abb. Led. etc. apud eumdem Sanch.[13] qui censent omnes poenas ecclesiasticas, excepta excommunicatione, incurri etiam ab ignorante legem positivam, modo ipse sciat id esse vetitum de iure naturali. Ratio (ut aiunt), tum quia obligatio ad poenam non oritur ex scientia delinquentis, sed a voluntate legislatoris, tum quia excusat quidem a poena ignorantia facti, non vero ignorantia iuris, ut habetur in *Reg.* 13. *iur. in* 6. Probabilius vero et communius docent non incurrere impedimentum Navarrus [14] Suarez[15] Sanchez [16] Wigandt [17] Boss.[18] cum Pont. Aversa et Vill. Salm.[19] cum

(1) Sess. 24. c. 4. (2) L. 2. c. 5. num. 24.
(3) L. 10. c. 17. n. 6. (4) L. 9. d. 31. num. 4.
(5) D. 4. p. 2. n. 5. (6) De matr. p. 426. n. 232.
(7) L. 5. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 14. (8) D. 3. p. 4. §. 6. num. 5. (9) De matr. c. 15. p. 3. n. 28.
(10) T. 2. c. 5. n. 152. (11) L. c. (12) L. 9. d. 32. n. 46. (13) N. 16. (14) Cap. 16. num. 54.
(15) 3. p. d. 77. art. 3. (16) L. c. num. 47.
(17) Tr. 16. n. 100. v. Nota. (18) T. 2. c. 5. n. 157
(19) De matr. c. 15. p. 3. n. 30.

Per. Dic. et Gabr. ac Bonac. [1] cum Sa Led. Henr. et Reg. Ratio 2. quia, cum poena sit imposita a lege humana, qui cum ignorantia contra illam operatur, sicut excusatur ab eius transgressione, ita etiam excusatur a poena; et sic respondetur primae rationi sententiae oppositae. Respondetur autem ad secundam, quod regula illa currit tantum pro foro externo, non vero pro interno.

1073. Secundo, si adsit ignorantia *facti*, nempe si vir sciat legem ecclesiae prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit esse consanguineam suae uxoris, tunc commune est non incurrere impedimentum, ut docent Sanch. [2] (contra Ovan.) Bon. [3] Pal. [4] Bon. [5] Boss. [6] Wigandt [7] et Salm. [8] et alii passim. Ratio quia, cum privatio iuris petendi sit poena incestus, ubi deest incestus culpa, cessat etiam poena. Et hoc dicendum, etiamsi ignorantia fuerit crassa, ut docent etiam communiter Sanch.[9] Nav.[10] Pont.[11] et Boss. [12] cum Pal. Bon. Con. Hurt. etc. (contra Toletum et quemdam alium auctorem). Et ratio patet ex textu citato *Si quis* 1. *de eo etc.* ubi imponitur hoc impedimentum tantum *scienter* peccanti iuxta verba relata *n.* 1070. Excipiunt tamen Sanch. [13] et Boss.[14] cum Suar. Bon. Reg. Diana etc. (contra Hurt. Vasq. Sylv. etc.) nisi ignorantia sit adeo crassa, ut videatur ingens temeritas ignorare, talis enim ignorantia crassissima aequiparatur dolo ex *l.* 3. §. *Gener. ff. de dolo etc.*

An autem excuset ignorantia affectata. *Vide dicenda de censur. l.* 7. *n.* 48.

1074. Tertio, si adsit ignorantia *poenae*, nempe si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat poenam non petendi, dubitatur, an haec ignorantia excuset.

(1) Q. 4. p. 2. n. 6. (2) L. 9. d. 32. num. 47. (3) Q. 4. p. 2. n. 6. (4) D. 3. p. 4. §. 6. art. 3. (5) L. 10. c. 10. §. 6. n. 9. (6) T. 2. c. 5. n. 154. (7) Tr. 16. n. 100. (8) Cit. n. 50. (9) N. 36. et 47. (10) C. 27. n. 12. (11) L. 10. c. 6. num. 10. (12) L. c. n. 160. (13) N. 29. (14) N. 162. (15) L. 9. d. 32. num. 50. (16) De matr. c. 15. n. 3. n. 50.

Prima sententia negat et hanc tenent Sanch. [15] Salm.[16] et Croix[17] cum Pont. et Aversa. Ratio quia poena haec magis habet rationem impedimenti sive inhabilitatis, quam poenae.

Secunda sententia vero satis probabilis affirmat et hanc tenent Bonac.[18] Wigandt[19] Pal.[20] Boss.[21] Tamb.[22] Elb.[23] Sporer [24] cum Portell. ac Diana[25] cum Con. et Durand. et probabilem putant Sanch.[26] et Laym. apud Croix[27]. Ratio horum aa. quia censent hanc non esse meram inhabilitatem, sed veram poenam in vindictam incestus, idque probant ex eo quod si haec non esset poena, affinitas illa contraheretur, etiamsi incestus eveniret sine peccato, vel etiamsi haberetur copula per vim et metum, sed hoc ipsi adversarii negant. Nec obstat dicere nullam poenam incurri sine sententia saltem declaratoria, sed nemo dicit ad hoc impedimentum incurrendum requiri sententiam, ergo non est poena. Sed respondetur quod sententia tunc requiritur quando crimen facile potest probari, non vero quando est difficillimae probationis, ita ut si requireretur sententia, poena redderetur fere inutilis, ut docent Suar. et Villal. apud Boss.[28], et ita accideret in nostro casu, ubi ut plurimum incestus occultus est, nec potest probari. Et cum probabilissimum sit ab ignorantibus non incurri poenas a lege ecclesiastica impositas, quando sunt extraordinariae, scilicet quae per se ne in confuso quidem praevideri possunt, ut docent Navar.[29] cum Caiet. Sylv. et Ang. s. Anton.[30], item Host. Con. Sayr. Durand. Phil. Man. etc. apud Boss.[31]; hinc satis pariter probabile est non incurri ab ignorantibus hanc poenam, quae certe videtur extraordinaria, cum per se praevideri nequeat.

1075. Quaer. 3. An ad contrahendam

(17) L. 6. p. 3. n. 376. (18) Q. 4. p. 2. n. 6. resp. 2. (19) Tr. 16. n. 100. v. Nota. (20) Tr. 1. d. 1. p. 17. n. 3. (21) T. 2. c. 5. n. 179. (22) Dec. l. 7. c. 4. §. 2. n. 3. (23) P. 426. n. 233. (24) Eod. tit. n. 34. (25) P. 3. tract. 5. r. 12. (26) Loc. cit. n. 21. et 50. (27) Loc. cit. (28) N. 26. (29) C. 27. n. 274. et c. 23. n. 47. (30) 3. p. tit. 24. c. 33. (31) L. c. n. 173.

affinitatem requiratur ut copula ex utraque parte sit consummata. Certum est requiri seminationem viri: an autem requiratur etiam seminatio foeminae. Negant Pont. [1] Pal. [2] Croix [3] Sanchez [4] cum Arm. Tab. Henr. Gab. etc. ac Bonac. [5] cum Palud. Sylv. et Soto. Ratio quia ad generationem non est necessarium semen foemineum, iuxta plurimorum sententiam relatam *n.* 918. *v. Si autem.*

Secunda sententia vero etiam probabilis affirmat et hanc tenent s. Bonav. Innocent. Archid. Lopez Graff. Cenedo etc. apud Sanchez [6] et probabilem vocant ipsi Sanchez [7] et Pal. [8] ac Ronc. [9] Elbel [10] cum Hurt. et Mast. ac Salm.[11] cum Sylv. Trull. et Durand., item Aversa Diana et Krimer apud Croix[12]. Ratio, tum quia, iuxta aliorum plurium sententiam (*vide dicta n.* 918.) etiam semen foeminae requiritur ad generationem, tum quia (et haec ratio fortius urget) non contrahitur affinitas nisi coeuntes fiant una caro: ut non fiunt una caro, nisi semina commisceantur. Et haec sententia valde firmatur ex auctoritate d. Thom. cuius verba retulimus *n.* 1036. *v. Hic autem,* ubi expresse docet exigi seminationem tam maris quam foeminae ut affinitas contrahatur. Hic tamen bene advertunt Sanch.[13] Croix[14] et Elbel[15] quod in dubio praesumendum est pro copula perfecta, quia ex communiter contingentibus haec prudenter adfuisse praesumitur: quapropter si vir coierit et dubitat an seminaverit, vel an intra vas, copula praesumitur perfecta. Et sic etiam dicunt Aversa Diana Krimer et Gobat. apud Croix, semper praesumi seminationem etiam mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem, esto seminationem non advertit. Imo merito dicit Elbel[16] cum Sanchez Cleric., et aliis, quod in foro externo, ubi constat de coitu, semper pronuntiandum est pro impedimento affinitatis contracto, et sic etiam iudicandum in foro interno, quod praesumptioni fori externi conformari debet, semper ac non constat hanc esse falsam.

1076. Quaerit. 4. Quis possit dispensare in hoc impedimento. Alii dicunt solum pontificem posse, cum ab ipso fuerit haec poena imposita, ita Covarr. Graff. et Matien. ap. Sanch.[17]. Alii dicunt posse dispensare etiam episcopum, sed tantum in casu necessitatis, ut Sylv. Lop. et Margarita ap. eumdem Sanch.[18]. Alii vero communissime docent semper et absolute posse episcopum dispensare, ita Layman.[19] Pal.[20] Merbes.[21] cum Pont. Wigandt[22] Tambur.[23] Elbel [24] cum Anacl. Boss.[25] cum Henr. et Vill. ac Sanch.[26] cum Palud. Soto Arm. Sa Vega Man. etc. Ratio quia, dato quod episcopus id non posset ex dispositione iuris, bene tamen id potest ratione consuetudinis. Hanc autem facultatem dispensandi bene potest alteri delegare, non solum in particulari, sed etiam in generali, *vide dicenda n.* 1125. *Quaest.* 4.

Insuper possunt etiam in hoc impedimento dispensare omnes confessarii regulares mendicantium a provinciali ad hoc munus deputati, ex pluribus privilegiis, nempe Martini v. cum declar. Iulii II. ut ferunt Sanch.[27] Spor.[28] Elbel[29] Pont.[30] et Salm.[31] cum Gutt. Aversa et Candido (contra Conc.[32] qui ait omnia haec privilegia esse prorsus commentitia, cum ipse in bullario ea non invenerit), item ex privilegio s. Pii v. vivae vocis oraculo, ut ferunt Wig. et Boss.[33] cum Laym. Reb. etc. Idem privilegium concessum societati Iesu affert Pal.[34].

An autem mendicantes, ut vi suorum privilegiorum possint dispensare in praedicto impedimento, debeant ha-

(1) L. 9. c. 20. n. 1. (2) D. 4. p. 8. n. 3.
(3) L. 6. p. 3. n. 696. (4) L. 7. c. 64. n. 21.
(5) Q. 3. p. 15. n. 12. (6) N. 20. (7) Ibid.
(8) D. num. 3. (9) De matr. q. 4. c. 3. q. 9.
(10) P. 425. n. 227. (11) De matr. c. 4. p. 1. n. 5.
(12) D. num. 696. (13) L. 8. d. 6. n. 18.
(14) D. num. 696. (15) P. 427. n. 256.
(16) L. c. (17) L. 8. c. 12. n. 10. (18) N. 11.
(19) L. 5. tr. 10. p. 5. c. 1. num. 15.
(20) D. 3. p. 4. §. 6. n. 5. (21) T. 2. p. 495. v. Quod autem. (22) T. 16. num. 100. r. 3.
(23) L. 7. c. 4. §. 2. n. 3. (24) P. 426. n. 254.
(25) C. 5. num. 14. (26) D. d. 12. n. 13.
(27) L. 8. d. 16. num. 8. (28) N. 483.
(29) P. 582. n. 71. (30) L. 8. c. 13. in fine.
(31) De matr. c. 14. p. 1. n. 14. (32) P. 245. n. 10.
(33) L. c. (34) Loc. cit.

bere licentiam specialem a suo generali vel provinciali. Alii dicunt nullam requiri licentiam, quia in privilegiis concessis benedictinis et minoribus absolute conceditur praedicta facultas. Alii affirmant, ut Sanchez [1] Pal. [2], item Vill. Rodr. Aversa etc. Salmant. [3] quia (ut hi aiunt) in privilegiis omnino requiritur deputatio a provinciali. Alii demum, ut Salmant. [4] cum Leandro et Ioan. de la Crux, dicunt requiri quidem licentiam superioris, sed satis esse quod habeatur a praelato monasterii, quia privilegium concessum benedictinis vallisoletanis fuit concessum a Martino v. et Iulio II. priori monasterii.

1077. Nota hic ultimo: Contrahentes scienter cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis incurrunt excommunicationem ipso facto, ut habetur in *Clem. un. de consan.*, ubi praecipitur etiam ordinariis, ut istos curent vitari, donec satisfecerint. Et idem ibi statuitur de religiosis, monialibus et clericis in sacris constitutis matrimonium contrahentibus (qui insuper denuntiandi sunt ex edicto inquis. generalis apud Potest. [5]), ac de laicis nubentibus cum monialibus. Cum autem haec poena sit odiosa, recte dicit Croix [6] cum Pontio Spor. et Aversa eam non extendi ad alia impedimenta.

1078. « Dicitur 13. *Si clandestinus:* quia Trid. irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter quam coram parocho vel alio sacerdote de ipsius vel ordinarii licentia et duobus ad minimum testibus, vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint.

1079. Ad rem melius intelligendam notandum est, duplici modo matrimonium esse clandestinum, vel quando malitiose contrahitur sine denuntiationibus et tunc est tantum illicitum, vel quando contrahitur non coram parocho et testibus, et tunc distinguendum est: nam quoad infideles aut fideles qui degunt in locis infidelium, vel ubi Tridentinum non est receptum, tale matrimonium est quidem validum, cum lex saltem per decem annos non recepta non obliget, ut dicunt Sanchez [7] Pont. [8] Bonac. [9] et Salm. [10] cum Perez Dic. Aversa Led. et Rodr. Quoad fideles autem qui sunt in loco ubi receptum est Tridentinum matrimonium esset nullum, etiam in casu necessitatis, ita communiter Sanchez [11] Pont. [12] Pal. [13] et Salm. [14] cum Laym. Con. Corn. Henr. etc. communiter contra Sot. et alios paucos, qui censent posse aliquando dari casum (etsi rarum) in quo sine parocho valeret matrimonium. Sed hos recte dicunt Salm. [15] non esse audiendos, quia necessitas non potest reddere habiles eos quos Trident. *omnino inhabiles* declaravit, ut habetur *sess.* 24. *c.* 1. Et hoc currit, etiamsi matrimonium esset contractum cum ignorantia invincibili, Salm. [16] cum communi. Dicunt tamen Laym. [17] Con. [18] Croix [19] cum Bellarm. et communi (contra Lessium), item Vega Tanner. Dic. et Verac. ap. eosdem Salm. [20], quod si non possit in aliquo oppido haberi pastor aut alius gerens eius vices, tunc validum est matrimonium initum cum testibus sine parocho. Et probabile id putant Salm. [21] propter quamdam declar. Clem. VIII. apud Coninch., quia tunc vel non adest ibi parochia vel ibi non durat promulgatio Trident., quamvis facta fuerit, destructa enim paròchia, censetur destructa promulgatio quoad eius valorem [22]. Pariter matrimonium celebratum sine parocho in locis infidelium a

(1) L. 3. d. 16. n. 3. (2) D. 4. p. ult. §. 1. n. 18.
(3) De matr. c. 14. p. 1. n. 15. (4) Ibid. n. 16.
(5) P. 329. (6) L. 6. p. 3. num. 307.
(7) L. 3. d. 18. n. 1. (8) L. 3. c. 7. n. 1
(9) Qu. 2. p. 7. n. 1. (10) De matr. c. 8. p. 2. n. 11.
(11) L. 3. d. 17. n. 4 (12) L. 5. c. 6. n. 2.
(13) P. 15. §. 3. n. 9. (14) Ibid. n. 15.
(15) L. c. n. 14. et 15. (16) Ibid. num. 16.
(17) C. 4. num. 7. (18) D. 27. d. 1. n. 11.
(19) L. 6. p. 3. n. 778. (20) Ib. n. 17. (21) Ib.

(22) Constat iam ex pluribus resolutionibus s. congreg. cardin. valida et licita esse matrimonia sine parochi praesentia contracta, cum contrahentes superiorem legitimum nullatenus aut nonnisi difficillime seu periculosissime adire possint, quoties duo saltem testes, in quantum fieri potest, catholici, adfuerint. Quo in casu decet hortandique sunt fideles, ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo pro celebrando aut iam celebrato matrimonio benedictionem petant.

fidelibus captivis, vel mercatoribus ibi degentibus per modum hospitii, validum est et licitum. Salm. [1] cum Sanc. Bon. etc. Hicque advertatur quod matrimonia clandestina hodie ne sponsalium quidem vigorem habent, prout declaravit s. c. apud Fagnan. [2].

1080. Peregrini autem, si contrahant in loco ubi Tridentinum est receptum matrimonium sine parocho et testibus est nullum, quia etiam peregrini obligantur legibus locorum quoad contractus; ita communiter Sanch. [3] Pont. [4] Bonac. [5] Salm. [6] cum Pal. Con. Dicast. Reg. Per. etc. ex *c. fin. de foro compet.* ubi dicitur in contractibus servandas esse leges et consuetudines locorum. Si quis vero se transferret ad locum vel illuc transiret, ubi Tridentinum non est receptum, et ibi contraheret sine parocho et testibus, nullum est matrimonium, secus autem si in illum locum vere transferret domicilium, quamvis cum animo ibi contrahendi sine parocho et testibus; ita declaratum fuit a s. c. die 14. aug. 1627. Et haec declaratio (quidquid dicant Sanch. et alii apud Salm. [7]) omnino tenenda est cum Salm.[8] et Croix[9] et aliis, cum ipsa fuerit approbata ab Urbano VIII. pro tota ecclesia, dum ibi dictum fuit: *Per quoscumque iudices sic definiri debere.* Et decretum Urbani iterum confirmatum est a Bened. XIV. in epistola, *Paucis abhinc hebdomadis*, edita die 19. martii an. 1758. ubi decr. Urb. in extensum refertur; *vide in Bullar.* Bened. XIV.

1081. « 1. Per parochum intelligitur is qui habet ordinariam iurisdictionem in contrahentes, utpote qui domicilium et habitationem habeant in eius parochia (Nomine *parochi* commune est intelligi parochum domicilii, non autem originis, ita Sanch.[10] Pont.[11] Salm.[12] et Bened. XIV.[13] cum Barb. Perez etc.[14]), item episcopus vel eius vicarius in sua dioecesi (Ut Sanchez[15] Pont.[16] Pal.[17] et Salm.[18] cum aliis (contra aliquos) ex *cap. Romana, de appell. in* 6. *et c.* 2. *de consuet. in* 6. Et hoc etiamsi episcopus suo vicario id prohibuerit, iuxta declar. s. c. quam refert p. Zacharia apud Croix[19]. Episcopus enim nec parocho nec suo vicario potest interdicere ne matrimoniis assistant, ut alias declaravit s. c. apud Croix[20]. Idemque dicitur de vicario capituli, sede vacante, et de abbatibus qui habent iurisdictionem quasi episcopalem erga suos subditos), uti et papa: item capitulum, sede vacante, cardinales in ecclesiis sui tituli, legati in sua provincia. Sufficit etiam excommunicatus aut non sacerdos (Infra annum, in quo debet sumere sacerdotium, ex *c. Cum ex eo, de elect. in* 6. Is igitur non solum valide, sed etiam licite assisteret, ut Sanch.[21] Pont.[22] Pal. [23] et Salm. [24] cum Aversa Gabr. et Leand. contra paucos, atque cum decreto s. c. ap. Pitton.[25] die 12. martii 1693. Et hoc etiam transacto anno, ex alio decreto s. c. 12. martii 1583. apud Boss.[26]. Parochus autem qui potest assistere potest etiam dare licentiam assistendi alteri sacerdoti, ut habetur in Trident.[27] ubi: *Praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia.* Item hic notandum quod parochus potest assistere nuptiis sui parochiani, etiam extra parochiam, et adhuc contradicente parocho illius loci, ut scribit Fagnan.[28] ex

(1) L. 6. p. 3. n. 22. (2) In c. Ad audiendam. (3) L. 3. d. 18. n. 26. (4) L. 5. c. 8. n. 1. (5) Q. 2. p. 7. n. 5. (6) De matr. c. 3. p. 2. n. 18. (7) Ib. n. 20. (8) Ib. n. 21. (9) L. 6. p. 6. n. 712. (10) L. 3. d. 23. n. 7. (11) L. 5. c. 13. §. 1. n. 2. (12) Ibid. p. 3. n. 25. (13) Not. 33. n. 6. (14) Ex decl. s. c. 18. nov. 1707. — Cum in Hollandia parochi proprie dicti minime reperiantur, sed missionariorum directioni catholici ibidem subiiciantur, dubitatum fuit, utrum fideles pro matrimonii validitate ad domicilii sui pastorem adstringerentur, an vero coram cuiuscumque districtus pastore valide contrahere possent; itaque papa Pius VII. die 17. maii 1804. declaravit: *Parochum proprium catholicorum in Hollandia commorantium ibique matrimonium inter se contrahere volentium, esse pastorem vel compastorem illius civitatis vel loci, in quo alteruter ex contrahentibus domicilium vel quasi domicilium habet, ideoque nonnisi coram ille vel alio sacerdote de illius licentia valide posse matrimonio copulari.* (15) T. 3. d. 28. n. 18. (16) L. 5. c. 11. n. 1. (17) D. 2. p. 13. §. 11. n. 3 (18) De matr. c. 3. p. 4. n. 55. (19) L. 6. p. 3. n. 725 (20) Ibid. (21) L. 3. c. 20. n. 3. (22) L. 5. c 17. n. 1. (23) P. 13. §. 10. n. 2. (24) Ib. n. 40 et 45. (25) N. 106. de matr. (26) T. 1. c. 4. n. 99 (27) Sess. 24. c. 1. (28) L. 4. in c. Quod nobis, de clandest. despons. n. 36. et 40

plurib. decr. s. c.). Nec requiritur ut a parte rei vere sit parochus, sed sufficit si habeat titulum saltem coloratum, ita ut communi errore habeatur parochus, nec sit intrusus absque omni titulo. Vide Bonac.[1] (An autem sufficiat error communis sine titulo. *Vide dicta hoc l.* 6. *n.* 572. *v. Maius dubium.*) »

1082. Parochus igitur excommunicatus, etiamsi sit vitandus, irregularis et suspensus, valide assistit in matrimonio, quia ibi nullam exercet iurisdictionem, sed tantum assistit ut testis qualificatus, qui de matrimonio testificari possit; ita communiter Sanch.[2] Pont.[3] Barb.[4] Boss.[5] Bonac.[6] et Salm.[7] cum Pal. Con. Led. Aversa et Henriq. (contra paucos). Et idem ait Fagnan.[8] cum decreto s. c.

1083. Sed dub. 1. An parochus excommunicatus vitandus peccet graviter assistendo. Affirmant Con.[9] Pont.[10] cum Cov. Suar.[11] ac Vasq. Reb. et Bon. ap. Boss.[12] modo non adsit necessitas, quia alioqui communicaret cum aliis in re sacra et gravi. Negant vero Sanchez[13] Boss.[14] ac Hurt. Diana Villal. Leand. etc. ap. Salm.[15] (quorum aliqui tenent nec etiam leviter peccare). Ratio quia communicaret cum suis parochianis in re necessaria ad eorum utilitatem, quam eis ex officio praestare tenetur. Sed hoc non obstante, magis mihi arridet prima sententia, iuxta dicta *de sacram. in gen. l.* 6. *n.* 88. ubi scripsimus, parochianis non licere petere assistentiam in matrimonio parochi excommunicati, nisi urgeat gravissima causa, et alius non adsit qui possit supplere. Omnes autem conveniunt quod si talis parochus a suo episcopo iuste fuerit interdictus ab assistendo, tunc valide assisteret, sed a culpa gravi non excusaretur quia violaret praeceptum superioris in re gravi, Sanch.[16] Salmant.[17] cum Pont. Con. Pal. Bon. etc.

(1) Qu. 2. p. 8. (2) Lib. 3. d. 21. num. 4. (3) L. 5. c. 17. n. 6. (4) All. 32. num. 90. (5) C. 4. n. 85. (6) P. 8. n. 22. (7) De matr. c. 8. p. 4. n. 46. (8) L. 5. in c. Quod a praedecessore, de schismat. n. 81. (9) D. 27. c. 2. n. 24. (10) L. 5. c. 17. n. 11. (11) T. 5. d. 11. sect. 1. n. 24. (12) C. 5. n. 90. (13) L. 3. d. 21. n. 8. (14) L. c. (15) Ibid. num. 48. (16) Num. 11.

1084. Dubit. 2. An parochus excommunicatus aut irregularis possit alteri sacerdoti dare licentiam assistendi. Affirmant Sanch.[18] Pal.[19] Barb.[20] Pont.[21] Bon.[22] cum Caiet. et Led. ac Salm.[23] cum Trull. Henr. etc., quia concessio licentiae illius non est actus iurisdictionis, sed potestatis. Negant vero Layman[24] Con. Dic. Suar. etc. ap. Salm.[25] quia, licet assistere non sit actus iurisdictionis, talis tamen est dare licentiam. Sed sapienter respondet Sanch. huiusmodi facultatem concedendi licentiam non spectare ad parochum qua parochum, sed qua legitimum testem matrimonii destinatum a Trident. cum potestate alium substituendi, unde prima sententia probabilior videtur.

« 2. Parochus vel quivis habens iurisdictionem ordinariam potest alium sibi substituere, non tamen nisi sacerdotem.

1085. » 3. Cum ad testes requisitos non addatur debere esse omni exceptione maiores, sufficiunt etiam infames, foeminae, pueri habentes usum sufficientem rationis, parentes, domestici ac servi (Etiam infideles, quamvis casu transeant aut vi detineantur, ut Sanchez[26] Pal.[27] Barb.[28] Laym.[29] Bonac.[30] et Salm.[31] cum Con. Dic. etc.). »

1086. 4. Si duo sint parochi eiusdem parochiae, potest utervis assumi (etiam invito altero, Salm.[32] cum Pont. Con. Henriq. etc.). Similiter qui habet duo domicilia quae aequaliter inhabitat, vel domum quae partim pertinet ad unam parochiam partim ad alteram, potest alterutrum accersere, quia uterque est proprius parochus. Laym. Bonac.[33] et Sanch. commun.

Si sponsi habent duo domicilia in duabus parochiis, dicunt s. Anton. Palud. Ang. Gabr. etc. apud Sanch.[34] matrimonium esse contrahendum in illa parochia ubi tunc temporis habitant

(17) Ibid. n. 49. (18) Lib. 3. d. 21. num. 8. (19) P. 13. §. 10. n. 8. (20) All. 32. n. 110. (21) L. 5. c. 17. n. 14. (22) P. 8. num. 22. (23) Ibid. n. 51. (24) C. 4. n. 5. (25) L. c. n. 50 (26) L. 3. d. 45. n. 5. (27) P. 13. §. 13. n. 5. (28) All. 32. n. 138. (29) C. 4. n. 6. (30) P. 8. n. 43 (31) De matr. c. 8. p. 5. n. 59. (32) Ib. p. 3. n. 32 (33) L. c. (34) L. 3. d. 24. n. 4.

Sed communissime et valde probabiliter dicunt Sanchez [1] Roncaglia [2] cum communi Boss. [3] Bonac. [4] cum Gutt. et Reb. Pont. [5] Barbosa [6] cum Coninch. et Salm. [7] cum Perez Trull. Dicast. et Henr. matrimonium posse contrahi in alterutra parochia, modo in utraque sponsi aequalem habuerint habitationem, quia tunc in alterutra possunt recipere sacramenta. Idque confirmatur ex c. 2. *de sepult. in* 6. ubi dicitur: *Cum ab eo qui duo habet domicilia, se collocans aequaliter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum ecclesiae habebunt inter se dividere canonicam portionem.* Ergo non habenda est ratio actualis, sed tantum aequalis habitationis. Haec autem aequalitas moraliter accipienda est, ut dicunt Lugo [8] Barb. [9] Boss. [10] Ronc. [11] Salm. [12] et Sanchez [13] cum s. Anton. et Palud. Idque procedere dicit Boss. [14] cum Sanc. Pont. et Gutt., non solum si quis habitet hieme in civitate, aestate ruri, sed etiam si indifferenter modo habitet in uno, modo in alio loco. Notandum autem id quod habetur in decr. s. c. apud Benedict. XIV. [15] ubi dicitur: *Parochum ruralem non esse proprium, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram huiusmodi parocho celebrari non posse.* Hoc tamen intelligi recte dicunt Bonac. [16] Barb. [17] Boss. [18] et Salm. [19] cum Sanch. Pal. Dic. Trull. et Av., si sponsus aliquoties, sive per breve tempus (ut ait Barb. cum Lugo) ruri degit. Hinc Benedict. [20] Salm. [21] Barb. [22] et Bossius [23] cum Henr Garc. Seraph. etc. ex declar. s. c. reiiciunt Pontium, qui [24] censet posse contrahi matrimonium etiam coram parocho, in cuius parochia quis brevi commoratur.

Hic insuper sedulo notandum quod si quis fictitie domicilium transferat in aliam parochiam, ut ibi matrimonium contrahat, hoc nullum est, ut pluries s. c. declaravit; vide p. Zachar. apud Croix [25]. Secus autem si vere transferat, etsi in fraudem prioris parochi, ut recte ait Croix [26] cum Fagnan. Sanchez Sylv. Barb. Boss. etc. contra Ledesm. et Vega. Notat vero Croix [27] cum de Luca non acquiri domicilium per habitationem solius diei, si noctu quis in priori cubaret domo.

1087. « 5. Etsi ex praecepto adhibendus sit parochus contrahentis illius in cuius parochia matrimonium celebratur, sufficit tamen ad valorem si alterutrius pastor assistat, ut declaravit congreg. cardinal. apud Rebel. et Bonac. [28] (Ita communiter Sanch. [29] Pal. [30] Pont. [31] Bonac. [32] et Salm [33] cum Con. Perez etc., item Bened. XIV. [34]. Et aliam similem affert Fagnan. [35] editam die 15. decemb. 1574. ubi approbante papa fuit decisum valere matrimonium in parochia mulieris coram parocho viri, et e converso) etiam extra suam parochiam vel dioecesim, quia hic actus non est iurisdictionis contentiosae (Et in hoc neque parochus peccaret, ut dicunt Sanch. [36] Salm. [37] cum Pal. Con. et Dicast. ac Boss. [38] cum Barb. Gutt. Villal. etc. (contra Pont. Nav. etc.); actus enim assistendi probabilius neque est actus iurisdictionis, sed potius potestatis assistendi ut testis, uti diximus *num.* 1084. Caeterum ait Boss. [39] quod convenientius est quod assistat parochus sponsi, in cuius parochia fiunt nuptiae. Recte autem dicunt Sanchez [40] et Boss. [41] ex decr. s. c. allatis ab eod. Boss. [42] peccare graviter parochum, si in alterius parochia sponsos a se coniunctos solemniter benediceret). Non tamen licebit tunc nuptiis benedicere sine alterius licentia. Sanchez [43].

1088. » 6. Is qui substituitur debet

(1) L. c. n. 5. (2) Q. 2. r. 1. (3) T. 1. c. 4. n. 4. (4) P. 8. n. 8. (5) C. 13. §. 1. n. 1. (6) All. 32. n. 60. (7) Cit. n. 32. (8) Resp. moral. l. 1. dub. 7. n. 3. (9) N. 70. (10) N. 5. (11) L. c. (12) De matr. c. 8. p. 3. n. 32. (13) N. 3. (14) L. c. (15) Notif. 33. n. 7. (16) P. 8. n. 5. (17) All. 22. num. 66. (18) C. 4. num. 17 (19) Ibid. n. 26. (20) L. c. (21) Ibid. n. 27. (22) Ib. (23) N. 17. (24) L. 5. c. 13. §. 11. n. 4.

(25) Lib. 6. p. 3. n. 717. (26) Ibid. (27) Dicto num. 717. (28) Q. 13. (29) L. 3. d. 23. n. 4 (30) P. 12. §. 9. num. 1. (31) L. 5. c. 16. n. 2 (32) Q. 2. p. 8. n. 7. (33) De matr. c. 8. d. 3. n. 24 (34) Notif. 33. num. 5. ex decl. s. c. an. 1573. (35) Lib. 4. in c. Quod nobis, de clandest. desp. (36) L. 3. d. 19. n. 17. (37) Ibid. num. 34. (38) C. 4. n. 32. (39) Num. 20. (40) Num. 19 (41) N. 35. (42) N. 19. (43) L. 3. disp. 19.

habere expressam vel saltem tacitam licentiam ex ratihabitione de praesenti, quia non sufficit ratihabitio de futuro, qua quis putet alterum postea ratum habiturum, Sanch. [1] Regin. Con. apud Bonacina [2] (Ita etiam Sanchez [3] Pontius [4] Salm. [5] cum Coninch. Et hoc etiamsi licentia sit metu vel dolo extorta, Salmant. [6] cum Con. et Sanch. Sufficit autem licentia oretenus data, Barbosa[7] cum Nav. Henr. etc.), licet ipse Bonac. neget tacitam sufficere.

1089. » 7. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet parocho, idque (ut Laym. [8] docet ex Sanchez) etsi alteruter tantum sit vagus. Hic autem tenetur de illorum conditione diligenter inquirere, ut monet Trid., an scilicet alibi sint coniuncti, etc., et deinde petere licentiam ab episcopo assistendi: sine qua, licet valide assistat, graviter tamen peccat. Ita Laym.[9] Sanch.[10].»

Commune est, quod vagi possunt contrahere coram quovis parocho, ita Sanchez[11] Pont.[12] Bonac.[13] Pal.[14] et Salm.[15] cum Con. Henr. Trull. Led. etc. Et hoc etiamsi alteruter sponsorum tantum sit vagus, ut Pal. et Salmant.[16] cum aliis, idque Barbosa[17] refert decisum a s. c. Parochus vero, antequam vagos coniungat, tenetur de eorum conditione diligenter inquirere (ut praescribit Tridentinum[18]) an alibi sint coniuncti: ac deinde petere licentiam ab episcopo assistendi, sine qua, licet valide assistat, graviter tamen peccat assistendo, ut docent Sanch.[19] Pont.[20] Salmant.[21] cum Led. et Henr. ac Barb.[22] cum Filliuc. Molf. Homob. etc. Imo in instructione s. inquisit. gener. edita 21. aug. 1670. coram Clemente x. pro curiis tam romana quam caeterorum ordinariorum (quam refert in extensum Genet.[23] et Pitton.[24]) sic praescriptum fuit: *Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos per fides ordinariorum suorum, servata forma Trident.*[25]. *Fides aliaque documenta non admittantur, nisi munita sigillo, et legalitate episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum Et attente consideretur, quod fides et testimonia bene identificent personas de quibus agitur.* Notant vero Salm.[26] nomine *vagorum* hic non comprehendi vagos illos qui in eodem loco vagi sunt, quia isti, licet certam non habeant parochiam, tamen in illo loco iam cogniti sunt, unde praemissis denuntiationibus bene possunt a quolibet parocho coniungi. Circa alienigenas autem, habetur in eadem instructione s. inquisitionis ut supra (*n.* 1739. ap. Pitton. quod parochus non potest pro eis publicationes facere, *nisi certiorato ordinario, a quo, vel eius vicario, prius receperit fidem authenticam status liberi.* Recte vero excipiunt Sanch.[27] Salm.[28] cum Pont. et Con. si contrahentes discesserint ab eo loco in aetate in qua erant incapaces ibi contrahendi.

1090. Insuper circa milites hic notandum ex decr. s. c. 11. nov. 1576. apud Pitton.[29], quod capellani exercitus habent facultatem assistendi eorum matrimoniis, dum hi reperiuntur in actuali expeditione: hanc tamen facultatem non habent privative respectu ad parochos contrahentium, neque dum milites in hibernis vel aestivis commorantur, neque dum sunt in praesidiis. Praeter dicta refert declaratum a s. c. p. Zacharia apud Croix [30] capellanos nec etiam sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis posse ministrare militibus degentibus in praesidiis sine facultate pontificia aut licentia ordinarii loci. Militum autem matrimonia debent contrahi eodem modo, prout dictum est de vagis, ut habetur in cit. instructione congreg. inquisit. ut supra apud Pitton.[31]. Ubi ta-

(1) D. 35. (2) L. c. n. 11. (3) D. 35. n. 20. (4) L. 1. c. 11. n. 1. (5) Ibid. p. 4. n. 56. (6) L. c. (7) All. 32. n. 128. (8) C. 4. n. 5. (9) T. 4. .. 5. (10) Dist. 19. et d. 35. n. 14. (11) L. 3. d. 25. n. 11. (12) L. 5. c. 14. n. 5. (13) Q. 2. n. 8. n. 6. (14) D. 2. n. 13. §. 9. n. 11. (15) De matr. c. 8. p. 3. n. 37. (16) Ibid. in fin (17) In Trid. n. 3. et 4. (18) Sess. 24. c. 7. (19) N. 16. (20) N. 8. (21) Ibid. n. 33. (22) In Trident. l. c. (23) T. 5. p. 326. (24) De matr. n. 1737. (25) In c. Multi 7. sess. 24 (26) Cit. n. 38. (27) N. 8. (28) L. c. (29) De matr n. 2117. (30) L. 6. p. 3 n. 731. (31) N. 2505

men additur quod tempore necessitatis vel in articulo mortis non sunt servandae eaedem probationes, sed si convaluerint, debent fieri antequam matrimonium consumment. Vide alia circa matrimonium militum apud eumdem Pitton. [1].

1091. « 8. Peregrini, qui ex causa exiguo tempore domo absunt, non possunt contrahere peregre coram parocho loci, quia non est illorum verus. Aliud est de iis qui alicubi habitationem figunt pro maiore parte anni aut eo venerunt animo manendi saltem maiore anni parte, licet postea contingat casu subito recedere, v. g. famuli, ancillae, studiosi. Bon. [2] Sanch. [3]. Ratio est, quia contrahunt ibi domicilium parochiale, et pastor illius loci est proprius illorum. »

Quid si quis alio se transferret animo manendi ibi per maiorem partem anni et postea redeundi ad suum domicilium, an possit coram parocho illius oci contrahere matrimonium et alia sacramenta recipere. Negant Rodr. Led. Henr. et alii apud Sanchez [4] et Salm. [5] qui merito cum Sanch. et Palao id satis probabile putant. Sed communius et probabilius affirmant cum Bus. Sanchez [6] Pont. [7] Pal. [8] Bon. [9] et Salm. [10] cum Con. Trull. Gutt. Dic. etc. Probatur *ex c. fin. de paroch.* ubi illi, qui causa belli ad aliam parochiam se transferunt, habentur ut illius parochiani. Et confirmatur ex decl. s. c. apud Bened. XIV. [11] ubi dictum fuit valere matrimonium contractum a iudice seu medico temporali in loco ubi tunc degit. Secus vero, si quis alio se transfert non animo contrahendi ibi domicilium (sive quasi domicilium, ut intelligendum), prout dicitur in eadem declaratione; *vide dicta de bapt. l. 6. n. 115. v. Sed hic.* Et sic pariter alienigenae in carceribus detenti neque possunt ibi contrahere ex alia declar. s. c. edita anno 1707. apud eumd. Bened. [12] qui [13] ex quadam epist. s. officii idem dicendum ait de aegris qui curantur in hospitalibus, nisi urgeat necessitas contrahendi et non suppetat tempus probandi statum liberum. Hi tamen si convaluerint, non poterunt matrimonium consummare, nisi constito de utriusque statu libero. Puellae autem expositae quae degunt in conservatoriis, debent matrimonium contrahere non coram capellanis ipsorum, sed coram parocho loci, ex decl. s. c. 22. apr. 1651. apud eumd. Bened. [14] qui addit ex antiqua consuetudine bene posse contrahere coram eodem parocho loci etiam illas puellas quae degunt in conservatoriis, a quibus recipiunt alimenta et dotem. Alias vero puellas quae sunt in monasteriis causa educationis, dicit Benedictus [15] debere matrimonium contrahere coram parocho domicilii paterni, materni aut fraterni, si adsit, si autem non adsit, coram parocho loci monasterii. Et idem asserit [16] de famulis degentibus in domibus herorum.

1092. « 9. Parochus et testes sic debent esse praesentes ut advertere possint quid agatur et de eo testari (Hinc non sufficit eorum praesentia tantum materialis, sed requiritur etiam moralis, ut probat p. Zacharia apud Croix [17]. Et ideo recte ait Pontius (contra Sanchez) apud Croix [18] quod si non bene intelligerent sponsorum consensum (puta quia sunt diversi idiomatis) non satis est unus interpres de consensu affirmans). Et quidem non est necesse ut ipsi videant contrahentes, dummodo audiant verba contractus, si voces contrahentium noverint (Sufficit autem si videant signa consensus, ut Sanch. [19] Pontius [20] Pal. [21] et Salm. [22]. Adverte hic declarat. s. c. apud Fagnan. [23] ubi dictum fuit valere matrimonium, etiamsi parochus nihil proferat) Sanchez Fill. Pontius et alii 5. cum Diana [24] contra

(1) N. 2356. (2) Q. 1. p. 8. n. 1. (3) L. 3 d. 23. n. 11. (4) Ib. (5) C. 8. n. 29. (6) N. 12. (7) L. 5. c. 15. num. 4. (8) P. 12. §. 9. (9) P. 8. n. 2. et 5. (10) De matr. c. 8. p. 3. n. 56 (11) Notif. 52. n. 11. (12) N. 12. (13) N. 17 (14) Num 14. (15) Num. 16. (16) N. 17. (17) L. 6. p. 3. n. 753. (18) L. c. n. 759. (19) L. 3. d. 39. n. 1. et d. 41. num. 2. (20) L. 5 c. 21. n. 8. (21) P. 13. §. 8. n. 11. (22) De matr. c. 8. p. 5. n. 61. (23) Lib. 4. in c Quod nobis. de clandest. despons n. 4. (24) P. 8. cap. 7. r. 68.

Barb. Nec refert, etiamsi per metum, vim, dolum aut iniuriam nolentes detineantur vel etiam contradicant ac resistant (Et sic pluries fuit decisum a s. c. ut refert p. Zacharia apud Croix [1]) aut licet prohibiti sint ab ordinario ne intersint. Bonacina [2] ex declarat. card. Con. Fill. Sanch. [3] etc. »

1093. Graviter autem peccant contrahentes coram parocho, vi aut dolo detento, aut casu transeunte, ob iniuriam quae irrogatur sacramento et ecclesiae, cum parochus tunc ut persona publica assistit, Sanch. [4] Pal. [5] et Salmant. [6] cum Con. et communi. Et in aliqua dioecesi in hoc adest excommunicatio, ut testantur Salm. [7]. Attamen Sanch. [8] ac Gutt. et Aversa apud Salmant. [9] dicunt esse tantum veniale contrahere coram testibus sic praesentibus, id est dolo detentis.

Notant deinde Pal. [10] et Salm. [11] cum Con. Trull. Aversa, quod, urgente necessitate contrahendi, si parochus nollet assistere, nec possit adiri superior, tunc potest nolens adduci, modo non fiat vis personae. Imo Dic. apud Salmant. [12] concedit etiam per vim, si aliter vexatio tolli nequeat, quia parochus tunc ex officio assistere tenetur; *vide dicta n.* 1005.

1094. « 10. Parochus tenetur utrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento, Guttier. Sanchez Diana [13], sed de mutuo consensu, ut in Trident. [14]. Eius tamen omissio, quando de utriusque libero consensu constat, venialis tantum est, Sanchez Conin. Diana [15] (Cum Salm. [16] cum Pont. et Aversa). Similiter mortale non esse, etsi intellecto consensu, non dicat: *Ego vos coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen*, docent Sanch. Con. Villal. Guttier. Diana [17] (Ita probabiliter Pont. [18] Sanch. [19] Pal. [20] et Salm. [21] cum Gutt. et Bon. Sed Bossius [22] cum Reb. Barb. Veracr. et Salzed. adhuc probabiliter et forte probabilius dicit esse mortale, quia videtur transgressio in re magni momenti ».

1095. » Dicitur 14. *Et impos*, quod impedimentum vocatur frigiditas vel impotentia: quae, si perpetua sit et matrimonium antecedat, irritat illud iure naturae; vel omne, et respectu cuiuscumque, si sit absoluta, vel certum tantum, si sit restricta seu respectiva. Idque, sive orta sit ab intrinseco et vitio naturae, sive ab extrinseco, opera hominis vel diaboli, sive cognita alteri fuerit sive non, sive sit ex parte utriusque contrahentis sive alterius tantum. Ratio est quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem: hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum eam non habeat.

» Porrò impotentia in viro esse censetur, quando est eunuchus vel saltem non potest seminare intra naturale vas foeminae: in foemina vero, quando vel seminare non potest (si verum est, semen foeminarum requiri ad generationem) vel propter arctitudinem non potest virum pati aut eius semen recipere.

» Dixi 1. *Si sit perpetua:* qualis est, quae nulla arte potest tolli. In dubio autem perpetuitatis, conceditur a iure triennium ad experiendum bona fide.

» Dixi 2. *Si antecedat:* nam si subsequatur matrimonium, non irritat illud, etsi usum ita impediat, ut soli contactus et oscula liceant citra periculum pollutionis; idque quando impotentia est certa; nam si dubia sit, tamdiu licet conari ad copulam, quamdiu probabilis est spes seminandi intra vas. Laym. [23] ex Sanch. Nav. Henr.

Unde resolves:

» 1. Invalide contrahunt evirati seu eunuchi, quando carent utroque testiculo, quia non emittunt verum semen aptum generationi. Nec refert quod instar senum sterilium satisfaciant concu-

(1) L. 6. p. 3. n. 760. (2) L. c. (3) Locc. cc. (4) D. 39. num. 12. (5) P. 13. §. 8. n. 11. (6) Ibid. n 68. (7) L. c. (8) Ibid. (9) Ibid. (10) L. c. (11) Ib. (12) L. c. (13) P. 3. t. 4. res. 294. (14) Sess. 24. c. 1. (15) L. c.

(16) De matr. c. 8. p. 5. n. 70. (17) P. 3. t. 4. r. 256. (18) L. 3. c. 21. n. 2. (19) L. 3. d. 38. n. 75. (20) P. 13. §. 18. n. 12. (21) Cit. n. 70. (22) C. 3. n. 15. (23) L. 3. t. 10. p. 4. c. 12

piscentiae foeminae; quia id non faciunt per copulam natura sua aptam generationi, ob defectum seminis, quod senes tamen emittunt, etsi semen senum per accidens non sit prolificum. Lay.[1] Bon.[2] (Id certum est ex bulla Sixti v. edita ann. 1587. quae incipit, *Cum frequenter*. Intellige igitur, si ambobus testiculis careant aut contusos habeant; secus si habeant saltem unum, ut Sanchez [3] et Salm. [4] cum Aversa Dic. Ledesm. etc.).

» 2. Valide contrahunt 1. Steriles, quia, etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam; atque adeo sunt capaces omnis iuris et obligationis matrimonii, et susceptio prolis, licet sit praecipuus, non tamen est unicus nec immediatus finis matrimonii, Bon.[5] ex Henriq. Con. Filliuc. etc. Eadem est ratio de iis quae non edunt foetum nisi mortuum vel non nisi cum periculo vitae. Conin. etc. [6]. 2. Hermaphroditi, quia vere sunt potentes ad usum matrimonii. Et quidem, si alter sexus emineat, secundum illum tantum valebit: si uterque sit par, optio illis datur ut utrolibet utantur, ita tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant. Sanchez [7] Bon. [8] ex Henriq. Con. Fill. etc. 3. Is qui paulo post est moriturus, quia in eo manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur. Patet ex praxi ecclesiae, quae illis interdum suadet ut concubinas ducant. Laym.[9] ex Sanchez [10] Cov. etc.

» Impuberes, si utantur ratione, non iure naturae, sed ecclesiastico tantum invalide contrahunt, quia impotentia illorum est tantum temporalis. »

Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam coniuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem; unde sicut validum est matrimonium inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare, puta quia steriles aut senes, vel quia foemina semen non retinet, ita nullum est matrimonium inter eos qui nequeant consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio. Ut autem impotentia dirimat matrimonium, debet esse perpetua et antecedens. Quare, si est tantum temporalis proveniens ex aliquo morbo aut vitio naturaliter curabili, certo non dirimit matrimonium. Sic etiam neque dirimit, si matrimonio superveniat. Si vero antecedat et nequit auferri, nisi per miraculum aut per peccatum aut cum periculo mortis, tunc irritat matrimonium, ut expressum habetur in c. *Fraternitatis*, *de frig. et malef.* Haec autem impotentia ex quadruplici capite oriri potest, scil. 1. ex maleficio, 2. ex frigiditate, 3. ex improportione, 4. ex mixtione sexus (id est si aliquis coniugum sit hermaphroditus), de qua satis est quod dicit Busemb, unde tantum de aliis tribus capitibus hic agimus.

1096. Et 1. si impotentia proveniat ex *maleficio* (quod colligitur quando coniuges excitantur ad copulam cum aliis et inter se frigescunt vel a coitu abhorrent, esto alias se diligant) tunc si maleficium nequit tolli inter triennium remedio humano, nec orationibus aut exorcismis, impotentia censetur perpetua et dirimit matrimonium; ita communiter d. Thoma [11] Sanchez [12] Croix [13] et Salm. [14] cum Soto Con. Bon. etc. ex c. *fin. de frig. et mal.* Hinc si maleficium aufertur per aliud maleficium (quod certe illicitum est), matrimonium etiam censetur invalidum, ut communiter docet Sanch. [15] cum d. Th. d. Bonav. et aliis passim. Secus si aufertur amovendo signum, ut Sanch. [16] et Salm. [17], quia tunc licite aufertur impedimentum, Salm. [18] cum Sot. et Aver.

2. Si impotentia provenit ex *frigiditate*, tunc quando coniuges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam ad generationem, post experientiam triennii nullum est matrimonium. Idem procedere communissime aiunt dd. si ob nimiam caliditatem

(1) Loc. cit. (2) Q. 3. p. 13. (3) L. 7. d. 104. n. 17. (4) De matr. c. 12. p. 11. n. 129. (5) Q. 3. p. 13. (6) Loco cc. (7) L. 10. d. 106 (8) L. c. (9) L. c. (10) D. 105. num. 3.

(11) In 4. d. 34. q. un. a. 3. ad 3. (12) L. 7. d. 94. n. 12. (13) L. 6. p. 3 n. 700. (14) De matr c. 12. p. 11. n. 131. (15) N. 9. (16) N. 22. (17) Ibid. n. 132. (18) Ib. in fine.

vir semper seminet extra vas, antequam possit penetrare, ita s. Anton. [1] Navar.[2] et Sanch.[3] cum Sot. Palud. Val. Led. Gutt. etc. ex d. Thom. [4] qui ait: *Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum; si tamen inveniretur quod per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum.* Sed probabiliter censent Cont. Tourn. [5] et Cabass. [6] quod huiusmodi coniuges, si sint iuvenes, non sint separandi, quia processu temporis fervor ille deficit et sic possunt fieri habiles. Sicut autem potest esse impedimentum frigiditas et maleficium, sic etiam potest irritare matrimonium abominatio viri erga mulierem, si ob eius deformitatem non possit ullo modo excitari ad copulam, ad quam bene excitaretur cum alia pulcra; ita d. Th. [7] qui: *Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed causa accidentalis extrinseca; et ideo de ea est iudicium idem quod de maleficio:* et ita etiam Sanch. [8] cum Alb. Magno Sylv. Ang. Tab. Turrecr. etc. contra Sot. In his vero casibus datur coniugibus triennium, in quo licite possunt copulam experiri ex *c. Laudabilem, de frig. et malef.*

3. Si demum impotentia provenit ex *improportione*, nempe si foemina habeat vas adeo arctum (saltem respectu sui viri) ut ille nequeat penetrare, tunc si foemina non possit apta fieri ad copulam, nisi cum periculo mortis, omnes conveniunt matrimonium esse nullum ex *c. Fraternitatis, de frig. etc.* Unde, etiamsi cum tali periculo mortis ipsa fuerit incisa et facta idonea, matrimonium non valet, quia quod ab initio est invalidum, nequit tractu temporis convalescere; ita communiter Sanchez [9] et Cont. Tourn.[10] cum aliis.

1097. Sed dub. 1. An sit nullum matrimonium, si foemina per incisionem possit fieri apta ad copulam sine periculo mortis, sed cum periculo gravis morbi.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pal. [11] Spor.[12], item s. Ant. Sylv. Sa Val. Henr. Veg. Palud. Maior. p. Soto et alii plures apud Sanch.[13] qui probabilem censet. Ratio, quia impotentia eo casu non est a voluntate, sed ab ipsa natura; ex contractu enim matrimonii videtur mulier non ad plus se obligasse quam ad reddendum debitum per media ordinaria; unde quando non potest fieri apta nisi per medium extraordinarium et periculum gravis morbi, tunc censetur illa ex ipsa natura impotens ad matrimonium.

Secunda sententia vero negat et hanc tenent Bon.[14] Ronc.[15] Salm.[16] et Sanchez [17] cum Ang. Sot. Tab. Palac. Angles. Man. Graff. Lop. Led. etc. Et probatur ex *c. Fraternitatis*, §. *Per hoc, de frig. etc.* ubi dicitur tunc matrimonium esse nullum, quando copula non potest haberi, *nisi per incisionem aut alio modo violentia sibi inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis* (nota), *ut ex ea mortis periculum timeatur.* Haec sententia speculative loquendo verior apparet ex textu praefato, cui nescio quomodo responderi possit; sed practice loquendo ipsa non differt a prima; prout enim recte aiunt iidem Sanch. et Ronc.[18] quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest moraliter etiam periculum mortis.

1098. Dub. 2. An, soluto matrimonio iudicio ecclesiae ob arctitudinem mulieris respectu viri, si postea cognoscatur a secundo viro, et per frequentem usum coniugii reddatur apta primo, debeat ad primum redire. *C. Fraternitatis*, §. *Similiter, de frig. etc.* dicitur quod si mulier non poterat reddi apta primo, nisi cum periculo mortis, tunc non debet redire, secus si poterat sine tali periculo. Ad quaesitum autem respondent Innoc. Sotus Host. Praepos. Henriq. etc. apud Sanch.[19] eo casu ma-

(1) 3. p. tit. 1. c. 12. §. 1. et 2. (2) C. 22. n. 59. (3) Num. 7. (4) Suppl. qu. 53. art. 1. ad 2. (5) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 14. r. 2. v. Si quis tamen. (6) T. I l. 3. c. 25. num. 2. (7) D. qu. 58. a. 1. ad 5. (8) L. 7. d. 92. n. 13. (9) L. 7. d. 95. n. 15. (10) Loc. cit. v. Resp. in utroque. (11) D. 4. §. 1. n. 5. (12) De matr. c. 1. n. 121. (13) L. 7. d. 95. n. 17. (14) Q. 3. p. 13 . 2. (15) C. 6. q. 6. (16) De matr. c. 12. p. 10. num. 115. (17) L. c. num. 15. (18) Loc. cc. (19) L. 7. d. 95. n. 11.

trimonium reputandum esse validum, quia cum mulier fuerit reddita apta primo viro per usum coniugii cum secundo, signum est quod bene posset illi reddi apta aliquo modo, puta instrumento ligneo aut ferreo, sine ullo periculo mortis. Sed verius dicunt s. Anton. [1] et Sanchez [2] cum Glossa [3] et Abb. Sylv. Ang. Turr. Ricc. Durando Palac. Vega etc. non ex eo quod ab alio potuit mulier cognosci concludi quoque posse quod sine periculo mortis cognosci potuerit a primo; usu enim coniugii cum secundo poterat effici ut per ipsum redderetur apta primo, cui prius apta non erat, nisi per reserationem cum periculo mortis. Aliunde igitur sumenda est praesumptio quod mulier potuerit fieri apta primo sine periculo mortis, nempe a similitudine in aetate, robore et corpore primi viri cum secundo; nam in dicto c. *Fraternitatis*, ideo pontifex, praecise de hoc casu loquendo, decrevit mulierem teneri redire ad primum virum, quia secundus erat similis primo; en eius verba: *Cum pateat ex postfacto, quod cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur.*

1099. Dubit. 3. An uxor, inepta ad copulam propter arctitudinem, teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi ut apta reddatur. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia, quam tenent Ang. Palac. Cabrera etc. apud Sanch.[4] dicit teneri, modo absit periculum mortis.

Secunda sententia omnino opposita, quam tenent Pont.[5] Pal.[6] Cont. Tourn.[7] Pont.[8] et Mazz. [9] dicunt numquam teneri foeminam pati incisionem. Ratio 1. quia in quolibet contractu propriae illius conditiones attendi debent; cum autem in matrimonio subintelligatur ea conditio, si ad illius usum coniuges apti fuerint, si apti non inveniuntur, ad aliud non tenentur. Ratio 2. quia si hoc esset medium aptum et aequitati consonum, ecclesia illud aliquando praecepisset; ecclesia vero numquam praecepit, sed tantum praescripsit trium annorum experientiam. Excipiunt tamen Pal. et Mazz.[10] si foemina contraxisset conscia suae extraordinariae arctitudinis et illam viro non manifestaverit, quia tunc ratione deceptionis tenetur incisionem pati; quamvis deinde merito addat idem Palaus raro hoc accidere, eo quod raro foemina scit se esse arctam prae caeteris.

Tertia sententia demum communissima et probabilior, quam tenent Sanchez[11] Bonac.[12] Ronc.[13] Salm.[14] Spor.[15] Croix[16] cum Sot. et Perez ac Escob.[17] cum Man. Henr. Lop. etc. dicit teneri foeminam pati incisionem etiam cum gravi molestia et dolore, sed non cum periculo neque mortis neque gravis morbi; et licet Sanch.[18] dicat *gravissimi*, tamen intelligit idem ac grave, ut se explicat.[19] Quod non teneatur cum periculo gravi corporali probatur, quia numquam censetur mulier voluisse se obligare ad tantum periculum perferendum, neque ex vi contractus matrimonii videtur ipsa ad tale onus obstringi. Quod autem teneatur cum gravi molestia et dolore reddere se aptam ad copulam, probatur, quia ad id videtur mulier obligari vi contractus, cum id necessarium sit ad servandum ius copulae quod in virum transtulit. Haec quidem sententia est communior et probabilior videtur speculative loquendo; sed practice loquendo, valde probabile id est quod ait Contin. Tourn.[20] cum Pontas, nempe quod si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus plus quam gravissimum; si enim puella non tenetur nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundo chirurgi manum pati (iuxta dicta *l.* 3. *n.* 372.), quomodo ad id tenebitur ut ad usum coniugii aptam se reddat?

(1) 5. p. tit. 1. c. 12. §. 5. ad 1. (2) L. c. n. 12. (3) V. Simili. (4) l. 7. d. 95. n. 31. (5) L. 7. c. 62. n. 2. (6) D. 4. p. 14. n. 9. (7) Loc. cit. v. Sed hinc. (8) De impedim. (9) T. 6. p. 82. v. Tertio. (10) Locc. cc. (11) Loc. cit. (12) Q. 3. p. 13. n. 2. (13) Cap. 6. q. 3. (14) De matr. c. 12. p. 10. n. 116. (15) C. 1. n. 128. (16) L. 6. p. 5. n. 793. (17) L. 27. n. 508. (18) Loc. cit. (19) N. 13. (20) Loc. cit.

Quid enim turpius (ait Collet. [1]), *quam ut virgo nuda oculis et manibus chirurgi subiiciatur et incisionem foedam simul ac gravem pati cogatur?*

1100. Dubit. 4. An cum vir posset coire cum corrupta, sed non cum virgine propter eius claustrum virginale, teneatur ipsa pati scissuram claustri per aliquod instrumentum. Commune est apud omnes cum d. Th.[2] quod possit pati. Utrum autem teneatur. Negant Pont.[3] Pal.[4] et Ledes. Hurt. ac Leand. apud Escob.[5]. Ratio, quia defectus ille non est foeminae, sed viri; ergo non tenetur ipsa remedio uti ut aptam se reddat, sed sufficit ut corpus suum tradat aperiendum modo a natura instituto, non autem extraordinario. Sed probabilius affirmant Sanch.[6] cum Vega Angles. et Lop. Ratio, quia talis reseratio ex una parte bene potest fieri sine verecundia vel a viro vel ab ipsa puella; ex alia parte molestia, quam ipsa in tali reseratione deberet pati, non videtur magna nec extraordinaria, imo est omnibus ordinaria; unde cum foemina iam tradiderit viro ius ad copulam, tenetur hoc medio uti ut se aptam reddat illi, qui ob suam debilitatem alias coire non potest.

1101. Demum hic videndum quid agi debeat, quando impotentia est certa et quando est dubia. Respondetur: Si est certa et patens, minime expectandum, sed statim facienda est separatio; nam matrimonium eo casu est certe nullum tam ex iure ecclesiastico, quam ex naturali, cum nemo possit in alterum transferre dominium rei quod non habet, et licet copula non sit de essentia matrimonii, de essentia tamen est potentia ad illam, ut docet d. Thom.[7]. Unde, cognita impotentia certa et perpetua, sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate, si id possit fieri sine scandalo; imo tenentur, si adest periculum incontinentiae, et pars non laborans impedimento potest etiam ad alias nuptias transire, ut dicunt Sanch.[8] et Salm.[9] cum Candido Si vero adsit periculum scandali (prout communiter adest), tunc debent reclamare coram iudice ecclesiastico, a quo separandi sunt, saltem quoad torum; et si alter peteret, etiam quoad habitationem, non expectata triennali experientia quae datur pro impotentia dubia, non pro certa; ita Sanchez[10] et Salm.[11] cum Pont. Gutt. et Dicast. Et patet ex *c. Laudabilem*, *de frig. etc.* ubi: *Si frigiditas probari non possit*, *cohabitent per triennium*. Ergo si impedimentum probatur, non datur triennium. Si autem velint cohabitare ut frater et soror mutuo consensu, modo absit periculum incontinentiae, id permittitur ex eodem textu; sed recte advertit Merbesius hoc numquam permittendum si sponsi non sint senes.

1102. Hoc currit, si impedimentum impotentiae est certum; si vero est dubium, et dubium antecedit matrimonium, non potest qui de sua impotentia dubitat nuptias inire, donec re diligenter investigata dubium deponat, ob gravem iniuriam quam alias irrogaret alteri petenti, ut recte dicunt Sanch.[12] Mazz.[13] et Pal.[14] cum Guttier. Si vero non obstante dubio iste contraxerit, licite poterit reddere et petere, tunc enim datur ei saltem triennalis experientia, ut infra latius explicabitur. Dicunt autem Dicastil. apud Croix[15] et Elbel[16] cum Carden. et Viva, quod si quis sit dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, iste licite poterit matrimonium contrahere, si spectata peritia medicorum, et experientiis, sit saltem probabile esse potentem; quia in dubio favet ei praesumptio, quod sit naturaliter potens. Idque satis probabile videtur; cum enim sit probabilissimum licitum esse ministrare sacramentum sub conditione, si iusta adsit causa, secundum dicta *n.* 28., hic satis iustam causam habet nubendi sub conditione, si sit habilis, ne scilicet in tali dubio coga-

(1) Ibid. (2) Suppl. q. 58. art. 1. ad 5.
(3) L. 7. c. 62. num. 2. (4) D. 4. p. 14. §. 1.
(5) L. 27. num. 51. (6) L. 7. d. 93. n. 34.
(7) Suppl. q. 58. a. 1. ad 1. (8) L. 7. d. 97. n. 8.
(9) De matr. c. 12. p. 12. n. 135. (10) D. 107. n. 3
(11) Loc. cit. (12) L. 7. d. 105. num. 10.
(13) T. 4. p. 85. §. 3. (14) D. 4. p. 14. n. 1.
(15) Num. 795. (16) P. 445. n. 265.

tur perpetuo manere coelebs. Deberet tamen ante matrimonium monere coniugem de tali dubio. Caeterum, praecisis circumstantiis et experientiis, quisque praesumitur habilis, etiamsi castissime vixerit.

1103. Si vero dubium impotentiae superveniat matrimonio, tunc datur triennalis experientia ex *c. cit. Laudabilem, de frig. etc.* Qua durante licite possunt coniuges copulam intentare, licet saepe aut semper semen extra vas effundant, ut communiter docent Sanchez [1] Pal. [2] Salm. [3] cum Soto et Candido ac Cont. Tourn.[4] ex d. Th.[5]. Hoc quoad forum internum; quoad vero forum externum pertinet, triplici modo causa agi potest. 1. Si unus ob dubium impotentiae auctoritate propria ab altero recessit, et tunc recedens, nisi in continenti evidentes afferat probationes impotentiae, statim restituendus est alteri etiam quoad torum, Mazz.[6] cum Pal. [7]. Docet tamen Sanch.[8] cum communi, quod si ille recesserit post triennium experientiae, iudex ante restitutionem debet ipsum audire. 2. Si unus alleget impotentiam, alter neget, tunc datur a iudice triennium ad experiendum. In quo notandum 1. quod hoc triennium debet esse continuum ex *c. de frig. etc.* saltem moraliter, ut recte dicunt Sanch.[9] Mazz.[10] et Salm.[11] cum Con., nempe si coniuges cohabitent per maiorem partem anni; non enim officit, si alter absit per unum vel alterum mensem. Notandum 2. quod licet Henr. et alii ap. Sanch.[12] ac Mazz.[13] dicant tempus triennii incipere a die decreti, addatque Mazz. hunc esse stylum curiae romanae, verius tamen Sanch.[14] Salm.[15] et Holzm. [16] cum Pichler docent triennium computari a tempore copulae intentatae; idque clare exprimitur in *d. c. Laudabilem, de frig. etc.* ubi dicitur: *Ut a tempore celebrati coniugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.* Nota tò *a tempore celebrati coniugii*, id est copulae intentatae, ut bene explicat Sanch.; nam verba cum effectu intelligenda sunt. Si ergo a tempore coniugii debet triennium computari, improbabiliter dicitur computandum a die decreti; posset enim decretum fieri post duos annos a coniugio, et sic non concederetur solum triennium, sed quinquennium. Ut autem solvatur matrimonium, debent ipsi iurare in iudicio, se nunquam habuisse copulam, esto pluries intentaverint, ut praescribitur in *dicto c. Laudabilem*, ubi insuper requiritur depositio iurata septem propinquorum, aut vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint. Hoc tamen dicit Sanch.[17] procedere, si unus tantum sponsorum proferat impedimentum, sed si ambo illud fatentur, requiri 14., nempe 7. ex parte viri, et 7. ex parte mulieris; isti autem non quidem debent iurare tales coniuges numquam copulatos fuisse; sed tantum id credidisse, vel ab eis audisse, ut dicit Panorm. cum Glossa in *d. c. Laudabilem*, et Salmant.[18]. Casu vero quo nequeant haberi 7. propinqui vel vicini, id relinquitur arbitrio iudicis, ut Salm.[19]. Insuper si mulier, quae tempore matrimonii erat virgo, allegat impotentiam viri, adhibenda est inspectio medicorum respectu viri, et matronarum peritarum respectu foeminae: quamvis enim Pontius [20] censeat hoc remedium inspectionis removendum tamquam inutile et indecens, tamen probabilius Salm.[21] et Sanch.[22] cum Alexand. de Nevo etc. illud requirunt utpote necessarium, cum alia via non possit impotentia cognosci; tunc enim ab ipsa necessitate talis inspectio honestatur. Et licet ordinarie ex ea nequeat certum ferri iudicium, aliquando tamen sum poterit iudicium saltem probabile, ut ecclesia ad alia procedat remedia; et ideo in *c. Frater-*

(1) L. 9. c. 17. n. 20. (2) D. 4. p. 15. §. 2. n. 11. (3) De matr. c. 12. p. 11. n. 154. et p. 12. num. 138. (4) T. 2. p. 209. v. Si quis.
(5) Suppl. q. 58. art. 2. (6) T. 4. p. 84.
(7) Ex c. Ex parte, de resti. expol. (8) L. 7. d. 112
(9) L. 7. d. 110. n. 4. (10) P. 85. (11) Ib. n. 158.
(12) N. 3. (13) L. c. (14) N. 4. (15) Cit. n. 158.
(16) P. 397. n. 655. (17) D. 109. n. 15.
(18) De matr. c. 12. p. 12. n. 157. (19) Ibid
(20) L. 7. c. 65. (21) Cit. num. 157. in fin.
(22) D. 109. n. 17

nitatis, de frig. etc. pontifex approbavit factum episcopi qui inspectionem adhiberi curavit. Si autem per inspectionem nihil coniici possit, nempe si mulier iam ante matrimonium fuisset corrupta, tunc potius credendum viro affirmanti se consummasse, quam mulieri neganti, ut verius docent Sanch. [1] cum Alexand. de Nevo Henriq. Rich. Turrec. etc. (contra Sotum et alios) ex *cap. Continebatur, de desp. impub.* ubi dicitur: *Si vir dixerit quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viro fides est adhibenda, si id firmaverit iuramento.* Merito autem idem Sanch.[2] reiicit tamquam turpissimum id quod dicunt aliqui, nimirum adhibendam esse peritam matronam quae spectet coitum inter huiusmodi coniuges. 3. Si demum utraque pars fateatur impedimentum impotentiae, tunc post triennalem experientiam exacto iuramento ab utroque, et adhibita septima manu propinquorum ex utraque parte ut supra, solvitur matrimonium, et pars libera ab impedimento licite potest cum aliquo nuptias inire, ut certum est apud omnes.

1104. In dubio autem an matrimonium fuerit consummatum vel non, iudicandum est consummatum, nisi oppositum probetur, ut communiter docent Sanch.[3] Pal.[4] et Salm.[5] cum Soto Aversa et Candido. In dubio vero an impotentia praecesserit vel secuta fuerit ad matrimonium, discrepant dd.

Prima sententia dicit tunc iudicandum quod fuerit subsequens, ita Pal.[6] Sanch.[7] cum Alexand. de Nevo Gabr. etc. ac Mazz.[8] cum Soto et Gutt. ac Reg. apud Salm.[9], tum quia in dubio iudicandum est in favorem matrimonii contracti, tum quia unusquisque praesumitur a natura potens, donec contrarium probetur.

Secunda sententia tamen probabilior dicit impotentiam censendam esse antecedentem, ita Contin. Tourn.[10] Renzi[11] et Bon.[12] cum Ang. Reb. Henr. etc. ac Salm.[13] cum Sylv. Aversa Verac. et Candido. Ratio quia, cum matrimonium nequit suum habere effectum, nimirum procreationem prolis, potius refert ad eius favorem ut iudicetur invalidum, quam validum, ne retorqueatur in ipsius praeiudicium, quod in bonum eius inductum est; et sic respondetur ad primam rationem oppositam. Respondetur autem ad secundam, quod bene quisque praesumitur potens, sed non quando adest positiva praesumptio in contrarium, prout hic supponitur; maxime si post matrimonium nulla acciderit specialis causa per quam praesumatur impotentia matrimonio successisse. Conveniunt autem Cont. Tourn. et Renzi[14] Sanch.[15] et Pal.[16] cum Gutt. quod si impotentia non fuerit naturalis, sed accidentalis nempe ex maleficio vel ex abscissione, aut alio morbo, tunc in dubio praesumitur praecessisse matrimonium, si allegetur brevi post eius celebrationem: secus vero, si post longum tempus.

1105. « Quaeres quid censendum de matrimoniis quae contrahuntur in partibus haereticis.

» Resp. Circa ea congregatio cardinalium resolvit sequentia: 1. Ubi hoc decretum concilii nondum publicatum est in parochia, v. g. in Saxonia et Anglia, valere matrimonium contractum absque forma praescripta. Publicatio autem decreti facta praesumitur, si id aliquo tempore in parochia tamquam decretum concilii fuit observatum. 2. Haereticus, in quorum parochia dictum decretum fuit publicatum, v. g. in Hollandia, Frisia etc. teneri formam praescriptam servare. Unde consequenter ipsorum matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu contracta, videntur esse nulla; Laym. tamen[17] putat eam non esse mentem summorum pontificum, propter gravissima incommoda inde subsecutura. 3. Si parochia, in qua aliquando decretum fuit observa-

(1) Lib. 3. d. 109. num. 15. (2) Ibid.
(3) L. 7. d. 105. (4) Part. 14. §. 7. n. 3.
(5) De matr. c. 12. n. 156. (6) L. c. (7) N. 5.
(8) T. 4. p. 83. §. 5. (9) Dict. num. 156.
(10) De dispens. in spec. part. 1. c. 14. v. In dubio
(11) T. 2. p. 496. q. 50. (12) Q. 3. p. 15. n. 11
(13) L. c. (14) Locc. ec. (15) N. 6. (16) N. 6
(17) L. 5. t. 10. p. 2. c. 4.

tum, proprio parocho et episcopo careat, nullusque istic sit qui vices episcopi vel parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen, in quibus potest, forma concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Idem est si parochus et episcopus metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubi sit, vel eorum metu absit a dioecesi, et ad neutrum sit tutus accessus (Notandum quod ss. dom. pontifex Bened. XIV. die 4. nov. 1741. declaravit matrimonia haereticorum inter se, non servata forma Tridentini, pro validis habenda esse. Et idem de coniugiis inter catholicos et haereticos. Hoc tamen tantum pro locis in belgico dominio foederatorum ordinum subiectis; et pro militibus ad arces conterminas missis, nullo prolato iudicio pro regionibus principum catholicorum. Vide declarationem pontific. in fine operis).

1106. » Dicitur 14. *Raptave sit*, de quo vide supra in impedimento criminis *n.* 1032. »

1107. Ad incurrendum impedimentum ob crimen raptus tria requiruntur. 1. Ut mulier rapta abducatur de loco ad locum, prout communiter dicunt Sanch. [1] Conc. [2] et Salm. [3] et alii passim; vel etiam de domo in domum per aliquos inde passus distantem, ut aiunt Holzm. [4] et Tamb. [5]. Unde non sufficit quod mulier transferatur de cubiculo in cubiculum eiusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur; sufficit vero si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri, quamvis ibi cum illo rem non habeat, ut Sanch. Conc. et Salm. [6].

Requir. 2. Ut foemina rapiatur tantum causa matrimonii, unde si abducatur ex alia causa, etiam libidinis explendae, non incurritur impedimentum; ita probabilius tenent Sanch. [7] cum Manuel. Vega Dian. etc. Pal. [8] Conc. [9] Holzm.[10] et Salm. [11] cum Con. Dic. Aversa Dian. etc. (contra Bon. Corneio etc. cum Bus. sup. *n.* 1032.). Ratio quia concilium Trid. hoc impedimento non aliud intendit, quam favere libertati matrimonii, de quo tantum agit in *sess.* 24. *c.* 6.

Requir. 3. Ut raptus sit *mulieris*, *ipsa repugnante*. Unde non incurrit impedimentum si mulier rapiat virum, ut communiter Sanch.[12] et Salm.[13] cum Bonac. Gutt. Veracr. Dic. Gabr. etc. Quia concilium tantum de viro raptore mentionem facit. Nec etiam incurritur si fiat raptus, consentiente foemina, licet eius parentes vel tutores repugnent. Quod Busemb. probabile putat, et est commune cum San.[14] Pal. [15] Conc. et Holzm.[16] ac Salm.[17] cum Con. Avers. Per. Dic. etc. Quia aliter, licet incurrantur quidem poenae raptoribus impositae, non contrahitur tamen impedimentum quod concilium indixit tantum favore mulierum, ne coactae nubant.

Nota hic quod ex Tridentino, ut supra, ultra impedimentum, raptor et omnes auxilium ad hoc praebentes, incurrunt excommunicationem ipso iure. Alias vero poenas ibi indictas, ut dotationis mulieris, infamiae, incapacitatis ad dignitatem, et amissionis gradus, nonnisi post sententiam incurrunt, ut Sanch.[18] et Salm.[19] cum Pal. Dic. et Per.

Quaer. 1. an in huiusmodi casu etiam sponsalia sint nulla, sicut matrimonium. Affirmant Sanch.[20] et Salm.[21] cum Bon. Basil. Aversa Dic. etc. Quia (ut dicunt) sponsalia etiam libertatem expetunt sicut matrimonia: lex autem poenalis rite extenditur ubi eadem militat ratio. Sed probabilius contradicunt La Croix [22] Holzm.[23] cum Perez Pichler Weistn. Krimer et aliis; ratio quia sponsalia minorem libertatem requirunt quam matrimonium, eo quod ipsa semper remanent rescindibilia:

(1) L. 7. d. 15. n. 21. (2) P. 549. num. 3. (3) De matr. c. 12. p. 15. n. 148. (4) N. 697. (5) Dec. l. 7. c. 6. §. 2. num. 7. (6) Locc. cc. (7) L. 7. d. 15. n. 4. (8) D. 4. p. 2. §. 2. n. 11. (9) P. 559. n. 2. (10) N. 658. (11) Ib. n. 152.

(12) D. 15. num. 16. (13) Ibid. n. 155. (14) Ib. n. 15. et 14. (15) N. 12. (16) Locc. cc. (17) De matr. c. 12. p. 15. n. 151. (18) L. 7. d. 15. n. 1. (19) Ibid. n. 150. (20) Ib. n. 17. (21) Ibid. num. 154. (22) L. 6. p. 3. n. 54. (23) De matr. c. 8. n. 271.

ergo non currit in eis eadem ratio quae currit in matrimonio, quod nunquam rescindi potest.

1108. Quaer. 2. an si quis rapiat foeminam quam iam desponsaverat de futuro, poenas concilii incurrat. Negant Ledes. et Henr. apud Salm. [1] qui probabilem putant, ex c. *penult. de raptorib.* ubi: *Cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur.* Ex quo refert Henr. apud Sanch. [2] validum esse matrimonium, sive volens sive nolens sponsa abducatur. Affirmant verius tamen Sanch. [3] Pal. [4] Conc. [5] Esc. [6] cum Sa Hurt. Man. Corneio Candido et Leand. ac Salm. [7] cum Aversa Dic. et Gutt. Id enim clare exprimitur in eodem textu mox citato, ubi post verba relata statim subditur: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum; et prius eam desponsaverit quam cognoverit, licet parentes reclamarent.* Unde recte ex eo concludit Sanch. nullum esse matrimonium si foemina invita abducatur, secus si volens, etsi invitis parentibus; et in principio textus non ideo dicitur raptus non intercedere, quia sponsalia praecesserint, sed quia mulier consentiens rapta fuit.

Dub. III. Quando matrimonium invalidum sit revalidandum.

1109. *Quomodo revalidandum matrimonium, si fuit nullum ob consensum fictum vel metu extortum. Quomodo, si ob impedimentum occultum.*

1110. *Qu. 1. An in matrimonio nullo ob impedimentum occultum revalidando, iterum requiratur assistentia parochi et testium.*

1111. *Qu. 2. Quomodo et quando impedimentum censeatur occultum.*

1112. *Qu. 3. An sit revalidandum matrimonium coram parocho et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti erant conscii impedimenti.*

1113. *Qu. 4. An qui ficte contraxit matrimonium, teneatur ex iustitia illud revalidare per verum consensum.*

1114. *Qu. 5. An si quis ficte vel ex metu contraxit, debeat alterum coniugem certiorare de matrimonii nullitate.*

1115. *Qu. 6. An si matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, oporteat ut uterque fiat conscius de nullitate.*

1116. *Quid in casu urgentis necessitatis.*

1117. *Qu. 7. Quotuplici modo possit renovar sive exigi consensus a parte inscia impedimenti.*

1109. « Resp. 1. Si fuit invalidum propter consensum fictum vel metu extortum, sive ex una sive ex utraque parte, potest revalidari per quodcumque signum veri et novi consensus; quia si altera tantum pars ficte contraxit, consensus unius partis habitualiter permansit: ergo accedente alterius consensu revalidatur. Sanch. [8] Con. [9] Nav. Fill. Bon. etc.

Unde resolves:

» 1. Si metus vel defectus consensus fuerit alterius tantum partis, curandum est ut ea saltem novum et liberum consensum eliciat, et externis signis prodat; alteri autem parti non opus est declarari praestari novum consensum ad valorem matrimonii. Sanchez [10] Con. Bon. [11] Merat. [12].

» 2. Si uterque ficte vel coacte consenserit, necesse est ut uterque consensum renovet et verbis exprimat. Quia, cum utriusque consensus plane nullus fuerit, aeque necesse est renovare et declarare, ac si factum numquam fuisset. Merat. [13].

» Resp. 2. Si invalidum fuit propter impedimentum consanguinitatis, verbi gratia, vel aliud simile occultum dirimens, tunc eo per dispensationem vel aliter sublato, atque ita personis ad contrahendum habilitatis, requiritur novus utriusque consensus, signo externo expressus: et quidem, ut probabilius docet Sanch. [14], absolutus et independens ab antiquo. Ratio est quia neutrius consensus antiquus fuit legitimus, cum non caderet in legitimam materiam.

Unde resolves:

» Si in tali casu altera pars sit ignara impedimenti, vel dubitetur an sciat, illa suaviter inducenda est ad novum consensum absolute praestandum, dicendo, v. g.: *Si mihi non nupsisses, nonne modo nuberes?* vel: *Angor scrupulis*

(1) De matr. c. 12. n. 155. (2) L. 3. d. 12. n. 15. (3) L. c. (4) P. 2. §. 2. n. 14. (5) P. 339. n. 4. (6) L. 27. n. 585. (7) L. c. (8) L. 2. d. 32. n. 9. (9) D. 24. d. 10. num. 89. (10) L. c. n. 10. (11) P. 9. (12) D. 7. s. 15. n. 4 (13) L. c. n. 3. (14) L. 3. d. 56

de matrimonii nostri valore; ideoque renovemus consensum. Quod si fiat, sufficere (praesertim si sequatur affectu maritali copula) docet Quint. [1]. Si autem periculum sit ne pars illa impedimentum ignorans detrectet, et scandala gravesque molestiae timeantur, licebit uti sententia contraria, quae docet sufficere ut sola pars impedimenti conscia consensum renovet et alteri declaret. Sanch. [2] Less. [3] Con. [4] et Fill. [5] Diana [6].

» Resp. 3. Ut matrimonium invalidum, quod coram testibus et parocho est celebratum, revalidetur, non opus est denuo coram parocho et testibus iniri, si impedimentum sit occultum, secus si sit notum, quia prius matrimonium praesumptione ecclesiae censetur validum, non autem posterius. Nav. Sanch. [7] Con. [8] Reg. [9] Fill. [10]. »

Hic praenotandum id quod diximus *l. 1. n.* 50. nimirum communem esse dd. sententiam, quod, cum agitur de matrimonio revalidando, propter bonum animarum praesumitur ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter dd. de valore alicuius matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de iure validum esse, modo dubium vertat circa impedimentum ab ecclesia appositum; nam in impedimentis de iure naturali non potest ecclesia dispensare.

1110. Quaer. 1. An ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie ecclesiae iam celebratum, sit iterum revalidandum coram parocho et testibus.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Comit. [11] Conc. [12] et Pont. [13] cum Palac. Gutt. et aliis paucis. Ratio quia assistentia parochi et testium assignatur a Tridentino ut forma, sive ut substantiale requisitum matrimonii forma autem contractus tum adhibenda est, cum contractus celebratur: si igitur primum matrimonium fuit nullum, ergo quando denuo et revera contrahitur, debet forma adhiberi.

Secunda sententia vero probabilior et communis negat, ratio quia concilium praescribendo parochi praesentiam et testium ad valorem matrimonii, merito praesumitur noluisse hunc casum comprehendere; concilium enim per illam praesentiam tantum voluit occurrere peccatis, quae consurgebant ex nuptiis clam celebratis, sed in nostro casu matrimonium iam publice est contractum, et ideo sufficit novum tantum ponere consensum, ita Nav. [14] Natal. ab Alex. [15] Fagn. [16] Hab. [17] Cont. Tourn. [18] Anacl. [19] Card. [20] Spor. [21] Ronc. [22] Boss. [23] Viva [24] Holzm. [25] Auctor *Istr. per li nov. conf.* [26] Sanchez [27] cum Vega Lop. Man. Henr. Philiarch. Rodr. etc. Elbel [28] cum Bosco Corduba Herin. Ills. etc. et Salm. [29] cum Soto Cai. Bon. Con. et Pal. Item ss. p. Bened. XIV. [30] cum Pontas Van-Espen et communi, ut testatur. Et sic statuit atque in praxi constanter deduxit s. poenitentiaria ex oraculo s. Pii v. qui praecise ab illa rogatus de hac re declaravit non esse necessarios parochum et testes, dum rursus contrahitur matrimonium ab iis qui illud publice contraxerunt, si illud fuerit nullum ob occultum impedimentum, ut testantur Cardenas [31] et fere omnes aa. citati cum eodem pont. Benedicto ex Navar., qui officialis fuit praedicti tribunalis. Et ideo quando agitur de matrimonio contrahendo cum impedimento occulto, s. poenitentiaria in dispensando hac utitur formula: *Cum eodem latore, quod matrimonium cum dicta muliere, et uterque inter se publice, servata forma conc. Trident., contrahere possit, mise-*

(1) In append. l. 7. d. ult. (2) L. 2. d. 26. et l. 8. d. 34. n. 61. (3) L. 2. c. 17. (4) D. 24. d. 10. (5) Num. 29. etc. (6) p. 4. t. 4. r. 49.
(7) L. 2. d. 37. (8) D. 24. d. 4. (9) L. 31. n. 185.
(10) N. 95. (11) L. 1. q. 120. n. 3. (12) P. 599. n. 14. (13) L. 5. c. 6. n. 6. (14) Man. c. 22. n. 70.
(15) De matr. art. 13. reg. 17. (16) In c. Is qui idem, de spons. n. 14. (17) De matr. c. 4. in fin.
(18) Tr. de dispens. in spec. part. 1. cap. 12. quaer. 2. r. 2. (19) P. 702. n. 172. (20) In prop. Innoc. XI. d. 2. n. 665. (21) P. 232. n. 455.
(22) P. 179. q. 4. (23) C. 2. n. 56. (24) Q. 2 art. 3. n. 8. (25) N. 699. (26) P. 2. cap. 15. n. 526
(27) L. 2. d. 37. n. 3. (28) P. 456. n. 545.
(29) De matr. c. 3. p. 5. n. 128. et 129.
(30) Notif. 87. n. 62 (31) L. c n. 668.

licorditer dispenses. Quando vero agitur de matrimonio iam publice contracto in facie ecclesiae, utitur his verbis: *Cum eodem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata (sed id caute, ut latoris delictum nusquam detegatur), matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, contrahere valeat, dispenses*. Unde observa quod in primo casu, quia necessaria est praesentia parochi, dicitur *servata forma concilii*. In secundo vero dicitur *secrete ad evitanda scandala*, id est, ut patet, sine parocho et testibus. Et sic etiam pluries declaravit s. c. conc., ut refert idem Bened. [1], qui addit olim rotam rom. de hoc aliquando dubitasse, sed postquam fuit admonita a praefecto ipsius s. c. quod eius declarat. innixae essent stylo s. poenitentiariae et s. Pii v. oraculo, deinceps ipsam rotam in pluribus decisionibus constanter hanc sententiam secutam fuisse.

Obiicit Pontius [2] oraculum Clement. VIII. quod in extensum refert [3] narrans quod, cum quaedam mulier ex metu cuidam nupsisset, per Stephanum Tucium ad petitionem Pauli Comitoli consultus fuit Clemens VIII. qui respondit necessarium esse consensum utriusque coram parocho et testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate, sed ad evitandum scandalum se dispensare ut secreto inter se contrahant, renovato consensu. Sed aa. nostrae sententiae, et praesertim Salm. Ronc. Sporer Holzman Boss. et Elb. multipliciter respondent, et 1. quod illud impedimentum, licet occultum, cum tamen ortum habuerit ex metu incusso, erat obnoxium periculo publicationis aut deductionis ad forum. 2. Quod pontifex vel respondit tamquam doctor privatus, vel sententiam tutiorem est secutus. 3. Quod de praefato oraculo non satis constet, prout constat de oraculo s. Pii v. quod apparet comprobatum tot declarationibus s. c., decisionibus rotae rom. et praxi constanti s. poenitentiariae. Ad rationem autem appositae sententiae respondetur quod concilium vult assistentiam parochi et testium ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem matrimonium prius contractum iam externe reputatur validum, cessat ratio cur praedicta assistentia denuo requiratur.

1111. Quaer. 2. Quomodo et quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in litteris s. poenitentiariae dicitur: *Dummodo impedimentum occultum sit*. Nav. [4] loquendo de censuris cum Glossa in *c. Quis aliquando* §. *Haec ergo, de poenit. d.* 1. *v. Secreta*, dicit esse occultum, quando factum fuit in praesentia quinque personarum, *quia* (ut ait Nav.) *non est de occulti essentia quod sua natura non sit probabile, qualia sunt mentalia*. Unde concludit quod ut aliquod crimen dicatur occultum, sufficit non esse publicum maiori parti oppidi, viciniae vel collegii, ubi saltem immorentur decem personae, et idem sentiunt Suar. [5] Azor. [6] Tol. [7] Mol. [8] *Vide dicta n.* 593. *v. Hinc autem*. Bene tamen advertit Fagnan. [9] hanc doctrinam, scil. quod factum sit notum maiori parti parochiae, intelligendam esse cum grano salis; nam si in parochia essent mille personae, perperam diceretur occultum factum illud quod sciunt quadringenti vel quingenti. In nostro autem casu dicit Sanch. [10] cum Henriq. et Man., quod si impedimentum possit per duos testes probari, illud amplius non potest dici occultum, etiamsi non sit periculum quod ad forum deferatur, quia tunc sequerentur eadem inconvenientia quae olim sequebantur ex matrimonio clandestino; nam, probato impedimento, post contractum matrimonium posset alter coniux alias nuptias inire. Sed melius et communissime dicunt alii, ut Sporer [11] cum communi, et Croix [12]

(1) L. c. (2) L. c. (3) Lib. 4. c. 24. n. 4. (4) C. 27. n. 255. (5) De censur. d. 41. sess. 5. n. 6. (6) L. 8. c. 10. q. 9. (7) L. 1 c. 80. num. 5. (8) De iust. tr. 3. d. 39. n. 8. (9) In c. Vestra, de cohab. cler n. 117. (10) Lib. 2. d. 37. n. 11. (11) P. 352. n. 462. (12) L. 6. p. 5. n. 815.

cum Layman Hurt. et Reb., id tantum procedere quando prudens adest periculum, quod res sit deferenda ad forum externum, et idem Sanchez videtur se retractasse [1], dum explicando ex Nav.[2] praefatam clausulam s. poen., *Dummodo impedimentum occultum sit*, dicit cum Lop. et Manuel. illud dici occultum, quod non est publicum maiori parti parochiae, viciniae vel collegii. Unde recte concludit ss. p. Ben. XIV. [3] cum Tiburtio Navar. et Thesauro, tunc confessario abstinendum esse ab exequenda dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter coniicere potest impedimentum ex occulto posse fieri publicum. Caeterum ait cum eisdem aa. et Sayro, impedimentum per se dici occultum si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum. Testatur autem Fagn. [4] s. poenitentiariam servare hanc praxim: quando crimen est notum tantum quatuor vel quinque personis, dispensat in eo tamquam occulto; sed ego scio s. poenitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis noto decem circiter personis. Advertit vero idem Fagn. [5] hoc intelligi quando a s. poenitentiaria dicitur in clausula simpliciter *occultum*, secus si dicatur *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis, quia tunc merito ait non dici occultum crimen quod potest per duos testes probari. E converso notat praefatus Benedict. [6] cum de Leone Bonac. Tib. Navar. Girib. et pluribus aliis, quod aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit viciniae, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc etiam potest impetrari dispensatio a s. poenitentiaria.

1112. Quaer. 3. An matrimonium sit revalidandum coram parocho et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti conscii fuerint impedimenti. Affirmat Sanchez [7] cum Henriq. Led. et aliis, quia (ut ait) tunc fuerunt testes non valoris, sed potius nullitatis talis matrimonii, et idem sentit Croix [8] cum Aversa et Kugler, etiamsi tantum unus ex testibus impedimentum noverit. Negant vero Coninch. [9] et Tambur. [10], item Gob. et alii apud Croix [11], quia assistentia parochi et testium fuit praescripta a Tridentino, non tam ad testandam validitatem matrimonii, quae multipliciter eis potest esse ignota, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem coniuges alias nuptias ineant. Utraque sententia est probabilis, sed secunda videtur probabilior; concilium enim [12] requirendo assistentiam parochi, et testium, iam causam exprimit, ne quis fraudulenter plura contrahat coniugia, et minime indicat velle amplius ut testes certiorentur de matrimonii valore, et cur? *quia* (ut aiunt Salm.[13]) *ecclesia non adducit testes ad probandum valorem matrimonii, sed celebrationem illius externam.*

1113. Quaerit. 4. An qui ficte contraxit matrimonium, teneatur denique ex iustitia illud revalidare per verum consensum. Affirmant Pal.[14] Pontius [15] Conc.[16] et Salm.[17] cum Soto Trull. et Aversa. Ratio quia alter iam tradidit corpus per suum consensum, unde, ut servetur aequalitas, tenetur ficte consentiens etiam per verum consensum corpus suum tradere. Negant vero probabilius Sanch.[18] cum Nav. Soto Angl. Henr. Man. et Arrag., item Gutt. Hurt. Vill. apud Salm. [19] et probabile putat Pal.[20]. Ratio quia, cum contractus matrimonii non possit claudicare, quando unus ficte consentit, nulla adest traditio alterius, et ideo nulla remanet inaequalitas; ille enim qui verum apposuit consensum, aeque liber remanet ac si nullum consensum apposuerit.

(1) L. 3. q. 34. n. 55. (2) C. 27. n. 154. et 155.
(3) Not. 87. n. 45. (4) Loc. cit. n. 118.
(5) N. 120. (6) N. 42. (7) Lib. 8. d. 73. n. 10.
(8) Num. 815. (9) D. 24. dub. 10. n. 84.
(10) De matr. l. 3. c. 7. §. 3. n. 10. (11) Ibid.
(12) Sess. 24. c. 1. (13) De matr. c. 3. p. 5. n. 129. prope fin. (14) D. 3. p. 7. §. 1. n. 5.
(15) L. 8. c. 5. n. 3. (16) P. 585. num. 6.
(17) Ibid. num. 114. (18) L. 1. d. 11. n. 5.
(19) Ibid. n. 113 (20) Num. 9.

Omnes tamen conveniunt teneri ficte consentientem revalidare matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata.

1114. Quaer. 5. An si unus ficte vel ex metu contraxit matrimonium debeat certiorem facere alterum coniugem de matrimonii nullitate, si postea velit illud revalidare.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pont. [1] cum Comit., item Pal. et Hurt. apud Salm. [2] ac probabilem putat Less. [3]. Ratio quia, cum nullus eo casu fuerit contractus, deficiente consensu metum passi vel ficte consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius; consensus autem qui ab initio fuit nullus, tractu temporis convalescere non potest.

Secunda sententia tamen communis et verior docet sufficere quod tantum ficte consentiens vel metum passus suum ponat consensum, et hanc tenent Less. [4] Nav. [5] cum Host. et Io. Andr. s. Anton. [6] Contin. Tournely [7] Boss. [8] Ronc. [9] cum Laym. Bonac.[10] Sanch.[11] cum s. Bonav. Palud. Sylv. Ang. Armilla Tab. p. Soto Lop. etc. et Salm.[12] cum Soto Con. Trull. Hanc sententiam expresse tenet etiam d. Thomas [13] qui dicit: *Ex consensu libero illius qui primo coactus est non fit matrimonium, nisi in quantum consensus praecedens in altero adhuc manet in suo vigore, unde si dissentiret non fieret matrimonium.* Ergo, perseverante consensu alterius, sufficit si coactus liberum ponat consensum. Probatur ex *c. Insuper 4. qui matr. accus. etc.* ubi in summario sic habetur: *Invita desponsata postea sponte cognita, contra matrimonium non auditur.* Idem habetur in *c. Proposuit, de eo qui dux.*, ubi dicitur quod cum quidam vir ignorans servam duxisset, *postquam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit;* unde compulsus fuit, *ut eam sicut uxorem pertractet.* Idem ex *c. Ad id*, 21. *de sponsal.* ubi: *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Ergo sufficit consensus partis metum passae vel ficte consentientis, expressus per copulam coniugalem vel per cohabitationem, una cum consensu alterius prius dato, ad faciendum validum matrimonium. Ut autem metum passus legitimum ponat consensum, requiritur quidem ut sciat primum matrimonium invalide fuisse initum, prout bene advertunt Sanch.[14] Nav.[15] et Cont. Tourn.[16] cum Sylv. et Pirhing. Ratio autem nostrae sententiae est quia certum est quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius. In nostro autem casu ideo matrimonium fuit nullum quia defuit consensus metum passi vel ficte consentientis, ergo cum iam praecesserit verus consensus alterius, et virtualiter perseveret per cohabitationem etc., *ut infra n. seq.*, satis est quod accedat consensus istius metum passi, vel ficte consentientis, expressus aut per verba aut per signa, nempe per copulam maritalem aut voluntariam cohabitationem, ut docet Sanch.[17] cum s. Thom. s. Bon. Palud. etc. utque patet ex testibus supra citatis. Nec valet dicere quod consensus alterius qui liber fuit a metu vel fictione fuit nullus, cum nullus adfuerit contractus; nam respondetur, quod licet contractus fuerit nullus, et consensus illius non habuerit effectum, tamen fuit verus consensus, et ideo cum ipse moraliter perseveret, satis est ad revalidandum matrimonium, quando accedit consensus alterius qui ficte consensit, pariter ac si iste distu

(1) L. 4. c. 24. n. 3. (2) Ibid. num. 117.
(3) L. 2. c. 17. n. 72. (4) L. 2. cap. 17. n. 72. et cap. 45. num. 67. (5) Cap. 22. num. 80.
(6) 3. p. tit. 1. c. 7. ad med. (7) De dispens. in spec. part. 1. cap. 7. v. Circa dubium.
(8) De contr. matr. c. 19. n. 383. et c. 2. n. 36.
(9) P. 179. q. 3. (10) Q. 1. p. 9. num. 1.
(11) L. 2. d. 31. n. 9. (12) De matr. c. 3. p. 5 num. 118. (13) Suppl. q. 47. art. 4. ad 2.
(14) L. 2. d. 36. n. 3. (15) C. 22. num. 56.
(16) L. c. v. Tertia conditio. (17) L. 4 d. 18. n. 2

lisset suum dare consensum, et postea iam praestasset.

Neque obstat, ait p. Cuniliati [1], timor ne pars quae liberum consensum praestitit, si rursus esset requisita de novo consensu forte illum negaret, nam hic interpretativus dissensus non est verus dissensus, sed interim consensus olim impertitus iam perseverat. Quidquid autem opponatur in contrarium, ego non video quomodo possit responderi ad canones supra relatos, et praesertim ad secundum in *c. Ad id, de spons.* ubi casus fuit quod puella quaedam, cum prius nuptias contraxisset sine suo consensu interno, et deinde cum illas ideo invalidas censuisset, ad secundum transierat coniugium, sed quia per longum tempus cum primo viro cohabitaverat, pontifex praecepit ipsam cogendam ad primas nuptias redire, dum praesumebatur quod per illam cohabitationem iam suum consensum praestiterit: *Quamvis ab initio* (repetamus verba textus) *invita fuisset ei tradita, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Papa igitur pro vera non habuit rationem primae sententiae, scil. quod consensus libere datus a viro esset eo casu per se invalidus, tamquam cadens supra materiam inhabilem, sed potius pro vero iudicavit quod ille viri consensus, moraliter perseverans et deinde coniunctus cum consensu a muliere per suam cohabitationem praestito, iam primum matrimonium convalidasset, et ideo iussit quod mulier ad illud redire tenetur. Obiicitur a Pontio declaratio Clementis VIII., sed illi respondetur ab auctoribus nostrae sententiae, sicut responsum est supra *n.* 1110. *v. Obiicit Pontius etc.*

1115. Quaer. 6. An, quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut ablato impedimento uterque coniux fiat conscius de nullitate matrimonii.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Pont. [2] Pal. [3] Boss. [4] Less. [5] Nav. [6] cum Sylv. et Cov. ac Sanch. [7] cum d. Th. Scot. Cai. Abul. Palac. etc. Ratio quia hoc matrimonium non potest fieri validum neque per primum neque per secundum consensum praestitum post dispensationem; non per primum, quia quod fuit nullum ab initio, tractu temporis validari non potest, non per secundum, quia hic novus consensus non est validus, nisi fiat animo contrahendi illo tunc matrimonium, et hunc animum non habet qui nescit matrimonium prius contractum esse nullum: vir enim qui tunc consentit ignorans nullitatem, consentit quidem cum errore, putans consentire in uxorem iam suam; ergo cum erret in substantia, consensus minime valet.

Secunda sententia verò, quam tenent Salm. [8] cum Sot. Led. Rod. et Henr., item Palaus Ang. Gabr. et alii plures apud Boss. [9] dicit non esse opus ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate matrimonii, sed sufficere quod, ablato impedimento, pars, quae conscia est de illo, consensum ab altera accipiat. Probatur 1. ex decisione 687. rotae rom. apud Farin. edita auctoritate apostolica, eam refert Bossius [10] ubi sic dictum fuit: *Vobiscum quod, impedimentis consanguinitatis non obstantibus, in vestro sic contracto matrimonio remanere, seu illud publice, servata formâ concilii, de novo contrahere libere et licite valeatis, auctoritate apostolica dispensamus.* Probatur 2. ratione quia prior consensus, licet suo effectu caruerit ob impedimentum a iure positivo appositum, tamen de iure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus erga personam de iure naturae habilem ad contrahendum, ut sapienter considerat Ben. XIV. [11]. Unde fit quod, cum removetur impedimentum per dispensationem, perseverante ex una parte

(1) De matr. §. 29. n. 2. et 3.
(2) L. 4. c. 24. n. 2. (3) P. 7. §. 1. n. 3
(4) T. 1. c. 2. n. 71. et c. 2. n. 556.
(5) L. 2 c. 17. n. 76. (6) C. 27. n. 44.
(7) L. 2. d. 33. n. 2. (8) De matr. c. 3. p. 5. n. 1[illegible]
(9) D. c. 2. n. 72. (10) T. 1. c. 10. n. 312.
(11) Nos. 87 n. 59.

primo consensu coniugis ignorantis impedimentum virtualiter per usum matrimonii, nempe per copulam coniugalem, cohabitationem voluntariam et alia signa externa, quae ex primo consensu procedunt, et accedente ex altera parte consensu interno coniugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia externa signa, tunc consensus utriusque moraliter uniuntur et matrimonium convalidant. Ac propterea dicunt Abbas Gonz. Felin. etc. apud Bossium [1] posse papam dispensare in matrimonio nullo a novo consensu praestando. Et de facto per Clementem XI. ex brevi edito die 2. apr. 1701. (ut refert) quaedam matrimonia nulliter contracta a quibusdam populis Indiarum, vocatis *Pucueles* et *Quartarones*, fuerunt sine novo consensu convalidata. In hac autem re (quidquid dixerimus in prima editione) maxime notandum id quod declaravit Ben. XIV. in constitutione emanata die 27. sept. 1755. *Etsi matrimonialis*, ibi cum accidisset casus quod quidam vir, qui bona fide sed invalide matrimonium contraxerat ob impedimentum occultum consanguinitatis, petebat illud convalidare, non tamen certiorata uxore, propter scandalum separationis quod timebatur, pontifex petitioni indulsit, eodemque tempore (*vide ibi* §. 7.) declaravit quod casu quo impedimentum oritur, non a lege naturali aut divina (prout esset cum praestatur consensus vivente altero coniuge, aut cum persona servilis conditionis ignotae), sed provenit a lege ecclesiastica, tunc bene potest papa dispensare ut matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum, habendo pro valido consensum praestitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Haec verba pontificis: *Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a romanis pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente, non a iure divino aut naturali, sed a iure ecclesiastico, et per eam non fit ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.* Caeterum, ubi non suppetit huiusmodi specialis dispensatio pontificis, non discedendum a prima sententia, maxime quia in litteris s. poenitentiariae in dispensationibus ad huiusmodi matrimonia reconvalidanda apponitur sequens clausula: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* Licet enim dicant Sanch. [2] et Bonac. [3] ac Tiburt. Nav. [4] praefatam clausulam non apponi ut conditionem, sed ut simplicem instructionem, quia alias dicta conditio saepe frustraretur, item quia clausulae quae apponuntur ut conditiones, aliis strictioribus verbis apponuntur, attamen probabilius docet Bened. [5] illam esse veram conditionem, eo quod ablativus absolutus iuxta iurisperitos veram importat conditionem ex *l. A testatore, ff. de condit. demonst.*

1116. Dixi *extra casum urgentis necessitatis*, nam si ex notitia nullitatis matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiae aut scandali ex separatione secuturi: et ex alia coniux impedimenti conscius non posset evitare redditionem debiti, tunc bene potest uti secunda sententia tanquam probabili, quia eo casu ratione necessitatis etiam cum periculo frustrationis sacramenti licitum est sequi opinionem tantum probabilem, ut comm. docent Sanch. [6] Cont. Tourn. [7] Carden. [8] Less. [9] Holzm. [10] Bonac. [11] Boss. [12] cum

(1) T. 1. c. 5. n. 92. (2) L. 8. d. 34. n. 61.
(3) Q. 2. p. 9. n. 8. (4) In man. etc. (5) Dict. Dif. 87. n. 63. (6) L. 2 d. 56. n. 7. et 8.
7) Tract. cit. part. 1. c. 12 in fin. v. Si autem.
(8) In proposit. Innoc. XI. d. 2. n. 631. et 697.
(9) L. 2. c. 17. n. 77. (10) P. 417 n. 697
(11) Qu. 2. part. 9. num. 7.
(12) Tom 1. c. 2. num. 73.

Con. et Filliuc. ac Elbel [1] cum Layman Sporer Croix et communi. Imo (ut dicunt Sanch. Viva Carden. Croix et alii relati *num.* 482. *v. Sed dices*) in casu extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti opinione etiam tenuiter probabili, quia id quod esset indecens erga sacramentum, non est indecens quando necessitas et bonum animae urget. Bene tamen advertit Sanchez [2] quod tale scandalum, cum impedimentum est ex parte viri, ordinarie non potest timeri.

1117. Quaer. 7. Quotuplici modo possit renovari sive exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam dispensationem. Plures ab aa. assignantur modi. Primus modus, si dicat sponsus: *Quando nupsi non habui verum consensum, nunc praestare volo, vis et tu praestare?* Hunc modum communiter admittunt dd. et recte quidem, ac sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus; ita Sanch. [3] Carden. [4] et Holzm. [5]. Secundus modus, si dicat: *Dic, quaeso, si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne iterum me accipere intendis?* Ita Sanchez [6] Salm. [7] cum Con. Sa et Dic. Ronc. [8] cum Gobato, item Sylv. et Rosella apud Boss.[9], quia tunc iam aequivalenter manifestatur. Huic tamen modo contradicunt Pont.[10] et Bossius [11] cum Henr. Gutt. et Fill., quia (ut aiunt) tunc sponsa consentiendo intendit consentire in suum, ignorantia enim concomitans non efficit voluntarium positive, et ideo tunc non apponitur consensus, ut requiritur independens a primo. Haec sententia est mihi verior, nisi (exciperem) ex illa petitione ut supra sponsa inscia impedimenti iam veniret in dubium vel suspicionem de nullitate matrimonii, tunc enim iam poneret consensum a primo independentem. Tertius modus, si sponsus dicat: *Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum.* Ita Busemb. ut supra, Salm.[12] cum Trull., item Navarr. et Caiet. ap. Cont. Tournely [13], qui immerito hunc modum non admittit, ipse enim satis est (prout mihi certum videtur), ut sponsa ponat consensum independentem a primo, nec obstat quod illa hoc modo non haberet notitiam certam nullitatis matrimonii, nam ut novus consensus valeat non indiget ut apponatur ex notitia certa nullitatis, sed tantum ut praestetur independenter a primo consensu. Quartus modus: *Si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc?* Ita Busemb. et Salmant.[14] cum aliis. Sed hic modus minime est admittendus, quia in hoc modo revera non adest positivus consensus. Quintus modus: *Pro mea consolatione volo de novo contrahere, eia contrahamus.* Ita Anaclet.[15] Sanchez [16] et Salmant.[17] cum Caiet. et Led. Sed hunc iure merito neque admittit Continuat. Tournely [18], quia per hunc nulla ingeritur in alterum notitia, nec dubium de nullitate primi matrimonii. Sextus modus, si accedat copula maritali affectu habita ex parte coniugis conscii impedimenti per dispensationem iam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum, nam ex altera parte inscia impedimenti iam exercetur copula eo affectu ex primo consensu praestito, usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret, quando non esset locus modis supra enuntiatis, et insuper immineret periculum gravis damni, ita Sanch. [19] Tiburt. Nav.[20] Cont. Tourn.[21] Bonacina [22] Auctor. *Instr. per li nov. conf.*[23] Viva [24] Salm.[25] cum Soto Caiet. Con. Gutt. et Rodr., item Sayro de Leone et Giribald. ap. Bened XIV.[26] qui non reprobat. Neque tunc obstat clausula certiorationis quae apponitur a s. poenitentiaria, quia (ut ait Tiburt.

(1) P. 455. n. 344. (2) Dict. n. 7. (3) Lib. 2. d. 36. n. 7. (4) In prop. 1. Innoc. XI. diss. 2. n. 680. (5) N. 697. (6) N. 3. et 6. (7) De matr. c. 3. p. 5. n. 124. (8) P. 178. part. 2. r. 2. (9) De us. c. 3. n. 83. (10) L. 4. c. 25. n. 7. (11) L. c. (12) De matr. c. 3. n. 8 n. 104. (13) Loc. cit. v. Quoniam. (14) L. c. (15) C. 3. p. 703. n. 174. (16) L. 4. d. 36. n. 3. (17) Cit. num. 124. (18) L. c. (19) L. 2. d. 36. num. 9. (20) In man. ad prax. p. 2. (21) L. c. v. Quintus (22) Q. 2. p. 9. n. 7. (23) P. 2. c. 15. n. 526. (24) Q. 4. art. 3. n. 8. (25) Ibid. n. 125.

Navar. ap Bened.) in hoc casu necessitatis censetur s. sedes relaxare praefatam conditionem, providendo meliori modo quo potest bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit (ut ostendimus *n.* 1114.) sufficere consensum partis consciae impedimenti expressum per copulam coniugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante.

Dub. IV. A quo et ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonii.

1118. *In quibus impedimentis papa possit dispensare.*
1119. *An papa possit unquam dispensare in iis quae sunt de iure divino.*
1120. *An aliquando in impedimentis de iure naturae.*
1121. *An possit episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus.*
1122. *Qu. 1. An possit, urgente necessitate, dispensare in eis ante matrimonium contractum.*
1123. *Qu. 2. An post contractum.*
1124. *Qu. 3. An tunc requiratur ut matrimonium sit contractum bona fide.*
1125. *Qu. 4. An episcopus possit hanc facultatem alteri delegare.*
1126. *Episcopi possunt dispensare in omnibus impedimentis quae impediunt matrimonium de iure humano, vel quae matrimonio superveniunt.*
1127. *An regulares possint dispensare ad petendum debitum.*
1128. *An ipsimet possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium urgente necessitate.*
1129. *Quae sint causae iustae ad dispensandum in impedimentis dirimentibus.*
1130. *Adduntur aliae causae sufficientes. An sufficiat subministratio maioris pecuniae.*
1131. *Not. 1. Quid explicandum ut dispensatio non sit subreptitia. Not. 2. Veritas causarum pertinet ad valorem dispensationis.*
1132. *Qu. 1. An cessante causa cesset dispensatio.*
1133. *Qu. 2. Quid in dubio an causa falso allegata fuerit finalis vel an allegata fuerit vera.*
1134. *Qu. 3. An in supplicatione exprimendum sit copulam incestuosam habitam fuisse cum intentione facilius obtinendi dispensationem.*
1135. *Quid, si copula non fuerit ex tali intentione praehabita.*
1136. *Qu. 4. An possit manifestari gradus remotior, tacito propinquiori.*
1137. *Qu. 5. An petens secundam dispensationem debeat exprimere primam.*
1138. *Qu. 6. An si quis habeat plura impedimenta eiusdem speciei, debeat omnia exprimere.*
1139. *Qu. 7. An possint seorsim impetrari dispensationes plurium impedimentorum.*
1140. *Qu. 8. An si quis post obtentam dispensationem rursus cognoverit consanguineam sponsae, indigeat nova dispensatione.*
1141. *Qu. 9. An, interveniente copula incestuosa inter sponsos, antequam dispensatio executioni mandetur, nova dispensatio requiratur.*
1142. *Qu. 10. An si contrahentes sint diversae dioecesis, unusquisque a proprio episcopo sit dispensandus.*
1143. *Qu. 11. Quae sint clausulae in dispensationibus s. poenitentiariae.*
1144. *Qu. 12. In quibus impedimentis s. poenitentiaria possit dispensare.*
1145. *Not. 1. Ad dispensationis valorem non requiritur consensus eius cui prodest.*
1146. *Not. 2. Quid exprimendum quando dispensatio petitur a dataria et quid quando a s. poenitentiaria.*
1147. *Formula supplicationis ad s. poenitentiariam pro impetranda dispensatione impedimenti vel voti castitatis, ad celebrandum aut revalidandum matrimonium.*
1148. *Formula exequendi huiusmodi dispensationes.*

1118. « Resp. 1. Papa non potest dispensare in impedimentis iure naturae vel divino dirimentibus, nisi ex speciali concessione: in iis vero, quae iure ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris est quia inferior non dispensat in lege superioris, nec homo in lege naturae. Addidi, nisi ex speciali concessione, quia sic pontifex (non tamen episcopus) potest matrimonium ratum dissolvere ex iusta causa. Sanch. Less. Praep. [1] Diana [2]. Ratio posterioris est, quia pontifex talia impedimenta inducit: ergo etiam potest tollere, et quidem solus. »

1119. Quaeritur an papa possit aliquando dispensare in impedimentis de iure divino. Ad huius quaesiti decisionem praemittenda est decisio quaestionis generalis, scilicet an papa in rebus iuris divini possit unquam dispensare. In iis in quibus ius divinum ortum habet a voluntate humana, prout in votis et iuramentis, certum est apud omnes habere papam facultatem dispensandi, tunc enim, licet ipse non auferat ius divinum, aufert tamen fundamentum obligationis quam homo sibi imposuit actu humano: quo sublato

(1) Q. 5. c. 8.

(2) P. 8. t. 1. r. 52. et 95.

cessat iuris divini obligatio; vide Sanchez[1] qui asserit id esse commune cum d. Thom. et aliis. Maius dubium est an papa possit dispensare in iure divino quod ex solo divino arbitrio derivat. Triplex est sententia.

Prima sententia generice affirmat et hanc tenent Abbas et duo alii ap. Sanchez[2] qui merito eam reiicit.

Secunda sententia quam tenent Sanchez[3] cum Navar. Cano Ang. Felin. et aliis pluribus, dicit papam non posse dispensare in universum ius divinum, sed tantum in aliquo casu particulari, in quo non expediat observantia praecepti. Unde infert, nullo casu posse dispensare in praeceptis non fornicandi, non mutandi materiam et formam sacramentorum et similibus; quia transgressio in his continet omnimodam indecentiam quae praeponderat cuicumque causae, posse vero dispensare in residentia episcoporum, in matrimonio rato, in consecratione eucharistiae sub utraque specie (sed hoc nos negavimus *de euchar. l.* 6. *n.* 196. *v. Dub.* 2.), et similibus aliis, quia in istis potest iusta causa occurrere, quae praeponderet indecentiae, quam praeceptum respexit.

Tertia sententia demum communior et probabilior dicit nunquam posse papam dispensare in iis quae sunt de absoluto iure divino, hanc tenent Pont.[4] Suar.[5] et Pal.[6] cum Salas Covar. et Sylv. ex d. Thom.[7] qui ait: *Sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille a quo lex auctoritatem habet... ita in praeceptis iuris divini quae sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is cui ipse specialiter committeret.* Haec autem specialis commissio (recte ait Pal.) non quidem habetur ex verbis illis: *Quodcumque ligaveris super terram*, vel illis: *Pasce oves meas:* haec enim verba, cum generalia sint, non continent specialem commissionem: tanto magis quod huiusmodi dispensationes in iure divino essent nocivae unitati et stabilitati ecclesiae. Valde autem probabiliter dicunt Suarez[3], item Sot. Palac. Suar. Valent. Durand. Maior. Nav. Con. et alii plures ap. Sanchez posse pontificem in aliquo casu particulari non dispensare, sed declarare, quod ius divinum non obliget. Ratio quia haec potestas fuit necessaria propter humanarum rerum varietatem, alias Deus bono regimini ecclesiae non satis providisset.

1120. Deveniendo igitur ad quaesitum circa matrimonium, dico 1. papam non posse dispensare in impedimentis de iure naturae contra Vivam[9] et Carden.[10]. Nec obstat responsum Urbani VIII. quod obiiciunt (illudque retulimus *n.* 902.), nam patet ex iis quae refert idem Cardenas[11] illam non fuisse dispensationem, sed meram declarationem pro illo casu particulari. Dico 2. bene posse papam in aliquo casu urgentissimae necessitatis declarare esse validum matrimonium, non obstante impedimento quod probabiliter de iure naturae illi obstet, prout de facto declaravit Clemens XI., prout vidimus *n.* 1115. Nec obstat id quod ait Sanchez[12] scilicet posse papam in huiusmodi impedimentis dubiis neque dispensare neque declarare quod ipsa non obstent valori matrimonii, quia (ut dicit) si haec via aperiretur, facile possent concedi in ecclesia istae dispensationes sive declarationes, et sic accidere possent plures fornicationes materiales. Nam respondetur quod cum papa in huiusmodi casibus declarat impedimentum non obstare, tunc agat ut universalis doctor ecclesiae, in quo errare non potest, et oppositum asserere non posset excusari a magna temeritate, ut enim ait Bened. XIV.[13]: *De pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est.*

1121. « Episcopus in impedimentis dirimentibus matrimonium iam contractum non potest ordinario iure dispensare, nisi ex tacita concessione in ca-

(1) L. 8. d. 6. n. 2. (2) N. 3. (3) N. 5.
(4) Lib. 8. c. 3. n. 2. (5) L. 10. c. 6. n. 6.
(6) T. 1. tr. 3. de leg. d. 6. p. 3. n. 5. et 6.
(7) 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.
(8) De euch. d. 43. s. 4. v. Tertia sententia.
(9) In prop. 1. damn. ab Innoc. XI. num. 39.
(10) In eamd. prop. 1. d. 3. n. 591. (11) Ib.
(12) L. 8. d. 6. n. 10. (13) De syn. c. 6.

su necessitatis, quando sequentia concurrunt: 1. Ut defectus sit dispensabilis. 2. Ut sit occultus, id est non sit notorius seu divulgatus. 3. Ut ex altera parte saltem matrimonium bona fide sit contractum. 4. Ut non sit facilis accessus ad papam, ita communiter Sanch. Con. M. Per. [1]. Quando autem contractum est ex dispensatione subreptitia, non potest episcopus sua dispensatione priorem confirmare. Diana [2] ex Praep. Per. etc. In impedimentis vero dirimentibus matrimonium nondum contractum videtur nunquam posse, imo nec legatus a latere, nisi speciali facultate. Laym. [3] Bon. [4] etc. Contra quos Diana [5] cum Praep. Villal. et Escob. [6] putat episcopum id posse aliquando in casu raro, ex causa maxime urgente, si, omnibus tentatis, iudicetur necessarium esse ad vitandam gravem infamiam vel grave scandalum, cui aliter occurri non posset, idque ex tacita papae licentia. »

1122. Quaer. 1. An episcopus possit dispensare in aliquo impedimento dirimente ante matrimonium contractum, urgente necessitate. *Vide dicta hoc l.* 6. *n.* 613. *v. Sed hic*, ubi affirmativam sententiam tenuimus cum communi dd. (contra Bus. ut supra), dummodo vera urgeat necessitas, puta si alias immineat periculum mortis, vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles, vel ad vitandam foeminae infamiam aut alia damna, vel si mulier nobilis (ut aiunt Salm. [7] sive honesta, licet non nobilis, ut melius dicit Conc. [8]) parata esset nuptias tali die contrahere, et in confessione manifestaret impedimentum. Ratio, tum quia eo casu vel praesumitur ipse papa dispensare vel omnino cessat reservatio, exemplo in *c.* 2. *de desp. impub.* ubi: *Districtius inhibemus ne aliqui ante aetatem canonibus praescriptam coniungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Quod verbum *toleretur* Pont. [9] et Salmant. [10] interpretantur pro vera dispensatione, dicentes hanc tolerantiam non esse permissionis sed approbationis. Addit Ronc. [11] cum Pignat. et Tambur. quod, etiamsi impedimentum fuerit publicum, possit episcopus dispensare, quando eaedem interveniunt rationes quae sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. Sed hanc opinionem vix unquam puto posse habere locum in praxi, quia cum impedimentum est publicum cessat ratio scandali, si sponsi a tali matrimonio desistunt, imo praesertim ad vitandum scandalum tenentur a nuptiis desistere.

1123. Quaer. 2. An episcopus possit aliquando dispensare in impedimento dirimente post contractum matrimonium. Negant Sot. Cord. Med. et Ven. apud Sanch. [12] quia (ut aiunt) episcopi nihil possunt in lege pontificis. Affirmant vero communiter dd. casu quo non pateat facilis aditus ad papam, et contra immineat periculum mortis vel infamiae aut scandali, si coniuges separentur, vel incontinentiae, si non separentur, ita Cabass. [13] Merb. [14] Natal. Alex. [15] Cont. Tourn. [16] Concina [17] cum communi, Pal. [18] Bonac. [19] Barb. [20] Sanchez [21] cum Abb. Gutt. Gom. etc. Salmant. [22] cum Con. Aversa Corneio et Henr. ac Escob. [23] cum Nav. Vasquez Hurt. Salas etc. Ratio quia hoc casu, pariter ac dictum est in prima quaestione, praesumitur papa consentire, maxime cum ipse iam notam habeat hanc sententiam communiter ab aa. traditam. Bene autem advertunt Croix [24] et Fel. Pot. [25] quod si dispensatio commode possit per epistolam obtineri a s. poenitentiaria, tunc non potest episcopus dispensare, quamvis (ut dicit

(1) D. 4. s. 7. (2) P. 9. t. 7. r. 40.
(3) L. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. et l. 1. t. 4. c. 22.
(4) Q. 3. p. 15. (5) P. 8. t. 3. res. 230
(6) De leg. c. 14. c. 4. (7) De matr. c. 14. p. 1. n. 11. (8) P. 545. n. 5. (9) L. 8. c. 15. n. 6.
(10) D. num. 11. (11) P. 191. q. 1. r. 2.
(12) L. 2. d. 40 n. 2. (13) T. 1. l. 3. c. 27. n. 7.
(14) T. 2. p. 464. q. 5. (15) De matr. a. 13. reg. 10
(16) Tr. de dispens. in spec. part. 1. c. 17. art. 3. regula 2. (17) P. 545. n. 4. (18) D. 4. p. ult. §. 1. n. 7. (19) Q. 3. p. 12. n. 15. (20) All. 55. n. 5.
(21) L. 2. d. 42. num. 3. (22) Ibid. n. 7.
(23) L. 27. n. 682. (24) L. 7. n. 145.
(25) Num. 3545.

Croix [1]) plures fornicationes materiales interim habeantur. Dicuntur autem *materiales*, quia (ut diximus *de poenit. n.* 611., cum communi dd. quibus adde Cont. Tournely [2] cum Sylv. contra p. Conc.), si coniuges sint in bona fide, in ea sunt relinquendi, quando periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae, si moneantur de nullitate matrimonii.

1124. Quaer. 3. An in casu praefato, ut possit episcopus dispensare, requiratur ut matrimonium fuerit contractum bona fide. Certum est non requiri bonam fidem ex parte utriusque, ut dicunt communiter Sanchez [3] Pont. [4] Merbes.[5] Conc. [6] Salm. [7] et alii. Ratio, tum quia, stante bona fide unius coniugis, matrimonium iam dicitur bona fide contractum argumento ex *c. Cum inhibitio, de cland. desp. et c. Ex tenore, qui fil. sint legit.;* tum quia malitia unius non debet alteri nocere. Dubium fit an episcopus possit dispensare si uterque mala fide contraxerit. Affirmant Dic. Henr. etc. apud Salmant.[8] quia, ut aiunt, licet culpabiliter contraxerint, nec etiam tunc praesumitur pontifex cum tanto periculo dispensationem sibi reservare. Sed communissime et verius negant Pont.[9] Palaus [10] Barbosa [11] Escob.[12] Sanch. [13] cum Led. Cord. Lop. et Veracr. ac Salm.[14] cum Con. et Avers. Ratio, tum quia in Trident. [15] dicitur : *Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat...non enim dignus est qui ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere contempsit;* tum quia alias daretur occasio ut quotidie spe dispensationis matrimonia celebrarentur, contemptis impedimentis. Ut autem quis dicatur mala fide contraxisse, non sufficit ut sciverit factum, sed requiritur ut sciverit quod tale factum induxerit impedimentum; ita Sanch. et Conc.[16] ac Salm.[17] cum Bann. Cand. et Aversa. Addunt Sanch. et Salm. cum eisdem, neque sufficere quod ignorantia fuerit crassa, quia revera non dicitur *scienter* facere (ut loquitur concilium) qui aliquid facit cum ignorantia crassa, ut docet etiam Nav.[18]. Secus si ignorantia sit adeo crassa, ut temeritas videatur, prout aiunt Sanch. et Salm. Et idem dicendum si sponsi voluntarie omiserint proclamationes: tunc enim, etiamsi contraxerint ignorando nullitatem matrimonii, dispensatio ipsis est deneganda, ut subdit Tridentin.[19] dicens, *quod si ignoranter* (quis) *id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur poenis.*

1125. Quaer. 4. An episcopus, casu quo potest in impedimento dirimente dispensare, possit hanc facultatem alteri delegare. Negant Sylv. Medina etc. apud Sanch.[20], quia (ut aiunt) episcopi nequeunt huiusmodi facultates delegare, nisi ipsis haec potestas sit specialiter concessa; idque probant ex Trid.[21] ubi conceditur episcopis facultas absolvendi a casibus papalibus, et ibi explicatur, *per se vel vicarium;* ergo ut episcopus possit delegare huiusmodi facultates, eget speciali concessione. Sed communiter affirmant Pont.[22] Pal.[23] Barbosa[24] Escob.[25] Bonac.[26] Sanch.[27] cum Ang. Sylv. Con. Cord. et Lop. ac Salmantic.[28] cum Con. Aversa Leand. et Henr. Et hoc (ut dicunt Sanch.[29] et Pal. ac Salm.[30] cum Aversa et Gutt.) non solum pro casu particulari, sed etiam pro omnibus occurrentibus, tam praesentibus quam futuris. Ratio quia cum haec potestas non sit annexa personae sed dignitati et officio, ipsa non dicitur delegata, sed ordinaria, et ideo bene delegari potest, ut diximus *de leg. l.* 1.

(1) L. 6. p. 3. n. 335. (2) Tr. cit. part. 1. c. 12. in fin. v. Si autem. (3) L. 2. d. 40. n. 4. (4) L. 8. c. 13. num. 4. (5) T. 2. p. 494. q. 5. (6) P. 545. n. 7. (7) De matr. c. 14. p. 1. n. 8. (8) Ibid. n. 9. (9) D. n. 4. (10) D. 4. p. ult. §. 1. n. 7. (11) All. 35. n. 5. (12) L. 27. n. 637. (13) D. n. 4. (14) Cit. n. 9. (15) Sess. 24. c. 5. (16) Locc. cc. (17) De matr. c. 14. p. 1. n. 10. (18) C. 36. n. 141. declar. 4. (19) L. c. (20) L. 2. d. 40. n. 13. (21) Sess. 24. c. 6. Liceat. (22) L. 8. c. 13. n. 5. (23) D. 4. par. ult. §. 1. n. 13. (24) All. 35. n. 14. (25) L. 27. n. 695. (26) Q. 3. p. 15. num. 6. (27) Loc. cit. n. 14. (28) Ibid. n. 12. (29) N. 16. (30) Locc. cc.

n. 190. *v. Et in his, et* 193. Nec obstat concilium [1]; nam respondent Sanchez et Pal. cum Gutt., quod concilium voluerit per hoc tantum explicare vicarium non habere hanc facultatem ex generali commissione vicariatus, sed egere speciali commissione episcopi: sed non voluit denegare episcopis hanc facultatem delegandi.

1126. « Resp. 2. In impedimentis non dirimentibus possunt episcopi dispensare universaliter. Quod addo, quia excipiuntur illa quae in iure naturali et divino impediunt, ut votum castitatis absolutum et perfectum, Bonacina[2] ex Navar. Sanch. etc. (Sed in matrimonio contracto possunt dispensare ad petendum debitum in voto emisso tam ante quam post matrimonium, *vide dicta n.* 986. *et* 987.) et sponsalia priora, ut habet Tanner.[3] ex Sanch.[4]. Idem habent Fill.[5] Layman[6]. Similiter episcopus potest dispensare in impedimentis quae matrimonio superveniunt et impediunt petitionem debiti, v. gr. cognationis spiritualis vel affinitatis. Bonac.[7] Sanchez[8] Filliuc.[9] qui excipit incestum commissum (matrimonio consummato) cum consanguineis uxoris in iis qui non sunt iuvenes (Sed Sanchez[10] expresse docet oppositum, *vide dicta n.* 1076.).

1127. » Resp. 3. Possunt etiam confessarii regulares approbati (Id est benedictini, mendicantes et omnes alii in eorum privilegiis communicantes, ut Sanch.[11] Pont.[12] Pal.[13] et Salm.[14] cum Gutt. Rodr. Aversa et Candido), de licentia tamen suorum provincialium, dispensare ad petendum debitum coniugale propter cognitionem consanguinei coniugis in secundo gradu, ut Rodriq.[15], nullo modo tamen impedimento ipso. Vide Mar. Perez[16]. Dixi *provincialium:* quia quod Molf. Leon. etc. volunt, confessarios societatis Iesu habere omnes hanc facultatem immediate a p. generali, id refutat Diana[17] (*Vide dicta n.* 1076. *v. Insuper*). »

1128. Quaer. hic an regulares possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, si magna urgeat necessitas, nempe si nequeant nuptiae moraliter differri, et aliunde immineat periculum infamiae aut scandali. Communiter docent dd. posse confessarios mendicantes aliosque religiosos communicantes in privilegiis dispensare in omnibus votis in quibus episcopi de iure ordinario dispensare valent cum suis subditis ex pluribus privilegiis, nempe Innoc. VIII. in quadam bulla quam refert Rodriq., item Martini V. Eug. IV. Iulii II. Pauli III. et Greg. VIII. (quod extendit etiam ad vota iurata), ita Sanch.[18] Pont.[19] Less.[20] Pal.[21] Reiffenst.[22] Spor.[23] Elbel[24] et Salmant.[25] cum Navar. Lopez Arrag. Fag. Trull. Cand. Villal. etc. Hinc diximus *n.* 987. *v. An autem*, bene posse regulares dispensare in voto castitatis emisso ante vel post matrimonium ad petendum debitum.

Sed dubium fit an in casu urgentissimae necessitatis, sicut possunt dispensare episcopi (iuxta dicta *de voto l.* 3. *n.* 258. *v. Notandum* 2.), possint etiam regulares dispensare ad contrahendum matrimonium.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Reiffenst.[26] Vidal.[27] Ant. a Spir. s.[28], item Bassaeus Herincx Crousers etc. apud Elbel[29] (qui probabilem putat, et alii apud Salmant.[30]) qui pariter vocant probabilem. Ratio quia episcopi in casu necessitatis dispensant in voto castitatis iure ordinario iuxta mox dicta *n.* 1125. Unde regulares qui possunt dispensare in omnibus votis in quibus episcopi iure ordinario dispensant, possunt etiam in eo dispensare urgente necessitate.

(1) L. c. (2) Q. 3. p. 15. (3) Art. 3. q. 4. d. 2. n. 30. (4) L. 7. d. 17. n. 8. (5) T. 10. par. 2. c. 10. n. 306. (6) L. 5. c. 10. par. 4. c. 15. n. 2. (7) L. c. (8) Lib. 8. d. 12. n. 16. (9) Loc. cit. (10) N. 15. (11) L. 3. d. 16. num. 3. et 8. (12) L. 8. c. 15. (13) P. ult. §. 1. num. 18. (14) De matr. c. 14. p. 1. n. 4. (15) Regul. t. 1. q. 65. art. 1. (16) D. 44. s. 7. num. 15.

(17) P. 3. t. 2. res. 14. (18) L. 4. d. 34. n. 4. (19) L. 8. c. 10. n. 9. (20) L. 2. c. 40. n. 154. (21) T. 3. tr. 15. p. 13. n. 7. (22) Dist. 3. n. 44. (23) De voto, c. 2. n. 54. (24) Eod. tit. n. 274. (25) De voto c. 3. p. 11. n. 94. (26) L. 5. decretal. tit. 34. n. 40. (27) De voto inquis. 3. n. 77. (28) Tr. 2. d. 3. n. 84. (29) T. 2. de voto p. 90 num. 279. (30) Ibid. n. 97.

Secunda sententia vero communior negat et hanc tenent Sanch. [1] Pont. [2] Barb. [3] Sporer [4] Pal. [5] Laym. [6] Tamb.[7] et Salmant. [8] cum Suar. Leand. Diana Lez. Bardi Prado Moya et Rodr. Ratio quia regulares possunt tantum dispensare in votis in quibus dispensant episcopi iure ordinario, sed in necessitate episcopi non dispensant iure ordinario, sed extraordinario et per accidens, eo quod agitur de casibus non ordinarie, sed extraordinarie contingentibus. Sed respondent adversarii quod non per hoc quod casus sint extraordinarii dicendum sit quod episcopi dispensent iure extraordinario, nam etiam in his casibus habent potestatem ordinariam, cum ipsa sit annexa eorum officio et dignitati. Unde non audeo primam sententiam reprobare.

1129. « Resp. 4. Ut licite dispensetur in impedimentis dirimentibus requiritur iusta causa, qualis secundum Filliuc. [9] est, v. gr. 1. Extinctio magnae litis vel odii inter agnatos. 2. Ablatio scandali. 3. Inaequalitas matrimonii, nisi consanguineis vel affinibus nubatur. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conservatio facultatum in eadem cognatione. 6. Merita petentis dispensationem. Plures vide apud Sanch.[10] Coninch.[11] Hurtad.[12] Mar. Perez[13] qui notat 1. Quanto gradus consanguinitatis vel affinitatis est propinquior, tanto requiri causam graviorem. 2. Saepe plures aggregatas causas sufficere, quarum singulae non sufficerent. Vide etiam Diana [14].

» Resp. 5. Si quis dubitet an habeat impedimentum dirimens, v. gr. contrahendi matrimonium cum certa persona, et adhibita diligentia sufficienti, non possit intelligere veritatem, probabile est posse cum ea contrahere sine dispensatione (nisi tamen praesumptio aliqua stet pro impedimento), quia possessio stat pro libertate contrahendi. Sanch. Sancius Franc. Lugo Bard.[15] (contra Laym. et Pal.) (*Sed vide dicta n.* 902. *Qu.* 3. *v. Dicunt autem*, ubi oppositum tenuimus cum Layman Pal. Less. Cont. Tourn. Ronc. etc.). »

1130. Praeter causas quas affert Busemb. ad licite dispensandum, additur a Salm.[16] pro causa instauratio matrimonii bona fide contracti et etiam mala fide, si matrimonium fuerit consummatum vel adsit fama de copula habita. Item necessitas auxilii, puta si mulier defectu viri non possit litibus assistere vel filiis suis providere. Item aetas foeminae excedens annum 24. Item periculum perversionis a fide. Item subministratio maioris pecuniae; scribit Conc.[17] hanc causam pecuniae sibi displicere, ut propter eam dispenset ecclesia in impedimentis: miratur enim quod postquam Tridentinum dixerit dispensationes gratis esse concedendas, doctores assignent pro causa dispensandi, quod illae non dentur gratis. Sed communiter aa. hanc causam admittunt ut Sanch.[18] Salm.[19] Pal.[20] et Bened. XIV.[21] cum Pal. in Trid. Et merito, cum huiusmodi compositiones (ut Innoc. X. praecepit) non immisceantur cum aliis pecuniis thesauri cameralis, sed reserventur in monte pietatis, et inde non extrahantur, nisi de mandato pontificis, ut in sola opera pia impendantur. Cum igitur talis pecuniae praestatio in subsidium pauperum erogetur fit causa satis iusta ut ecclesia dispenset sicut frequenter solet. Nec officit quod mussitent haeretici, ut obiicit p. Conc., nam patenter iniuste mussitant.

1131. Notandum autem 1. quod ut dispensatio non sit subreptitia, explicanda sint omnia impedimenta quae adsunt, item cognatio, si sit carnalis aut spiritualis: item gradus et linea, si sit recta aut lateralis. An autem sufficiat exprimere solum gradum remotiorem. *Vide infra n.* 1136. *Quaest.* 4. Notandum 2. quod in constitutione

(1) L. 2. d. 40. n. 9. (2) L. 3. c. 10. n. 11. (3) All. 37. n. 14. (4) Tr. 3. n. 74. (5) De voto d. 1. p. 12. n. 7. (6) L. 4. tr. 4. c. 3. n. 17. (7) L. 3. c. 16. §. 4. n. 54. (8) De voto c. 3. p. 11. n. 96. (9) C. 3. (10) D. 19 (11) D. 53. (12) D. 26. (13) D. 44. sect. 5. (14) P. 3. t. 3. r. 95. (15) D. 6. c. 11. p. 7. §. 11. (16) De matr. c. 14. p. 2. n. 24. (17) P. 348. n. 9. (18) L. 3. d. 19. n. 35. (19) Ibid. n. 26. (20) D. 4. p. ult. §. 2 n. 2. (21) Notif. 87. n. 26.

summ. pont. Bened. XIV. quae incipit, *Ad apostolicae servitutis (vide in fine operis)* edita die 25. febr. an 1742. declaratum fuit, expressionem causarum earumque verificationem in dispensationibus appositas ad validitatem pertinere. Unde summus pontifex praecepit omnibus procuratoribus, etc. ut sciscitentur ab oratoribus veras causas, et illas sincere exponant, sub poena falsi; item episcopis et aliis, quibus executio committi solet, imposuit explorare veritatem causarum in litteris apostolicis expressarum. Hinc deinceps plures addendae sunt quaestiones valde utiles in praxi quoad hanc materiam dispensationum.

1132. Quaer. enim 1. an, cessante causa dispensationis, cesset dispensatio. Affirma, si causa cesset antequam dispensatio expediatur, vel antequam fiat ab episcopo, cui a pontifice commissa fuerit. Secus vero, si causa cesset, dispensatione iam expedita et facta ab inferiori, etiamsi cesset ante celebrationem matrimonii. Ratio, quia per dispensationem iam tollitur impedimentum sive lex relaxatur, cuius obligatio extincta, si cessat postea causa, minime reviviscit; ita valde probabiliter Pont. [1] Pal. [2] Suar. [3] et Salm. [4] cum Sa et Sylv. contra Sanch. Dic. etc. qui tamen hoc probabile vocant; *vide etiam dicta l. 1. n. 196. v. Quaestio vero.*

1133. Quaer. 2. quid autem dicendum, si dubitatur an causa falso allegata fuerit finalis aut impulsiva, vel an causa fuerit vera an falsa. Resp. quod in omnibus his et similibus dubiis valida censenda est dispensatio, quia in dubio standum pro validitate actus; ita Sanch. [5] Pont. [6] Pal. [7] et Salm. [8] cum Dic. Gabr. etc.

1134. Quaer. 3. an cum petitur dispensatio pro matrimonio contrahendo inter propinquos, exprimenda sit copula incestuosa inter eos habita. Commune est apud omnes quod si copula ex parte utriusque fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem, et copula allegetur pro unica causa consequendi dispensationem, tunc necessario malus ille animus est exprimendus, alias matrimonium erit nullum, quia nemini debet suum crimen prodesse; tanto magis quod pontifex movetur ex ea ad imponendam maiorem poenitentiam aut pecuniae compositionem, ut sic homines magis a tali crimine avertantur; ita communiter Sanch.[9] Pal.[10] et Salm.[11] et alii. Idque expressum est in bulla Innoc. XII. renovata a Bened. XIV. per bullam, *Pastor bonus*, §. 42. ubi dicitur: *Si qui vero oratores, obtenta dispensatione a dataria super impedimento primi et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulae, sed tacita occulta et malitiosa intentione, in ipsa copula habita, ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione huiusmodi dispensationis ad dictam poenitentiariam recurrant, possit idem maior poenitentiarius desuper absolute dispensare cum . . . personis, explicite affirmantibus se . . . sub expressa ... forma miserabilium dispensationes a dataria obtinuisse. Cum iis vero qui non tamquam pauperes... dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in dataria, ad effectum . . . erogandi eleemosynas, taxa definienda arbitrio eiusdem maioris poenitentiarii.*

Dicunt autem Pal. et Salm.[12] cum Hurtado, non teneri oratores praedictam malam intentionem exprimere, si fuerit tantum mente concepta, quia (ut aiunt) tunc crimen pravi illius animi non subiacet potestati ecclesiae. Sed huic opinioni non acquiesco; hic enim non agitur de poena, sed de dispensatione, quam bene potest ecclesia nolle concedere, si crimen pravae intentionis adfuerit, sicut potest ecclesia in concessione indulgentiarum excludere non implentes aliquod opus internum,

(1) L. 8. c. 20. n. 3. (2) De privil. d. 4. p. 15. n. 7. (3) De leg. l. 6. c. 20. n. 15. (4) De matr. c. 14. p. 2. n. 29. (5) De matrim. l. 8. d. 21 num. 20. et 23. (6) L. 8. c. 17. n. 41. (7) De privil. d. 6. p. 16. §. 4. n. 5. (8) Ib. n. 37. (9) Lib. 8. d. 25. n. 33. (10) D. 4. p. ult. §. 3. n. 9. (11) De matr. c. 14 p. 3. num. 42. (12) L. c. in hu-

ut docet Suar. [1] et Bon. [2] cum aliis. Probabilissime vero dicunt Salm.[3] cum aliis, quod si in petitione aliae causae per se iam sufficientes ad obtinendam dispensationem exponantur, et simul exponatur copula praehabita (quae omnino et semper exponi debet, ut mox videbimus), tunc non est opus ut allegetur circumstantia malae fidei, nempe quod copula fuerit consummata ad dispensationem facilius impetrandam.

1135. Sed redeundo ad quaesitum, dicunt alii valere matrimonium, si sponsi in supplicatione reticuerint circumstantiam copulae, si illa sit praehabita sine prava intentione obtinendi facilius dispensationem, ita Pont. [4] et Salm. [5] cum Henr. Perez Hurt. Vega Vill. etc. Sed omnino est tenendum esse nullum, ut docent Sanch.[6] Laym.[7] Pal.[8], item Con. Diana Gutt. Reb. Fill. etc. apud Salm.[9]. Et de hoc hodie non est amplius dubitandum ex bulla cit. *Pastor bonus* summ. pont. Bened. XIV. §. 41. ubi dicitur: *Quod si ... obtinuerint a nostra dataria dispensationem super gradu prohibito in primo et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto, cum reticentia copulae inter eos secutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant...; possit idem maior poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, huiusmodi dispensationem, seu respective reconvalidationem in foro conscientiae tantum concedere, facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione* 50. *ducatorum auri de camera ad datariam transmittendorum..., nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum.* Ex his attende quod papa dicendo, *possit reconvalidationem concedere*, non habet pro validis matrimonia cum tali reticentia contracta, tanto magis quod in gradibus mox supra descriptis dispensatio propter solutionem relatam difficilior redditur.

1136. Quaer. 4. an possit manifestari remotior gradus consanguinitatis vel affinitatis reticendo propinquiorem. Affirmant Sanch.[10] Pont.[11] et Salmant.[12] cum Sylv. ac Pontas ap. Cont. Tourn.[13]. Idque inferunt ex quodam motu proprio s. Pii v. *Sanctissimus*, ubi dictum fuit, quod dispensatio sine gradus propinquioris mentione obtenta (nempe si sponsi sint coniuncti in quarto et tertio gradu) *de subreptionis vel obreptionis vitio notari non possit, obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori.* Unde dicunt quod huiusmodi litterae (quibus declaratur quod gradus propinquior non obstet matrimonio) requiruntur tantum in foro externo ad vitandum scandalum, non vero si scandalum absit. Hinc contra Corradum Cont. Tourn.[14] Anacl. etc. qui dicebant matrimonium esse nullum sine praefatis litteris, declaravit Bened. XIV. in brevi, *Etsi matrimonialis*, dato 27. sept. 1755. matrimonium esse quidem illicitum, sed non invalidum, modo propinquitas non sit primi aut secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis. Praeterea recte advertit Cont. Tour. quod in gradu mixto exprimi debet sexus qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur ut nepos ducat amitam, quam patruus ducat neptem: maior enim perversio ordinis est ut nepos constituatur suae amitae caput.

1137. Quaer. 5. si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat. Respondetur affirmative, quando impedimentum est ex eodem crimine, quia relapsus retrahit superiorem a dispensando. Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel sit ex crimine diverso; ita Conc. [15] cum communi et Salm. [16] cum Con. et Aversa.

1138. Quaer. 6. an si quis habeat plura impedimenta affinitatis eiusdem

(1) De poenit. d. 52. sect. 5. num. 5.
(2) De indul. d. 6. q. 1. p. 5. n. 29. (3) Ib. n. 43.
(4) L. 8. c. 17. n. 32. (5) De matr. c. 14. p. 5. n. 40. (6) L. 8. c. 25. n. 8. (7) L. 1. tr. 4. c. 22. num. 18. (8) D. 4. p. ult. §. 2. num. 4.
(9) Ibid. num. 39. (10) L. 8. d. 24. num. 28.
(11) L. 8. c. 17. n. 26. (12) Ibid. p. 4. n. 46.
(13) De dispens. in spec. part. 1. cap. 4. art. 1.
(14) Loc. cit. v. Quia. (15) P. 551. n. 25.
(16) De matr. c. 14. p. 4. n. 47. et 48.

gradus, puta si cognoverit duas sorores suae sponsae, debeat in supplicatione dispensationis utramque copulam exprimere. Negant Vega Henr. Led. et Man. apud Escob. [1], sed probabilius affirmant Sanch.[2] Pont.[3] Conc.[4] Anac.[5] Salm.[6] cum Aversa et Pal. et Escob. [7] cum Mol. Hurt. Con. Villal. Diana Leand. ac rot. rom. Ratio quia in simplici non comprehenditur mixtum; et licet haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Et de hoc hodie amplius non dubitandum; nam sic omnino tenendum esse declaravit Bened. XIV. in brevi, *Etsi matrimonialis*, iam supra relato *n.* 1136. Et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicae honestatis etc., ut Sanch. et Anacl. [8].

1139. Quaer. 7. an si concurrant plura impedimenta, possit divisim impetrari eorum dispensatio. Adest triplex sententia.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Salas Rodr. et Sa apud Salm. [9] et probabile vocant ibi Villal. Dicast. et alii, quia nullibi ex iure habetur requiri quod impedimenta simul exponantur.

Secunda sententia negat, quam tenent Sanch.[10] Pont.[11] Pal.[12] Conc.[13] et Esc.[14] cum Suar. Laym. Perez et Gutt.; item Diana ac Leand. ap. Salm.[15], tum quia sic habet praxis curiae, tum quia unum impedimentum cum altero coniunctum difficilius dispensatur.

Tertia sententia probabilior, quam tenent Salm.[16], cui non dissentiunt aa. secundae, distinguit et dicit quod si impedimenta disparate se habent, et unum ex altero non augetur, ut votum et consanguinitas, aut consanguinitas et machinatio, tunc sufficit divisim obtinere dispensationem, secus si impedimenta sint talis rationis, ut afferant coniuncta maiorem repugnantiam ad matrimonium contrahendum, puta si quis vult ducere consanguineam, cuius sororem turpiter cognoverit, tunc enim difficilior redditur dispensatio. Excipiunt Con. et Avers. apud Salm.[17] si iusta detur causa separandi, ut si unum impedimentum esset publicum et aliud secretum, quod infamiam possit afferre, nempe si quis vult ducere consanguineam, cuius sororem occulte cognovit, tunc enim, ne infamentur contrahentes, bene possunt divisim dispensationem petere. Et talem testatur Aversa esse stylum curiae. Sed id dico intelligendum tantum respectu ad dispensationem obtinendam a dataria, puta ob publicum impedimentum consanguinitatis cum sponsa; nam quoad dispensationem impedimenti occulti propter copulam cum eius sorore, iuxta nostram sententiam, saltem in supplicatione ad poenitentiariam debent ea impedimenta simul exponi, cum simul exposita iam, ut diximus, dispensationem reddant difficiliorem.

1140. Quaer. 8. an si quis, post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea sponsae, antequam eam duxerit, nova indigeat dispensatione. Si dispensatio non adhuc fuerit executa ab eo cui commissa est, conveniunt omnes non indigere; ita Cont. Tour.[18] et Elb.[19], quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a tempore executionis. Si tamen iam fuerit executa, affirmant Habert[20] et Elb.[21] ex Gob. et Quintanad., quia executor solum dispensare potest in impedimento contracto, non autem in contrahendo, maxime cum in litteris s. poenitentiariae soleat committi facultas cum clausula, *ut dispenses hac vice*. Verum probabilius non requiritur nova dispensatio, ut dicunt Sanch.[22] cum Guttier. Cord. et Manuel. ac Cont. Tourn.[23] cum Anacl. et Corrado, qui

(1) L. 27. n. 747. (2) L. 8. d. 24. n. 5. (3) L. 8. c. 17. §. 5. n. 5. (4) Q. 552. num. 15. (5) P. 701. num. 165. (6) Ibid. n. 51. (7) N. 748. (8) Locc. cc. (9) De matr. c. 14. p. 1. n. 52. (10) L. 8. d. 25. n. 2. (11) L. 3. c. 17. §. 4. (12) D. 4. p. ult. §. 5. num. 11. (13) P. 552. n. 25. (14) N. 745. (15) Ib. n. 55 (16) Ibid. n. 54. (17) L. c. (18) De dispens. in spec. part. 1, cap. 17. art. 1. v. Si vero. (19) De matr. p. 505. n. 506. (20) De legib. c. 15. (21) L. c. (22) L. 8. d. 25. n. 4. (23) L. c.

de hoc affert expressam declar. s. c. Ratio quia affinitas illa iam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi matrimonium, et hoc videtur denotare clausula illa *hac vice*, si forte verum est quod talis clausula soleat apponi, quod nescio. Caeterum ipsa s. poenitentiaria in praxi hanc nostram sententiam sequitur, ut ego ipse observavi in quodam authentico eius rescripto, edito die 21. sept. 1752. ubi sic responsum fuit: *S. poenitentiaria ad praemissa respondet quod si orator alias super eodem primi affinitatis gradus impedimento ad matrimonium contrahendum cum muliere de praesenti eius coniuge fuerit dispensatus, etiamsi ipse post obtentam gratiam atque ante matrimonii celebrationem denuo cum supradictae mulieris matre relapsus sit, nova dispensatione non indigere.* Et hoc valet etiam quoad dispensationem obtentam a dataria, atque executam in impedimento consanguinitatis, modo dispensatio non sit impertita *in forma pauperum;* ita Corrad. [1] et Sanch. [2] cum aliis.

Dicit autem Bened. XIV. [3] ex Fill. Clericat. et Tamb., quod si, obtenta dispensatione s. poenitentiariae in foro conscientiae, impedimentum detentum fuerit in foro externo, et coniuges nullas afferre possint probationes quod matrimonium ita sit contractum, tunc episcopus, parochus et iudex debebunt acquiescere testimonio confessarii fidem facientis de dispensatione impetrata.

1141. Quaer. 9. an si post obtentam dispensationem super gradu prohibito antequam illa executioni mandetur, intercesserit copula inter sponsos, nova requiratur dispensatio. Negant alii, ut Ovan. Sa etc. apud Sanch.[4]. Sed verius affirmant Sanch. cum Callego Guttier. etc. [5]. Ratio quia stylus curiae sic obtinuit ut incestus hic declaretur; illo enim manifestato, pontifex maiorem imponit poenitentiam, ampliorem que compositionem pecuniae exigit. Et sic etiam declaravit s. c. mense maii 1635. (apud Pitton. [6]) ubi dictum fuit: *Qui litteris dispensationis obtentis super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non praesentatis contraxit, vel carnaliter* (nota) *sponsam cognovit, non potest absque nova dispensatione in matrimonio permanere.* Et idem eruitur ex dictis in quaest. 3. *n.* 1134. Probabiliter vero ait Sanch.[7] quod licet dispensatio fuerit concessa cum clausula, *modo copula non interfuerit,* tamen si illa habeatur post executionem dispensationis, tunc non requiritur nova dispensatio, quia sufficit ad eius valorem quod ante illam copula non intervenerit.

1142. Quaer. 10. an si contrahentes sint diversae dioecesis, unusquisque debeat a proprio episcopo dispensari. Affirmant Sambovius Gisbert. etc. ap. Cont. Tourn. [8], sed negat probabiliter ipse Cont. Tourn. [9] cum episcopo tutelensi. Ratio quia, cum episcopus aufert a suo subdito impedimentum, habilem eum reddit ad contrahendum cum altero impedito, sicut si quis haberet facultatem dispensandi in aliquo gradu, dispensando cum suo subdito dispensaret etiam cum extraneo; unde hic extraneus bene poterit tunc contrahere coram parocho alterius quocum dispensavit episcopus.

1143. Quaer. 11. quae sint clausulae solitae apponi in dispensationibus a s. poenitentiaria. Clausula 1. *Si ita sit.* In hoc bene aiunt Sanch.[10] Cabass. [11] fidem esse adhibendam poenitenti, nisi delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta. Dicit autem Sanch. [12] cum Navarr., quod si petatur dispensatio super voto castitatis, non sufficit ad dispensandum sola tentatio vel periculum labendi tantum semel vel iterum, sed requiritur ut vovens sit in periculo saepius violandi votum. Sed melius censet Cont. Tour. [13] cum Pontas sufficere, si quis propter

(1) L. 3. c. 1. n. 51. (2) De matr. l. 3. d. 24. n. 3.
(3) Notif. 87. n. 51. (4) L. 3. d. 25. num. 6.
(5) N. 3. (6) N. 378. (7) L. c. num. 5.
(8) Tr. cit. part. 1. cap. 17. art. 5. v. Quaeres 1.
(9) Ibid. (10) L. 3. d. 34. num. 21.
(11) T. I. l. 5. c. 27. n. 10.
(12) L. 5. d. 20. num. 18.
(13) Cap. cit. art. 11. v. Confessarium.

gravem tentationem sit in probabili periculo etiam unius lapsus, quia per unum lapsum iam castitas amittitur. 2. *Audita prius sacramentali confessione.* Iuxta igitur hanc clausulam necessaria est confessio: neque huic revera contradicit Sanch. [1], ut putat Cont. Tourn. [2], nam tempore quo scripsit Sanch. haec clausula non apponebatur, et ideo dixit non requiri confessionem; sed ipsemet Sanchez subdit quod confessio esset necessaria, si talis clausula apponeretur. 3. *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur si occasio sit voluntaria, quod de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media adhibenda, ut recte explicat Cont. Tour.[3]. 4. *Dummodo impedimentum sit occultum.* De hac clausula vide dicta *n.* 1111. 5. *Iniuncta ei gravi poenitentia.* Intelligitur iuxta vires poenitentis, ut bene notat idem Cont. Tourn. [4] cum Tiburt. Nav., qui dicit posse iniungi ex. gr. per sex menses ieiunium semel in hebdomada, vel recitatio rosarii ter in hebdomada, aut frequens confessio (saltem semel in mense), orationes, lectio spiritualis, etc. Quod si poenitens propter crimen, super quo petitur dispensatio, iam satisfecerit poenitentiae, dicit Contin. Tour. [5] illius praeviae satisfactionis bene habendam esse rationem, unde confessarius tunc poenitentias in brevi romano praescriptas moderari debebit. Si vero dispensationi concessae sit a poenitentiaria annexa quaedam species commutationis, nempe confessio semel in mense, haec a confessario omnino est imponenda, ut idem Cont. Tourn. [6] et Bened. XIV. [7] cum Sayro. 6. *Praesentibus laceratis, sub poena excommunicationis latae sententiae.* Haec laceratio statim facienda est; sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam, iuxta dicta *n.* 856. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed huiusmodi dispensatio debet a parocho caute adnotari in libro, qui non possit ab alio aspici, ad hoc ut ipse possit requisitus postmodum, si opus erit, fidem facere de dispensatione impetrata.

1144. Quaer. 12. in quibus impedimentis s. poenitentiaria habeat facultatem dispensandi. Ad huius quaesiti declarationem, quae multum potest prodesse ad praxim parochorum et confessariorum, hic operae pretium duxi adnotare quae habentur in bulla sum. pont. Bened. XIV. quae incipit *Pastor bonus*, edita die 13. apr. an. 1744, ubi confirmata et inserta est bulla Innocent. XII. (emanata 3. apr. 1692. incipiens *Romanus pontifex*). Ibi §. 39. pro matrimoniis nondum contractis sic habetur: *In matrimoniis contrahendis possit idem maior poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare vel dispensari mandare.* Huiusmodi autem impedimenta tantum impedientia hodie (ut diximus supra) ad tria reducuntur, nempe votum, sponsalia et ecclesiae vetitum. Quo vero ad impedimenta dirimentia, sic ibi traditur: *At a dispensationibus...super quocumque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum et periculum scandalosum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.*

Circa vero impedimenta in matrimoniis iam contractis §. 40. sic dicitur: *In contractis vero matrimoniis, a dispensatione seu matrimonii reconvalidatione in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat, praeterquam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium du-*

(1) L. 8. d. 24. n. 29. (2) L. c. v. Secunda clausula. (3) Infra l. c. v. Tertia clausula.
(4) Ibid. v. Quarta clausula. (5) Ibid.
(6) Ibid. n. 2. (7) Notif. 87. n. 46.

raverit occultum, et oratores simul publice contraxerint et convixerint, et ut coniuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare, atque etiam in iisdem tertio et quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia ex causa subreptionis et obreptionis occultae litterarum apostolicarum nulliter contracta: praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat. Et ratio huius est quia in reconvalidatione matrimonii nulli propter copulam falso expositam non redundat infamia in contrahentes. Deinde super affinitate ex copula illicita §. 43. dicitur: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita ... quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum ... scandalorum non immineret .... in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conscientiae dispensare et dispensari mandare....valeat.* Super impedimento autem criminis §. 44.: *Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen ... fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit, ratione alicuius gravis imminentis periculi, quod prudentia maioris poenitentiarii, re praesertim discussa in congregatione vel signatura, arbitrandum erit.* Demum in §. 57. ss. pontifex confirmat omnia privilegia et indulta s. poenitentiariae concessa, etiam vivae vocis oraculo, ab aliis pontificibus. Et idem Benedictus [1] refert Innoc. XII. declarasse vivae vocis oraculo s. poenitentiariae esse concessas omnes facultates ad eius forum pertinentes, exceptis iis quae in sua bulla *Romanus* exceptae fuerant.

1145. Insuper notandum 1. quod ad dispensationem obtinendam non requiritur consensus eius cui prodesse debet, quamvis, ut prosit, ab ipso postea acceptanda sit; ita Sanch. [2] et Salm. [3]. Qui addunt quod si idem impedimentum afficit utrumque sponsum, sufficit pro uno dispensationem impetrare; secus vero, si impedimentum afficiat unum independenter ab impedimento alterius.

1146. Notandum 2. quod cum petitur dispensatio a dataria, exprimendum sit nomen, cognomen, dioecesis originis et domicilii tantum, si orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque dioecesis sponsi et sponsae, si ipsi diversas dioeceses habeant. Quando vero petitur a s. poenitentiaria, tacentur nomina et alia, sed tantum exprimitur persona et locus quo litterae sunt dirigendae.

1147. Hic refert ad praxim confessarii adnotare formulam supplicationis ad impetrandam a s. poenitentiaria dispensationem impedimenti ad contrahendum sive reconvalidandum matrimonium, videlicet:

Intus: *Eminentissimo e Reverendissimo Signore.*

NN. avendo avuto copula con una donna, si ritrova aver data parola di matrimonio ad NN. sua sorella; e perchè l'impedimento è occulto, e non succedendo il detto matrimonio ne verrebbe molto scandalo, supplica perciò l'em. s. a volergli concedere la dispensa. La risposta si degnerà di mandarla a Napoli (o pur ... per la posta di Napoli a Nola) in testa di ... (hic exprimatur nomen et cognomen illius ad quem rescribendum erit). Si autem petitur dispensatio voti castitatis: *NN. si ritrova aver fatto voto di castità, ma perchè sta in grave pericolo d'incontinenza, prega per tanto l'em. s. a dispensare nel suddetto voto, affine di poter contraere matrimonio ecc.* Ita, si matrimonium nondum est contractum; si vero matrimonium iam est contractum, sic scribi potest: *NN. ignaro (consapevole) dell'impedimento ha contratto matrimonio con una donna, la cui madre (o sorella) avea prima carnalmente conosciuta; onde, essendo l'im-*

(1) Notif. 87. n. 7. (2) L. 3. d. 3. n. 4. (3) De matr. c. 14. p. 3. n. 53.

pedimento occulto, e perciò non potendosi separare senza scandalo, supplica l'em. s. per l'assoluzione e dispensa. La risposta ecc.

Foris autem inscribetur: *All'Eminentissimo e Reverendissimo Signore e Patrone Colendissimo*

Il Signor Cardinale Penitenziere Maggiore. Roma.

1148. Delegatus autem, cui commissa fuerit executio dispensationis, poterit in dispensando hanc vel similem formulam adhibere post datam sacramentalem absolutionem: *Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris cum qua contraxisti* (aut *contrahere intendis*) *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu; et prolem, si quam suscepisti* (vel *suscipies*) *legitimam declaro. In nomine Patris etc.* Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quae tibi praescripsi dispensando commuto. In nomine etc.* Si quis, non obstante voto castitatis, matrimonium iam inierit, dicitur: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, in matrimonio remanere et debitum coniugale exigere possis, auctoritate apostolica tecum dispenso. In nomine, etc.*

Qui autem velit legere bullam Bened. XIV. ubi praescribitur forma procedendi in omnibus causis nullitatis matrimonii, videat p. Zachariam apud Croix [1] qui illam in extensum refert. Incipit praefata bulla: *Dei miseratione*, fuitque edita tertia novembr. an. 1741. (Vide bullar. Bened. XIV. Vide etiam La-Croix [2]).

LIBER SEPTIMUS

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET IRREGULARITATIBUS

CAPUT I. DE CENSURIS IN GENERE

DUB. I. Quid sit censura ecclesiastica.

1. *Quid est censura.*
2. *An censura privet bonis internis.*
3. *An degradatio vel depositio sit censura.*
4. *An cessatio a divinis.*
5. *An irregularitas.*

1. « Resp. Est poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per potentiam ecclesiasticam aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum. Laym. [3] (Nota verbum *medicinalis*. Et ideo non sunt excommunicandi ii, de quorum correctione desperatur, nisi fiat ad terrorem aliorum. Salm. [4] cum s. Thoma).

Unde resolves:

2. » 1. Per censuram non privatur homo bonis mere internis, v. g. charactere, potestate ordinis nec bonis propriis ac privatis: v. g. fide, caritate, gratia etc. (Nec communione sanctorum radicaliter derivante ex fide et caritate. Vide Salm.[5]), sed quibusdam externis et publicis, sive actionibus, quae habent spiritualem aliquem effectum vel commodum, ut sunt sacrificium, officium divinum, beneficium, administratio et susceptio sacramentorum, indulgentia, publica ecclesiae suffragia: quia haec, et non illa, subsunt dispositioni ecclesiae. Unde si interdum privetur bono aliquo temporali, v. g. convictu humano per excommunicationem, id tantum fit secundario.

» 2. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii, nisi adiunctam habeant suspensionem aliquam spiritualium actionum, non sunt censurae, quia sunt poenae temporales.

3. » 3. Nec degradatio vel depositio

(1) L. 6. p. 3. n. 430. (2) L. 6. p. 3. n. 909. (3) Lib. 1. t. 5. p. 1. c. 1. (4) Tract. 10. de cens. c. 1. n. 1. n. 10. (5) De cens. c. 1. p. 1. n. 8.

est censura, quia, etsi sit poena spiritualis, non tamen medicinalis, sed perpetua et ob peccatum praeteritum, etiam emendatum, potest infligi (Ita verius et communius Salm. [1] cum Suar. Barb. Pal. Con. Val. etc. (contra Gutt. Ledes. etc.) et clare colligitur ex *cap. Quaerenti*, *de verb. signif.* ubi sic habetur: *Quaerenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum huiusmodi clausulam in litteris nostris apponimus. Respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi*).

4. » 4. Nec cessatio a divinis, quia non imponitur per modum medicinae ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam iniuriam ecclesiae factam.

5. » 5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia haec non est poenalis, sed tantum impedimentum canonicum; sive sit ex delicto, quia haec non irrogatur per modum poenae medicinalis, sed punitivae et ex se perpetuae. Unde nec tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem, Bonac. [2] (Idem docent Suar. [3] Bonac. [4] Cont. Tourn. [5] Salm. [6] Pal. [7] (contra Sot. Ban. Cov. etc.). Et huic sententiae favet etiam Bened. XIV. [8]. *Vide dicenda n.* 351.).

». 6. Quando in iubilaeis vel privilegiis datur potestas absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur (ut declaravit idem Bened. XIV. [9]).

Dub. II. Quotuplex sit censura.

6. *Quotupliciter censurae dividantur. An censurae latae ab episcopo in synodo sint perpetuae et tamquam latae a iure.*
7. *Quando censurae reputentur esse latae a iure.*
8. *Quando ferendae.*

6. « Resp. Dividitur 1. essentialiter in excommunicationem, suspensionem et interdictum. 2. Accidentaliter in eam quae est a iure et fertur per canones, constitutiones vel statuta ecclesiastica, stabili ac permanente lege; et eam quae est ab homine, quae scilicet fertur a iudice vel praelato, per modum mandati vel sententiae iudiciariae. Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare aut certas personas, vel generalis, quae nulla singularis facti aut personae determinatione fertur (Nota igitur quod censurae quas fert episcopus in synodo dioecesana dicuntur latae per modum statuti, et hae tamquam latae a iure durant post mortem episcopi. Aliae vero extra synodum dicuntur latae ab homine per modum praecepti seu mandati aut sententiae, et hae per mortem ferentis cessant, sive praeceptum sit particulare sive generale. Ita Ronc.[10] Salm.[11] Croix [12] cum Dicast.). 3. In eam quae est sententiae *latae*, quam scilicet ius aut iudex statuit ipso facto, quo quis v. g. contra legem facit, sine alia sententia incurrendam: et in eam quae est *ferendae*, quam ius aut iudex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba quibus censura fertur; quae, si includant alterius actionem seu ministerium, significant censuram esse sententiae ferendae, latae vero, si non includant. Si vero ambigua sint, teneri potest regula 49. iuris in 6., quod in dubio circa poenas benignior interpretatio sit facienda (Ita etiam Spor.[13] Contin. Tourn.[14] Concina [15], item Fill. March. etc. cum Salmant.[16] ex *c. Odia et ex c. In poenis*, *de reg. iuris in* 6.).

Unde resolves:

7. » 1. Est censura latae sententiae: 1. Si verba sint praeteriti aut praesentis temporis, v. g. excommunicavimus, excommunicatus est, fuit, excommunico, suspenduntur, interdicuntur, volumus aut iubemus esse excommunicatum, suspensum etc. 2. Si addatur particula, ipso iure, ipso facto, vel, sine alia sententia. 3. Si verba sunt imperativi modi, v. g. incidat in ex-

(1) Ibid. p. 2. n. 12. (2) D. 1. p. 1.
(3) T. 5. d. 1. sect. 3. (4) D. 1. q. 1. p. 1. n. 4.
(5) Tr. de censuris part. 1. cap. 1.
(6) De cens. c. 1. p. 2. n. 12. et 15.
(7) D. 1. p. 1. n. 3. (8) In epist. encycl. Inter praeteritos, edita 3. dec. 1749. §. 50. (9) L. c.
(10) C. 1. q. 2. (11) L. c. n. 16. (12) L. 7. n. 7.
(13) P. 116. n. 6. (14) De cens. part. 1. cap. 1. v. Dividitur 3. (15) T. 10. p. 415. n. 5.
(16) De cens. c. 1. p. 2. n. 13

communicationem, maneat interdictus etc. Ratio quia haec omnia nullius actionem interponunt.

8. » 2. Sententiae ferendae est, saltem ut plurimum, 1. Si verba sint futuri temporis, v. g. excommunicabitur, suspendetur (Ita Cont. Tourn.[1] et Conc.[2]). 2. Si dicatur, excommunicetur, suspendatur, volumus excommunicari (Ita Spor.[3], *sed vide hic in fin.*). Si verba sint minatoria, v. g. sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis etc., nisi tamen ex adiunctis aliud colligatur (Ita etiam Salm.[4] cum Fill. Avila etc. Conc.[5] et Cont. Tourn.[6] Item si dicatur: *Volumus excommunicari, suspendi*, Ronc.[7]. Si autem dicatur: *Excommunicatus sit*, Bonac. Hurt. etc. cum Salm.[8] tenent excommunicationem esse latae sententiae, sed Sanch. Laym.[9] etc. volunt esse ferendae. Utraque est probabilis. Si dicitur: *Anathema sit*, Sanch. et Dic. apud Croix[10] dicunt esse ferendae (contra Suar. et Cont. Tourn. ubi supra) nisi fiat contra haeresim. Quod autem ait Busemb. si dicatur: *Excommunicetur, suspendatur etc.* intelligi ferendae sententiae, hoc explicandum est si praeceptum excommunicandi, suspendendi etc. alteri (puta episcopo) imponatur. At si absolute modo imperativo profertur, censura dicenda est latae sententiae, ut pro certo asserit Bonac.[11] et communiter docent Sylv. Ang. Arm. Suar. Vasq. Avila et Dic. apud Croix[12]). »

Dub. III. Qui possint ferre censuram et in quos.

9. *Qui possint censuram ferre.*
10. *Ex potestate ordinaria possunt 1. Papa. 2. Episcopi. An autem eorum vicarii. 3. Praelati regulares. 4. Concilia et capitula. 5. Qui hoc habent ex privilegio.*
11. *Qui possint ferre censuras ex potestate delegata. Non possunt 1. Parochi. 2. Laici. 3. Foeminae.*
12. *Quot conditiones requirantur ut quis possit censuram ferre. 1. Ut sit vir. 2. Baptizatus. 3. Tonsuratus. 4. Compos rationis. 5. Ut habeat iurisdictionem expeditam. 6. Ut libere agat.*
13. *Quae conditiones ut quis possit censura ligari. 1. Ut sit homo. 2. Baptizatus. 3. Compos rationis. An ebrii vel amentes ad tempus.*
14. *An impuberes doli capaces.*
15. *4. Ut sit subditus.*
16. *An reges.*
17. *An peregrini.*
18. *5. Ut sit persona determinata quoad excommunicationem.*
19. *An excommunicatio in communitatem sit valida et licita.*
20. *Praelati regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes.*
21. *Qu. 1. An episcopus existens extra dioecesim possit ferre censuras in subditos.*
22. *Qu. 2. An contra, existens in dioecesi possit ligare censuris subditum extra degentem.*
23. *Qu. 3. An subditus delinquens extra dioecesim, incurrat censuram latam per praeceptum in futuros delinquentes.*
24. *An monasteria regularium sint loca exempta.*
25. *Quid, si agatur de damno resarciendo.*
26. *Qu. 4. An episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua dioecesi.*
27. *Qu. 5. An censura lata generaliter, liget alienigenas.*
28. *Quomodo quis ligari possit pluribus censuris.*

9. « Resp. 1. Censuram ferre potest omnis ac solus superior ecclesiasticus, habens in foro externo seu contentioso iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam (Est de fide contra novatores, quod ecclesia potestatem habet ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet, ex Conc. Const.[13] et ex bullis Martini v. et Leonis x.).

10. « Porro ordinariam, quae est ratione officii vel alterius iuris, potestque delegari clerico clericatus privilegio gaudenti, ut Bon.[14] Laym.[15] ex *c. Cum ecclesiasticorum*, s. Th. etc. docent, habet 1. Papa respectu totius ecclesiae. 2. Patriarchae, archiepiscopi (Respectu tantum subditorum suae dioecesis, non vero aliarum suffraganearum, nisi tempore visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos devoluta, Pal.[16] Con.[17] et Salm.[18] ex *c. Venerabilibus, de sent. excom. in* 6.). Episcopi (Dummodo sint confirmati, esto non consecrati, quia per confirmationem iam accipiunt iurisdictionem, Cont. Tourn.[19] et Salm.[20] ex *c.*

(1) L. c. (2) P. 415. n. 5. (3) P. 116. n. 6. (4) Ibid. num. 18. et 19. (5) P. 415. n. 5. (6) Ibid. (7) P. 50. q. 2. (8) De cens. c. 1. p. 2. n. 19. (9) Ib. (10) L. 7. n. 9. (11) De cens. d. 1. q. 1. p 1. n. 7 (12) L. 7. n 9. (13) Sess. 8.

(14) D. 1. q. 1. p. 2. (15) L. 1. t. 5. par. 1. c. 5. n. 1. (16) D. 1. p. 4. n. 2. (17) D. 13. dub. 4. n. 31. (18) De cens. c. 1. p. 4. n. 29.
(19) De censur. part. 1. cap. 2. ar. 1, v. Dico I.
(20) D. n. 29.

Transmissam de elect.), eorumque vicarii generales (Hoc tamen negant Sayr. Ugolin. et alii apud Croix [1], sed verius affirmant cum Bus. Fagnan. [2] Bonac. [3] Cont. Tourn. [4], item Suarez Sanchez Gutt. Garcia et plures apud Croix [5]. Quia hoc pertinet ad ordinariam potestatem vicarii, qui cum episcopo unum facit tribunal, ut ex *c. Romana, de appell. in* 6. *et c.* 2. *de consuetud. in* 6.). 3. Generales, provinciales et superiores locales religionum (Uti etiam priores, guardiani, rectores, ut Suarez [6] Bon. [7] Pal. [8] et Salm. [9] ex *c. Cum in ecclesiis, de maior. et obed.*) respectu suorum subditorum. 4. Congregationes religionum, concilia provincialia episcoporum, capitula provincialia quorumdam religiosorum (Ac capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, seu vicarius capitularis pro eo, Salm.[10] ex *c. Cum olim de maior. etc.*). Et denique 5. quidam alii ex concessione, ut multi archidiaconi, archipresbyteri et decani (Adde quod censuras ferre possint omnes qui per communem errorem cum titulo praesumpto tamquam superiores habentur ex *l. Barbarius, ff. de off. praet. et ex c. Infamis* 3. *q.* 7. Vide Salm.[11].

11. » Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente, cuius morte expirat (Nisi causa a delegato iam sit incoepta etiam per solam citationem ex *c. Gradum, de offic. deleg.*) nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat specialem huius commissionem, ut si sit delegatus papae (Ex *c.* 3. *de offic. deleg.* propter privilegium quod habent delegati a pontifice).

Unde resolves:

» 1. Non possunt potestate ordinaria ferre censuram 1. Parochi (Ut communiter Cont. Tourn.[12] cum d. Thom. d. Bonav. etc. et Salm.[13] cum Suar. Soto etc. cum *potestas eis concessa ex iure communi sit abrogata per consuetudinem*). 2. Laici, quia non sunt capaces iurisdictionis ecclesiasticae, uti et religiosi professi non habentes primam tonsuram. 3. Foeminae, licet sint priorissae vel abbatissae, quia non sunt capaces iurisdictionis seu potestatis clavium; quando vero in iure dicuntur posse subiectos sibi clericos suspendere ab officio vel beneficio, suspensio non accipitur proprie pro censura, cuius violator irregularitatem incurrit, sed late et improprie pro praecepto, quo abbatissa clerico sibi quodammodo subiecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus interea. Vide Bon.[14] Laym.[15].»

12. Hic sedulo notandum quod ut aliquis possit censuras ferre, sex conditiones requiruntur.

Requiritur 1. Ut sit vir, saltem loquendo de potestate ordinaria. An autem papa ex plenitudine potestatis possit committere mulieri facultatem ferendi censuras. Probabilius negant Salm.[16] cum s. Th. Con. Sot. etc. contra Croix [17] cum Palud. Leandro etc. Ratio quia potestas haec data est apostolis et eorum successoribus, quibus traditae sunt claves ecclesiae; potestas autem clavium nullo modo mulieribus tradi potest. Requiritur 2. Ut sit baptizatus, quia qui non est in ecclesia, non est capax ecclesiasticae iurisdictionis, ita verius Suarez Candid. et Salm.[18] contra Ugolin. etc. Requir. 3. Ut sit saltem prima tonsura insignitus, alias nequit iurisdictionem spiritualem habere, cum non sit in ordine ecclesiastico adhuc constitutus. Ita Salm.[19] cum s. Th. ex *c. Quae in ecclesiarum, de const.* ubi laicis spiritualia tractare prohibetur. Et ideo laicus nequit in vicarium ab episcopo eligi, ut Salm.[20] cum Covar. Communiter tamen dicunt dd. quod ex commissione pontificis posset laicus ferre censuras; quod enim censuras ferens debeat esse ecclesiasticus, est de iure positivo, in quo potest papa dispensare, ita Pal.[21] Cont.

(1) L. 7. n. 24. (2) In c. Quoniam de offic. del. n. 15. (3) Q. 1. p. 2. n. 5. (4) L. c. (5) L. c. (6) D. 2 sect. 2. n. 9. (7) Q. 1. p. 2. n. 5. (8) P. 4. n. 2. (9) Ibid. n. 51. (10) Ibid. n. 52. (11) Ibid. n. 58. (12) Loc. cit. (13) De cens. c. 1. p. 4. n. 53. (14) L. c. (15) L. c. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3. (16) Ibid. p. 5. n. 48. (17) L. 7. n. 19 (18) Ibid. n. 51. (19) Ibid. n. 52. et 56. (20) De cens. c. 1. p. 5. n. 52. (21) P. 4. n. 5

Tourn.[1] Bon.[2] Salm.[3] cum Coninch. et Cand. ac Croix[4] cum comm.

Requiritur 4. Ut sit compos rationis; est commune. Vide Salm.[5]. Imo debet habere intentionem ligandi eum contra quem fert censuram ex *c. Cum voluntate, de sent. exc.* Ex quo infertur 1. quod si praelatus intendit aliquem eximere a generali sententia, ille non incurrit. Infertur 2. quod si praelatus censuram ferat sine animo ligandi, censura non incurritur. Infertur 3. quod si quis excommunicatur ad instantiam partis, ille solum iuxta intentionem partis manet ligatus, ita Salm.[6].

Requir. 5. Ut habeat iurisdictionem expeditam quoad usum, hinc episcopus excommunicatus, suspensus, haereticus aut schismaticus nequit ferre censuras ex *c. Exceptionem, de except.* Et ideo vicarius episcopi excommunicati aut suspensi, non potest ferre censuras ex *c. 1. de offic. vic. in* 6. Occultus tamen haereticus aut excommunicatus valide, etsi illicite, fert censuras, ita communiter Suar.[7] Sot.[8] Diana[9] et Salm.[10] cum Sayr. Corneio et Leand. Et ratio est quia propter publicum bonum, nisi sit vitandus, ecclesia illi conservat iurisdictionem, ut dicit Sayr.[11]. Imo Corn. Sayr. Bonac. Diana Avil. etc. apud Salm.[12] tenent etiam publice excommunicatum valide ferre censuras, si non sit nominatim denuntiatus, vel publicus clerici percussor ex *Extrav.* Mart. v. *Ad evitanda*, ubi sancitur excommunicatum toleratum in eis quae pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, nec etiam ab illis qui id sciunt.

Requir. 6. Ut censuram ferens libere agat, non coacte ex *c. Cum voluntate, de sent. exc.* An autem censura lata ex metu gravi sit valida. Negant Corn. Sayr. et Ugol. apud Salm.[13], verius tamen affirmant Suarez[14] Bonac.[15] Pal.[16] Cont. Tourn.[17] et Salm.[18] cum Con. et Villal. Ratio quia actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali iure positivo irritetur. Certum tamen est quod absolutio per metum extorta invalida est ex *c. Verbum, de poenit.* Vide Salm.[19]. Modo metus sit iniuste incussus, secus si iuste, ut ait Ronc.[20].

13. « Resp. 2. In omnes et solos subditos alicui superiori ecclesiastico potest ferri censura, quia subiectio et iurisdictio sunt correlativa. Laym.[21].

Unde resolves:

» 1. Non baptizati non incurrunt censuras, licet sint catechumeni, nec mortui, quia non subsunt iurisdictioni ecclesiae. Nec refert quod quandoque mortui dicantur excommunicari, non enim de novo ligantur, sed excommunicatio prior tantum declaratur, ac vivis prohibetur ne cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo etc. Similiter dicuntur absolvi ab excommunicatione quando sepultura et orationes publicae pro illis permittuntur. Laym.[22]. »

Ut igitur quis censura ligari possit, quinque requiruntur. 1. Ut sit homo, bruta enim improprie dicuntur anathematizari. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos, nam pueri et perpetuo amentes, sicut sunt incapaces culpae, ita et censurae. An autem ipsi ligari possint interdicto locali, ita ut sint excludendi a divinis officiis. Negant Suar.[23] Cont. Tourn.[24] et Salm.[25] cum Suarez Avil. Corn. (contra Sayr. et Cand.), quia incapaces sunt poenae. Illi vero, qui ad tempus tantum ratione carent, ut amentes ad tempus, ebrii, dormientes, hi ligantur censuris, si tempore quo erant rationis compotes causam dederunt. Salm.[26] cum Suar. Pal. Con. etc.

14. An vero impuberes doli capaces ligari possint censuris. Resp. Si censura feratur per modum praecepti, o-

(1) Loc. cit. (2) P. 2. n. 3. et 6. (3) Cit. n. 52. (4) D. n. 19. (5) Ibid. n. 55. (6) Dict. n. 55. (7) D. 14. s. 1. n. 8. (8) In 4. dist. 22. quaest. 2. a. 1. (9) P. 5. tr. 9. r. 50. (10) Ibid. n. 58. (11) In d. c. Ad evitanda. (12) Ib. (13) De cens. c. 1. p. 5. num. 59. (14) D. 2. s. 5. n. 6.

(15) Q. 1. p. 12. num. 1. (16) D. 11. p. 5. n. 2. (17) De censur. part. 1. cap 3. art. 1. v. Quaeres. (18) Ibid. num. 60. (19) Cit. n. (20) De cens. c. 6. q. 6. (21) L. c. c. 5. (22) Loc. cit. (23) D. 36. sec. 2. n. 7. (24) De censur. part. 2. cap. 5 art. 1. v. Nota 5 (25) Ibid. p. 13. n. 167. (26) Ibid.

mnes dd. affirmant, si tamen per modum sententiae, negant Sayr. Villal. etc., quia impuberes difficulter tueri se possunt in iudicio. Sed adhuc affirmant probabiliter Pal.[1] Suar.[2] Croix[3] Bon.[4] Cont. Tourn.[5] Holzm.[6] et Salmant.[7] cum Con., quia, si non per se, saltem per alium se defendere valent. Advertendum tamen quod censurae generaliter latae a iure vel ab homine non incurrantur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege, ut expressum est de ingressu puerorum in monialium monasteria in conc. Trident.[8] ubi dicitur: *Cuiuscumque aetatis sit.* Idemque est expressum de impuberibus clericorum percussoribus ex *c. Pueris, fin. de sent. exc.* Ita communiter Leand. Sotus Azor. Sa Sayr. etc. cum Salm.[9] (contra Dic. apud Croix[10]). Hinc infert Caelestinus, impuberes nec vi monitorii teneri ad revelandum.

15. 4. Ut sit subditus, qua de re summus pontifex nequit censura ligari, non quidem ab alio, quia superiorem non habet, neque a se, quia non tenetur praeceptis suis vi coactiva, sed solum directiva. Excipe si papa sit haereticus, quia concilium generale tunc potest eum cogere per censuras ex *can. Si papa, d.* 40. Et ideo nec episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis, Salmant.[11]. Si vero censurae sint a iure, eas nec etiam incurrunt episcopi aut cardinales (ut Salm.[12]), nisi de ipsis expressa mentio fiat ex *c. Quia periculosum, de sent. exc. in* 6. Hoc tamen aiunt Salm.[13] cum Palao Suar. Bon. Sayr. et comm. dumtaxat intelligi de suspensione et interdicto, de quibus fit mentio in *d. c.*, non autem de excommunicatione cui subiacent episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio fiat.

16. Reges autem et reginae, quamvis subditi sint episcopis in spiritualibus, iure tamen novo non possunt ligari censuris nisi a papa, et hoc ex privilegio quod eis communiter ab aa. attribuitur, ut dicunt Salm.[14] cum s. Anton. Pal. Corn. Avil. etc.

17. An autem episcopus possit ferre censuras in peregrinos ad cavenda crimina. Affirmant aliqui apud Croix[15], quia ratione delicti ipsi iam fiunt subditi, sed negant probabilius Lugo[16] et alii quos retulimus *de sacr. poenit. l.* 6. *n.* 591. *v. Incurret.* Notandum tamen quod licet episcopus probabilius non possit censuram ferre in peregrinum ante monitionem, potest tamen postquam ille deliquerit in loco, et episcopus eum citaverit, iuxta dicenda *n.* 26.

18. Requir. 5. Ut sit persona determinata, hoc tamen intellige quoad excommunicationem tantum. Quare, licet posset suspendi aut interdici aliqua civitas aut collegium, non potest tamen illud excommunicari, ut communiter docent s. Thom.[17] Pal. Bonac. Henr. etc. cum Salm.[18]. Imo nec ferri potest excommunicatio in aliquem incertum ex communitate, qui scil. tale crimen patraverit, quo casu censura est etiam nulla, ut notant Ronc.[19] et Salm.[20] cum Cand. Hoc tamen currit si excommunicatio feratur per modum sententiae, nam si feratur per modum statuti aut praecepti, in quo aliquid praecipiatur sub excommunicatione, tunc nulli dubium quin omnes transgressores eam incurrant. Salm.[21].

19. Quaer. autem an excommunicatio lata in communitatem per modum sententiae sit non solum illicita, sed etiam invalida. Resp. Si censura feratur in aliquos tantum transgressores ex communitate, certe est nulla, ut omnes dicunt; si vero, facto examine, omnes illius communitatis nocentes reperientur, tunc valide ac etiam licite potest communitas illa excommunicari a papa, ab illis tamen praelatis illicite excommunicaretur cum sit vetitum in *c. Romana, de sent. excomm. in* 6., sed

(1) D. 1. p. 6. n. 2. (2) D. 5. sect. 1. n. 19. (3) N. 42. (4) P. 4. n. 9. (5) De censur. part. 1. cap. 3. art. 3. in init. (6) N. 192. 7) De cens. c. 1. p. 13. n. 168. (8) Sess. 25. c. 3. de reg. (9) L. c. (10) L. 7. num. 42.

(11) Ibid. n. 159. et 160. (12) Cit. n. 160. (13) Ib. (14) De cens. c. 1. p. 13. n. 160. (15) L. 7. n. 32. (16) Ib. (17) 3. p. q. 22. art 5. ad 2. (18) Ibid. n. 169. (19) P. 76. qu. 1 v. Sententiae. (20) L. c. (21) Cit. n. 169.

non invalide, ut dicunt Av. Henr. Led. etc. cum Salm.[1]. Hinc, ut etiam licite episcopus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos culpatos nominatim excommunicare. Salm.[2].

« 2. Advenae et peregrini, brevi tempore alicubi commorantes, non ligantur censuris locorum, generali sententia aut statuto decretis, quia non sunt subditi. Laym.[3].

» 3. Etsi subditi extra suam dioecesim, vel in loco dioecesis exempto delinquentes contra legem sui episcopi non incurrant censuram, superior tamen, saltem regularis, potest suos subditos, ubicumque existant, per particularem sententiam censuris innodare. Laym.[4].

» 4. Haeretici, apostatae et schismatici possunt affici censuris, quia per baptismum sunt subiecti ecclesiae. Vide Laym.[5].

» 5. Solus papa non potest incurrere censuram, quia nulli est subiectus. Bon.[6].»

20. Communis est sententia quod praelati regulares possunt subditos suos censuris innodare, ubicumque isti existant, ita Sanch.[7] Croix[8] Contin. Tourn.[9] Salm.[10] cum Avil. Cand. etc. Dubium vertitur quoad episcopos, sed hic plures quaestiones occurrunt.

21. Quaer. 1. An episcopus extra propriam dioecesim existens possit contra subditos censuras ferre. Exceptis aliquibus casibus, ut infra, resp. negative ex *c. Episcopi, caus.* 9. *q.* 2. *et ex Clem. Quamvis de foro comp.* Ratio quia nemo potest in alieno territorio iurisdictionem contentiosam exercere, ita Pal.[11] Conc.[12] Cont. Tourn.[13] et Salm.[14] cum Con. Avila Corn. etc. Casus excepti sunt 1. Si contumacia sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causae, ex *c. Manifesta*, *caus.* 2. *q.* 1. 2. Si causa sit iam cognita in proprio territorio. 3. Si censura feratur non per modum sententiae, sed per modum praecepti aut statuti ad futura crimina cavenda. 4. Si episcopus sit iniuste expulsus a sua dioecesi, quo casu potest in locis vicinioribus suam iurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta, licentia ab ordinario loci, ut ex *cit. Clem. Quamvis.* 5. Si ordinarius illius loci consentit, ex *c. Nullus*, *caus.* 9. *q.* 2. Tunc tamen requiritur etiam consensus partium, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium, ita Bon.[15] Palaus[16] Conc. et Cont. Tourn.[17] ac Salmant.[18] cum Avil. Cand. et Corn. Notant autem Salm.[19] cum Cand. bene posse episcopum extra dioecesim existentem sine strepitu iudicii absolvere a censuris, non vero iudicialiter.

22. Quaer. 2. An episcopus existens in sua dioecesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, sed pro crimine in propria commisso. Negant Basil. et Gabr. et alii, vide Croix[20], sed affirmandum cum communi et vera sententia, quia alias talis delinquens a nullo puniri posset, ita Bon.[21] Conc.[22] Cont. Tourn.[23] et Salm.[24] cum Con. Corn. Diana et Cand. Et licet citatio rei non possit fieri extra territorium, sufficit tamen ad censuram incurrendam ut reus in propria domo vel in loco publico proprii territorii citetur, ita Salm.[25]. Et hoc currit etiamsi subditus delinquat extra dioecesim, si agatur de re quae in illa fit, prout si excommunicentur clerici omnes qui ad synodum non accedunt etc. Ita Suar.[26] Bon.[27] et Salm.[28] cum Avila Corn. et Cand. Probabilius tamen est, quod si crimen extra territorium consummetur, reus censuram non incurrit, ita Suar.[29] Bon.[30] et Salmant.[31] cum Corn. Diana et Cand. (contra Vill. et Sayr.), et probatur ex *cap.* 2. *de*

(1) Ibid. n. 171. (2) Ib. (3) L. c. n. 5.
(4) L. c. (5) L. c. (6) L. c.
(7) Dec. l. 6. c. 8. n. 55. (8) L. 7. n. 28.
(9) De censur. part. 1. c. 5. art. 5. v. Haec nostra.
(10) De cens. tr. 10. c. 1. p. 9. num. 105.
(11) Dist. 1. p. 5. n. 5. (12) P. 421. num. 8.
(13) Loc. cit. v. Quaeres 5. (14) Ibid. n. 104.
(15) P. 11. n. 3. (16) P. 5. n. 3. (17) Locc. cc.
(18) De cens. c. 1. p. 9 n. 105. (19) Ibid.
(20) L. 7. n. 46. (21) P. 11. n. 13. (22) T. 10 p. 421. n. 9. (23) L. c. v. Quaeres. (24) Ib. n. 107
(25) Ibid. n. 108. (26) D. 5. sect. 4. n. 8.
(27) L. c. n. 7. (28) Ibid. n. 109. (29) L. c. n. 7
(30) N. 10. (31) Ibid. n. 111.

constit. in 6. Casus esset, ex. gr. si sit lata censura contra stuprum committentes, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio, et extra illud stuprum consummat: secus si quis vulneret aliquem in ecclesia, qui alibi moriatur. Salm. [1]. Vel si vulneret in dioecesi et ille moriatur extra, ut Tourn.

23. Quaer. 3. Si episcopus fert censuram in subditum suum per praeceptum particulare, si delinquat (puta si furetur), utrum subditus delinquendo extra territorium censuram incurrat.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suar. [2] Spor. [3] Croix [4] Laym. [5] cum Abb. Sa et Ugol. ac Bonac. [6] cum Salas et Fill. Ratio quia statutum respicit territorium, et ideo extra illud neminem ligat, praeceptum vero respicit personas, et ideo ligat etiam existentes extra territorium.

Secunda sententia negat, et hanc tenent Holzm. [7] Cont. Tourn. [8] Ronc. [9] cum Con. Hurt. et Ant. a Sp. s., item Avila Sayr. Henr. apud Laym. [10]. Idque probat ex *c. Ut animarum* 2. *de const. in* 6. ubi sic dicitur: *Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non paretur impune.* Ergo sicut statutum non ligat, non eo quod non afficiat personas, sed quia non licet episcopo ius dicere extra territorium, ita neque ligare potest praeceptum. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior, nam textui opposito respondetur, quod cum censura est lata per statutum, ideo episcopus non potest ius dicere extra territorium, quia statutum immediate afficit locum, ac propterea quando subditus delinquit extra territorium, non agit contra legem, quae tantum locum afficit; at cum praeceptum particulare afficiat personam, et illi haereat, quocumque discedat (ut fatetur ipse Holzman), ideo subditus, cum extra territorium ligetur praecepto, ligatur etiam censura. Certum autem est ex praefato textu quod si episcopus nullum subdito antea dederit praeceptum sub poena censurae, nequeat eum censura punire, si delinquat in aliena dioecesi. Et idem dicendum, si ille delinquat in loco exempto, quia in eo manet ac si esset in loco extra dioecesim, ex *cap. Cum episcopus, de officio ordin. in* 6. *et c.* 1. *de privil. in* 6. *et Clement. Archiepiscopo, eod. tit.*

24. An autem ecclesiae et monasteria regularium sint loca exempta. *Vide dicta l.* 1. *n.* 156. ubi diximus probabilem esse sententiam affirmativam cum Bon. Sayr. Avila Cand. ac Salm. [11] quibus adde Ronc. [12] et Croix [13], qui ait cum Avila Henriq. Hurt. Delbene etc. quod si episcopus prohibeat statuto generali aliquid, puta lusum alearum sub censura, eam non incurrit ludens in loco exempto.

25. Notandum tamen hic quod si agatur de damno alteri resarciendo, et fur ille in proprium territorium veniat, atque ibi conveniatur de furto extra commisso, bene potest illius ordinarius eum cogere sub censura ad restituendum, ita Suar. [14] et Salm. [15] cum Cand. Soto Avila et Corn. Ratio quia, si postea ille delinquit, debitam restitutionem negligendo, recte episcopus ratione delicti eum excommunicat.

26. Quaer. 4. An episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua dioecesi delinquentem. Affirma, quia quicumque delinquens sortitur forum illius loci ubi delinquit, ex *c. fin. de foro comp.* Excipe 1. Si delinquens esset illius episcopi superior, ut eius archiepiscopus vel patriarcha, secus, si episcopus non esset illi suffraganeus; nam, licet par in parem iurisdictionem non habeat, ut notant Salm. [16] cum Ugolin., ratione tamen delicti ille

(1) Ib. (2) D. 5. sect. 5. (3) P. 117. n. 12.
(4) Lib. 7. num. 43. (5) C. 4. n. 8.
(6) Q. 1. p. 9. n. 17. (7) T. 1. p. 559. n. 105.
(8) Loc. supra cit. v. R. 2. (9) P. 76. qu. 3. r. 1.
(10) L. c. (11) De cens. c. 1. p. 9. n. 114.
(12) P. 76. q. 1. v. Sententia. (13) L. 7. n. 26.
(14) D. 5. sect. 5. num. 5. (15) De cens. c. 1. p. 9. n. 112. (16) Ibid. p. 4. n. 40.

archiepiscopus fit episcopi subditus, ut dicunt Salm. [1] cum Corn. Ex qua ratione Croix [2] (contra Salm. [3]) cum Pign. et Giball. afferente declarationem s. c. quod episcopus etiam archiepiscopum suum in dioecesi episcopi delinquentem possit excommunicare. Regulares autem sunt simpliciter exempti a iurisdictione episcopali ex *c. Ne aliqui, de priv. in* 6. Vide Salm.[4]. Et in religiosos exemptos sive privilegiatos, ut mendicantes et iesuitas (*Vide infr. n.* 241. *Dub.* 9.) nequit episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tamquam delegatus apostolicus, ut Croix [5] cum Pell. et aliis. Excipe 2. Si reus, antequam eius causa cognoscatur ab ordinario loci, ab illius territorio exeat (ad differentiam delinquentis in sua patria, qui, etiamsi postea a proprio territorio discedat ante sententiam et ante citationem, bene potest censura ligari a suo ordinario, ut diximus supra *Qu.* 2.). Secus, si delinquens in alieno territorio, antequam discedat citatione praeveniatur, tunc enim ratione iudicii inchoati subiectus remanet episcopo loci, ita Conc. [6] Ronc. [7] cum Hurt. Laym. [8] cum Abb. Henriq. et Sayr. ac Coninch. Diana Sylvio Avil. Corneio etc. cum Salm. [9].

27. Quaer. 5. An censura alicubi lata, v. g. contra furantes in ecclesia vel contra non revelantes furtum, liget etiam alienigenas ibi existentes. Si censura sit lata per modum praecepti particularis seu sententiae in casu particulari, nempe si sit lata excommunicatio contra non revelantes fures, haec non ligat alienigenas, quia praeceptum particulare non potest non subditos adstringere. Ita comm. Suar. Coninch. Diana Sylv. Sayr. etc. cum Salm.[10] ex *c. A nobis* 28. *de sent. exc.* Si autem censura sit lata per modum statuti generalis pro delictis futuris, puta contra furantes in ecclesia, tunc ligat etiam alienigenas in illo loco existentes, si ibi sint animo commorandi per maiorem partem anni, secus, si transeunter ibi commorentur. Ita Sanchez [11] et Salm.[12] cum Suar. Bon. Sylv. Sayr. etc. Haec sententia probabilior mihi est, sed non puto improbabile, quod tam in primo quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia satis probabile est quod peregrini fiant subditi, si, adhuc per breve tempus, in aliquo loco morentur, iuxta sententiam relatam *l.* 3. *n.* 332.

28. Notand. hic 1. quod semel innodatus una censura potest et alias plures incurrere, etiam eiusdem rationis. Ita comm. dd. cum s. Th.[13] et Salm.[14] ex *Clem.* 2. *de sent. exc.* Notandum 2. quod propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a diversis, scilicet a iure et ab homine, a papa et episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat. Ita probabilius Suarez [15] Palaus [16] Bon.[17] et Salm.[18] cum Fill. Corn. etc. contra aliquos. Hoc tamen intelligendum, si secundus superior intendat vere novam poenam imponere, alias regulariter secunda censura habetur ut innovatio seu publicatio primae, Bon.[19] et Salmant. [20] cum Bon. Cand. Sayr. et Corn. Notand. 3. quod is qui per unicum actum duo peccata committeret specie diversa, quorum utrique censura est imposita, tunc duas censuras incurreret, prout si quis occideret clericum in loco ubi quodvis homicidium sit vetitum sub censura, secus si peccatum non haberet malitias plures specie diversas. Ita Suar.[21] Bon.[22] et Salm.[23] cum Corn. Diana et Cand. Notandum 4. quod si quis reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo cui imposita est censura, toties censuram incurrit, secus si moraliter actus non interrumpitur. Hinc unam censuram incurrit qui pluries successive clericum percutit, qui eo-

(1) Ib. n. 37. (2) L. 7. n. 32. (3) Dict. n. 37. (4) Ib. (5) L. 7. n. 30. (6) P. 422. n. 11. (7) P. 77. q. 2. (8) C. 6. n. 7. (9) De cens. c. 1. p. 4. num. 36. in fin. et p. 9. num. 115. (10) Ibid. n. 117. (11) De matr. l. 3. d. 18. n. 6. et 16. (12) Ibid. n. 116. (13) 3. p. qu. 22 art. 5. ad 2. (14) Ibid. p. 14. num. 175. (15) D. 5. sect. 2. n. 13. (16) P. 6. n. 5. (17) P. 5. n. 13. (18) Ibid. n. 176. (19) N. 11 (20) De cens. c. 1. p. 14. n. 177. (21) Sect. 5. n. 13. (22) N. 3. (23) Ibid. n. 178.

dem actu duos homines extrahit ab ecclesia, ita etiam, dicunt Salm.[1] cum Lugo Rodr. etc., sacerdos excommunicatus qui eodem tempore plures confessiones excipit, quia, sicut si sacerdos ille una absolutione plures absolvit unam irregularitatem incurrit, sic etiam si plures absolvit successive, tunc enim una actio moralis reputatur (sed verius dicendum oppositum iuxta dicta *de pecc. l.* 5. *n.* 50. *Qu.* 6.). Idem si quis uno verbo blasphemaret 12. apostolos, vel eodem impetu plures sanctos, Salm.[2] cum aliis, et hoc probabile est iuxta *cit. lib.* 5. *de pecc. n.* 47. Quid si quis plures clericos eodem actu vulneraret, an plures excommunicationes incurreret. Negant Suar.[3] Bon.[4] et probabile putant Con. Cand. Diana apud Salm.[5], quia sicut unum peccatum iste committeret, sic unam incurreret excommunicationem. Et idem censet Leand.[6] si laesio plurium accideret in eadem rixa et impetu. Sed nos oppositum sequimur cum Salmant.[7] qui citant Corn. Machad. etc., quia probabilius est (ut diximus eodem *l.* 5. *n.* 46.) quod qui uno ictu plures homines occidit, plura peccata committat.

Dub. IV. Ob quam causam possit ferri censura.

29. *Ob quale peccatum incurrantur censurae.*
30. *An ob veniale incurratur levis suspensio vel interdictum.*
31. *An aliae censurae ob veniale sint nullae. Et quid ex hoc inferatur.*
32. *An in dubio de gravitate materiae incurratur censura.*
33. *An praeceptum sub censura obliget sub gravi.*
34. *An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus.*
35. *An possit imponi censura contra officium recitantes distracte.*
36. *An actus peccati debeat esse consummatus. An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante etc.*
37. *An censura contra mandantem etc. incurratur etiam effectu non secuto.*
38. *Observa distinctionem.*
39. *Utrum incurratur in dubio an mandatum influxerit.*
40. *Quid, si dans consilium pro occisione illud revocet ante executionem.*
41. *An requiratur culpa propria.*
42. *Quid excuset a censura incurrenda.*
43. *An ad incurrendam censuram requiratur scire crimen vetitum esse etiam ab ecclesia.*
44. *An hoc valeat etiam pro suspensione et interdicto.*
45. *An detur ignorantia excusans a censura, quin excuset a mortali.*
46. *An metus gravis excuset a censura.*
47. *Quando excuset ignorantia etiam crassa.*
48. *An excuset ignorantia affectata.*
49. *An incurratur censura ob peccatum mere praeteritum. An episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris.*
50. *Censura est invalida* 1. *Ob defectum ferentis*
51. 2. *Si praeteritur ordo iudicii.*
52. *An in omnibus censuris requiratur monitio rei.*
53. *An censura sine monitione sit nulla.*
54. *Et quando sit nulla ob peccatum mere praeteritum.*
55. *An requiratur monitio, si censura sit a iure ferendae sententiae.*
56. *An monitio debeat esse trina cum debito intervallo. Et an debeat fieri ab ipso iudice.*
57. *Quid si censura sit contra plures generaliter.*
58. *An censura sine trina monitione sit invalida.*
59. *Quid notandum quoad sententiam censurae.*
60. *Quae solemnitates in ea sint servandae.*
61. *Quando autem istae solemnitates non requirantur.*
62. *An incurratur censura lata disiunctive, v. g.* Sit excommunicatus vel suspensus.
63. *An possit ferri censura sub conditione.*
64. *An, transacto termino, incurratur censura si creditor proroget.*
65. *Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuras.*
66. 3. *Censura est invalida ob defectum iustae causae.*
67. *Quomodo quis se gerere debeat in dubio, an incurrerit censuram.*
68. *An in dubio censura iudicanda sit iusta. Et an reus teneatur parere iudici iubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter se ad id non teneri.*

29. « Resp. Ob solum peccatum externum censurae proportionatum, et coniunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. g. praelati vel communitatis, non tamen hominis privati, alias requiritur proprium. Bon.[8].

Unde resolves:

» 1. Non possunt censurari infantes vel amentes, quia non peccant. Bon.[9] Laym.[10] ex s. Th. Suar. etc.

30. » 2. Etsi ob peccatum veniale interdum ferri possit levis suspensio vel leve interdictum (Nempe suspensio aut interdictum ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu, secus si sint

(1) Ibid. n. 179. et n. 180. (2) Ibid. n. 183. (3) D. 5. sect. 5. num. 8. (4) P. 8. v. 7. (5) Ibid. n. 184. (6) Ib. (7) Ibid. n. 185. (8) P. 5. (9) D. 1. q. 1. p. 4. (10) C. 4. n. 5

ad omnem usum vel ad longum tempus, tunc etiam habentur ut censurae maiores. Ita Suar. [1] Pal. [2] Bon. [3] Con.[4] et Salm. [5] cum Avil. et Candido. Ideo suspensio ad longum tempus lata ob culpam levem censetur invalida, ut ait etiam Viva, *vide infr. n.* 321.): excommunicatio tamen maior, suspensio gravis et interdictum personale speciale, quidquid sit de generali, non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, quia alioqui poena non esset proportionata culpae. Imo, cum sint poenae medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne censurae contemnantur, ut monet Trident.»

31. Itaque invalida est censura gravis ob culpam tantum venialem imposita, ut communiter docent Sanch. [6] Suar. [7] Bon. [8] Pal. [9] et Salmant.[10]. Et colligitur ex *c. Nullus*, *caus.* 11. *q.* 3. atque ex Trid. [11]. Ratio quia de iure tam naturali, quam divino poena debet esse culpae proportionata. Ex quo infertur 1. quod non potest quis gravem censuram incurrere, nisi gravem culpam prius committat, et ideo qui excusatur a gravi culpa, etiam excusatur a censura gravi. Infertur 2. quod si aliquid praecipiatur, quod, inspectis omnibus, leve est, nec praeceptum obligabit ad mortale nec censura incurretur, ita Suar.[12] Pal.[13] et Salm.[14] cum Con. Soto Corn. et Cand. Dixi *inspectis omnibus*, nam materia in se levis potest reddi gravis ex adiuncta circumstantia scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium, et tunc iuste imponitur praeceptum ac censura: ita ut transgredientes graviter peccent et censuram incurrant, uti incurritur excommunicatio ob levem clerici percussionem, quae, licet in se sit levis materia, erit gravis respectu reverentiae debitae statui clericali. Sic pariter praelatus potest imponere censuram gravem iis qui non interveniunt publicae processioni pro aliqua re gravi ordinatae. Item clericis qui contra praeceptum comam nutriunt, et sic de aliis; secus vero, si res sit de se levis, et in ordine ad finem intentum leviter conducat. Ita Salm.[15] cum aa. cit.

32. Quaer. autem hic 1. An in dubio de gravitate materiae obliget superioris praeceptum et censura incurratur. Respondetur affirmative cum Salm.[16] et Corn. Ratio quia in dubio possidet superioris potestas, quamvis, ut recte notant Salm.[17] cum Diana, praelati sedulo cavere debent ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat illas valde conducere ad bonum finem.

33. Quaer. 2. An eo ipso quod praeceptum fiat sub censura, obliget sub gravi. Intellige, quando res praecepta non est de se certe gravis nec certe levis, sed est talis ut multum conducere possit ad finem intentum, et respondetur quod si praeceptum contineat censuram latae sententiae, tunc obligabit sub gravi, quia eo ipso quo superior censuram vult ipso facto incurri, vult etiam ut suum praeceptum obliget sub mortali, sine quo censura incurri non posset. Ita Ronc.[18] Suar.[19] Bon.[20] et Salm.[21] cum Soto Castro Av. et Corn. Si vero materia de se non sit gravis, et censura sit tantum ferendae sententiae, ita ut ad eam incurrendam requiratur monitio, ut dicemus hic infra *n.* 55., tunc transgrediens non peccabit graviter nisi post monitionem, vel nisi in praecepto adsit clausula, *quod sine ulla monitione talis censura possit a praelato applicari*, quia tunc ipsum praeceptum habetur ut monitio. Ita Ronc.[22] et Sot. Avil. Sylv. Cai. etc. cum Salm. [23].

34. « 3. Actus peccati ob quem censura fertur debet esse mortalis, non tantum quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter

(1) D. 4. sect. 4. n. 2. (2) D. 1. p. 3. n. 2. (3) P. 3. n. 6. (4) D. 13. n. 67. (5) De cens. c. 1 p. 10. n. 124. (6) Dec. l. 1. c. 4. n. 3. (7) D 4. sect. 4. n. 2. (8) P. 3. n. 6. (9) P. 7. n. 2. (10) Ib. n. 126. et 127. (11) Sess. 25. c. 3. de ref.

(12) D. 4. s. 6. n. 9. (13) L. c. (14) Ib. n. 128. (15) De cens. c. 1. p. 10. num. 150. et 151. (16) Ibid. n. 152. (17) Ib. (18) P. 74. q. 1. r. 2. (19) D. 4. sect. 9. n. 11. (20) P. 6. d. 6. n. 8 (21) Ib. n. 154. (22) Loc. cit. (23) L. c. n. 155.

percutiens clericum, etsi intentionem mortalem habuisset, uti nec qui interius tantum est lapsus in haeresim, quam exterius non significavit, quia ecclesia tantum iudicat de externis. Bon.[1].»

Invalida itaque est censura pro actu mere interno imposita: ecclesia enim non iudicat de internis, ex *c. Consuluit* 2. *q.* 3. Ratio quia, cum ecclesiae potestas resideat apud homines, non possunt hi legem ferre nisi de externis, de quibus tantum possunt iudicare. Ita s. Th. [2] et Con. Pal. Sayr. etc. comm. cum Salmant. [3]. Hinc si quis percutiat mensam, aut dicat *ita est*, intendens suam haeresim internam confirmare, non incurrit ideo censuram, quia talis actus aut verbum non est de se aptum ad haeresim significandum, ita Suar.[4] Croix [5] Contin. Tourn. [6] cum Sayr. et Salm. [7] cum Turrian. Coninch. Castro Diana etc. Item si quis fornicetur, haeretica mente iudicans fornicationes licere, Salm. [8]. Imo ad censuram incurrendam actus non solum debet esse externus, sed etiam graviter externus, et ideo non incurrit censuram qui leviter percutit clericum, licet intenderit occidere. Ita cum Busemb. Suar. [9] Sanch.[10] Cont. Tourn. [11] et Salmant.[12] cum Soto Sayr. Henr. Portel. etc. Excipitur tamen, nisi actus interior praeceptus aut vetitus necessario cum exteriori coniungatur, prout cum fulminatur censura contra scienter transgredientes. Sic etiam ecclesia punit simoniam mentalem, non quidem illam quae tantum interne consummatur et non probatur externe, quae nequit puniri, ex *c. finali de simon.*, sed illam quae ex pravo animo interiori producit largitionem pecuniae etc. Salm.[13].

35. An autem incurrat censuram impositam contra officium non recitantes aut sacrum non audientes, qui omnino distracte recitat aut audit. Negat Croix[14] et satis probabiliter, sed probabilius affirmandum, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 313 *v. Circa et l.* 4. *n.* 177. in quibus locis tenuimus tam ad officium, quam ad missam audiendam probabilius requiri attentionem internam.

36. « 4. Actus peccati in suo genere debet esse perfectus et consummatus, nisi expresse aliud sonent verba legis, quia poenae et odia sunt restringenda (Ita Sanch.[15] Suar.[16] Pal.[17] Bonac.[18] et Salmant.[19] cum Con. Hurt. Avil. etc.). Hinc excommunicationem homicidae non incurrit favens, mandans, consulens, iuvans, nec vulnerans lethaliter, nisi mors sequatur.

37. » Item, quando excommunicatur mandans, consulens etc. vel ferens suffragium pro indigno, subintellige, efficaciter seu effectu secuto, quia sine eo mandatum, consilium et suffragium non est completum et perfectum in genere homicidii, furti etc. Alii tamen attendendum esse putant, utrum in mandantes, consulentes etc. principaliter, et per se feratur excommunicatio, an vero accessorie tantum, et dicunt priore casu esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus, non item in posteriore. Quae sententia in praxi est tutior. Bon.[20]. »

38. Et iuxta hanc sententiam dicunt Salm.[21] Croix[22] cum aliis, quod si censura sit imposita contra mandantes aut consilium dantes praecise ob mandatum aut consilium, tunc incurritur etiam effectu non secuto, secus si sit imposita, sed accessorie, nempe propter opus quod ex mandato aut consilio causaretur. Qua de re sentiunt Salm.[23] non incurrere excommunicationem mandantem percussionem clerici, si percussio non accidat, quia tunc iam non influit in opus principaliter sub censura prohibitum. Sic pariter asserunt Salm.[24] et Croix [25] Nav. Diana etc. excusari a censura qui simplex mandatum aut consilium dederit

(1) Loc. cit. (2) 1. 2. q. 91. art. 4. (3) De cens. c. 1. p. 11. n. 136. (4) D. 4. sect. 2. n. 20. (5) L. 7. n. 48. (6) De censur. part. 1. cap. 3. a. 2. v. Ex his. (7) Ibid. n. 142. (8) Ibid. (9) Sect. 3. n. 5. (10) Dec. l. 2. c. 8. num. 7. (11) L. c. (12) Ibid. n. 135. (13) Ibid. n. 139.

(14) L. 7. n. 48. (15) De matr. l. 3. d. 2. n. 5. (16) D. 4. sect. 3. num. 7. (17) P. 8. num. 10. (18) P. 3. n. 12. (19) De cens. c. 1. p. 11. n. 144. (20) L. c. (21) Cit. n. 144. (22) L. 7. n. 39. et 60 (23) L. c. p. 12. n. 147. (24) Dict. n. 147. (25) L. 7. n. 64.

ei qui iam erat determinatus ad opus exequendum.

39. Quaer. 1. Utrum, in dubio an meum mandatum aut consilium influxerit, censuram incurram. Negant Salmant. [1], quia poena non incurritur, nisi constet de crimine et de eius effectu secuto, sed affirmat Croix [2] cum Sanch. Dic. etc. Utraque est probabilis, iuxta dicta *de rest. l.* 3. *n.* 562.

40. Quaer. 2. An mandans sive dans consilium pro occisione clerici incurrat censuram, si ante executionem consilium pro viribus revocetur. Affirmat Conc. [3] cum Nav. Con. et Bon., quia malum consilium praestitum semper pergit influere; sed communius et probabilius negant Suar. [4] Pal. [5] Laym. [6] Viva [7] et Salm. [8] cum Avil. Hurt. Tab. Diana Giball. et aliis, quia ecclesia nequit ligare censuris nisi contumaces. Et idem probabiliter dicunt Viva et Pal. [9] Salmant. [10] cum Fill. Giball. et Tab. ac Croix[11] cum Boss. (contra Con. Corn. Avila etc. apud Salm.[12]) etiamsi revocatio consilii non potuerit innotesci executori, prout idem dicunt Salm.[13] de eo qui dedit venenum clerico, et antequam incipiat operari animum retractavit, et modo quo potuit procuravit effectum impedire, quia dum postea evenit laesio ille non est contumax, unde non debet incurrere censuram, quae est poena medicinalis ad impedienda peccata. Idque videtur satis probabile, iuxta dicenda *n.* 280., ubi probabilius est quod praebens clerico venenum non incurrit censuram, nisi illud incipiat parere effectum, id est laedere. Et quod dictum est de consulente, idem affirmandum de mandante. Advertendum tamen 1. quod consulens sive mandans in tali casu, etsi excusatur a censura, non ideo tamen excusetur a restitutione, ut Salm.[14], iuxta probabiliorem sententiam relatam *l.* 3. *n.* 559. An autem consilium dans aut mandans, vel qui dedit venenum, revocando consilium aut mandatum, aut poenitendo veneni dati, antequam mors sequatur, irregularitatem incurrat. *Vide dicenda de irreg. n.* 370. Advertendum 2. quod qui consilium praebuit, si executionem nequeat impedire, tenetur nihilominus ex iustitia monere laedendum ut sibi caveat, alias nec a censura excusatur, quia omittit modum quo ille possit vitare damnum, in quod iam suo consilio influxit, Salmant.[15]; nam tenetur ex iustitia avertere homicidium, unde si non avertit, illud eius culpae imputatur.

41. Item hic notandum quod non incurritur censura, prout excommunicatio, suspensio, interdictum personale, nisi ob culpam propriam, ut Salm.[16] cum Suar. Bonac. Corn. etc., ex *c. Si sententia, de sent. exc. in* 6. Secus autem si fulminetur interdictum generale, quo ligantur etiam innocentes: ita tamen, quod si hi mutent domicilium et exeant ab oppido interdicto aut collegio, non remanent interdicti, ex *c.* 2. *de const.* Quod vero non currit pro specialiter interdictis, qui ubique interdicti sunt, ex *c.* 24. *Si habes, caus.* 24. *quaest.* 3.

42. « 5. Quidquid excusat a peccato mortali excusat etiam a gravi censura, v. g. materiae parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiae et deliberationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit facti, ut v. g., si nescias quem percutis esse clericum, sive iuris, ut si scias esse clericum teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse. Ratio est quia talis non est contumax. »

43. Ut quis censuram incurrat non solum debet scire crimen illud esse vetitum iure divino, sed etiam ecclesiastico, quia alioquin deest contumacia contra ecclesiam, a qua puniri debet. Ita comm. Sanch.[17] Viva[18] et Salm.[19] cum Suar. Sot. etc.; *vide infra n.* 350.

(1) De cens. c. 1. p. 12. n. 147. (2) L. 7. n. 66. (3) P. 448. n. 14. (4) D. 44. sect. 3. n. 11. et 15. (5) D. 1. p. 7. n. 15. (6) L. 5. c. 5. n. 7. (7) Qu. 1. a. 4. n. 10. (8) Ibid. num. 150. (9) Locc. cc. (10) Ibid. n. 155. (11) L. 7. n. 54. (12) L. c. num. 152. (13) Dict. num. 152. (14) Ib. n. 148. (15) De cens. c. 1. p. 12. n. 158. (16) Ibid. p. 10. n. 121. (17) De matr. l. 9. d. 52. n. 9. et 24. (18) De cens. qu. 1. a. 3. n. 5. (19) Ibid. p. 15. c. 192.

qu. 2. Imo scire debet illud sub censura prohibitum esse, alias eam non incurrit; quia alias tunc deest adhuc contumacia et contemptus censurae. Ita pariter comm. docent dd. cum Sanchez[1] Con. Henr. Dian. etc. cum Salm.[2] et Croix[3] (contra Avil. Cov. etc.). Ideo excusat ignorantia invicibilis, non solum si sit antecedens, sed etiam si sit concomitans. Unde si quis occidit clericum ignorans esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, si scivisset, etiam occidisset, aut si factum scienter approbat. Quia nec ille pravus animus nec ratihabitio (nisi occisio sit facta nomine suo, *vide num.* 267.) de facto influunt in illam clerici occisionem; secus vero esset, si diceret: *Volo hunc occidere, etiamsi sit clericus;* nam, si vere clericum occidit, tunc excommunicationem non effugiet. Ita Fill. Suar. Pal. Cai. etc. comm. cum Salm.[4] Suar.[5] Bon.[6] et Salm.[7] cum Cai. Montesin. Cand. Fill. Corn. etc. *Vide dicenda n.* 275. *v.* Sic etiam.

44. Quod autem dicitur de excommunicatione, idem dicendum putant Salm.[8] de suspensione et interdicto. Et idem probabiliter asserunt de irregularitate quae ob delictum incurritur, si delinquens nesciat invincibiliter illud esse iure ecclesiastico prohibitum, ex *cap. Cognoscentes*, *de const.* et *c. Proposuisti*, *dist.* 82., ubi excusatur depositione imposita in incontinentes, qui illam ignorans peccavit peccato incontinentiae; vide Salm.[9] et vide infra *n.* 350. *qu.* 2. An autem incurrat qui scit ius prohibens, sed non irregularitatem impositam. Adest duplex satis probabilis sententia, *vide dicenda de irregul. n.* 351.

45. Quaer. 1. An possit dari aliqua ignorantia vincibilis quae excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi. Affirmant Sanch.[10] ac Pal. Dian. etc. apud Salm.[11] dicentes posse dari ignorantiam, quae non sit crassa seu supina, et tamen sit graviter culpabilis: nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam; ergo (ut aiunt) ignorantia quae accidit ob magnam, sed non summam negligentiam, erit mortalis, sed non crassa, et ideo excusabit a censura, ut inferunt ex *c.* 2. *De condit. in* 6. ubi ignorantes excusantur a censura: *dum tamen ignorantia crassa non fuerit*, *aut supina.* Verumtamen merito contradicunt Laym.[12] Bon.[13] Boss.[14] cum Suar. et communi, ac Salm.[15] cum Vasq. Con. Corn. etc., qui asserunt praedictam sententiam vix esse practice probabilem, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis quae non sit etiam crassa. Crassa enim evenire potest, non solum quando nulla diligentia, sed etiam quando valde parva adhibetur.

46. Quaer. 2. An metus gravis excuset a censura. Resp. Si res est vetita iure tantum ecclesiastico, certe excusat, quia praecepta humana non obligant cum incommodo gravi. Salm.[16]. Hinc notat Croix[17] quod, si praecipiatur detectio criminis sub censura, nemo tenetur prodere seipsum vel complicem vel alium, si crimen probari nequeat, vel si proditio ipsi grave damnum afferret. Imo gravis metus excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias iure divino sit prohibita; et ideo qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra ius ecclesiae, contra cuius potestatem specialis iniusta contumacia ad censuram requiritur; ita Pal.[18] Suar.[19] Bon.[20] et Salm.[21] cum Con. Cand. Henr. etc. Nec obstat textus in *c. Sacris de his*, *quae vi etc.*, ubi dicitur metus qui non excusat a mortali, nec etiam excusare a censura; nam respondent dd. cit. textum loqui vel de metu levi vel quando agitur in contemptum; vide Salm.[22]. Incurrit autem censuram aut aliam

(1) N. 13. (2) Ibid. n. 195. (3) L. 7. n. 95. (4) C. 1. n. 202. (5) D. 4. s. 8. n. 9. (6) Q. 2. p. 1. n. 14. (7) De cens. c. 1. p. 15. n. 202. (8) Ibid. n. 195. (9) Ib. (10) De matr. l. 9. d. 32. n. 31. (11) Ibid. n. 196. (12) C. 20. n. 20.

(13) P. 1. n. 10. (14) De usu matr. c. 5. n. 35. (15) Ib. n. 197. (16) De cens. c. 1. p. 15. n. 203. (17) L. 7. n. 102. (18) D. 1. p. 8. num. 9. (19) D. 4. s. 3. n. 14. (20) Q. 2. p. 5. n. 2. (21) Ibid. n. 204. (22) Ib. n. 206.

poenam qui metu gravi cogitur aliquid agere in contemptum praecepti ecclesiastici, vel qui ob metum perpetrat malum gravissimum, v. g. si episcopum occideret, vel sine iurisdictione absolutionem sacramentalem praeberet; secus si impeditus ob metum ministraret in sacris, tunc enim non incurreret irregularitatem; ita Bon. et Pal. [1] et Salm. [2] cum Mach. Con. Henr. et Corn. Ratio quia in dictis primis casibus metus non excusat a culpa, etiam contra praeceptum ecclesiasticum: secus in aliis.

47. « Dixi *invincibilis*, quia ignorantia culpabilis et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. g. qui hoc fecerit, *scienter, consulto, vel qui praesumpserit ausu temerario violare*, quae verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte; talis autem non potest dici temere praesumere, nisi ignorantia esset affectata formalem dolum includens; Escob. [3] Sanch. [4].

48. Quaestio est an si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata.

Prima sententia communior negat et hanc tenent Suar. [5] Pal. [6] Cont. Tourn. [7] Conc. [8] Viva [9] Auct. addit. ad Spor. [10] Boss. [11] cum s. Anton. Pont. Per. Fill. Salas Reg. etc. Item Avil. Henr. Led. Vill. etc. apud Salm. [12]. Ratio, tum quia ignorantia affectata includit dolum formalem, tum quia talis ignorantia aequivalet scientiae, ut probatur ex *c. Eos qui, de temp. ord. in* 6 ubi: *Eos qui clericos parochiae alienae absque superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quaesito, praesumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos.* Et ibi Glossa verb. *Affectata*, dicit: *Aequipollent ergo scientia et affectata ignorantia.*

Secunda sententia vero affirmat, eamque tenent Sanch. [13] Bon. [14] Ronc. [15] et Salm. [16] cum Sylv. Tan. Hurt. Dian. Caelest. Corn. Durand. etc. Ratio quia ignorantia affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in poenis impositis scienter peccantibus, cum poenae stricte sint intelligendae, licet autem talis ignorantia includat dolum virtualem, non tamen formalem: qui enim peccat scienter contra legem vere contemnit eam: qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quaerit ipsam ignorare ex timore, quod si ipsam sciret, retraheretur a peccando. Ad textum autem oppositum responderi potest quod ibi per specialem dispositionem legis suspenditur episcopus sic iniuste ordinans, non solum si sciat, sed etiam si affectate suspensionem ignoret. Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primae magis adhaereo, saltem ut communiori. Recte autem Sanchez [17] et Salmant. [18] cum Cov. minime approbant sententiam Panormitani (quamvis probabilem eam putent s. Anton. Sylv. Rodriq. etc.), scilicet quod si quis cum ignorantia crassa et etiam affectata clericum occidit excusatur a censura canonis, cum ibi dicatur: *Si quis, suadente diabolo, etc.*; nam respondetur quod haec verba non importent scientiam formalem censurae, sed tantum peccati.

Notandum hic cum Viva [19] cum Fill. quod ut incurratur censura pro foro interno requiritur contumacia vera, pro foro autem externo, sufficit praesumpta.

49. « 6. Non incurritur censura ob peccatum soli naturali vel divino iuri repugnans, sed requiritur praeceptum ecclesiae quod contumaciter violetur. Item nec ob peccatum merę praeteritum potest censura infligi ab homine,

(1) Locc. cc. (2) Ibid. n. 205. (3) T. 4. c. 6. n. 57. (4) De matr. c. 5. l. 9. d. 52. n. 51. (5) D. 4. s. 10. n. 3. (6) De pecc. tr. 2. d. 1. p. 18. n. 8. (7) De cens. part. 1. cap. 4. (8) C. 19. (9) De cens. q. 1. art. 6. n. 7.

(10) P. 122. n. 59. (11) De usu matr. c. 5. n. 165. (12) De cens. c. 1. p. 15. n. 198. (13) Dec. l. 2. c. 10. n. 38. (14) D. 2. p. 4. n. 9. (15) P. 78. q. 1. r. 2. (16) Ibid. n. 199. (17) N. 11. (18) De cens. c. 1. p. 15. n. 200. (19) De cens. q. 1. art. 1. n. 5.

nisi aliquo modo pendeat in futurum ratione scandali vel restitutionis non factae, vel perseverantiae in peccato post monitionem, quia abest contumacia (Ita s. Th. Suar. Con. Pal. et Salmant. [1] comm.). Nec refert quod quis ob peccatum praeteritum, vel etiam sine peccato (modo iusta causa subsit) possit ad tempus arceri ab aliorum consortio, altari, communione etc., ut subinde fit in religionibus, et in iure etiam vocatur excommunicatio vel suspensio, sed late, quia non est censura proprie dicta, cuius violatio inducat irregularitatem, sed simplex tantum poena, Fill. [2].

» 7. Non incurrit censuram qui legem transgreditur ex gravi metu, licet quandoque non excusetur a gravi culpa, quia non censetur contumax. Laym. [3] Bon. [4] ex Suar. Con. etc. »

Dubitatur an episcopus possit per sententiam ferre censuram pro crimine futuro. Negat Cont. Tour. [5] et probat ex *c. Romana*, *de sent. excom. in* 6. ubi dicitur: *Caveant praelati*, *ne tales sententias excommunicationis*, *sive specialiter sive generaliter*, *in aliquos pro culpis futuris*, *videlicet si quid tale fecerint*, *proferre praesumant*, *nisi culpa seu offensa praecesserit ;* sed affirmant Laym. [6] cum Abb. Cov. et Ug. Spor. ac Viva [7] cum Suar. et Con. Et hoc est valde probabile quando adest iusta causa, atque hic est usus communiter receptus in ecclesia. Respondent autem praefati aa. ad textum oppositum, illud intelligi quando sine causa fertur huiusmodi censura.

50. « 8. Censura invalida est ex triplici capite.

» Primo ob defectum ferentis, si scilicet careat iurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua vide Laym.

51. » Secundo, si substantialis ordo iudicii praetereatur, ut si reus non citetur nec moneatur sub comminatione censurae. Ratio quia non est contumax qui ante non fuit monitus de praecepto et poena annexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem : quia quae fertur a iure vel per sententiam generalem vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri non eget alia monitione, cum lex aut sententia ipsa satis monet. Idem est de sententia non illativa censurae, sed declaratoria tantum: quia absque alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porro ut censura sit licita requiritur primo ut dicta monitio sit canonica, id est, trina iuxta canones, etsi aliquando ex iusta causa sufficiat una tribus aequivalens, v. g. moneo te semel pro tribus vicibus. 2. Ut ex scripto recitetur. 3. Ut causa censurae exprimatur. 4. Ut reo petenti exemplum scripturae intra mensem tradatur, alioquin iudex ipse suspenditur a divinis officiis. Fill. [8] »

52. Praenotandum est hic quod non in omnibus censuris requiritur monitio rei ; nam in excommunicatione, quia ibi omnino requiritur rei contumacia, requiritur etiam monitio : in suspensione autem et interdicto particulari (secus generali), quia hae censurae feruntur aliquando per modum non censurae, sed purae poenae ad punitionem peccati praeteriti, ideo non semper monitio requiritur, ex *c. Tam litteris* 33. *de testib.*, *c. Cum in cunctis* 7. *de elect.*, *c. Sacro* 48. *de sent. exc.*, *et c.* 1. *eod. tit. in* 6., ita Palaus [9] Bon.[10] et Salm.[11] cum Con. Gibal. et Diana.

53. Sed quaer. 1. An censura sine monitione prolata sit valida. Quin monitio sit necessaria de necessitate praecepti nemo dubitat ex *c. Reprehensibilis*, *de appell. etc.* Vide Salm.[12]. Et hic notandum, quod monitio debeat specialiter fieri de censura, cuius fit comminatio, ut Suar.[13] et Salm.[14] cum Soto Con. Suar. etc. comm. Utrum au-

(1) Ibid. p. 10. n. 120. (2) T. 11. c. 6. n. 186. (3) L. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 9. (4) D. 1. q. 2. p. 3. n. 2. (5) De censur. part. 1. cap. 1. v. Censura ab homine. (6) De cens. c. 2. n. 2. (7) Q. 1. (8) T. 11. c. 4. (9) D. 1. p. 3. n. 3. (10) Q. 1. p. 9. n. 8. (11) De cens. c. 1. p. 7. n. 80. (12) Ibid. n. 82. (13) D. 3. sect. 11. n. 7. (14) Ibid. n. 83.

tem monitio sit necessaria de essentia, adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia, quam tenent Suar.[1] Bon.[2], item Cai. Diana etc. apud Salmant.[3] (qui putant probabilem), dicit ecclesiam sive papam ex plenitudine potestatis posse censuras ferre, nulla praemissa monitione. Et probant ex *c. Duo sunt*, *d.* 96. ubi Innocentius excommunicavit Arcadium ob delictum praeteritum, et *c. Tanta*, *d.* 86. ubi s. Gregorius excommunicavit quosdam sine monitione ob crimen iam factum.

Secunda sententia vero communior et probabilior quam tenent Sanchez[4] Anacl.[5] Cont. Tourn.[6] et Salm.[7] cum Soto Con. Avil. Corn. Giball. etc. docet omnino praemittendam esse monitionem canonicam, nisi censura sit iam lata a iure. Probatur ex *c. Statuimus* 3. *de sent. excomm.* ubi dicitur quod canonica monitio necessario praemittenda est, *aliter excommunicatio prolata non teneat*. Et idem dicitur in *c. Constitutionem* 9. *eod. tit.* Praeterea probatur ex Matth. 18. ubi: *Quod si ecclesiam non audierit sit tibi tamquam ethnicus*. Ergo ecclesia non habet facultatem ferendi censuras, nisi contra contumaces qui nolunt ecclesiam audire; censura enim est poena medicinalis quae tantum in eum fulminanda est qui ob suam contumaciam aliter sanari non potest: nullus autem contumax dici potest, nisi prius de poena infligenda fuerit admonitus. Nec obstant textus oppositi: nam ad *c. Duo sunt* respondent Salm.[8] quod Arcadius ibi excommunicatus fuerit, quia Chrysostomum iniuste prius eiectum noluit revocare. Ad textum autem in *c. Tanta* respondetur non esse ibi proprie sermonem de excommunicatione, sed tantum de privatione eucharistiae. Dixi autem, nisi censura sit a iure iam inflicta latae sententiae, quia tunc ipsa lex monet; excipitur tamen 1. suspensio lata contra religiosos usurpantes decimas vel prohibentes aut non permittentes eas solvi, ex *Clem.* 1. *de dec.* Excip. 2. excommunicatio lata in religiosos impedientes visitationem episcopi, ex *Clement. un.* §. *fin. de statu monachor.*; in utroque enim casu in praefatis textibus requiritur monitio.

54. Stando autem in iure communi, procul dubio invalida est censura lata ob peccatum mere praeteritum, nisi habeat tractum successivum in futurum, ut docent Anacl.[9] Conc.[10] et Salmant.[11] ex *c. Ex parte, de sign. verb.* Nulla enim esset censura lata ob blasphemiam vel furtum mere praeteritum. Quando ergo excommunicatur aliquis ob furtum, excommunicatur ratione contumaciae, vel quia fur sciebat furtum esse ab ecclesia vetitum sub censura, vel quia monitus sub poena censurae renuit restituere; ita Viva[12] (*Vide dicta n.* 33. *in fin.*). Tunc enim incurritur censura sine alia sententia declaratoria, ad differentiam aliarum poenarum ecclesiasticarum, ut sunt privatio officii, inhabilitas ad officia, etc. quae semper sententia saltem declaratoria indigent; Croix[13] cum Less. Barb. Pell. etc. comm.

55. Quaer. 2. An requiratur monitio, si censura sit comminata a iure ferendae sententiae. Si censura sit comminata ab homine, certum est non requiri monitionem, quia per illud praeceptum iam etiam habetur monitio ab ipso iudice facta, ut Sanch.[14] et Salm.[15]. Dubium ergo est si sit a iure. Duae sunt sententiae.

Prima dicit omnino requiri monitionem, et hanc tenent Pal.[16] Suar.[17] Layman[18] et Salm.[19] cum Cai. Corn. Diana etc., quia (ut dicunt) cum sententia censurae ferenda est ab homine, sicut censura lata a iure petit monitionem a iure, sic ferenda ab homine petit monitionem ab homine.

Secunda sententia tamen probabilior

(1) D. 3. sect. 8. n. 8. (2) Q. 1. p. 9. n. 4. v. Secundo. (3) Ib. n. 33. (4) De matr. l. 9. d. 32. n. 13. et 21. (5) P. 433. q. 2. n. 19. (6) De censur. part. 1. cap. 3. art. 4. sect. 1. v. Dico 1. (7) Ibid. n. 84. (8) De cens. c. 1. p. 7. n. 36.

(9) P. 433. n. 17. (10) P. 422. n. 1. (11) Ibid. p. 10. n. 120. (12) De cens. q. 1. art. 4. n. 5. (13) L. 7. n. 77. (14) De matr. l. 2. d. 24. n. 23. (15) De cens. c. 1. p. 7. n. 90. (16) P. 5. n. 7. (17) D. 5. sect. 10 num. 19. (18) C. 5. n. 3. (19) Ibid. n. 91.

dicit non requiri monitionem, eamque tenent Busemb. ut supra *n.* 51., Bon.[1] Sanch.[2], item Fill. Abb. et Avila apud Pal.[3] qui probabilem putat. Ratio quia ad hanc censuram iam habetur utrumque monitio et contumacia: monitio quae facta est ab ipsa lege, tam enim monet lex infligens censuram latae sententiae quam ferendae: et contumacia, quia ille iam monitus noluit obtemperare. Nec obstat ratio opposita, quia tunc superior, cum teneat locum primi legislatoris, sicut posset legislator, sic etiam ipse superior potest censuram exequi. Bene tamen advertunt Suar.[4] Tolet.[5] et Bon. [6] cum Nav. Fill. Felin. etc. quod eo casu requiritur citatio rei ad censuram declarandam, cum bene fieri possit quod reus probabilem sui facti excusationem afferat; nisi forte, excipit Bonac. [7], crimen sit adeo notorium ut evidenter constet nullam reo competere defensionem.

56. Notandum autem 1. quod monitio canonica proprie est trina, sed etiam canonica est si fiat una pro tribus (adhuc sine causa), dummodo pro ista una aequivalens tempus designetur, nempe sex dies (nam pro unaquaque monitione requiritur spatium saltem duorum dierum, ut dicunt Suarez [8] et Salm. [9] et colligitur ex *c. Constitutionem, de sent. exc. in* 6.); et dummodo terminus sex dierum assignetur ut peremptorius et ultimus, alias reus contumax non constitueretur. Ita Salm.[10] Bon.[11]. Sufficit tamen si dicatur: *Mandamus ut infra sex dies restituat, alias excommunicatur ipso facto;* quia tunc virtualiter terminus peremptorie assignatur, Suarez [12] Pal.[13] et Salm.[14]. Notandum 2. quod ex iusta causa tria illa intervalla redigi possunt ad unum diem vel brevius tempus, modo tria spatia assignentur, ut Bonac.[15] Suar.[16] et Salmant.[17] cum Con. et Gibal. Et aliquando, si periculum sit in mora, ut si clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimenda violentia et turbatione iurisdictionis, sufficit tunc una monitio sine illis competentibus tribus spatiis, modo terminus designetur, ut Salmant.[18] cum Corn. et Croix [19]. Notandum 3. quod monitio debet fieri ab ipso iudice vel ab alio eius nomine. Et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet; ita Suar.[20] Bon.[21] et Salm.[22] cum aliis. Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi iudex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune, ex *c. Venerabilibus*, §. *Porro*, *de sent. exc. in* 6. Quia tunc sufficit si monitio fiat oretenus, ita tamen ut probari possit in foro. Ita Salm.[23] cum Giball. et Corn. ex *c. Sacro*, *de sent. excomm.*

57. Notandum 4. quod si censura ferenda sit contra plures generaliter, sufficit ut fiat monitio in ecclesia coram populo: si vero ponatur interdictum contra communitatem, sufficit ut moneantur ii ob quorum culpam fertur; ita Suar.[24] Bon.[25] et Salm.[26] cum Giball. etc. Si autem fulminetur censura contra particularem personam, tunc ipsa specialiter monenda est. Excipe tamen tres casus sequentes in quibus sufficit fieri monitio in eius domo, vel si domum non habeat, in ecclesia vel loco publico. Casus 1. est quando reus absconditur aut fraude impedit monitionem, ut Salm.[27] cum Avila ex *c. final. de dolo et contum.* Dolus autem debet constare testibus aut manifestis indiciis, Con.[28] et Corneio cum Salmant.[29]. Casus 2. quando reus est semel personaliter citatus; tunc enim aliae citationes fieri possunt domi aut in ecclesia aut tribunali, Salm.[30] cum Bon. *ex decis. rot. rom.* Casus 3. est quando probari potest citatio domi facta iam ad notitiam rei pervenisse,

(1) Q. 1. p. 9. n. 4. (2) De matr. l. 2. d. 24. n. 23. (3) N. 6. (4) D. 3. sect. 14. n. 6. (5) L. 1. c. 45. n. 3. (6) D. n. 4. v. Quarto et p. 15. n. 6. (7) Eod. n. 4. (8) D. 3. sect. 9. n. 3. (9) Ibid. p. 8. n. 95. (10) De cens. c. 1. p. 8. n. 95. (11) Quaest. 1. p. 9. n. 5. (12) D. 3. sect. 12. n. 7 (13) P. 5. n. 8. (14) Dict. n. 95. (15) P. 9. n. 7. (16) D. 3. sect. 9. n. 3. (17) Ib. n. 94. (18) Ib. (19) L. 7. n. 73. (20) D. 1. sect. 11. num. 1. (21) N. 4. (22) Ibid. n. 95. (23) Cit. n. 95. (24) D. 3. sect. 8. num. 2. (25) P. 9. n. 11. (26) Ibid. n. 96. (27) De censur. c. 1. p. 8. n. 96. (28) N. 9. (29) Ibid. (30) Cit. n. 96

tunc enim reliquae citationes etiam domi fieri possunt; Suar. Bon. Corn. etc. cum Salm. [1] et colligitur ex *Clem.* 3. *de elect.*

58. Notand. 5. quod licet de necessitate praecepti trina monitio sit necessaria, alias iudex lethaliter peccabit (nisi urgentissima causa, ut supra, excusaret), uti apud omnes est certum; sine tamen illa trina monitione minime equidem censura erit invalida, cum in *c. Romana de sent. excom. in* 6. censurae sine monitione debita inflictae vocentur iniustae, sed non invalidae: imo in *c. Sacro, de sent. excom.* dicuntur iustae, intellige, eo quod saltem non sint contra iustitiam commutativam aut distributivam, quamvis sint contra legalem; ita Pal.[2] Bon. [3] et Salmant.[4] cum Con. Gibal. Corn. et Diana. Excipiuntur tamen duo casus, in quibus, nisi praecedat trina monitio vel una pro tribus, ut supra, invalida est censura: 1. Quando iudex excommunicat aliquem (vel suspendit aut interdicit) communicantem cum excommunicato a se, ex *c. Statuimus* et *c. Statutum*, *de sent. excomm. in* 6. 2. Quando constat delegatum non aliter accepisse facultatem ferendi censuras, quam trina monitione praecedente. Salmant. [5].

59. Haec quoad monitionem censurae. Quoad autem censurae sententiam notandum 1. quod ad censuram incurrendam non sufficit simplex voluntas superioris, sed requiritur ut sensibiliter ipse eam manifestet scripto aut verbis, ut est certum apud Salm.[6], aut etiam alio externo signo, ut communiter Suar. [7] et Salm. [8] cum Corn. Vill. Candid. etc. contra aliquos. Notandum 2. quod, licet pro censuris valide ferendis non sint necessaria verba aut signa determinata, oportet tamen ut sufficienter determinetur persona, crimen et censura; Salm. [9] ex d. Th.[10]. Et idem dicitur de censurae absolutione, Salm.[11] cum Cand. Cord. et Gib.

60. Notand. 3. quod ad censuras licite ferendas observandae sunt solemnitates assignatae ab Innoc. IV. in *c. Cum medicinalis* 1. *de sentent. excom. in* 6. ubi sic habetur: *Quisquis igitur excommunicat excommunicationem in scriptis proferat et causam excommunicationis expresse conscribat ... Exemplum vero huiusmodi scripturae teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.* Postea additur: *Si quis autem iudicum huiusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu ecclesiae et divinis officiis noverit se suspensum.* Et ibidem: *Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari.* Ratio pontificis haec omnia praescribendi fuit ne festinanter et temere et imprudenter censurae fulminentur. Ultra autem has poenas ipso facto incurrendas alias assignat pontifex a superioribus inferendas, nempe 1. ut reus protinus a censura absolvatur. 2. Ut si iudex in eo mense, in quo suspenditur ab officiis et ingressu ecclesiae, illis se ingesserit, tunc irregularitatem incurrat. 3. Ut idem iudex teneatur solvere expensas omnes, et insuper arbitrio superioris alias poenas subire. Ex quo infertur quod licet censura sine praefatis solemnitatibus sit valida, ut verius tenent Pal.[12] Salmant.[13] cum Avila Leand. Gibal. Candido etc. contra Ripa et Sayr. dum ex ipso *c. cit.* praecipitur ut iudex censuram relaxet, ergo valida censetur; attamen iudex procul dubio graviter peccabit si aliquam ex dictis solemnitatibus omittet, nempe si non ferat censuram in scriptis, si causam non assignet, si exemplum postulanti non concedat; ita Bonac.[14] et Salm.[15] cum Sayr. Gibal. etc.

61. Advertendum tamen 1. quod hoc currit quando censura fertur per mo-

(1) L. cit. (2) P. 5. n. 7. (3) P. 9. n. 6. (4) Ibid. n. 97. (5) Ib. n. 98. (6) Ib. p. 6. . 61. (7) D. 5. sect. 2 num. 3 (8) Ibid. n. 63. (9) De cens. c. 1. p. 6. n. 66. (10) In 4. d. 27. q. 1. art. 2. (11) Ib. (12) D. 1. p. 5. n. 10. (13) Ib. n. 75. (14) P. 8. n. 1. (15) De cens. c. 1. p. 2. n. 72.

dum sententiae, cognita causa, cum citatione, ut patet ex verbis in *cit. c. Cum medicinalis*, *Si quis iudicum etc.* Secus si censura fertur a iure vel etiam ab homine, sed per modum legis generalis sive praecepti particularis, v. g. alicui ne aliquid agat: tunc enim tales solemnitates non requiruntur. Ita Salm. [1] cum Gibal. Sayr. et Cor. Advertendum 2. quod in scriptura debet exprimi causa censurae, non in genere, sed in specie; et insuper scriptura debet esse authentica, ita ut sit sigillo obsignata et subscripta a iudice vel alio eius nomine, aut saltem quae idoneis testibus probari possit; Salm. [2] cum Gib. Corn. etc. Advertendum 3. quod si iudex sit episcopus sufficit si proferat censurae sententiam per alium, si vero sit episcopo inferior, debet per seipsum proferre vel saltem per notarium aut alium ministrum; Salm. [3] cum Villal. Corn. Mach. etc. Advert. 4. non incurrere poenas qui dictas solemnitates omitteret ex causa argenti quae moram non pateretur, cum in textu dicatur: *Si quis temerarius etc.* Ex quo infertur quod non solum non incurrit poenas episcopus, etiamsi culpabiliter solemnitates omittat, dum in poenis suspensionis et interdicti debet specialis mentio fieri de episcopis, ut ex *c. Quia periculosum*, *de sent. excom. in* 6. Unde, dum in *cit. c. Medicinalis* inter alias poenas indicitur suspensio, apparet quod sanctio illa, sicut non respicit episcopos quoad suspensionem, neque quoad alias poenas; ita Pal. [4] et Salm. [5] cum Cand. et Mach.: sed nec etiam quivis alius ex ignorantia culpabili omittens, quia temeritas veram scientiam requirit, iuxta dicta *l. 1. n.* 174. Advertendum 5. quod poenae incurruntur etiamsi censura non habeat effectum, puta, si iudex iurisdictionem habeat impeditam vel si reus solvat aut appellet. Quia a pontifice non punitur prolatio iniustae censurae, sed prolatio sine solemnitatibus praescriptis. Ita Salm. [6] cum Gibal. Felin. etc. contra aliquos.

62. Sed dubitatur hic 1. An incurratur censura lata sub distinctione, v. g. si dicatur: *Maneat excommunicatus aut suspensus.* Adsunt duae sententiae, ambae probabiles. Negant Sylv. Nav. Henr. etc., quia ad censuram incurrendam requiritur ut ipsa in specie individue determinetur; affirmant autem Suar. [7] Bon. [8] et Cand. Corn. cum Salm. [9] quia vi illius propositionis copulativae tantum optio datur reo eligendi censuram qua malit ligari, si autem nullam eligat, dicunt Bon. et Cand. utramque incurrere: sed melius tenent Salmant. cum Suar. quod, si unam frangat, alteram eligere censeatur.

63. Dubit. 2. An possit ferri censura sub conditione. Potest sine dubio ex *c. Praeterea* 2. *de appell.* Sed censura postea non incurritur nisi conditione impleta. Quare non incurritur, si ante impletionem appelletur, ex *eod. c.* 2. vide Salm. [10] (Advertendo quod appellatio ante sententiam censurae eam suspendit, secus si fiat post sententiam, Croix [11]). Vel si creditor pendente conditione, proroget terminum pro censura a iudice assignatum. Quia sicut potest creditor debitum remittere, ita et terminum prorogare, ut docent Palaus [12] Salm. [13] cum Nav. Sylv. et Corn. ac Cont. Tourn. [14] *ex cap. Pastoralis de appel.*

64. Sed hic dubit. 3. An transacto termino prorogato a creditore, iudice inconsulto, si debitor non solvat, censura incurratur. Negant Ugol. Henr. Sayr. Nav. apud Salm. [15] quia suspendere et prorogare censuram est actus iurisdictionis, quam non habet creditor. Sed probabilius affirmant Suar. [16] Pal. [17] Cont. Tourn. [18] et Salm. [19] cum Cov. Corn. et Leand. Ratio quia ille terminus non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne solutio ultra prorogetur sine creditoris consensu; qua-

(1) Ibid. n. 74. (2) Ib. n. 75. (3) Ib. n. 76. (4) Tr. 29. d. 1. part. 5. n. 9. (5) Ib. n. 77. (6) De cens. c. 1. p. 6. n. 79. (7) D. 3. sect. 2. n. 12. (8) Part. 7 (9) Ibid. num. 63. et 64

(10) Ib. n. 68. (11) L. 7. n. 109. (12) P. 8. n. 5 (13) Ibid. n. 69. (14) Tr. de censuris part. 1 cap. 4. quaer. 5. r. 2. (15) Ibid. num. 70. (16) D. 3. sect. 2. n. 11. (17) P. 8. num. 6. (18) Loc. cit. quaer. 4. v. Caeterum. (19) L. c.

re, transacto termino a creditore prorogato, eadem censura manet et incurritur.

65. Incurrit etiam censuram qui, pendente conditione, mutat forum, quia adhuc primum forum retinet iurisdictionem. Ita Ugol. et Con. apud Salm.[1]. Limitant tamen [2] Con. et Suar., nisi ex iusta causa, et non in fraudem, domicilium cum foro mutaretur.

Hic deinde notand. 1. quod censura ferri debet diebus non feriatis, quando ipsa per modum sententiae profertur, ex *c. final. de feriis*. Si vero diebus feriatis feratur, erit illicita quidem, sed non invalida, ut Palaus [3] et Salmant.[4] cum Sayr. et Corn. Verum bene possunt ferri diebus feriatis censurae, quando imponuntur per modum legis aut praecepti; et etiam illae quae feruntur per modum sententiae, quando contumacia ita patet, ut cognitione causae non egeat, ex *c. Evidentia*, *de accus*. Monitio autem censurae frequenter fieri solet die non feriato, si causae cognitio non praecedat; secus, si praecedat. Salm. [5] cum dd. cit. Notand. 2. quod, si iudex sciat censuratum esse absolutum pro foro interno, docent Henr. Fill. et Dec. apud Croix [6] non esse puniendum pro foro externo. Notand. 3. quod, qui semel censuram incurrit debet denuntiari et publicari, ut sic citius resipiscat, ex *c. Pastoralis*, §. *fin. de appell.* et *Clem. fin. de cen.* Haec autem, si lata fuerit ab homine, sive per modum statuti sive per modum sententiae particularis, ab ipsomet debet denuntiari. Si vero lata fuerit a iure communi, denuntiatio debet fieri ab ordinario loci, ubi censura incursa fuerit, ex *Clem. 1. de privil.* Sed tunc ante denuntiationem praecedere debet citatio rei facienda a superiore proprio, dato ei termino ad ius suum dicendum, alias denuntiatio erit nulla ex *Clem. Saepe*, *de verb. sign.* Ita Croix [7] cum Nav. Cov. Pal. et aliis

(1) De cens. c. 1. p. 6. n. 68. (2) Ibid. in fin. (3) P. 5. n. 15. (4) Ibid. p. 9. n. 100. (5) Ibid. (6) L. 7. n. 80. (7) L. 7. n. 76. (8) Ib. n. 101. et cod. tr. c. 5. p. 2. num. 16. (9) Cit. n. 101. (10) P. 1. c. 6. (11) Dec. l. 1. c. 10. n. 42.

comm. apud Salm.[8]. Si autem reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus. Salm. cum Suar. [9].

66. « Tertio, ob defectum iustae causae. Haec autem deficere potest tripliciter: 1. Si nec a parte rei nec secundum allegationes fori externi subsistat 2. Si a parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad iudicium, quia reus de eo non confitetur nec legitime de eo convincitur. 3. Si a parte rei non subsistat crimen, etsi iuridice probetur, ideoque titulum seu causam praesumptam habeat iudex. In quo casu, etsi sententia a parte rei sit iniusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiae, in foro tamen externo servari debet propter scandalum. Vide Laym.[10]. »

67. In dubio an censura sit incursa vel ne in foro conscientiae non tenemur nos gerere ut censuratos. Et hoc sive dubium sit facti, id est circa crimen, puta si dubitetur an percussio clerici fuerit graviter iniuriosa, ut docent Sanch. [11] Bon.[12] Holzm.[13] Mazz.[14] Pal.[15] Laym.[16] Ronc.[17] et Salm.[18] cum Cand. Tanner. et Diana contra Sayr. Azor. etc. apud Bon., sive dubium sit iuris, id est circa sententiam, puta si dubitetur an censura fuerit latae an ferendae sententiae, vel an conditio apposita in sententia sit impleta vel non, ut Sanch. Bon. Holzm. Ronc.[19] et Salmant.[20] cum Val. Cov. et Diana ex d. Th. qui [21] docet quod post determinationem iudicis standum est eius sententiae, secus ante determinationem. Ratio pro dubio facti est, quia in dubio nemo est expoliandus iure suo communicandi quod possidet; pro dubio autem iuris ratio est, quia poenae sunt restringendae, unde in dubio non incurruntur. Si vero post censuram incursam dubitetur de absolutione ob tenta vel de appellatione interposita et similibus, tunc omnino reus debet se habere ut censuratum, quia tunc

(12) D. 2. q. 1. p. 6. §. 2. n. 49. (13) De cens. c. 4. n. 151. (14) T. 1. p. 63. (15) D. 1. p. 3. n. 8 (16) C. 5. §. 4. n. 38. (17) De 5. praec. c. 2. q. 6. (18) De cens. c. 1. p. 16 n. 209. (19) Locc. cc (20) Ibid. n. 210. (21) Quodlib. 4. art. 14.

possessio stat pro superiore, ut recte dicunt Sanch. [1] Pal. [2] et Salm. [3] cum Cov. Et idem dicendum cum Sanch. [4] et Salm. [5], si dubium sit de potestate superioris, quando hic pacifice eam possidet.

68. Dubit. 1. In dubio an censura fuerit iusta vel ne, an ut iusta sit iudicanda. Negat Dicast. apud Croix [6] dicens superiorem esse quidem in possessione ferendi censuras iustas, sed cum de iustitia dubitatur, potius dicendum est possidere libertatem subditi. Et idem sentiunt Vasq. Sancius etc. apud Viva [7] loquendo de lege dubie iusta, probabile putat Tamb. [8]. Sed verius affirmant Salm.[9] Viva [10] Bonac.[11] cum Vasq. Suar. et Salas; item Pal. et alii communiter cum Croix [12], quia in dubio possidet potestas iudicis.

Dubit. 2. An si reus habet opinionem probabilem pro se teneatur parere iudici aliquid praecipienti sub censura, puta solutionem pecuniae. Affirmandum etiam cum communi, sive dubium sit iuris sive facti, quia alias nunquam lites finirentur; ita Salm.[13] cum Soto Diana Vasq. et Avila. Bene tamen advertunt Salm.[14] cum Avila, quod in dubio facti id procedit durante dubio; nam si postea censuratus fieret certus de sua innocentia, tunc non tenetur nec solvere nec se gerere ut censuratum: tunc enim sententia non potest obligare, cum nitatur praesumptione certe falsa. Sed si talis censuram in publico violaret, v. g. in sacris ministrando, licet irregularitatem non incurreret, peccaret tamen ob scandalum, et tunc in foro externo gerere se deberet ut irregularem, ita Suarez [15] Pal.[16] Croix [17] et Salm.[18] cum Coninch. Hoc tamen intelligendum nisi publice constet censuras esse nullas, ita ut omnino absit scandalum; Salm. [19] cum Nav. Avila etc. ex *Clemen. Pastoralis, de re iudicata*. Praeterea advertit Contin. Tourn. cum d. Th. ex *c. Pastoralis, de offic. et pot. iud. del.*, quod executor sententiae, quae sit iusta secundum allegata et probata, tenetur eam executioni mandare, etiamsi ex privata scientia noverit esse iniustam, secus vero si sententia etiam secundum probata esset omnino iniusta, ex *c. Super eo, de crim. falsi.*

(1) L. c. n. 67. et 59. (2) L. c. (3) Cit. n. 210. (4) N. 60. (5) Ibid. (6) L. 7. num. 123. (7) De leg. q. 1. art. 3. n. 4. (8) Dec. l. 1. c. 5. verb. Subditus. (9) De legib. c. 1. p. 2. n. 1.

Dub. V. Qui possint absolvere a censuris.

69. *Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine et inter latam a iure vel ab homine per sententiam generalem.*
70. *Quis possit absolvere a censuris latis a iure.*
71. *An omnes confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori. An simplex sacerdos.*
72. *Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem.*
73. *Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas.*
74. *Quae censurae reservatae possint absolvi ab episcopo per cap.* Liceat.
75. *Vide verba capituli.*
76. *Not. 1. An episcopus possit dispensare in irregularitate propter haeresim. Not. 2. Quando crimen dicatur occultum vel deductum ad forum.*
77. *Dub. 1. An possit absolvi ab episcopo qui fuerit punitus in foro alterius episcopi.*
78. *Dub. 2. An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab episcopo in alio, ubi est occultum.*
79. *Not. 3. Qui veniant nomine episcoporum. Not. 4. Qui veniant nomine subditorum. Not. 5. Episcopi possunt absolvere a casibus papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum* (*Remissive ad lib. 6. n. 594.*).
80. *Not. 6. An episcopi gaudeant hac facultate ubi Tridentinum non est receptum.*
81. *Qu. 1. An episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus cum suo subdito in aliena dioecesi morante.*
82. *Qu. 2. An facultas concessa in cap.* Liceat *fuerit revocata per bullam Coenae.*
83. *Verior sententia.*
84. *Qu. 3. An episcopi possint absolvere a censuris bullae Coenae impeditos adire Romam.*
85. *Qu. 4. Quinam dicantur impediti.*
86. *Quid, si impedimentum sit ad breve tempus, et quid si ad longum.*
87. *An teneatur reus absolutus deinde se praesentare pontifici, si iam sit emendatus et parti satisfecerit.*
88. *Quid si impedimentum sit perpetuum. Et qui dicantur perpetuo impediti.*
89. *Qu. 5. An impediti teneantur adire Romam per epistolam aut procuratorem.*
90. *Qu. 6. An episcopus possit absolvere haereticum impeditum etiam per alium.*
91. *Qu. 7. An cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur poenitens se praesentare superiori.*

(10) L. c. (11) Eod. tit. d. 1. q. 1. p. 7. §. 3. n. 11. (12) Dict. n. 123. (13) De cens. c. 3. p. 1. n. 6. (14) Ib. (15) D. 4. sect. 7. n. 11. (16) P. 8. n. 15. et 16. (17) L. 7. n. 84. (18) Eod. tr. c. 1. p. 16. n. 212. (19) Tr. cit. c. 3. p. 1. n. 5.

92. *Qu. 8. An impediti adire episcopum possint a quocumque absolvi.*
93. *Qu. 9. An possint episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in c* Liceat.
94. *De facultate mendicantium absolvendi reservata.*
95. *Quas censuras possint regulares absolvere quoad saeculares.*
96. *An possint eos absolvere a casibus papalibus occultis.*
97. *An pro foro externo.*
98. *An a casibus ab episcopis sibi reservatis.*
99. *An a censuris episcopis reservatis a iure vel a consuetudine.*
100 *An a casibus* Clementis *occultis.*
101. *An regulares possint absolvere subditos ab omnibus casibus papalibus extra bullam Coenae.*
102. *An etiam novitios.*
103. *An novitios etiam a censuris ab episcopo sibi reservatis.*
104. *An praelati regulares possint absolvere subditos a casibus bullae Coenae. Usque ad n.* 106.
107. *An subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici saecularis.*
108. *Quid circa recipientes bullam Cruciatae. Remissive.*
109. *Regulae pro absolvendis censuris.*
110. *An, data facultate absolvendi a papalibus, comprehendantur censurae bullae Coenae.*
111. *An in iubilaeo, data potestate absolvendi, omnes censurae comprehendantur, etiam latae ab episcopo specialiter.*
112. *An habens facultatem circa casus bullae Coenae possit absolvere etiam ab haeresi. Usque ad n.* 113.
114. *Quid amplius notandum circa facultates regularium.*
115. *Quid amplius circa facultatem concessam in iubilaeis.*

69. « Resp. 1. A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere qui eam tulit, vel eius superior vel successor vel delegatus. Ab ea quae lata est a iure communi vel ab homine per sententiam generalem, si non sit reservata, potest absolvere quivis qui censuratum potest absolvere a mortalibus: si vero sit reservata, ordinarie et per se potest tantum relaxari ab auctore legis vel eius successore vel delegato.

» Dixi 1. *ordinarie*, quia in articulo mortis quivis sacerdos absolvere potest a quavis censura.

» Dixi 2. *per se*, quia per accidens et ex privilegio possunt etiam alii. Lay 1.»

70. Universe loquendo, ad tollendas censuras ex parte absolventis requiruntur eaedem conditiones quae requiruntur ad ferendas, iuxta dicta *n.* 12.

Caeterum dicendum 1. A censuris latis *a iure* non reservatis certum est episcopum vel proprium sacerdotem absolvere posse, ex *c. Nuper, de sent. excom.* Ubi, licet sermo sit de excommunicatione minori, idem tamen de omnibus aliis censuris communiter dd. intelligunt, ut Pal. [2] Roncag. [3] Suar. [4] et Salm. [5] cum Henriq. Ugol. Corn. et Gibal. commun. Et idem concedunt capitulo, sede vacante, praelatis religionum et habentibus iurisdictionem quasi episcopalem. An autem ab huiusmodi censuris omnes confessarii possint absolvere. Negant s. Antonin. Cov. Palud. etc. apud Salm. [6]. Quia, ut dicunt, sicut ad ferendas censuras, ita ad absolvendas requiritur iurisdictio in foro externo, qua carent simplices confessarii et etiam parochi. Affirmandum est tamen cum communi sententia quam tenet s. Th. [7] qui ait: *Si excommunicatio sit maior aut est lata a iudice, et sic ille qui tulit vel eius superior potest absolvere, vel est lata a iure, et tunc episcopus vel etiam sacerdos potest absolvere.* Ita etiam Contin. Tourn.[8] Conc. [9] Pal.[10] Ronc. [11] Salm.[12] cum Soto Vasq. Con. Avila etc. Ratio quia, licet ex iure ordinario nec confessarii nec parochi hanc facultatem habeant, habent tamen ex concessione speciali Innoc. III. qui in *d. c. Nuper* 29. sic inquit: *In secundo casu* (scilicet quod excommunicatio non sit reservata) *a suo episcopo vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim et tunc non iuris, sed iudicis sententia sit ligatus, quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Quoties igitur censura non reservatur a iure, ab ipso iure datur potestas absolvendi cuilibet confessa-

(1) L. 1. t. 5. p. 1. c. 7. (2) D. 1. p. 11. §. 5. (3) De censuris c. 6. quaest. 3. r. 111. (4) D. 7. sect. 3. n. 2. (5) De cens. c. 2. n. 4. n. 42.

(6) Ibid. n. 43. (7) Suppl. q. 24. art. 1. (8) De cens. part. 1. c. 4. a. 1. r. 5. (9) P. 441. n. 5 (10) L. c. (11) Ut supra. (12) De cens. c. 2. p. 4. n. 44

rio, ut intelligitur sub nomine *proprii sacerdotis*, prout probavimus *lib.* 6. *de euch. n.* 564. Et hic advertendum 1. quod haec absolutio valebit etiam pro foro externo, ut dicunt Pal. [1] et Gibal. Ugol. apud Salm.[2]. Advertunt 2. Roncaglia [3] cum Conin. Pal. [4] cum Suar. et Ugol. Spor. [5] cum Avila et Salm. [6] cum Con., quod hanc absolutionem parochi et alii confessarii impertiri possunt tam intra quam extra confessionem. Ratio quia decreta pontificum praecipue forum externum spectare solent, et cum favores principis ampliari debeant, non est cur tantum ad forum internum restringantur. Advertunt 3. Salm. [7] cum d. Th. Pal. Soto Vasq. ac aliis [8] contra Candid. quod confessarii possunt absolvere non solum ab excommunicatione, sed ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem sacramenti poenitentiae. Ratio quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras.

71. Certum est autem et commune inter dd. omnes episcopos et confessarios absolvere posse innodatos excommunicatione minori. Vide Salmant. [9]. Sed valde dubitatur an simplex sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori. Affirmant Salm.[10] cum Navar. Arm. et Hurt. ac probabile putant Bonac.[11] et Viva [12] quia (ut aiunt), cum sacerdos probabiliter possit absolvere a culpis venialibus, potest etiam a censuris eis annexis, iuxta id quod dicit d. Th. [13] : *A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis.* Sed omnino negandum cum Suar.[14] Pal.[15] et Soto Caiet. Corn. et Led. apud Salmant. [16], tum quia in *c. Nuper, de sent. excomm.* dicitur excommunicatio minor absolvenda esse vel ab episcopo, *vel a proprio sacerdote*, qui sane intelligi nequit simplex sacerdos, tum quia iuxta decretum Innoc. XI. relatum *l.* 6. *n.* 543. *v. Quaer.* hodie vetitum est sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus. Haec reddunt primam sententiam omnino improbabilem.

72. Dicendum 2. quoad censuras *ab homine* latas, quod si censura feratur per modum sententiae particularis contra determinatam personam, non potest illa absolvi nisi ab ipso ferente, vel ab eius superiore vel ab eius successore aut delegato. Est certum et commune; vide Croix [17] et Salm.[18]. Quod si autem iudex in foro externo testetur censuratum iam satisfecisse partibus vel esse emendatum, tunc censetur vel ipse iam absolvere vel cuilibet absolvendum remittere; Salm.[19]. Et hic obiter notandum 1. quod episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu iudiciali, ut Sylv. Henr. Avil. cum Salm.[20]. Notandum 2. quod si quis in alieno territorio delinquit et ab illius episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab episcopo proprio, nisi de episcopi loci licentia. Ita Cont. Tourn.[21] Diana Cand. et cum Salm.[22]. Dixi *specialiter*, nam si excommunicatus sit per sententiam generalem potest a quocumque absolvi, ut mox dicetur.

73. Si vero censura feratur ab homine per modum statuti, sive sententiae generalis contra personas indeterminatas, sive in futurum, v. gr. in omnes qui hoc crimen patrabunt, sive in praeteritum in omnes qui hoc crimen commiserunt (posita contumacia, iuxta dicta *n.* 54.), tunc alii, ut Suar.[23] et Vasq. Fill. etc. apud Salm.[24] tenent non ab alio quam ab ipso ferente absolutionem impendendam esse, quia censura ab homine, iuxta regulas iuris,

(1) N. 4. (2) L. c. (3) P. 80. q. 3. r. 3. (4) D. 2. p. 11. §. 3. n. 3. (5) Suppl. p. 124. n. 33. (6) Dict. n. 44. (7) Ibid. n. 49. (8) Cit. n. 45. (9) De cens. c. 3. p. 14. n. 164. (10) Ib. n. 166. (11) Q. 5. num. 15. (12) Q. 2. art. 2. n. 5.

(13) In 4. d. 28. q. 2. a. 1. q. 1. (14) D. 7. sect. 4. n. 17. (15) D. 2. p. 21. n. 25. (16) Ib. n. 165. (17) L. 7. n. 151. (18) C. 2. p. 4. n. 50. (19) Ib. (20) Ibid. n. 56. (21) Loc. cit. (22) De cens. c. 2. p. 4. n. 57. (23) D. 7 sect. 2. n. 25. (24) Ibid. num. 50.

ab eo dumtaxat auferri potest a quo est lata. Sed probabilius dicendum absolutionem tunc a quocumque confessario impertiri posse, si censura non sit reservata, ut cum Bus. tenent Pal.[1] Laym. [2] Ronc. [3] Conc.[4] Holzm. [5] Sporer [6] et Salm.[7] cum Con. Sayr. Toleto Soto Avila Bon. et Croix [8] cum communi. Ratio quia hae censurae aequiparantur censuris latis a iure, et ideo a quocumque absolvi possunt, cum agatur de re favorabili quae amplianda est quantum res patiatur, ex *cit. cap. Nuper de sent. excom.*

74. « Resp. 2. Episcopi secundum Trident. [9] possunt 1. absolvere in foro conscientiae per se vel vicarium ab omnibus censuris occultis, etiam in bulla Coenae papae reservatis, excepta haeresi, a qua per seipsos tantum absolvere possunt (quantum est ex vi huius decreti). Dicitur autem censura occulta, quae contracta est ob delictum non publicum, nec ad forum contentiosum deductum, aut si deductum fuit, a quo reus ob defectum probationis fuit absolutus. Bon.[10]. 2. Possunt etiam saepe absolvere a censura papae reservata propter impedimentum eius qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem pontifex non potest adiri. Bon.[11] ex Navar. Sanchez Avila Con. etc.»

75. Quoad facultatem, quam habent episcopi circa peccata reservata pontifici, ante omnia notanda sunt verba Trid.[12]: *Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis, delinquentes... subditos in dioecesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis sit permissum.*

76. Hinc notand. 1. quod episcopi, licet non possint absolvere ab haeresi occulta, iuxta sententiam quam mox exponemus, possunt tamen dispensare in irregularitate ex haeresi occulta contracta. Ita Potest.[13] Salm.[14]. Notandum 2. quod ut crimen dicatur non occultum requiritur ut vel sit deductum ad forum contentiosum vel sit notum fere omnibus, ut ait Viva cum Suar., aut saltem maiori parti oppidi, viciniae, parochiae, collegii seu monasterii, ut dicunt Bon.[15] Sanch.[16] Salm.[17] cum Pal. Pell. etc. Ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque vel sex personae, ut ait auctor cit. *Istr. etc.*[18]. *Vide dicta l. 6. n.* 593. *v. Hic autem et n.* 1111. Tunc autem crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem, secus, si nullo modo fuerit probatum, etsi reus malis artibus hoc obtinuerit et ibi absolutus fuerit, quia tunc adhuc censetur occultum, ita Sanchez [19] Bon.[20] et Salmant.[21] cum Con. Avila Henr. etc. Imo dicitur occultum, etiamsi crimen complicis sit ad forum deductum, quia ex *l. 1. c. Res inter etc.: Res inter alios acta non potest afferre praeiudicium aliis, quibus res iudicata non nocet.* Ita Salm.[22] cum Nav. Bon. et Sanch.

77. Sed hic dubit. 1. an possit absolvi ab episcopo reus alicuius casus papalis, qui iam punitus sit in foro alterius episcopi ubi iudicium sit finitum.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Sanch.[23] et Salmant.[24] cum Reg. Avila Leandro etc. Ratio quia intentum concilii fuit servare auctoritatem iudicum et vitare scandalum, si publica crimina publice non punirentur; at eo casu neque scandalum adest ne-

(1) §. 4. n. 10. (2) C. 7. n. 3. (3) Qu. 3. resp. 11. (4) P. 443. n. 6. (5) P. 363. n. 127. (6) Suppl. p. 124. n. 53. (7) Ibid. n. 51. (8) Lib. 7. n. 123. (9) Sess. 24. c. 6. (10) Dub. 1. q. 3. part. 1. n. 15. et part. 2. n. 1. ex declar. cardin. etc.
(11) L. c. (12) In cap. Liceat, 6. sess. 24.
(13) T. 1. n. 3338. (14) De cens. c. 2. p. 5. n. 54.
(15) §. 4. (16) De matr. l. 8. d. 34. n. 35.
(17) Ibid. n. 39. (18) T. 2. c. 15. n. 500.
(19) De matr. l. 8. d. 34. n. 37. (20) Q. 3. p. 2. n. 2.
(21) Ibid. n. 60. (22) De cens. c. 2. p. 5. n. 60.
(23) L. 1. c. 11. n. 21. (24) Ibid. n. 62.

que auctoritati iudicum praeiudicatur.

Secunda sententia vero communior et verior negat, eamque tenent Suar.[1] Palaus[2] Barb.[3] Conc.[4] Bonac.[5] cum Garcia et Rodr. ac Croix[6] cum Mascard. Menoch. etc. Ratio quia, licet tunc iudici sit satisfactum, tamen cum crimen iuridice publicum factum fuerit manet simpliciter publicum, et ut tale omnino est pontifici reservatum.

78. Dubit. 2. an crimen in uno loco publicum possit absolvi ab episcopo in alio ubi est occultum. Negant Bon.[7] et Suar.[8], sed probabiliter affirmant Sanch.[9] Contin. Tourn.[10] cum Piasec. Barb.[11] cum Gutt. et Salm.[12] cum Trull. Leandro Avila et aliis apud Croix[13]. Dummodo locus ubi crimen est notum ita distet ut non sit timor ne publicetur ubi est occultum.

79. Notandum 3. Quod nomine episcoporum veniunt abbates et alii iurisdictionem episcopalem habentes, ut Sanch.[14] et Salm.[45] cum Henr. Dic. et Aversa (contra Bonac. et Suarez apud Croix[16]). *Vide dicta l.* 6. *n.* 593. *v. Eamdem.* Venit etiam capitulum, sede vacante, ut Bon.[17] Sanch.[18] et Salm.[19]. Notand. 4. Nomine subditorum veniunt etiam vagi et omnes habentes animum permanendi in loco illo per maiorem partem anni, ut Croix[20] cum Sanchez Suar. Bonac. Barb. etc. Notandum 5. quod episcopi vi concessionis in dicto *c. Liceat* possunt absolvere a casibus papalibus etiam post Tridentinum reservatis, ut probabile esse diximus *l.* 6. *n.* 594. *Dub.* 9.

80. Notandum 6. circa facultatem a Tridentino concessam episcopis in *c. Liceat*, absolvendi aut dispensandi a casibus papalibus vel ab irregularitatibus occultis, id quod dicit Fagnan.[21] qui ait: *Ex sententia sancti conc. episcopi illarum regionum, in quibus concilium adhuc receptum non est, non possunt uti facultate in hoc decreto concessa.* Notat deinde declaratum fuisse a Gregorio XIII. praedictam facultatem nec etiam cardinalibus competere, etsi ecclesiarum urbis titulum habeant.

81. Quaer. 1. An episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus occultis cum suo subdito qui in aliena dioecesi moratur.

Prima sententia negat, et hanc tenent Avila Henr. et Ugol. apud Barb.[22]. Ratio (ut aiunt) quia concilium tribuit episcopis facultatem dispensandi tantum in sua dioecesi.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, et hanc tenent Sanch.[23] Suar.[24] Bon.[25] Diana[26] Cont. Tourn.[27] Salm.[28] et Barb.[29] cum Boss. Marchin. Fag. etc. Ratio quia dispensatio per se potest concedi absenti, ergo non oportet ut dispensandus adsit in dioecesi, cum actus iurisdictionis voluntarie bene possit exerceri etiam extra territorium. Nec obstat quod in Trid. dicatur *in dioecesi sua*, nam respondetur quod vel particula illa satis verificatur, cum aut episcopus aut subditus existit in propria dioecesi, ut dicunt Contin. Tourn.[30] et Salm.[31]; vel quod praefata particula refertur tantum ad secundam partem ubi agitur de absolutione casuum, ut respondent Suar.[32] et Sanch.[33] Holzm.[34] cum Pal. Pignat. et Croix[35]. Ex quo hi auctores inferunt quod etiamsi uterque tam episcopus quam subditus sint extra dioecesim, bene poterit episcopus dispensare ab irregularitate et absolvere a suspensionibus. An autem episcopus possit absolvere et delegare facultatem absolvendi casus papales occultos extra sacramentum poenitentiae. Affirmant Sanch. Suar. Bon. Salm.[36]. Sed

(1) D. 4. sect. 2. n. 6. (2) T. 1. tr. 4. d. 4. p. 3. §. 1. n. 17. (3) All. 39. n. 3. (4) P. 445. n. 12. (5) De irreg. qu. 5. p. 1. n. 6. (6) L. 7. n. 146. (7) D. 1. q. 3. p. 2. n. 3. (8) T. 4. d. 30. sect. 2. n. 3. (9) L. 2. c. 11. n. 20. (10) Tr. de irreg. part. 3. cap. ult. not. 2. (11) All. 33. n. 28. (12) Cit. n. 62. (13) L. 7. n. 144. (14) N. 6. (15) Ibid. n. 54. (16) L. 7. n. 141. (17) N. 1. (18) Num. 4. (19) Ib. (20) L. 7. n. 156.

(21) In c. Dilectus 15. de temp. ordin. (22) In Trid. sess. 24. c. 6. n. 44. (23) Dec. l. 2. c. 11. n. 12. (24) D. 41. sect. 1. n. 10. et 12. (25) D. 1. q. 3. p. 2. n. 1. v. Tertio et d. 7. q. 5. p. 1. n. 4. (26) P. 4. tract. 4. r. 96. (27) De censur. part. 1. cap. 5. n. 3. v. Possunt episcopi. (28) De cens. c. 2. p. 5. num. 55. (29) L. c. (30) Loc. cit. (31) Dict. num. 55. (32) N. 10. (33) N. 15. (34) P. 415. n. 227. (35) N. 159. (36) De cens. c. 2. p. 5. n. 54.

id hodie omnino negandum ex declar. Gregorii XIII. relata *lib.* 6. *n.* 593.

82. Quaer. 2. An praedicta facultas a Tridentino episcopis concessa fuerit revocatam per bullam Coenae quoad haeresim et alios casus in ea reservatos. Adest duplex sententia.

Prima negat, et hanc tenent Nav. [1] ac Bann. Vega Sa Arrag. Angl. Henr. Fag. etc. apud Barb. [2], item Coninch. Avila Becan. Gran. p. Led. etc. apud P. Milant. [3] et probabilem putant Salmant. [4]. Ratio (ut aiunt) quia in bulla Coenae nulla fit mentio concessionis factae episcopis per Trident., sed per clausulam generalem minime revocantur facultates a conc. generali alicui tributae, ut habetur ex *c. Ex parte, de capell. monach.* cum Glossa *ib.* verbo *Nulla mentio, et ex c. Nonnulli de rescriptis*, et *ibid.* Glossa verbo *Fecerit mentionem.*

Et iuxta hanc primam sententiam notant Salmant. [5] cum Navar. Henr. et Gran. ac Felix Potest. cum Dicast. et Diana, quod episcopus circa crimen haeresis, licet non possit concedere alteri generalem facultatem absolvendi ab illa, cum talis facultas fuerit tributa a concilio episcopis *tantum, non eorum vicariis*, bene tamen eam potest delegare alteri in casu particulari, quia cum ipsa sit annexa dignitati episcopali, competit episcopis iure ordinario, et ideo potest ab eis delegari omni modo quo eisdem expresse non est vetitum.

83. *Secunda sententia* vero verior affirmat, et hanc tenent Sanch. [6] Pignat.[7] Lugo [8] Anacl.[9] Tolet.[10] Diana [11] Ronc.[12] Croix[13] Viva [14] Vidal.[15] Holzm.[16] Mazz.[17] Elbel [18] Barb.[19] cum Sayr. Mol. Philiarch. Homob. Ugolin. et pluribus aliis, item Fagn.[20] qui id affert decisum a s. c. Duasque similes declarationes affert Pitton.[21] unam emanatam die 4. dec. 1642., alteram 28. octobr 1741. Eamdem sententiam omnino tenendam docet Bened. XIV.[22] cum Card. Petra Duard. Cleric. etc. ibique testatur quod p. Suar. prius censuerit probabilem primam opinionem, sed deinde [23] ab illa recessit et asseruit ipsam revera omni probabilitate esse destitutam. Probatur nostra sententia ex verbis ipsius bullae Coenae ubi dicitur: *Nullus per alium quam per romanum pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit, praetextu quarumvis facultatum et indultorum, quibuscumque personis, etiam episcopali vel maiori dignitate praeditis... per nos et dictam sedem ac cuiusvis* (nota) *concilii decreta concessorum vel concedendorum.* Per quae ultima verba iam apparet derogatum concessioni Tridentini. Nec obstat ratio opposita, quod per clausulam generalem non revocantur facultates concessae per concilium generale. Nam respondetur 1. id locum habere quando revocatio fit per rescripta, non vero cum fit per constitutiones pontificias; in praefatis enim textibus adductis (ut legenti patet) tantum de rescriptis habetur sermo. Valde autem dispar est ratio inter rescripta et pontificias constitutiones: nam rescripta, quia sunt contra ius et propter importunitatem ac multitudinem petentium non fiunt ea maturitate et consilio, quo constitutiones pontificum et decreta conciliorum emanantur; ideo id quod dicit de rescriptis, non procedit de constitutionibus, ut bene advertunt Fagn.[24] et Ronc.[25] cum card. de Luca et communi. Ac propterea observat Fagn.[26] Tridentinum derogasse pluribus decret. concil. generalium, nulla ipsorum facta mentione, imo testatur idem Fagn.[27] s. Pium v. in quodam motu proprio (relato ad litteram

(1) Man. c. 27. n. 260. (2) All. 40. n. 21. (3) In prop. 3. Alex. VII. (4) Ibid. n. 56. (5) Ibid. n. 54. (6) Dec. l. 2. c. 11. n. 27. (7) T. 1. cons. 291. (8) De poenit. d. 25. sect. 2. §. 1. (9) De fide d. 4. p. 124. n. 50. (10) In explic. b. Coenae n. 14. (11) P. 7. tr. 2. r. 25. (12) De cens. tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4. (13) L. 6. p. 2. n. 1617. (14) In prop. 3. Alex. VII. n. 7. (15) In ead. prop. (16) T. 1. p. 586. n. 218. (17) T. 3. p. 460. n. 2. (18) T. 2. p. 486. n. 253. (19) All. 40. n. 25. (20) L. 1. in c. Quoniam, de constit. n. 28. (21) De episcop. n 960. et n. 1026. (22) De syn. l. 9. c. 4. n. 4. (23) Tr. de fide d. 1. §. 4. n. 13. (24) In d. c. Nonnulli de rescript. (25) De leg. p. 47. q. 4. (26) N. 24. (27) L. 3. in c. Nulla, de concess. praeb. n. 36.

a Nic. Garcia) declarasse, satis esse ad revocandum concilium quod papa contrarium disponat, supplicationem manu propria signando. Insuper laudatus Benedict. XIV. testatur s. Pium V. et Greg. XIII. (et idem asserit p. Viva [1] ac alii apud Barb.) de hac re signanter interrogatos, respondisse, nulli praeter papam hodie integrum esse absolvere ab haeresi etiam occulta. Item in vita s. Francisci Salesii descripta a Petro Galitia [2] narratur (ut notat idem Bened.) quod cum papa Clemens VIII. Salesium pro examine ad episcopatum praesentatum interrogasset, an posset episcopus ab haeresi absolvere. Respondit affirmative. At papa subiunxit: *Sed nos non ita sentimus*. Et tunc s. Franciscus dixit: *Beatissime Pater, si S. V. non ita sentit, nec ego deinceps sic sentiam*.

Respond. 2. quod, etiamsi ad derogandum decr. Trid. fuisset requisita specialis illius mentio, haec iam adfuit in praefata bulla Coenae, cum ibi dictum fuerit episcopum non posse absolvere a casibus bullae, *praetextu facultatum per cuiusvis concilii decreta concessarum*. Quaenam hic expressior mentio fieri debebat? Tanto magis quod solum conc. Trid. et non aliud talem facultatem episcopis concesserat.

Accedit ad haec damnatio propositionis 3. ab Alex. VII. quae dicebat: *Sententia asserens bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *iulii in concistorio s. c. eminentiss. card. visa et tolerata est.* Merito hinc dicunt Viva Holzm. et Elb. et Bened. XIV., quod per hanc damnationem prima sententia ita a sua probabilitate (si quam habeat) deturbata est, ut nunc probabilis non amplius videatur. Nec obstat dicere cum Coreglia Conc. Salm. et Milante, quod pontifex non damnavit sententiam, sed tantum quod ipsa in concistorio visa et tolerata fuerit, et ideo putant illum illam in sua probabilitate reliquisse. Nam respondetur quod licet pontifex directe solum damnaverit factum, nempe quod visa fuerit et tolerata, indirecte tamen aperte ipsam sauciavit opinionem; nisi enim falsam existimasset, non utique tam sollicitus fuisset de mendacio illo damnando: cum igitur declaravit eam non fuisse toleratam, implicite declaravit non esse dignam ut toleretur. Ex his omnibus concludit praefatus Bened. XIV. [3] hodie *episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem* (nempe absolvendi ab haeresi) *posse sibi ostentare et tanto minus delegandi*. Poterit ergo solummodo episcopus ut delegatus apostolicus haereticum notorium pro foro externo absolvere, ut dicit Ronc. [4] cum Palao et Farinac. Postquam autem ab episcopo sublata fuerit excommunicatio, a quovis confessario peccatum haeresis absolvi poterit.

84. Quaer. 3. An episcopi absolvere possint a censuris bullae Coenae impeditos Romam adire. Adsunt tres sententiae.

Prima absolute negat cum Bonac. [5] qui citat Suar. et Innoc. (sed dicit *in simili*, ergo praedicti dd. non loquuntur proprie de hac sententia). Ratio Bon. tum quia in bulla excipitur tantum articulus mortis, tum quia contrarium nullo iure probatur. Non autem suffragatur epikeia (ut ait) in hoc casu, ubi constat de contraria intentione pontificis, nec obstare addit textus infra citandos, quia vel ibi non datur facultas absolvendi episcopis, vel, si datur, haec revocata fuit per bullam Coenae, sicut fuit revocatum decretum Tridentini. Excipit tamen Bon. [6] casum gravis necessitatis, v. g. celebrandi, communicandi et similis.

Secunda sententia concedit episcopis absolvere a caeteris casibus, sed negat ab haeresi. Ita de Alex. [7]. Ratio cur excipit haeresim, quia in generali concessione (puta in iubilaeo) absolvendi a

(1) L. c. p. 4. (2) L. 2. c. 32
(3) Loc. cit n 4. (4) L. c
(5) De censur. disp. 1. qu. 22. p. 2. n. 22.
(6) N. 23. (7) Conf. mon. c. 6. §. 8. du. 3. et 4

casibus bullae, non datur facultas absolvendi ab haeresi, ut declaravit Gregor. XIII. Sed haec ratio debilis est, nam ex infra dicendis haec facultas non oritur ex concessione, sed ex epikeia et praesumpta mente pontificis.

Tertia sententia communis, cui subscribo, docet episcopos posse per se vel per alios ab eis specialiter delegatos, absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus et etiam ab haeresi, praestito tamen iuramento ab eo qui absolvitur, de se praesentando postea superiori, ut infra dicetur. Ita Pal. [1] Ronc. [2] Laym. [3] Conc. [4] cum comm. Lugo [5] Salmant. [6] Viva [7] Milante [8] cum Con. Avil. Corneio etc. Potest. [9] cum Tamb. Donat. Leandro Pellizzar. et communi theologorum et canonistarum, ut testatur Roncaglia [10]. Ratio quia, existente impedimento adeundi papam, restituitur episcopis potestas ordinaria, non iam vi Tridentini, sed vi iuris communis, et probatur ex *c. Ea noscitur* 13. *de sent. excomm.* ubi: *Mulieres senes et valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad apostolorum sedem non veniant, ab episcopis valeant fidelium communioni restitui.* Idem sancitur in *c. Quamvis* 58. *eod. tit.* ubi habetur quod percussor clerici a sede apostolica absolvi debet: *Nisi* (additur) *imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia aut inopia, puerili vel senili aetate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus romanum pontificem possit adire.* Idem in *c. De caetero et in c. Nuper* 20. *eod. tit.* ubi in fine generalius dicitur quod quoties difficulter quis ex iusta causa possit accedere pro absolutione excommunicationis ad eum a quo absolvendus esset, *a suo absolvatur episcopo vel proprio sacerdote.* Quamvis autem praedicti canones loquantur de censura ob percussionem clerici, quia haec frequentior est, tamen communiter dd. extendunt ad omnes alias censuras, in quibus currit eadem ratio salutis animarum, ex *c. Cum dilectae, de confirm. etc.*, nam ibi notat Glossa: *Ubi eadem ratio, idem ius debet esse.* Ita Salm. Potest. Ronc. etc. [11]. Immo (ut bene notat Ronc.[12]) in *cap. Eos qui* 22. *de sent. excom. in* 6. universe sancitur omnes casus papales, quando adest impedimentum papam adeundi, posse ab alio absolvi; sic enim ibi habetur: *Eos qui a sententia canonis vel hominis, cum ad illum a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvantur.* Per quae verba tò *a sententia canonis*, intelliguntur omnes casus papae reservati, ut notat ibi Glossa verbo *Canonis.*

85. Quaer. 4. Quinam dicantur legitime impediti. Dicuntur (ut habetur ex *d. c. Ea noscitur* 13. *de sent. excom.*) mulieres, senes, valetudinarii. Adduntur in *c. Quamvis*, pueri, pauperes, habentes inimicitiam, *vel alias iustas excusationes* (ut dicitur in *c. De caetero, eod. tit.*), *quibus ab itinere rationabiliter excusentur.* His verbis comprehenduntur omnia alia iusta impedimenta quae infra adnotabimus.

86. Sed hic praecedenter advertendum quod si impedimentum sit ad breve tempus, tunc innodatus censura reservata non potest ab alio absolvi, nisi urgeat necessitas celebrandi aut communicandi; nempe ad evitandum scandalum aut infamiam. Si tamen impedimentum sit ad longum tempus, puta ad annum vel sex menses (imo Mendoza apud Viva [13] ad unam noctem, sed Viva non admittit neque ad biduum, quia in tali spatio non adest morale periculum mortis), tunc, excepto impedimento aetatis puerilis, quisque alius impeditus non debet absolvi, nisi praestito prius iuramento, quod cessante impedimento, ad sedem apostolicam quantocius se praesentabit, ut

(1) Disp. 1. p. 2. §. 5. n. 6. (2) D. qu. 2. r. 11.
(3) De censur. c. 2. n. 65. (4) P. 445. n. 15.
(5) De poenit. n. 216. (6) Tr. 10. c. 2. p. 5. n. 65. et tr. 13. c. 1. p. 4. §. 11. num. 164.
(7) In prop. 5. Alexand. VII. n. 5.
(8) Ibid. (9) T. 1. num. 5547.
(10) L. c. (11) L. c.
(12) Ibid. (13) In prop. 5. Alex. VII. n. 6.

habetur ex *c. De caetero, de sent. excom.* Alias omittens se praesentare reincidet in eamdem excommunicationem, ex *c. Eos qui, de sent. excom. in* 6. Vide Ronc. [1] cum Mansi, et iste ab hac obligatione se praesentandi non excusatur, etiamsi confessarius omittat illam ei imponere, cum ea sit imposita a iure. Sanch. [2] Salm. [3]. Sufficit autem, ut reus se praesentet per procuratorem. Salm.[4] cum Cai. Leand. Avil. et Potest. [5] qui excipit casum percussionis clerici, pro quo in *c. Quod de his, de sent. excom.* taxative exigitur persona.

87. Sed hic dubitatur an si aperte constet reum esse omnino emendatum et partibus satisfecisse, ipse excusetur a tali praesentatione.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Navar. [6], item Avila Corneio et Henr. apud Salm. [7] qui putant probabilem saltem extrinsece. Ratio quia (ut dicunt) finis pontificis non est alius quam emendatio rei et partium satisfactio; idque inferunt ex *c. Quamvis, de sent. excom.* ubi nulla alia ratio praesentationis exprimitur quam ut reus excipiat mandatum satisfaciendi : *Ad apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.*

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, quam tenent Suarez [8] Sanch. [9] Laym.[10] et Salm.[11]. Ratio quia mandatum ad quod suscipiendum tenetur reus se praesentare, non solum suscipi debet ad implendam satisfactionem partis laesae, obligatio enim haec de ipso iure naturae in omni laesione est insita; sed etiam ad exequenda caetera quae a pontifice imponuntur ad cavendum idem crimen futurum, ut dicit Croix [12] cum Suar. Sanchez etc., tanto magis quod in *eod. c. Quamvis* supponitur casus de eo qui iam satisfecerit. Et pro casibus bullae Coenae id in eadem bulla circa finem expressum est his verbis: *A praedictis censuris nullus per alium quam per romanum pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando ecclesiae mandatis, et satisfaciendo (cautione praestita) absolvi possit.* Ubi observa bene distingui obligationem standi ecclesiae mandatis et satisfaciendi, id est parti laesae.

88. Si autem impedimentum sit perpetuum, absoluti omnino manent liberi ab onere comparendi. Bon.[13] Conc. [14] Cont. Tourn.[15] Viva [16] Potesta[17] Ronc.[18]. Dicuntur autem perpetuo impediti, 1. filiifamilias, *argum. c. Mulieres, et c. Relatum, de sent. exc.* 2. Regulares ex *c. Monachi* 2. *et cap. Cum illorum* 32. §. *Qui, de sentent. excomm.*, etiamsi censura incursa sit ante ingressum in religionem, ut Ronc.[19] Barb.[20] et Holz.[21]. Hi enim absolvi possunt a suis praelatis, nisi (excipitur [22]) *excessus extiterit enormis. Vide alia circa percussionem num.* 280. 3. Senes ex *c. Ea noscitur de sent. exc.* quamvis hi sint potentes ad ambulandum, ut Barbos.[23] cum Sylv. Sayr. et Graff. Nomine autem *senium* veniunt non solum septuagenarii, ut ait p. Milante [24], sed etiam sexagenarii, ut probabiliter p. Viva [25], iuxta dicta *de ieiun. l.* 3. *num.* 1036. Non vero quinquagenarii, ut improbabiliter dicit Farin. apud Barb. et alii apud Vivam. 4. Servi. 5. Pauperes, scilicet qui ob inopiam nequeunt Romam petere, ut in *c. Quamvis, de sent. excom.* Secus si inopia iter non impediret, ut evenit in mendicis vagabundis; et sic intelligitur textus in *c. Ea noscitur*, ut explicat ibi Glossa *v. Pauperes.* Nemo autem tenetur accedere mendicando (ut ait Potesta), si ad hoc non sit solitus, ut notat Pal.[26]. 6. Carceribus vel triremibus perpetuo damnati et similes. 7. Infirmi, scilicet laborantes longa et gravi aegritudine,

(1) D. qu. 4. r. 11. (2) L. 2. c. 13. n. 50. (3) De cens. c. 2. p. 4. n. 46. (4) De cens. c. 2. p. 5. n. 66. (5) N. 3351. (6) Man. c. 26. n. 26. (7) Dict. n. 66. (8) T. 1. in 3. p. d. 50. s. 3. n. 6. (9) Dec. l. 2. c. 13. n. 29. (10) De cens. c. 6. n. 4. (11) L. c. (12) L. 7. num. 134

(13) D. 1. q. 3. p. 2. n. 4. (14) P. 445. n. 13. (15) De cens. part. 1. cap. 5. v. Possunt 2. (16) De sacr. poenit. q. 9. art. 2. num. 8. (17) N 3549. (18) D. q. 4. r. 11. (19) P. 82. q. 6. (20) All. 41. n. 17. (21) P. 364. n. 126. (22) In d. c. 32. (23) N. 27. (24) In prop. 3 Alex. VII. (25) L. c. (26) P. 25. n. 18.

licet non mortifera, puta, quartana, ut dicunt p. Milante[1] Salm.[2] et Potesta cum Pal. Qui his addunt debiles, sive delicatos, non valentes ferre labores itineris. Sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est papa, ex *cap. Mulieres*, *de sent. excom.* 8. Cura obstricti alendi sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento, Laym. Potesta et Pal. 9. Mulieres, non solum moniales, de quibus est certum ex *c. De monialibus* 33. *de sent. exc.* ubi earum absolutio remittitur episcopis, sed omnes mulieres. Ratio quia, dum in *c. Quamvis*, *de sent. excom. et c. Ea noscitur, eod. tit. in* 6. foeminae excusantur a se praesentando, non alia ratio assignatur, nisi quia foeminae sunt. Ita Salm.[3] Milante[4] Cont. Tourn.[5] et Pal.[6] ac Barb.[7] cum Nav. Bonac. etc. Hic autem advertendum quod moniales non possunt absolvi ab episcopo a censura ob violationem clausurae etiam occultam, excepto mortis articulo, ex declaratione Gregorii XIII., ut diximus *l.* 6. *n.* 593. Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret moniales esse perpetuo impeditas. 10. Impuberes, quorum absolutio ex iure ordinario datur episcopis in *c. fin. de sent. exc.* Ideoque hi sunt exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant. Salm.[8] cum Con. Corn. Avila et *cap. fin. de sent. exc.* ubi assignatur ratio: *Cum propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit temperandus.* Recte autem Avila ibi advertit quod si sacerdos carens facultate absolvendi absolvat impuberem in periculo mortis a censura papali, debet ei imponere ut extra periculum se praesentet episcopo. Etiam impediti censentur illi qui simul vitam ducunt, ut milites, vel qui in seminario morantur: unde hi ab episcopis absolvi possunt a casibus romano pontifici reservatis, ut Milant.[9] et Barb.[10] cum Nav. Bon. etc. ex *c. Quoniam, de vita et honest. cler.*, ubi datur facultas episcopo absolvendi eos qui simul vivunt, si quis eorum clericum socium percusserit, modo percussio non fuerit enormis. Denique censentur impediti quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo vel suorum. Viva[11] ex *c. Quamvis*, *de sent. excom.* ubi dicitur excusari, *sive quolibet impedimento canonico retrahatur.* Ut autem hi supra enumerati dicantur perpetuo impediti, sufficit ut tali impedimento laborent per decennium, et secundum Tamb.[12] etiam per quinquennium, et consentit Viva[13] et Ronc.[14]. Leviter autem clericos percutientes semper possunt absolvi ab episcopo, ex *arg. cap. Pervenit*, *de sent. excom. Vide dicenda n.* 279.

89. Quaer. 5. An impediti adire Romam in persona teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem ad absolutionem a praedictis casibus obtinendam. Affirmat Bon.[15] (cui adhaeret Potesta[16]) putans quod pro casibus occultis recurrendum sit per epistolam ad s. poenitentiariam, quando commode fieri possit et aliqua necessitas non impediat; quia ad hoc est s. poenitentiaria a pontifice constituta. Haec sententia est probabilis, sed probabilior et communis est sententia negativa cum Ronc.[17] (qui vocat tutissimam sententiam) Milante[18] Viva[19] Pal.[20] et Spor.[21] cum communi, et Salm.[22] cum Con. Henr. Dic. Avil. Dian. Conin. *Vide dicta l.* 6. *n.* 563. *v. Dub.* 3. Idem dicit Sanch.[23] qui excipit casum haeresis; et hanc exceptionem reiiciunt Pal.[24] cum Avers. et Dic. apud Croix[25]. Ratio tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur (ut diximus) ex iure episcopis potestas ordi-

(1) In prop. 3. damn. ab Alex. VII. ex Innoc. III. (2) De cens. c. 2. p. 5. n. 64. (3) De cens. c. 2. p. 5. n. 68. (4) In d. prop. 3. (5) Loc. cit. (6) P. 23. n. 3. (7) Num. 30. (8) Ibid. n. 67. (9) In d. prop. 3. (10) All. 41. n. 16. (11) L. c. (12) In dec. (13) In prop. 3. Alex. VII. n. 6. (14) D. q. 4. r. 11. (15) D. 1. q. 3. p. 2. n. 4. (16) T. 1. n. 3546. (17) D. q. 4. r. 11. (18) In prop. 3. Alex. VII. (19) Ibid. n. 7. (20) D. 1. p. 11. §. 5. n. 6. (21) P. 264. n. 750. (22) De cens. c. 2. p. 5. n. 65. (23) Dec. l. 4. n. 15. (24) D. 1. p. 2. §. 5. (25) L. 6. p. 2. n. 1624.

naria absolvendi per reservationem bullae ablata, tum quia (ut ait Ronc.[1]) ius non obligat reum, nisi ut personaliter adeat papam: unde, si id praestare nequit, ad aliud non tenetur. Praeterea (addit bene Ronc.) obtinere absolutionem a s. poenitentiaria est privilegium; sed privilegia, utpote favorabilia, nullam inducunt obligationem iisdem utendi. Et sic pariter ab episcopo in casu impedimenti reus absolvi potest, etiamsi adsit nuntius apostolicus qui possit facile adiri, ut probabilius tenent Ronc. et Salm.[2] cum Corn. Dian. Avil. Henr. et Lugo apud Croix [3] (contra Mol. Bon. Con. etc. apud Salm. [4]). Sicut enim nuntius, ita et episcopus tunc absolvere potest ex delegatione pontificis.

90. Quaer. 6. An casu quo haereticus sit impeditus recurrere ad papam possit episcopus eum absolvere (iuxta sententiam mox supra relatam in *qu.* 3.) non solum per se, sed etiam per alios. Iam diximus supra in *quaest.* 2. *n.* 82. quod extra casum impedimenti non potest episcopus absolvere ab ullo casu in bulla Coenae reservato, et tanto minus delegare; in casu vero impedimenti dicimus cum Bonac. [5] Ronc. [6] et De Alexandro [7] valde probabiliter posse episcopum ab omnibus casibus pontificiis, etiam haeresis, absolvere et delegare, non solum specialiter in casu particulari, sed etiam generaliter. Nec obstat Tridentinum in laudato *c. Liceat*, ubi, cum sermo fit de haeresi, dicitur: *Eis tantum, non eorum vicariis* (absolvere), *sit permissum.* Nam recte respondent aa. citati quod id procedit iuxta antiquum praescriptum Tridentini, ubi concessum erat episcopis absolvere ab haeresi occulta etiam extra casum impedimenti; sed cum agitur de impedito ab adeundo pontificem, facultas haec absolvendi ab haeresi aliisque casibus bullae Coenae competit episcopis non iam vi Tridentini, sed vi iuris communis, ut communiter loquuntur dd. utque late probavimus in *dicta quaest.* 3. *n.* 84. ex pluribus textibus ibi allatis. Unde, cum in casu impedimenti praedicta facultas de iure ordinario spectet ad episcopos, eo quod est annexa ipsi episcopali officio et dignitati, ideo ipsi bene possunt generaliter eam delegare. Et hoc est iuxta communem doctrinam aa. nempe quod omnes qui habent potestatem ordinariam possunt eam delegare, ut docent Salm. [8] cum communi, Cont. [9] Holzm. [10] et alii passim ex *l. More* 5. *de iurisd. omnium iudic.* ubi expressum habetur: *Is demum iurisdictionem mandare potest, qui eam suo iure* (id est *ordinario*, ut explicat ibi Glossa) *non alieno beneficio habet.* Certum contra est quod cum alicui praelato aliqua potestas conceditur et eius officio sive dignitati annectitur, illa est, vel saltem aequiparatur potestati ordinariae, ut docent iidem Salmant.[11] et Laym. [12] qui id probat ex *l.* 1. *ff. de offic. eius cui comm. est iurisd.* et ex *c. Quoniam, de offic. deleg.*

91. Quaer. 7. An quando ob mortis periculum vel ob aliud impedimentum absolvitur ab inferiore peccatum reservatum, sed absque censura, imponendum sit onus poenitenti ut superiori se praesentet. Negant Sanch.[13] cum Corduba Zambran., item Salm.[14] qui citant Suar.[15] sed non bene, ut infra videbimus. Ratio (ut aiunt), tum quia eo casu directe absolvitur peccatum, tum quia nullo iure cavetur tale onus comparendi. Sed omnino distinguendum: si peccatum sit absolutum in articulo sive periculo mortis, tunc nulla remanet obligatio se praesentandi ad superiorem, quia tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu cesset omnis reservatio, ut recte docent Suar.[16] et Salm.[17] cum Palud. et

(1) L. c. (2) Eod. n. 65. (3) L. c. (4) Loc. cit.
(5) In bulla Coenae d. 1. q. 22. p. 2. num. 14.
(6) P. 81. c. 6. qu. 4. r. 2. v. Quod si.
(7) Confess. monial. c. 6. §. 8. quaest. 3.
(8) Tr. 11. de legib. c. 5. p. 4. §. 3. n. 51. et tr. 17. de voto c. 3. p. 10. n. 85. (9) T. 2. de leg. p. 194. v. Quod spectat. (10) T. 1. p. 98. n. 483.
(11) Dict. c. 5. de leg. p. 4. §. 3. num. 50.
(12) L. 1. tr. 5. c. 22. n. 6. (13) Dec. l. 2. c. 13. n. 24. (14) De censur. c. 2. p. 4. num. 46.
(15) In 3. p. t. 4. d. 30. s. 3. n. 6. (16) Dict. n. 6.
(17) De censur. c. 11. p. 2. n. 21.

Nav. ac Dian.[1] cum Gran. Praep. Hurt. etc. Secus vero si peccatum est absolutum ab inferiore propter aliquod impedimentum adeundi superiorem extra mortis articulum, quia tunc nullus inferior potest directe absolvere a reservatis, sed tantum indirecte, iuxta dicta *l.* 6. *n.* 585. *v. Dub.* 1. Unde poenitens, ut postea directe a superiore absolvatur, omnino cum convaluerit tenetur eum adire; ita communissime Suar. [2] Laym. [3] cum Nav. Soto Con. Ricc. etc. et Ciera [4] cum communi, ut asserit.

92. Quaer. 8. An impediti adhuc episcopum adire pro his censuris vel aliis reservatis possint a quocumque confessario absolvi. Negant communius Suar. Lugo Dec. etc. apud Viva [5], quia hoc in iure conceditur tantum episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Sed probabiliter affirmant (cum onere tamen comparendi ad episcopum, cessante impedimento) Ronc.[6] Pal. [7] Spor. [8] Croix [9] cum Nav. Ab. Ang. et Tab. Salm.[10] cum Tann. Sylv. Henr. Viva [11] cum Perez Hurt. Gran. Dic. Boss. et Coelest. Ratio tum quia, ubi eadem est ratio idem ius debet esse, ut dicit Glossa in *c. Cum dilecta*, *de confirm.*, tum quia non deest lex hoc expresse indulgens; nam in *c. Nuper* 29. *de sentent. excom.* habetur, ut supra adnotavimus, quod impeditus ex iusta causa adire superiorem ius habentem absolvendi a censura, *a suo absolvatur episcopo vel proprio sacerdote*. Sub nomine autem *proprii sacerdotis* venit quidem quilibet confessarius, ut notat ibi Glossa ex *c. ult. qu.* 26. et recte inferunt Salm.[12] ex *c. Omnis*, etc. *de poenit. et rem.* ubi praecipitur quemque semel saltem in anno confiteri *proprio sacerdoti*, qui communiter intelligitur quivis confessarius, ut probavimus *l.* 6. *n.* 564. *et* 670. Si igitur non potest verificari casus quod sacerdos absolvat reum a censuris pontifici reservatis quando episcopus adiri potest, saltem verificari debet quando episcopus adiri non potest, ut recte arguunt Roncag. et Salm. [13] cum Henriq. et Diana. Imo Pal.[14] dicit ex vi praedicti textus impeditum adire papam posse indistincte absolvi a proprio sacerdote. Sed probabilius puto cum Spor.[15] Salmant.[16] Ronc. [17] et aliis communiter, ut supra, hoc non admittendum nisi quando non patet facilis recursus ad episcopum; nam tò *a suo episcopo vel proprio sacerdote*, communissime dd. interpretantur non disiunctive, sed subrogative, nempe quando episcopus nequit adiri. Tanto magis quod in *c. De caetero* 11. *et c. Ea noscitur* 13. expresse disponitur quod cum non potest adiri pontifex adeatur episcopus. Satis etiam probabile est cum Suarez Sanch. et Mol. ut notavi *l.* 6. *n.* 563. *v. Dub.* 1. quod in articulo sive periculo mortis quilibet confessarius possit, etiam praesente episcopo, absolvere a casibus papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstant textus mox supra citati in *cap.* 11. *et* 13. *de sent. excom.* Nam probabiliter respondet Sanch. cum aliis, ut supra, eos procedere tantum in casu percussionis clericorum, de quo loquuntur, non vero in aliis. Praeterquam quod nullum expressum inveni textum qui in articulo mortis praescribat quod infirmus ab episcopo absolvatur a censuris pontifici reservatis. Excipit tamen Sanch.[18] cum aliis, si casus pontifici reservatus esset occultus, quia tunc iure ordinario potest episcopus ab illo absolvere vi Tridentini in laudato *c. Liceat.* Unde censet tunc omnino adeundum episcopum, si ad eum est recursus, cum ipsi tunc reservatus sit casus. Sed hoc non obstante, mihi et aliis iunioribus videtur probabile, etiamsi crimen fuerit occultum, posse absolvi in periculo mortis a simplici confessario, adhuc praesente episcopo, quia in tali periculo (ut diximus) cessat omnis reser-

(1) P. 5. tr. 3. r. 66. (2) L. c. n. 8. (3) De poen. c. 12. n. 10. (4) De cas. reserv. n. 164. (5) De poenit. qu. 9. art. 2. n. 9. (6) D. c. 6. qu. 4. r. 3. (7) D. 2. p. 11. §. 3. num. 6. (8) P. 264. n. 750. (9) Lib. 6. p. 2. n. 1624. (10) De cens. c. 2. p. 5. n. 95. (11) L. c. (12) De cens. c. 3. p. 14. n. 164. (13) Locc. cc. (14) L. c. (15) P. 264. n. 761. (16) Eod. tr. c. 2. p. 5. n. 65. (17) L. c. (18) L. c.

vatio quorumcumque peccatorum et censurarum, ut docet Tridentinum [1]. Neque in hoc mihi contradixi *dicto n.* 563. *Dub.* 1., ubi videor oppositum tradidisse; nam ibi sermo fit de censuris ab eodem episcopo reservatis, et eo casu, cum confessarius debeat imponere poenitenti, ut postquam convaluerit se praesentet episcopo ad congruam poenitentiam ab eo accipiendam, ut communiter docent dd. cum Salmant. [2] et Tamb. [3] ex *c. Quod de his, et c. Saepe, de sent. excomm.* ac signanter ex *c. Eos qui*, ubi id expressum habetur, notantque ibi Tamb. [4] cum Fill. Boss. et Pasqualig. ac Viva [5] cum Val. Nav. Bordon. etc. quod eo casu pro foro externo confessarius debet exigere a poenitente iuramentum se praesentandi superiori cum primum poterit (sed pro foro interno dicunt sufficere promissionem), ideo praesente episcopo infirmus nequit absolvi a simplici confessario. At quando agitur de censuris papalibus non debet infirmus, elapso periculo, se praesentare episcopo, sed pontifici; unde cessat ratio cur praesente episcopo non possit absolvi. An autem in articulo mortis laicus aut simplex clericus possit absolvere a censuris, deficiente sacerdote. Probabilius negandum iuxta dicta *l.* 6. *num.* 540.

An vero habens peccata et censuras reservatas teneatur ea exponere confessario non habenti super eis potestatem, casu quo urgeat necessitas communicandi aut confitendi, et aditus non pateat ad superiorem. Vide dicta *de euchar. l.* 6. *n.* 265. *v. Quaer.* 2. ubi diximus teneri; vide ibi rationem.

Si quis autem est impeditus adire episcopum, an possit simplex confessarius eum absolvere a casibus et censuris ab eodem episcopo reservatis. Respondet Roncag. [6] cum Hurtado et Diana quod si impedimentum esset diuturnum, poterit absolvi cum obligatione tamen comparendi coram superiore, cessante impedimento. Si vero impedimentum sit perpetuum, poterit absolute absolvi. Attamen Laym.[7] cum Suar. Soto Coniuch. etc. dicunt casu quo urgeat necessitas et episcopus longe distet simplicem confessarium posse poenitentem absolvere directe tantum super non reservata et indirecte super reservata.

93. Quaer. 9. Quomodo episcopi hanc facultatem eis concessam in *d. c. Liceat*, tam dispensandi in irregularitatibus quam absolvendi a casibus reservatis occultis, possint aliis delegare.

Prima sententia, quam tenent Henriq. Menoch. et Cord. apud Sanchez [8] dicit non posse episcopos hanc facultatem generaliter delegare, sed tantum specialiter in aliquo casu particulari qui occurrit.

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Suar. [9] Sanch.[10] Laym.[11] ac Croix [12], docet bene posse episcopos generaliter committere hanc facultatem tam dispensandi quam absolvendi alteri specialiter ad haec deputato. Idque testatur Suar. sic esse receptum et interpretatum a consuetudine, quae est optima legum interpres. Imo probabiliter dicunt Sanch.[13] Barb.[14] (et idem clare sentit Suar.[15]), quod non solum alius specialiter deputatus, sed etiam quicumque, cui episcopus generaliter suam facultatem committit, potest dispensare in irregularitatibus et absolvere a suspensionibus reservatis occultis. Ratio, quia concilium facultatem circa haec non limitat, sicut limitat in secunda parte facultatem absolvendi a casibus: unde, cum eam habeant episcopi de iure ordinario, generaliter possunt eam delegare, nulla facta speciali deputatione ad ipsa. Bene autem advertit Pal. [16] episcopum non posse dispensare in irregularitatibus (vel absolvere a suspensionibus reservatis) cum alienigenis, etiamsi ipsi ha-

(1) Sess. 14. c. 7. (2) De poenit. c. 11. p. 2. n. 21. (3) De cas. res. l. 5. c. 10. §. 4.
(4) N. 7. (5) In prop. 3. Alex. VII. num. 5.
(6) Tr. 4. c. 6. q. 5. (7) De poenit. c. 12. n. 10.
(8) De matr. l. 2. d. 40. n. 16. (9) T. 4. d. 50. s. 2. n. 9. (10) Loc. cit. n. 17. (11) L. 1. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 2. (12) L. 7. n. 155. (13) Ib. n. 23.
(14) In Trid. d. c. 6. sess. 24. n. 45. v. Ego tamen.
(15) Loc. cit. d. 41. s. 2. num. 3.
(16) De leg. d. 6. p. 3. §. 2. num. 7.

beant quasi domicilium in sua dioecesi, ex decl. Greg. XIII. relata *l.* 6. *n.* 593.

94. « Resp. 3. Multi religiosi, praesertim mendicantes, possunt ex suis privilegiis, in foro tamen interno tantum, a variis censuris absolvere. Vide Diana [1]. Quare a superioribus suis illa privilegia petant, cum ad confessiones audiendas exponentur et circa ea sequentes regulas sequantur [2] ».

95. Quoad regularium autem facultatem in reservata, distinguenda est facultas quam habent erga saeculares ab illa erga subditos.

Et 1. Quoad *saeculares*, olim regulares absolvere poterant eos a censuris tam a pontifice quam ab episcopis sibi reservatis, ex diversis privilegiis quae referunt Salm. [3], nempe Eugenii IV. Urbani IV. Pauli III. Iulii II. s. Pii V. etc. Verum (ut testantur ipsi Salm. [4] et Viva [5]) Clemens VIII. die 26. nov. anni 1602. et Paulus V. 7. ian. 1607. limitarunt talem facultatem et declaraverunt eos extra Romam et intra Italiam non posse absolvere saeculares a casibus papae reservatis in bulla Coenae, nec ab aliis sex celebribus illis, nempe percussionis clericorum, duelli, violationis immunitatis, violationis clausurae monialium ad malum finem, simoniae realis et simoniae confidentialis in beneficiis (Decretum Clementis in extensum refert p. Milante[6]), nec pariter a casibus quos ordinarii sibi reservant. Deinde s. congr. de mandato Urb. VIII. 17. nov. 1627. sic sancivit: *Per confirmationes privilegiorum, quas regulares a sede apostolica post sacrum conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem concilio, ac deinde etiam ipsius congregationis decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus ordinario reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in bulla quae in die Coenae Domini legi consueverunt, utpote sublata per annuam ipsius bullae publicationem, vires ac robur acquisivisse ex sequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde regulares cuiusvis ordinis etc.* Ibique additum fuit: *Ab aliis casibus et censuris* (praeter casus bullae Coenae) *sedi apostolicae reservatis absolvendi facultatem extra Italiam minime sublatam fuisse eiusdem s. c. decretis hac de re editis iussu Clem.* VIII.

96. Sed dubit. 1. an regulares possint absolvere saeculares a casibus papalibus.

Prima sententia negat cum Viva [7] Bord. et Floron. ex decr. Pauli V. quo sancitum fuit: *Ac insuper ut nulli ex sacerdotibus praedictis* (scil. saecularibus et regularibus) *quibuscumque privilegiis, indultis et facultatibus suffulti ab excommunicationibus vel casibus eisdem ordinariis vel sedi apostolicae reservatis, praeterquam in articulo mortis, absolvere audeant vel praesumant.*

Secunda sententia tamen probabilior quam tenent Bon. [8] Salm. [9] atque Aversa et Pell. apud Vivam [10], sequitur Potesta [11] cum Peyr. Donato Rodr. Vidal. Ioan. de la Crux, et ipse Viva se revocans id admittit [12], docet regulares posse absolvere saeculares a casibus papalibus occultis; et probant ex privilegio soc. Iesu (in quo communicant omnes regulares, ut notat Potesta [13]) concesso a Paulo III. anno 1545. In dicto privilegio, cuius verba refert Potesta [14] conceditur absolvere fideles *ab omnibus peccatis etiam sedi apostolicae reservatis, exceptis contentis in bulla Coenae etc. Necnon vota quaecumque, exceptis votis castitatis, religionis etc.* Nec obstare dicunt Pell. apud Vivam et Bon.[15] laudatum decretum Pauli V. Nam prohibitio ibi facta de absolvendis casibus papalibus refertur ad casus in decr. Clementis VIII. reservatos, quod Paulus V. et inde Urbanus VIII. confirmarunt et innovarunt, ut referunt Bon. Viva etc. Ibi enim tantum

(1) P. 9. t. 4. res. 65. (2) Vide infra n. 109.
(3) De sacr. poenit. c. 13. p. 3. n. 51. (4) Ibid.
(5) In prop. 12. Alex. VII. n. 1. (6) In prop. 12. Alex. VII. t. 1. p. 93. (7) In prop. 12. Alex. VII. n. 14.
(8) P. 2. n. 18. (9) Tr. 18. de privil. c. 4. p. 2 §. 10. n. 155. (10) L. c. num. 13. et 14.
(11) T. 1. de min. poenit. c. 5. num. 5458.
(12) In tract. de cens. qu. 2. art. 2. n. 6. et 7.
(13) Num. 5459. (14) Ibid. (15) Num 19.

casus bullae Coenae et alii sex enunciati excepti fuerunt.

97. Quod autem tuentur Pelliz. apud Vivam et Rodriq. apud Potestam, scilicet ex praefato privilegio posse regulares absolvere etiam a papalibus pro foro fori, merito reiicit Potesta [1]. Nam ex verbis privilegii, *Confessionibus auditis*, atque *poenitentiam salutarem iniungendi*, satis constat facultatem pro solo foro interno esse concessam.

98. Dub. 2. An religiosi possint absolvere saeculares a casibus ab episcopis sibi specialiter reservatis. Affirmarunt Suar. Hurtad. etc. apud Salm. [2]. Ratio quia qui potest maius (nempe absolvere a papalibus), potest etiam minus, scil. absolvere ab episcopalibus. Et huic opinioni inclinarunt Rodriquez Quint. Cand. etc. apud Vivam [3] ob privilegia postea et iterum regularibus concessa. Nec obstare dicebant decr. s. congr. de mandato Clem. VIII. et Urbani VIII. cum talia decreta non habeant vim legis. His tamen non obstantibus, omnino tenendum est oppositum, cum praefata decreta fuerint confirmata ab iis pontificibus pro tota ecclesia ipsorum speciali mandato, et ideo vere habent vim legis, iuxta communem doctrinam relatam *lib.* 1. *n.* 106. Insuper (ut recte dicunt Salm. [4] et Viva [5]) praedicta opinio satis evasit improbabilis post prop. 12. damnatam ab Alex. VII. quae dicebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.* Haec enim proscriptio sola sufficit ad privilegia revocanda.

99. Dubit. 3. An regulares privilegiati possint absolvere a censuris episcopis reservatis a iure vel a consuetudine. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia negat et hanc tenent Cabassut. [6] Conc. [7] Milante [8] et Viva [9] cum Bordonio et Floron. Quia in decreto citato Pauli v. fuit regularibus sublata facultas absolvendi a censuris ordinariis reservatis.

Secunda sententia tamen probabilior affirmat, quam tenent Conc. [10] Spor. [11] Croix [12] Salmant. [13] cum Sanch. Aversa Lez. Pelliz. Peyr. Diana etc. Et sequitur se revocans Viva [14] qui docet posse absolvi a regularibus censuras episcopis reservatas a iure communi. Quaenam autem sint censurae, *vide infra apud Busemb. n.* 213. Excipe tamen eas quas episcopi sibi reservant. Ratio quia, licet in decretis Pauli v. et Urbani VIII. regularibus vetetur absolvere a casibus ordinariis reservatis, attamen hoc verius intelligitur, ut dicunt Salm. [15] et Aversa Lez. Leand. apud Vivam [16], de casibus tantum ab ordinariis sibi reservatis, cum haec decreta sint (ut supra diximus) confirmativa decr. Clem. VIII. ubi dicitur: *Nec a casibus quos ordinarii reservarunt aut in posterum sibi reservabunt.* Notatque recte Suarez [17], quod casus a iure episcopis reservati reipsa magis dicendi sint episcopis delegati quam reservati. Omnino tamen excipiendi sunt sex casus expressi in decreto edito iussu Clem. VIII. ut supra. At hoc intelligendum intra Italiam, ut explicavit Urban. VIII. (prout supra *n.* 95.); nam extra Italiam vel in Urbe, ut dicitur in decr. Clementis, bene possunt regulares absolvere ab omnibus censuris quae a iure sunt episcopis reservatae, et intra Italiam regulares possunt absolvere a censura propter abortum foetus animati, cum hic casus non sit in casibus expressis a Clemente VIII. Ita communiter dd. *Vide l.* 3. *n.* 397. *vers. Pariter.* Si vero episcopus hunc casum specialiter sibi reservaverit, tunc nullo modo regulares possunt illum absolvere, ut diximus *loc. cit. in fine, et lib.* 6. *n.* 599. *vers. Certum, circa fin.*

100. Quod autem dicit Viva [18] cum

(1) N. 3465. (2) De cens. c. 2. p. 4. n. 40. (3) In d. prop. 12. num. 4. (4) L. c. (5) De cens. qu. 2. a. 2. n. 7. (6) T. I. l. 1. c. 11. (7) De poenit. p. 371. n. 8. (8) In prop. 12. damn. ab Alex. VII. (9) In d. prop. 12. n. 14. (10) De cens. p. 447. n. 17. (11) De poenit. p. 264. n. 745. (12) L. 6. p. 2. n. 1623. (13) De sacram. poenit. c. 13. p. 3. n. 32. (14) In tract. de cens. qu. 2. art. 2. n. 7. (15) L. c. (16) D. prop. 12. n. 13 (17) De poenit. d. 29. s. 5. (18) De cens. q. 5. art. 3. n. 10. et in prop. 12. damn. ab Alex. VII.

Pii, nempe regulares posse absolvere etiam a sex casibus Clement. VIII. quando sunt occulti, ob eamdem rationem ut supra, quia praedicti casus, cum sint occulti, reservantur episcopis, non papae, vi Trident. in *c. Liceat*, id minime probatur: nam in tantum regulares possunt absolvere a casibus episcopis reservatis sive delegatis, in quantum ipsi etiam sunt papales, quare, ablata regularibus facultate absolvendi a casibus Clem. uti papalibus, non habent illi unde hac facultate uti possint, sive casus sint publici sive occulti. Probabiliter autem Viva [1] cum Comit. et communiori sententia, cui adhaeret etiam Conc. [2], dicit posse regulares absolvere casus in synodis reservatos, quando episcopus eos in tabella non exponit; quia, eo ipso quod in tabella non reservat, censetur velle omnibus confessariis facultatem concedere absolvendi ab iis, ex regula: *Non expressum habetur pro omisso.*

101. 2. Quoad facultatem autem, quam praelati regulares habent erga *suos subditos*, communiter docent dd. posse ipsos subditos absolvere ab omnibus casibus papae reservatis extra bullam Coenae. Ita Salm. [3] Conc. [4] Viva [5] et Potesta [6] ex variis privilegiis quae congerunt Salm. [7] (Quidquid in contrarium dicat Croix [8] cum Dic.). Nam licet ex vi Trident. in *c. Liceat*, non censeatur data praelatis regularibus facultas ibi concessa episcopis, quia videtur concessa tantum iis qui habent dioecesim propriam, cum in Trident. dicatur, *in dioecesi sua;* attamen adest privilegium a s. Pio V. (quod in extensum referunt Concin. [9] et Salm. [10]) cuius vi praelati regulares in suos fratres et moniales possunt idem quod episcopi in suos subditos vi Trid. in *c. Liceat*. Et licet Mendo apud Croix [11] astruat confutare privilegium s. Pii, tamen illud authentice referunt Salm. [12] Viva et Concina, qui etiam asserit ipsum confirmatum fuisse cum aliis a Bened. XIII. *in const.* 79. *Pretiosus*, edita an 1727., quam refert etiam p. Milante [13]. Qui insuper refert ab eodem pontifice concessam fuisse facultatem absolvendi etiam a casibus bullae Coenae, exceptis *Relapsu in haeresim, falsificatione litterarum apostolicarum et delatione prohibitorum ad infideles;* generali vero ordinis concessit, *ut ipse solus possit ab irregularitate huiusmodi* (orta ex homicidio) *dispensare cum fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum et intra claustra extiterit consummatum.* Nomine autem praelatorum veniunt provinciales et eorum vicarii in ipsorum absentia vel alii ab eis deputati, ut asserunt Salmanticenses [14]. Necnon veniunt omnes superiores locales, rectores, priores, guardiani etc., ut ait Potesta [15]. Sed post haec scripta inveni quod Clemens XII. in bulla *Romanus*, die 30. maii anno 1732., revocaverit omnes constitutiones et privilegia (praesertim contenta in praefata bulla, *Pretiosus*) concessa a Bened. XIII. omniaque reduxit ad pristinum statum. Insuper hic notandum quod cum disceptatum fuisset an revocatio per Tridentinum facta privilegii regularibus concessi absolvendi haereticos esset vel ne intelligenda pro saecularibus, non vero pro religiosis subditis, s. c. diiudicavit intelligi pro omnibus; ita refert p. Ferraris [16].

102. Possunt etiam praelati regulares absolvere novitios sui ordinis a censuris papalibus (exceptis casibus bullae) ante ingressum in religionem contractis. Ita Salm. [17] cum Rodr. Candido etc. ex privilegio a Clemente VII. concesso anno 1530.

103. Sed dubit. 1. An dicti praelati possint novitios absolvere etiam a censuris ab episcopis sibi specialiter reservatis. Respondetur negative ex decreto s. c. edito de mandato Urb. VIII. ut supra relato; quamvis etiam contradicat Io. de la Crux apud Salmant. [18] cui ipsi

(1) Q. 2. art. 2. n. 7. (2) P. 447. n. 17. (3) De cens. c. 2. p. 6. n. 70. (4) P. 444. n. 19. (5) In prop. 4. Alex. VII. n. 6. (6) De min. poen. 1. n. 5372. (7) L. c. (8) L. 8. n. 111.

(9) L. c. (10) De sacr. poenit. c. 13. p. 3. n. 33. (11) L. c. (12) Cit. n. 33. (13) In prop. 3. Alex VII. p. 23. (14) De cens. c. 2. p. 6. num. 30. (15) L. c. n. 5379. (16) Bibl. verb. Absolvere, art. 1. n. 40 (17) Dict. n. 80. (18) L. c.

adhaerent [1] quia (ut aiunt Salm.) per tale decretum revocata est facultas concessa per privilegium Clementis VII. quoad absolutionem casuum episcopalium; non autem illa quae per consuetudinem est obtenta, ut est ea qua habentes facultatem absolvendi a reservatis papae, possunt absolvere etiam ab illis, quae ordinarii sibi reservant, ut testantur [2] Suar. et Hurt. Addunt alii apud Vivam [3] decretum illud non habere vim legis, quia non fuit de eiusdem pontificis speciali mandato solemniter promulgatum pro tota ecclesia, iuxta sententiam relatam *n.* 106. Omnes tamen hae rationes ex supradictis non videntur amplius probabiles post prop. 12. damnatam ab Alex. VII. ut supra allatam, qua oppositum apparet satis declaratum.

104. Dubit. 2. An praelati regulares possint absolvere suos subditos religiosos a casibus reservatis in bulla Coenae ac etiam ab haeresi. Quoad saeculares, iam damnata fuit ab Alexandro VII. propositio 4. quae dicebat: *Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione ob ipsam incursa.* Quoad subditos vero adsunt tres sententiae:

Prima universe affirmat cum Palao Rodr. Peyrin. etc. apud Salmant. [4], et hanc sequitur et enixe defendit Pot. [5] cum Villal. Donat. et aliis ex diversis privilegiis et iuribus quae congerit.

105. *Secunda sententia* quam tenent Salm. [6] cum Suar. Bann. Cand. Arrag. et aliis dicit non posse absolvere ab haeresi, sed bene posse a caeteris casibus bullae. Ratio istorum quia, licet per bullam Coenae revocentur quaecumque privilegia regularibus indulta, per verba *Non obstantibus privilegiis etc. alicui vel aliquibus cuiuscumque ordinis concessis;* attamen s. Pius V. extendit ad praelatos regulares privilegium episcopis concessum per Trident. in *c. Liceat*, ut supra, eodem modo ac in episcopis invenitur. Sicut igitur (dicunt Salm [7]), non obstante dicta bulla, possunt episcopi vi illius privilegii absolvere suos subditos etiam a casibus bullae occultis, sic etiam possunt regulares. Excipiunt autem Salmant. [8] haeresis crimen, quia ex constitutione Pauli V., ut referunt, haeretici omnino remitti debent ad inquisitores. Sed hoc explicant [9] valere pro locis, ubi viget tribunal s. inquisit.; et ideo pro aliis locis referunt doctrinam Suarii, qui dicit praelatos posse absolvere subditos etiam in haeresim relapsos ex concessione Greg. XIII.

106. *Tertia sententia* demum, quam tenendam esse dicunt Viva [10] et Croix [11] citans Sanchez Suar. Dian. et Mendo, dicit non posse absolvere ab ullo casu bullae Coenae. Ratio est, tum quia decr. Urbani VIII. (ut supra allatum) expresse declaravit per annuam bullae publicationem sublatam esse regularibus facultatem a casibus bullae Coenae absolvendi, tum quia (ut recte arguit Viva [12]), si hodie nec etiam episcopi a casibus bullae absolvere possunt post prop. 3. damnatam ab Alex. VII., ut diximus supra *num.* 83.. ergo tanto minus poterunt praelati regulares. Sed hodie quaestio finita est; nam (ut referunt p. Milante [13] et p. Conc. [14]) Benedictus XIII. in bulla *Pretiosus* (cuius verba retulimus *n.* 101.) novissime concessit superioribus ord. s. Dominici, et per communicationem aliorum ordinum, posse absolvere suos subditos, nempe fratres et moniales sibi subiectas, a quibusvis censuris etiam in bulla Coenae, aliquibus tamen exceptis.

107. Dubit. 3. an praelati regulares possint absolvere suos subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici saecularis. Diximus *suos subditos:* nam circa saeculares nihil regulares possunt, cum facultas absolvendi saeculares ab hac censura sit

(1) N. 81. (2) Ib. (3) In d. prop. 12. Alex. VII. num. 6. (4) De cens. c. 2. p. 6. n. 75.
(5) T. 1. p. 4. c. 5. n. 3575. (6) L. c. n. 76. et 77.
(7) Ibid. num. 77. (8) Ibid. num. 76.
(9) In tract. de sacr. poenit. c. 15. p. 3. n. 50.
(10) In prop. 4. damnatam ab Alex. VII.
(11) L. 6. p. 1. n. 1622. (12) In d. prop. 4. n. 3.
(13) In dicta prop. 3. t. 1. p. 23.
(14) T. 10 p. 449. n. 21. et 22.

ipsis expresse adempta a Clem. VIII. et Paulo V. extra Romam et intra Italiam; *vide dicta n.* 95. In *c. Cum illorum* 32. §. *Qui de sent. excomm.* affirmatur, si religiosus percusserit alium eiusdem ordinis, *nisi excessus* (ut ibi dicitur) *extiterit difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in episcopum aut abbatem violenta manus iniecta.* Si vero percusserit religiosum alterius claustri, dicitur ibid. quod *per abbatem proprium, et eius qui passus est iniuriam, absolvatur* Si autem percusserit clericum saecularem dicitur *nonnisi per apostolicam sedem absolutionis gratiam poterit promereri.* Idem autem quod dicitur de religioso dicunt communiter Pal. [1] Layman [2] et alii passim de novitio percussore, etiamsi ipse crimen commiserit ante ingressum, quia in favorabilibus novitii habentur ut religiosi. Addunt tamen Layman [3] et Palaus [4] cum Molina et Sayro quod novitius, si egrediatur ante professionem, tenetur se praesentare sedi apostolicae iuxta *cap. Eos qui de sentent. excommunicat. in* 6., adhuc si fuerit a praelato absolutus, quia illa absolutio fuit concessa ob temporale impedimentum, ne vagaretur. Hic vero notandum 1. quod si religiosus levi percussione laeserit clericum saecularem, bene poterit absolvi ab episcopo illius, ut communiter dicunt iidem Layman et Pal.[5] cum aliis, ex *c. Religioso, de sent. excom. in* 6. Notandum 2. cum eiisdem aa. et Salmant. [6] quod praedicta procedunt iuxta ius commune: nam spectatis privilegiis, religiosi bene possunt absolvi a suis praelatis, etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus privilegiis, quae referunt Pal. [7] Salm. [8] et Ronc.[9]. Idque dicunt praefati aa. valere, etiamsi religiosus percusserit alium alterius ordinis vel clericum saecularem. Additque Croix [10] cum Krimer., etiamsi percussio fuerit publica, ac posse abbatem absolvi per confessarium a seipso electum. Notandum 3. quod licet regulares possint absolvi a suis praelatis ob huiusmodi privilegia bene tamen valent etiam se subiicere episcopis ut ab eis absolvantur, intellige, si percussio fuerit levis vel enormis occulta. Et in eo casu illi qui sunt praelati alicuius ordinis possunt per se exposcere talem absolutionem ab episcopis, reliqui vero religiosi de suorum praelatorum licentia, nisi haec iniuste denegetur, ut docent Sanchez [11] et Salm.[12] cum Boss. Henr. Diana etc.

108. A quibus autem censuris possint absolvi recipientes bullam Cruciatae. Vide Salm. [13] et Croix [14].

109. « Regulae: *Prima.* Qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis episcopo non potest vi illius absolvere a reservatis papae.

110. » *Secunda.* Qui habet potestatem absolvendi a reservatis papae non censetur posse absolvere a censuris bullae Coenae, eo quod hae censeantur maiores, nec comprehendi in concessione generali. Diana [15].

111. Ita Bon. [16] et Suar Ugolin. etc. apud Salm. [17]. Caeterum quotiescumque conceditur a papa facultas absolvendi a censuris, etiam de papalibus intelligitur, alias nihil concederetur, quia quilibet approbatus potest absolvere a non reservatis, ut Bonac.[18] et Salm.[19] cum Navar. Azor. Cand. etc. Pariter in iubilaeo, concessa facultate ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur comprehensae ex communi usu etiam reservatae episcopis, Croix [20] cum Suar. et Dic. An autem, data potestate absolvendi a censuris tam a iure, quam ab homine latis, comprehendantur censurae ab episcopo specialiter latae. Affirmant apud Croix [21] Avil. Henr. etc., negant Vasq Hurtad etc. Utraque est probabilis. Facultas autem concessa ab episcopo de absolvendis casibus reservatis non intelli

(4) D 5 p. 25. §. 4 n 10. (2) T. 5. p. 2 c. 5.
(3) L. c. (4) Ib (5) Locc. cc. (6) De cens. c. 2. p. 6 n. 69. (7) N. 50. (8) L. c.
(9) P. 104. c. 2. q. 2. (10) L 7 n. 72.

(11) Dec. lib. 2. c. 12. n. 10. (12) Ib. p. 8. n. 52.
(13) Ibid. p 7. num 82. (14) Toto l. 8.
(15) P. 5. t. 12 rer. 14. (16) Q. 5. p. 1. n. 12
(17) De cens. c. 2. p. 4 n. 41. (18) N. 11
(19) L c. (20) L. 7 n 152. et 159 (21) N 153

gitur data pro peccatis, quibus annexa est censura reservata, Tamb. [1]. Secus si talis concessio fiat a papa, Croix [2]. Ratio quia omnes casus papales sunt principaliter reservati cum censura et propter censuram; *vide l.* 6. *n.* 580.

112. « *Tertia.* Qui habet potestatem absolvendi a censuris bullae Coenae habet etiam a quibusvis papalibus et episcopalibus a iure latis, etsi aliqui negent de excommunicatione contracta propter haeresim, de qua alii probabilius affirmant, praesertim pro regionibus septentrionalibus, pro quibus alioqui concessio per magnam partem esset inutilis. »

113. Concessa facultate absolvendi a casibus papalibus, non intelligitur a casibus bullae Coenae, quia in generali concessione non veniunt ea quae superior non fuisset concessurus, si specialiter de iis rogatus fuisset, ut dicunt Bon. [3] Croix [4] Salmant. [5] cum Suarez Cand. Ugolin. etc. Certum autem est hodie, quod concessa facultate absolvendi a casibus bullae Coenae, non comprehenditur facultas absolvendi ab haeresi, licet occulta, ut decrevit Alex. VII. die 23. martii 1656. et novissime rursus declaravit Ben. XIV. in bulla *Convocatis,* emanata pro iubilaeo anni 1750. *n.* 53. Qui tamen *n.* 7. concessit in eodem iubilaeo facultatem absolvendi ab haeresi occulta, modo poenitens non habuerit complicem.

114. « *Quarta.* Possunt regulares per sua privilegia, sicut ab aliis censuris papae reservatis, ita etiam absolvere duello certantes (idem dic de similibus casibus) post constitutionem Clementis VIII. sicuti poterant ante eam, praeterquam in Italia extra Urbem, idque ex declaratione ipsiusmet Clementis apud Comitolum [6]. Regin. [7] Filliuc. [8] Laym. [9].

115. » Resp. 1. Ampla etiam solet dari potestas a censuris absolvendi in iubilaeis, in quibus diligenter considerandum est quid, quantum et quomodo concedatur. Si enim detur potestas absolvendi a casibus reservatis papae, etiam conceditur potestas absolvendi a censuris papae reservatis, quia is non solet reservare casus, nisi ratione censurae adiunctae (Caeterum, universe loquendo, qui absolvere potest a peccato reservato potest etiam a censura annexa, cum nequeat absolvi peccatum, nisi prius censura absolvatur. Salm.[10] cum Avil. Cand. etc.). Porro absolutio data confitenti bona fide in iubilaeo, cum intentione lucrandi illud, etsi postea vel sua negligentia vel propter aliud impedimentum non lucretur, est valida, tollitque censuram; secus si ab initio indulgentias lucrari noluerit, eo enim casu probabilius est absolutionem non valere, et tam peccata reservata, quam censuram de novo debere tolli ab eo qui potest extra iubilaeum (*Vide dicta de poenit. l.* 6. *n.* 536.).»

DUBIUM VI. Quomodo danda sit absolutio a censura.

116. *Quomodo absolvendae censurae in foro externo et quomodo in interno.*
117. *An possit absolvi absens.*
118. *De eo qui absolutus est in iubilaeo.*
119. *De absolutione metu extorta.*
120. *An valeat absolutio, non satisfacta parte.*
121. *Quid si cum hac conditione sit concessa facultas.*
122. *An secuta satisfactione, de se auferatur censura.*
123. *An valeat et liceat absolutio sub conditione.*
124. *An possit dari absolutio ad reincidentiam.*
125. *An ad reincidendum requiratur nova culpa.*
126. *An censura possit absolvi extra confessionem.*
127. *Ad absolvendas censuras requiritur* 1. *satisfactio partis.*
128. *In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem.*
129. *Requiritur* 2. *ut reus praestet iuramentum non amplius committendi crimen, si sit vel de enorme.*
130. *Requiritur* 3. *ut censuratus petat absolutionem.*
131. *Plura notanda. Quid si reus adhuc sit contumax vel invitus vel oblitus non petierit.*
132. *An valeat absolutio si reus falsum exponat.*

116. « Resp. Id statuendum esse ex natura tum censurae, tum cuiusvis absolutionis.

Ex qua circa absolvendi modum resolves:

» 1. Ex natura rei non requiruntur

(1) De cas. r. c. 9. §. 1. n. 11. (2) L. 7. n. 134.
(3) Q. 3. p. 1. num. 12. (4) L. 7. n. 132.
(5) De cens. c. 2. p. 4. n. 41. (6) L. 6. mor.
(7) L. 21. d. 35. (8) T. 1. tr. 15. c. 5.
(9) L. 5. t. 3. n. 3. c. 5. (10) Ibid. n. 58.

certa verba, sed sufficiunt ea signa quibus aperte significetur absolutio impendi (Ad absolvendam censuram sufficiunt quaecumque signa externa, sed non sufficit sola voluntas iudicis. Suar. [1] Pal. [2] et Salm. [3] cum Corneio et Giball.).

» In foro tamen externo communiter servanda est forma cuiusque episcopatus. In foro autem conscientiae haec fere est in usu : *Ego te absolvo*, v. g., *a vinculo excommunicationis, suspensionis etc. quam incurristi propter* NN. (talem causam) *et* (si sit excommunicatus) *restituo te sacramentis ecclesiae et communioni fidelium* (*aut* si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum vel officiorum. In nomine Patris etc.* In publica autem ac solemni absolutione praemittitur psalmus *Miserere*, et ad singulos versus poenitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex iusta causa talis caeremonia videatur omittenda, praesertim in foeminis), tum adiectis precibus absolvitur et in ecclesia introducitur. Idem modus fere servatur in absolutione mortuorum, nisi quod sepulcrum virga percutiatur. Rituale rom.

117. » 2. Absolvi a censura potest absens (Certum est quod absens sicut potest ligari censura, ita absolvi ex *c. De manifesta caus.* 2. *qu.* 1., *c. Quanto, caus.* 2. *q.* 5. Caeterum sine urgenti causa non licet absolvere absentem, Sanch. [4] Salm. [5] cum Pal. Avil. Sayr. etc. qui notant quod si obtineatur absolutio per procuratorem, hic debet habere speciale mandatum censurati de obtinenda absolutione, ut constet de emendatione, debetque procurator implere quae mandans implere deberet, si praesens esset), imo et invitus, etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio quia sicut poena in absentem et invitum potest statui, sic et auferri. Turr Diana [6] (*Vide infr. n.* 131.).

118. » 3. Is qui pluribus censuris est astrictus potest absolvi ab una, relictis aliis, quia inter eas non est necessaria connexio. Unde si dicatur *absolvo te ab omni vinculo etc.* valet pro omnibus, ideoque si sic absolutus in iubilaeo forte omisisset invincibiliter peccatum habens annexam censuram, id est excommunicationem posset is postea ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eo quod censura, ratione cuius tantum erat reservatum, sit sublata (*Vide d. n.* 131. *in fine.*).

119 » 4. Absolutio vi aut metu gravi iniuste incusso extorta non valet, imo novam excommunicationem incurrit qui metum incutit (Ex *c. unic. De his, quae vi etc. in* 6. Secus tamen si metus non fuerit iniuste incussus, nempe si extorta sit absolutio a iudice qui nolebat absolvere, adhuc cessante contumacia. Ronc. [7] et Cont. Tourn. [8]).

120. » 5. Absolutio data ab ordinario, non praestita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est, imo etiam data a delegato, modo non delegetur cum conditione satisfactionis, quae si impossibilis sit, sufficit praestare cautionem aut iuramentum de satisfaciendo cum poterit.»

121. Quaer. utrum sit invalida absolutio censurae data a delegato, non satisfacta parte, si illi facultas concessa est absolvendi cum clausula, *satisfacta parte*. Probabiliter negant Sanchez [9] Pal. [10] Bon. [11] Ronc. [12] et Salm. [13]. Nisi exprimatur in concessione nullam fore absolutionem, hac conditione non impleta, alias cum illa conditio sit de iure, intelligitur apposita ad monendum delegatum non ad limitandam facultatem; sed probabilius affirmant Suar. [14] Sporer [15], item Vasq. Coninch. Sayr. apud Pal. [16] et alii citati *l.* 6. *n.* 537. *v. Qu.* 7. cum communiori sententia, ut fatetur ipse Palaus. Ratio quia praedicta clausula probabilius importat veram conditionem, ut in simil

(1) D. 6. sect. 9. n. 2. 5. et 6. (2) D. 1. p. 11. §. 3. n. 1. (3) De cens. c. 2. § 2 n. 14. (4) L. 2. c. 11. n. 14. (5) Ibid. n. 16. (6) P. 5. t. 9. r. 10. (7) Cap 6 § 6. (8) De cens. part. 1. cap. 5. art. 2. quaer. 6. (9) De matr. l. 3. d. 53. n. 6. (10) D. 1. p. 31 §. 3. n. 6. (11) Q. 3. p. 9. (12) C. 6. q. 6. (13) De cens. c. 2. § 2. n. 25. (14) D. 7. s. 5 n. 42 (15) Suppl p. 279. n. 214 (16) L. c.

dictum est *eod. t.* 6. *n.* 1115. *circa fin.* Tanto magis quod, cum pontifices volunt tantum monere de aliqua obligatione, monitionem exprimant per verbum *hortamur*, *monemus*, et simile; cum vero adhibent ablativum absolutum, aliquid aliud exprimere intendunt. Hoc tamen non obstante, non puto improbabilem (ut dixi) primam sententiam saltem ob auctoritatem dd. qui hic illud, *satisfacta parte*, non interpretantur pro conditione. Omnes autem conveniunt graviter peccare confessarium qui censuratum absolveret, parte non satisfacta. *Vide tamen alia dicta cit. n.* 537. *v. Qu.* 7.

122. Certum autem est quod etiam secuta emendatione vel satisfacta parte, ad cuius instantiam lata est censura, haec non aufertur sine absolutione, quia licet, cessante contumacia, censura debeat statim absolvi, ex *c. Cum desideres*, *de sent. exc.*, ex hoc tamen non infertur quod sit iam absoluta; patet ex prop. 44. damnata ab Alex. VII. *Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante*, *cessant censurae.*

123. « 6. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti, cum sit actus iurisdictionis externae qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi; si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio, si non meretur, non debet absolvi (Ideo illicita de se est talis absolutio, quamvis ex aliqua causa posset cohonestari, ut Roncag. [1] cum Suar. Con. et Salm. [2]. Si quis excommunicet sic: *Excommunico te, donec solvas;* vel si quis ita absolvat: *Absolvo te, si intra mensem solvas;* facta solutione, tollitur censura, ut Pal. Henr. Avil. Con. Vasq. etc. cum Salm. [3]).

124. » 7. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, id est pro certo actu et tempore, quo transacto, reincidit: item sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat. »

(1) Ib. q. 2. (2) De cens. c. 2. p. 1. n. 11. et 12. (3) Ibid. n. 15. (4) D. 7. sect. 8. n. 27. (5) Q. 5. part. 5. n. 16. (6) Ibid. n. 5. (7) C. 6. q. 2. (8) D. 1 p. 11. §. 2. n. 10.

125. Quaer. autem utrum, censura absoluta cum reincidentia (v. g. si intra mensem non satisfacias) requiratur nova culpa ad reincidendum.

Prima sententia negat, quia tunc manet eadem prima censura quae non fuit sublata, nisi sub tali conditione. Ita Suar. [4] Bon. [5], item Hurt. Fill. etc. apud Salm. [6].

Secunda sententia tamen probabilior quam tenent Ronc. [7] Pal. [8] et Contin. Tourn.[9] et Salm. [10] cum Avila Henriq. Con. Laym. etc. docet requiri novam culpam. Ratio, quia prima censura non potest dici suspensa, cum non possit suspendi censura, nisi auctoritate pontificis, ut dicunt Salm.[11]. Ergo fuit sublata et ideo sine nova culpa renasci non potest. Et idem dicendum aiunt Salm. cum iisdem aa.[12] si pontifex a censura absolverit ad omnem effectum, etsi ad reincidentiam, quia, nisi aliud exprimat, censetur absolvisse modo ordinario; secus tamen, si a censura absolverit ad aliquem effectum tantum, nempe ut censuratus reddatur habilis ad beneficium obtinendum etc., manente censura quoad alios effectus.

126. « 8. Probabilius est eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiae a censura, posse id facere etiam extra confessionem, ut contra Navarr. Suar. et alios docent Sanch.[13] Con. Diana etc. (Idem tenent Salm.[14] cum Con. Ugol. *Vide tamen l.* 6. *n.* 593. *v. Eamdem*, ubi diximus episcopum non posse absolvere a casibus papalibus occultis extra sacramentum poenitentiae ex declar. Gregorii XIII.). »

127. Sed pro complemento huius puncti hic sedulo recensendae sunt solemnitates requisitae a iure ut absolutio debite impendatur.

Requir. 1. ut reus prius satisfaciat parti, in cuius damnum commissum fuit crimen, ob quod censura lata fuit, nimirum furtum, percussio etc.; nam licet absolutio data, parte non satisfacta, fuisset valida, graviter tamen pec-

(9) De cens. part. 1. cap. 3. art. 2. (10) De cens. c. 2. p. 1. num. 6. (11) L. c. (12) Cit. n. 6. (13) L. 3. de matr. d. 16. (14) Ibid. p 4. num. 44.

cat absolvens et tenetur illi damna restituere, quia ex officio tenebatur ei consulere. Ita communiter Avila Con. Henr. Cand. cum Salm. [1]. Sufficit tamen, cum creditor est in loco distanti, si reus pecuniam in loco tuto depositet ut possit absolvi, ut bene notant Salm. [2] cum Avila.

128. Tribus tamen casibus posset reus absolvi, non satisfacta parte. 1. Quando pars iniuriam remittit; sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat ecclesiae, ut tenent Salmant.[3]. *Vide l.* 6. *n.* 536. Hinc si percussus a clerico remittat iniuriam expresse vel tacite, percussorem familiariter tractando, hic bene posset absolvi, ut Avila Navar. Sylv. apud Salm. [4]. 2. Quando pars laesa reiicit iustam satisfactionem oblatam, quia tunc iam per se satisfacit. Salm. cum Card.[5]. 3. Quando reus impotens est ad satisfaciendum, quia tunc iudex eum absolvere bene potest, imo tenetur et valet compelli, ut ait Con. apud Salm.[6], ex *c. Qua fronte de appel.*, quia, cessante contumacia, debet reus absolvi. Reus tamen, qui non est solvendo nec in toto nec in parte debet cautionem praestare, si potest; alias saltem iuramentum solvendi cum poterit, ex *c. Odoardus, de solut. et c. Ex parte* 23. *de verb. signif.* Sed *vide dicta lib.* 6. *n.* 537. *v. Si vero.* Hoc autem currit, si reus certe est debitor; nam si habet opinionem probabilem pro se vel si sit dubius, cum melior sit conditio possidentis, non potest obligari, nisi ad summum ad praestandum iuramentum solvendi, si de obligatione constiterit. Quod si debitor statim solvere non posset, nisi cum magno damno aut incommodo, potest etiam, praestita cautione, absolvi, nisi pars idem incommodum ex dilatione pateretur, ut Nav. Con. Avil. cum Salm.[7]. *De hoc vide dicta l.* 3. *n.* 701.

129. Requir. 2. Ut reus ante absolutionem censurae praestet iuramentum de non committendo amplius tale crimen: colligitur ex *c. De caetero* et *c. Ex tenore, de sent. excomm.* Hoc iuramentum tamen exposcitur tantum ab iis qui ob enorme crimen excommunicationem incurrunt, utpote sunt scandalose violantes ecclesias, graviter percutientes clericum, incendiarii, usurarii publici, notorii percussores episcopi vel cardinalis etc. Secus, si excommunicatio sit contracta ob alia peccata non ita gravia; et hoc currit tam in foro interno quam externo. Ita commun. Pal.[8] et Salm. [9] cum Suar. Con. Hurt. Avila Diana Henr. etc.

130. Requir. 3. ex *c. Per tuas, de sent. exc.* ut censuratus absolutionem petat; ibi: *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur.* At quia textus dicit *non debet*, non autem *non potest*, ideo bene docet s. Thom.[10], quem sequuntur Pal. [11] et Con. Avila etc. cum Salm.[12], censuratum, modo sit emendatus a peccato, etiam renitentem valide posse absolvi.

131. Hinc autem notandum 1. quod si reus non sit emendatus et peccatum habeat tractum successivum, ut haeresis, furtum, non potest absolvi, nisi a ferente censuram; secus tamen si peccatum non habeat tractum successivum, ut periurium, blasphemia, ut Cont. Tourn.[13] et Salm.[14]. Notandum 2. cum Roncaglia[15] et Salm.[16] et ibi Pal. Suar. Sayr. Diana etc. quod aliquando ex iusta causa etiam licite datur absolutio censurato adhuc contumaci, puta ob bonum publicum vel ut reus facilius resipiscat. Notandum 3. quod si privilegium sit factum poenitentibus, prout in iubilaeo, ubi datur eis facultas eligendi sibi confessarium a quo absolvantur, tunc nequit absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati, ita Pal. et Tourn.[17], item Avila Conin. Corn. apud Salm.[18] cum Ronc.[19]. Secus, si privilegium sit in favorem confessariorum, ut sunt

(1) Ibid. p. 2. n. 22. (2) Ibid. num. 21.
(3) De cens. c. 2. p. 2. n. 20. (4) Ibid. (5) L. c.
(6) Ibid. num. 21. (7) Dict. num. 21.
(8) D. 1. p. 11. §. 3. n. 4. (9) Ibid. n. 13.
(10) 3. p. qu. 24. a. 2. (11) D. 1. p. 11. §. 3. n. 9.
(12) De cens. c. 2. p. 3. n. 29. (13) De cens. part. 1. cap. 5. art. 2. quaer. 2. (14) Ib. n. 28
(15) C. 7. q. ult (16) Ib. n. 30. (17) Locc. cc
(18) Ib. n. 29. (19) L. c.

privilegia regularium, prout recte notant Salm. [1] cum Ant. a Spir. sancto. Notandum 4. quod aliquis pluribus censuris innodatus posset absolvi ab una et non ab aliis, quare, si censuratus unius tantum petat absolutionem, odiose alias celando, ab illa tantum censetur absolutus, nisi superior aliud exprimat, ex *c. Cum pro causa, et c. Officii, de sentent. excomm.* Vide Salm. [2]. Si autem sine dolo alias celasset, iudicatur absolutus ab omnibus, nisi constet absolventem aliud intendisse. Ita Salm. [3] cum Cand. Gibal. Et haec absolutio valet etiam pro foro externo, si absolvens iurisdictionem habet in contentioso; si vero in foro conscientiae tantum sive in sacramento poenitentiae iurisdictionem solum habet, tunc reus qui omiserit confiteri inculpabiliter peccatum, cui annexa erat censura reservata, poterit tantum pro foro conscientiae a quocumque postea absolvi, ut cum Busemb. dicunt Salm.[4] cum Con. Avila Gibal. etc. Idem dicitur ibi cum Cov. Avila Sylv. etc. de absolutione generali quam praelati impertiuntur suis subditis in visitatione. Excipiunt tamen cum Bon. Avila etc., si aliqua censura exposcat satisfactionem partis, quia tunc non praesumitur praelatus velle ab illa absolvere contra iuris praescriptum et in alterius praeiudicium; ita praefati aa. et quidem probabiliter: sed *l.* 6. *n.* 597. probabilius esse diximus cum Suar. Sylv. Conc. Antoine et aliis, quod poenitens confessus superiori, etiamsi inculpabiliter fuerit oblitus peccati reservati, non sit ablata reservatio, quia reservatio imposita est ut culpae cognoscantur a superiore, utque debitis poenitentiis puniantur, monitisque in futurum vitentur. Secus vero dicendum si privilegium sit ipsi poenitenti concessum ut in iubilaeo etc. *Vide d. n.* 597.

132. An autem valeat absolutio, quando datur ob falsam causam, nempe si iudex absolvat, quia reus dicit iam se emendatum vel parti satisfecisse, quod verum non sit. Respondetur negative si deficiat causa principalis; secus, si minus principalis, vel si iudex certo conscius sit falsitatis, ut Cont. Tourn.[5] cum Suar. et Bon. ac Salm.[6] cum Pal. Sayr. Avila Henr. communiter.

(1) Ibid. (2) Ibid. n. 32. (3) Ibid.
(4) De cens. c. 2. p. 5. num. 33. et 34.

Cap. II. de excommunicatione

Dubium I. Quid sit et quotuplex.

133. *Quid excommunicatio. Quaenam veniat illius nomine maior ne aut minor, et qui sint vitandi.*
134. *Resolutiones.*
135. *Quid requiratur ut quis sit vitandus. Vide constitutionem conc. constantiensis.*
136. *De 1. conditione, ut sit nominatim excommunicatus.*
137. *De 2. conditione, ut sit publice denuntiatus.*
138. *An liceat toleratis cum aliis communicare.*
139. *An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in divinis sine necessitate.*
140. *An idem de suspenso et interdicto vitando.*
141. *Quando percussor clerici sit vitandus.*
142. *An ad vitandum eum requiratur notorietas facti.*
143. *An sufficiat ut alicui factum sit notum.*
144. *An requiratur etiam notorietas iuris.*
145. *An percussor notorius in uno loco sit vitandus in aliis, ubi non est notus.*
146. *Quando possit credi vitandus absolutus.*

133. « Resp. Excommunicatio est censura per quam quis privatur communione ecclesiae. Estque duplex, minor, quae tantum privat usu passivo seu receptione sacramentorum: et maior, quae etiam dicitur anathema, ac in iure fere semper nomine excommunicationis intelligitur (Habetur in *c.* 1. *Si quem* 59. *de sent. excomm.* quod nomine excommunicationis intelligatur maior, non minor, et ita aa. apud Croix [7]. Per anathema autem intelligitur excommunicatio maior lata cum maiore solemnitate), privatque omni communione ecclesiastica, secundum dicenda (Non dicitur simpliciter *omni communione:* nam etiam excommunicatus cum fidelibus tamquam membris unius corporis communicat in pluribus bonis spiritualibus; sed additur *ecclesiastica*, id est pro bonis, quorum distributio ad ecclesiam pertinet. Vide Salm. [8]). Per hanc maiorem excommunicatus rursus est duplex: Toleratus, quem fideles non tenentur vitare.

(5) L. c. quaer. 6. r. 2. (6) Ibid. n. 35
(7) L. 7. n. 177. (8) De cens. c. 3. n. 1 n. 1

non toleratus, quem tenentur vitare. Et quidem post conc. constantiense non tolerati sunt hi tantum: 1. Notorius clerici percussor, de quo infra. 2. Quivis nominatim excommunicatus et specialiter ac publice denuntiatus.

Unde resolves:

134. » 1. In Germania catholici secure communicant cum iis qui notorie sunt haeretici et consequenter excommunicati, quia non sunt nominatim excommunicati ac publice denuntiati.

» 2. Non teneris vitare eum quem scis peccasse contra legem, per quam illi etiam in particulari sub poena excommunicationis aliquid est vetitum vel praeceptum, quia requiritur ut per sententiam expressam et specialem, contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata, v. g. ut Ioannes sit denuntiatus excommunicatus, vel saltem ita exprimatur persona ut non liceat de ea dubitare, v. g. excommunicamus talis loci decanum, praetorem (Nota hic quod agere rem sub excommunicatione maiori vetitam non excusatur a culpa gravi; Salm. [1] cum s. Th. Suar. Lez. et comm. Nota deinde quod si peccatum est vetitum sub censura ex eodem motivo, puta si vetetur homicidium, peccans unum peccatum committat; secus, si ex diverso motivo, ut si vetetur homicidium clerici ob reverentiam status. Est commune cum Laym. [2] Pal. Avila et Salm. [3]).

» 3. Licet dicatur: *Excommunicamus Petrum*, v. g. *incendiarium et eius complices*, solus Petrus vitandus est, non vero alii, etsi sint notorii: quia sententia quoad illos est tantum generalis et non specialis contra certam personam.

» 4. Non teneris vitare eum qui privatim in conclavi est denuntiatus, quia id non est factum publice; ad hoc enim requiritur ut sententia legatur vel affigatur alicui loco celebri, v. g. in templo, tempore concionis, vel aliter pro more regionis. »

135. Notandum 1. olim omnes excommunicatos fuisse vitandos; post constitutionem vero concilii constantiensis quae incipit, *Ad evitanda* (cuius exemplum nunc non extat, sed legitur apud s. Anton. et Sotum, ultra quod sufficit fuisse confirmatam a Martino v. in *Extrav. Ad evitanda*), vitandi tantum sunt nominatim excommunicati ac denuntiati et publici percussores clericorum; verba const. relata a Salm. [4] haec sunt: *Ad evitanda scandala ... indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione vel aliis quibuscumque divinis vel extra, praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae a iure vel ab homine generaliter promulgatae ..... teneatur aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare: nisi sententia vel censura eiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium etc. vel locum certum, a iudice publicata vel denuntiata specialiter vel expresse... Salvo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones.* Sed inde additur: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos suspensos et interdictos seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.*

Sunt igitur vitandi tantum nominatim excommunicati ac denuntiati, et deinde notorii percussores clericorum. De singulis hic discutiemus.

136. Et quoad primos, ut aliquis excommunicatus sit vitandus, iuxta praelaudatum decretum, requiritur 1. Ut sit nominatim excommunicatus, expresso nomine per verba aut signa indubitata, v. g. *Excommunico praetorem Salmantinum*, et ita ut non possit cum alio praetore aequivocari: ut notant Sot. Avila et Salm. [5]. Ex quo infertur quod non tenemur vitare haereticos, etiamsi no-

(1) Ibid. n. 7. (2) C. 5. n. 8. (3) Ibid. n. 9.

(4) De cens. c. 5. p. 2. n. 10.
(5) De cens. c. 5. n. 9. n. 13.

torium sit hos esse a iure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati et denuntiati. Nec obstat 1. decretum posterius concilii basiliensis, quo sancitum fuit esse vitandos omnes notorie excommunicatos. Nam respondetur 1. cum Turrecr. Salm. et aliis dd. comm., quod decreta dicti concilii edita post schisma (prout hoc decretum editum fuit) ab Eug. IV. fuerunt revocata, *vide dicta l. 1. n. 133. Resp.* 2.; quod tale decretum, quamvis legitimum fuisset, a contraria tamen consuetudine ecclesiae fuit abrogatum, et decretum concilii constantiensis communiter fuit receptum. Ita communiter dd. Vide Salm. [1]. Nec obstat 2. dicere quod saltem ex iure divino tenemur publice excommunicatos, maxime haereticos, vitare, ex illo ad Titum 3.: *Haereticum hominem post primam et secundam correptionem devita.* Et ex Ep. 2. Io.: *Nolite recipere eum in domo, nec ave ei dixeritis.* Hoc enim respondetur intelligi praeceptum, quando esset periculum quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset aut si spes esset, fore ut delinquens ex vitatione resipisceret. Salm. [2].

137. Requir. 2. ut reus publice excommunicatus publice etiam denuntietur. Circa quod non sufficit si denuntiatio fiat coram litigantibus, sed debet fieri in loco publico (prout in ecclesia, tempore missae vel concionis), et in charta affigi in loco publico vel alibi iuxta usum regionis, Pal. [3] Salmant. [4] Croix [5] cum Suar. Henr. Con. Avila Hurtad. Et in dubio an quis excommunicatus sit sufficienter denuntiatus, non tenemur eum evitare ut notat Croix [6] cum Dic. et aliis, nisi adesset periculum scandali. Sufficit tamen, ut teneamur vitare, si constet nobis esse illum denuntiatum per famam publicam vel per testimonium etiam unius personae gravis auctoritatis, ut Croix [7] cum Nav. Dic. etc. Notandum 2. excommunicatus a iure (nisi crimen sit notorium) debet prius a suo proprio superiore citari ut se defendat, Salm.[8], iuxta dicta supra *n.* 55. *in fine.* Et deinde debet publice ut excommunicatus denuntiari seu declarari. Sufficit autem ut excommunicatus a iure tantum denuntietur tamquam talis, ut iam sit vitandus, Salm. [9]. Non vero sufficit si reus sententia declaretur tantum quod commiserit crimen, cui annexa est excommunicatio, ut alias tenent sufficere Suarez Sayr. Avila etc. apud Salm.[10]. Nam verius requiritur ut expresse declaretur excommunicatus, ut docent Sanch.[11] Pal.[12] Ronc. [13] et Salm.[14] cum Bonac. Reg. Diana etc. (quod probabile putat Croix [15]). Ratio quia in decreto conc. constant. et in extrav. Martini v. dictum est neminem esse vitandum, *nisi censura vel sententia eiusmodi fuerit a iudice publicata vel denuntiata specialiter et expresse.* Ex quibus verbis Gibal. cum Sanchez addit nec sufficere si declaretur reus incurrisse omnes censuras crimini annexas, nisi in specie denuntietur excommunicatus. Notandum 3. quod, licet vitare non teneamur excommunicatum non denuntiatum, possumus tamen vitare, etiam publice eum qui publice est notus ut excommunicatus, uti recte dicunt Avila et Dicast. apud Croix [16].

138. Notand. 4. quod etsi permissum sit aliis communicare cum excommunicato tolerato, attamen, prout patet ex verbis concilii ut supra, cuicumque etiam clam excommunicato interdictum est cum aliis communicare tam in divinis, quam in humanis. Sed dubium hic fit an liceat fidelibus cum illo communicare in divinis et sine necessitate. Dixi *in divinis;* nam in humanis certum est semper licere. Dixi item *sine necessitate*, quia in casu necessitatis vel specialis utilitatis, puta, si alius aeque utilis non inveniatur licite potest quisque ab excommunica-

(1) Ibid. num. 15. (2) Ibid. num. 14.
(3) Disp. 2. part. 4. (4) Ibid. n. 15.
(5) L. 7. n. 185. (6) N. 186.
(7) Ibid. (8) De cons. c. 5.
(9) Ib. n. 15. (10) Ibid. num. 17.
(11) Dec. l. 2. c. 9. n. 4.
(12) N. 6. (13) P. 84. q. 2. r. 1.
(14) Dict. num. 17. (15) L. 7 n. 185.
(16) L. 7. n. 184.

to sacramenta petere; ita Suar.[1] Pal.[2] et Salm.[3] cum Con. et Corn.

139. Quaer. igitur an liceat communicare in divinis cum excommunicato tolerato sine necessitate vel utilitate. Negant Pont.[4] Suar.[5] et Avila Pal. ac Con. apud Salm.[6], quia licet communicans non agat contra praeceptum censurae, agit tamen contra caritatem inducendo excommunicatum ad actum illicitum; nisi (excipiunt) ille esset paratus sacramenta ministrare, aut nisi teneretur ea praestare ex officio, nempe si esset parochus, quia tunc alter utitur iure suo. Probabilius vero affirmant universe Sanch.[7] Pal.[8] Bon.[9] et Salm.[10] cum Soto Hurt. Sayr. Corn. Gibal. Henr. etc. Ratio quia, quando excommunicatus rogatus communicat, v. g. sacramenta ministrat, nec ipse tunc peccat; nam, si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a concilio, dum eis, saltem indirecte, ratione caritatis prohiberetur communicatio. Quare, cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen currit si sacramenta petantur ab excommunicato, quia, si petantur a ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur equidem causa iusta, secundum dicta *l.* 6. *n.* 88. *v. Resp.* 3.

140. Notand. 5. quod haec quae hucusque dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso aut interdicto vitando in iis rebus, in quibus vi suspensionis vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut usquedum non sint publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia concilium loquitur universe de quacumque censura; Pal.[11] et Salm.[12] cum Sayr. Cai. Gutt. etc. commun. Et idem asserit[13] Avila de irregulari, qui si non sit denuntiatus, non est vitandus; hinc ait licite posse fideles a parocho irregulari, etiam ob publicum homicidium sed non denuntiato, petere missam et sacramenta, cum concilium loquatur tam de impeditis per censuram, quam per quamcumque sententiam, per verba *tò cuiuscumque sententiae vel censurae.*

141. Quoad vero *percussores clericorum*, hi ut sint vitandi, requiritur ut sint notorii. Sed hic quaeritur an requiratur notorietas iuris vel facti. Notorium *iuris* dicitur quod notum est vel per sententiam judicis, vel per confessionem rei in iudicio, vel per sufficientem depositionem iudicialem testium. Notorium autem *facti* dicitur quod notum est maiori parti collegii, monasterii, viciniae vel magno numero personarum, sive quod creditur mox venturum ad earum notitiam; nam, ut bene notant Salm.[14] cum Bon. Hurt. Nav., in magna civitate non requiritur ut factum sit notum maiori parti civium; verum non sufficit contra ut sciant 14. testes, ut dicunt Salmant.[15] cum aa. cit. Licet Dicast. ap. Croix[16] putet quod si percussio fiat in foro coram septem dicenda sit notoria, secus, si fiat in domo privata aut in monasterio, *vide dicta l.* 3. *n.* 975.; sufficit autem fama communis orta a viris fide dignis et integre probata; quae quidem iam praebet moralem certitudinem, ut Pal.[17] Bon.[18] Salm.[19] cum Sayr. et aliis. Putant tamen Viva[20] Avil. et Dic. apud Croix[21] non sufficere famam quod quis percusserit, sed requiri etiam famam quod publice percusserit. Imo docent Suar. Mol. et Dicast.[22] non sufficere publicam huiusmodi infamiam, quando haec non procedit ex notorietate facti per testes oculatos: alias dicetur crimen famosum, sed non notorium, et hoc Croix probabile censet ex verbis bullae, *Ad evitanda*, ut supra *n.* 135. ubi: *Si sententiam latam a canone adeo notorie con-*

(1) D. 11. sect. 1. n. 15. (2) D. 2. p. 5. n. 5.
(3) De cens. c. 5. p. 2. n. 23. (4) L. 5. c. 18. § 9.
(5) D. 4. sect. 4. n. 10. (6) Ibid. n. 24.
(7) De matr. l. 7. d. 9. n. 3. (8) D. 2. p. 5. n. 5.
(9) P. 1. §. 5. num. 4. (10) Ibid. n. 23.
(11) P. 5. n. 3. (12) De cens. c. 5. p. 2. n. 21.
(13) Ibid. (14) Ibid. num. 19. (15) L. c.
(16) L. 7. n. 182. (17) D. 2. p. 4. n. 3.
(18) D. 2. q. 2. part. 1. §. 1. n. 9. (19) Cit. n. 19.
(20) Q. 5. a. 2. n. 5. (21) L. 7. n. 187. (22) Ib.

stiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari. Hinc, ut dicit Viva [1], non erit notorius percussor, qui laborat publica infamia, quod clericum percusserit, si revera ipse non percusserit publice.

142. His positis dubitatur 1. an sufficiat, ut percussor clerici sit vitandus, sola notorietas iuris. Resp. negative cum communi; namque licet olim ante concilium constantiense sufficiebat notorietas iuris, quia tunc omnis excommunicatus erat vitandus, nunc tamen requiritur etiam notorietas facti, ex verbis illis: *Quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Ita Suar. [2] Pal.[3] Bon.[4] Croix[5] cum Laym. et Salm.[6] cum Con. Avila etc. Advertendum tamen est quod sicut est vitandus is quem per publicam famam constat fuisse notorium clerici percussorem, ut dictum est supra, ita etiam vitare debemus eum qui per sententiam iudicis (iuxta concilium constant.) denuntiatus est vitandus, quia tunc per talem sententiam satis certi evadimus etiam de notorietate facti; vide Croix[7].

143. Sed dub. 2. An sufficiat ut factum sit alicui notum, quamvis aliis sit occultum, ut ille percussorem vitare teneatur. Affirmant Suar. Dic. et alii apud Croix [8], quia factum iam illi notorie constat. Sed probabilius negant Bonac. [9] cum Avila et Pal.[10] cum Nav. Laym. Hurt. ac Con. et Croix [11] cum Pignat. Quia ex verbis mox relatis iam satis apparet requiri ut crimen sit simpliciter notorium, id est pluribus notum, ita ut celari non possit.

144. Dub. 3. An ultra notorietatem facti, ut percussor sit vitandus, requiratur notorietas iuris, id est quod reus sit etiam in iudicio confessus vel per sententiam damnatus. Visum est alicui omnino negandum, casu quo factum nulla possit tergiversatione celari, ut supra; at probabiliter quidem affirmant Avil. Caelest. Fag. Cov. quos sequuntur Salm.[12] et Ronc.[13]. Ratio quia dicit textus (*vide n.* 135.) quod ad obligationem vitandi percussorem requiritur ut constet non solum eum percussisse, sed etiam censuram incurrisse, ita ut factum non possit celari *nec* (nota ut additur) *aliquo suffragio excusari.* Ideo usquedum reus non sit in iudicio confessus aut condemnatus semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo v. gr. se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, etc. Huic sententiae adhaeret Diana [14] qui dicit: *Quamobrem raro contingit percussionem clerici ita notoriam esse facto, ut non possit aliquo iuris remedio aut probabilitate aliqua excusari.* Et idem docent Viva [15] et Pignat. apud Croix [16]. Quare nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter numquam est vitandus.

145. Dubit. 4. An percussor clerici notorius in uno loco sit vitandus in alio ubi non est notorius. Affirmant Hurt. Bonac. Vasq. apud Salm.[17], quia a concilio universe fuit declaratus ut vitandus qui alicubi fuit notorius clerici percussor. At probabiliter negant Pal.[18] Sanch.[19] et Salm.[20]. Quia, ut dicunt, factum publicum in uno loco non vere est publicum in alio, ubi communicatio cum excommunicato occulto non affert scandalum, quod praecipue voluit concilium evitari. Et idem quod dicitur de clerici percussore dicendum de excommunicato in aliquo loco denuntiato, modo notitia denuntiationis non sit brevi in illum alium locum perventura, ut dictum est supra *n.* 78.

146. Ultimo hic notandum quod, postquam noscatur quis semel esse denuntiatus sive declaratus excommunicatus, tenemur eum vitare, donec constet nobis de absolutione vel per publicam famam, vel saltem per testimonium unius fide digni, uti habetur in *c. Sicut* 39. *de sent. exc.* Potest tamen

(1) L. c. (2) D. 9. sect. 2. n. 11. (3) D. 2. p. 4. n. 7. (4) D. 2. p. 1. §. 1. n. 3. (5) L. 7. n. 180. (6) De cens. c. 3. p. 2. n. 13. (7) Loc. cit. (8) Lib. 7. n. 179. (9) D. 2. q. 2. p. 1. §. 1. (10) L. 2. n. 6. (11) Ibid. (12) Ib. dict. n. 18. et 19. (13) P. 84. q. 2. r. 2. (14) P. 3. tr. 9. res. 60. (15) Quaest. 3. a. 2. n. 5. (16) L. 7. n. 181. (17) De cens. c. 3. p. 2. n. 20. (18) N. 9. (19) Dec. l. 2. c. 12. (20) Ibid.

ipsi excommunicato fides adhiberi, si alias sit fide dignus et timoratae conscientiae, asseratque se absolutionem recepisse, vel se gerat ut absolutum. Ita Croix [1] cum Nav. Avil. Dic. et Henr.

DUBIUM II. Ob quam causam incurratur et quem effectum habeat excommunicatio minor.

147. *Ob quam causam incurratur excommunicatio minor.*
148. *An episcopus possit alicui interdicere sacramenta. Effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi sacramenta.*
149. *An sit privatio etiam ministrandi.*
150. *Effectus indirectus est privatio electionis passivae ad beneficia.*
151. *Incurritur communicando cum vitando.*
152. *An sit mortale recipere sacramenta cum excommunicatione minori. An ministrare.*
153. *An incurratur cum solo veniali.*
154. *Et an hoc veniale possit omitti in confessione.*
155. *Quis possit absolvere ab ea. An etiam quiscumque qui potest absolvere venialia.*
156. *Quis incurrat, remissive.*

147. « Resp. incurritur ob unicam tantum causam, si quis nimirum cum excommunicato maiore excommunicatione communicet iis casibus quibus non licet. Effectus eius est privatio sacramentorum perceptionis. Vid. Lay. [2]. »

148. Quoad causam igitur, excommunicatio minor de iure incurritur tantum ob communicationem cum excommunicato vitando. Hoc tamen non impedit, ut docet Laym. [3], quominus episcopus in poenam alicuius criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum sacramentorum vel saltem communionis. Quoad effectum vero, excommunicatio minor unicum tantum effectum directum habet, nempe privare perceptione sacramentorum, ex *c. Si celebrat, de cleric. exc.* Ibique dicitur graviter peccare qui hac excommunicatione irretitus sacramentum aliquod suscipit, ut est commune apud dd. valide tamen recipere. Vide Salm. [4].

149. Sed magnum dubium est an hic peccet sacramenta ministrando. Commune est inter dd. (contra Vasq.) non peccare graviter, quia in *d. c. Si celebrat*, postquam pontifex dixit peccare graviter si sacramenta recipiat, addidit: *Peccat autem conferendo sacramenta*, sed non dixit *graviter*. Hinc probabiliter sentiunt Pal. [5] Sayr. Coninch. et Avil. apud Salm. [6] saltem peccare venialiter. Attamen Bon. [7] et Nav. Sayr. Vill. aliique multi apud Croix [8] cum Bus. *hic n.* 3. et Salm. [9] tenent nec etiam venialiter peccare, quia in nulla iure reperitur vetita ei ministratio, sed tantum perceptio sacramentorum, immo expressum in cit. textu habetur: *Cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum remotus.* Cum autem dicitur ibi *peccat conferendo*, intelligendum (dicunt citati dd.) quando minister ad conferendum aliquod sacramentum, ante illud aliud sacramentum suscipere debet, nempe cum episcopus confert ordines sacros, vel cum sacerdos communionem dispensat in missa, opus est ei antea celebrare et eucharistiam suscipere, de quo casu specialiter loquitur textus, et tunc certe peccat, imo graviter. Utraque sententia est satis probabilis.

150. Habet autem excommunicatio minor et alium effectum indirectum, qui est privatio electionis passivae ad beneficia, ut habetur ex *d. c. Si celebrat.* Qui enim directe privatur susceptione sacramentorum prohibetur etiam indirecte beneficia recipere, quae ex institutione ecclesiae ordinantur ad receptionem ordinum et ad missae celebrationem. Et quamvis textus loquatur tantum de receptione per electionem, idem tamen communiter dd. intelligunt etiam de receptione per collationem et praesentationem, tum quia eadem ratio currit, tum quia collatio et praesentatio sunt quaedam virtualis electio. Quare tam excommunicatus beneficium recipiens, quam eligentes, praesentantes et conferentes tunc graviter peccant, cum transgrediantur praeceptum ecclesiae in re gravi. Ita Layman [10] Pal. [11] Bon. [12] Croix [13] Salmant. [14]

(1) L. 7. n. 188. (2) L. 1. t. 5. p. 2. c. 5.
(3) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5. (4) De cens. c. 3. p. 14. n. 159. (5) D. 2. p. 21. n. 8. (6) Ib. n. 160.
(7) D. 2. q. 3. n. 4. (8) L. 7. n. 190. (9) Ib. n. 161.
(10) Lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.
(11) D. 2. p. 21. n. 15. (12) Disp. 2. q. 3. n. 7.
(13) L. 7. n. 194.
(14) De cens. c. 3. p. 14. n. 162.

cum Suar. Avil. Sayr. Hurt. Henr. et communi. Talis autem electio etc. non erit de se irrita, sed irritanda, ut legitur in eodem textu, ubi sancitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, eius electio est irritanda.* Dubitatur ex cuius parte haec scientia requiratur, ut electio sit irritanda. Adest triplex sententia.

Prima docet requiri scientiam tantum ex parte electi qui sciverit suam excommunicationem et inhabilitatem ad beneficium, ita Pal. [1] Laym. [2] citans Glossam *d. c. verb. Scienter*, quae dicit sufficere quod electus scienter communicarit cum excommunicatis. Pal. et Laym. adhaeret Croix [3] qui dicit saltem requiri quod electus memor sit suae excommunicationis, dum beneficium ei confertur, nam contra, cum ipse ignorans bene capax sit sacramentorum, sic etiam capax est beneficiorum. Et hoc probabilius mihi videtur, quia illud *scienter* verius ad tò *electus*, quam ad tò *excommunicatus* refertur.

Secunda sententia autem requirit scientiam ex parte electorum, ut Avil. et Sylv. apud Laym.[4], atque idem tenent Bon. Hurt. Reg. apud Salm. [5]. Ex quibus sententiis

Tertiam sententiam demum probabilem deducunt Salm. [6] nempe requiri tam scientiam excommunicationis ex parte electorum, quam scientiam inhabilitatis ex parte electi. Electores autem scienter conferentes beneficium excommunicato nullam poenam incurrunt. Salm. [7] Avil. Diana etc.

151. « 1. Cum iura dicunt communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est quod similiter, id est vere excommunicetur, licet minore excommunicatione.

» 2. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denuntiato, nulla incurritur censura.

152. 3. Etsi excommunicatus minore excommunicatione recipiendo aliquod sacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando vero probabile est nec venialiter peccare (*Vide dicta n.* 149.).

153. » 4. Incurritur haec censura, etsi quis propter levitatem materiae tantum venialiter peccet, v. g. confabulando cum nominatim excommunicato, quando non licet, secus si sit veniale propter imperfectum usum rationis, quia poena infligitur propter actum qui, quantum est ex se, sufficit ad mortale.

154. » 5. Etsi peccatum veniale possit omitti in confessione, non tamen illud, cui haec censura est annexa, ne sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam confessarii ordinarie prius absolvunt fideles ab omni vinculo excommunicationis etiam minoris, deinde a peccatis.

155. » 6. Ab hac excommunicatione lata a iure absolvere potest parochus, et quisquis potest a mortalibus, cum non sit reservata. An vero qui potest absolvere a veniali habente annexam hanc excommunicationem possit etiam ab ipsa. Quidam affirmant, ut Nav. et Tolet., et alii probabilius negant, ut Suar. Con., quia sicut haec absolutio est distincta a sacramentali, ita etiam ad eam requiritur distincta iurisdictio, quae nusquam conceditur omnibus sacerdotibus. Vide Laym. [8].»

156. Quomodo et quando incurratur haec excommunicatio minor ob communicationem cum excommunicato vitando. *Vide seq. n.* 168.

DUBIUM III. Quot effectus habeat excommunicatio maior.

157. *Qui sint effectus mediati excommunicationis maioris.* 1. *Irregularitas ob exercitium ordinis.* 2. *Suspicio de haeresi, si per annum insordescat.*

158. *Qui sint effectus immediati.* 1. *Privatio susceptionis sacramentorum licitae et etiam validae quoad poenitentiam.*

159. *An excommunicatus sine culpa suscipiens poenitentiam valide absolvatur ante absolutionem censurae.*

160. *Plura notanda.*

161. *An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda praecepta.*

162. 2. *Privatio communium suffragiorum etc.*

(1) D. 2. p. 21. n. 19. (2) L. c.

(3) L. 7. n. 195. (4) L. c. (5) Ibid. n. 165.
(6) Ib (7) L. c. (8) L. 1. t. 2. p. 2. c. 5.

163. *An possint offerri sacrificia etc. nomine ecclesiae pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum quominus absolvatur.*
164. *An possint offerri pro excommunicato tolerato.*
165. 3. *Privatio administrandi sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes sacramenta ab excommunicato tolerato.*
166. *An excommunicatus vitandus valide ministret sacramenta.*
167. *An sacramentum. poenitentiae.*
168. *Quid, si sit toleratus. Et quid in articulo mortis.*
169. *An excommunicatus licite ministret sacramenta.*
170. *Quando etiam vitandus.*
171. *Quam poenam incurrat excommunicatus illicite sacramenta ministrans. An vitandus incurrat irregularitatem ministrans poenitentiam.*
172. *Quam poenam incurrat recipiens sacramenta sine necessitate a vitando.*
173. 4. *Privatio divinorum officiorum. Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando. Et an liceat recitare privatim officium cum ipso.*
174. *An vitando liceat usus sacramentalium et orare privatim in ecclesia.*
175. *Quid, si vellet interesse missae etc.*
176. *Ad quid teneantur clerici si excommunicatus nolit recedere. An alii assistentes peccent tunc mortaliter. Et an incurrant excommunicationem minorem.*
177. *Quae veniant nomine divinorum officiorum. An vitandus possit audire concionem, lectionem etc. Quomodo debeat expelli, alias missa debet interrumpi. Et an inchoato canone.*
178. *An excommunicatus teneatur ad horas. Et an aliquando peccet dicendo,* Dominus vobiscum. *An recitando cum alio privatim.*
179. 5. *Nullitas beneficii collationis, praesentationis etc.*
180. *Plura notanda, et an idem dicendum de collatione dignitatum etc. Quid, si ante excommunicationem fuisset praesentatus. Et an beneficiatus faciat fructus suos.*
181. *An toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia etc.*
182. *An valida sit collatio beneficii alicui qui ignoret se esse excommunicatum.*
183. *An excommunicatus privetur fructibus beneficii ante sententiam.*
184. 6. *Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in iudicio. An agere. An testificari. An tueri alios.*
185. 7. *Privatio usus iurisdictionis.*
186. 8. *Privatio ecclesiasticae sepulturae. Vide ib. plura notanda de pollutione ecclesiae vel coemeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus etc.*
187. *Quid, si sit haereticus non denuntiatus.*
188. 9. *Privatio communicationis civilis.*
189. 1. Os.
190. 2. Orare.
191. 3. Vale.
192. *An liceant signa urbanitatis sine verbis.*
193. *An liceat resalutare et rescribere.*
194. 4. Communio, *id est contrahere, cubare habere societatem etc.*
195. 5. Mensa. *Quid, si casu accidat.*
196. *Quale peccatum sit communicare cum vitando.*
197. *Peccat graviter communicans 1. in divinis. 2. In eodem crimine.*
198. *An sit mortale communicare frequenter cum vitando.*
199. *In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem maiorem.*
200. *In quibus casibus liceat cum vitando communicare.*

157. «Resp. Habet duplices, mediatos et immediatos. Mediati sive remoti sunt hi:

» 1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicuius ordinis.

» 2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, et, ut iura loquuntur, insordescat, fit suspectus de haeresi, et contra eum, ut talem procedi potest; Trid. [1], ideoque, si crimen grave et beneficii privatione dignum commisit, privandus est beneficio, imo, etsi crimen non sit adeo grave, si tamen ad haeresis suspicionem purgandam citetur, tamquam haereticus privari debet. Bon. [2] ex Rebuff. Diana Navarr. etc. (Insordescere est per annum animo pertinaci et cum contemptu potestatis ecclesiae perseverare in eadem excommunicatione sive in alia censura, ut dicit Croix [3] et probat ex Trid. [4]).

158. » Immediati effectus sunt sequentes.

» 1. Privat susceptione et usu passivo sacramentorum, unde nullus excommunicatus sive toleratus sive non potest ea licite recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, iacturae bonorum etc., quia censura non obligat cum tanto rigore. Laym. [5] (Et ita commun. docent Bon. [6] et Salmant. [7] cum Filliuc. Diana Con. etc., nisi fiat in contemptum censurae).

» Dixi *licite*, quia valide suscipit omnia, saltem quoad substantiam, praeter poenitentiam, imo etiam hoc, si

(1) Sess. 25. c. 3. (2) D. 2. qu. 2. p. ult.
(3) L. 7. n. 237. (4) Sess. 25. c. 3
(5) L. 1. t. 5. p. 2. c. 2. (6) D. 2. p. 1. §. 1. n. 4
(7) De censur. c. 3. p. 4. n. 45.

adsit ignorantia inculpabilis, dummodo caetera ad essentiam sacramenti requisita non desint, quia per censuram non fit incapax absolutionis, nisi prohibeatur eam recipere priusquam absolvatur a censura. Bon. [1] ex Fill. Suar. Con. Nec obstare, etiamsi excommunicatio sit reservata, vel confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat, docet Diana [2] ex Con. Suar. etc.»

159. Duplex est sententia super hoc puncto. Alii negant excommunicatum, qui adhuc sine culpa suscipit sacramentum poenitentiae ante absolutionem censurae, valide suscipere. Ita Vasq. Sylv. Hurt. etc. apud Salm. [3]. Ratio istorum, quia hic, ut membrum abscissum, excluditur omnino ab ecclesia ut possit in bonis eius communicare. Sed oppositum verius est tenendum cum Suar. [4] Palao [5] Bonac. [6] Croix [7] Salm. [8] et Con. Caiet. Sayr. Diana Fill. ac communissima. Ratio potissima, quia ecclesia non irritat sacramentum poenitentiae, neque ex parte ministri auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum, neque ex parte poenitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum, nec ecclesia sancire posset, dum ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad sacramentum eos qui ex iure divino habiles sunt. *Vide dicta l.* 6. *de euch. n.* 265. *v. Quaer.* 3.

160. Hic autem notandum 1. quod minister conferens sacramentum excommunicato tolerato peccaret quidem contra ius divinum, dando sacramentum indigno, sed non peccaret contra praeceptum ecclesiae, quia per concilium constantiense, ut supra, cuique permissum est communicare cum tolerato, etiam in divinis; ita probabilius Suarez [9] Pal.[10] et Salmant.[11] cum Vasq. communiter. Ex quo inferunt Salm.[12] quod si excommunicatus cum ignorantia inculpabili, et alias dispositus petat sacramenta, licite potest minister illa ei conferre eumdem relinquendo in sua bona fide. Notandum 2. quod excommunicatus, si recipit sacramentum ordinis, remanet suspensus ex *c.* 32. *de sent. exc.* Utrum autem excommunicatus ordinem suscipiens incurrat irregularitatem. *Vide dicta l.* 6. *de ordine n.* 799. *v. Utrum autem.* Si vero suscipit alia sacramenta, peccat quidem graviter, sed nullam poenam incurrit; Croix [13] cum Dic. et Salm. *vide l. c.* Notandum 3. quod in articulo mortis probabilius potest ministrari excommunicato vitando eucharistia, etsi ipse sacramentum poenitentiae non suscepisset, ut Croix cum Suar. et Dic. contra Avilam etc., quia praeceptum divinum de viatico sumendo fortius obstringit, quam prohibitio generalis ecclesiae non sumendi eucharistiam. Idem ait Croix [14] de sacramento extremae unctionis citans Suar. et Dicast. Sed probabilius negant Avila etc.[15] iuxta dicta *lib.* 6. *n.* 88., nisi infirmus non potuerit aliud sacramentum recipere. Notandum 4. quod in dubio an quis sit absolutus an non ab excommunicatione contracta, non est negandum ei sacramentum, si ille petat, maxime si asserat se esse absolutum, quia nemo praesumitur delinquere, ita Suar.[16] Con.[17] Pal.[18] Croix[19] et Salm.[20] cum Nav. Con.

161. Quaeritur hic an excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implendum praeceptum missae vel annuae confessionis et communionis. Negant communiter dd. teneri quoad missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi sacrum, ita cum Bus. Bonac.[21] et Salm. [22] cum Sa Nav. Az. Con. et aliis contra paucos. Secus tamen dicunt quoad annuam

(1) D. 2. q. 2. p. 2. (2) P. 3. t. 4. r. 78. (3) De cens. c. 3. p. 4. n. 46. (4) D. 10. sect. 3. n. 9. (5) D. 2. p. 7. n. 4. (6) P. 2. §. 1. n. 1. (7) L. 7. num. 191. (8) Ibid. n. 47. (9) D. 10. sect. 2. n. 9. (10) D. 2. p. 7. n. 4.

(11) Ib. n. 51. (12) Ibid. (13) L. 7. n. 193. (14) L. c. (15) Ibid. (16) D. 10. sect. 2. n. 12 (17) P. 2. §. 12. n. 2. (18) D. 2. p. 7. n. 7. (19) L. 7. n. 199. (20) De cens. c. 3. p. 4. n. 49 (21) Q. 2. p. 3. §. 1. n. 4. (22) Ibid. p. 6. n 74. et de sac. mis. c. 6. p. 3. n. 35

confessionem et communionem, cum hoc sit unum ex praeceptis divinis, erga quae tenemur tollere impedimenta. Ita Salm. [1] Croix [2] Tamb. [3]. *Vide dicta l.* 6. *de euch. n.* 299. *et de poenit. n.* 663.

162. « 2. Privat, saltem non toleratos, communibus ecclesiae suffragiis, orationibus et fructu indulgentiae, non tamen privatis. Unde non tantum quivis privatus, sed etiam sacerdos potest, tamquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et sacro, imo actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, offerre, vel eius in memento in particulari meminisse (Hoc est certum cum s. Th. Soto Pal. Salm. [4] etc. commun.).

» Dixi tamquam persona privata, quia ut minister ecclesiae non potest. Hinc irritae sunt ac nullae omnes preces quas pro excommunicato, in persona ecclesiae intercedentis pro ipso, Deo offert, adeoque privatur omnibus bonis quae in gratiam ecclesiae Deus concessurus fuisset.»

163. Sed duae quaestiones hic agitantur. Quaeritur 1. An possint offerri sacrificia, suffragia et orationes communes ecclesiae pro excommunicato vitando qui sit in gratia, nec per ipsum stet quominus absolvatur. Affirmant Nav. Henriq. Sayr. Avila et alii apud Salm. [5] qui probabile putant, quia non praesumitur ecclesia velle suis bonis privare amicum Dei et non amplius contumacem. Negant vero longe probabilius Croix [6] ac Suar. Diana Sotus Con etc. cum Salm. [7]. Et videtur patere ex *c. A nobis* 28. *de sent. excomm.* ubi dicitur quod excommunicatus, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud ecclesiam absolutus.* Ratio quia iuste ecclesia vult ut non remittatur vinculum a se positum, nisi illud per absolutionem ab ipsamet auferatur.

164. Quaer. 2. An autem pro excommunicato tantum tolerato possint offerri sacrificia etc. etiam nomine ecclesiae. Adest duplex sententia probabilis.

Prima negat cum Bellarm. [8] Suar. [9], item Sot. Avil. Bon. etc. apud Salm. [10]. Quia concessio communicandi fuit facta a concilio in commodum solum fidelium, non autem excommunicatorum. Sed non minus probabilis est

Secunda sententia, quam tenent Nav. [11] Pal. [12] ac Con. Reg. Hurtad. Diana etc. cum Salm. [13]. Ratio quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sunt: dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre, nam communicare id etiam importat, ut habetur ex *c.* 28. *et c.* 38. *de sent. excom.* Tanto magis quia iure antiquo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia publica offerre, prout colligitur ex *cap. Cum non ab homine*, *eod. tit.* et ipse Suarez fatetur; offerre autem sacrificia pro excommunicato, hoc etiam directe cedit in commodum fidelium, tum spirituale ob meritum caritatis, tum temporale ob stipendia etc. quae hi percipere possunt ex oblationibus pro illo exhibitis.

165. « 3. Privat usu activo sacramentorum et administratione. Quae tamen excommunicato tolerato, et ad id requisito, et se non ingerenti, quandoque est licita, v. g. si sit pastor, cuius subditi teneantur audire sacrum nec sit alius qui celebret, imo si etiam non parochus forte rogetur et invitetur ad celebrandum. Ac, licet communis doctrina sit apud Laym. [14] peccare fideles, si sine causa necessitatis vel magnae utilitatis talem inducant ad sacramentorum administrationem, quando alius minister haberi potest, contrarium tamen est probabile ob facultatem concessam a concilio constant. cum talibus communicandi, et hinc nec illum qui petit a tali sacramentum,

(1) De cens. dict. n. 74. (2) L. 1. n. 197.
(3) De comm. c. 4. n. 41. (4) Ibid. p. 5. n. 58.
(5) De cens. c. 3. p. 5. n. 55. (6) L. 7. n. 205.
(7) Ibid. n. 56. (8) L. 2. de missa c. 6.
(9) D 9. sect. 2. n. 17. (10) Ibid. n. 59.
(11) C. 27. n. 56. (12) D. 2. p. 6. n. 10.
(13) Ibid. n. 60.
(14) Hic c. 4.

nec ipsummet excommunicatum, si conferat, praecise ob censuram peccare docet Laym. [1] ex Soto Sanchez [2]. Idem docet Bon. [3] et Vasq. Suar. etc. (*Vide dicta n.* 138. *et* 139.). Non tolerato autem illicita est sacramenti administratio, praeterquam in casu extremae necessitatis, extra quam valide illud administrat praeterquam poenitentiam, quia haec requirit iurisdictionem, qua ipse caret. Vide Laym. [4] Bon. [5].»

Ad maiorem claritatem huius puncti videndum est quando excommunicati conferant sacramenta valide et quando licite.

166. Hinc quaer. 1. An excommunicatus valide ministret sacramenta. Respondetur affirmative (excepto sacramento poenitentiae, ut infra). Ita docent s. Th. [6] et alii communiter cum Salm. [7]. Ratio quia ubi essentialia sacramenti concurrunt non praesumitur (nec etiam posset) ecclesia illud invalidare. Excipiunt aliqui sacramentum matrimonii, sed in eo adhuc probabile est cum Croix [8] Salm. [9], uti diximus *l.* 6. *n.* 1082., quod valide assisteret parochus excommunicatus, etiam vitandus, et etiam licite praeberet licentiam alteri assistendi matrimonio, iuxta dicta *l.* 6. *n.* 1084. contra Croix [10].

167. Sacramentum vero poenitentiae certum est invalide ministrari ab excommunicato vitando sine necessitate. Ratio quia ad hoc sacramentum requiritur in ministro potestas non solum ordinis, sed etiam iurisdictionis, qua ille privatus est ab ecclesia, ut ex *cap. Omnis etc. de poenit. et rem.* et ex *c. Ad probandum, de sent. et re iud.* Et ita communiter dd. cum Pal. Suar. et Salm. [11]. Et hoc, etsi confessio sit de solis venialibus, ut Salm.[12]. Ex eadem ratione parochus vitandus nequit alteri delegare iurisdictionem ad confessiones suorum audiendas, Croix [13]. Intellige, nisi hoc posset parochus vi privilegii specialis.

(1) L. c. n. 5. (2) L. 7. de matr. d. 9. n. 8. (3) D. 2. q. 2. §. 2. (4) Hic c. 2. (5) L. c. (6) 3. p. q. 64. ar. 9. ad 2. (7) De cens. c. 3. p. 3. n. 26. (8) L 7. n. 197. (9) De matr. c. 8. p.

168. Dixi autem invalide ministrari sacramentum poenitentiae ab excommunicato vitando, quia, si sit toleratus, profecto valide hoc sacramentum ministrat; nam hic non privatur iurisdictione, cum hoc expediat ad utilitatem fidelium, Croix [14] et Salm.[15] cum communi. Utrum autem excommunicatus vitandus possit valide et licite absolvere in articulo mortis. *Vide dicta l.* 6. *n.* 560. *v. Qu.* 1. ubi sententiam negativam tenuimus cum d. Th. Fagn. Petrocor. Conc. etc. contra sententiam communiorem, non vero communem, ut propter non omnem diligentiam adhibitam diximus *l.* 6. *n.* 88.

169. Quaer. 2. An excommunicatus aliquando licite conferat sacramenta. Et hic distinguere oportet excommunicatum vitandum a tolerato. Toleratus enim, licet ei universe sit vetitum sub gravi sacramenta ministrare ex *c. Apostolicae, de cleric. excomm. min.*, quando tamen est requisitus semper licite potest quaecumque sacramenta conferre, prout diximus *hoc lib. n.* 139. Et probabiliter addit Pal.[16] quod si festus dies occurrat, nec alius sacerdos sit qui missam pro populo dicat, bene potest toleratus celebrare, etsi non rogetur, quia iuste praesumitur populum petere missam ad praeceptum implendum, nisi alias hoc scandalum afferret.

170. Excommunicatus vero vitandus nequit etiam requisitus sacramenta ministrare. Probabiliter tamen potest ministrare viaticum et etiam extremam unctionem, quando infirmus nequit aliud sacramentum suscipere. An autem parochus excommunicatus possit assistere matrimonio vel alteri licentiam assistendi praebere. *Vide dicta de matrim. n.* 1082. *ad* 1084. Dicunt autem probabiliter Ronc. Pal. et Salm.[17] cum Con. Diana et Corn., quod excommunicatus vitandus etiam licite sacramenta ministrat, quando alias grave incommodum, puta iacturam famae vel bonorum timeret, quia praecepta

4. n. 46. (10) L. c. (11) De cens. c. 3. p. 3. n. 27. (12) Ibid. (13) L. 7. n. 177. (14) L. 7. n. 217. (15) Ibid. n. 30. (16) D. 2. p. 3. n. 3. (17) De cens. c. 3. p. 3. n. 36.

ecclesiae non obligant cum incommodo gravi.

171. Quaer. denique 3. Quam poenam incurrat excommunicatus illicite sacramenta ministrans. Resp. Incurrit irregularitatem, sive sit vitandus sive toleratus, ex *c. ult. de cler. excom. min.* Sic pariter, si solemniter baptizet aut nuptias solemniter benedicat, secus si privatim, ut Salm. [1]. Sed dubium est an excommunicatus vitandus invalide sacramentum poenitentiae ministrans, incurrat adhuc irregularitatem. Negat Rich. et probabile putat Suarez apud Salm. [2], quia tunc deficit actus consummatus. Sed communissime affirmant Palaus [3] Suar. [4] Bonac. [5] Contin. Tourn. [6] et Salm. [7]. Quia hic punitur actus etiam attentatus, qui iam satis consummatus dicitur, cum minister intentat contra ius absolvere. Sed haec ratio non suadet: potius haec sententia mihi probatur ex *cap. Si quis* 7. *caus.* 11. *qu.* 3. ubi Martinus v. declarat irregularem quemlibet constitutum in sacris, qui *post excommunicationem praesumpserit quasi in officio suo agere sicut prius.* Nota illud *quasi*, quod importat similitudinem actionis; ergo etiamsi invalide absolvat, irregularitatem incurrit.

172. Qui recipit igitur sacramentum a vitando sine necessitate peccat graviter et excommunicationem minorem incurrit. Qui autem recipit ordinem ab episcopo excommunicato vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio ordinis suscepti ex *c. Cum illorum*, §. *fin. de sent. excom.* Vide Salm. [8].

173. « 4. Privat usu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus non tantum careat eorum fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse, parte notabili, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare, nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali (Secluso tamen scandalo, excommunicatus etiam missam inchoatam tenetur relinquere, si nondum consecraverit. S. Thom. [9]) aliave iusta causa, Bon.[10] ex Suar. Filliuc. etc. Similiter peccant etiam alii qui cum excommunicato vitando eidem missae intersunt, ut ex communi docet Bonac.[11] contra Durand., quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen esset si transiens per ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim, aut omnino separatim oraret, aut si, aliis unum sacrum audientibus, ipse aliud audiret, quia sic moraliter non censeretur communicare cum aliis nec coniungi ad unam orationem fundendam, Bon.[12] ex Suarez Henr. Fill. Con. etc. Ac licet peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen materiae subinde tantum est veniale, ut si exigua pars missae, v. g. usque ad evangelium tantum cum illo audiatur, Avila Diana [13], vel si horae privatim cum eo recitentur, Diana [14] ex Suarez et aliis novem (Ut tenent etiam Salm.[15] cum Con. Bon. et pluribus. Graviter tamen peccaret qui cum vitando in choro vel publice et solemniter recitaret, ut Salm. [16] cum s. Th. Famulus autem, qui iussu domini excommunicati officium cum illo recitat, ne leviter quidem peccat, quia tunc non communicat, sed tantum obsequium famulatus sui praestat. Ita probabiliter Croix [17] cum Suar. et Dic. ex *c. Quoniam*, *caus.* 11. *q.* 3.). »

174. Ad maiorem intelligentiam advertendum quod non prohibetur excommunicato usus sacrarum imaginum et reliquiarum, eas venerando, imo nec usus aquae benedictae et aliorum sacramentalium, non quidem ut participet fructum, quem illa producunt ex benedictione ecclesiae, sed tantum ut ea veneretur. Suar.[18] Pal.[19] et Salm.[20] cum Henr. et Sayro. Potest etiam tempore, quo non celebrantur divina, ecclesiam ingredi ad orandum privatim,

(1) Ibid. num. 40. (2) Cit. n. 40.
(3) D. 2. p. 8. n. 13. (4) D. 11. sect. 3. n. 15.
(5) De irreg. d. 7. q. 3. p. 5. num. 6.
(6) Tr. de irreg. part. 3. cap. 4. concl. 1.
(7) Ibid. n. 41. (8) De cens. c. 3. p. 3. n. 42.
(9) 3. p. q. 83. art. 6. ad 2. (10) L. c. p. 3. ỳ. 1.
(11) L. c. n. 9. (12) L. c. n. 16.
(13) P. 3. t. 5. res. 21. (14) Part. 3. t. 9. r. 39
(15) De cens. c. 3. p. 3. n. 63. (16) Ibid. n. 62.
(17) L. 7. n. 211. (18) D. 12. sect. 3. n. 3.
(19) D. 2. p. 9. n. 14.
(20) De cens. c. 3. p. 6. n 67.

et seorsim ab aliis in distincto sacello, ut communiter Suar. [1] Pal. [2] Bon. [3] et Salm. [4] cum Con. et Caiet. Qui addit posse etiam in eodem sacello, ubi alii orant, privatim et ipsum orare, quia private orando minime cum aliis communicat. Imo dicunt Salm. [5] cum Con. Bon. Diana Turr. Palud. etc. quod etiam, dum divina celebrantur, non prohibetur excommunicatus ab ingressu ecclesiae, ut se liberet a satellitibus vel ex alia causa, et si ibi privatim oret, quia tunc nullam habet cum aliis communicationem. Et ideo tunc non tenentur sacerdotes cessare, nec eum repellere, nec alii a templo discedere.

175. Graviter autem peccaret excommunicatus qui vellet audire missam vel interesse officiis et similibus publicis functionibus ex *cap. Illud de cler. exc. min.* et ex *cap. fin. de sent. excom.* Et, si monitus a sacerdote nolit exire, incurrit excommunicationem papae reservatam ex *c. Eos, de sent. excomm.* Sicut illam etiam incurrit interdictus denuntiatus pertinaciter assistens missae, et omnes qui impediunt ne excommunicatus aut interdictus recedat, ut Pal. [6] Bon. [7] et Salmant. [8] ex *c. Gravem, de sent. excom.* Item notandum quod sacerdos excommunicatus faciens coram se missam celebrari incurrit irregularitatem ex *cap. Tanta, de excess. praelat.* Vide Salm. [9].

176. Item si excommunicatus sit vitandus, et monitus non velit ab ecclesia exire, tenentur clerici eum (etiamsi esset sacerdos) expellere, si possunt, aut si non possunt, ab officiis cessare et alia agere quae leguntur apud Busembaum, alias graviter peccant et excommunicationem minorem incurrunt, ex *c. Is qui, de sent. excom.* et *Clem. 2. eod. tit.* Sicque pariter dicunt Bon.[10] et Salm.[11] graviter peccare assistentes eidem missae quam audit excommunicatus, nisi excuset aliqua necessitas aut parvitas materiae. Et hoc videtur probabilius, quia in missa necessario omnes audientes conveniunt in una oblatione. Quamvis Suar. apud Salm.[12] non improbabiliter dicat hanc communicationem adstantium culpam venialem non excedere, et hoc probabile putant Pal. [13] et iidem Salm. [14] et Sayr. Fill. Henr. Krim. apud Croix [15], quia talis communicatio videtur nimis remota et accidentalis, nisi illi sint etiam causa ut excommunicatus intersit. Hac tamen ratione non obstante, nullus auctor huiusmodi assistentes excusat saltem a culpa veniali et ab excommunicatione minori. Communiter autem docent Bus. *hic* et Pal.[16] cum Suar. Sayr. Henr. Fill. Bon. et aliis cum Salm.[17] ac Ronc.[18] quod si adstantes audiant aliam missam ab illa quam audit excommunicatus, tunc nec ipsi nec celebrans tenentur recedere, quia tunc nulla adest communicatio in eodem divino, et illa assistentia in eodem loco materialiter se habet.

177. « Porro per divina officia intelliguntur sacrificium missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et caetera annexa ordini clericali, quae solemniter fiunt, excepta concione (Nam audire concionem, sive lectionem theologiae, canonum etc. nec excommunicato nec aliis cum ipso prohibetur, cum ibi nulla sit communicatio, argumento ex *c. Responso, de sent. exc.*, Salmant.[19] Croix [20]. Ipse autem excommunicatus nequit concionari aut legere, nisi sit toleratus et ab aliis requiratur; aut nisi ad hoc teneatur ex officio, quia tunc praesumitur ab aliis requiri, ut Suar.[21] Pal.[22] cum Bon. et adhaerent Salm.[23] in quibus, licet alii fideles non teneantur vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vitare (*Ex c. Is qui de sent. exc.*), nisi vel levitas materiae vel ignorantia aut simile quid excuset. Unde si talis prae-

(1) N. 1. (2) L. c. (3) Q. 2. p. 3. §. 2. n. 8. (4) Ib. n. 68. (5) Ib. (6) D. 2. p. 9. n. 4. (7) Q. 2. p. 3. §. 1. n. 7. (8) Ibid. n. 70. (9) L. cit. (10) Q. 2. p. 3. §. 1. n. 9. (11) De cens. c. 3. p. 6. n. 72. (12) L. c. (13) D. 2. p. 6. n. 5. (14) Cit. n. 72. (15) L. 7. n. 207. (16) Loc. cit. (17) Ib. n. 73. (18) Q. 5. (19) Dict. n. 73. (20) L. 7. n. 281. (21) D. 12. s. 2. n. 5. (22) D. 2. p. 9. n. 5. (23)

sens sit, moneri debet ut recedat, si nolit, debet extrudi vel exportari, licet sit sacerdos (*Ex c. Veniens, de sent. exc.*), nisi tamen gravius inde timeatur incommodum, ob quod, si expelli non possit, omittendum est officium, etiam die festo; et celebrans, nondum inchoato canone, debet abrumpere missam; si inchoavit potest, caeteris abeuntibus, sacrum prosequi (Ut tenent Suar. et Henr. contra Bon. et Corn. apud Salm.[1] qui merito utrumque probabile putant), vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem; si consecravit debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive, et reliqua perficere in sacristia vel alio decenti loco (Ut certum est cum Salm.[2]). Quod si excommunicatus negligat procurare absolutionem eo fine ut non audiat sacrum die festo, peccat mortaliter omissione sacri, secus si alia de causa negligat. (*Vide dicta n.* 161.).

178. » Quod si etiam obligatus est ad horas, non excusatur ab illis (Ita comm. Laym.[3] Sayr. Cov. Avila etc. cum Salm.[4]. Etiamsi teneatur ad officium ex solo titulo beneficii. Et si fructus illius beneficii non recipit, hoc provenit ex culpa sua; Croix[5] cum Pal. Suar. Nav. Laym. et Salm.[6] qui notant cum Cov. et Avila, quod si omnino privetur beneficio, tunc non tenetur amplius ratione beneficii recitare); etsi non debeat dicere: *Dominus vobiscum*, sed, *Domine exaudi etc.* (Si tamen diceret, *Dominus vobiscum*, venialiter tantum peccaret, ut Salm.[7] cum Bon. et Henr. Imo Avila et Hurt. apud Pal.[8] et Nav. apud Salm.[9] dicunt nullo modo peccare quando solus recitat, quia ly *Dominus vobiscum* erit tantum privata oratio pro aliis, sicut quando dicit in invitatorio: *Venite adoremus*). Si autem horas cum alio privatim legat, veniaiter tantum videtur peccare (Quamvis enim in *c. Excommunic.* 11. *qu.* 3. interdicatur excommunicato communicare cum aliis, etiam in oratione privata, at secluso scandalo et contemptu, non videtur materia gravis uti socio ad recitandum officium privatim, sicut ad dicendum rosarium. Ita probabiliter Cont. Tour.[10] Bon.[11] et Con. Dian. Cov. Corn. Ugol. apud Salm.[12]. Si autem sit toleratus, nullo modo peccat si recitet cum alio, ab eo requisitus, iuxta dicta *n.* 138. *v. Utrum*).

179. » 5. Collatio beneficii facta excommunicato nulla est, uti et praesentatio vel electio, institutio, et confirmatio. Ratio quia excommunicatus, etiam toleratus, non potest communicare in officio, proindeque incapax est beneficii quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio, quia ignorantia invincibilis, etsi excuset a culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitae ad valorem actus; vide Less.[13]. Imo probabile est excommunicatum, quamvis beneficio ante obtento non privetur, fructus tamen et distributiones non facere suas, ideoque eas teneri restituere etiam ante sententiam iudicis, quia est privatus officio; fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita Suar. et alii contra Sanch. et Conc., qui probabiliter putant ex consuetudine non teneri ante sententiam, modo per se vel alium inserviat beneficio.»

180. Plura hic notanda et examinanda. Equidem nulla est omnis beneficii collatio, electio etc. facta in favorem excommunicati, ex *c. Postulastis, de cler. exc. min.* Hinc notandum 1. quod tunc non solum recipientes, sed etiam conferentes etc. peccant graviter et incurrunt, ultra excommunicationem minorem, etiam suspensionem a collatione, ex *cit. c.* Vide Salm.[14]. Valida tamen est collatio, si papa scienter conferat beneficium excommunicato: vel si in concessione pontificis adsit clausula absolutionis a censura ad effe-

(1) De cens. c. 5. p. 6. n. 71. (2) Dict. n. 71.
(3) C. 2. n. 7. (4) Ib. n. 66. (5) L. 7. n. 524.
(6) L. c. (7) Ibid. n. 64. (8) P. 2. p. 9. n. 8.
(9) Loc. cit.
(10) De cens. part. 2. cap. 1. sect. 4. quaer. 2. r. 2.
(11) O. 2. p. 3. §. 2. n. 4.
(12) De cens. c. 5. p. 6. n. 65. (13) L. 2. c. 34 d. 22. (14) Ibid. p. 9. n. 96. et 97.

ctum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob haeresim, quae non comprehenditur sub generali absolutione, Salm.[1].

Notand. 2. quod idem quod dictum est de beneficiis dicitur de collatione et receptione dignitatum ecclesiasticarum habentium iurisdictionem, prout episcopatus, prioratus et similis; ita communiter Suar.[2] Bon.[3] Pal.[4] et Salmant.[5]. An autem idem procedat quoad dignitates saeculares. Affirmant Salmant. [6] cum Bon. Corn. Henr. Garcia Ugol. etc., quia excommunicati invalide exercent actus iurisdictionis. Negant vero Pal. [7] ac Con. Fill. Giball. et Hurt. apud Salm. [8] qui recte probabile vocant. Ratio quia nullum habetur expressum ius de facto irritans collationem huiusmodi dignitatum. Nec obstat quod acta iudicis excommunicati sint nulla, prout probabilius docent Suar. [9] Dian.[10] Salm.[11] cum Con. et Hurt. ac ipse Pal.[12] cum Innoc. Panorm. Vasq. Laym. Bon. etc., eo quod consuetudine iam receptum est annullationem actorum pro iudice ecclesiastico praescriptam in *c. Cum audimus, caus.* 24. *qu.* 1. et *in c. Tanta, de excess. praelat.*, extendi etiam ad iudicem saecularem. Nam respondetur quod licet excommunicatus impediatur a suo officio externo, hoc tamen non efficit ut officii collatio sit nulla; post enim absolutionem valide et licite poterit talis iudex suo munere fungi.

Notand. 3. idem quod de beneficio, dicendum esse de pensione clerici, quae datur in titulum beneficii ob ministerium ecclesiasticum, et de pensione ecclesiastica, licet temporali, quae datur ob officium ecclesiasticum, prout vicario aut coadiutori episcopi, ita Salmant. [13] cum Pal. Suar. et comm. Secus autem si pensio sit mere laicalis, vel etiamsi mixta (iuxta dicta ap. Bus. *l.* 4. *n.* 137.), ut probabiliter Pal. Avil. Laym. Sa etc. cum Salm.[14].

Notand. 4. quod, si quis ante excommunicationem fuisset praesentatus vel electus ad beneficium, valide acceptat et possessionem obtinet, etiamsi tempore acceptationis sit excommunicatus, quia acceptatio seu possessio non sunt actus iurisdictionis, sed privati; ita Pal.[15] Bon.[16] Cov. Avil. etc. cum Salm.[17] (contra Suar. ap. Cont. Tour.[18] qui sententiam Suarii vocat aeque probabilem). Secus dicendum si is erat excommunicatus tempore collationis, licet postea tempore acceptationis absolutus sit: est commune, vide Salm.[19]. Quare requiritur tunc nova collatio, quamvis probabile putent Salm.[20] cum Less. Bon. Nav. Henr. sufficere quod collator sciens in prima voluntate perseveret. Notandum 5. quod excommunicatus beneficium recipiens non potest facere suos fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamsi postea absolvatur et rite beneficium reobtineat. Attamen eo casu, si pro illo tempore per se vel alios satisfecerit officio annexo, potest fructus retinere, quia fructus beneficii vacantis, ubi non est usus *spolii*, spectant ad successorem, ut dicunt Bon.[21] et Salm. [22] cum Con. Henr. Diana et Leand. Ubi autem est lex *spolii*, recte ait Pal.[23] cum Nav. Henr. Con. et Avila, posse tantum retinere fructus correspondentes servitio praestito. Imo probabiliter dicunt Suar.[24] Cont. Tour.[25] Dian.[26] et Salm.[27] cum Con. et Corneio, quod si ille bona fide beneficium receperit, et servitium praestiterit, tunc licet teneatur beneficium dimittere, potest tamen retinere aut exigere fructus suae congruae sustentationi correspondentes pro tempore servitii praestiti; quia reipsa ecclesiae inservivit, et ratione illius operis dignus est congrua sustentatione

181. Sed quaer. 1. An excommuni-

(1) De cens. c. 3. p. 9. n. 98. (2) D. 13. sect. 1. n. 7. (3) Q. 2. p. 4. §. 1. n. 3. (4) P. 10. n. 9. (5) Ibid. n. 102. (6) Ibid. n. 103. (7) D. 2. p. 10. n. 11. (8) Ibid. (9) D. 16. s. 1. n. 2. (10) P. 5. tr. 9. r. 108. (11) Ibid. p. 11. n. 121. (12) D. 2. p. 14. §. 2. n. 2. (13) Ib. p. 9. n. 107. (14) Ib. n. 108. (15) P. 10. n. 13. (16) §. 1. n. 9.

(17) De cens. c. 3. p. 9. n. 110. (18) De cens part. 2. c. 1. a. 3. sect. 5. quaer. 2. (19) Ib. n 111. (20) Ibid. (21) D. 2. q. 2. p. 4. §. 1. n. 5. (22) Ibid. n. 101. (23) D. 2. p. 11. n. 1. (24) D. 13. sect. 1. n. 3. (25) Loc. cit. v. Hic. (26) P. 5 tr. 9. r. 89. (27) Ibid. n. 100.

catus etiam toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia etc. Negant Giball. Navarr. Dian. Hurt., et probabile vocat Less. apud Salm.[1], quia concilium constantiense, concedens fidelibus cum excommunicato tolerato communicare, consequenter concedit excommunicato beneficium recipere. Verius tamen affirmant Pal. [2] Suar. [3] Cont. Tourn.[4], item Avil. Con. etc. cum Salmant. [5]. Ratio quia, etsi concessum sit aliis cum tolerato communicare, excommunicatus tamen non potest officia praestare; quare collatio semper fit indigno. Exciperem, si in aliquo casu officia praestanda essent in commodum conferentium beneficium petentium illius communicationem in praedictis officiis. Hinc licet in *c. Postulastis, de cler. exc.* lata sit suspensio contra conferentes beneficium excommunicato, tamen recte dicunt Salmant. [6] hanc suspensionem sublatam fuisse ex concilio constantiensi.

182. Quaer. 2. An valida sit collatio beneficii facta alicui inculpabiliter ignoranti se esse excommunicatum vel non esse ab excommunicatione absolutum. Negant communius Pal.[7] Less.[8] et Sanch.[9] Suar.[10] et alii cum Salm.[11]. Ratio quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit inhabilitatem. Dicunt tamen Less. et Salm.[12] probabilem esse sententiam Dianae et Baunii cum Fabro, quod collatio tunc satis sit valida, quia collator ad cautelam solet absolvere a censuris, dum alicui de beneficio providet, ad effectum scilicet tantum praesentis collationis consequendum. Idque revera est satis probabile cum Cabass. [13].

183. Quaer. 3. An qui est excommunicatus post beneficium obtentum privetur fructibus ante sententiam iudicis, etiamsi per se aut per alium officium praestet. Affirmant Conc.[14] cum Suar. Fill. etc. Sed probabilius negant Pal. Sanch. Laym. Cont. Tourn.[15] Salmant. [16] et alii quos retulimus *l.* 3. *n.* 670. Post sententiam vero excommunicatus restituere quidem tenetur omnes fructus, donec absolvatur, etiamsi per se non stet quominus absolvatur. Nisi esset pauper, quo casu sibi fructus tamquam pauperi applicare posset; ita Laym. [17] Pal. [18] et Salm.[19] cum Avila Sylv. Corn. etc.

184. « 6. Privat communicatione forensi. Unde excommunicatus nequit esse iudex, advocatus, procurator, licet pro semetipso respondere possit ipse, Con. Praepos. Diana[20] (Et etiam actorem reconvenire; et hoc, etiamsi per alium commode possit se tueri, ut Coninch. Pal. Suar. etc. contra alios apud Salm.[21]). Item actor, tabellio, testis etc. ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum, semper possit reus excipere (Ita ex *c. Veniens, de testib., c. Pia de except. in* 6., *et c. Nullus, cas.* 3. *q.* 4. Quamvis is actor excommunicatus valide agat, donec repellatur, ut ex *d. c. Pia.* Dicunt tamen Diana et Lez. apud Salm.[22] non peccare graviter actorem qui iuste petit suum, si non repellitur. Toleratus vero licite tuetur se et alios in iudicio, ut Pal.[23] Salm.[24] cum Avila. Vitandus tamen non potest alios in iudicio defendere; quamvis, si faciat et stipendium recipiat, non teneatur illud restituere, Nav. Avila Lez. Salm.[25]. Exceptio autem opponi potest etiam post sententiam ante eius executionem, Salm.[26] ex *d. c. Pia*). Quod si non faciat, nec iudex eum repellat, valida eius acta erunt, si sit toleratus. Secus est de iudice non tolerato, cum sit privatus iurisdictione (Hoc recte putant esse probabilius Salm.[27], *iuxta dicta supra n* 180. *ad not.* 2. Testis pariter vitandus valide testatur, si non repellitur; toleratus autem valide et licite, si ab una

(1) Ibid. n. 104. (2) Q. 10. n. 3.
(3) D. 15. s. 1. n. 29. (4) Loc. cit. quaer. 1.
(5) De cens. c. 3. p. 9. n. 105. (6) Ibid. n. 106.
(7) N. 4. (8) L. 2. c. 34. n. 117. (9) Cons. l. 2. c. 2. d. 10. n. 7. (10) D. 3. (11) Ibid. n. 99.
(12) Locc cc. (13) T. I. l. 3. c. 11. n. 11.
(14) P. 462. n. 29. (15) Loc. cit. quaer. 4.
(16) Ibid. p. 10. n. 114. (17) Lib. 1. tr. 3. p 2. c. 2. n. 10. (18) Dub. 2. p. 11. n. 6.
(19) Ibid. n. 117. (20) P. 5. t. 9. res. 111.
(21) De cens. c. 3. p. 11. n. 125. (22) Ib. n. 113.
(23) Punct. 14. (24) Ibid. (25) L. c.
(26) Ibid. n. 119. (27) Ibid. n. 121.

partium requiritur. Salm.[1] cum Avila et Pal.). Vide Laym.[2] Diana[3]. Non potest etiam esse tutor aut curator, Diana[4] ex Sylv., neque testamenti executor. Diana[5] ex Casp. etc. contra Sanchez Lugo etc.; si tamen non fiat oppositio, valide exequitur[6]. Nec potest ipse testari licite, etsi faciat valide, etiam cum excommunicatum instituit haeredem. Suar. Villal. Merc. etc. cum Diana[7]. Denique contractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti, et ratione eorum non detur actio in foro externo durante executione) valent, nisi fiant ab eo ut persona publica vel ministro ratione muneris et beneficii, quia tunc spectant ad iurisdictionem quae suspensa est, Diana[8] ex Coninch. Fill. Merc. etc.

185. » 7. Excommunicatus non toleratus privatur usu iurisdictionis. Unde non potest valide eligere, conferre, praesentare, ferre leges vel sententiam; et qui sic beneficium a non tolerato accipit dicendus est intrusus, ac proinde tenetur, sine alia iuris declaratione, beneficium una cum fructibus relinquere (Ita commun. Salm.[9]).

» Dixi *non toleratus,* quia acta tolerati probabile est esse valida ob bonum commune; graviter tamen peccat, si absque necessitate talia exerceat (Et hoc certum est cum Salm.[10] quoad iudicem ecclesiasticum, in *c. Tanta*, *de excess. praelat.*).

186. » 8. Non toleratus privatur ecclesiastica sepultura, ita ut non possit in loco sacro seu benedicto sepeliri; et si contrarium fiat ac corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem. »

Ita ex *c. Sacris*, *de sepult.* Polluta autem ecclesia, manet pollutum et coemeterium, sed non contra, ex *c. Consuluisti, de cons. eccl. in* 6. Si vero excommunicatus decessit cum signis poenitentiae, non est exhumandus, sed absolvendus, petita absolutione ab haerede, Salm.[11] cum Pal. et Corn. Peccant graviter comitantes vitandum ad sepulturam, clerici canentes etc. Vide Salm.[12]. Sepelientes autem illum incurrunt excommunicationem maiorem, ex *Clem. 1. de sepult.* Per *sepelientes* autem non intelliguntur comitantes, canentes etc. An autem intelligantur procurantes sepeliri. Affirmant Salm.[13] Pal. Con. Suar. Sed negant Cai. Con. Avila Henr. etc.[14]. Recte dicunt Salm.[15] utramque esse probabilem.

187. « Dixi *non toleratus;* quia ecclesia non polluitur, etsi haereticus non speciatim denuntiatus in ea sepeliatur, ut docent Suar. Laym. et alii (Hinc tolerati licite sepeliuntur in loco sacro, si cum signis poenitentiae a vita migraverint, Pal.[16] Salm.[17] Navarr. Con. Sayr.). Iure nihilominus id prohibent episcopi in Germania, eo quod inter caeteras poenas non communicantium in paschate etiam statuatur privatio sepulturae ecclesiasticae.

188. » 9. Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, et, si non toleratur, etiam alii cum ipso non possint communicare, idque in casibus hoc versu comprehensis:

» 1. *Os*, 2. *Orare*, 3. *Vale*, 4. *Communio*, 5. *Mensa negatur.* »

Ista eruuntur ex iis quae declaravit Calixtus Papa in *c. Excommunic. caus.* 11. *qu.* 3. ubi dixit: *Nec cum eis in oratione aut cibo aut potu aut osculo communicet, nec ave eis dicat; quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, iuxta apostolorum institutionem, et ipse simili excommunicationi subiacebit.* Non autem hic illud *simili* importat aequalitatem (scilicet excommunicationem maiorem), sed tantum similitudinem, prout excommunicatio minor similis est maiori.

189. « Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum et omne colloquium, etiam privatum: item per nutus, litteras, internuntium et quodvis signum

(1) Ib. n. 125. (2) C. 2. (3) P. 5. t. 9. resp. 112. et 115. (4) P. 5. t. 9. resp. 115.
(5) P. 8. t. 9. resp. 2. (6) Ib. (7) L. c. res. 129.
(8) P. 5. t. 9. r. 123. (9) De cens. c. 3. p. 11. n. 121. (10) Dict. n. 121. (11) Ib. p. 7. n. 75.
(12) Ib. n. 77. (13) Ibid. n. 82. (14) Ib. n. 81
(15) Ibid. n. 80. (16) Q. 6. n. 12.
(17) De cens. c. 3. p. 7. n. 75.

benevolentiae (Ut missio vel acceptatio munerum, Salm.[1] cum Bonac. Avila Reg. etc.).

190. » Dicitur 2. *Orare*, id est omnis communicatio in divinis, de qua supra (*Vide dicta n.* 173.).

191. » Dicitur 3. *Vale*, quod comprehendit omnem salutationem (saltem honorificam) verbo vel signo vel amplexu, et secundum quosdam, etiam resalutationem, eo quod sit actus observantiae; sed contrarium videtur verius, quia est solutio debiti. Imo Sayr. etc. cum Diana[2] putant probabile quod sola verbalis salutatio sit prohibita, non autem alia signa, v. g. aperiendo caput etc., quae urbanitatis causa fieri solent. »

192. Dubit. igitur 1. an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. g. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, sine tamen ulla expressione verborum.

Prima sententia valde probabilis negat, et hanc tenent Suar.[3] Pal.[4] cum Laym. Salm.[5] cum Hurtad. Escob.[6] cum Vasq. et Sylv. ac Bonac.[7] cum Henr. Ugol. et Reg. Ratio quia huiusmodi actus reverentiae, esto solis nutibus fiant et sine animo honorandi, sunt tamen quaedam communicatio et vera signa amicitiae ac salutationis.

Secunda sententia vero affirmat, modo absit animus salutandi; hanc tenent s. Anton.[8] cum Guil. Navarr.[9] cum Maior. et Ang. Fill.[10] Spor.[11], item Sotus Avila Graff. et Sayr. apud Pal. Ratio, tum quia tales actus non exhibentur ut signa amicitiae aut communicationis, sed ut vitetur nota inurbanitatis, tum quia, esto huiusmodi actus involvant quamdam salutationem, talis tamen salutatio videtur consuetudine introducta ut necessaria, non quidem ad honorandum excommunicatum, sed ne ille contemnatur. Hanc autem secundam sententiam merito vocant probabilem ipsi fautores primae sententiae, nempe Bon. Pal. Salm. et Escob. Maxime (ut aiunt Croix[12] Mazz.[13] Bon. cum Suar.[14] et Renzi[15] cum Laym. et Pelliz.) si excommunicatus sit superior vel persona publica, uti episcopus, praetor etc., quia tunc praedicta signa potius exhibentur ad vitandum damnum vel indignationem illius.

193. Dubit. 2. An liceat excommunicatum resalutare. Affirmant Bus. ut supra ac Fill.[16] Henr. et Krimer. apud Croix[17], et probabile putat Pal.[18] quia, ut aiunt, resalutatio illa non est exhibitio honoris, sed debiti solutio, quae non videtur ab ecclesia vetari. Sed probabilius negant Bon.[19] Holzm.[20] et Salmant.[21] cum Avila. Ratio, quia cum vetitum sit salutare excommunicatum, ille non habet ius ut resalutetur, eo quod in poenam sui criminis est illo privatus. Et sic pariter probabilius dicunt Bon.[22] Croix[23] Viva[24] Salm.[25] cum Avila et Renzi[26] cum Pelliz. (contra Sa et Henr. apud Vivam[27], quorum opinionem probabilem putat Mazz.[28]), neque esse licitum excommunicato rescribere. Ratio est eadem ut supra, quia cum prohibitum sit communicare cum excommunicato, ille non habet ius ut ei rescribatur. Caeterum quoad resalutationem non audeo primam sententiam dicere improbabilem, quia licet excommunicatus non habeat ius ut resalutetur, tamen resalutatio illa non videtur proprie actus honoris, et contra negatio illius videtur quidam actus contemptus vel saltem inurbanitatis. Quoad rescriptionem vero non valeo acquiescere sententiae oppositae, quia rescriptio videtur vera communicatio.

Qui autem excommunicatum iniuriis afficeret vel ei diceret, *Deus te illuminet, convertat etc.*, nullam quidem

(1) Ibid. p. 12. n. 135. (2) T. 5. p. 9. res. 16. (3) D. 15. s. 1. num. 5. (4) D. 2. p. 17. n. 4. (5) De cens. c. 3. p. 12. n. 136. (6) L. 50. n. 254. (7) D. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 4. (8) 3. p. tit. 25. c. 2. (9) Cap. 27. n. 20. (10) Tr. 13. n. 85. (11) Suppl. p. 154. num. 97. (12) L. 7. n. 277. (13) T. 4. p. 516. (14) Loc. cit. (15) T. 1. p. 542. q. 4. (16) Tr. 13. c. 5. q. 3. n. 84. (17) L. 7. n. 277. (18) D. 2. p. 17. n. 4. (19) D. 2. q. 2. p. 126. §. 2. n. 4. (20) P 532. n. 197. (21) De cens. c. 3. n. 136. (22) L c. (23) D. n. 277. (24) De cens. q. 3. art. 2. n. 9. (25) Cit. n. 136. (26) P. 541. q. 2. (27) L. c. (28) T. 4. p. 516.

censuram incurrit; ita communiter s. Anton. [1] Salm. [2] et Croix [3].

194. « Dicitur 4. *Communio*, quae comprehendit omnem contractum, qui tamen validus est, si fiat (Ita Salm. [4] cum Pal. Con. Av. (contra aliquos), ex *c.* 32. *de sent. exc. etc.;* illicitum autem est excommunicato testari, licet testamentum sit validum, nisi ille sit usurarius. Vide Salm. [5]), item cohabitationem, cooperationem, societatem, v. g. in contractibus, ita ut moraliter censeatur communicare; quod prudens aestimabit: unde nec iter cum eo, tamquam cum socio, facere licet (Nec licet cum eo collaborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire: intellige per modum societatis; nam alias cubare tantum ad quiescendum, etiam in eodem lecto, non vetatur, ita probabiliter Suar. [6] Bon. [7] Pal. [8] et Salm. [9]).

195. » Dicitur 5. *Mensa*, per quam intelligitur omnis convictus et convivia per modum societatis et commercii; qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imo lectum. Vide Bon. [10]. »

Non licet igitur communicare cum excommunicato in eadem mensa formaliter, idque accidit quando excommunicatus invitat alterum ad coenam, aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in monasteriis et seminariis, in quibus, tametsi diversae sint mensae in eodem refectorio, nihilominus omnes censentur communicare in eadem mensa et refectione. Idem est quando multi invitantur ab excommunicato et in eodem cubiculo accumbunt, licet in diversis mensis; secus si accumbant in mensis valde disiunctis seu dispositis in diversis cubiculis, ita Suar. [11] Salmant. [12] et Bonac. [13] cum Henriq. Avila Sayr. Fill. Reg. et Ugol. Secus etiam, si quis ederet cum excommunicato in diversorio, adhuc in eadem mensa, ubi tamen unusquisque sibi intendit, ut Suar. Salm. et Bon. [14] cum Sayr. et aliis. Item secus, si quis casu conveniat cum excommunicato in eadem domo, itinere vel mensa, Holzm. [15] Spor. [16] et Pal. [17] cum Suar. Laym. Sayr. et Hurt.

196. « Quaeres 1. Quale peccatum sit communicare cum excommunicato non tolerato. Resp. Communicatio in divinis censetur mortale propter gravitatem materiae; in civilibus autem (etsi inducat minorem excommunicationem), secluso tamen contemptu, tantum est veniale regulariter, Suar. Bonac. etc. Diana [18] (Ita etiam s. Thom. [19] Salm. [20] cum Lez. Suar. et comm.). Quod addo, quia aliquando est mortale, ut si quis cum excommunicato communicet in eodem crimine, v. g. si quis concubinam excommunicatam cognoscat. »

197. Distinguendum inter peccatum et poenam communicationis cum vitando. Quoad peccatum in duobus casibus communicans certe peccat graviter: 1. Si communicat cum eo in divinis, nisi excuset parvitas materiae, iuxta dicta *n.* 173. *et* 176. 2. Si communicat in crimine criminoso, id est in eodem crimine sive contumacia ob quam lata est excommunicatio, v. g. si quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat, ut habetur ex *c. Concubinae*, *de sent. excom.*, vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum etc. impendit ei auxilium aut consilium ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione, ita Bon. [21] Suar. [22] et Salm. [23].

198. Dubit. autem an sit mortale frequenter communicare in civilibus cum vitando. Adest duplex probabilis sententia. Negant Navar. [24] Pal. [25] ac Sayr.

(1) P. 3. tit. 25. c. 2. (2) L. c.
(3) L. 7. num. 276. et 277. (4) Ib. n. 158.
(5) Ibid. n. 159. (6) D. 15. sect. 2. n. 8.
(7) Part. 6. §. 2. n. 5. (8) D. 2. p. 17. n. 5.
(9) De cens. c. 3. p. 12. n. 157. (10) Dist. 2. q. 2. p. 6. §. 1. et 2. (11) D. 15. sect. 2. n. 6.
(12) Ibid. n. 140. (13) D. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 5.
(14) Locc. cc. (15) P. 582. n. 197.
(16) Suppl. c. 3. n. 97. (17) D. 2. p. 17. n. 5.
(18) P. 7. t. 11. r. 47. (19) Q. 23. n. 3.
(20) Ibid. p. 1. n. 7. et p. 12. n. 127.
(21) Q. 2. p. 6. §. 1. n. 8. (22) D. 15. s. 7. n. 4
(23) De cens. c. 3. p. 12. n. 155. ex c. Nuper.
(24) C. 27. n 30. (25) Q. 13. n. 3.

Avila Henr. Reg. Diana Leand. etc. apud Salm. [1], quia communicatio in civilibus de se est tantum veniale: veniale autem per quamcumque multiplicationem non fit mortale. Tunc autem dicunt Nav. et Pal. cum Sayr. et Avila [2] frequentem communicationem esse mortale, quando ex ipsa communicatione crederet communicans excommunicatum sumere occasionem in sua contumacia perseverandi. Affirmant vero probabilius Suar. [3] Bonac. [4] Holzm. [5] Spor. [6] et Salm. [7] cum Vill. Con. et Fill. Ratio, quia communicatio etiam civilis cum excommunicato vitando de se videtur materia gravis, quod maxime probatur ex *c. Excommunic.* 11. *q.* 3. ubi (ut diximus *n.* 188.) Calixtus Papa aeque prohibet communicationem in divinis quam in humanis. Item probatur ex *cap. Exceptionem* 7. *de except.* ubi communicans civiliter cum excommunicato dicitur *in periculum animae suae communicare;* periculum autem animae utique importat periculum damnationis, quod nonnisi per culpam mortalem incurritur. Communicatio igitur etiam civilis tantum ex parvitate materiae potest esse venialis; ergo si actus multiplicentur et coniungantur erit mortalis. Advertunt vero Cont. Tourn. [8] ac Suar. Holzm. Spor. et Salm. [9] cum Con. [10] ad peccandum graviter non sufficere si quis frequenter etiam per longum tempus seiunctim communicet cum excommunicato, sed requiri ut tales communicationes sint connexae saltem per modum unius obiecti voliti, nempe cum is habet propositum formale aut virtuale, seu quasi ex habitu saepius communicandi longo tempore cum excommunicato, vel adsciscat eum sibi in socium aut famulum.

199. Quoad poenam vero, communicans cum vitando sive in humanis sive in divinis, incurrit tantum excommunicationem minorem. In tribus autem casibus incurrit etiam maiorem: 1. Quando clericus scienter communicat in divinis cum excommunicato a papa nominatim et denuntiato, ex *c. Significavit, de sent. exc.* Vide Salm. [11] cum comm. 2. Quando excommunicatio est lata contra aliquem et simul contra participantes; tunc enim qui communicat cum illo (post monitionem tamen), incurrit excommunicationem maiorem, et non potest absolvi nisi ab eo qui absolvere potest principalem, ita s. Thomas [12] Pal. [13] et Salm. [14] cum Avila Hurt. etc. 3. Quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, iuxta mox dicta *n.* 197., et hic absolvendus tantum a quo principalis absolvi potest, ex *c. Nuper, de sent. exc.* Ita Salm. [15] cum aliis. Addunt autem etiam episcopum excommunicantem excommunicationem maiorem incurrere si communicet in crimine criminoso.

200. « Quaeres 2. an aliquando liceat cum non tolerato communicare.

» Resp. Quod sic, extra divina, in his quinque casibus (Qui habentur *c. Quoniam multos, can.* 11. *q.* 3. et in sequenti versiculo continentur:

» 1. Utile, 2. Lex, 3. Humile, 4. Res ignorata, 5. Necesse).

201. » 1. *Utile* intelligitur in casu utilitatis, sive spiritualis ipsius excommunicati, v. g. ut convertatur; sive alterius, v. g. ut ab excommunicato consilium petat quod ab alio habere non potest; sive etiam utilitatis temporalis, v. g. ut ab eo restitutio vel debitum ex contractu exigatur. Contractus tamen novos cum ipso inire non licet, etsi, si ineantur, sint validi, cum nulla sit lex irritans. »

Licet igitur ob bonum spirituale excommunicatum monere verbis vel litteris, et ideo antea vel postea, alia verba inserere, ex *c. Cum voluntate, de sent. exc.*, ac signa benevolentiae ostendere. Sot. Bon. Av. Salm. [16]. Licet etiam concionem coram eo facere. An autem liceat in theologia eum instruc-

(1) Ibid. n. 128. (2) Locc. cc. (3) D. 15. s. 2. n. 11. (4) Q. 2. p. 6. §. 1. n. 6. (5) P. 382. (6) Suppl. p. 154. n. 99. (7) Ibid. n. 129. (8) De cens. part. 2. c. 1. a. 5. sect. 7. v. Dico 1. (9) De cens. c. 3. p. 12. n. 129. (10) L. c. (11) Ibid. n. 151. (12) Suppl. q. 23. art. 3. (13) P. 18. n. 6. (14) Ib. n. 152. (15) Ib. n. 153. (16) De cens. c. 3. p. 13. n. 142.

re. Negant Conin. Avila etc. Sed affirmant Salm. [1] cum Soto et Sayr., quia in hoc iam est utilitas spiritualis excommunicati. Ob bonum autem sive spirituale sive temporale aliorum licet ab excommunicato concionem audire, consilium petere, si desit alius aeque idoneus, Salm. [2] cum Conin. et Bon. Licet etiam societatem prius initam cum eo continuare, item ab eo medicinas vel eleemosynam petere, ita Pal. [3] Suar.[4] et Salm. [5] cum Conin. et Avila.

202. « 2. *Lex,* id est in casu legis matrimonialis: quomodo uxori licet communicare cum marito et contra, nisi factum sit divortium. Diana [6]. Non tamen sponso de futuro cum sponsa [7] ex Sayr. Sanch. et Fill. »

Tam igitur excommunicato quam eius coniugi licet petere et reddere debitum ut periculum incontinentiae vitetur et in aliis omnibus mutuo conversari: ita d. Th. [8] Bon. [9] et Salm.[10] cum Suar. Sanch. et Pal., ex *c. Inter alia* 31. *de sent. exc.*, ubi permittitur tam coniugibus quam filiis, famulis etc. communicare cum excommunicato ut debitum ei obsequium praestent. In tribus autem casibus nequeunt tales coniuges inter se communicare: 1. Quando ipsi sunt iam per divortium separati, ut cum Busemb., ut supra, dicunt Bonac.[11] Salm.[12] et alii communiter. 2. Quando excommunicatio lata est propter dubium valoris matrimonii, ut Cont. Tourn.[13] Holzm.[14] et Bonac. ac Salm.[51]. 3. Quando alter coniugum est ob haeresim excommunicatus, ex *c. Decrevit*, *de haeret. in* 6. Vide Salm.[16].

Dubit. autem 1. An quis possit communicare etiam in divinis cum coniuge excommunicato.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Salm. [17] ac Sanch.[18] cum Nav. et Henr. Et probant ex *c. Quoniam*, ut supra, 11. *q.* 3. ubi generaliter Gregor. VII. videtur eximere coniuges (sicut etiam filios, famulos etc.) ab anathemate, si communicent cum excommunicato in iis in quibus sunt soliti communicare.

Secunda sententia tamen verior negat et hanc tenent Bon. [19] Concin.[20] et Caiet. ac Armill. apud Sanch.[21]. Ratio quia in *c. Inter alia* 31. *de sent. exc.* Innoc. III. declarans praefatum textum Gregorii dicit uxores et alios ut supra tunc tantum posse, imo et teneri cum excommunicato communicare, quando id est necessarium ad praestandum obsequium ei debitum; uxori autem, ut praestet debitum obsequium viro, minime est necessarium quod cum eo communicet in divinis.

Dubit. 2. An coniux qui scienter nupsit cum excommunicato possit deinde cum ipso communicare.

Prima sententia valde probabilis et communior negat eamque tenent d. Thomas [22] Suar.[23] Pal.[24] et Salm.[25] cum Coninch. Ang. et Sayr. Cont. Tourn.[26] Cono.[27], item Fill. Corneio Gordon. etc. apud Boss.[28]. Probatur ex dicto *c. Inter alia* 31. *de sent. exc.* ubi dicitur concedi facultas uxoribus et aliis personis subiectis communicandi cum excommunicatis eodem modo quo possent et tenerentur ante excommunicationem; ergo, si subiectio contrahitur post excommunicationem, non datur ipsis licentia communicandi. Id probatur etiam ratione, quia subiectio illa fuit inique contracta et inique acquisita, unde non debent eximi ab onere censurae qui contra eam deliquerunt.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent Sanch.[29] Bon.[30] cum Ugol. et Alter. ac Boss.[31] cum Con. Turrian. Diana et Villal., et merito probabile vocant Pal. et Salm.[32]. Ratio quia in *c.*

(1) Ib. n. 143. (2) Dict. n. 143. (3) P. 19. n. 2. (4) D. 15. s. 4. n. 8. p. 6. §. 2. n. 10. (5) Ib. n. 144. (6) P. 5. t. 9. r. 122. (7) L. c. r. 156.
(8) In 4. d. 13. q. 2. ar. 4. (9) Q. 2. p. 6. §. 2. n. 13. (10) Ibid. n. 147. (11) N. 21. (12) De cens. c. 3. p. 13. n. 143. (13) De cens. part. 2. c. 1. a. 5. v. Excusat. 2. (14) T. 1. p. 383. n. 202. (15) Locc. cc. (16) C. cit. num. 148.
(17) Ibid. n. 154. (18) De matr. l. 9. d. 14. n. 5. (19) Q. 2. p. 6. §. 2. n. 22. (20) P. 464. n. 56. (21) L. c. (22) Suppl. q. 25. art. 1.
(23) D. 15. s. 4. n. 56. (24) D. 2. p. 19. n. 15. (25) Ibid. n. 152. (26) Loc. cit.
(27) P. 464. n. 36. (28) De usu matr. c. 1. n. 286. (29) De matr. l. 9. d. 14. n. 5. (30) D. 2. p. 6. § 2. n. 13. (31) L. c. n. 283. (32) Locc. cc.

Quoniam 11. *q.* 3. Gregorius indistincte et absque ulla restrictione concedit personis subiectis facultatem communicandi cum excommunicato. Nec obstat textus oppositus in dicto *c. Inter alia:* ex eo enim quod ibi dicitur nempe subiectos teneri ad praestandum obsequium excommunicato eodem modo ac ante excommunicationem, minime evincitur non posse communicare qui tempore excommunicationis subiectionem contraxerunt; imo in tantum ibi dicuntur subiecti teneri communicare, quia obligatio contracta praestandi debitum obsequium non eliditur ob excommunicationem supervenientem; unde sicut obligatio illa non cessat ob excommunicationem supervenientem, ita nec ob antecedentem. Neque obstat quod nemo possit se obligare ad illicitum, prout est communicare cum excommunicato: nam hoc curreret quando quis directe se obligaret ad communicandum, non vero quando indirecte se obligat ratione contractus; unde quamvis illicite subiectio fuerit contracta, cum tamen contractus fuerit validus (prout certum est esse validum matrimonium cum excommunicato), ex eo bene oritur et viget obligatio debitum obsequium praestandi. Et quod hic dicitur de coniugibus idem dicunt praefati aa. de filiis et famulis.

203. « 3. *Humile*, id est in casu subiectionis, quo modo possunt filii etiam emancipati (Ut probabiliter dicunt Suarez [1] Bonac. [2] Pal. [3] et Salmant. [4] cum Corn. et Sayr. contra Sot. Nav. etc.[5]), addit Diana [6] ex Con. Fill. Hurt. etc. etiam adoptivi vel illegitimi, imo etiam nepotes, pronepotes et in eodem genere affines (Ut nurus, privigna etc. Salmant. [7] cum Suar. Palaò Bon. etc.) communicare parenti, servi et ancillae domino, si ante excommunicationem fuerint in servitio. Similiter religiosi praelato, non tamen, nisi quoad eam communicationem, quae ab habitantibus in eadem familia evitari non potest. Diana [8] contra Sot. Vide Fill. [9] Laym. et Bon.[10].»

Sic pariter excusantur omnes servientes, etiam gratis, et tota familia excommunicati ex *cap. Quoniam*, *et c.* 34. *de sent. excom.* Vide Salm.[11]. Ita etiam milites possunt communicare cum duce excommunicato ex *d. c.* 34. Non autem vassalli cum suo domino, ex *c. Nos sanctorum*, *caus.* 15. *q.* 6., nisi quoad solutionem tributorum, si ligati sint iuramento fidelitatis, ut Salm.[12] cum Suar. Av. Corn. Attamen iudico saepe istos alias excusari ratione necessitatis vel utilitatis. Item religiosi possunt communicare cum suis praelatis excommunicatis, Suar.[13] et Pal.[14] cum Bon. Sayr. et communi contra paucos.

An vero famuli excommunicati eiusdem domini possint inter se communicare. Per se certe non possunt, cum in *cit. c. Quoniam* 11. *q.* 3. id eis non conceditur; possunt tamen per accidens, eo quod moraliter obligantur simul cohabitare, ita Suar.[15] Navar.[16] Bon.[17] et Pal. [18] cum Hurtad. Sayr. et Ugol. Hoc tamen intelligendum quando ipsi serviunt impulsi necessitate se sustentandi, et insuper non possunt commode dominum illum relinquere.

204. Notandum autem 1. quod sicut filii, uxores et famuli possunt cum excommunicato communicare, ita parentes, mariti et domini possunt communicare cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis, s. Th.[19] Pal.[20] Bon.[21] et Salm.[22] cum Soto Henr. Corn. Avila Con. et Hurt. Notandum 2. famulos, uxores aut filios non posse communicare cum excommunicato in divinis, nisi tantum in iis in quibus communicatio est necessaria ad praestandum obsequium illi debitum, ut mox supra diximus *n.* 202. *Dubit.* 1. Hinc famuli licite comitantur dominum

(1) D. 15. s. 5. n. 3. (2) P. 6. §. 2. n. 29. et 53. (3) P. 19. n. 10. (4) De cens. c. 3. p. 13. n. 149. (5) Ibid. (6) P. 5. t. 9. r. 113. et 119. (7) De cens. c. 3. p. 13. n. 149. (8) L. c. r. 117. (9) l. 12. c. 8 n. 203. (10) L c. (11) Ib. n. 150. (12) Ibid. (13) D. 15. s. 7. n. 2. (14) D. 2. p. 19. n. 18. (15) Num. 13. (16) C. 27. (17) D. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 32. (18) N. 25. (19) Suppl. q. 23. art. 1. (20) D. 2. p. 19. n. 21. (21) §. 2. n. 38. (22) De cens. c. 3. p. 13. n. 153.

ad missam, ac licite iussi ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo officium recitant, ut dicunt Suarez [1] et Salmanticen. [2]. Hoc tamen intelligendum, quando famuli vi contractus tenentur ad huiusmodi obsequia exhibenda, secus si non obligantur vi contractus, aut si obsequia illa sint extraordinaria, nec ad suum famulatum pertineant, ut recte ait Suarez [3] qui bene pariter advertit non posse celebrantem uti clerico excommunicato, si commode alium adhibere possit. Notandum 3. quod si famuli veniunt in familiam domini excommunicati, vel locant ei operas suas ante excommunicationem, vel etiam post excommunicationem, sed bona fide, quia nesciunt excommunicationem, vel quia coguntur necessitate gravi, non peccant, et bene possunt communicare cum illo eodem modo ut supra. Peccant vero, si scientes veniant, et sine necessitate, ita Suar. [4] Pal. [5] et Salm. [6] cum Con. An autem in hoc casu teneantur postea discedere, et peccent communicando. *Vide mox supra dicta n.* 202. de eo qui matrimonium contraxit cum excommunicato, idem currit pro famulis locantibus excommunicato operas suas, ut dicunt aa. ibi citati.

205. « 4. *Res ignorata*, id est in casu ignorantiae iuris vel facti. »

Certum est quamlibet ignorantiam aut inadvertentiam inculpabilem, sive iuris sive facti, excusare communicantes cum excommunicato ex *dicto cap. Quoniam* 11. *q.* 3. Sed dubitatur an excuset etiam ignorantia culpabilis et crassa. Negant Bon. [7] et Salm. [8] quia ecclesia imponit excommunicationem communicantibus cum vitando semper ac communicatio est peccaminosa. Affirmant vero satis probabiliter Suar. [9] Holzm. [10] Pal. [11] cum Con. et Hurt. Et probatur ex *eod. c. Quoniam.* Primo, quia, cum ibi expresse excusentur ignorantes, videntur omnes quomodocumque ignorantes excusari, et damnari tantum scienter communicantes; secundo, quia, cum pontifex excuset ignorantes, videtur aliquem favorem velle concedere culpabiliter ignorantibus, dum ignorantes inculpabiliter ipso iure naturae excusantur; tertio, quia (et hoc fortius urget) in dicto canone pontifex asserit se moveri ad praedictam indulgentiam concedendam, *quoniam multos* (sic enim ibi incipit loqui) *pro causa excommunicationis perire* (nota) *quotidie cernimus, partim ignorantia, partim simplicitate etc.* Ergo pontifex intelligit excusari etiam vincibiliter ignorantes, nullus enim perit ex ignorantia invincibili.

206. « 5. *Necesse*, id est in casu necessitatis, sive animae sive corporis sive bonorum temporalium.»

Excusat igitur quaevis necessitas gravis, sive spiritualis sive temporalis, sive communicantis sive excommunicati, sive aliorum, si res non possit haberi ab alio quam ab excommunicato, ut communiter Bon. [12] Pal. [13] et Salm. [14] cum Avila Hurt. Sayr. et Lez. Idque patet signanter ex *c. Si vere* 34. *de sent. exc. et dicto c. Quoniam multos.* Sic pariter excusat necessitas per coactionem metus, quia lex humana non obligat cum gravi incommodo, ut recte [15] addunt Salm. iuxta dicta *l.* 1. *n.* 175.

207. Ultimo autem hic advertendum quod nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, vel ad minus sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum saltem dignorum fide: cuivis enim unico testi credere non tenemur, ita Sanch. [16] Nav. [17] Pal. [18] Cont. Tourn. [19] et Salm. [20] cum Bon. Avila et Corneio. Bene tamen advertit Tourn. [21] quod in dubio an quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere sacramentum poenitentiae, propter periculum illud inva-

(1) D. 15. s. 5. n. 22. (2) Ibid. n. 154.
(3) L. c. (4) L. c. n. 15. (5) P. 19. n. 14.
(6) Ibid. n. 151. (7) D. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 14.
(8) Ibid. n. 155. (9) D. 15. s. 3. num. 5.
(10) P. 585. n. 202. (11) D. 2. p. 19. n. 24.
(12) P. 6. §. 2. n. 59. (13) P. 19. num. 29.
(14) De cens. c. 3. p. 15. n. 157. (15) Ibid.
(16) Dec. l. 1. c. 19. n. 63. (17) C. 22. n. 32.
(18) P. 10. n. 26. (19) De cens. part. 2. c. 1. a. 5. quaer. 4. (20) Ibid. n. 156. (21) L. c.

lide percipiendi. Dicunt autem Suar.[1] Pal.[2] Bon.[3] et Salm.[4] cum Cov. Avil. Corn. et Hurt., quod licite communicare possumus cum eo qui fuit excommunicatus, si adsit fama publica de eius absolutione, vel etiam si ipse excommunicatus (qui alias sit fide dignus) se absolutum fuisse asserat, possumus ei credere.

Dubium IV. Ob quas causas incurratur excommunicatio maior.

208. « Cum hae multae sint, variae sunt etiam excommunicationes quae in 4. potissimum classes dividuntur, nam aliae nulli, aliae episcopo, aliae pontifici per bullam Coenae, aliae eidem extra illam reservantur.»

Art. I. Quae sint excommunicationes non reservatae.

209. *Excommunicationes contra omnes.*
210. *Contra clericos.*
211. *Contra religiosos.*
212. *Excommunicationes adiectae a Tridentino. Dub. 1. An incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi monasteria tantum ut educentur. Dub. 2. An cogentes ex metu reverentiali. Dub. 3. An cogentes mares. An impedientes ingressum puellae.*

209. « Resp. 1. Ex iure antiquo usitatiores sunt sequentes: Contra omnes 1. In vexantes ecclesiasticos, quod non elegerint eum pro quo rogati fuerant[5]. 2. In directores monialium, si foveant discordias in electione[6]. 3. In extorquentes absolutionem a censura per vim aut metum[7]. 4. In compellentes ecclesiasticos ut laicis submittant iura ecclesiae[8]. 5. In docentes leges vel medicinam religiosos qui dimiserunt habitum vel eos retinentes in suis scholis[9]. 6. In sepelientes tempore interdicti vel interdictos vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios[10]. 7. In impedientes visitatores monialium[11]. 8. In contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis vel cum monialibus[12]. 9. In edentes glossas in Tridentinum[13]. 10. In imprimentes libros sine superiorum licentia[14]. 11. In praecipientes suis subditis ne officia communia reipubl exhibeant ecclesiasticis, v. gr. ne iis vendant, coquant panes etc.[15] (Et videtur reservata in bulla Coenae §. 15.). 12. In doctores et professores non facientes professionem fidei, ubi recepta est bulla 88. Pii IV. 13. In negligentes administrare iustitiam ecclesiasticis[16]. 14. In potestates foventes usuras[17]. »

Item 15. qui ratas habent collationes ordinum et beneficiorum a schismaticis[18]. 16. Qui titulo regaliae aut defensionis occupant bona ecclesiae vacantis[19]. 17. Qui procurant ut conservatores regularium se immisceant in aliis quam in manifestis iniuriis et violentiis[20]. 18. Qui ex iudicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium[21]. 19. Qui mandant interfici christianos per assassinos[22]. 20. Qui concedunt, vel concessas repraesalias extendunt adversus ecclesiasticos[23] (Repraesaliae enim fiunt quando passi iniustum damnum auctoritate principis invadunt bona eorum qui damnificaverant usque ad iustam compensationem). 21. Qui sequestrum ab ordinario super beneficio factum impediunt vel fructus occupant[24]. 22. Qui pingunt inaurant etc. agnos Dei a pontifice benedictos[25]. 23. Qui non denuntiant s. officio vel ordinario haereticos, magos, sortilegos, vel haereticaliter blasphemantes Deum, b. Virginem et sanctos[26]. 24. Domini qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempe periculosas[27] (Exceptis regnis Hispaniarum iuxta dicta *l.* 3. *n.* 365.). 25. Qui faciunt servari statuta contra libertatem ecclesiasticam[28] et haec videtur reservari in bulla Coenae.

210. « Contra clericos: 1. In clericos in dignitate constitutos aut sacerdo-

(1) D. 15. s. 3. n. 7. (2) N. 27. (3) §. 2. n. 54. (4) Dict. n. 156. (5) C. Sciant, de elect. in 6. (6) C. Indemnitatibus, eod. tit. (7) C. De his quae vi, etc. in 6. (8) C. 2. de reb. ecclesiae non alien. in 6. (9) C. 2. Ne clerici, etc. in 6. (10) Clem. 1. de sepult. in 6. (11) Clem. Attendentes, de statu monach. (12) Clem. un. de consang. (13) Bulla 73. Pii IV. (14) Bulla 12. Leonis X. (15) C. Eos qui, de imm. eccl. (16) C. Administrationis 12. q. 5. (17) Clem. un. de usur. (18) C. 1. de schismat. (19) C. generali de election. in 6. (20) Cap. fin. de offic. deleg. in 6. (21) C. 2. de iud. in 6. (22) C. 1. de homicid. in 6. (23) C. un. de iniur. in 6. (24) Clement. un. de sequest. posses. (25) Bulla 2. Greg. XIII. (26) Edictum s. officii. (27) Bulla 48. s. Pii V. (28) C. Noverit, de sent. exc

tes audientes publice ius aut medicinam [1]. 2. In sacerdotes recipientes praefecturas saeculares [2]. 3. In clericos minores episcopis locantes domos usurariis. 4. In alienantes bona ecclesiae vel locantes ultra triennium [3]. 5. In impugnantes in concionibus montes pietatis [4]. 6. In contrahentes matrimonium, si sint in sacris [5]. 7. In ficte resignantes vel permutantes beneficia [6]. 8. In praesumentes absolvere a casibus bullae Coenae.»

Item 9. In eos qui se ingerunt in alterius episcopatum ad officium sine licentia proprii episcopi [7]. 10. Qui procurant ut alii occupent iura et bona ecclesiarum vacantium [8]. Et haec videtur reservata in Trid. [9].

211. « Contra religiosos: 1. In audientes leges vel medicinam extra claustra [10]. 2. In habitum temere dimittentes vel matrimonium contrahentes [11]. 3. In instituentes novum ordinem (Vel locum acquirentes sine licentia papae[12]) 4. Adeuntes curias principum, ad nocendum suis monasteriis vel praelatis[13]. 5. Tenentes arma sine licentia intra claustra [14]. 6. Non servantes interdictum quando servatur a cathedrali. Vide Fill.[15] Bon.[16].»

Item 7. Qui non adimplent disposita in bulla Alexandri VII., quae incipit *Felici*, in visitatione monialium sibi subiectarum 8. Qui occupant decimas ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent [17]. 9. Qui ex mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant sine licentia papae [18]. 10. Qui non observant interdictum a papa vel ab episcopo positum[19]. 11. Qui de cappucinis recipiunt minores de observantia sine licentia papae aut ordin. gener., et qui recipiuntur [20].»

Item contra episcopos: 1. Qui veniunt ad Urbem et inde recedunt sine licentia papae [21]. 2. Qui impetrant a principibus litteras ad dignitates [22].

212. « Resp. 2. Supradictis adiectae sunt a Tridentino sequentes, quae valent ubi illud est receptum: 1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris et approbatione ab ordinario obtenta (In Trid.[23] sic habetur: *Nulli liceat imprimere libros de rebus sacris, vel imprimi facere, neque vendere aut retinere, sine nomine auctoris, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis*). 2. In docentes non esse necessariam confessionem ante sumptionem eucharistiae, Trid.[24]. 3. In raptores mulierum, iuvantes, faventes [25]. 4. In cogentes contrahere matrimonia cum praescriptis[26]. 5. In magistratus, qui requisiti non iuvant episcopos ad restituendam vel conservandam clausuram monialium [27]. 6. In ingredientes (cuiuscumque conditionis vel sexus fuerint) monasteria monialium sine licentia in scripto obtenta[28]. 7. In cogentes mulieres ingredi monasterium et profiteri [29] (Sed de hac excommunicatione *vide mox infra dicenda vers. Quoad etc.*). 8. In impedientes, sine iusta causa, sanctam voluntatem mulierum emittendi votum [30]. 9. In dominos temporales concedentes in terris suis locum pro duello. Trid.[31].»

Quoad excommunicationem mox supra relatam in cogentes mulieres ad ingrediendum monasterium, dubit. 1. An eam incurrant qui cogunt foeminam ad monasterii ingressum, non ut profiteatur nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur. Affirmant Suar.[32] Nav.[33] et Bonac.[34] cum Fill. Id

(1) C. fin. Ne clerici, etc. (2) C. Clerici eodem. (3) Extrav. Ambitiosae, de reb. eccles. etc. (4) Bulla 11. Leonis x. (5) Clem. un. de cons. (6) Bulla 58. s. Pii v. (7) C. Quoniam, de offic. ordinar. (8) C. Generali, de elect. in 6. (9) Sess. 22. c. 21. (10) C. Non magnopere, et c. Super specula, ne clerici etc. (11) Clem. un. de consang. (12) C. un., de relig. dom. in 6. (13) Clem. Ne in agro, §. Quia vero, de statu monach. (14) Ibid. (15) T. 1. tr. 22. c 84.

(16) D. 4. p. 5. §. 1. n. 36. (17) Clem. 1. de decim. (18) Clem. Cupientes, de poenis. (19) Clem. 1. de sent. exc. (20) Ex bulla 20. Sixti v. (21) Extrav. 2. et 3. de maior. et obed. (22) Bulla 96. Pii iv. (23) Sess. 4. decr. de edit. etc. (24) Sess. 13. can. 11. (25) Sess. 24. c. 9. (26) Sess. 24. c. 9. (27) Sess. 25. c. 5. de regul. (28) Ib. (29) Sess. 25. c. 18. de reg. (30) Ibid. (31) Sess. 25. c. 9. de ref. (32) De censur. d. 25. sect. 7. n. 9. (33) Consil. l. 3. cons. 36. (34) T. 7 d. 2. q. 2. p. 2. n. 14

probant ex Trid.[1] ubi excommunicantur *quicumque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam* (*praeterquam in casibus in iure expressis*) *ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem.* Concilium igitur hic tria membra distinguit, et inurit censura omnes cogentes foeminam sive ad ingressum monasterii, sive ad susceptionem habitus, sive ad emissionem professionis; spectavit enim Trid. ne occasione ingressus detur ansa mulieri suscipiendi habitum aut profitendi minus libere propter suasionem monialium, vel ob exeundi pudorem. Negat vero Sanch.[2] cum Manuel. Ratio quia in praedicta sanctione Tridentini videntur non tria, sed duo membra contineri: ibi enim damnantur cogentes *ad ingrediendum monasterium* (quod est quidquam commune habens duos fines, nempe) *vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis vel ad emittendam professionem.* Ergo qui cogit ad ingressum, tantum causa educationis non vero ad habitus susceptionem, vel ad professionis emissionem ibi minime improbatur. Et cum simus in poenalibus, iuxta regulam iuris, benignior facienda est interpretatio. Sed hoc non obstante prima sententia mihi est probabilior, et ducor, quia concil., postquam principales cogentes damnat, eamdem fert censuram contra eos *qui consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium* (nota) *aut habitum suscipere aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Ex hac igitur secunda parte sensus primae colligitur: sicut enim in hac secunda parte tria membra distinguuntur, cum damnentur praebentes consensum actui coacto in tribus casibus, nempe quando mulier invita aut ingreditur monasterium aut habitum suscipit aut professionem emittit; sic etiam intelligendum prima parte quoad principaliter cogentes. Quia tamen concil. excipit casus in iure expressos, dicunt probabiliter Suar. Bonac. cum Fill.[3] licite posse cogi mulierem delinquentem ad ingrediendum in sui criminis poenam, vel ne labatur in aliquam incontinentiam, ut eruitur ex *c. Significavit et c. Gaudeamus, de convers. coniug.*

Dubit. 2. An incurrant excommunicationem parentes inducentes puellam ad ingressum monasterii vel susceptionem habitus ex metu reverentiali. Si metus concipitur a puella ex se absque illorum cooperatione, certum est non incurrere. Dubium est si metus oriatur ex declaratione voluntatis parentum. Affirmat incurrere de Alex.[4] quia, ut ait, qui non contradixit ob reverentiam, in iure non censetur consentire ex *l. Si cum dotem*, §. *Eo autem, ff. de soluto matr.* Sed probabilius negat Barb.[5] cum Rodr. Portel. Riccio et Tam., quia tunc revera non incutiunt metum parentes, sed ipsa ob reverentiam metum concipit, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 717. *v. Idem et l.* 6. *n.* 1056. Simplex enim inductio sive suasio non est coactio, ut fatetur idem de Alex.[6] et decisum refert Barb.[7] ex Armendar. Et hoc etiamsi addantur preces importunae, ut probabiliter subdit idem Barb.[8] cum Portella et Rodr. (contra de Alex.) quia suasio etiam importuna non est vera coactio, quae requiritur a concilio ad excommunicationem incurrendam; et cum agatur de poenis, talis coactio stricte est intelligenda. Secus vero ait Rodr. apud Barb. si preces excederent limites simplicis suasionis, nempe (ut dicit Sanch.[9]) si preces sint instantissimae et saepius inculcatae, ipsae enim videntur involvere gravem metum ex probabili indignatione futura parentum. Addunt Suar. et Bonac.[10] licite posse cogi puellas ad ingredien-

(1) Sess. 25. c. 18. de regul.
(2) Dec. l. 4. c. 4. n. 12. (3) Locc. cc.
(4) Conf. mon. c. 2. §. 2. q. 9.
(5) In Trid. sess. 25. c. 18. n. 4. (6) C. 7. §. 8. q. 4
(7) All. 104. n. 3 (8) L. c. in Trid.
(9) Dec. l. 3. d. 7. n. 8. (10) Locc. cc.

dum monasterium propter cautionem vel ob aliam iustam causam secundum iura. Hinc dico quod etsi absolute loquendo non liceat eas cogere ad ingressum causa melioris educationis, si tamen contra prudens accedat suspicio quod illa in saeculo manens pravis moribus imbueretur, puta si videretur nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel si domi haberet unde facile sumeret scandalum ex propinquis aut famulis, tunc non auderem damnare cogentes eam ut cautionis gratia monasterium intraret; nam eo casu utique finis concilii prohibentis huiusmodi coactionem cessaret, non solum adaequate, sed etiam contrarie, cum alias, si non fieret coactio, maius malum eveniret; *vide dicta l. 1. n. 199.* Ad hoc refert id quod scripsit d. Hieronymus ad Laetam: *Procul sit aetas tasciva puerorum, ipsae puellae et pedissequae a saecularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint peius doceant.*

Dubit. 3. An incurrant excommunicationem qui cogunt mares ad religionem ingrediendam. Affirmat Pal. apud Sanch. [1] quia eadem ratio finalis currit in maribus quae in foeminis. Sed communiter et verius negant Suarez [2] Sanch. [3] cum Bannez Bon. [4] cum Fill. Barbos. [5] cum Miranda ac Boss. [6] cum Nav. Fag. etc. Ratio quia a concilio excommunicatio dumtaxat fertur contra cogentes foeminas, non mares; in poenalibus autem non fit extensio de casu ad casum, licet eadem ratio procedat, praeterquam quod pro maribus non currit eadem ratio quam pro foeminis, quia facilius et frequentius mulieres quam mares inducuntur invitae ad religionem suscipiendam. Quamvis vero huiusmodi cogentes excusentur a censura, nullo tamen modo excusari possunt a gravi culpa.

Insuper in Trid. [7] excommunicantur *qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.* Nomine *veli* intelligitur professio religiosa quae fit per veli susceptionem. Nomine autem *voti* non intelligitur votum simplex castitatis aut religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli, ut fit in aliquibus monasteriis, ita Suar. [8] Boss. [9] cum Pal. et Bon.[10] cum Fill. Sed dubium fit an incurrat excommunicationem qui tantum impedit puellam ne monasterium ingrediatur ad habitum suscipiendum. Negant Sanch.[11] et Bon.[12] cum Palao, quia decretum concilii est cum rigore accipiendum, nempe tantum cum professio impeditur. Sed probabilius affirmant Suar.[13] et Bon. [14] cum Fill. Qui enim impedit puellam ne habitum suscipiat vel ne ingrediatur monasterium ad habitum suscipiendum, impedit consequenter eius professionem. Et recte subdunt Bonac.[15] et Sanch.[16] cum Salon. hanc excommunicationem incurrere etiam qui dolo (non autem qui solis precibus) impediunt puellam ne fiat religiosa.

ART. II. Quae sint excommunicationes reservatae episcopis.

213. *Excommunicatio 1. In eum qui leviter percutit clericum. 2. In eos qui absolvuntur in articulo mortis et postea non se praesentant superiori. 3. In fratres minores etc. 4. In procurantes abortum foetus animati, effectu secuto. 5. In eos qui communicant in eodem crimine etc. 6. Excommunicationes quas episcopi sibi reservant.*

214. *De excommunicatione imposita ex monitorio.*

215. *An obligatus revelare damnum si non revelet etc.*

216. *An sit obligatio revelare crimen emendatum.*

217. *Qui, facto monitorio, excusentur a revelando.*

213. « Resp. Sunt hae: 1. Quae contrahitur ex levi percussione clerici, vel gravi si sit mulier (De hac excommunicatione *vide infra n.* 279.). 2. In eos qui absoluti in articulo mortis a censura vel peccato habente censuram annexam, ab eo qui alias non poterat

(1) L. 4. c. 4. n. 5. (2) De censur. d. 23. sect. 5. n. 8. (3) L. c. (4) T. 3. d. 2. q. 2. n. 15. (5) All. 104. n. 7. (6) De effect. matr. c. 10. n. 74. (7) Ib. sess. 25. c. 18. (8) De censur. d. 23. sect. 7. n. 20. (9) De defect. matr. c. 10. n. 67. (10) T. 3. de censur. d. 2. q. 2. p. 3. n. 2. et 4. (11) Dec. l. 6. c. 4. n. 15. (12) L. c. (13) Loc. cit. (14) N. 3. (15) N. 6 (16) N. 1. vers. Ad finem.

non se praesentant superiori postquam convaluerint (Intellige, quando censura reservata erat ab episcopo, *vide dicta n.* 92.). Vide Fill. [1]. 3. In fratres minores, si admittant in suis ecclesiis ad officia divina fratres tertii ordinis. 4. In procurantes abortum foetus animati, effectu secuto (*Vide dicta l.* 3. *n.* 395. *et* 397. Quando autem foetus censeatur animatus, *vide ib. n.* 394. *v. Qu.* 3. Ab hac excommunicatione absolvere possunt etiam regulares, *vide ibid. n.* 397. *v. Pariter et l.* 7. *n.* 99. *in fin.*). 5. In eos qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab episcopo. 6. Hae omnes quas ferunt episcopi per propria statuta et sibi reservant, quas confessarii videant in agendis.»

214. Hic breviter agendum de excommunicatione quae imponitur ex vi monitorii ad revelanda aliqua crimina vel ad restituendam rem alienam et similia. Et dicendum 1. Si crimen non vergit in alicuius tertii damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi praecedat infamia sive rumor ortus ex probis hominibus per maiorem partem viciniae aut collegii. Ratio quia sine tali infamia non potest superior de illo crimine inquirere, ita Sylv. Avil. Gib. cum Salm. [2]. Dicendum 2. Si delictum vergit in damnum commune, etiamsi sit occultum, tunc revelandum est, nisi tamen firmissima sit spes quod correctio foret profutura, Salm. [3] cum s. Th. Bon. etc. Dicendum 3. Si delictum cedit in damnum tertii, distinguendum. Quando crimen est iam commissum, et ita occultum est ut probari non possit, non est revelandum, secus vero, ut dicunt Sot. Corduba et Avil., si crimen probari possit saltem per unum alium testem, vel si sit in fieri, et non possit per monitionem impediri. Sed in hoc ultimo casu negant Salmant. [4] cum s. Thoma Bon. etc. Quando autem in monitorio non praecipitur denuntiari, sed testificari, tenetur quisque manifestare, si praecedat semiplena probatio, etsi non possit probare, Salm. [5] cum Nav. et Avila.

215. Quaer. hic 1. An obligatus revelare ex monitorio, si non revelet teneatur tertio damnum restituere. Resp. Si ipse aliqua arte impedit ne monitorium sibi intimetur, ad nihil tenetur, neque incurrit excommunicationem, nec peccat non revelando. Peccat vero et incurrit, si iam sit citatus, ut Less. [6] Salm. [7] cum Reb. etc. *Vide l.* 4. *n.* 270. An autem teneatur ad restitutionem. Affirmant Cont. Tourn. [8] et apud Salm. [9] Navar. Sot. Val. Sayr. etc., quia dicunt, quod hic peccaret contra iustitiam, cum pars laesa habeat ius ad eius testimonium, posito iudicis praecepto. At verius negant Bon. [10] Sylv. Bon. Bann. Tan. etc. cum Salm. [11]. Ratio quia talis revera non peccat contra iustitiam commutativam, sed contra legalem vel contra obedientiam, quae non obligat ad restitutionem; *vide dicta d. l.* 4. *n.* 270. Excipiunt tamen tamquam certum Salmant. [12] cum Bon. etc. si testis susceperit munus testis ex praecepto iudicis et coeperit respondere, quia, tali acceptatione posita, tenetur ex iustitia veritatem detegere; *sed vide dicta l.* 5. *eod. n.* 270.

216. Quaer. 2. An sit obligatio ex vi monitorii revelare crimen emendatum. Resp. Negative, nisi crimen habeat effectum in futurum, puta si sit homicidium cum adulterio, quae inducant impedimentum matrimonii et similia, vel nisi crimen sit publicum et emendatio occulta, vel denique nisi superior non tantum emendationem rei, sed etiam reatus punitionem intendat ita Salmant. [13] cum s. Anton. Sylv. et Avila.

217. Quinam autem, facto monitorio excusentur a revelando. *Vide dicta l.* 4. *n.* 248. *qu.* 2. Adde dumtaxat hic quod si in monitorio praecipiatur revelatio omnibus scientibus, non tenen-

(1) T. 1. c. 10. n. 241. et 242.
(2) De cens. c. 4. p. 1. n. 2.
(3) De cens. c. 4. p. 1. n. 3. (4) Ib. n. 5.
(5) Ib. n. 5. (6) L. c. c. 30. n. 54. (7) Ib. n. 6.
(8) Tr. de cens. part. 2. c. 1. art. 4. sect. 2.
(9) Ib. n. 7. (10) De praec. d. 10. q. 5. p. 5 n. 13.
(11) Ib. n. 8. (12) Cit. n. 6.
(13) De cens. c. 4. p. 1. n. 16. et 17

tur revelare qui tantum audierunt, et si etiam audientibus, non tenentur qui audierunt a parum fide dignis; vide Salm. [1].

Advertit autem Cont. Tourn. [2] peccare graviter 1. qui petunt monitoria levibus de causis. 2. Iudices sic concedentes, vel quando res potest aliter probari, vel si praeviderent populum illa contempturum, item si debitores non sint solvendo, aut si res sit adeo antiquata ut non sit qui revelet, item si delictum fuit factum coram iis qui non tenentur denuntiare.

ART. III. Quae sint papae reservatae extra bullam Coenae.

218. *Excommunicationes reservatae papae contra omnes.*
219. *Excommunicationes reservatae contra clericos et religiosos.*
220. *Specialiter agitur 1. de excommunicatione contra duellantes et cooperantes.*
221. *Agitur 2. De excommunicationibus latis contra violantes clausuram monialium.*
222. *Dub. 1. An ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent praetextu facultatum. Dub. 2. An incurrant omnes introducentes in clausuram.*
223. *Dub. 5. An talis licentia debeat esse in scriptis. Dub. 4. An licentia debeat esse specialis.*
224. *Dub. 5. A quo debeat concedi.*
225. *Dub. 6. Quae causa requiratur ad licentiam concedendam.*
226. *Plura notanda circa ingressum medicorum et aliorum officialium.*
227. *De ingressu confessariorum.*
228. *Dub. 7. An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi.*
229. *De alia excommunicatione reservata in moniales violantes clausuram et in alios cooperantes.*
230. *De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes clausuram religiosorum.*
231. *Quae foeminae excipiantur ab hac prohibitione. Et quae domus veniant nomine conventuum.*
232. *De prohibitione colloquendi cum monialibus iuxta ius commune. Quid circa regulares.*
233. *Dub. 1. An vetetur solus accessus sine collocutione.*
234. *Dub. 2. An loquentes per nutus aut signa incurrant casum reservatum.*
235. *Dub. 3. An peccet graviter semel colloquens cum moniali.*
236. *Dub. 4. An in tali locutione detur parvitas materiae, et an detur in regularibus.*
237. *Dub. 5. An liceat colloqui cum moniali ob utilitatem sine licentia.*
238. *Dub. 6. An cum abbatissa.*
239. *Dub. 7. Qui eximantur ab hac prohibitione. 1. Consanguinei in primo et secundo gradu. 2. Metu coacti. 3. Pauperes et quaestuantes.*
240. *Dub. 8. An impuberes.*
241. *Dub. 9. An regulares incurrant excommunicationem latam ab episcopo.*
242. *Dub. 10. An peregrini.*
243. *An episcopi colloquentes cum monialibus in aliena dioecesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci.*
244. *Dissertatio super censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Mariae. Enuntiantur bullae editae super hac materia.*
245. *Quando incurrant poenas contradictores piae sententiae* (*usque ad n.* 247.).
248. *Quando eius fautores.*
249. *Probatur pia sententia usque ad n.* 262.
263. *An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem praeservationis B. V. Mariae a labe originali.*

218. « Resp. 1. *Contra omnes*, magis obviae sunt sequentes: 1. In incendiarios[3] (Modo sint ab homine excommunicati et denuntiati, ut notat Cabrin.[4]). 2. In habentes litteras apostolicas falsas et non destruentes: item in falsarios litterarum apostolicarum[5]. 3. In effringentes et spoliantes ecclesias [6]. 4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis a papa[7]. 5. In vexantes eos qui censuram in alios tulerunt. [8]. 6. In absolutos ab excommunicatione sub conditione et non implentes [9]. 7. In violantes interdictum papalem [10]. 8. In dantes et recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad religionem [11]. 9. In simoniacos reales circa ordinem vel beneficium [12]. 10. In committentes simoniam confidentialem [13]. 11. In impedientes executionem litterarum sacrae poenitentiariae [14]. 12. In dantes et recipientes aliquid pro gratia aut iustitia apud sedem apostolicam [15]. 13. In committentes duellum et ad id cooperantes, suadendo etc.[16] (*Vide de hac excommunicatione dicenda n.* 220.). 14. In mulieres ingredientes monasteria

(1) Ibid. n. 15. (2) Loc. cit. v. Ergo graviter.
(3) C. Tua nos, de sent exc. (4) De cas. res. p. 129.
(5) C. Durand. eod. tit. et cap. Ad falsariorum, de crim. falsi. (6) C. Conquesti, eod. tit. (7) C. Nuper eod. tit. (8) C. Quicumque, de sent. exc. in 6.
(9) C. Eos qui, ibid. (10) Extrav. Etsi, de poen.
(11) Extrav. comm. 1. de simon.
(12) Extrav. 2. eod. tit.
(13) Bulla Pii IV. 86. et bulla s. Pii V.
(14) Bulla 1. Iul. III. (15) Extrav. 1. de sent. exc. et bulla Bonif. VIII. 1. et Greg. XIII. 4. (16) Trid. c 19. sess. 25. et bulla Clem. VII. 11. Illius vices.

regularium [1] (*Vide n.* 238.) 15. In impugnantes institutum societatis Iesu. 16. In facientes iurare illicita et contraria libertati ecclesiasticae [2]. 17. In rapientes bona ecclesiastica, item in exigentes tributa ab ecclesiasticis. 18. In violantes libertatem ecclesiasticam quoad fugientes ad ecclesiam [3]. 19. In docentes posse fieri confessionem in absentia (*Vide hic infra n.* 36.). 20. In eos qui alterutram opinionem de conceptione b. Virginis damnant peccati mortalis vel haereseos, item in eos qui in concionibus aliisque publicis actionibus, ut lectionibus, conclusionibus, asserunt b. Virginem conceptam in originali [4] (*Viden.* 244.). 21. In percussores clericorum [5]. Quae cum celebris sit, et multa scitu necessaria habeat, agetur de ea peculiariter infra *n.* 264 ».

Item excommunicantur 22. perseverantes per annum in excommunicatione lata a delegato papae [6]. 23. Offendentes cardinales [7]. 24. Exigentes tributa a personis ecclesiasticis [8]. 25. Violantes interdictum modis prohibitis [9]. 26. Exenterantes corpora sanctorum [10]. 27. Mentientes personas in litteris apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur [11]. 28. Simulantes et supponentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a dataria [12]. 29. Mittentes litteras aut nuntium in conclave vel inde recipientes [13]. 30. Occupantes bona ecclesiarum, montium pietatis seu alterius loci pii, vel impedientes ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur [14]. 31. Foeminae et masculi ingredientes septa monasteriorum monialium praetextu licentiarum in casibus non necessariis [15]. 32. Capientes et retinentes christianos habitantes inter turcas, et illorum bona eripientes aut remigare cogentes [16]. 33. Publicantes indulgentias et facultatem dantes eligendi confessores iis qui aliquid solvunt [17]. 34. Accipientes et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessionem, non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem [18]. 35. Diripientes animalia et bona, vel illa ablata ementes ex statu ecclesiastico [19]. 36. Docentes fieri confessionem sacramentalem in assentia per litteras [20]. 37. Extrahentes frumentum, blada, legumina et oleum extra statum ecclesiasticum sine licentia [21]. 38. Docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas [22].

219. « Resp. 2. *Contra clericos et religiosos* sunt hae: 1. In participantes in sacris cum excommunicatis a papa [23]. 2. In procurantes alienationes ecclesiarum. 3. In concionatores qui scripturae sensum a doctorum interpretatione alienum circa tempus antichristi et extremi iudicii aliaque similia revelata praedicant. 4. In parochos non implentes iuramentum de residentia factum. 5. In mendicantes transeuntes ad alium ordinem praeter carthusianum [24]. 6. In moniales exeuntes claustris sine licentia [25]. 7. In religiosos, qui sine privilegio vel speciali licentia parochi, clericis aut laicis sacramentum eucharistiae vel unctionis ministrare, vel matrimonia solemnizare praesumunt [26]. »

Item 8. Inducentes ad iurandum de eligenda, vel electa non immutanda sepultura in eorum ecclesiis [27]. 9. Commissarii seu delegati interponentes decretum per gratiam aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum ecclesiae, aut per alios fieri alienationem

(1) Bulla S. Pii v. 20. (2) Bulla Greg. XIII. 95. (3) Bulla Greg. XIV. 7. (4) Extrav. Grave nimis, de relig. etc. et bulla 97. s. Pii v. (5) C. Si quis suadente, caus. 17. q. 4. (6) C. Quaerenti, de offic. deleg. (7) C. Felici, de poen. (8) C. Clericis, de immun. in 6. (9) Clem. Gravis, de sent. exc. (10) Extrav. 2. de sepult. (11) Bulla Leonis X. 27. (12) Bulla 12. Pauli IV. Inter caeteras. (13) Bulla Pii IV. 65. In eligendis. (14) Conc. Trid. c 11. sess. 22. de ref. (15) Bulla Greg. XIII. 28 Ubi gratia.

(16) Bulla s. Pii v. 149. Licet. (17) Bulla s. Pii v. 99. Quam plenum. (18) Bulla eiusdem pontif. 104. Durum nimis. (19) Bulla Greg. XIII. 98. Non sine. (20) Bulla Clem. VIII. 87. Sanctissimus. (21) Paul. v. Bulla 12. Inter gravissimas. (22) Decret. s. c. et s. officii, quae manavere annis 1665. 1666. et 1690. (23) C. Significavit, de sent. exc. (24) Extr. Viam, de reg. (25) Bulla s. Pii v. 8. (26) Clem. 1. de priv. (27) Clem. Cupientes, §. Sane de poen.

dolose procurantes[1]. 10. Praedicatores non servantes decreta circa eos lata in conc. lateranensi[2]. 11. Absolventes sub praetextu privilegiorum a casibus bullae Coenae vel ordinariis reservatis[3]. 12. Consentientes usurpationibus bonorum ecclesiarum[4]. 13. Euntes ultra mare sine licentia superiorum[5]. 14. Superiores non denuntiantes religiosos qui sunt suspecti de haeresi inquisitoribus vel ordinariis locorum[6]. 15. Minores de observantia subornantes vota in electionibus[7]. 16. Claustrales recipientes minimos sine licentia papae[8]. 17. Tertiarii portantes habitum minorum[9]. 18. Episcopi qui conferunt beneficia contra praescriptum s. Pii v. in eorum manibus resignata[10]. 19. Cardinales ambientes papatum et simoniaci eius causa[11]. 20. Cardinales simoniaci in beneficiis[12]. 21. Iudices, officiales, laici ac praelati ecclesiastici trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale[13]. 22. Domini temporales qui in terris suis suppositis interdictis cogunt celebrare et audire divina officia[14]. 23. Officiales ac domini temporales bannientes, seu facientes et mandantes banniri personas ecclesiasticas[15]. 24. Officiales, iudices et domini temporales percutientes vel bannientes episcopos, vel haec mandantes, aut facta ab alio ratificantes[16]. 25. Principes et domini temporales concedentes locum vel permittentes duellum in terris suis[17]. 26. Episcopi et inquisitores eorumque substituti, qui faciendo vel omittendo contra diffamatos de haeresi, delinquunt in officio[18]. 27. Gubernatores civitatum et locorum status ecclesiastici, recipientes munera praeter comestibilia[19].

(1) Bulla 2. Pauli 2. Cum in omnibus.
(2) Bulla Leonis x. 21. Supernae.
(3) Decr. s. c. episc. et reg. a Clem. VIII. ann. 1601.
(4) Conc. Trid. c. 11. sess. 22. de Ref.
(5) Extr. Ad nostrum, de regul.
(6) Bulla Pauli v. 26. rom. pont.
(7) Bulla s. Pii v. 128. Pastoralis.
(8) Bulla Iulii II. Virtute conspicuus, extra bullar.
(9) Bulla Leonis x. Liceat alias, extra bullar.
(10) Bulla 50. Quanta.
(11) Pauli IV. Bulla 16. Cum secundum.
(12) Bulla s. Pii v. 85. Hodie in concistorio.

Adde 28. violantes clausuram religiosorum aut monialium ad malum finem[20]. Item viri et mulieres ingredientes claustra monialium praetextu facultatum, et superiores ingredi facientes aut permittentes[21]. Item mulieres ingredientes claustra religiosorum praetextu facultatum[22]. Item[23] omnes mulieres intrantes monasteria religiosorum, etiam sine praetextu facultatum; superiores autem ac quicumque religiosi introducere illas praesumentes ipso facto contrahunt privationem officiorum et inhabilitatem ad illa et alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis sine alia declaratione. Item notandum quod Bened. XIV.[24] decrevit quod foeminae ingredientes clausuram religiosorum incurrant ipso facto excommunicationem pariter reservatam, etiamsi praetextu pietatis et religionis ingrediantur.

Adde 29. defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in confessione scripto aut verbo, aut impugnantes decreta contra huiusmodi praxim, aut temere ea detorquentes seu interpretantes in alienum sensum[25].

Hic operae pretium est adiicere plura advertenda, praesertim circa duas excommunicationes supra enuntiatas *n.* 218. *ad* 13. et *n.* 219. *ad* 28. nempe contra duellantes et contra violantes clausuram regularium.

220. Et 1. contra duellantes et ad duellum cooperantes, notandum 1. ex quinque propositionibus damnatis a ss. p. Bened. XIV. in sua constitut. quae incipit, *Detestabilem*, edita die 13. nov. 1752., non esse licitum offerre aut acceptare duellum ne quis privetur officio, etiamsi ex eo aliquis se suosque

(13) Bulla Martini v. 10. Ad reprimendas, ut sup.
(14) Clem. Gravis, de sent. exc. (15) Bulla Urb. VI. 3. Quia sicut. (16) Clem. 1. de poen. 74.
(17) Conc. Trid. sess. 25. de ref. c. 19. Bulla Clem. VIII. 11. Illius vices. (18) Clem. Multorum, §. Verum de haeret. (19) Bulla Pauli II. 3. Munera.
(20) Decretum S. congr. concil. editum iussu Clem. VIII. 22. nov. 1722. (21) Bulla Gregorii XIII. Ubi gratia, 13. iunii 1575. (22) Eadem bulla Greg. XIII.
(23) Bulla s. Pii v. decret. rom., 16. iulii 1570.
(24) In bulla Regularis, sub die 3. ianuar. 1742.
(25) Constit. Ubi primum, Bened. XIV. 2. iun. 1746 Vide in fine operis.

sustentet, vel spem habeat promotionis alias sibi debitae; nec licere acceptare duellum ad vitandam vilipensionem, quamvis certo sciatur quod pugna non secutura sit; *vide alia l.* 3. *num.* 400. *v. Quaer.* Notandum 2. quod ex Trid. [1] excommunicantur non solum duellantes, patrini, suadentes duellum, et sectatores; sed etiam reges, domini in terris suis locum ad duellum concedentes, atque illi privantur dominio territorii; et duellantes ac patrini privantur suis bonis ac sepultura ecclesiastica. S. Pius v. hanc excommunicationem reservavit pontifici, et Greg. XIII. in sua bulla quae incipit, *Ad tollendum*, edita anno 1582., haec omnia extendit ad duella privata, etiam sine patrinis, et ad dominos ea non prohibentes in locis suis, atque ad quoscumque cooperantes. Tandem Clem. VIII. in alia bulla quae incipit, *Illius vices*, emanata an. 1592. pro locis ubi duella a dominis permittuntur interdictum papale imposuit. Vide Salmant. [2] et *vide dicta l.* 3. *n.* 401. Sed hae poenae, praeter excommunicationem, non incurruntur, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis, ut Sanch. Pal. et Salm. [3] Notand. 3. nomine *spectatorum* non intelligi omnes duellum spectantes, sed tantum qui data opera ad duelli locum accedunt et duello assistunt, cum in bulla Greg. dicatur *ex composito spectatores;* unde recte aiunt p. Milante[4] et Salm.[5] ex communi sententia non incurrere excommunicationem qui obiter et casu per locum duelli transeuntes aspiciunt curiositate ducti. Imo dicunt Cont. Tourn. [6] et Salm. [7] etiam ex communi sententia eos tantum spectantes incurrere qui socii sunt duellantium, aut qui sua praesentia ad pugnam videntur illos incitare, non autem qui spectant a longe vel in secreto, vel alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. Item bene addunt Salmant. [8] neque incurrere qui comitantur pugnaturos animo impediendi duellum. Notandum 4. quod licet ex Tridentino, et ex bulla Gregorii non incurrant excommunicationem provocantes et acceptantes duellum, si duellum non sequatur, quia tam in Tridentino quam in dicta bulla solum excommunicantur committentes duellum; tamen in bulla Clementis, §. *Praeterea* (quam in extensum refert Bon. [9]) excommunicantur tam provocantes scripto aut verbo, quam duellum acceptantes, ettiamsi pugna non sequatur, neque accessus nec actus ad pugnam proximus, nec non comitantes, nuntii, suadentes, consulentes, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes vel affigentes, et quomodolibet ad duellum cooperantes, publice vel occulte ineundum. Notandum 5. quod, nisi duellum sit notorium aut deductum ad forum contentiosum, bene possint episcopi absolvere excommunicatos, vi facultatis datae a Trid.[10], ut recte notant Salm. [11] cum Sanch. Bonac. Pal. Barb. et aliis communiter. Regulares vero extra Urbem et intra Italiam non possunt vi privilegiorum ab hac excommunicatione absolvere; secus tamen in Urbe vel extra Italiam, ex decr. s. c. mandante Clem. VIII., prout diximus *n.* 96.

221. 2. Circa autem violantes clausuram monialium aut religiosorum, notandum quod ingredientes monasteria monialium sine licentia in scriptis incurrunt excommunicationem ipso facto ex Trid.[12] ubi: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Huiusmodi ingressus prohibetur etiam praelatis, sive saecularibus sive regularibus, ex motu Gregor. XIII. incipiente, *Dubiis* (ap. Barb.[13])

(1) Sess. 25. de ref. c. 19.
(2) De cens. c. 4. p. 3. n. 42. (3) Ibid. n. 43.
(4) In propos. 2. damnata ab Alex. VII.
(5) Dict n. 45. (6) Tr. de poenit. part. 2 cap. 8. art. 4. sect. 4. n. 335. (7) L. c. (8) Ib.
(9) D. 2. q. 6. p. 1. n. 3. (10) In c. Liceat 6. sess. 24. (11) De cens. c. 4. p. 3. n. 45.
(12) Sess. 25. c. 5. de reg. (13) All. 102. n. 45

edito die 23. dec. ann. 1581. sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae praelatis saecularibus, si praeter casum necessitatis prima vice ingrediuntur, suspensionis a munere pontificali et a divinis pro secunda, et excommunicationis pro tertia: praelati vero regulares incurrunt excommunicationem et privationem omnis officii et ministerii, etiam pro prima vice, ut censet Sanch. [1], quamvis Bon. [2] cum Llamas putat probabile tantum pro tertia vice incurrere poenas excommunicationis et privationis. In casu autem necessitatis, causa visitationis possunt praefati superiores ingredi monasteria monialium; sed tunc (ut dicitur in eadem bulla) debent esse *a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis comitati. Pauci* intelliguntur quatuor vel quinque, ut putat Bonac. et Victor. *Religiosi*, id est probatae vitae. Dicit tamen Tamb. cum Victor. ap. de Alex. [3] quod si episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret poenas; quia poenae tantum afficiunt praelatos ingredientes sine necessitate. Pro superioribus autem regularibus habetur in *Const.* Alexandri VII. apud de Alex. [4], quod si visitet generalis, possit ipse habere secum duos sui ordinis socios, qui sint exemplares et maturae aetatis: si vero alius a generali, unum tantum, et insuper debent assistere quatuor moniales, ex senioribus, quae non separentur a visitatore.

Excommunicationes hae non sunt reservatae; sed adest excommunicatio papae reservata (ut supra innuimus) contra violantes clausuram monialium ad malum finem, ut habetur in decreto s. c. concilii, edito iussu Clementis VIII. an. 1602. Quomodo autem intelligatur illud *ad malum finem*, Mazzot.[5] intelligit finem quomodocumque pravum; sed melius Pellizarius apud ipsum intelligit tantum finem libidinosum, quia finis clausurae est ut castitas custodiatur; et ideo vetatur etiam accessus et collocutio.

Adest alia excommunicatio papae reservata, lata a Greg. XIII. die 13. iunii 1575. in bulla, *Ubi gratia*, contra quascumque personas utriusque sexus, etiam comites, marchiones et duces ingredientes monasteria monialium, vel foeminas ingredientes claustra religiosorum praetextu facultatum ibi revocatarum; et contra omnes superiores monasterii utriusque sexus, qui praeter excommunicationem reservatam incurrunt insuper privationem officiorum et inhabilitatem ad ipsa, si ingredi faciant vel permittant aliquem ingredi praetextu facultatum; et contra abbatissas aliasve superiores, si admissum quoquo modo retinere ausae fuerint, ut declaravit Paulus V. in alia bulla incipiente, *Monialium*, apud de Alexandro[6]. Hic tamen advertendum quod episcopi et praelati regulares, qui ratione sive praetextu officii, sed absque iusta causa, ingrediuntur monasteria, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt: nam licet in hac bulla omnes comprehendantur, tamen in bulla *Dubiis* citata *num. praeced.* emanata post aliam, *Ubi gratia*, ut supra, eximuntur episcopi et superiores regulares, ut bene advertit Fagnan. [7] contra aliquos, cum in dicta bulla, *Dubiis*, fiat diversa dispositio circa poenas in episcopos et regulares, ibique excommunicatio lata in ipsos, si ingrediantur tertia vice sine iusta causa, non sit reservata; probat enim Fagnanus illam fuisse novam constitutionem respectu poenarum, non autem declaratoriam primae bullae. Demum notandum quod ss. p. Bened. XIV. novissime die 3. ian. 1742. duabus bullis (quas invenies in fine huius operis, incipiente una *Salutare*, altera *Regularis*) confirmavit omnes constitutiones antecessorum pontificum tam ante quam post conc. decret. emanatas, et signanter in bulla *Regularis* prohibuit quibuscumque foeminis ingredi clausuram religiosorum

(1) Dec. l. 7. c. 16. n. 102. (2) T. 1. tr. de clausura n. 11. (3) Conf monial. c 7 §. 4. q. 5. (4) L. c. (5) T. 3. p. 510. (6) C. 7. §. 11. q. 3. (7) L. 5. in c. Nuper. de sentent excomm. n. 33

sub praetextu pietatis ac religionis; tantum id concessit nobilibus foeminis de familia fundatorum vel insignium benefactorum, qui de hoc indultum apostolicum obtinuerint ingrediendi solum ut ad ecclesiam recto tramite pergant. Quo revocata manet constitutio s. Pii v. incipiens, *Decet romanum pontificem* (apud Holzman [1]) ubi permittebatur mulieribus ingredi claustra religiosorum causa processionis, audiendae missae vel concionis aut sepulturae aut magni concursus.

222. Sed dubit. 1. An ingredientes monasteria monialium sine licentia incurrant praefatam excommunicationem reservatam, si non intrent praetextu facultatum. Affirmant de Alex. [2] cum Navar. Azor. Graff. etc. quia (ut ait) relata constit. Greg. XIII. *Ubi gratia*, ex stylo curiae intelligitur generaliter emanata in omnes intrantes monasteria, etiam sine tali praetextu. Sed probabilius negant Sanch. [3] Bon. [4] Suar. [5] Fag. [6] Holz. [7] Mazz. [8] et Barb. [9] cum Sayr. Rodriq. Miranda Sa et Zerol., quia expresse in citata bulla *Gregorii* requiritur ingressus praetextu facultatum.

Dubit. 2. An praeter superiores incurrant excommunicationem omnes qui alios introducunt in clausuram. Affirmant Bon.[10] et de Alexand.[11] cum Fill. et Llamas, qui in eadem bulla *Gregorii* dicuntur incurrere *superiores et personae*, *quocumque nomine vocentur*, admittentes extraneos in clausuram; nomen autem *personae* (ut dicunt) genericum est, quascumque personas comprehendit. Attamen negant Sanchez [12] cum Manuel. et Diana apud de Alex. Ratio enim opposita tunc valeret, si in bulla diceretur, *superiores et quaecumque personae*, sed cum dicatur, *superiores et personae*, *quocumque nomine vocentur*, nequeunt utique intelligi omnes religiosi qui diversum nomen quam religiosorum non habent, sed potius intelliguntur superiores qui in diversis ordinibus diversa habent nomina, nempe abbatum, praepositorum, priorum, guardianorum, correctorum; idque clare explicavit s. Pius v. in bulla *Regularium*, apud Bon.[13]. His tamen non obstantibus adest decr. s. c. episcop. et regul. apud Ferrar.[14] ubi dictum fuit respectu ad fratres minores de observantia, quod si ingrediantur mulieres ipsorum clausuram, tam praelati quam subditi eas introducentes incurrant eamdem excommunicationem reservatam, et remaneant ipso facto privati eorum officiis et inhabiles in futurum.

223. Dubit. 3. An licentia ingrediendi monasteria monialium quoad forum conscientiae debeat esse in scriptis. Affirmant Sanchez [15] Palaus [16] et Suarez apud Dianam [17] quia, deficiente scriptura, licentia est nulla, cum deficiat forma in eius concessione a Tridentino praescripta [18] ubi: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda.* Negant vero apud Dianam [19] Homobon. et Bellochius, qui citat pro se Innoc. Abb. et Felin. Ratio, quia scriptura videtur requiri tantum pro foro externo: idque non videtur improbabile, cum non constet an scriptura ibi requiratur pro forma, prout diximus in simili casu *l. 4. n. 123. v. Hic.* Dicit autem Diana [20] cum Rodriq. et Villal. ac Barbosa [21] cum De la Crux, quod etiam iuxta primam sententiam (quamvis adhuc repugnet Sanch.) licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis, quando causa est manifesta, puta in ingressu medici, confessarii, coementarii, et similium operariorum, quorum repentina opera pas sim indigent moniales, prout explicat

(1) T. 1. p. 480. n. 592. (2) C. 7. §. 11. q. 2. (3) Dec. l. 6. c. 16. n. 79. (4) De claus. q. 4. p. 5. n. 4. (5) De censur. d. 22. sess. 6. n. 11. (6) L. c. num. 12. (7) P. 558. n. 51. (8) T. 3. p. 521. n. 3. (9) All. 102. n. 37.

(10) Q. 4. p. 7. n. 3. (11) C. 7. s. 11. q. 4. (12) L. 6. c. 16. n. 83. (13) Q. 5. p. 3. n. 2. (14) T. 2. v. Conventus, art. 3. n. 7. (15) Dec l. 6. c. 16. n. 50 (16) P. 3. d. 4. part. 10. §. 2. n. 6. (17) Par. 3. tr 2. n. 129. (18) Sess. 25. c. 5. (19) l. c. (20) L. c. (21) All. 102. n 37.

Glossa *v. Causa, in cap. Periculoso, de statu regulari in* 6.

Dubit. 4. An huiusmodi licentia debeat esse specialis. Resp. Affirmative, ita ut non sufficiat, si alicui concedatur licentia ad quoscumque casus ad quos superior potest eam praebere, ut expresse habetur in dicto *c. Periculoso*, ibi: *Nisi speciali licentia etc.* Dicit tamen de Alexand.[1] cum Miranda, hoc non obstante, validam esse licentiam generalem, ut omnes medici, baiuli et similes ingrediantur, quia, licet sit generalis quoad personas, est tamen specialis quoad causam ingressus. Sed huic minime acquiesco, quia censeo textum praefatum et concilium exquirere licentiam specialem, non tantum ut superior sciat ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, nimirum an ingressuri sint viri probi, maturae aetatis et similia. Bene tamen poterit praelatus generaliter committere abbatissae vel confessario aut alteri viro prudenti facultatem concedendi licentiam aliis ad ingrediendum ut dicetur in sequenti dubio in fine.

224. Dubit. 5. A quo debeat concedi licentia ingrediendi monasteria monialium. Si monasteria sint episcopo subiecta, certum est ipsi competere ius concedendi licentiam *auctoritate propria; delegata* vero si monasterium immediate subsit summo pontifici, ut in Trid.[2]. Idem probabiliter docent Sanchez[3] et Bon.[4] cum aliis de praelatis habentibus iurisdictionem quasi episcopalem in aliqua dioecesi, et de vicariis generalibus ordinum militarium, quia hi sunt vere ordinarii, aut saltem nomine ordinariorum comprehenduntur, ut probat idem Sanch.[5].

An autem possit hanc licentiam dare vicarius generalis episcopi. Negant de Alexandro[6], nisi de hoc habeat speciale episcopi mandatum, et idem sentit Barb.[7] citans Bon.[8]; sed hoc Bon. non dicit: unde satis probabiliter docet Sanch.[9] cum Navarr. et Llamas, quod in monasteriis subiectis episcopo vicarius generalis bene potest licentiam concedere sine speciali mandato. Idque probatur 1. Motu proprio s. Pii v. incipiente, *Decori*, dum ibi pontifex explicuit, *episcopum aut alium loci ordinarium;* vicarius autem generalis episcopi bene dicitur ordinarius, et nomine ordinarii iam comprehenditur in omnibus decretis, ut probat idem Sanchez[10]. Probatur 2. ratione, quia episcopus in monasteriis ei subiectis procedit auctoritate ordinaria, vicarius autem generalis (ut probant Fagnan.[11] cum Imola etc. et idem Sanch.[12]) potest omnia quae potest episcopus de iurisdictione ordinaria, quia cum episcopo unum facit tribunal. Secus vero dicendum de iis quae potest episcopus de iurisdictione delegata, unde recte subdit Sanch.[13] in monasteriis sedi apostolicae subiectis vicarium generalem non posse dare licentiam sine speciali mandato episcopi.

Vicarius autem capituli sede vacante potest utique concedere licentiam in monasteriis episcopo subiectis, quia succedit in omnia quae competunt episcopis de iure ordinario. Sed difficultas est an possit etiam in iis quae subduntur sedi apostolicae. Affirmant de Alex.[14] cum Mol. Pal. Barbosa et Tamburin., quia talis iurisdictio ex delegatione sedis apostolicae in perpetuum committitur muneri episcopali; unde cum ipsa competat episcopo de officio, bene transit in capitulum sive eius vicarium. Hanc rationem non approbat Sanchez[15]. Attamen id alia ratione etiam concedit, quia (ut ait) concilii mens est ut capitulum bene possit dare licentiam ne monasteria remaneant absque praelato ad quem pro licentia recurrant.

Maior difficultas est, a quo sit concedenda licentia, si monasterium regularibus subsit. De Alexand.[16] pro-

(1) C. 5. §. 2. q. 5. (2) Sess. 25. c. 5.
(3) Dec. l. 6. c. 15. n. 30. (4) De claus. q. 4. p. 2. n. 2. (5) De matr. l. 3. d. 26. n. 33.
(6) C. 7. §. 2. qu. 2. (7) All. 102. n. 38.
(8) Loc. supr. cit. (9) Dec. d. n. 30.
(10) Eadem d. 29. de matrim. n. 10. et 33
(11) L. 1. in c. Quoniam in offic. deleg. n. 15.
(12) D. d. 29. n. 16. (13) Dec. eod. n. 30.
(14) Cap. 6. §. 2. q. 2. (15) D. n. 30.
(16) Cap. 7. § 2. qu. 1.

pugnat licentiam esse impertiendam tam a praelato regulari, quam ab episcopo, afferens de hoc decr. s. c. concilii editum 13. nov. 1610. Sed probabilius docent Fagnan. [1] Bonac. [2] cum Rodriq. Graff. et Miranda, Croix[3] cum Pal. et Piasec. ac Barb. [4] (afferens oppositum decr. eiusdem s. c. conc. ab ipso visum, editum eodem anno quo ipse scribebat, nempe circiter annum 1628.) ac Sanch.[5] cum Azor. Manuel. Llamas et Nav., qui (ut refert Sanchez) testatur etiam declaratum fuisse a s. Pio v., nempe quod licentia concedi potest et debet a solo praelato regulari, scilicet a generali aut provinciali (vel etiam ab immediato superiore monasterii, ut sentiunt Sanch. [6] et Bon. [7] cum aliis ab eo citatis, contra de Alex. [8] et Suar. ab eo citatum). Ratio quia Trident. prohibet ingressum, *sine episcopi vel superioris licentia;* ergo, loquendo disiunctive, declarat licentiam posse respective concedi vel ab episcopo vel a praelato regulari, prout cui monasterium subest. Bene tamen advertit de Alex. [9] ex decreto s. c. 21. maii 1630. approbato ab Urbano VIII. licentiam concedendam a solo episcopo, etiam quoad monasteria exempta, ubi talis viget consuetudo.

Abbatissa autem nequit de iure ordinario hanc licentiam dare, ut dicunt de Alex.[10] et Sanch.[11] cum Nav. Azor. Man. etc., contra aliquos ibi citatos [12]. Bene vero episcopus potest delegare abbatissam vel confessarium aut alium prudentem virum ad hanc licentiam concedendam, ut addunt Bon.[13] de Alex.[14] Sanch.[15] cum Nav. Man. et Graff. ac Barbosa [16] contra Suarez.

225. Dubit. 6. Quae causa requiratur ad hanc licentiam concedendam. Resp. Ad licentiam impertiendam non sufficit quidem quaelibet causa, sed requiritur necessitas, ut praescribit Trid.[17] illis verbis: *Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Necessitas autem haec debet esse ex parte ipsius monasterii, quia ad ipsius monasterii solam utilitatem permittitur ingressus, non enim sufficit si sit tantum ex parte extraneorum, nisi ius naturale aut divinum aliud suadeat, ut ex communi dicunt Bon.[18] et de Alex.[19] ex declar. s. c. die 9. sept. 1611. Unde ait Diana[20] ex alio decr. s. c. non effugere excommunicationem uxores, quae adhuc cum licentia ordinarii intrarent monasterium causa adulterii vel dissensionis cum viris, cum s. c. raro hanc licentiam concedat. Et sic pariter nec valet licentia ad collocandum in monasterio aliquam foeminam ne redeat ad vomitum, ut de Alex.[21] ex alio decr. s. c. 18. aug. 1588. Neque ad docendam monialibus artem, nisi quando in monasterio nulla adesset alia perita, praefatus de Alex. ex alio decr. s. c. 11. mart. 1586. Notant tamen Pignatel.[22] et ipse de Alex.[23] ex s. congr. bene posse ordinarium dare licentiam intrandi puellae, de qua controvertitur, ut in monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur.

Talis vero necessitas ex parte monasterii, non stricte, sed late sumitur: intelligitur enim necessitas moralis, nempe cum intervenit quaevis causa rationabilis, sive probabiliter iusta, ita Sanch.[24] Bon.[25] de Alex.[26] cum Delb. et Barb. [27] cum Miranda Portel. et Campanile. Dicitur *causa probabiliter iusta*, nam dubie iusta non sufficit, ut recte advertunt [28] Sanch. et Barb. qui insuper (contra Bon.) censet minorem causam requiri pro ingressu foeminae in monasterium monialium, quam viri, et pro ingressu diurno, quam nocturno, et pro ingressu consanguineae, quam extraneae, et pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora. In necessitatibus autem urgentibus

(1) L. 5. in c. Nuper, de sent. exc. n. 17.
(2) Q. 4. p. 2. n. 3. (3) L. 4. n. 76.
(4) All. 102. n. 41. (5) Dec. l. 6. c. 16. n. 13.
(6) N. 15. (7) L. c. (8) L. c. qu. 2. (9) D. q. 2.
(10) C. 7. §. 2. q. 2. (11) N. 22. (12) N. 21.
(13) P. 2. n. 5. (14) L. c. (15) N. 23.
(16) L. c. num. 53. (17) Cap. 5. sess. 25.
(18) Qu. 4. p. 4. n. 8. (19) C. 7. §. 3. q. 2.
(20) P. 3. t. 3. r. 30. (21) L. c.
(22 T. 7. con. 47. n. 42. (23) Ibid.
(24 Dec. l. 6. c. 16. n. 4. (25) Q. 4. p. 4. n. 2.
(26) C. 7. §. 3. q. 1. (27) All. 102. n. 48. (28) Ib.

quae moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiae et similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat, ut recte docent Sanch. [1] et de Alex.[2] cum Nav. Graff. et communi. Hinc potest quivis sacerdos in casu repentinae mortis ingredi ad ministrandum moniali sacramentum poenitentiae aut eucharistiae et etiam extremae unctionis, ut probabiliter ait de Alex. Et tunc ne abbatissae quidem licentia requiratur, ut etiam probabiliter censet idem de Alexand. [3] cum Nav. Graff. et aliis pluribus (contra Sanch. [4]), quia tunc licentia rationabiliter praesumitur concedi immediate a papa. Excipe nisi abbatissa habeat generalem facultatem a praelato praebendi licentiam.

226. Hic autem notandum quod medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ut ex decr. sacr. congr. edito die 27. mart. 1588. (vide de Alex. [5]), necnon debet associari a duabus monialibus senioribus, et intrare solus, nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus autem non potest ingredi sub initio quadragesimae ad cognoscendum quae moniales sint dispensandae, quia hoc bene potest praestari ad crates, de Alexand. [6]. Posset tamen ingredi ad invisendam monialem decumbentem in lecto, et dubitantem an febri laboret, licet posset ipsa sine gravi damno accedere ad ianuam, si illuc renueret ire ob erubescentiam. Ita Bonacina [7] et de Alexand. [8]. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium, de Alex.[9] cum Barchio. Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum (si opus sit) quomodo medicamentum sit parandum, Sanch.[10] et de Alex.[11]. Factores, notarii, et similes etiam ingredi possunt, si necessitas urgeat, puta ad iudicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum testamentum puellae, de Alex. [12]. Sic etiam ingredi possunt ex licentia fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores, et similes, qui artem suam non possint extra commode exercere, item baiuli ad ferenda quae a monialibus ferri non possunt. Si autem licentia nominatim sit data pro uno baiulo, isto deficiente, non potest alius substitui nisi licentia esset indeterminata, v. gr. *ut baiulus ingredi possit*, ita Alex.[13] Sanch.[14]. Admittit etiam Sanch. sartores, si extra non possent commode aptare vestes, et consentit Cassian., si adsit usus, sed merito id negant Bon.[15] et Pal.[16]. An autem, concessa licentia pro magistro artis cum discipulo, possit ingredi vel immorari discipulus sine magistro. Negant Barch. apud de Alex.[17], nisi ex aliquo impedimento magister non potuerit ingredi aut immorari. Affirmant vero alii et de Alex. putat probabile, quia dictio *cum* aequivalet dictioni *et*. An autem possint admitti in clausuram infantes nondum doli capaces. Affirmat Barb. cum Nav. Azor. Bonac. commun. etc., quia prohibitio principaliter afficit ingredientes; cum ergo infantes non ligentur praecepto ob carentiam usus rationis, nec etiam moniales. Attamen s. c. saepius declaravit oppositum; vide de Alex.[18]. Et tanto magis hoc dicendum de amentibus, ex quibus insuper potest facile timeri periculum scandali.

227. Confessarius vero ingredi potest ad administranda sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis moniali aegrotanti quae ad confessionale non potest accedere. Et non solum in periculo mortis, sed quoties ex praescripto regulae dispensatur communio, item quoties illa monialis communicare consueverit; ita commu-

(1) N. 54. (2) C. 7. §. 2. q. 6. (3) Q. 7. (4) N. 56. (5) C. 7. §. 5. qu. 1. (6) Ib. qu. 2. (7) Qu. 4. p. 4. n. 5. (8) D. q. 2. (9) Qu. 5. (10) L. 6. c. 16. n. 59. (11) Qu. 4. (12) Qu. 5. (13) Qu. 7. (14) C. 16. (15) Q. 4. p. 4. n. 11. (16) D. 4. p. 10. §. 5. n. 11. (17) §. 5. q. 8. (18) Qu. 11. l. c.

niter Bon. [1] Barb. [2] et de Alex. [3] cum Sanch. Rodr. et communi, ex declar. s. c.; debet autem confessarius ingredi indutus superpelliceo et stola, atque sic ibi morari, debetque egredi quin ad aliam monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quae tamen non indigeat sacramentis, de Alexand. [4] et Barb. [5]. Confessarius saecularis intrare debet sine socio, ut s. c. declaravit, regularis vero debet habere socium probatae vitae et maturae aetatis, ex bulla Alexandri VII. Dum autem confessarius confessionem audit debent assistere comitatrices ad ianuam, ita ut eum videre possint, vide de Alex. [6]. Potest etiam confessarius ingredi et pernoctare in monasterio, si monialis laboret in extremis, de Alex. [7] ex declar. s. congr. Potest etiam ingredi confessarius ad benedicendum monasterium a spiritibus infestatum, de Alex.[8] cum Nav. Nald. ex declar. s. congr. An autem ad exorcizandam obsessam: s. c. die 10. nov. 1582. annuit posse, si sacerdos sit probatae vitae, sed postea 1. iulii 1606. id prohibuit, et dixit potius impetrandam esse a s. c. licentiam, ut monialis illa exorcizetur in ecclesia exteriori monasterii, vide de Alex. [9]. Potest etiam confessarius post sacramentum collatum dare reliquiam ad osculandum, benedicere cellam etc. et etiam tunc de aliquo negotio temporali loqui, ita de Alex.[10]. Probabiliter dicunt plures, de Alex.[11] ex Glossa in *c. Decr. verb. Debet de reg. iur. in* 6. quod si confessarius extraordinarius ingrediens cum licentia data pro una vice, non possit confessionem excipere vel perficere propter morbum, poterit postea iterum ingredi sine alia licentia. Et idem dicunt si monialis confessa statim advocet confessarium egressum ad dicendum peccatum oblitum, cum illud spectet ad idem iudicium. Praeterea sentit de Alex. quod confessarius, postquam confessionem moniallis infirmae audierit, bene potest aliquod novum aedificium monasterii benedicere, et etiam deferre cuidam aliae infirmae quamdam insignem reliquiam; sic etiam, ait, posse ob aliquam iustam causam immorari in monasterio ad breve tempus ad intuendas officinas et ad tractandum aliquod temporale negotium.

228. Dubit. 7. An qui est ingressus monasterium cum licentia incurrat excommunicationem aut graviter peccet, si finito negotio statim non egrediatur. Resp. 1. Non incurrit censuram, licet ipse multum immoretur, quia clausura tum solum violatur, cum sine licentia usurpatur ingressus, ita Sanchez [12] Bon.[13] et Bordon. Zerola apud de Alexand.[14]. Et hoc ait Sanchez [15] (contra Rodr.) procedere etiamsi quis immoretur ad malum finem, quia hic iam est cum licentia ingressus, ut concilium permittit. Sed Bonac. [16] censet quod esto hic non incurrat excommunicationem Tridentini, incurrat tamen excommunicationem papae reservatam in decret. s. c. edito iussu Clem. VIII. die 22. nov. 1622. ubi excommunicantur omnes *violantes clausuram ad malum finem;* hunc enim, ait, iam violare clausuram immorando cum prava intentione; sed huic responderi potest quod, cum agatur de poenis, violatio illa stricte intelligenda est, prout intelligit concilium, nempe de ingressu et egressu sine licentia.

Resp. 2. E contrario non excusatur a peccato mortali, si mora sit longa, quia delinquit adversus obligationem clausurae; secus si mora sit brevis, cum in hoc praecepto non immorandi bene admittatur parvitas materiae, ita communiter Sanch. et Bon.[17] ac Barb.[18] cum Miranda et Rodr. Imo Sanch.[19] ac Mol. Rodr. et Miranda apud Bonac. dicunt eum qui parum immoratur excusari etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratae conscientiae, tum quia, cum

(1) Q. 4. p. 4. n. 4. (2) All. 12. n. 49.
(3) Cap. 7. §. 6. q. 2. (4) Q. 2. (5) D. n. 49.
(6) Ibid. (7) §. 6. q. 3. (8) Qu. 9. (9) Ib. q. 5.
(10) C. 7. §. 6. q. 9. (11) Qu. 10
(12) Dec. l. 6. c. 16. n. 60. (13) Q. 4. p. 5. n. 22.
(14) C. 7. §. 3. q. 4. (15) L. c.
(16) L. c. (17) Locc. cc.
(18) All. 102. n. 56. (19) Ibid.

hoc praeceptum sit morale, morali modo accipiendum est. In hoc autem brevem moram censet Diana [1] cum Villal. esse quadrantem.

Dubit. 8. an incurrat excommunicationem qui ingreditur cum licentia et ex causa iusta, sed simul cum intentione prava. Sentit Bon. [2] esse probabile quod hic incurrat, quia non praesumitur superior in eo casu licentiam concessisse. Sed oppositum tenet de Alex. [3], et merito id probabile censet ipse Bon. cum Rodriq. et Zerola, quibus adhaeret quoque Sanchez [4], quia censura fulminatur tantum in ingredientes sine licentia, non autem in eos qui cum licentia intrant, etsi cum malo fine: poenae enim stricte sunt intelligendae, et prava intentio non tollit primam ingrediendi causam, propter quam data est licentia.

229. Moniales autem clausuram violantes, nec non alii concedentes illis violare, sive eas comitantes aut receptantes, pariter excommunicationem papalem incurrunt, constit. s. Pii v. quae incipit *Decori*, edita 1. febr. 1569. apud Sanch.[5], ubi contra excusatur egressio, si adsit iusta causa, nempe (ut ibi dicitur) *magni incendii vel infirmitatis*, *leprae aut epidemiae*. Nomine autem *epidemiae* declaravit s. congr. ap. de Alexand. [6] intelligi tantum veram et realem pestem. Sed dicunt Bonac. [7] Holzm. [8] et Sanch. [9] cum Nav. Manuel. et Cenedo venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum qui alios inficere soleat, prout est morbus s. Lazari, ignis sacri et similium, casu quo monialis infirma non possit curari in monasterio sine periculo infectionis aliarum. Idque inferunt ex *c. Periculoso*, *de statu reg. in* 6. ubi prohibetur egressus moniali, *nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret*, *ut non possit cum aliis sine gravi periculo seu scandalo commorari*. E converso recte aiunt Bon.[10] cum Rodriq. Zerola Gutt. et Cord. ac Barb.[11] cum Miranda Sorbo et Cenedo (contra Nav. Azor. Suar. et Graff.) non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in const. s. Pii, tum quia alias magnum sequeretur damnum clausurae, cum tales morbi in monasteriis sint frequentes. Docent autem Sanchez[12] et Bon. [13] monialem, finita curatione aut cessante causa egressus, statim teneri reingredi; illud tamen *statim* recte dicunt intelligi moraliter, unde excusant monialem a mortali, si moretur extra per unum vel duos dies. Item ait Sanchez[14] illam non incurrere excommunicationem, si extra commoretur, quia ipsa iam egressa est cum licentia. Quamvis autem in *cap. Periculoso* fiat mentio de sola causa incendii etc., ut supra, bene tamen aiunt Sanch.[15] Bon.[16] ac de Alex.[17] cum Nav. et Barb. sufficere ad egrediendum causas similes, ut bellum imminens, inundatio fluminis aut aedificii ruina. Quando vero patet aditus et tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex praefata bulla s. Pii v. ad egrediendum licentia in scriptis ab episcopo, et etiam a praelato regulari, si monasterium sit exemptum, cum ibi dicatur: *Sitque causa haec cognita*, *probata*, *atque in scriptis expressa per superiores*, *et simul per ordinarium*.

An autem incurrat excommunicationem monialis egrediens extra monasterium ad unum tantum pedem. Negant Graff. Nald. Meroll. et adhaeret Croix [18] si statim redeat. Sed probabilius affirmant Bon.[19] et Sanch.[20]. Valde tamen rationabiliter excusanda est cum Sanch. monialis quae non egreditur toto corpore extra clausuram, ut dicunt Sanch. et Bon. [21].

(1) P. 5. tract. 2. r. 51. (2) D. 4. p. 5. n. 13. (3) C. 7. §. 3. qu. 5. (4) L. 6. c. 16. n. 68. et c. 17. n. 23. (5) Dec. l. 6. c. 11. n. 55. (6) C. 7. §. 9. q. 2. (7) Qu. 1. p. 9. n. 2. (8) T. 1. p. 430. n. 592. (9) L. c. n. 55. (10) L. c. num. 13. (11) All. 102. n. 20.

(12) C. 15. n. 60. et 61. (13) N. 21. (14) C. 16. n. 69. (15) C. 15. n. 57. et 44 (16) N. 6. et 7. (17) C. 7. §. 9. q. 2. (18) L. 4. n. 85. et l. 1. n. 673. (19) Qu. 1. p. 8. n. 6. (20) L. 6. c. 16. n. 70 (21) Locc. cc.

Notandum hic ex decr. Clem. VIII. (apud Pell. [1]) unamquamque monialem debere solam dormire, ideoque tot cellas in unoquoque monasterio faciendas esse, quot ibi degunt moniales. Idem declaravit s. c. episcop. et regul. apud Ferrar. [2]. Sic etiam s. c. episcop. et regular. apud eumdem Ferrar. [3] pluries statuit, puellas commorantes in monasteriis monialium, causa educationis, debere habere locum separatum a monialibus pro earum dormitione, sicut et pro operibus.

230. Haec quoad clausuram monialium. Adest autem alia excommunicatio papae reservata contra mulieres violantes clausuram religiosorum lata a s. Pio v. in bulla *Regularium*, anno 1566. et in alia Greg. XIII. *Ubi gratia*, edita 13. iun. 1575. quas referunt Bonac. [4] Salm. [5] et Spor. [6]. Hancque excommunicationem incurrunt non tantum foeminae quae praetextu facultatum praetendunt ingredi in monasteria virorum vel mulierum, ut declaravit Greg. XIII., sed etiam illae quae sine tali praetextu conventus virorum ingrediuntur, ut per aliam bullam edit. die 16. iul. 1570. quae incipit *Romanum pontificem*, idem s. Pius v. declaravit dicens: *Declaramus fuisse et esse mentem nostram, quod dictae litterae non solum comprehendant mulieres habere praetendentes indultum ingrediendi monasteria, sed etiam quascumque alias, tam in genere quam in specie etc.* Et ita communissime et recte tenent Pal. [7] Suar. [8] Bon. [9] Nav. [10] et Salm. [11] cum Lez. Pell. Garc. etc. (contra Laym. Delb. etc.). Idemque docet Sanch. [12] qui cum Suar. dicit, quod auctores ideo contrarium tutati sunt, quia non legerunt praefatam declarat. s. Pii v. Nec obstat id quod obiiciunt Laym. [13] et Delbene apud Salmant. [14], nempe quod cum Greg. XIII. innovaverit solam priorem constit. s. Pii v. *Regularium*, faciendo tantum mentionem de foeminis praetextu facultatum ingredientibus, videtur secunda const. s. Pii *Romanum pontificem* vel non fuisse promulgata vel non recepta. Nam respondetur, ex eo quod praefata secunda constitutio fuit posita in bullario s. Pii et ex praxi atque stylo s. poenitentiariae satis ostendi, quod praefata secunda constitutio iam fuit promulgata et usu recepta. Et hic insuper notandum quod ex bulla Gregorii *Regulares*, praesertim superiores, praeter poenas suspensionis a divinis, et privationis officiorum, ac inhabilitatis ad alia, latas in bulla s. Pii, incurrunt etiam excommunicationem, si ingredi faciunt vel permittunt mulieres praetextu facultatum in eorum monasteria. An autem regulares admittentes foeminas ingredientes sine praetextu incurrant excommunicationem. Negat Fill. [15] ac Bonac. [16] putat probabile, quia s. Pius iam declaravit mentem suam, quod in prima bulla comprehendebantur mulieres intrantes etiam sine praetextu, sed Gregorius hoc non declaravit.

231. Excipiuntur tamen ab hac prohibitione 1. Reginae, electrices, et similes, earumque filiae, ut docent Suarez [17] Sanch. [18] Bon. [19]. 2. Fundatrices quae fundum concesserunt, vel situm monasterii, vel propriis sumptibus illud aedificare fecerunt, aut reditibus dotaverunt, quibus insuper permittitur decens comitatus aliarum, Spor. [20] et Elb. [21]. Hoc tamen declaravit p. Bened. XIV. in bulla *Regularis* (quam reperies in fine operis) intelligi, dummodo habeant privilegium a sede apostolica in forma brevis, illudque exhibeant locorum ordinariis vel praesulibus monasterii. 3. Foeminae necessariae ad curationem alicuius religiosi (intelligendum cum licentia superioris), vel quae fugerent ad evitandam necem, Sporer et Elb. [22]. Nomine autem *conventus* dicunt

(1) C. 7. q. 7. n. 22. (2) Bibl. t. 5. v. Moniales, a. 2. n. 7. (3) L. c. art. 1. n. 5. (4) De claus. q. 5. p. 3. n. 1. (5) Tr. 13. c. 5. p. 8. §. 1. n. 176. (6) T. 5. p. 100. n. 159. (7) Tr. 16. d. 4. p. 8. n. 1. (8) De rel. tr. 3. l. 1. c. 7. n. 9. (9) L. c. (10) C. 27. n. 165. (11) L. c.

(12) Dec. l. 6. c. 16. n. 79. (13) Ibid. (14) N. 175. (15) Tr. 15. c. 5. q. 7. n. 119. (16) P. 3. n. 2. (17) De censur d. 22. sect. 6. n. 12 (18) L. 6. c. 17. n. 9. (19) Q. 4. p. 2. n. 5. (20) L. c. (21) N. 650. (22) Loc. cit.

Pal. [1] et Elbel [2] cum Sanch. Laym. et aliis non venire domos privatas seu residentias ubi unus vel alter religiosus habitare consuevit, quia hae nequeunt dici conventus. Nec venire domos, addit Elbel, ubi religiosi degunt causa aedificandi monasterium, nisi ibi sufficientia sint habitacula, ita ut communitas regulariter iam vivere possit. Caeterum ait idem Elb. [3] quoad modum servandi clausuram attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate superiorum approbatas, non autem eas quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt. Dicunt autem Barb. Bon. etc. sacristiam regularium esse clausuram, sed p. Ferraris [4] asserit praxim fere ubique esse contrariam.

232. Hic autem refert plura adnotare circa prohibitionem indictam in iure, et in casu reservato in dioecesi neapolitana, viris colloquendi cum monialibus. Pro hac sciendum in concilio lateranensi anno 1179., ut habetur in *c. Monasteria*, *de vita et honestate cleric.*, latam fuisse excommunicationem ferendae sententiae ab episcopo contra laicos, et suspensionem in clericos frequentantes monasteria monialium, his verbis: *Monasteria monialium, si quisque clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare praesumpserit, per episcopum arceatur; et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis, si laici excommunicationi subdantur*. Per quot autem vices haec frequentia constituatur, Glossa in *cit. c. Monasteria* censet constitui per duas vices, scilicet in uno die vel duobus continuis, ut dicit Gratianus. Verum communius Nav. et Manuel. putant constitui per tres vices in tribus diebus continuis, ut etiam Sanch. [5] et Bonac.[6], vel per unam vicem singulis mensibus, ut iidem Sanch. et Bon., aut quater in eadem hebdomada, ut ait Bon., qui contra addit cum Navar. et Manuel. apud Sanch. non constitui frequentiam, si sit quater in anno sive semel in trimestri. In hoc tamen ultimo casu dicit Barb. [7] posse episcopum excommunicare accedentes, si velit.

Circa autem regulares ipsis iam prius specialiter interdictus fuerat accessus ad colloquendum cum monialibus in VIII. synodo anno 787., ut habetur in *c. Definimus* 21. *caus.* 28. *q.* 2. ubi: *Adulterium intercipi, si habeat aditum monachus ad monacham secreto singulariter ad collocutionem*. Praeterea in decreto s. c. edito iussu Sixti v. anno 1590. regularibus colloquentibus cum quibuscumque monialibus, sive sui vel alterius ordinis, vel cum qualibet muliere in monasterio degente, imposita est poena privationis officii, vocis activae et passivae, ipso facto incurrenda. Confessariis autem regularibus fuit interdictum in aedibus monialium monasterio contiguis pernoctare aut facere ut alii pernoctent, vel alias secum retinere, item ne in iis cibum sumant extra tempus confessionum generalium. Et haec lex verius obligat sub mortali, ut docent Bonac.[8] cum Sayro Homob. et Barchio ac Ciera [9] cum Potesta Verricel. Donato Llamas et Manuel. (contra Nav. et Pal.), ex decreto s. c. conc. edito 1. iulii 1626., ubi declaratum fuit regulares accedentes ad monasteria monialium contra formam praefati decreti editi mandato Sixti v. *ultra poenas incurrere etiam poenam peccati mortalis*. Item hic notandum quod in praefato decr. Sixti v. dictum fuit regulares tantum a s. c. impetrare posse licentiam ad colloquendum cum monialibus; sed eadem s. c. conc. in alio decreto (in extensum relato a Bonac.[10] et a Ciera [11]) de mandato Urbani VIII. 20. novemb. 1623. concessit *locorum ordinariis, ut, quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuique regulari, ut moniales sibi in primo et secundo tantum consanguinitatis gradu*

(1) Tr. 16. d. 4. p. 4. n. 6. (2) P. 642. (3) N. 671. (4) Bibl. verb. Convent. n. 14. (5) Dec. l. 6. c. 16. n. 22. (6) De claus. t. 1. q. 3. p. 2. n. 4. (7) All. 102. n. 70. (8) Q. 3. p. 4. n. 4. (9) D. 6. n. 26. v. Verum. (10) Q. 3. p. 4. n. 4. (11) D. 6. n. 26.

coniunctas convenire et alloqui possit. Id vero ut nullo modo liceat diebus festivis, aut adventu, quadragesima, feria sexta, sabbato et vigiliis; praedictaque licentia obtenta ab ordinario, et ab alio ad quem spectat eam concedere, assignetur confessario ordinario monasterii, qui penes se retinere debeat, isque associet et praesens sit, et auscultatrices de more, non aliae, assistant, praedictaque licentia pro die et hora certa, et in scriptis concedatur, in librisque cancellariae eiusdem ordinarii adnotetur. Quod si ordinarii aliter quam servata forma supradicta licentiam concesserint vel permiserint, sciant se intentionis ss. d. n. transgressores; regulares autem poenis in supradicto decreto (scilicet Sixti v.) *contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, se noverint addictos etc.*

Sed postquam haec scripserim, inveni quod, cum apud s. c. conc. factum fuisset quaesitum an regulares accedendo ad colloquendum cum monialibus sine licentia episcopi peccent mortaliter, etiamsi accedant ex rationabili causa. S. c. die 26. nov. 1682., ut habetur apud Monacell.[1], respondit non licere sine licentia episcopi. Et idem habetur in bulla *Gravissimo,* edita die 31. octob. 1749. a Bened. XIV., in qua refertur vetitum fuisse regularibus a s. c. accedere sine licentia episcopi ad monasteria monialium, nec etiam ipsis subiecta. His autem positis videtur hodie regulares (quidquid alia decreta prius statuerint, quae in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum monialibus ex licentia episcopi.

Haec praescripta sunt de iure communi; in omnibus autem fere dioecesibus, et signanter in neapolitana, adest casus reservatus cum excommunicatione *in loquentes sine archiepiscopi vel vicarii monialium licentia cum monialibus in monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua aut aliquibus earum, etiamsi sit conversa aut novitia, sive educationis sive alterius rei causa ibidem commoretur, coniunctis in primo vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua praedictarum non possit data opera et ex professo cum aliis loqui. Insuper* (excommunicantur) *ii praesertim qui cum aliqua ex praedictis aut coram ipsis, tam in monasteriis quam conservatoriis, seu collegiis commorantibus, de rebus obscoenis per verba aut actus impudicos praesentes egerint, absentes vero per litteras aut internuntios. Necnon viri aut mulieres, sive intra sive extra monasterii vel conservatorii aut collegii septa, qui praedictas litteras vel mandata detulerint.*

233. Dubit. 1. An in tali prohibitione vetetur solus accessus sine collocutione. Affirmant Sanch.[2] et Bon.[3] cum Nav. et Rodr. Hinc dicunt prohiberi accessum ad monasterium, etiam ad inspiciendas moniales. Sed probabilius de Alex.[4] ex Ianuario et Iordan. dicit vetari accessum formalem, scilicet cum effectu; unde accessus prohibitus duo importat copulative, nempe accedere ad locum et colloqui; sic enim clare colligitur ex *cit. c. Definimus*, in quo simultanee prohibetur *aditus ad collocutionem;* et ex decr. mox supra relatis editis de mandato Sixti v. et Urbani VIII., ubi semper fit mentio copulative de accessu et colloquio.

Hinc probabiliter dicunt Diana[5] de Alex.[6] cum Lez. Tamb. et Ianuar. et consentit idem Bonac.[7] cum Graff. et Homob. (contra Meroll. et Pasqual.) per se loquendo non esse vetitum colloqui cum monialibus e domo propinqua, quia deficit accessus; sicut nec etiam scribere, ut Bon.[8] Mazz.[9] et de Alex.[10] cum Barb. Riccio Tamb. Ianuar. et aliis. Sic etiam non prohibetur colloqui per nuntium transmissum, Bon.[11] cum Graff. et Homob. ac Mazz.[12] cum Quarti Ianuar. et Diana. Dixi *per se loquendo,*

(1) T. 1. append. p. 456. (2) Dec. l. 6. c. 16. n. 112. (3) De claus. d. 3. p. 1. n. 3.
(4) C. 7. §. 10. q. 1. (5) P. 3. tr. 2. r. 43.
(6) L. c. (7) L. c. n. 2. (8) D. 3. p. 2. n. 5
(9) T. 3. p. 554. (10) Ibid.
(11) P. 1. n. 9 (12) Loc. cit.

nam iuxta casum reservatum Neapoli, ut bene notant Ciera [1] et idem Mazz.[2], incurrunt excommunicationem etiam qui colloquuntur e domibus propinquis, et etiam qui loquuntur cum moniali nihil respondente; ibi enim excommunicantur non solum colloquentes, sed simpliciter *loquentes;* item omnes *absentes*, qui cum moniali vel alia degente in monasterio vel conservatorio *de rebus obscoenis egerint per litteras aut internuntios.*

234. Dubit. 2. An loquentes per nutus aut signa non obscoena incurrant casum reservatum. Affirmant Mazz. [3] cum Quarti Ianuar. Graff. et Baucio, quia conceptus bene alteri manifestantur tam verbis quam signis. Sed merito probabile putat oppositum ipse Mazzotta cum Pelliz. Tambur. et Diana; nam locutio per signa non est proprie locutio: prohibitiones autem tamquam odiosae stricte sunt intelligendae.

235. Dubit. 3. An sit peccatum mortale semel colloqui cum moniali. Loquendo de iure communi, Sanch.[4] cum Nav. censet quod etiam frequenter et sine iusta causa cum monialibus colloquentes non peccant mortaliter, nisi ipsi post monitionem episcopi non desistant. At dicunt Bon. [5] et de Alex. [6] cum Miranda Rodr. et aliis, ex decreto s. c. 1. iul. 1606. quod huiusmodi monasteria frequentantes, licet non incurrant poenas nisi post monitionem episcopi, tamen non excusantur a mortali, quia in decreto s. c. conc. (edito ut supra iussu Sixti v.) imponitur poena valde gravis, quae non solet imponi nisi pro gravi culpa. Sed huic responderi potest id ibi dispositum esse tantum circa regulares. Loquendo vero de casu reservato in nostra dioecesi, nulli dubium quin peccet mortaliter qui adhuc semel per tempus notabile loquitur cum moniali, ut bene aiunt Mazz.[7] et Ciera [8] cum Ianuar. et Quarti: ibi enim non frequentatio, sed sola locutio vetita est.

(1) D. 6. n. 26. (2) P. 523. v. Not. 1.
(3) T. 3. p. 551. (4) Dec. l. 6. c. 16. n. 120.
(5) De claus. q. 3. p. 3. n. 1. (6) C. 7. §. 10. q. 2.
(7) P. 545 (8) Dist. 55. n. 9.

236. Dubit. 4. An in huiusmodi locutione detur parvitas materiae. Negat de Alex. [9], idque probat ex decr. s. c. edito 1. maii 1669. approbato ab Innocent. IX. ubi: *S. congreg. conc. Trid. habita notitia quod nonnulli regulares absque licentia crates monialium adire et frequentare non dubitent, praetendentes non esse prohibitum per breve tempus etiam ad quadrantem horae cum dimidio moniales alloqui; ad huiusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem praedictam improbans ac damnans, declaravit regulares qui ad monasteria monialium, quamvis ipsis regularibus subiecta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, peccare mortaliter, eosque poena excommunicationis, privationis vocis activae et passivae, aliisque statutis poenis posse ab ordinario tamquam sedis apostolicae delegato coerceri.* Ex verbis igitur illis, *per quodcumque modicum temporis*, infert de Alexand. non dari parvitatem materiae in tali collocutione.

Affirmant tamen communiter Bon.[10] Diana [11] Mazz.[12] cum Quarti Veric. et Tamb. ac Ciera[13] (cum Ianuar.) qui ait parvitatem materiae ab omnibus in hoc admitti debere; et merito: nam adhuc in praeceptis divinis datur materiae parvitas quae excusat a mortali, nisi (ut communiter dd. tradunt) in qualibet parva materia reperiatur tota malitia culpae, ut est in periurio, re venerea et simonia. Discrepant vero aa. in assignando qualis sit in tali collocutione parva materia. Ciera [14] cum Ianuar. censet esse pauca verba, quae Merolla [15] putat esse decem verba. Diana autem et Mazz. putant esse spatium unius *Miserere* et aliquid amplius. Demum Quarti et Vericelli apud Mazzot. dicunt esse unum quadrantem. Neque videtur (ut putat de Alex.) in decreto Clem. IX. reprobatam fuisse hanc opinionem: licet enim prohibeatur collo-

(9) C. 7. §. 10. qu. 3.
(10) De claus. q. 3. p. 3. n. 1.
(11) P. 3. tr. 2. r. 48. v. Nota 6. (12) P. 551.
(13) D. 6. n. 9. (14) L. c. (15) Ib.

cutio per quodcumque modicum spatium, id tamen declaratum est tantum de regularibus, quibus utique valde strictius vetita est collocutio cum monialibus. Nec etiam ibi omnino videtur, ut censet Ciera, reiectam esse opinionem Quarti, nempe quadrantem esse materiam parvam; nam ibi verius non fuit damnata, nisi opinio de quadrante cum dimidio, verbis illis: *Praetendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horae cum dimidio.* Propositio copulative damnata est, scilicet, quod sit breve tempus, etiamsi extendatur ad quadrantem cum dimidio. Si quis autem multoties per plurimos dies colloqueretur cum aliqua moniali per aliquod tempus continuatum, etiam per se non notabile, difficulter eum excusarem a mortali et ab excommunicatione: quia tales collocutiones, licet non physice, moraliter tamen coniungi videntur.

237. Dubit. 5. An liceat colloqui cum moniali ob necessitatem vel utilitatem spiritualem sine licentia. Affirmant Diana [1] et Lez. Ianuar. Peyrin. Bord. etc. apud Mazzot. [2], quia non praesumitur praelatus velle impedire spiritualem monialium profectum; sicut enim taliter loquens potest colloqui cum excommunicato, ita cum moniali. Sed negat Ciera [3] et illi omnino ipse adhaereo; nam si aliis permitteretur loqui cum monialibus propter hanc causam boni spiritualis sine licentia, id noceret bono communi, cum facile plurimi hallucinarentur, et ideo bonum commune praeferri debet privato. Praeterquam quod in nostro casu vix unquam cessat adaequate (nec etiam in particulari) finis prohibitionis, eo quod de facili in tali collocutione subest periculum quod inter se loquens et monialis aliquo affectu capiantur, et ipsorum conversatio ex spirituali deveniat carnalis. Hinc recte decrevit s. c. die 26. novembris 1632. (ut refert Bened. XIV. [4]) nullam quamvis honestam et rationabilem causam a gravi culpa excusare regularem qui colloquitur cum moniali.

238. Dubit. 6. An liceat sine licentia loqui cum abbatissa. Affirmant Diana [5] cum Vivald. et Zambello Pelliz. [6] Mazzotta [7], item Lez. Tamb. et Ianuar. apud de Alex. [8] ac adhaeret Felix Potesta [9], quia nomine monachorum non venit abbas, ut censet Glossa in *c. fin. de simonia*, et ibi Panorm. ac Carden. apud Dianam [10]. Negant vero de Alex. [11] cum Megala Calderin. et rotae rom. ac Ciera [12] cum Graff. et Meroll. Ratio, tum quia praedicta prohibitio non est odiosa, sed potius est favorabilis, cum ipsa valde prosit spirituali profectui monialium; tum quia in decreto s. c. edito iussu Sixti v. relato *n.* 232. *v. Circa autem*, vetatur locutio non solum cum monialibus, sed cum qualibet persona intra claustra degente, et in constitut. Alex. VII. *Sacrosancti* (apud de Alex. [13]) prohibetur huiusmodi allocutio etiam cum abbatissis, priorissis etc. Sed his non obstantibus non audeo improbare primam sententiam, praesertim quia abbatissae ut plurimum eliguntur ex senioribus et prudentioribus, ipsaeque frequentiorem necessitatem habent ratione officii tractandi cum extraneis. Ad decretum autem Alexandri respondet Potesta [14] illud fuisse particulare pro urbe Roma, forte ob peculiares causas ibi emergentes. Praeterquam quod, respectu urbis, ibi expressum est comprehendi etiam abbatissas. Si igitur pontifex, ubi voluit eas comprehendi, illas expressit, ergo ubi non exprimuntur videntur non comprehendi, alias non erat opus eas exprimere.

239. Dubit. 7. Quinam eximantur ab hac prohibitione. Eximuntur 1. coniuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis, ut exprimitur in casu Neapoli reservato. Putat autem Ciera [15] eximi etiam qui sunt consanguinei in secundo et tertio gradu, quia in favorabilibus lata facienda est interpreta-

(1) P. 3. tr. 2. r. 104. (2) P. 554.
(3) D. 6. n. 8. (4) De synodo l. 13. c. 12. n. 23.
(5) P. 5. tr. 2. r. 49. v. Not. 3. et p. 10. tr. 14. r. 49.
(6) C. 5. n. 268. (7) P. 556.
(8) C. 7. §. 10. n. 5.
(9) P. 2. n. 1477. (10) L. c. (11) L. c.
(12) D. 6. n. 11. (13) D. qu. 5.
(14) L. c. (15) D. 6. n. 5.

tio. Sed huic opinioni non acquiesco : nam qui est in secundo et tertio, revera non potest dici esse in secundo ; ille enim secundus gradus computatur in moniali respectu ad stipitem, respectu vero ad colloquentem reipsa est in tertio, iuxta regulam a nemine dubitatam, nempe consanguineos tot gradus distare inter se, quot gradibus remotior distat a stipite. Eximuntur 2. qui gravi metu ducti honeste alloquuntur moniales, quia in tali discrimine lex ecclesiastica non obligat; est commune, vide Ciera [1]. Eximuntur 3. pauperes et publice quaestuantes, ex usu et ex tacita licentia superiorum. Et sic etiam famuli deferentes dona breviterque se expedientes, de Alex. [2] et Mazz. [3] cum Pelliz.

240. Dubit. 8. An pueri impuberes eximantur a prohibitione loquendi cum monialibus. Nulli dubium quin ipsi, si essent doli capaces, et talem collocutionem frequentarent, non excusarentur a peccato, cum prohibitio in *cap. Monasteria*, *de vita et honest. cler.* omnes comprehendat. An autem in illis dioecesibus, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione ordinario reservata, impuberes ab ea excusentur. Negat Graff., sed verius affirmat de Alex. [4] cum Bon. Diana et aliis, ex *c. Pueris de delict. puer.*, ubi dicuntur pueri non esse puniendi sicut puberes. Et hoc certum est in dioec. neapolitana, ubi pueri minores 14. ann. expresse eximuntur a casibus reservatis.

241. Dub. 9. An regulares colloquentes cum monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab episcopo. Adsunt quatuor sententiae :

Prima absolute negat cum Diana Lez. Quarti et Merolla apud Ciera [5], quia, licet episcopi circa clausuram monialium ex Trid. [6] procedant ut delegati sedis apostolicae, tamen ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra religiosos.

Secunda sententia omnino opposita, quam tenent Navarr. Graff. et Campanil. apud Barbos. [7] et cui adhaeret Ciera [8], dicit omnes regulares etiam speciali privilegio donatos, incurrere excommunicationem latam eb episcopo.

Tertia sententia, quam tenent Ianuar. Duard. Fagund. et Riccius apud eumdem Ciera [9] distinguit et dicit non incurrere, si monasteria sint episcopo subiecta, quia cum in illis episcopus procedat iurisdictione ordinaria, ei non subduntur regulares; secus vero si sint exempta, quia in his episcopi procedunt ut papae delegati.

Quarta sententia demum communior, cui magis adhaereo, et tenent Sanch.[10] Barbos.[11] Bon.[12] Fagnan.[13] et de Alex.[14] cum decr. s. c. 9. apr. ann. 1583., aliter distinguit et ait quod regulares si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari aut suspendi ab episcopis (prout habent mendicantes ex *Compend. privileg. v. Exemptio*, *n.* 9. 23. *et* 24. et religiosi soc. Iesu ex bulla Pauli III. anno 1549.), hi non incurrunt excommunicationem ab episcopo latam; secus vero si tali privilegio careant. Idque probatur ex bulla *Inscrutabile* edita 5. febr. 1522. a Greg. XV. ubi sic dictum fuit : *Ad haec tam saeculares quam regulares nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa administrationem bonorum monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter tamquam ad hoc sedis apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.* Unde infertur quod regulares speciali privilegio non muniti bene incurrunt excommunicationem latam ab episcopo in colloquentes cum monialibus, sive monasterium sit exemptum sive subiectum episcopo : quia etiam in hoc episcopus procedit contra regulares

(1) N. 20. (2) C. 7. §. 10. q. 14. (3) Q. 554.
4 Cap. 7. §. 10. q. 9. (5) D. 6. n. 24.
6) Sess. 25. c. 5. (7) All. 102. n. 75.
8) N. 26 (9) N. 25.

(10) De matrim. l. 7. d. 33. n. 23.
(11) All. 103. n. 73. (12) De claus. q. 3. p. 4. n. 8
(13) L 4. in c. Quanto, de priv. n. 9.
(14) c. 7. §. 10. q. 12.

tamquam delegatus sedis apostolicae; alias in eos nullam haberet iurisdictionem puniendi et corrigendi; sicut habere dicitur in bulla. Secus vero dicendum de regularibus speciali privilegio gaudentibus; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos episcopus nec etiam ut delegatus sedis apostolicae possit procedere, quia cum regulares ordinarie in aliis sint exempti a iurisdictione episcopi, quando contra eos episcopus procedit, semper ut delegatus procedere debet. Hoc tamen intelligendum, si privilegium post bullam Gregorii sit concessum, non vero si ante; dum in bulla dicitur, *nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint*, *etc.*

242. Dubit. 10. An peregrini colloquentes cum monialibus in aliena dioecesi incurrant excommunicationem ibi reservatam. Adsunt tres sententiae:

Prima sententia absolute affirmat et hanc tenent omnes auctores citati *l.* 3. *n.* 332. *in fine*, qui dicunt peregrinum etiam ad breve tempus commorantem in aliquo loco fieri illius ordinarii subditum. Eamdem sententiam tenent de Alex. [1] et Ciera [2], sed aliis rationibus ducti, quae meo iudicio non suadent.

Secunda sententia vero, quam tenent Ianuar. [3] et Donatus [4], dicit comprehendi peregrinos, si monasteria sint exempta, quia in his episcopi ex Trid. [5] procedunt ut papae delegati, unde ipsi etiam peregrini subiiciuntur. Secus si monasteria sint episcopo subiecta, quia ex eodem Trid. in illis episcopus procedit iurisdictione ordinaria, cui non subsunt peregrini per breve tempus commorantes, ut tenet probabilior sententia, iuxta dicta *l.* 1. *de legibus n.* 156.

Tertia sententia vero quam tenent Pelliz. Diana et alii apud Mazz. [6], qui non reprobat, dicit peregrinos brevi alicubi commorantes non incurrere excommunicationem latam ab episcopo loci, sive monasterium sit ei subiectum sive exemptum, propter rationem supra allatam, quia peregrini non tenentur legibus loci. Nec obstare dicunt quod ex Trid. episcopi circa clausuram monasteriorum exemptorum procedant ut papae delegati; nam hoc habent tantum in ordine ad restitutionem et conservationem clausurae, ad quam non pertinet simplex locutio. Sed huic responso merito contradicunt Ianuar. [7] et Fag. [8], quia accessus ad colloquendum, iuxta sensum doctorum, spectat ad clausuram, idque colligitur ex *c. Periculoso* 1. *de statu regul.* (renovato a Trid. [9]) ubi dicitur: *Nullique ingressus vel accessus* (nota) *pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae omnino servire Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.* Ergo non solum ingressus, sed etiam accessus prohibitio pertinet ad clausuram, dum etiam accessus praebet monialibus lasciviendi opportunitatem, eisque obstat ne corda Deo diligentius custodiant. Et ideo episcopi in monasteriis exemptis procedunt ut papae delegati, quia ut tales sunt destinati a Trident. circa clausuram monialium, prout declaravit s. c. apud Fagnan. [10]. His tamen non obstantibus, vide mox dicenda in fine numeri sequentis *v. Sed quidquid.*

Dubit. 11. An episcopi colloquentes cum monialibus in aliena dioecesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci. Non videtur dubitandum, quia ex *c. Periculoso*, *de statu regul. in* 6. etiam episcopi prohibentur a colloquendo cum monialibus extra suam dioecesim, vel intra cum exemptis, dum ibi dicitur *nullique ingressus vel accessus pateat ad easdem.* Nullibi enim habetur quod episcopi aut etiam cardinales, sint exempti a communibus legibus, ut docet

(1) C. 7. §. 10. q. 10. (2) D. 6. n. 31.
(3) De casib. reservat. res. 34. n. 24.
(4) In praxi t. 4. de access. ad monial. tr. 6. q. 22. n. 8. (5) Sess. 25. c. 5. (6) P. 556.
(7) De casib. reserv. res. 34. n. 19.
(8) L. 5. in c. Quanto, de privil. n. 15. et 16.
(9) Sess. 25. c. 5.
(10) c. n 31.

Bon. [1] cum rot. rom. et aliis; et hoc dicit cum Ugolin. procedere etiam in odiosis. Quoad excommunicationem vero Mazz. [2] et Diana ac Graff. ap. de Alexand. [3] negant episcopos eam incurrere, quia lex non ligat aequalem, ex *c. Cum inferior, de maior. et obed.* Sed affirmat de Alex. [4] cum aliis, quia episcopi in alieno territorio censentur privatae personae, ex Panorm. Hostiensi et aliis; unde ipsi subiiciuntur ac alii eisdem poenis; et sic de Alexand. refert decisum a s. c. apud Navarr. die 20 maii 1619.

243. Sed quidquid dixerint doctores praefati, hodie concludendum, tam exteros quam episcopos peccare quidem accedendo ad colloquendum cum monialibus existentibus in aliena dioecesi, sed non incurrere excommunicationem; nam in bulla *Gravissimo* Bened. XIV., edita die 31. octobr. 1749., dicitur, quod tam episcopi, quam exteri sunt quidem subiecti constitutionibus ordinarii loci quoad auctoritatem directivam, non vero quoad coactivam; quapropter, licet peccent, non tamen poenas incurrunt, quia episcopi et externi non subiiciuntur auctoritati ordinariae episcoporum: *Cum vero* (verba bullae) *iidem ordinariae episcoporum iurisdictioni minime subsint, ideoque sint immunes a poenis.* Ratio quippe est, quia etsi episcopi sint delegati apostolici circa clausuram monialium, eorum tamen iurisdictio est ordinaria, tamquam perpetuo annexa episcopali officio, iuxta dicta *l.* 6. *num.* 594.

DISSERTATIO
Super censuris circa immaculatam B. V. Mariae Conceptionem.

244. Ante omnia operae pretium est recensere diversas bullas a summis pontificibus super hac materia emanatas.

Et 1. Sixtus IV. in sua extrav. *Cum praecelsa*, quae habetur in 6. *decretal. extrav. cum de reliq. et vener. ss.* sic ait: *Cum praecelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum Virgo Dei Genitrix... utpote via misericordiae, mater gratiae et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil, ad regem quem genuit, intercedit, debitum reputamus universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo de ipsius immaculatae Virginis mira Conceptione gratias et laudes regerant, et institutas propterea in Dei ecclesia missas et alia divina officia, dicant et illis intersint etc.* Inde s. pontifex eis qui missam et officium huiusmodi in die festivitatis Conceptionis Mariae, et per octavam dicunt, et illis intersunt, eamdem indulgentiam impertitur, quam lucrantur in festo Corporis Christi. Idem pontifex in sequenti extrav. *Grave nimis*, *eodem tit.*, edita anno 1483., excommunicationem ipso facto imposuit asserentibus in concionibus, vel alias quomodolibet, esse haereticos vel graviter peccare qui tenent B. V. Mariam praeservatam fuisse a peccato originali, vel qui celebrant officium Conceptionis, vel audiunt de hac conciones. Et pariter ibi excommunicantur qui pro veris tenent vel legunt libros idem, ut supra, asserentes. E converso etiam ibi excommunicantur qui dicunt esse haereticos vel peccare graviter tenentes oppositam sententiam.

2. S. Pius V. in sua bulla 114. edita ann. 1570. incipiente, *Super speculam*, statuit: *Quatenus nemo cuiusque ordinis, gradus etc. in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, et mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiae alterutra parte disputare, rationibus vel dd. auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac quaestione... vulgari sermone scribere vel dictare, praesumat. Qui contra fecerit suspensionis poenam a divinis ipso iure incurrat, si fuerit in sacris constitutus, et quocumque gradu, dignitate et administratione sit ipso facto privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel ob-*

(1) De leg. d. 1. q. 1. p. 6. n. 35.

(2) T. 3. p. 354. (3) C 7 §. 10. q. 6. (4) L. c.

cunda perpetuo inhabilitatis censurae ipso etiam facto sit obnoxius; super quibus nisi a romano pontifice dispensari aut absolvi non possit. Caeterum additum fuit: *Liceat doctis in publicis academiae dispensationibus, ubi intersunt qui rem capere possunt, nec scandali subest occasio de illa quaestione disserere; dum tamen neutra veluti erronea praedicetur.* Insuper s. Pius v. in festo Conceptionis B. V. mandavit recitari officium de Nativitate, mutato verbo *Nativitatis* in aliud *Conceptionis.*

3. Paulus v. in sua bulla 97. emanata anno 1616. (ut refert illustriss. episcopus Torn.[1]) interdicit sub poena suspensionis et aliis contentis in bulla s. Pii v. mandavit, ne *audeant cuiusque conditionis, etc. personae, in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus aliisque actis publicis asserere b. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* Ulterius idem s. pontifex mandavit sub eisdem censuris et poenis, *quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.*

4. Greg. xv. in sua bulla 29. edita anno 1622., quam refert Bon.[2], prohibitionem extendit et mandavit omnibus sub eisdem poenis, ut supra, *ut neque etiam in sermonibus et scripturis audeant asserere quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare. Per hoc tamen sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei prorsus praeiudicium inferre etc.* Tantum autem ab hoc pontifice indultum fuit fratribus ordinis praedicatorum, ut in privatis colloquiis seu conferentiis inter se dumtaxat, et non alios, possint de opinione affirmativa disserere sine ulla censura.

5. Demum accessit constitutio Alexand. vii. *Sollicitudo omnium ecclesiarum,* edita anno 1661. (quam refert illustriss. Torni[3]), ubi s. pontifex sic incipit loqui: *Vetus est Christi fidelium erga eius beatiss. matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii humani generis redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. Crevitque eorum atque huiusmodi cultus post editas a fel. rec. Sixto* iv. *praedecessore nostro in eius commendatione apostolicas constitutiones, quas s. concilium Trident. innovat.* Deinde addit: *Aucta rursus et propagata fuit pietas haec et cultus erga Deiparam ... ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam, iam fere omnes catholici eam complectantur.* Deinde prosequitur ac decreta Sixti iv. Pauli v. et Greg. xv. edita in favorem sententiae asserentis animam B. M. V. in sui creatione et in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, necnon et in favorem festi et cultus Concep. eiusdem Virg. Deiparae secundum piam istam sententiam exhibiti, innovat, et sub poenis et censuris in eisdem constitutionibus contentis observari mandat. Insuper omnes qui praefatas constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem dictae sententiae, et festi et cultus secundum illam exhibiti, frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte, quovis praetextu, scripto seu voce loqui, concionari, tractari, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel contra ea argumenta afferendo et insoluta relinquendo, aut alia quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint, praeter poenas in constitut. Sixti iv. contentas, concionandi et publice docendi facultate, nec non voce activa et passiva in quibusvis electionibus ipso facto pon-

(1) In adnot. ad Estium l. 2. dist. 3 § 2.

(2) T. 3. disp. 3. de susp. quaest. 6. p. 4. r. 2.

(3) In adnot. ut supra loc. c.

tifex privat. Idem Alex. VII. libros, in quibus praefata sententia, festumque seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra eam quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur et disputationes contra eam continentur, post Pauli V. decreta edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibet sub poenis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis, atque ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi mandavit.

245. Hinc cum Bon. [1] inferuntur sequentia: et 1. Incurrit poenas inflictas qui diceret defendi posse sententiam affirmativam, scilicet quod Conceptio B. V. fuerit maculata; vel qui rationes ad eam probandam adduceret, nisi eas produxerit ad illis respondendum, quia hoc non esset agere de sententia affirmativa, sed de pia sententia opposita, ut eius veritas magis eluceret, ut fusius mox explicabimus.

246. Infertur 2. Poenas etiam incurrit qui asserit festum Conceptionis celebrari, quia B. Virgo sanctificata fuit in utero matris; nam hoc pacto (recte ait Bonac.) satis aperte assereret per consequentiam necessariam Deiparam fuisse in peccato conceptam et inde sanctificatam; sanctificatio enim necessario privationem sanctitatis supponit. Tanto magis quod Greg. XV. mandavit in missa et officio non alio, quam Conceptionis vocabulo fideles uti debere. Insuper Alexander VII. in praecitata bulla expresse prohibuit frustrari aut interpretari vel in dubium revocari ex quoquo modo directe vel indirecte quovis praetextu favores per dictas bullas praestitos piae sententiae, et festo secundum eam exhibito. Quinam autem esset favor praestitus sententiae piae, si Concept. nomine posset accipi sanctificatio B. V. in alio instanti, quam in primo suae Conceptionis? Et quamvis alias impropriissime acciperetur Conceptio pro sanctificatione, nam ita etiam s. Io. Baptista et Ieremias possent dici sancte concepti, attamen haec etiam impropria interpretatio vetita certe fuit ab Alex. VII. in sua const., ut dixi, sub poenis ibi contentis.

247. Infertur 3. Pariter incurrit qui transcribit sententiam affirmativam ut indicet ipsum sectari eam; esset hoc enim saltem de illa agere. Infertur 4. Transgrediens ipso facto incurrit suspensionem a divinis, et etiam (ut probabilius tenet Bon. contra alios) incurrit inhabilitatem ad officia. Recte vero dicit non incurrere privationem dignitatum etc. nisi post sententiam iudicis. Infertur 5. Poenae supradictae non solum incurruntur a constitutis in sacris, ut praescribit s. Pius V., sed etiam ab omnibus sive ecclesiasticis sive saecularibus, ut extendit Paulus V. et Gregor. XV. Infertur 6. Ab his poenis solus pontifex absolvere potest, et episcopus quando delictum est occultum.

248. Quoad tuentes autem sententiam Conceptionis immaculatae, vetatur quidem eis sub eisdem poenis sententiam oppositam censurare et piam sententiam asserere tamquam dogma fidei. Non autem prohibetur eam rationibus et auctoritatibus probare; nam licet s. Pius V. in sua bulla prohibuerit in popularibus concionibus disputare de alterutra parte huius controversiae, rationibus vel dd. auctoritatibus propriam sententiam asserendo et contrariam refellendo; et insuper Paulus V. in alia bulla relata *n.* 3. mandaverit iis qui piam sententiam tuentur ut aliam opinionem in publicis actibus non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent, quibus verbis videntur hi pontifices prohibuisse adhuc confutare fundamenta sententiae oppositae; attamen dicendum, vel quod praedictae bullae quoad hoc non sint usu receptae, vel quod laudati pontifices intellexerint loqui tantum de iis, qui pro pia sententia contendunt, ac si de *dogmatibus esset*, iuxta verba quae s. Pius subdit in dicta bulla; vel quod vetaverint tantum directe contrariam sententiam impugnare, non autem indirecte argumenta solvendo; vel tandem

(1) T. 3. disp. 3. de suspens. q. 6. p. 4.

omnino dicendum, easdem bullas super hoc puncto moderatas fuisse ab ultima bulla Alexandri VII. ubi aperte permittitur argumenta solvere contrariae sententiae.

249. Quamvis igitur non liceat piam sententiam ut dogma fidei defendere, licitum tamen nobis procul dubio est eam veram et communem asserere cum Salm. [1] Abelly [2]. Imo eam vocare moraliter certam et proxime definibilem de fide, ut tenent Viva [3] cum Velasq. et Sifilino, ut etiam sentiunt Raynaudus [4] Auct. Coronae Virgineae [5] Platell. [6] Franc. Pèyrin. [7] Edmundus Simonet [8] cardin. Everardus [9] Lossada [10]. Idem tenet Duvallius [11] qui sic concludit: *Satius puto dicere opinionem nostram esse in apice certitudinis theologicae; nihilque ei pro fidei assensu, praeter expressam ecclesiae definitionem, deesse.*

250. Tot igitur auctoritatibus munitus idem ego ut minimus assero et breviter hic probabo. Protestor quidem nullatenus me recedere velle a pontificiis decretis, quibus obediens subscribo, sed tantum in meae reginae obsequium hic rationes promovere sententiae piae ad mentem alicuius dilucidandam qui contrarium sentiret. Etenim reapse mihi videtur pia sententia, licet usque adhuc non sit de fide declarata, esse hodie luce meridiana clarior.

251. Omitto eam probare revelationibus quas alii afferunt. Scriptum enim invenitur beatam Virginem sic revelasse s. Birgittae [12]. *Omne peccatum Adae segregatum fuit a me.* Et [13]: *Et veritas est, quod ego concepta fuerim sine peccato originali.* Et [14]: *Sed scito quod Conceptio mea non omnibus nota fuerit; sic placuit Deo quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea et quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore opportuno.* Aliam affert Caramuel revelationem factam a d. Th. Aquinate ven. Dominico a Iesu Maria generali carmelitarum excalceatorum, nempe revelatum eidem fuisse, quod futurum esset concilium, quo immaculata Deiparae Conceptio definiretur. Hanc autem revelationem asserunt Suar. et Vasquez qui [15] contra eos qui praedictas revelationes tamquam somnia foeminarum super hoc puncto contemnunt, sic subdit: *Revelationes figmenta mulierculorum appellare, revera temeritate non vacat.* Et paulo ante dixerat: *Bonaventura cautius de revelationibus sui temporis locutus est, non audens reprehendere celebrantes huiusmodi festum propter factas revelationes.* Petrus Canisius ita quoque scripsit: *Neque tamen aspernemur, si quae extent revelationes quae bonorum fidem merentur et Conceptionis doctrinam confirmant, cum scriptum esse sciamus:* Spiritum nolite extinguere [16].

252. Caeterum piae sententiae certitudinem illius fautores non iam intendunt ex his revelationibus vindicare; firmiora adsunt argumenta ad eam probandam ut exhinc breviter exponam. Probatur 1. ex scriptura et praesertim ex illo [17]: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* Hic autem textus litteraliter intelligitur de B. Virgine, et ex eo s. Idelph. ac d. Thoma [18] probant immunitatem Deiparae ab omni culpa actuali. Si ergo ex hoc textu probatur B. Mariam nullam incurrisse actualem culpam, ex eodem etiam probatur nullam incurrisse culpam originalem, alias non esset tota pulcra. Hinc dixit idiota [19]: *Tota pulcra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati sive mortalis sive venialis sive originalis non est in te.* Item quid significat illud: *Ave gratia plena, Dominus tecum,* quod dixit Angelus Mariae? Quid illud: *Benedicta tu inter mulieres*, quod protulit

(1) Tract. 20. c. 9. n. 12. (2) Med. theolog. tract. de Incar. cap. 7. sect. 3. (3) In q. prod. ad Trutin. et cursu theolog. schol. part. 3. p. 3. disp. 1. q. 2. n. 7. (4) In sua pietate. (5) Prop. 102. (6) Part. 2. n. 355. (7) Theolog. (8) Instit. theol. t. 1. p. 355. (9) Exam. theol.

(10) Disc. theol. super defin. immac. Concep. (11) 1. 2. quaest. ult. de peccatis. (12) L. 6. c. 12. t. 2. (13) C. 49. (14) C. 45. (15) Disp. 179. in 3. p. n. 78. (16) Thess. 5. (17) Cant. 4. (18) 3. p. q. 27. art. 4. (19) Contempl. B. V. c. 3.

Elisabeth? Quid illud: *Fecit mihi magna qui potens est*, quod ipsa B. Virgo pronuntiavit? Nisi quod ipsa sola benedicta inter mulieres propter culpam originalem maledictas, inter magna quae Deus ei contulit, hoc maximum privilegium (utique negatum angelis et Adamo) obtinuerit: et divina gratia plena, id est numquam peccati labe inquinata, semper Deo amica et unita, sua gratia fuerit decorata. Hoc enim expressit s. August. [1] super enuntiatis verbis: *Ave gratia plena*, ubi sic s. doctor dicit: *Quibus ostendit ex integro* (nota hoc *ex integro*) *iram primae sententiae exclusam et plenam benedictionis gratiam restitutam*. Opponunt adversarii illud Apostol. [2]: *Omnes in Adam peccaverunt*. Sed respondetur argumentum probare nimis, quia probaret esse de fide quod B. Virgo maculata fuisset, quod nemo dicit nec dicere potest. Itaque scriptura haec accipienda est cum exceptione B. Mariae; in scriptura enim etiam universaliter asseritur: *Non est homo qui non peccet*[3]. *In multis offendimus omnes*[4]. Et tamen de fide est, ut declaravit Trident. [5] B. Virginem nullam culpam actualem commisisse.

253. Prob. 2. ex bullis pontificum; Sixtus enim IV. in sua bulla: *Cum praecelsa*, ut supra, loquens de Concept. Mariae, dicit: *De ipsius immaculatae Virginis mira Conceptione*. Cur mira, nisi immaculata fuisset? Idem pontifex approbavit officium B. V. *Leonardi de Nogarolis*, ubi non semel nominatur *immaculata Conceptio*, et asseritur, *Virginem per merita Christi praevisa ab omni macula praeservatam*. Deinde Paulus V. expresse mandavit ut fideles in missa et officio huius festi celebrandi non alio quam Conceptionis nomine uti debuissent; ex quo videtur certum pontificem praecepisse hoc ad omnem aequivocationem tollendam, ne sub nomine Conceptionis, sanctificatio Virginis in utero post primum instans, ut adversarii intelligebant, intelligi posset. Sed maxime urget bulla Alex. VII. ut supra enuntiata, qua fuit declaratum ab ecclesia celebrari festum B. V. non quidem sanctificatae post primum instans, sed a labe originali in primo instanti suae Conceptionis secundum piam sententiam praeservatae. Et inde pontifex prohibet omnem contrariam interpretationem directe vel indirecte quovis praetextu etiam definibilitatis.

254. Probatur 3. ex conciliis. Praetermitto conc. basileense, in quo decretum fuit piam sententiam esse tenendam. Quamvis quoad hoc concilium aliqui non frustra notant, quod etsi Eug. IV. illud exauctoravit, tamen (ut ait Raynaudus) concilii decreta, quae nec ipsum Eugenium nec auctoritatem pontificiam tangebant, rata esse voluerit. In 7. autem synodo generali *act.* 5. sic habetur: *Si quis non confitetur sanctam semperque V. Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, anathema sit*. Quomodo B. Virgo posset dici sublimior omnibus creaturis adhuc angelicis, si aliquando foedata fuisset a culpa originali, qua non solum inferior aliquando omnibus angelis, sed omnino gratiae expers et Dei inimica extitisset?

255. Accedit conc. Trid. quod revera noluit piam sententiam de fide expresse declarare, dum [6] tantum dixit: *Declarat tamen haec ipsa s. synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decr. ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constit. fel. record. Sixti Papae* IV. *sub poenis in eis constitution. contentis, quas innovat*. Sed hic obiter notandum illud quod testatur Hieronymus Ormachaea[7], nempe ipsummet legisse Romae totam sessionem Tridentini, ubi de hac quaestione tractatum fuit et fere nullum, qui non esset de familia s. Dominici, contra immaculatae Conceptionis sententiam suffragium praestitisse. Addit Lancic. [8] concil. demum conclusisse

(1) Serm. 11. in Natal. dominic. (2) Ad Rom. 5. (3) Paralip. l. 2. (4) Iac. 3. (5) Sess. 6. can. 23.

(6) Sess. 5. can. 5. (7) Prolog. 3. in Cant. (8) Tom. 1. opuscul. 11. c. 13. p. 49.

ut declararetur B. Virgo concepta fuisse sine peccato originali; sed ob instantissimas preces aliquorum theologorum sancti Dominici, ut supersederent a decreto usque ad aliud tempus, concilium supersedit.

256. Quamvis tamen Tridentin. hoc decr. tunc omiserit emanare, verum in alio canone quem emisit certam nostram sententiam reddidit. In canone enim 23. *sess.* 6. sic dixit: *Si quis hominem .... dixerit .... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet ecclesia, anathema sit.* Ex quo canone certe deducitur Deipara a culpa originali immunis fuisse; nam, ut bene arguit p. Coninch. [1] et Spinellus [2], si certum est iuxta concilium et de fide divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse, certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa maculam originalem non contraxit. Ratio patet, quia sicut impossibile est ut qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit expers sit omnis peccati actualis; ita qui nullum peccatum actuale commisit, necessario impossibile est quod maculam originalem contraxerit, ut docet s. Aug. contra Iulianum [3] qui ideo Christum Dominum nullum peccatum actuale perpetrasse dixit, quia nullum peccatum contraxit originale.

257. Probatur 4. ex ss. pp. Falsum quippe est dicere omnes patres esse pro opposita sententia: Bellarm. enim [4] probabiliter interpretatur patres qui contrarium sentire videntur, et plures refert piae sententiae faventes, inter quos bene numerari potest s. Ambros. qui scripsit in *Ps.* 118. ad ultimum versum: *Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* S. Ansel. [5]: *Omnes mortui sunt in peccatis sive originalibus, sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei.* S. Petrus Dam. [6]. *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non admisit.*

258. His et aliis accedit sensus communis fidelium; immaculatam enim Concept. testatur Aegidius a Praesentatione [7] omnes tueri religiosos ordines et ex eodem ordine s. Dominici, licet sint 92. scriptores pro contraria, tamen 137. pro pia sententia adsunt, ut quidam recentior enumerat. Alex. VII. in sua bulla, ut supra, declarat hanc sententiam celebriores academias et catholicos fere omnes complecti. Quo argumento Petavius [8] maxime enititur ad illam probandam, et bene convincit, ut ait doctissimus episcopus Torni [9]. Ex quo enim, nisi ex communi fidelium sensu, hauritur certitudo quod Deipara, saltem ante Nativitatem, fuerit sanctificata? Ex quo certi sumus, quod eadem B. V. et anima et corpore fuerit in coelo assumpta? Si ergo de his nemo dubitat, quomodo dubitari potest de Conceptione immaculata, quam fideles omnes tenent et defendunt?

259. Opponunt adversarii auctoritatem s. Bernardi et s. Th. Sed ex eisdem sanctis doctoribus magis nostra sententia valide firmatur, licet enim s. Bernardus in sua *Epist. in canonicos lugdun.* invexisset, quod festum conceptionis Deiparae celebrassent, monens quod apostolicae sedis auctoritatem expectare debuissent (et ibi addidit bene colendum diem Nativitatis et Assumptionis b. Virginis, quia sic ab ecclesia iam fuit acceptum), attamen ex hoc eodem arguitur, ut bene notat Bellarmin. [10], quod si sanctus Bernardus nunc videret festum Conceptionis immaculatae ex auctoritate romanae ecclesiae celebrari, ipse quoque libentissime celebraret.

260. Quod autem ad doctrinam s. Thomae, revera adhuc incertum est de qua sententia fuerit s. doctor; quamvis enim in *Summa* aliud sensisse vi-

(1) Theolog. (2) Aur. lib. de B. Virg. (3) L. 5. c. 9. (4) Controv. de amiss. gratiae l. 4. c. 15. et 16. (5) In c. 12. ad cor. (6) Serm. de Assum.

(7) De praeserv. virginis q. 6. art. 4.
(8) T. 5. p. 2. l. 14. c. 2. n. 10.
(9) Adnot. ad Estium l. c. (10) L. 5. de Cult. SS. c. 13

deatur, tamen in pluribus locis, praesertim in *Epist. ad Gal.* [1] clare Conceptionem Virginis immaculatam fuisse censet, ubi scribit: *Mulierem autem ex omnibus non inveni quae a peccato omnino immunis esset, ad minus originali vel veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria.* Clarius in 1. *Sententiarum* [2] sic scripsit: *Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas Mariae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit.* Quibus verbis (ait episcopus Torni [3]) nimis aperte patet divum Thomam hoc loco sensisse b. Virginem ab originali culpa fuisse expertem, cum ea verba minime aliam contrariam interpretationem patiantur. In *Summa* autem etsi d. Th. [4] dicat quod in festo Conceptionis celebretur festum sanctificationis potius quam Conceptionis Deiparae, quia tunc temporis dubium erat de quo festum celebrabatur, an sanctificationis in utero vel an Conceptionis in primo istanti: hodie iam est declaratum ex bulla Alex. VII., ut diximus, celebrari festum non sanctificationis, sed Conceptionis b. Virginis a peccato originali praeservatae. Idem autem s. doctor [5] qui tractat an b. Virgo fuerit in utero sanctificata, ex ratione quia ecclesia iam ex tunc Nativitatem celebrabat b. Mariae, infert tenendum ipsam ante Nativitatem sanctificatam fuisse; et cur? Quia, dicit, *Non celebratur festum in ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo b. Virgo fuit in utero sanctificata.* Hinc patet quod si s. Thomas nunc temporis scriberet, quo ab ecclesia declaratum est secundum piam sententiam celebrari festum b. Mariae praeservatae a peccato originali in primo instanti suae Conceptionis, sive infusionis animae in corpus, certe aliter sentiret ac scriberet, ut ait Suar. [6] his verbis: *Si praesentem ecclesiae faciem d. Thom. vidisset, aliter de immaculata Virginis Conceptione docturus esset.* Idem dicit Petavius de d. Thoma. Idem Gabriel [7] qui scribit: *Non esse culpandos s. Bernardum, nec s. Th., s. Bonav., et caeteros dd. oppositum olim opinantes, quia eorum tempore nulla determinatio apostolicae sedis facta fuit, nec festivitas illa generaliter tunc fuit per orbem celebrata.* Idem dicunt plures etiam dominicani, et signanter Ioannes de Fenario doctor parisiensis et magister generalis ordin. praed., ut refert Catharinus. Idem dicit Ioannes a s. Thoma [8] citans alios thomistas.

Accedit s. August., qui disputans de quadam alia doctrina contra Cresconium [9], eum monet ecclesiam consulere. Sed nunc non est opus supra nostra sententia ecclesiam consulere, cum iam ecclesia mandaverit festum Conceptionis immaculatae iuxta piam sententiam celebrari. Et ex hoc maximo argumento, in ecclesiae auctoritate fundato, fautores piae sententiae recte asserunt nostram sententiam esse proxime de fide definibilem; de ecclesiae enim auctoritate loquens s. Thom.[10] sic docet: *Maximam habet auctoritatem ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda... Unde magis standum est auctoritati ecclesiae, quam Augustini etc.* Scribit etiam Valent.[11] loquens de auctoritate pontificis: *Circa quae ad pietatem religionemque spectant est infallibilis eius auctoritas.* Addit Euseb. Nuremb.[12] quod decreta morum, approbatio sanctitatis etc. necnon institutiones festorum, quae considerantur ab infallibili capite ordinatae, ab omni errore excipiuntur. Deinde idem Euseb.[13] refert votum a cardinale Bellarmino prolatum circa b. Virginis Conceptionem iussu Pauli V. coram s. c. inquis. generalis rom. quo Bellarm. ita sensit: *Si forte non placet tunc ulla formalis definitio, saltem de-*

(1) C. 3. lect. 6. (2) Dist. 44. art. 3. ad 3.
(3) L. c. (4) 3. p. q. 27. art. 2. ad 3.
(5) Art. 1. praedictae qu. (6) In comm. a. 2.
(7) In 3. dist. q. 1. (8) T. 1. p. 1. qu. 2. de approb. doctrina s. Th. (9) L. 1. c. 23.
(10) 2. 2. q. 10. ar. 12. (11) T. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 41. (12) In theoria comp. 2. p. §. 1.
(13) In opere Pathen. de perpetuo obiect. festi, c. 31

beret fieri praeceptum omnibus ecclesiis, ut recitent officium de Conceptione, quomodo recitat ecclesia, sic enim sine definitione haberet intentum.

261. Hinc non satis pie nec probabiliter quidam recentior scripsit possibile fore quod ecclesia aliquando definiat Conceptionem b. Virginis fuisse maculatam. Dum, ut bene advertit Vasq., minime censendum quod ecclesia unquam tamquam fidei dogma definiat b. Virginem in peccato originali conceptam esse, eo quod auctoritate sua festum Conceptionis in tota ecclesia iam praeceperit celebrari. Et idem sine dubitatione asseruit Thyrsius Gonzalez in suo opusculo quo tuetur proximam definibilitatem immaculatae Conceptionis. Ideo opportune notanda sunt verba Blosii [1] qui sic ait: *Mirum sane est adhuc nostro aevo inveniri qui puritatem Conceptionis beatissimae Virginis vocent in dubium, et suam opinionem obstinate tueantur, citantes sententiam ss. pp., qui si nunc viverent, aliud procul dubio sentirent. Certe romana ecclesia, hoc ipso quod festum Conceptionis celebrandum assumpsit, satis affirmavit eamdem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem; profana siquidem festa non celebrat ecclesia.* Et summ. pont. Bened. XIV. in suo doctissimo opere *de Canoniz. sanctor.* [2] dicit nostram sententiam hodie esse moraliter certam, et solummodo deesse definitionem ecclesiae, ut fideles teneantur credere fide divina Conceptionem Virginis immaculatam.

262. Nec valet dicere quod alias Maria, si maculam originalem non contraxisset, non posset dici a Christo redempta; nam communiter respondetur quod ipsa, cum fuerit a culpa praeservata, vere et modo nobiliori redempta fuerit; docet enim d. August. [3] quod mittendus in carcerem, etiam dicatur a carcere liberatus ab illo qui eum liberat ne in carcerem perducatur. Haec autem nobilior Virginis redemptio maxime Virginem decuit, ut nunquam dici posset mater Dei Deo inimica extitisse, et regina angelorum subdita diabolo aliquando fuisse. Imo dicit Arnoldus Carnot. [4]: *Non solum de decentia, sed etiam de iustitia fuit ut illud vas electionis communibus non laxaretur iniuriis.*

Ex omnibus his deducitur piam sententiam praeservationis b. Virginis hodie tenendam ut certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Quod sic evidenter probatur: Certum est 1. de fide esse quod ecclesia non possit errare in materia morum. Certum est 2. cultum sanctorum (prout est celebratio festi praeservationis Deiparae) pertinere ad materiam morum; ad mores enim utique pertinet praestare b. Virgini Mariae cultum debitum et indebitum denegare. Si ergo ecclesia praecipit celebrari festum praeservationis Dei Matris, et in hoc non potest errare, vera et certa debet esse praeservationis sententia. Ex quo bene infert quidam doctus auctor recentior in libro nuperrime Neapoli edito anno decurso 1753. cui titulus: *Deipara eiusque cultores vindicati etc.*, quod contraria sententia post decretum Alexandri VII., prout antiquata, non est amplius nec practice nec speculative probabilis.

Imo licet nostra sententia ab ecclesia nondum sit definita, bene tamen potest de fide teneri; nam bene possumus credere de fide sententias illas, quas probabile est de fide esse, nimirum canonizationem sanctorum, praesentem pontificem esse, verum pontificem, esto hae sententiae non sint ab ecclesia declaratae de fide, ut late probat Viva [5] cum Suar. Lugo et communiori. Dicit enim d. Th. [6] quod credere possumus de fide non solum ea quae habemus per fidem infusam, sed etiam quae percipimus per conclusiones theologicas: *Dicitur fides* (ait sanctus doctor) *acquiri per scientiam theologiae.* In nostro autem casu conclusio theologica bene eruitur ex mox supra prae-

(1) C. 5. f. 625. (2) L. 1. c. 42. (3) In Ps. 85. verbo Confitebor. (4) De Christi Nativ. §. Nihil. (5) Cursu theolog. p. 4. de fide. (6) In 3. sent. d. 3. art. 2.

dictis: si enim de fide est ecclesiam non posse errare in materia morum, et cultus praeservationis Deiparae certe ad mores pertinet, bene de fide tenere possumus praeservationem esse de fide.

263. Hic ultimo operae pretium ducimus breviter perpendendam quaestionem illam, an liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem praeservationis B. V. Mariae a labe originali. Negat Lamindus Pritanius [1] et eum secuti sunt Antonius Lampridius [2] ac Ferdinandus Valdesius [3]. Ratio quia nemo potest exponere vitam ad tuendam opinionem humanam, cui falsitas subesse potest; opinio autem defendens praeservationem Deiparae a culpa originali, quamvis pia, humana tamen est, cum ecclesia hanc sententiam nondum statuerit niti revelatione divina aut traditione. Affirmant vero valde probabiliter plures neoterici, et signanter auctor supra enuntiatus in citato libro *Deipara etc.* Distinguere enim oportet sententias pure humanas ab iis quae pertinent ad morum disciplinam, et suo modo ad fidem, prout est haec quae spectat ad cultum sanctorum, et praesertim reginae sanctorum, quae prae omnibus sanctis veneranda est. Quod autem sententia praeservationis spectet ad cultum beatae Virginis patet (ut vidimus supra) ex bulla Alex. VII. qui declaravit festum Conceptionis Dei Matris iuxta piam sententiam celebrari debere. Praeterea, dato quod huiusmodi sententia esset per se humana, tamen cum referatur in Deum, qui vult ut fideles sanctos suos, et praecipue matrem honore prosequantur, non est pure humana, sed religiosa, cum ad Deum referatur, iuxta doctrinam d. Th. [4] qui docet posse esse martyrii causam, non solum defensionem eorum quae sunt de fide, sed etiam opera omnium virtutum, quae sunt protestationes fidei; en eius verba: *Omnium virtutum opera secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat, et secundum hoc possunt esse martyrii causa.* Hinc deinde subdit: *Quia tamen bonum humanum potest effici divinum, si referatur in Deum, ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* Cum autem nullum sit dubium esse actum religionis cultum exhibere Virgini, celebrando iuxta piam sententiam festum suae Conceptionis immaculatae in primo instanti, prout exigit ecclesia, certum etiam est iuxta Angelici doctrinam huiusmodi cultum bene posse esse causam martyrii. Ergo, si licitum et meritorium est cuique vitam prodere ne ab exhibitione huius cultus desistat, tanto magis ei licitum et meritorium erit mortem subire pro tuendo huius cultus obiecto, nempe pro b. Virginis a labe originali praeservatione, ad quam ipse cultus refertur. Hinc summus pontifex Bened. XIV. in suo praefato opere *de Canonizatione sanctorum* [5], postquam ostendit ecclesiam esse propensam versus sententiam praeservationis b. Virginis immaculatae, dixitque neminem negare eam esse magis piam et religiosam, *n.* 13. sic ait: *Inter martyres ab ecclesia recensentur, qui occisi fuerunt a tyranno, vel quia sententiam magis religiosam exercebant, vel ne omitterent exercitium alicuius actus virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare.* Et sic iam satisfactum est obiectioni Lamindi, nimirum quod non liceat vitam profundere pro tuenda praeservatione Deiparae, eo quod talis sententia non sit de fide.

ART. IV. Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris clericorum.

264. *Verba canonis.*
265. *Quid intelligatur* 1. *per verba*, si quis. *An impuberes, et a quo ipsi possint absolvi.*
266. *Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes etc.*
267. *Quomodo ratihabentes.*
268. *Quomodo non impedientes.*
269. *An qui tenentur impedire tantum ex caritate.*
270. *Quid intelligatur* 2. *per* clericum.
271. *Quid per* monachum. *An eremitae.*

(1) De moderat. ingen. (2) De superst. vulgar. (3) In suis epist. (4) 2. 2. q. 124. a. 5. (5) L. 1. c. 14.

272. *Quid* 3. *per verba*, manus iniecerit.
273. *An requiratur ut percussio sit cum peccato mortali et externe gravi.*
274. *Incurrit* 1. *clericum conspuens vel aliter gravi iniuria afficiens.* 2. *Violenter detinens etc.* 3. *Persequens eum ut decidat.* 4. *Apprehendens equum etc.* 5. *Haec agens etiam clerico consentiente.* 6. *Clericus seipsum percutiens, sed alii id negant.* 7. *Iudex laicus percutiens clericum, vel ecclesiasticus percutiens per laicum.*
275. *Non incurrit* 1. *fur clam furans.* 2. *Percutiens iocose vel casu. An pueri clerici se percutientes. Et an defendentes se vel suos aut sua.* 3. *Si absit mortale.* 4. *Percutiens clericum per ignorantiam aut inadvertentiam aut per iram subitaneam. Dub.* 1. *Quid si quis percutit ignorans alterum esse clericum, animo tamen comparatus quod percuteret, etiamsi sciret. Dub.* 2. *An excuset ignorantia crassa. Dub.* 3. *Quid, si quis percutit Petrum clericum credens Paulum clericum. Excusatur etiam praelatus aut praeceptor percutiens. An pater.* 6. *Percutiens clericum exercentem officium cauponis etc., vel turpiter agentem aut sollicitantem uxorem aut consanguineam in primo gradu. Quando excusetur puella percutiens clericum sollicitantem.*
276. *Quando episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione.*
277. *Quae percussio dicatur* levis, *quae* gravis *et quae* enormis.
278. *Quot modis percussio levis possit fieri gravis.*
279. *Quinam possint absolvere a percussione levi et quinam a gravi.*
280. *Dub.* 1. *An in dubio percussio iudicanda sit levis aut gravis. Dub.* 2. *An incurrat excommunicationem qui venenum dat clerico.*

264. « Resp. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus episcoporum praesumat illum absolvere* (*Nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandata recipiat.* Ita ex *c. Si quis* 17. *q.* 4.).

265. » Dicitur 1. *Si quis*, intelligè cuiuscumque sexus aut status, etiam impubes, dummodo rationis compos, et doli capax (Ut habetur ex *c.* 1. *Mulieres et cap. Pueris de sent. excomm.* Quamvis impuberes possint absolute absolvi ab episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant, Salm. [1] ex *dicto c. Pueris.* Etiamsi percussio fuerit enormis, ut dicunt Pal. [2] et Bon. [3] cum Suar. Mol. Fill. Sayr. et Reg. ex *c. ult. de sent. excom.*).

266. » Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes et consentientes. »

Recte dicit Bus. *efficaciter*, quia ut hi incurrant excommunicationem requiritur ut percussio de facto eveniat, atque ipsi per mandatum, consilium aut consensum graviter in illam influant, ita communiter Nav. [4] Suar. [5] Salm. [6] et Bonac. [7] cum Sayr. Avila Mol. Sylv. Fill. etc. ex *c. Quantae et c. Mulieres, de sent. exc.* An autem incurratur censura in dubio an mandatum vel consilium influxerit, vel si mandatum aut consilium fuerit revocatum ante executionem. *Vide de his dicta n.* 39. *et* 40. Notandum autem hic quod si quis diceret coram suis: *Cupio vindictam talis clerici*, bene incurret excommunicationem, si ex hoc dicto alii clericum inde percutiant, ita Croix [8] Renzi [9] cum Diana et Avila ac Salm. [10] cum Con. Sylv. etc. *argum. c. ult. de homic. n.* 6. Intellige, si praevidet ex eo alios percussuros.

267. « Extenditur etiam ad ratihabentes percussionem suo nomine factam. »

Certum est quod ratihabitio sufficit ad incurrendam censuram, ut habetur ex *c. Cum quis de sent. exc.* Sed ad hoc requiritur 1. ut percussio sit facta nomine tuo vel in tui gratiam. 2. Ut ratihabitionem externe significes. 3. Ut quando evenerit percussio fueris habilis ad mandatum vel consilium percussionis, saltem habitualiter; nam si fueris amens, non incurris, secus, si ebrius aut dormiens, ita communiter Bon. [11] Pal. [12] Conc. [13] Croix [14] et Salm. [15] cum Suar. Sayr. etc.

268. « Item non impedientes, saltem si ex officio aut iustitia teneantur, ut reges, iudices, et caeteri superiores. Item patres, tutores, heri, paedagogi, parochi etc. quibus aliorum cura de-

(1) De cens. c. 2. p. 5. n. 67.
(2) D. 3. p. 25. §. 4. n. 6.
(3) T. 3. de cens. in part. d. 2. q. 3. p. 6. n. 18.
(4) C. 27. n. 51. (5) D. 22. sect. 1. n. 55.
(6) De cens. c. 4. p. 2. n. 29
(7) D. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 1. (8) L. 7. n. 305.
(9) T. 1. p. 266. quaest. 4. (10) Cit. n. 22.
(11) D. 2. q. 3. p. 6. §. 3. n. 3.
(12) D. 3. p. 25. §. 2. n. 14. (13) T. 10. p. 467. n. 6. (14) L. 7. n. 306. (15) Ibid. n. 23.

mandata est. Ita Laym. [1] Bonac. [2] ex Molin. et commun.

269. » Dixi *saltem etc.* quia, si ex caritate tantum teneantur, etiam excommunicari docent Suar. Cai. Fill. Mol. Sayr. etc. Verum id probabilius negat Bon. [3] ex Nav. Con. Reg. Henriq. Mol. etc. (Et ita verius tenent Nav. [4] Bon. [5] Laym. [6] et Pal. [7] cum Holzm. et Henr. ac Salm. [8] cum s. Anton. Palao Con. Bon. Avil. Ratio quia hi tantum percussioni censentur favere (ut loquitur *c. Quantae, de sent. excomm.*) qui ex iustitia tenentur impedire, non autem qui solum ex caritate, etsi ex odio non impediant, cum ad incurrendam censuram etiam actus exterior requiratur iuxta dicta *n.* 34.).

270. » Dicitur 2. *clericum*, quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus (etiamsi coniugatus, dummodo cum unica virgine), et deferat habitum serviatque alicui ecclesiae, item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantum (Ita communiter etiam Salm. [9]. Non incurrit vero qui percutit clericum bigamum ex reali bigamia; secus autem si ex similitudinaria, nempe qui in sacris constitutus matrimonium contraxerit et consummaverit, neque incurrit percussor clerici, qui habitum deponens saecularibus negotiis se ingesserit, nec post tertiam monitionem sui praelati resipuerit. Salm. [10] communiter. *Vide hoc et alia l.* 6. *n.* 827.).

271. » Dicitur 3. *monachum*, intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, utriusque sexus. Item tertiarios s. Dominici, s. Francisci, si gestent habitum et vivant in communitate. Item eremitas subiectos alicui regulae vel superiori. »

Unde gaudent privilegio canonis omnes viventes in communi sub aliquo praelato, ex expressa vel tacita papae auctoritate, quamvis in eorum communitate non fiat professio, ita Nav. [11] Suar. [12] et Bon. [13] cum Con. Mol. Fill. Reg. Avila Graff. etc. Idem dicit Fagn. [14] de mulieribus conviventibus in conservatoriis, quamvis religio non sit adhuc approbata, quia, cum religiose vivant, censentur personae ecclesiasticae. Et idem ait Renzius [15] de seminaristis et pueris collegiorum, ut sunt Neapoli pueri s. Mariae Lauretanae, s Onuphrii etc.

Eodem privilegio gaudent eremitae, qui ex voto aut pacto addicuntur alicui loco sacro cum subiectione ad episcopum, ut docent Suar. [16] Fagnan. [17] Cont. Tourn. [18] Ronc. [19] et Bon. [20]. Idem dicit Pal. [21] de eremitis qui sub aliqua regula et obedientia vivunt, edito obedientiae aut paupertatis voto. Communiter vero docent praefati aa. minime gaudere eremitas vagos qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui ecclesiae, etiam ex commissione episcopi, ut Fagn. [22] ex decisione rotae romanae.

272. « Dicitur 4. *manus iniecerit*, per quod intelligitur quaevis contumeliosa actio exterior mortalis circa clerici personam vel res ei adhaerentes, sive fiat manu, sive baculo, gladio etc. Bonac. [23]. »

273. Ad incurrendam igitur hanc excommunicationem requiritur ut percussio sit mortaliter peccaminosa, et etiam externe gravis, ut docent Bon. [24] ac Cai. Mol. Pignat. etc. apud Croix [25]. Quare non incurrit qui tantum signum facit percussionis et non percutit, ut Salm. [26] Conc. [27] Cont. Tourn. [28] et alii passim. Sed hic recte notant Pal. [29] Suarez [30] Croix [31] cum Sperelli et Bonac. [32] cum Con. Fill. et Reg., quod semper ac percussio existimetur graviter in-

(1) L. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 6. (2) D. 2. qu. 5. p. 4. n. 8. (3) L. c. (4) C. 27. n. 78. (5) D. 2. qu. 5. p. 6. §. 2. n. 5. (6) Tr. 5. p. 2. c. 5. n. 6. (7) D. 3. p. 23. §. 2. n. 13. (8) De cens. c. 4. p. 2. n. 25. (9) Ibid. n. 21. (10) L. c. (11) C. 27. n. 70. (12) D. 21. sect. 1. n. 22. (13) D. 2. qu. 5. p. 6. sect. 3. n. 16. (14) In c. Nullus, de toro comp. n. 59 (15) P. 554. q. 11. (16) D. 22. sect. 1. n. 22. (17) L. c. (18) Tr. de cens. part. 2. cap. 1. art. 4. sect. 1. quaer. 3. (19) P. 102. q. 2. (20) L. c. (21) D. 3. p. 22. §. 1. n. 14. (22) L. c. n. 59. (23) D. 2. q. 4. p. 1. (24) D. 2. q. 5. p. 6. sect. 1. §. 1. (25) L. 7. n. 501. (26) De cens. c. 4. p. 2. n. 27. (27) P. 467. n. 7. (28) Loc. cit. quaer. 4. (29) D. 3. p. 23. §. 2. n. 2. (30) D. 72. sect. 2. n. 26. (31) L. c. (32) D. 3. n. 2.

luriosa, ratione reverentiae clerico debitae, sufficiet ad censuram quaevis percussio levis, etiamsi levissimus tactus physicus intercedat. Advertendum cum communi dd. (ut notat Croix [1]) quod hic canon, prout in favorem clericorum emanatus, non stricte sed latissime intelligendus sit.

Ex his resolves:

274. « 1. Hanc excommunicationem incurrit 1. Qui talem conspuit, conspergit aqua, pulvere, conspurcat luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim et iniuriam de eius corpore, verbi gratia pileum, pallium etc., ita ut actio sit graviter iniuriosa, Bon. [2] Laym. [3]. 2. Qui concludit aut violenter detinet carcere vel loco unde sine dedecore non potest exire [4]. 3. Qui persequitur, ut in flumen, fossam incidat, equo decidat etc. [5] (An autem incurrat is qui clericum insequens praeter intentionem et praevisionem est causa ut ille cadat. Negat Bonac. [6] cum Sylv. et Renzi [7] et merito probabile putat Croix [8] quia tunc casus mere per accidens se habet. Sed non minus probabiliter affirmat idem Croix cum Sperelli; hinc dicit cum eod. Sperelli Fagn. etc., et huic consentit ipse Bon.[9] non excusari ab excommunicatione explodentem sclopum in clericum, qui ob metum exanimis caderet, licet globus eum non tangeret, quia tunc explodens est causa per se talis laesionis). 4. Qui manus violentas iniicit in equum cui is insidet, occidendo, vulnerando, caedendo, sistendo per frenum, quae actio, licet sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris[10] (Idque docent commun. Suar. Pal. Bonac. et alii cit. *n.* 273. ac Salm.[11] cum Layman Avila etc.). 5. Qui aliquid supradictorum facit, etiam clerico consentiente, dummodo sit iniuriosum ordini clericali. Laym. [12] (Ita commun. Suarez Bonac. Con. et alii cum Salm.[13], ex *c. Nemo, caus.* 11. *q.* 5. *et ex c. Contingit, de sent. exc.* Clericus autem consentiens ex *eod. c. Contingit* etiam subest excommunicationi, sed haec est tantum ferendae sententiae, ut bene advertunt Bonac. et Croix [14], dum in dicto textu dicitur: *Si quis clericus sponte se subiecerit, excommunicetur.* Hoc tamen intelligendum si talis percussio, non obstante consensu clerici, non desineret esse iniuriosa: nam secus esset si consensus auferret iniuriam, puta si clericus petat caedi ab alio ut luat sua peccata; Salm.[15] cum Con.). 6. Clericus si seipsum ex malitia vel passione (secus si ex devotione) percutiat iniuriose; Laym.[16] ex Nav. (Ita cum Bus. tenent Suar.[17] et Bonac.[18] cum Navar. Con. Sayr. Avila etc. Sed merito oppositum putant probabile Pal.[19] Diana[20] et Croix [21] cum Tolet. Barbos. Turian. Pasqual. et Delbene, quia revera canon videtur tantum loqui de altero clericum laedente). 7. Qui percutit clericum etiam meritum, si fiat vel per quem non debet, ut si morte dignus puniatur a iudice saeculari, vel modo illicito, ut si a praelato puniatur per laicum. Bon.[22] ex Nav. Sayr. Suar. Fill. Conc. etc. Vide Laym.[23].

275. » 2. Non incurrit 1. fur qui clam abscindit crumenam vel vestem tollit clerico, quia non est actio violenta, sed fraudulenta (Secus, si violenter auferat, ut Laym.[24] cum Caiet. Con. Suar. Mol. et Salm.[25] cum Palao Avila etc. commun., quia tunc actio, etsi non corpus clerici, laedit tamen honorem). 2. Si percussio sit iocosa (Quamvis sit gravis, et etiam cum aliqua ira irrogetur, modo non pertingat ad peccatum mortale, ut recte dicunt Pal.[26] Bon.[27] et Salm.[28] cum Avila et Tamb., ex *c.* 1. *de sent. excom.* ubi dicitur: *Nec clerici* (excommunicantur), *si sunt plenae aetatis, et non ex odio*

(1) Ib. (2) L. c. (3) C. 5. n. 5. (4) Ibid.
(5) Ibid. (6) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 1. n. 5.
(7) T. 1. p. 577. q. 6. (8) L. 7. n. 508. (9) L. c.
(10) Ib. (11) De cens. c. 4. p. 2. n. 26. et 27.
(12) L. c. (13) Ibid. n. 19. (14) L. 7. n. 505.
(15) De cens. c. 4. p. 2. n. 20. (16) L. c.
(17) D. 22. sect. 1. n. 59.
(18) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. n. 7.
(19) D. 3. p. 22. §. 2. n. 4.
(20) P. 9. tr. 4. r. 7. (21) L. 7. n. 510.
(22) L. c. (23) C. 5. (24) De cens. c. 5 n. 5
(25) Ibid. n. 26. (26) D. 3. p. 23. §. 3. n. 2.
(27) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 5. (28) Ib. n. 25

(intelligitur gravi), *vel invidia*, *vel indignatione*, *sed levitate iocosa se ad invicem percutere contingat*), vel casualis, v. gr. si ianitor, vel apparitor turbam arcens percutiat clericum, item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percutiant. Bonac. [1] ex Mol. Fill. Con. etc. (Imo etiam in minoribus constituti, et quamvis sanguis e naribus effundatur, ut Salm. [2] Pal. [3] cum Layman Con. et Mol. ac Bon. [4] cum Fill. et Avila, quia regulariter percussio puerorum non reputatur graviter iniuriosa, idque admittit Sotus apud Salm. [5], etiamsi percussio fuerit gravis: hoc tamen intelligendum, si haec non fuerit intenta). Item si percussio fit ad defendendum se, vel vitam suam vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen inculpatae tutelae, Layman [6]. 3. Et denique quandocumque percussio ob levitatem vel imperfectionem actus non esset mortalis, illata laico, ut docent Caiet. Avila et Sa, quod tamen Suar. universaliter non admittit. Vide Bon. [7]. 4. Si fiat in tenebris, vel clericum non agnoscas quod habitum non gestet, quia ignorantia excusat. »

Sic etiam excusat ira subitanea, quae efficiat ut non plene advertatur quod fit, ut communiter Suar. [8] Bon. [9] Layman[10] Pal.[11] cum Con. et Salm.[12]. Sed hic dubit. 1. an incurrat excommunicationem qui percutit aliquem ignorans esse clericum, sed animo comparatus, ut si sciret etiam percuteret. Affirmant Cov. Ugol. etc. ap. Croix [13]. Sed communius et probabilius negant Sanch.[14] Suar.[15] Bon.[16] cum Vasq. Mol. et Fill., item Pal. et Nav. apud Croix [17], quia in ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quae non est vera voluntas. Secus vero dicendum si percutiens iam dubitaret an ille esset clericus, ut bene docet Bon.[18] cum Avila. Et idem tenent Suarez [19] Sanchez [20] Croix [21] ac Bon.[22] cum Filliuc. Avila et aliis, si quis clericum percutiat ignorans esse clericum, sed intendens eum percutere, sive laicus ille sit sive clericus. Dubit. 2. an ab incurrenda excommunicatione percussionis clerici excuset ignorantia crassa. Affirmant Sylv. Abb. Felin. etc. apud Sanch.[23], quia (ut aiunt) illud, *suadente diabolo*, importat dolum qui non reperitur in ignorantia crassa; sed merito id reprobant Croix[24] et Sanch.[25] cum Cov. Tabien. et aliis, quia tò *suadente diabolo*, tantum importat percussionem cum peccato gravi. Dubit. 3. an incurrat qui percutit Petrum clericum reputans Paulum clericum. De hoc *vide dicta l.* 3. *n.* 628. *v. Quaer.* 1. ubi sententiam affirmativam tenuimus.

« 5. Si praelatus, praeceptor, pater subditum in minoribus constitutum correctionis causa (licet ira accedat) percutiat moderate, habita ratione culpae (Ita etiam Salm.[26] cum Bon. Avil. etc. et idem dicunt Salm.[27] de consanguineo qui percutit clericum, cuius curam habet, ex *c. Cum voluntate* 54. §. *Si qui de sent. excom.*). Imo praelatus et praeceptor ecclesiasticus potest etiam in maioribus constitutum castigare (Intellige semper moderate: nam s. c. declaravit excommunicatum quemdam parochum, qui clericum suum discipulum correctionis causa in capite pluries percusserat, et deinde pugnis et baculo verberavit, ut refert p. Zach.[28] qui ob eamdem rationem non excusat ab excommunicatione praelatum si religiosum cum excessu verberet, pede trudat, aut similia faciat). An idem possit pater, controvertitur in utramque partem probabiliter. Vide Laym.[29]. »

Quaer. an pater possit verberibus clericum punire. Certum est posse, si clericus est in minoribus ex *d. c. Cum*

(1) L. c. (2) De cens. c. 4. p. 2. n. 23. (3) L. c. n. 2. (4) L. c. sect. 1. §. 1. n. 14. (5) Loc. cit. (6) Infra. (7) L. c. (8) D. 22. sect. 1. n. 50. (9) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 3. (10) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3. (11) D. 3. p. 5. §. 3. n. 3. (12) Dict. n. 28. (13) L. 7. n. 514. (14) Dec. l. 2. c. 10. n. 16. (15) D. 4. sect. 3. n. 3.

(16) De cens. in comm. d. 1. q. 2. p. 1. n. 14. (17) L. c. (18) Ib. n. 13. (19) N. 10. (20) N. 14. (21) D. n. 514. (22) N. 21. (23) De matr. l. 9. d. 32. n. 41. (24) L. 7. n. 514 (25) L. c. (26) De cens. c. 4. p. 2. n. 29. (27) Ib. (28) Adn. ad Croix l. 7. n. 516. (29) Loco mox citando.

voluntate 54. §. *Si qui vero*, *de senten. excom.* ubi id conceditur omnibus illis *qui aliquos de familia sua*, *vel propinquos inferiorum graduum*, *ut cohibeantur a suis insolentiis*, *duxerint corrigendos*. Dubium est an possit si clericus est in sacris constitutus.

Prima sententia negat, et hanc tenent Laym.[1] Pal.[2] cum Host. Panorm. Ang. Molin. etc., quia nullibi habetur quod pater possit manus iniicere adversus clericos in sacris. Haec est probabilis: at *sententia affirmans* videtur probabilior et hanc tenent Suar. [3] Bonac. [4] Conc. [5] Cont. Tourn. [6] et Salm.[7] cum Valent. Bann. Con. et Avila. Et probatur ex *c.* 1. *de sent. excom.* ubi excusatur magister, *si scholarem clericum* (quamvis *sit plenae aetatis*, ut ibi praemittitur, unde includitur etiam clericus constitutus in sacris) *intuitu disciplinae vel correctionis percusserit*. Si ergo non solum causa disciplinae, sed etiam correctionis potest magister clericum percutere, tanto magis poterit pater, cui principaliter et de iure naturali incumbit compescere insolentias filiorum.

« 6. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus, vel exercens publice officium cauponis vel macellarii, vel scurram, et ter monitus non cesset, vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, sorore vel filia, vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem, quia perdit privilegium. Vide Laym. [8] Fill. [9].»

Ita ex *c. Si vero* 3. *de sent. excomm.*, ubi excusatur a censura qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum manus iniecerit violentas, secus si mulier illa non sit ita proxima in consanguinitate. Hinc Filliuc. [10] Laym. [11] et Bon.[12] cum Mol. Con. etc. communiter non excusant percussorem clerici inventi cum avia aut nepte. Putant vero Nav.[13] et Bon.[14] cum Mol. Con. et Avila excusari maritum, si ex industria se abscondit expectans clericum id ignorantem, ut deprehensum in adulterio occidat; secus si conventione facta cum uxore se abscondat, cum iura numquam intendant fraudes patrocinari. Sed etiam in primo casu rectius Layman [15] cum Nav. contradicit Bon., quia tunc minime verificatur quod vir inveniat clericum, dum eum expectat: hic enim ideo excusatur, quia (ut ait Glossa) nequit compescere subitaneam iram, ad quam potius tunc se excitaret. Dicunt autem Suar.[16] Bonac.[17] Cont. Tourn.[18] et Salm.[19] cum Pal. Layman Con. etc. bene excusari virum, si occidat clericum inventum cum uxore in loco suspecto, vel cum ea colloquentem post monitionem quod se abstineat a tali collocutione. Notant item Cont. Tourn.[20] Conc.[21] et Croix[22] cum Nav. Sylv. Ang. etc., tunc tantum excusari virum percutientem talem clericum, quando percussio fit in ipso facto vel continuo post adulterium, tunc enim solum acer ille doloris sensus meretur indulgentiam. Excusatur etiam mulier percutiens clericum qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere. Unde si clericus tantum verbis tentat, verbis tantum hunc debet repellere, nisi ille sit adeo importunus ut non valeat foemina per sola verba ab eo liberari, ita Suar.[23] et Salm.[24] cum Sylv. Avila Sayr. etc. Hoc tamen intelligendum, si ex tali sollicitatione constituatur mulier in aliquo morali periculo labendi, saltem in peccatum cogitationis.

276. « Resp. 2. Etsi haec excommunicatio sit reservata papae, potest tamen episcopus ab ea absolvere his casibus: 1. Quando percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum iudicio levis, comparata cum enormi (Ita ex *c.*

(1) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9. (2) D. 5. p. 25. §. 5. n. 8. (3) D. 22. sect. 1. n. 49. (4) D. 2. q. 5. p. 5. sect. 4. n. 4. (5) T. 10. p. 468. n. 8. (6) Tr. de cens. part. 2. cap. 1. art. 4. sect. 1. v. 5. Excusatur. (7) De cens. c. 4. p. 2. n. 50. (8) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. (9) L. 15. c. 1. (10) Tr. 15. c. 1. q. 6. n. 12. (11) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. (12) D. 2. q. 5. p. 6. sect. 4. n. 7 (13) C. 27. n. 84. (14) L. c. n. 6. (15) Loc. cit. (16) D. 22. sect. 1. n. 57. (17) L. c. n. 8. (18) Loc. cit. v. 2. Excusatur. (19) De cens. c. 4. p. 2. n. 31. (20) L. c. (21) P. 469. (22) L. 7. n. 507. (23) D. 22. sect. 1. n. 25. (24) Dict. n. 51.

Pervenit, de sent. excom.), v. g. si fiat palma, pugno aut lapide non relinquente vestigium, et secundum Anton. et Diana [1], nisi notabilem iniuriam et magnum scandalum pariat, qualem negat esse, si quis sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttae sanguinis effluant (Ita etiam Viva [2] cum Diana et Glossa). Enormis vero erit si membrum praescindatur, copiosus sanguis fundatur, vel etiam ratione dignitatis personae, ut si percutiatur episcopus vel abbas etiam alapa. 2. Si percussor sit impubes, pauper, aeger, senex, mulier, caecus, claudus, servus, filiusfamilias, vel non sui iuris, uti et regulares ac moniales invicem verberantes, item si sint homines delicati, et quotquot habet legitimum impedimentum ut non possint ire ad papam aut eius legatum, vel si dubium sit de excommunicatione, Fill. [3]. Denique si sit occulta. Vide supra hic et Dianam [4]. In quibus omnibus casibus pro foro conscientiae potest etiam facultas absolvendi impetrari gratis quidem ex poenitentiaria romana a maiore poenitentiario, ut supra *lib. 1. in Append.*»

277. Oportet igitur distinguere: alia est percussio *enormis*, alia *mediocris* sive gravis, alia *levis*, quae non iam dicitur levis, quia importat tantum peccatum veniale, ad incurrendam enim excommunicationem semper requiritur culpa gravis, sed dicitur levis respectu ad gravem et enormem. Huiusmodi distinctio communiter a dd. assignatur et colligitur a constitutione in *Extrav. perlect.* quae in extensum refertur a Nav.[5], ibique ab aliis attribuitur Innocent. IV. et ab aliis Pio II., sed Nav. eam attribuit Ioanni XXII. Caeterum communiter aa. illam admittunt, ut Cabass. [6] et Pal. Bonac. Ronc. et infra citandi. In praefata autem *Extrav.* sic legitur: *Respondemus percussionem levem esse pugni, palmae, manus, pedis, digiti aut baculi aut lapidis, quae nullam maculam neque sugillationem carnium relinquit, neque abscindit membrum, sine extractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere quod huiusmodi levis percussio, ut pugni aut unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad iudicandum tamen quae laesio sit levis, mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi non solum factum, sed etiam qualitatem eius et modum percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personae et aliis. Personae, si est magister, iudex, praelatus, pater, patronus, aut dignitas, percussus iniuste a subdito, aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur graves iniuriae, quae ex se sunt leves aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem huius rei, relinquimus tuo arbitrio ut declares quae sit levis et quae enormis iniuria, admonentes ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere, quam, declarando levem esse, ne occasionem praebeas laedendi statum ecclesiasticum.*

Hinc dicunt dd. esse percussionem *mediocrem* illam qua extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit sugillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi laesione vel iniuria, ita Bon. [7] et Ronc. [8]. Percussionem vero enormem dicunt idem Bon. et Ronc. ac Pal. [9] Cont. Tourn.[10] et Concina [11] esse, si magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio aliunde quam e naribus, vel magna iniuria.

278. Communiter autem advertunt praefati aa. et alii, quod saepe percussio levis possit evadere gravis vel enormis ratione circumstantiarum, nimirum: 1. Ratione *personae laesae* prout si percutiatur episcopus, abbas, praelatus monasterii, aut iudex, herus, aliusve in dignitate constitutus, dicunt Pal. Bon. Conc. et Ronc.[12]. 2. Ratione

(1) P. 9. t. 4. res. 19. (2) Q. 5. art. 3. n. 8.
(3) L. 15. c. 6. n. 35. (4) P. 9. t. 4. r. 65.
(5) Man. c. 27. n. 91. (6) T. I. l. 5. c. 2. n. 6.
(7) D. 2. p. 6. sect. 5. n. 8. (8) P. 104. a. 1. r. 3.
(9) D. 3. p. 23. §. 4. n. 2.
(10) De cens. part. 2. c. 1. a. 4. sect. 1. v. Itaque.
(11) P. 468. n. 9.
(12) Locc. cc.

personae laedentis, ut si officialis laicus auctoritative percutiat clericum, vel plebeius ecclesiasticum nobilem, Suar.[1] Ronc.[2] et Bon.[3] cum Nav. Mol. Fill. et Reg. 3. Ratione *personae coram qua fit percussio*, nempe si fit coram praelato, aut alia persona in dignitate constituta, Bonac. Ronc. et Pal. cum Mol. 4. Ratione *scandali*, nempe si monachus cum gravi scandalo clericum saecularem percutiat, Viva[4] Roncag.[5] et Bon.[6] qui addit idem esse si quis percutiat clericum in claustro coram regularibus. 5. Rationi *loci*, nempe si percussio fit in ecclesia vel platea, Cabass.[7] Pal. Conc. Cont. Tourn.[8] et Ronc. 6. Ratione *temporis*, ut si quis percutiat clericum sacris vestibus indutum, vel dum vacat publicis officiis in choro, vel in actu processionis aut publicae supplicationis, Cabassut. Pal. Cont. Tourn. et Ronc. 7. Ratione *iniuriae*, ut si quis clericum denudet, vel atramento aut stercore eius vultum foedet, ut Cabass.[9].

279. His positis, sciendum quod a percussione levi, etiam publica, possint absolvere episcopi, ut docent communiter dd. cum Bon.[10] et patet ex *c. Pervenit, de sent. excom.* Et sic pariter eorum vicarii generales, quia hoc habent episcopi de iure ordinario, ut Sanch.[11] et Bonac.[12] cum Mol. Regin. Lazar. etc., *vide dicta n.* 224. Utrum autem possint ab ea absolvere habentes iurisdictionem quasi episcopalem, *vide dicta n.* 79. A percussione vero enormi aut mediocri, si est publica, potest absolvere tantum papa aut legatus a latere qui gaudet auctoritate pontificia ex *c. Ad eminentiam de sent. excom.* Item possunt etiam legati missi ad aliquam provinciam ex *c. penult. De offic. legati.* Si vero percussio fuerit occulta possunt ab ea absolvere etiam episcopi ex *c. Liceat* 6. *in sess.* 24. *Trid.* Et a publica etiam mulieres, ex *c. Mulieres, de sent. excom.* Et hoc etiamsi percussio fuerit enormis, ut Viva[13] cum Suar. Mol. et Fill. Et sic pariter possunt absolvere impuberes, etiamsi hi post pubertatem absolutionem petant, Viva[14] cum iisdem aa. ex *c. Pueris fin. eod. tit.* Item eos qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis, non vero si enormis, *vide dicta num.* 88. Item omnes impeditos adire Romam, iuxta dicta *citato num.* 88. Quos autem, et quando praelati regulares possint absolvere subditos et alios ab hac excommunicatione, *vide dicta n.* 107. Bene autem advertit Croix[15] quod pro absolutione censurae ob percussionem clerici etiam publicam potest recurri ad s. poenitentiariam.

280. Dubit. 1. An in dubio percussio iudicanda sit levis aut gravis. Bordon. apud Vivam[16] dicit censendam esse levem. Sed omnino dicendum est oppositum cum Bon.[17] Viva et Ronc.[18] ac Conc.[19] qui testatur esse commune, et patet ex cit. *extrav. Perlectis, num.* 227. verbis illis: *Admonentes ut potius declares in dubio esse percussionem gravem et ab ea non posse absolvere.* Ibique datur ratio, *ne occasionem praebeas laedendi statum ecclesiasticum.*

Dub. 2. An incurrat hanc censuram qui clerico venenum praebet. Adsunt quatuor sententiae.

Prima sententia, quam tenent Avila et Rodriq. apud Dianam[20], absolute negat, nisi venenum per vim praebeatur ad potandum: nam alias (ut aiunt) non fit violentia personae, sed naturae; sed merito Diana[21] hanc opinionem reiicit, cum sit contra communem, et Renzi[22] refert anno 1640. eam fuisse expunctam ex summa Rodriq. ob mandatum s. inquisitionis in suo expurgatorio.

Secunda sententia, quam tenent Filliuc.[23] et Suarez ac alii apud Croix[24], dicit non incurrere censuram, nisi morte secuta; sed neque haec opinio videtur satis probabilis.

(1) D. 22. sect. 1. n. 91. (2) L. c. (3) D. n. 8. (4) De censur. q. 5. ar. 3. n. 8. (5) L. c. (6) Ib. (7) T. I. l. 5. c. 2. n. 6. (8) Ibid. (9) L. c. (10) D. 2. q. 3. p. 7. sect. 5 n. 3. (11) De matr. l. 3. d. 7. n. 10.

(12) L. c. p. 6. s. 5. n. 4. (13) Q. 5. a. 5. n. 10. (14) L. c. (15) L. 7. n. 325. (16) Q. 5. a. 3. n. 8. (17) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. n. 8. (18) L. c. (19) P. 468. n. 9. (20) P. 9. tr. 4. r. 36. (21) Loc. cit. (22) T. 1. p. 578. quaest. 9 (23) Tr. 11. n. 126. (24) L. 7. n. 302.

Tertia sententia, quam tenet Croix [1] cum Beia et Sperelli, dicit hunc ab initio incurrere, quia venenum de se est aptum statim laedere.

Quarta sententia demum communior, quae videtur mihi probabilior, dicit non incurrere nisi postquam venenum incoeperit laedere. Ratio, quia ad incurrendam censuram canonis non requiritur mors, sed requiritur quidem effectus secutus, nempe violentia illata; antequam autem venenum laedat non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam inferendam, ita Bon. [2] Viva [3] et Diana [4] quibus adhaeret etiam Renzius [5].

Articulus V. Quae sint excommunicationes papae reservatae per bullam Coenae.

281. *De excommunicatione in retinentes, legentes etc. libros haereticorum.*
282. *Ad quam incurrendam requiritur 1. ut auctor sit haereticus. An legi possint libri infidelium vel hebraeorum.*
283. *2. Ut liber haeresim contineat vel de religione agat. Quid, si error abradatur, vel si auctor non sit damnatus ut haereticus. Quid, si quis legat ad confutandum haereticum.*
284. *3. Ut legatur materia notabilis.*
285. *4. Ut scienter legatur etc.*
286. *Non incurritur 1. Si legas librum referentem verba haereticorum 2. Si legas scholia haereticorum.*
287. *An prohibeantur libri philosophici vel qui incidenter haeresim continent.*
288. *Quinam libri prohibentur in indice.*
289. *Quot classes librorum prohibitorum index constituat.*
290. *Ad quem spectet libros prohibere.*
291. *An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros haereticos. Et an legere libros prohibitos ei qui certus est lectionem non esse sibi obfuturam.*
292. *An incurrat qui legit prooemium, indicem etc. An qui audit legere. Et quid si inducat ad legendum.*
293. *An qui legit scripturam brevem vel manuscriptum.*
294. *An qui legit duas lineas vel minus quam paginam.*
295. *An qui retinet parvo tempore.*
296. *An excuset ignorantia crassa. Quid, si quis scit ex viro probo librum esse prohibitum.*
297. *An incurrat excommunicationem qui impedit ne liber comburatur, aut laudat stylum etc.*
298 *An incurrat qui deponit librum prohibitum apud alium.*
299. *An qui eum comburit. A quo impetranda licentia legendi.*
300. *Ad incurrendam excommunicationem ex haeresim requiritur 1. Ut sit formalis.*
301. *Qu. 1. An incurrat errans ex ignorantia crassa vel affectata.*
302. *Qu. 2. An qui dubitat circa res fidei.*
303. *Requir. 2. Ut error externetur.*
304. *Requir. 3. Ut manifestatio sit moraliter mala. Requir. 4. Animus profitendi errorem.*
305. *Vide alia advertenda.*
306. *Incurrunt etiam*, credentes, fautores, receptatores *et* defensores.
307. *Qu. 1. An qui favent haeretico ob amicitiam etc.*
308. *Qu. 2. An qui haereticum recipit ne capiatur, effectu non secuto.*
309. *Item incurrunt excommunicationem bullae. 1. Surripientes bona naufragantium.*
310. *2. Domini imponentes tributa.*
311. *3. Quinam alii incurrant excommunicationem bullae.*

281. « Resp. Praecipua est in haereticos, quae extenditur non tantum ad fautores, receptatores et defensores haereticorum, ut sic, sed etiam in *scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros haereticorum de religione tractantes vel haeresim continentes, ex quavis causa publica vel occulta, quovis ingenio vel colore.* Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones: 1. Ut auctor libri sit haereticus. 2. Ut liber haeresim expresse contineat vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis et sufficiens ad mortale. 4. Ut scienter legatur, imprimatur vel retineatur. Layman [6]. »

282. Ut igitur haec excommunicatio incurratur, requiritur 1. ut auctor sit haereticus: quapropter eam non incurrunt legentes libros infidelium, etsi haeresim contineant, dum dicitur in bulla *libros haereticorum*, ita Suar.[7] et Salm.[8] cum Sanch. Pal. etc. Liber autem Thalmud et similes hebraeorum prohibentur per bullas Pii IV. et Clementis VIII. apud Croix [9]. Dicit autem Holzm.[10] etiam numerari inter libros in bulla vetitos librum qui ex professo tractet de haeresi, quamvis lateat auctor, quia tunc auctor certe censetur haereticus.

283. Requir. 2. ut liber de religione tractet vel haeresim contineat. Sufficit

(1) L. c. (2) D. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 1. n. 6. (3) Q. 5. a. 4. n. 2. (4) L. c. (5) L. c. (6) L. 2. t. 1. c. 15. n. 1.

(7) D. 20. s. 2. n. 11. et 15.
(8) De cens. c. 4. p. 5. n. 71. (9) L. 7. n. 555
(10) T. 1. p. 179. n. 78. v Qui legunt.

igitur ut liber unum tantum errorem contineat contra fidem, vel si ex professo (non autem obiter) agat de religione, nempe de s. scriptura vel de theologia scholastica, dogmatica aut morali, vel mysteriis fidei, de cultu Dei aut sanctorum, de ritibus ecclesiae, de canonibus, de rebus spiritualibus et similibus, ita Salm. [1] Suar. [2] Sanch. [3] Laym. [4], item Dicast. Illsung. Tamb. etc. apud Croix [5]. Si vero error ille contra fidem sit abrasus a libro, Croix[6] cum Pignatello dicit probabiliter excusari a censura qui reliqua libri legit, quia tunc liber non continet amplius haeresim nec ullum periculum inducit. Contradicunt tamen [7] Suar. Bonac. et alii, ac Sanchez [8], quia particularis illa expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Sed mihi non displicet distinctio quam tradit Sporer [9], nempe si liber tractet ex professo de religione, non obstante abrasione erroris, remanet prohibitus, quia in bulla omnino vetatur legere aut retinere libros haereticorum tractantes de religione. Secus si liber tractet de alia materia, puta de philosophia aut de historia, exceptis tamen libris centuriatorum magdeburgensium et similibus, in quibus revera tractatur de religione, atque in iis intentum est evellere statum monasticum et denigrare ecclesiasticum. Dicit autem Croix cum Suar. Tol. Pal. Pignat. et aliis communissime (contra Decian. Masc. et Caram.) legentem huiusmodi libros haereticorum non effugere excommunicationem bullae, etiamsi legat ad confutandum errorem et sine periculo perversionis, quia prohibitio facta est in odium haereticorum, cum in bulla vetetur lectio ex *quavis causa vel colore*. Limitant tamen Laym. et Dicast. apud eumd. Croix [10], si quis vir doctus legeret eos sperans certo fore ut aliquem haereticum convertat: hinc probabiliter dicunt Holzman[11] et Elbel [12] cum Sayr., quod ex epikeia bene excusantur legentes librum haereticum, si necessario indigeant tali lectione ad convincendum haereticum ex suo proprio vel alterius haeretici libro, puta inveniendo contradictionem etc., modo periculum sit in mora nec pateat recursus ad Romam vel alio. Qui vero legeret libros vel scripta ob haeresim vel ob haeresis suspicionem prohibita, licet probabiliter cum Pignatel. et Duardo apud Croix [13] non incurreret excommunicationem bullae, nisi auctor sit damnatus ut haereticus vel natus ex secta haeretica, tamen incurreret excommunicationem indicis, quae vero non est reservata.

284. Requir. 3. ut lectio fiat in materia notabili; nam licet Tolet. et Ugolin. apud Bonac.[14] negent dari in hoc parvitatem materiae, quia (ut aiunt) in una sola linea potest quis errorem invenire: communiter tamen dd. admittunt materiae parvitatem, quamvis discrepent in assignando qualis sit. Alii enim, ut Sanch. [15] cum Sa Manuel. et Vivald. dicunt esse unam paginam et plus, si volumen sit ex maioribus; at hanc opinionem merito non admittunt Salm.[16], et idem sentit Bonac.[17] si pagina sit grandior; alii, ut Graff. et Regin. apud eumd. Bon., dicunt esse tres vel quatuor lineas; alii, ut Suar.[18] et Pal.[19] cum Azor. Conin. et Sayr. apud Bon., dicunt esse decem lineas; alii tandem, ut Holzm.[20] Spor.[21] Elbel [22] et Croix [23] cum Marchant., rectius distinguunt in hoc attendendum esse finem prohibitionis: si aperiendo librum haereticum incidas in doctrinam quae directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus si liber esset principaliter de materia indifferenti; tunc enim legendo etiam

(1) De cens. c. 4. p. 5. n. 72. (2) N. 16.
(3) Dec. l. 2. c. 10. n. 21. (4) L. 2. tr. 1. c. 7. n. 5. (5) L. 7. n. 331. (6) N. 330. (7) Ib.
(8) L. 2. c. 10. n. 5. (9) T. 1. de fide p 122. n. 40.
(10) N. 343. (11) P. 177. n. 77. v. Sed nunquid.
(12) T. 2. p. 439. n. 99. (13) N 334.
(14) D. 7. q. 2. p. 4. n. 14. (15) L. 2. c. 10. n. 31.
(16) De cens. c. 4. p. 5. n. 74. (17) L. c.
(18) D. 20. s. 2. n. 20. (19) Tr. 4. de fide d. 2. p. 10. §. 2. n. 6. (20) T. 1. p. 177. n. 77. v. Dixi quarto. (21) T. 1. p. 124. n. 434.
(22) T. 1. p. 307 n. 1[illegible] (23) L. 7. n 331.

paginam excusaris a mortali si nullum ibi legas errorem.

285. Requir. 4. ut huiusmodi libri scienter legantur, imprimantur aut retineantur. Et eidem excommunicationi subiacent eos ementes, vendentes aut asportantes, ut dicunt Salm.[1] ex decr. pontificum. Nec non defendentes non solum verbo, sed etiam facto, nempe si impediant quominus tales libri episcopo tradantur, ut dicunt Pal. Tamburin. et alii communiter cum Croix[2].

286. « 1. Non excommunicaris 1. Si legas libros catholicorum referentes verba haereticorum, etiamsi animo haeresim discendi legas. Laym. [3] ex Nav. Sanch. etc. (Est commune cum Azor. Suar. Bon. et Pignat. apud Croix[4]). 2. Si in catholici scriptoris libro vel alio, hac bulla non contento, legas adiecta scholia vel notas auctoris haeretici : quod tamen Suar. [5] limitat, nisi scholia essent tam copiosa ut ex iis potius quam ex textu liber constare videretur. Laym. [6] ex Nav. Sanch. etc. »

Quaeritur an legens scholia haeretici in libro catholico incurrat excommunicationem. Affirmant Suar. et Krimer apud Croix[7], si adnotationes essent libro maiores, quia talis liber potius est haeretici commentantis quam catholici. Imo Croix censet incurrere, etsi scholia mole sua non adaequarent librum, quia tales libri magis habentur propter adnotationes, quam propter textum catholicum. Negant vero Tambur. [8] cum Sanch. ac Bon. apud Vivam[9] qui ipsis adhaeret, dicentes Summam d. Thom. non appellari librum Caietani, quamvis huius adnotationes textum d. Th. superent. Addit tamen Viva legentem huiusmodi librum saltem non excusari ab excommunicatione non reservata indicis lata in legentes libros damnatos ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem, ut habetur ibi in *regula* 10. His tamen non obstantibus magis adhaereo primae sententiae, si scholia sint adeo uberiora ut liber potius constet ex ipsis, quam ex doctrina catholica, ut dicunt Pignatell. et alii apud Croix[10].

287. « 2. Non prohibentur haereticorum libri philosophici et alii haeresim non continentes. Lay.[11]. Imo probabiliter nec ii qui incidenter tantum continent haeresim, non agentes ex professo de fide (Verius dicendum de errore, ut docent Sanch.[12] Pal.[13] Bon.[14] et Salm.[15]), Sa et Graff. apud Laym.[16] contra Suar. et Sanch., qui id confirmat pro Germania, ubi bulla cum tanto rigore non est recepta. Vide Bec.[17]. Legens tamen tales incurrit excommunicationem non reservatam indicis librorum prohibitorum, ubi is receptus est, quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum illo rigore, ut habet Laym. [18]. »

288. Hic notandum quod Clem. VIII. in indice librorum prohibitorum, firmato auctoritate Pii IV., vetaverit legere omnes libros haereticorum donec expurgentur, et haeresiarcharum, etiamsi haeresim non contineant nec tractent de religione, sub excommunicatione non reservata, vide Salm.[19] et Croix[20]. Item libros cuiusvis auctoris non haeretici prohibitos ob suspicionem haeresis, ut in *reg.* 10. indicis: Viva [21]. Item s. Pius V. in constit. *Cum sicut*, prohibuit legere aut retinere libros cuiusvis auctoris suspecti de haeresi indigentes expurgatione, donec expurgentur, sub excommunicatione reservata papae. Ut autem agnoscatur quinam libri expurgatione indigeant, dantur regulae in *Expurgatorio romano* apud Salm.[22]. Insuper Sixtus V. prohibuit sub excommunicatione reservata quemcumque librum de astrologia seu divinatione futurorum; vide Salm.[23]. Item in indice prohibentur omnes libri ex professo tractantes de obscoenis, *reg.* 2. 7. *et* 9. Notat autem Croix[24] cum Lay., legentes libros obscoenos peccare

(1) De cens. c. 4. p. 4. n. 47. (2) L. 7. n. 558. (3) L. c. (4) L. 7. n. 555. (5) T. 5. d. 21. s. 1. (6) L. c. (7) L. 7. n. 554. (8) Dec. l. 2. c. 1. §. 7. n. 9. (9) Q. 5. a. 1. n. 8. (10) L. c. (11) L. c. n. 5. (12) Dec. l. 2. c. 10. n. 25. (13) D. 2. p. 10. n. 7. (14) D. 2. q. 3. p. 4. n. 19. (15) De cens. c. 4. p. 5. n. 72. (16) L. c. (17) 2. 2. c. 15. qu. 3. (18) L. c. n. 8. (19) Ibid. n. 75 (20) L. 7. n. 560. (21) Qu. 5. art. 1. n. 8. (22) L. c. (23) Cit. n. 75. (24) N. 560.

quidem graviter, si materia sit gravis, sed non incurrere excommunicationem. Idem dicunt de legentibus libros magicos; sed melius ait Viva [1] eos incurrere excommunicationem non reservatam, quia tales libri in *reg.* 9. prohibentur ob haeresis suspicionem.

289. Sciendum quod index tres classes librorum prohibitorum constituit. 1. Classis continet omnes libros haereticorum haeresim habentes vel de religione tractantes. 2. Classis continet libros catholicorum contra fidem vel bonos mores, qui (ut ait Lupus [2]) non prius censentur prohibiti quam specialiter in indicem referantur: intelligе praeter libros in indice prohibitos per se, ut mox infra. 3. Classis continet libros editos sine nomine auctoris, qui non omnes (ut bene advertit Lupus [3]) damnati sunt, sed tantum illi qui pravam doctrinam tradunt; sic enim videmus practicari a viris probis et doctis, et ita colligitur ex bulla Alex. VII. *Speculatores*, ubi de hac prohibitione pontifex loquens, dicit: *Contingit, ut plerique libri ignoti scriptoris, qui tertiae classi assignantur, peiores multo sint, quam in prima et secunda recensiti.* In indice autem prohibentur in *reg.* 2. omnes libri haeresiarcharum, etsi haeresim non continent et de religione non tractant. Deinde omnes libri haereticorum, donec ab episcopis examinentur et approbentur. Item biblia vulgaria et libri controversias disserentes inter haereticos vulgari sermone conscripti. Item libri obscoeni ex professo et libri magici. Hinc ibi excommunicatur qui libros haereticorum vel cuiusvis auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata legerit vel habuerit.

290. Prohibere libros per totum orbem spectat ad pontificem et pro ipso ad s. congregationem. Episcopi autem et inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Magister s. Palatii etiam potest; sed, ut putat Bordonius [4], tantum pro urbe et eius districtu: numquam enim visae sunt illius prohibitiones publicari.

291. Putat Croix [5] quod, cum datur licentia legendi libros haereticos ad errores confutandos, graviter peccaret qui legeret ex curiositate (licet excusaretur ab excommunicatione), quia tunc cessat finis licentiae; sed haec ratio non suadet, tum quia finis praecepti non cadit sub praecepto, ut diximus *de ieiun. l.* 3. *n.* 1022., tum quia superior ob duas causas dispensat: primo quia considerat dispensato non imminere periculum perversionis; secundo quia sperat lectionem esse illi vel aliis proficuam, unde si cessat secunda causa, non cessat prima. An autem possit legere librum prohibitum sine licentia qui certus est moraliter lectionem sibi non obfuturam. Quidquid dicant alii, omnino est negandum cum Croix [6] et Pal. Tol. Suar. Sanch. Tambur. etc., *iuxta dicta l.* 1. *n.* 199. *in fine.*

292. « 3. Excommunicantur 1. Qui in sufficiente quantitate solum prooemium vel epistolam ad lectorem, vel indicem libri vel partem libri, in qua nulla est haeresis, legit, ut habet Layman [7] et Bonac. (*Vide dicta n.* 284.). 2. Probabiliter etiam is qui alterum iussu suo legentem audit, quia legit per alium. Layman [8] Azor. etc. contra Sanch. (Probabilius dicunt Spor. [9] et Croix [10] cum Azor. Sylv. Pignatell. et Sayr. excusari ab excommunicatione qui audit, modo non induxerit alium ad legendum. Imo Sanch. [11] Pal. [12] cum Con. Ugol. ac Bon. [13] cum Sousa Navarr. et Reg., item Fill. Tambur. etc. apud Croix [14] dicunt excusari, quamvis induxerit; idque merito putant probabile Croix [15] et Viva [16]. Atque Spor. [17] et Sousa ac Stephan. apud Croix excusant etiam a peccato, si audiens ex auditione nullum periculum incurrat perversionis.).

293. » 4. Probabiliter non excommunicatur qui haereticam concionem

(1) Qu. 3. a. 1. n. 8. (2) P. 4. l. 25. d. 1. a. 1. (3) Loc. cit. (4) In man. cons. sect. 48. n. 5. (5) L. 7. n. 546. (6) N. 375. (7) L. c. (8) L. c. (9) P. 124. n. 45. (10) L. 7. n. 342.

(11) Dec. lib. 2. c. 10. n. 48.
(12) D. 2. p. 10. §. 2. n. 4.
(13) D. 1. q. 2. p. 4. n. 11. (14) L. c.
(15) Ib. (16) Q. 5. art. 1. n. 9. (17) L. c.

aut epistolam seorsim editam legit, quia non est liber. Lay. [1] ex Sanch. »

Sic etiam sentiunt Sanch. [2] Holzm.[3] cum Bon. Castrop. et Lugo apud Croix[4]. Sed oppositum tenent Suar. et Farinac. apud Salm. [5]. Sed vide quae dicentur hic in fine huius numeri. An autem incurrant censuram legentes manuscripta haereticorum. Affirmant Holzm. [6] et Croix [7] cum Suarez Sanch. Dicast. Stoz. Pignat. Stephan. et alii communiter, ut asserit. Sed negant Viva[8] Sporer[9] ac Azor. Barb. Tamb. apud Croix, qui putat probabile, quia revera manuscripta non sunt libri, qui facilius, cum sunt impressi, habentur et libentius leguntur. Idem sentit Sylvius (apud Croix) dicens: *Libri manuscripti communicari possunt ad legendum, nam tantum prohibentur ne communicentur ad imprimendum.* Refertque Sylvius sic etiam declaratum fuisse a s. c. Sed his non obstantibus, magis adhaereo primae sententiae, tum quia est communior, tum quia manuscripta etiam veniunt nomine libri, prout quidem libri dicebantur, antequam typum inventum fuisset, et etiam nunc parochorum registra baptismorum, matrimoniorum etc. in rituali et communiter appellantur libri. De contraria autem declar. s. c. ait Croix non satis constare. Caeterum advertunt Salmant.[10] quod in expurgatorio rom., edito ex decr. Trid., prohibetur sub excommunicatione (non tamen reservata) legere omnes scripturas ab haereticis compositas, etiam breves et quamvis haeresim non contineant, donec examinentur et approbentur.

294. « 5. Non sufficit una alterave linea. Imo, secundum Sanch. Rodr. et Sa, nec integra pagina, etiam magni voluminis, quod tamen Bon. et Layman [11] non concedunt; licet hic fateatur confessario id posse ad hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis et excommunicationis eum qui bono fine vel etiam ex curiositate unam paginam legit (*Vide dicta supra n.* 284. *v. Requir.* 3.).

295. » 6. Non incurritur, si retineantur libri parvo tempore, v. g. uno alterove die, quia sicut materiae, ita et temporis parvitas excusat. Laym.[12] ex Graff. Sayr. Sanch. etc. »

Hoc satis probabile est, ut dicunt etiam Bon.[13] Holzm.[14] et Pal.[15]. Idque admittunt idem Pal. et Viva [16] (contra Suarez), etiamsi quis retineat librum illo modico tempore animo semper retinendi, quia tametsi peccet, non incurrit tamen excommunicationem; nam qui retinet per modicum tempus, non dicitur notabiliter retinere. Imo Sanchez [17] Laym.[18] cum Sayro ac Graff. et Pignatell. ac Stoz. apud Croix [19] excusant eum qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus opportunum ad tradendum superiori vel alii licentiam habenti.

296. « 7. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel nescias esse haereticum vel tractare de religione. Laym.[20]. Vide Sanch.[21]. »

Communiter docent dd. non incurrere censuram eum qui legit aut retinet librum cum ignorantia crassa facti vel iuris, quia in bulla damnantur *scienter* legentes etc., ita praeter Busemb. Laym. et Sanch. dicunt Bon.[22] Holz.[23] et alii passim; et hoc est iuxta dicta *n* 47. An autem excuset ignorantia affectata. *Vide n.* 48. *et l.* 6. *n.* 1124. Nullo modo tamen excusatur qui legit aut retinet, sciens ex fama publica vel saltem a viro fide digno librum esse prohibitum, ut docent Lugo Sanch. Bon. et alii communiter cum Croix [24].

297. « 8. Non excusatur is qui librum vel in aliena domo vel alieno nomine vel animo non legendi habet; item nec is qui affirmat non esse pra-

(1) L. c. n. 5. (2) Dec. l. 2. c. 10. n. 30.
(3) P. 77. n. 77. v. Dic. (4) L. 7. n. 357.
(5) De censur. c. 4. p. 5. n. 72. (6) L. c.
(7) L. 7. n. 359. (8) Ad prop. 45. Alex. VII. n. 10.
(9) P. 125. n. 59. (10) Ibid. n. 75. (11) L. c.
(12) N. 7. (13) D. 6. q. 2.
(14) P. 178. n. 77. v. Dic. 10. (15) Tr. 4. d. 2. p. 10. n. 10. (16) Q. 5. art. 1. n. 9.
(17) Dec. l. 2. c. 10. n. 65. (18) L. 2. tr. 1. c. 15. n. 7. (19) L. 7. n. 351. (20) N. 3.
(21) L. 2. mor. c. 10. n. 5. et l. 9. de matr. d. 32.
(22) D. 1. q. 2. p. 4. n. 8.
(23) P. 177. n. 76. Dic. 2 (24) L. 7. n. 345.

vum, non esse exurendum. Item qui impedit ne comburatur, qui disputationis causa defendit. Ita Bon., qui tamen excusat eum qui laudat stylum vel ingenium auctoris vel bonam doctrinam quae in eo est, sed non quatenus in eo est; v. g. si dicat: hic liber esset bonus, si non haberet haeresim; quia talis non defendit. Vide Lay. [1] Bon. [2] »

298. Ex communi sententia docent Suar. [3] Sanch. [4] Pal. [5] Ronc. [6] et Salmant. [7] Croix [8] et Bon. [9] cum Ugolino Graff. et Sousa, non eum effugere excommunicationem qui deponeret librum haereticum apud alium, non abdicando a se dominium; quia is qui retinet dominium adhuc dicitur librum retinere, cum possit repetere quando vult. Idem dicendum cum Croix [10] ex Pign. et communi (contra Duardum) de omnibus aliis libris prohibitis, de quibus adest prop. 45. damnata ab Alex. VII. ubi: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur*. Et idem dicendum de eo qui retinet librum alterius in deposito, commodato aut pignore, ut Salm.[11] et Croix [12] cum Pignat. et Duardo. Dicit tamen Croix [13] cum Verjuys bene satisfacere qui tradit librum in locum sequestratum, qui solet assignari in singulis monasteriis. Caeterum, si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere nisi post expurgationem vel post licentiam obtentam, hunc non damnarem, quia in hoc videtur adaequate cessare periculum legendi; et tanto minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam sub conditione ut reddat si deinde ipse licentiam obtineat.

299. Qui autem habet librum haereticum tenetur tradere inquisitoribus, ex praecepto Iulii III. et Pii IV. Hinc dicunt Suar. Barb. Dicast. etc. ap. Croix [14] incurrere censuram qui illum comburit in loco ubi viget inquisitio. Sed excusant Salm. [15] et Croix [16] cum Sanchez Fill. et Pignat., quia cum liber comburitur, nequit dici quod retineatur. Attamen Iulius III. in sua bulla, *Cum meditatio*, expresse prohibuit in virtute sanctae obedientiae omnibus qui habent libros vetitos cuiuslibet speciei, ne eos lacerent aut comburant, praecipiens eosdem deferri ad inquisitorem aut episcopum.

Facultatem legendi libros prohibitos tam in bulla, quam in indice solus papa, vel s. c. indicis aut concilii concedere potest. Tantum in casu magnae necessitatis ait Viva [17] posse eam concedere etiam episcopum. Hic autem quaeritur an ipsi episcopi possint legere libros prohibitos. Videbatur affirmandum; omnes enim episcopi, ubi formale tribunal s. officii non adest, sunt inquisitores nati, qui valent via ordinaria procedere contra delinquentes in materia fidei. Sed omnino negandum cum Sylvio [18] Barbosa [19] et Bonacina [20] ex bullis Iulii III. *Cum meditatio*, et Pauli IV. *Quia in futurorum*, ac Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab auctoribus praefatis, in quibus tam episcopis quam inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum lectio, *praeterquam* (excipitur) *senioribus et commissariis* haereticae pravitatis. Intelliguntur, tò *commissariis*, illi tantum inquisitores, quibus commissa est aliqua particularis causa, quique legere possunt tantum libros ad illam materiam concernentes, et tantum pro tempore quo commissio viget, ut scribit et explicat Bon.[21].

300. Principaliter autem excommunicationem papalem incurrunt haeretici eorumque fautores, receptatores etc., ut habetur ex prima clausula bullae Coenae. Prius igitur agemus de haereticis, postea de fautoribus. Ut haere-

(1) L. c. (2) D. 2. q. 3. p. 4.
(3) D. 20. sect. 2. n. 21. (4) L. c. n. 52.
(5) Tom. 1. de fide d. 2. p. 10. §. 2. n. 7.
(6) De cens. p. 90. q. 2. r. 4.
(7) De cens. c. 4. p. 5. n. 74. (8) L. 7. n. 547.
(9) D. 1. qu. 2. p. 4. n. 5.
(10) L. c. (11) L. c.
(12) D. n. 547. (13) N. 552. (14) L. 7. n. 555.
(15) Dict. n. 74. (16) N. 555. (17) Q. 5. art. 1. n. 10. (18) T. 3. qu. 2. a. 3. concl. 2.
(19) De pot. ep. p. 3. all. 90. n. 8.
(20) T. 3. disp. 1. s. 2. p. 4. n. 10. (21) L. c.

ticus hanc excommunicationem incurrat, requiritur 1. Ut haeresis sit formalis, scilicet, cum errore intellectus, et pertinacia iuxta dicta apud Bus. *l.* 2. *n.* 19. Ille autem pertinax dicitur, qui adhaeret suae opinioni, non obstante quod iam noverit eam adversari doctrinae ecclesiae romanae. Ita s. Th. [1] cum communi et Salm. [2].

301. Sed hic quaer. 1. An incurrat hanc excommunicationem qui errat ex ignorantia culpabili. Si ignorantia sit tantum supina, communiter excusant dd., ut Tol. Sanch. Bon. Azor. Sayr. et plures cum Salm. [3]. Ratio quia hanc censuram non incurrit, nisi qui est haereticus formalis; sed ad haeresim formalem constat requiri veram scientiam erroris, alias deficit pertinacia, ut supra, requisita. Dubium est an incurrat errans cum ignorantia affectata. Affirmant Canus Val. Nav. apud Salmant.[4]. Sed probabilius negant Pal. [5] cum Azor. Arrag. et Farin. ac Salm. [6] cum Coninch. Suarez Sayr. Bann. etc. Ratio quia ecclesiae non contradicit qui nescit se ecclesiae contradicere ob quamcumque ignorantiam hoc faciat, et ideo non potest dici pertinax contra ecclesiae doctrinam.

302. Quaer. 2. An incurrat excommunicationem tanquam haereticus formalis qui circa res fidei dubitat. Quidquid alii dicant, quorum plures nimis obscure loquuntur, dicendum cum sententia communi, quod si quis positive dubitat de aliquo dogmate fidei ab ecclesia iam definito, iudicans illud esse incertum propter rationes oppositas, procul dubio hic est haereticus, et excommunicationem incurrit, ut habetur ex *c.* 1. *de haeret.* ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est*. Secus vero si quis negative se haberet super aliquo articulo, suspendendo iudicium, et ad alia se divertens ne mentem fatiget, vel ut ad aliam cogitationem se applicet. Attamen advertendum quod si ille deliberate et pertinaciter assensum ideo suspenderet, quia iudicat motiva contraria fidei incertam reddere veritatem illam, tunc pariter ut haereticus habendus est; ipse enim revera positive dubitat de veritate fidei, dum format deliberatum et pertinax iudicium non esse certa omnia dogmata quae ab ecclesia ut certa proponuntur; ita card. de Lug. [7] Sylv.[8] Wig. [9] Antoine[10] Salmant.[11] Cuniliat.[12] Nat. Alexandr.[13] Bonac.[14] Conc.[15] p. Ferraris [16] et alii.

303. Requir. 2. Ut error internus externe significetur per verba aut signa ex se, vel ex circumstantiis haeresim manifestantia; ita communiter Laym.[17] et Salmantic. [18]. Hinc docet Layman non incurrere hanc excommunicationem: 1. Qui est haereticus pure mentalis. 2. Qui abstinet a missa, a ieiunio, ab adorando sacramento, etiam quia haereticus est: possunt enim haec attribui oblivioni vel pravae conscientiae, nisi ex circumstantiis clarius manifestetur error. 3. Qui diceret: *Non est Deus*, tacito verbo *Christus;* vel qui hoc scriberet charactere non intelligibili. Ratio quia ad incurrendam excommunicationem voces aut signa debent ex se haeresim exprimere. 4. Qui assereret se antea secutum fuisse haeresim, vel tunc propositum habere sequendi in futurum: quia sic non iudicatur haereticus praesens, ita Laym.[19] cum Azor. et Sanch.

304. Requir. 3. Ut actio haeresis manifestativa sit moraliter mala; quare non incurrit excommunicationem qui se manifestat ad petendum consilium. 4. Requiritur ut ille suam haeresim manifestet animo eam profitendi, ut docet Laym. [20]. Alioquin in his omnibus casibus, quia haeresis tantum ratione excommunicationis est reservata, potest ipsa a quolibet confessario absolvi,

(1) 1. p. q. 32. a. 4. (2) De cens. c. 4. p. 4. n. 49. (3) Ibid. n. 50. (4) De cens. c. 4. p. 4. n. 51. (5) Tr. 4. p. 3. §. 2. n. 3. (6) Ibid. n. 52. (7) T. 3. d. 20. de fide n. 16. (8) T. 3. in 2. 2. q. 11. a. 1. (9) Tr. 7. exam. 3. q. 11. (10) Tract. de virt. theol c. 3. q. 6. (11) L. c. n. 51. et 53.

(12) Tr. 4. de 1. praec. c. 2. §. 3. n. 4. (13) De sacr. ord. l. 4. art. 9. reg. 23. (14) De censur. d. 2. q. 5. p. 1 n. 3. (15) Comp. l. 3. diss. 1. c. 9. n. 3. (16) Bibl. verb. Haereticus n. 4. (17) L. 2. tr. 1. c. 14. n. 1. (18) De cens. c. 4. p. 4 n. 48. (19) N. 4. (20) L. c.

sicut et excommunicatio illi annexa ex alio iure, nempe ex *c. Christus etc. de sent. exc.*, ubi excommunicatio contra haereticos universe lata est, sed non reservata; ita communissime dd. Vide Salm. [1].

305. Advertendum vero 1. quod, ut excommunicatio incurratur, sufficit ut manifestatio erroris etiam occulte fiat, quin aliis innotescat; prout certum est et commune cum Salm. [2] ac Az. Avila et Corn. [3] et aliis passim. Quod si manifestatio fuerit notoria, haereticus tamen non est vitandus, nisi sit etiam nominatim declaratus, et insuper publice denuntiatus; Salm. [4], iuxta dicta *n.* 136. Advertendum 2. quod illi qui in haeresim incidunt, invincibiliter excommunicationem ignorando, eam non incurrunt, iuxta dicta *n.* 47.

306. Deinceps hanc excommunicationem incurrunt etiam haereticorum *credentes*, id est qui eorum erroribus se assentiri externe manifestant, v. g. si quis dicat: *Credo quod credit Calvinus, vel quod Calvinus fuerit sanctus vir*. Incurrunt etiam *fautores*, id est qui haereticis favent aut omissione, omittendo scilicet, cum possint et tenentur ex officio, haereticum capere, custodire, punire; aut commissione, illum laudando vel adiuvando ut fugiat. *Receptatores*, qui hospitio recipiunt vel occultant (etsi semel) haereticum ut effugiat poenas suae haeresis. *Defensores*, qui errores illius defendunt, etsi interne aliud sentiant, vel qui impediunt ne ille a iudice capiatur aut puniatur; ita Suar. [5] Sanch. [6] et Salm. [7] cum aliis communiter.

307. Quaer. hic 1. An hi *fautores* etc., ut supra, incurrant excommunicationem et alias poenas, si non ex motivo favendi haeresi, sed ratione consanguinitatis, amicitiae aut similis haereticis favent.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pal. [8] Tolet. [9] Viva [10], item Sayr. Suar. etc. Salm. [11].

Secunda sententia valde probabiliter negat, quam tenent Sanch. [12] Bon. [13] et Salm. [14] cum Soto Azor. Arrag. Fagn. etc. ac probabilem putat Laym. Ratio quia, cum ecclesia excommunicat fautores haeretici, tunc tantum eos damnare censetur qui haeretico favent, quatenus haereticus est. Hinc probabiliter excusantur ab excommunicatione parentes, filii, et etiam fratres haeretici eum receptantes, ut docent Laym. et Salm. [15].

308. Quaer. 2. An incurrat qui haereticum recipit ne capiatur vel puniatur, si nihilominus in effectu ille iam incidat in manus iudicis.

Prima sententia quam tenent Sanc. [16] Bon. [17] Suar. [18] et Fill. Leand. et alii apud Salm. [19], qui probabilem putant, negat. Ratio quia fautores seu receptatores excommunicantur in ordine ad fovendam haeresim; ergo si accidit haeresim non foveri, excommunicationi non subsunt.

Secunda sententia vero quae mihi magis arridet et quam tenent Pal. [20] Sayr. [21] ac Duard. et Graff. apud Salm. [22] affirmat. Ratio quia ipso facto tunc quod aliquis haereticum recipit, sequitur effectus favoris, et ille censuram incurrit, cum de facto iam haeresim foveat impediendo ne reus capiatur, saltem illo medio temporis, quo eum servat absconditum, unde non officit quod postea cesset per capturam effectus receptionis.

309. Excommunicationem autem bullae incurrunt insuper 1. Surripientes bona christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis eiecta, sive in littore inventa. Requiritur tamen 1. ut acceptio sit iniusta, et ex certa scientia quod illa sint bona naufragantium; ita Viva [23]. Requi-

(1) Dict. n. 43. (2) Tr. cit. c. 1. p. 11. n. 141. (3) Ib. (4) Ibid. c. 4. p. 4. n. 48. (5) De censur. d. 21. sect. 2. n. 6. (6) L. 2. c. 10. n. 2. (7) De cens. c. 4. p. 5. n. 65. (8) De cens. d. 3. p. 2. n. 5. (9) In expos. bullae Coenae c. 1. n. 2. (10) De cens. q. 5. art. 2. n. 7. (11) Ibid. n. 67. (12) L. 2. c. 10. n. 5. (13) D. 2. q. 5. p. 5. n. 2. (14) Ibid. n. 68. (15) L. c. (16) Dec. l. 2. c. 10. n. 9. (17) D. 2. q. 5. p. 5. n. 5. (18) D. 21. sect. 2. n. 8. (19) Ibid. n. 69. (20) D. 5. p. 2. n. 5. (21) L. 3. c. 5. n. 4. (22) De cens. c. 4. p. 5. n. 70. (23) Qu. 5. art. 2. n. 3.

ritur 2. ut bona non habeantur ut derelicta; hinc excusatur accipiens papyrum, farinam, saccharum et similia proiecta, quia talia communiter pereunt in mari statim ac proiiciuntur. Ita pariter qui accipit bona quae diu in littore iacuerunt, quia merito praesumuntur illa tunc haberi a dominis pro derelictis. Ita Viva [1] et Salm. [2].

310. 2. Incurrunt domini qui in terris suis sine privilegio imponunt pedagia, id est tributa pro transitu personarum sive rerum, vel pro refectione et custodia viarum aut gabellas, id est impositiones pro delatione et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes principes supremi, prout pontifices; reges autem, respublicae et universitates, ad subveniendum civium necessitatibus, bene etiam possunt collectas sibi imponere, ita Viva [3] et Salm. [4] cum Vasquez Dic. etc. Vide alia apud Viva et Salm. [5].

311. 3. Incurrunt piratae interficientes aut depraedantes christianos in mari ecclesiastico. 4. Falsificatores litterarum apostolicarum. 5. Transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles, sive haereticos declaratos. 6. Iniuste impedientes deferri victualia ad roman. curiam. 7. Vexantes eos qui accedunt vel recedunt a romana sede ob negotia ad illam spectantia. 8. Vexantes peregrinos qui devotionis causa Romam petunt. 9. Vexantes seu eiicientes episcopos, legatos vel nuntios a suis dioecesibus, nec non id mandantes, ratum habentes, faventes, etc. 10. Percutientes aut expoliantes eos (sive eorum procuratores), qui curiam romanam pro suis negotiis petunt. 11. Appellantes sub privato praetextu ad curias laicales in causis ecclesiasticis, ad impediendas litteras apostolicas. 12. Qui auctoritate laica, vel praetextu exemptionis causas spirituales, vel ipsis annexas ad se avocant a iudicibus ecclesiasticis etc., ita apud Vivam. [6]. 13. Qui ex quovis colore trahunt vel trahi faciunt personas ecclesiasticas ad tribunal laicale etc. Vide Viva [7]. 14. Impedientes iudices ecclesiasticos sua iurisdictione uti. 15. Usurpantes iurisdictionem et fructus beneficiorum. 16. Imponentes onera ecclesiasticis. Qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectae pro refectione, v. gr. viarum, fontium etc. quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos, Viva [8] cum Abb. et Mol. 17. Se interponentes sine iurisdictione in causis criminalibus contra ecclesiasticos. 18. Usurpantes iurisdictionem in terris ecclesiae romanae. Denique ex bulla Clem. 8. incurrunt excommunicationem adhuc reservatam omnes sine facultate absolventes ab excommunicationibus bullae Coenae extra mortis articulum, ut Viva [9].

(1) L. c. (2) Ibid. p. 6. n. 30. et 31.
(3) Qu. 5. art. 2. n. 4. (4) Ibid. n. 32. et 33

Cap. III. De suspensione et degradatione

Dubium I. Quid sit suspensio, quotuplex, et unde dignoscatur qualis et quanta sit.

312. *Quid sit suspensio, et quis suspendi aut suspendere possit.*
313. *An peccet graviter exercens actum a quo est suspensus.*
314. *Dub. 1. An incurrat irregularitatem, si suspensio sit facta ad tempus. Dub. 2. An episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem pontificalia exercendo. Et quid si missam solemniter celebret. An sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat. Quid si toleratus, vel si sit suspensus tantum ab ordine.*
315. *Quot modis possit ferri suspensio.*
316. *Qualitas suspensionis ex quo colligatur. Dub. 1. An suspensus a beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus. Dub. 2. An suspensus a beneficio censeatur suspensus etiam a beneficiis quae possidet in aliena dioecesi.*
317. *An suspensa communitate, sint singuli suspensi; et an isti incurrant irregularitatem. An suspensio debeat ferri in scriptis.*

312. « Resp. 1. Suspensio est censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur. Vide Bon. [10] Laym. [11].

Unde resolves:

» 1. Solus clericus potest suspendi.

» 2. Suspendere possunt qui possunt ferre censuras.

313. » 3. Ex genere suo, et nisi parvitas materiae excuset, est peccatum grave exercere actum per suspensio-

(5) Locc. cc. (6) Qu. 5. ar. 2. n. 13.
(7) N. 15. (8) N. 18. (9) D. art. 2.
(10) D. 5. p. 1. (11) L. 1. tr. 5. p. 5. c. 1.

nem prohibitum, unde et irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cum alii licite requirant. Imo, etsi nominatim sit denuntiatus et non toleratus, alii tamen non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui a quo suspensus est, unde audire eius missam non erit peccatum (saltem mortale) si non inservias. Ita probabiliter Avila Henr. Suarez Sayr. apud Bon.[1], etiam Laym.[2] (Et ita communius et verius tenent Pal.[3] Holzm.[4] et Salmant.[5] cum Con. Avila etc. qui recte addunt esse omnino licitum audire missam a sacerdote suspenso (contra Cont. Tourn.[6] cum Bonac.). Limitat tamen Holzm.[7] nisi scandalum intervèniret).»

Est certum apud omnes quod clericus suspensus peccat graviter, si exercet actum vetitum per suspensionem, vide Salm.[8]. Excusatur tamen 1. Si exercet ordinem non sacrum, vel sacrum, sed non solemniter; Salm.[9] et Cont. Tourn.[10] cum s. Anton. Hab. Sayr. etc. (contra Suar. et Nav.). *Vide dicta l.* 6. *n.* 38. *v. Obiic.* 2. Excusatur 2. saltem a gravi culpa, si exercet ob ignorantiam aut metum gravem, aut in parva materia, puta si fuerit suspensus a iurisdictione vel ab ordine, et exerceret actum levem iurisdictionis, aut benediceret mensam; secus si benediceret aquam, nuptias, fructus etc. iuxta solemnitates ecclesiae, Bonac.[11] Holzm.[12] Cont. Tourn.[13] et Salm.[14].

314. Sed hic dubit. 1. An incurrat irregularitatem clericus exercens actum a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia negat, et hanc tenent Gabriel Avila et Villal. apud Salmant.[15], qui probabilem putant cum Diana, quia (ut dicunt) suspensio lata pro tempore determinato habet rationem purae poenae, quae non inducit irregularitatem.

Secunda sententia communior affirmat, et hanc tenent Suar.[16] Bon.[17] Pal.[18] Cont. Tourn.[19] Escob.[20] et Viva[21]. Probatur haec ex *c.* 1. *de sent. et re iudic. in* 6. ubi quidam, cum fuerit suspensus ad tempus et sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Limitant vero Viva et Cont. Tourn.[22] et Salmant.[23], nisi suspensio sit oretenus lata, quia cum censura non possit licite ferri sine scriptura, ut dicemus *n.* 317., non praesumitur episcopus voluisse delinquere censuram oretenus ferendo.

Tertia sententia, quam probabilem putat Ronc.[24] cum aliis, et quae mihi videtur absolute probabilior, distinguit et dicit quod si suspensio fuerit lata per modum statuti aut praecepti ob crimen futurum vel etiam praeteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens verius incurrit irregularitatem, ut patet ex textu praefato. Secus si suspensio sit lata ab homine per sententiam, ob meram punitionem criminis omnino praeteriti, quia talis suspensio habet rationem merae poenae, non censurae, iuxta dicta *n.* 52. Censura enim, cum sit poena medicinalis, nequit ferri ob delictum omnino praeteritum, ut diximus *n.* 54. Ergo quando quis transgreditur huiusmodi suspensionem, nullam incurrit irregularitatem, quae non a violantibus poenas, sed censuras incurritur. Neque huic sententiae obstat textus praedictus; nam ibi non fit sermo de suspensione lata ab homine per sententiam particularem, sed lata a iure per statutum generale quod respicit crimina futura: unde talis suspensio erat vera censura.

(1) D. 3. p. 4. n. 4. (2) L. c. c. 1. n. 7. (3) D. 4. p. 6. n. 5. (4) P. 395. n. 252. (5) De cens. c. 5. p. 2. n. 14. (6) Tr. de cens. part. 2. cap. 2. art. 1. Quaer. 4. (7) L. c. (8) Ibid. n. 12. (9) Ibid. p. 5. n. 24. et seq. (10) Loc. cit. quaer. 3. (11) D. 3. p. 4. n. 6. (12) P. 394. n. 248. (13) Loc. cit. v. Ex his (14) C. 5. n. 13. (15) De cens. c. 5. p. 2. n. 13. (16) D. 26. sect. 2. n. 3. (17) D. 3. part. 4. n. 6. (18) Dub. 4. p. 6. n. 5. (19) De censur. part. 2. cap. 2. art. 1. v. Quaer. 3. (20) L. 5. n. 96. (21) Qu. 6. a. 4. n. 5. (22) Locc. cc. (23) Ibid. p. 1. n. 8. (24) P. 106. q. 5. r. 2

Dubit. 2. An episcopus suspensus pontificalibus incurrat irregularitatem, si pontificalia exercet, puta confirmando, consecrando calices, etc. Negant Sylv. [1] ac Innocent. Abb. Archid. Socin. etc. apud Fag.[2], quia (ut dicunt) episcopatus non est ordo, sed potius extensio sive complementum ordinis sacerdotalis, ut tenent Salmant. [3] cum Soto Gonet. et alii ex d. Thom. [4]. Unde inferunt episcopum exercendo has functiones non contrahere irregularitatem, cum haec incurratur a censurato tantum quando exercet ordinem sacrum. Affirmant vero probabilius Navar. [5] Bonac. [6] cum Maior. et Alter. ac Fagnan. [7] cum Palud. Ang. etc. Ratio quia, etiamsi sententia quod episcopatus sit tantum extensio ordinis sacerdotalis, et non distinctus, esset vera (quod negant plurimi apud Salm. [8]), tamen non potest negari quod tale exercitium potestatis episcopalis sit actus ordinis sacri, si non distincti, saltem extensi: quapropter episcopus tunc dicitur vere exercere actum sacri ordinis. Tanto magis quod idem d. Th. [9] ait, quod licet episcopatus non sit ordo respectu ad corpus Christi reale, tamen est verus ordo respectu ad potestatem in corpus mysticum; unde prima sententia non videtur satis probabilis.

Si autem episcopus suspensus a pontificalibus missam celebrat solemniter in apparatu pontificali, certum est quod peccat, ut recte dicunt Filliuc.[10] Sayr.[11] et Renzi [12]. An autem incurrat etiam irregularitatem. Affirmant Ang.[13] Nav. Bon. et Fagn. [14]. Ratio quia talis celebratio est actus proprius ordinis episcopalis, cum non possit exerceri nisi ab episcopo consecrato. Negant vero probabilius Laym. [15] cum Sylvio Cov. et Avila ac Diana [16] cum Ioann. Praepos. qui testatur hanc esse communiorem dd. sententiam. Ratio quia episcopus sacrificando non exercet actum substantialem ordinis episcopalis, sed actum ordinis sacerdotalis a quo non est suspensus, et quod celebratio fiat cum pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur, nisi in exercitio actus ordinis prohibiti. Et hanc sententiam expresse tenet etiam d. Anton. [17] cum Hostiensi sic dicens: *Suspensus a pontificalibus, si celebrat in pontificalibus, non erit irregularis, quia pontificalia non sunt de substantia celebrationis, nec debemus iudicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum*. Tanto magis quod ait idem Fagnan. [18] cum Archid. etc., suspensus propter crimen tum solum incurrat irregularitatem, cum canon id exprimit: quia alias suspensio intelligitur lata quoad se tantum, nempe quod tamquam indignus prohibeatur a ministrando.

» 4. Suspensus non toleratus invalide absolvit, quia non habet iurisdictionem (Ita Salm. [19]. Secus si toleratus, quia hic valide iurisdictionem exerceret, etsi illicite, si non esset requisitus, Salmant. [20]. Suspensus autem ab ordine non est suspensus a iurisdictione. Ita s. Th.[21] Salm.[22] communiter).

315. » Resp. 2. Suspensio 1. alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat; alia fertur absolute seu indefinite, manetque donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio, sive id sit ordinis sive iurisdictionis, alia a beneficio, alia ab utroque. 3. Suspensio ab officio, vel est a toto vel a parte tantum, scilicet a functione ordinis vel iurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel est a beneficio absolute, vel a quibusdam tantum functionibus eius ratione competentibus. Layman Bon. [23].

316. » Resp. 3. Quantitas et qualitas

(1) V. Suspensio, §. 5. (2) L. 1. in c. Vel non est compos, de temp. ordin. n. 17. ad 20.
(3) De ordin. c. 1. p. 1. dub. 2. n. 26.
(4) Suppl. q. 40. art. 5. (5) C. 27. n. 165.
(6) D. 5. p. 4. n. 6. v. Tertio. (7) L. c. n. 56.
(8) L. c. n. 25. (9) L. c. (10) Tr. 17. c. 2. n. 23.
(11) L. 4. c. 4 [illegible] 13. (12) P. 645. q. 4.
(13) V. Suspensio 3. n. 3. (14) Locc. cc.
(15) L. 1. tr. 5 c 3. n. 4. (16) P. 5. tr. 10. r. 4
(17) 3. p. tit. 27. c. 3. §. 4. v. Si est suspensus.
(18) L. c. in c. Quaesitum, de cohab. cler. n. 15
(19) De cens. c. 5. p. 2. n. 15. (20) Ib.
(21) 3. p. qu. 22. art. 3. (22) Ibid. n. 16
(23) Locc. cc.

suspensionis colligi debet ex verbis quibus fertur, quae, utpote in re odiosa, non amplius sunt extendenda, quam proprie accepta significent.

Unde resolves:

» 1. Suspenso absolute et in toto prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam ordinis quam iurisdictionis, et consequenter non potest celebrare nec valide excommunicare, beneficia conferre etc. Suspensus vero a parte beneficii determinata, v. g. ab ordine tantum vel iurisdictione, privatur tantum illius officii functionibus. Unde episcopus, v. gr. a iurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare etc., potest tamen exercere actus ordinis, ut consecrare templa, ordinare etc. Bon. [1].

» 2. Suspensus a certa functione ordinis, v. g. a sacramentorum administratione, non est suspensus a sacrificio. Similiter suspensus ab ordine potest nihilominus conferre primam tonsuram, quia non comprehenditur sub ordine, Bon. [2].

» 3. Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus a beneficio seu fructibus eius. Debet tamen per alium supplere qui per se nequit, ut fructus percipiat. Bon.[3] ex Nav. Suar. Henr. Fill. etc. (Commune est apud omnes quod suspensus ab officio non suspenditur a beneficio, ita Suar.[4] Palaus [5] Cont. Tourn. [6] Antoine[7] et Salmant. [8] cum Sanchez Avil. Con. etc. communiter, ex *c.* 10. *de purg. can. et c.* 10. *de vita et hon. cleric.;* consentit Fagn. [9]. Sed recte limitant Fagnan. et Glossa in *Clement. Cupientes*, *de poenis*, primo si crimen sit enorme, ut patet ex *c. Inter* 10. *de purg. can.* Secundo si reus contemnat suspensionem, nempe per annum in ea manendo, ut habetur ex *c. Cum bonae*, *de aetate et qualit. etc.*).

» 4. Suspensus ab ordine non videtur suspensus a beneficio, quia beneficium non fundatur in ordine. Bonac. tamen dicit indirecte suspendi a fructibus eius, quia, dum non potest facere officium, non potest percipere fructus. *Vide seq.* 5.

» 5. Suspensus a beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus a recipiendis fructibus eius, non tamen ab officio sive iurisdictionis sive ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficii competit. Unde tenetur legere horas et caetera onera beneficii praestare, licet fructibus non fruatur: hoc enim debet sibi imputare. Non tamen privatur commodo quod provenit ex anniversariis stipendiis missarum, nec eo quod datur propter onus personale clerici, quia non sunt fructus beneficii. Secus est de distributionibus quotidianis (Ita etiam Nav. Cov. etc. apud Salm.[10]. Sed contradicunt Pal. [11] et iidem Salm. [12] cum Sanch. Avila Henr. etc., quia poenae non sunt extendendae ubi non sunt in iure expressae, prout nullibi id expressum habetur), licet ex his vel aliis beneficii fructibus possit ali, si aliunde sustentari nequeat. Bon.[13] Sayr. Suar. Fill. etc.»

Dubit. 1. An suspensus a beneficio, si sit pauper, possit fructus sibi retinere. Respondetur affirmative, si suspensio est lata in poenam criminis omnino praeteriti (*vide dicta l.* 3. *num.* 672.), secus si fuerit lata ob contumaciam, quia non debet ab ecclesia subveniri ei qui voluntarie ecclesiae disciplinam vilipendit, cum libere possit a sua contumacia recedere, ita Suarez [14] Fill.[15] Renzi[16] cum communi, et Diana [17] cum Sayr. Turrian. et Corn. Gordon. Coninch. et Avila. Dicunt tamen Cont. Tourn.[18] Diana et Renzi [19] cum p. Nav. Avila Pelliz. et Hurt., quod licet beneficiarius per se teneatur fructus restituere, si tamen fuerit occulte suspensus et munia debita iam impleat, poterit sibi retinere partem quam dare

(1) L. c. (2) P. 2. n. 6. (3) N. 10.
(4) D. 26. sect. 3. n. 4. (5) P. 5. §. 1. n. 5.
(6) De censur. part. 2. cap. 2. art. 1. v. Colliges 2.
(7) P. 665. n. 2. (8) De cens. c. 5. p. 2. n. 20.
(9) L. 5. in c. Quaesitum, de cohab. cler. etc. n. 50.
(10) De cens. c. 5. p. 2. n. 21. (11) P. 5. §. 1. n. 7
(12) Ibid. (13) L. c. n. 12. (14) D. 27. sect. 2 n. 5. (15) Tr. 27. n. 25. (16) P. 644. q. 7
(17) P. 5. tr. 10. r. 3. (18) Loc. cit. Dico 2.
(19) Locc. co.

deberet substituto: hi enim non sunt fructus beneficii, sed stipendium laboris; *vide dicta l.* 3. *d. n.* 672.

Dubit. 2. An supensus a beneficio censeatur suspensus etiam a beneficiis quae possidet in aliena dioecesi. Negat absolute Sayr. [1], quia (ut ait) episcopus extra suum territorium nullam habet iurisdictionem. Alii vero distinguunt, et negant si supensio sit lata ab homine, secus si a iure, quia ius ubique locum habere debet: ita Decius et alii apud Sayr. [2]. Alii demum communius et probabilius, ut Renzius [3] et Contin. Tourn. [4] cum Pont., pro certo habent suspensionem comprehendere omnia beneficia, si sit a iure; si vero sit ab homine, dicunt intelligi tantum a beneficiis propriae dioecesis, quando est lata per statutum; secus si per sententiam, modo episcopus exprimat velle suspendere ab omnibus beneficiis, quia, licet ei non subiaceant beneficia alienae dioecesis, subiacet tamen persona suspensi qui ius habet ad fructus beneficii: unde, cum suspensio impediat ipsi ius exigendi, consequenter ille suspenditur ab omnibus beneficiis. Quando autem suspensio est per statutum generale, intelligitur lata solum circa beneficia in dioecesi.

Dubit. 3. An si suspensus acquirat novum beneficium tempore suspensionis, collatio sit nulla. Affirmant Bon. [5] et Holzm. [6] cum Pal. et Mastrio, quia beneficia dantur propter officium; ergo suspensus a beneficio acquisito est etiam suspensus a beneficio acquirendo, cum non possit munia beneficii exercere. Negant vero probabilius Suar. [7] Layman [8] Antoine [9] Renzi [10] et Diana [11] cum Corneio Gordon. Praepos. Conc. etc. Hi dicunt talem collationem esse quidem irritandam, sed non irritam, quia nulla poena debet infligi, nisi in iure sit expressa: nullibi autem haec poena habetur; imo ex *c. Cum bonae* 8. *de aetate et qualit.*, contrarium colligitur, dum ibi, cum aliqui quadriennium mansissent in suspensione, mandavit pontifex expoliandos a beneficiis tam ante quam in suspensione acquisitis, ergo collatio fuerat valida.

« 6. Suspensus a beneficio potest nihilominus eligere, praesentare, conferre beneficium, quia, etsi haec iura competant illi ratione beneficii, illi tamen actus non sunt beneficii praecise ut sic, sed potius officii et iurisdictionis [12].

» 7. Suspensus a beneficio, vel ordine absolute et sine addito, intelligitur suspensus ab omni beneficio vel ordine, nisi aliunde aliud constet [13].

» 8. Suspensus absolute, intelligitur ab officio et beneficio, Laym. [14].

317. » 9. Suspenso capitulo vel conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpa, ait Sa [15] et Lay.[16]. »

Quando suspensio fertur in solam communitatem, non afficit singulas personas, quoad munia particularia, sed tantum quoad officia vel beneficia totius communitatis; ita communiter Bonac. [17] Holzm. [18] et Salm. [19] cum d. Th. Avil. Henr. Diana etc. Quod si aliqui exerceant functiones communitati tunc vetitas, dicunt Pal. [20] Suar. [21] Ronc. [22] et Salm. [23] cum Conc. et Corneio eos non incurrere irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia officia. Si vero suspensio fertur in communitatem et in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes; nemo enim potest excommunicari aut suspendi pro culpa aliena, ut communiter docent Suar. [24] Sanchez [25] Salm. [26] cum Nav. Sot. et Pal. ac Escob. [27] cum Con. Avil. Henr. et Hurt. Et patet ex *cap.* 2. *de Constit.* et clarius ex *cap. Quaesivit*

(1) Lib. 4. cap. 6. n. 21. (2) L. c.
(3) T. 1. p. 645. (4) L. c. v. Dico 1.
(5) D. 3. p. 2. n. 10. (6) P. 393. n. 140. v. Dixi.
(7) D. 26. sect. 3. n. 8. (8) Tr. 5. p. 3. c. 1. n. 4.
(9) P 654. v. 2. (10) P. 645. q. 9.
(11) Q. 5. tr. 10. r. 7. (12) Ibid. (13) Ib. n. 8.

(14) C. 1. n. 2. (15) V. Suspensio.
(16) L. c. c. 2. n. 3. (17) D. 1. q. 1. n. 111.
(18) N. 248. (19) De cens. c. 5. p. 4. n. 45. et 46.
(20) D. 4. p. 3. n. 3. (21) D. 28. sect. 4. n. 4.
(22) P. 106. q. 7. r. 2. (23) Ibid. n. 47.
(24) L. c. n. 2. (25) De matr. l. 9. d. 32. n. 9.
(26) Ibid. n. 45. (27) L. 51. n. 56.

de his quae fiunt a maior. part. capit. ubi dicitur: *Cum peccata suos auctores tenere debeant, ne poena sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente refertum.*

« 10. Si praelatus solo verbo dicat sacerdoti, *suspendo te*, v. g. a celebratione, videtur esse simplex tantum prohibitio, non censura, quia haec licite non fertur nisi scripto (*Ut n. seq. ad* 2.). Praelatus autem non debet praesumi velle peccare, nisi aliud constet de eius intentione, aut nisi religio habeat privilegium absque scripto ferendi censuras. Vide Bon. [1] (Ita etiam Salm. [2] cum Nav. et Henr.).

DUBIUM II. Quae sint suspensiones in particulari, et quis ab eis possit absolvere.

318. *Quae sint suspensiones iuris communiores clericorum.*
319. *Quae religiosorum.*
320. *Quae episcoporum.*
321. *An quis possit suspendi ob culpam levem.*
322. *Quis possit absolvere a suspensione.*

318. « Resp. 1. Suspensiones iuris communiores sunt sequentes.

» 1. Clerici ipso iure suspensi sunt, recipientes ordines sacros ab alieno vel a proprio in aliena dioecesi, vel sine aetate legitima, aut dimissoriis aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum, qui omnes suspensi sunt ab executione ordinum, nisi fecerint absque dolo: et si ordine utantur, fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scriptura et causae expressione, est suspensus per mensem ab ingressu ecclesiae, nisi sit praelatus regularis. 3. Clerici scienter eligentes episcopum vel parochum indignum suspenduntur a beneficiis biennio. 4. Ordinans et ordinatus simoniace est suspensus ab ordinibus. 5. Parochi iungentes sponsos alterius parochiae sine licentia. 6. Gravantes alienis debitis ecclesias sibi commissas. 7. Occupantes bona vel census ecclesiae, beneficii vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel praebentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in coetu virorum ac mulierum de immaculata Conceptione b. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam vel munera: qui, si sint episcopi, suspensi sunt ab ingressu ecclesiae; si inferiores episcopo, ab officio et beneficio, usque dum restituant duplum. 11. Iudex ecclesiasticus (non episcopus), qui facit iniuriam contra iustitiam et conscientiam parti litiganti. Vide Bonac.[3] (Adde 12. Negantes absolutionem renuenti complicem manifestare: hi subiacent suspensioni ferendae sententiae ex bulla *Ubi primum Bened.* XIV. *Vide in fine operis*. Adde 13. Latini celebrantes ritu graeco, et graeci ritu latino. Bulla, *Etsi pastoralis*).

319. » 2. Religiosi, 1. Apostatae recipientes ordines in apostasia. 2. Admittentes ad professionem ante annum probationis peractum. 3. Non utentes habitu et vestitu modo sibi praescripto. 4. Introducentes mulieres in monasteria.

320. » 3. Episcopus, 1. Ordinans non subditum suspensus est a pontificalibus per annum: ordinans vero invitum suspensus est per annum a celebratione pontificalium. 2. Admittens resignationes contra formam praescriptam. 3. Intrans monasteria monialium sine necessitate. Vide Fill. [4].

321. » Resp. 2. Praeter has suspensiones aliae sunt ab homine, quae, si sint graves, requirunt culpam mortalem, v. g. ut quis suspendatur ab omnibus actibus sui officii vel fructibus unius anni. Potest tamen aliquis ob peccatum veniale privari uno actu, v. g. eligendi. »

Sed hic dubitatur an ob peccatum veniale possit ferri suspensio. Affirmant Navar. [5], item Armil. Med. et Henriq. ap. Escob. [6]. Sed verius et communissime negant Suar. [7] Sanch. [8]

(1) De censuris in communi d. 1. q. 1. p. 7.
(2) Ibid. p. 1. n. 18. (3) D. 7. p. 2. (4) T. 17. c. 5.
(5) C. 27. n. 151. et 159. (6) L. 61. n. 58.
(7) D. 28. sect. 4. n. 6.
(8) De matr. l. 2. d. 52. n. 9.

Pal. [1] Salmant. [2] Elb. [3] cum Fill. et Escob. [4] cum Laym. Soto Vasq. Con. et Hurtad. si suspensio sit maior, nempe ab omni usu officii et beneficii, vel ab aliquo eorum per notabile tempus; tunc enim requiritur mortale, quia poena debet cum culpa proportionari: unde esset nulla suspensio si ob peccatum veniale imponeretur. Secus vero si suspensio esset partialis, nempe tantum ab officio vel a beneficio, et ad breve tempus, ut Suar. [5] Pal. [6] Salm.[7] et Bon. [8] qui idem dicit si suspensio esset totalis, sed ad valde breve tempus, puta ad diem vel hebdomadam. Idem dicunt Sanch. [9] Pal.[10] et Salm.[11] cum Suar. Cai. Vasq. Tapia etc., si suspensio sit ferendae sententiae; nam contra, si sit latae sententiae, vel sit indicta a iure, taliter ut incurratur sine alia monitione, non incurritur nisi ob mortale peccatum.

322. « Resp. 3. Habens episcopalem auctoritatem potest absolvere a suspensione non reservata: et communiter religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiae: episcopus potest absolvere ab omni suspensione iuris, si sedi apostolicae specialiter reservata non sit. Laym.[12] ex Navar. Suar. etc. Imo etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum. Bon. [13]. »

Si suspensio sit imposita ad tempus vel conditionate, v. g. *donec*, vel *nisi restituas*, tunc, termino transacto, de se tollitur suspensio sine absolutione, ut Salmant.[14] cum Con. Pal. Avil. Henr. Si vero sit imposita absolute, quisque confessarius potest eam absolvere, nisi sit reservata, vel nisi requirat satisfactionem partis. Cum autem fertur suspensio in communitatem, is tantum ab illa absolvere potest, qui in communitatem iurisdictionem habet in foro contentioso, Salm.[15].

(1) D. 4. p. 3. n. 4.
(2) De censur. c. 5. p. 4. n. 44.
(3) P. 444. n. 115. (4) N. 39. (5) N. 2.
(6) N. 2. (7) De cens. c. 5. p. 4. n. 44.
(8) D. 1. qu. 1. p. 5. n. 8.
(9) Dec. l. 6. c. 4. n. 17.

Dubium III. Quid sit depositio et degradatio, et a quo et ob quam causam ferri possit.

323. « Subiici solent suspensioni depositio et degradatio (etsi censurae non sint, ut dictum est *in hoc lib. n.* 3. ob similitudinem quam habent cum suspensione, cum utraque sit ab ecclesiastico ordine aut beneficio. Differunt autem a suspensione, quod illae auferant ipsum ius radicale, et titulum beneficii, idque in perpetuum, suspensio non item. Porro depositio generice accepta, alia est verbalis, quae absolute depositio dicitur: alia realis quae dici solet degradatio.

324. » Resp. 1. Degradatio est privatio executionis officiorum, et beneficiorum simpliciter, in toto, et absque spe restitutionis facta cum certa solemnitate et privatione privilegii clericalis, tam canonis quam fori, ita ut saeculari curiae subdatur.

» Dixi, *executionis*, quia ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis si fuit in sacris (Et invalide matrimonium contraheret atque valide consecraret hostiam, Salm.[16] cum aliis), et ad horas, nisi has forte poena ad quam damnatur, v. g. triremes, vel aliud impediat.

325. « Resp. 2. Depositio verbalis est similis privatio; sed sine solemnitate dicta, et relicto utroque privilegio canonis et fori.

326. » Resp. 3. Clerici possunt degradari a suo episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per vicarium.

327. » Resp. 4. Depositio fieri potest in casibus a iure expressis, et delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio iudicis. Ubi notat Laym. crimen debere esse enorme, id est unum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantum gravissimis, quales sunt v. g. crimen haeresis manifestum, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia frequentata, gravis calu-

(10) Tr. 3. d. 1. p. 15. n. 3.
(11) De leg. c. 2. p. 3. §. 1. n. 46. (12) C. 4. n. 2.
(13) D. 3. p. ult. ex Trid. s. 24. c. 6.
(14) De cens. c. 5. p. 5. n. 35. (15) Ibid. n. 32
(16) De cens. c. 5. p. 6. n. 60.

mnia proprio episcopo irrogata. Vide Laym. [1] et Fill. [2] (Cum degradato solus papa dispensare potest, sed cum deposito etiam episcopus, si crimen sit minus adulterio : Salm.[3]).

Cap. IV. De interdicto

Dubium I. Quid sit et quotuplex.

528. *Quid est interdictum.*
529. *Quotuplex est.*
530. *An interdicta civitate interdicantur suburbia. Et an ecclesiae regularium.*
531. *Qui eximantur ab interdicto generali personali. Et an, interdicto clero, interdicantur religiosi vel clerici non habentes beneficium aut officium.*
532. *Quid si interdicantur cives aut civitas.*

328. « Resp. 1. Est censura ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum, et ecclesiasticae sepulturae usum, quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio vero proprie non illum usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticae impedit. Vide Laym. [4] Bonac. [5].

329. » Resp. 2. Interdictum dividitur 1. in locale, quod immediate locum afficit; et in personale, quod immediate afficit personas; et in mixtum, quod immediate afficit locum et eius incolas. Differt autem locale a personali, quod in illo participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis non absolute, sed in loco tantum interdicto; in hoc vero certis personis aut communitati prohibentur absolute et in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam personale subdividitur in generale et particulare. Generale est, quo locus generalis, v. gr. civitas, provincia, vel quo communitas, v. g. collegium etc. interdicitur. Particulare, quo locus aut persona particularis, aut particulares interdicuntur.

Unde resolves:

330. » 1. Interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et interdicta parochia, etiam sacellum vel coemeterium contiguum, quia accessorium sequitur naturam principalis (Ita ex *c. Si civitas de sent. exc. in* 6. ubi etiam habetur quod, interdicta civitate per interdictum locale generale, sunt pariter interdictae ecclesiae exemptae regularium, nam alias interdictum esset elusorium; vide Salm. [6]. Et hoc interdictum etiam clerici et regulares tenentur servare, imo idem episcopus, qui illud tulit, excepto pontifice, Salm. [7]; sed vide dicta *l. 4. n.* 61. *v. Infertur* 3).

331. » 2. Interdicto populo, non interdicuntur ii qui non sunt pars populi, ut studiosi, clerici, peregrini, etc. (Ita Salm. [8] cum Bonac. Con. Avila Lezana Corn. etc. communiter. Et sic e converso, interdicto clero, non veniunt laici, ex *c. Si sententia, de sent. exc. in* 6. Hic autem notandum quod ab interdicto personali generali eximuntur 1. Episcopi (qui eximuntur etiam a suspensione generali). 2. Infantes et amentes doli incapaces: privantur tamen ecclesiastica sepultura. 3. Innocentes, statim ac alibi domicilium collocant. 4. Exteri, etsi per multum tempus inter illos cives habitent. Vide Salmant.[9]). Nec, interdicto clero, interdicuntur religiosi, qui in favorabilibus tantum nomine clerici comprehenduntur (Ita tenendum cum Salm.[10]. Nisi religiosi beneficium vel officium in illo populo haberent. Salm.[11]. Notandum etiam quod, interdicto clero, non veniunt clerici qui non gaudent privilegio fori, nec alii clerici qui ibi non habent beneficium aut officium; nam hi non constituunt unum corpus cum clero. Salm. [12]).

332. » 3. Si dicatur, *cives* (v. gr.) *colonienses sint interdicti*, ii nusquam possunt interesse divinis (nisi tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint interdicto); contra vero si civitas interdicto subiiciatur, licet civibus aut incolis qui causam interdicto non dederunt, alio ire et istic divinis interesse. »

(1) Hic t. 5. (2) T. 18. c. 3.
(3) De cens. c. 5. p. 6. n. 68.
(4) L. 1. t. 5. p. 4. c. 1. (5) D. 5. part. 1.
(6) De cens. c. 6. p. 1. n. 9. (7) Ib. n. 8.
(8) Ibid. n. 16. (9) L. c. n. 15
(10) De cens. c. 6. p. 1. n. 17. (11) Ib.
(12) Ibid. n. 16.

Dubium II. Qui sint effectus interdicti.

333. *Effectus interdicti sunt 1. Prohibitio divinorum officiorum.*

334. 2. *Prohibitio sacramentorum, excepto baptismo etc.*

335. 3. *Prohibitio sepulturae.*

336. 4. *Peccatum mortale, quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas quae incurritur a clericis, et excommunicatio a religiosis.*

333. « Resp. Sunt sequentes: 1. Prohibitio divinorum officiorum (Nomine divinorum officiorum veniunt omnia quae a solis clericis fieri possunt; non autem officiorum b. v. Mariae, defunctorum etc. si dicantur privatim, et in loco non deputato ad illa; communiter Pal. Suar. Bon. et Salm. [1]). Unde etiam interdicti ob alienam culpam non possunt interesse sacro. Clerici tamen et religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent, ut ante, missas divinaque officia celebrare; sed ianuis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, salutationem angelicam, vel obitum alicuius), submissa voce, et exclusis interdictis. (Ita ex *c. Alma Mater, de sent. exc. in* 6. Nomine *clericorum* et *monachorum* (quia laicis nihil conceditur) veniunt omnes utriusque sexus, qui gaudent privilegio fori et canonis. Nomine *ecclesiarum* veniunt etiam eremitoria, et hospitalia auctoritate episcopi erecta; non vero oratoria privata saecularia; ita Salm.[2]. Dicitur autem, *exclusis interdictis*, modo (intelligitur) sint denuntiati *ex conc. Const.* Et intelligitur tam de dantibus causam interdicto, quam interdictis personaliter. Quare, si interdicti post monitionem exire nolint, et canon missae incoeptus non sit, cessandum a celebratione, aliter celebrans incurreret irregularitatem. Hoc tamen procedit si celebretur in loco interdicto, quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi exclusis etc. Secus vero si celebratio fiat in loco non interdicto, ut dicunt Holzm. [3] et Mazz. [4] cum Suarez. Unde ait Holz. cum alio auctore, quod tunc debet expelli interdictus; si vero nequeat expelli, non tenetur celebrans cessare, quia id nullibi praecipitur, sicut praecipitur de excommunicatis vitandis). Permittitur tamen, ut in festis natalis Domini, paschae, pentecostes, assumptionis B. V. et per octavam corporis Christi divina officia cantentur solemniter, admissis etiam interdictis, dummodo qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium vel communionem. (Hinc, his diebus interdicti tenentur audire missam. Qui vero privilegium habent audiendi, possunt etiam abstinere ab audiendo sacro, se conformando iuri communi. Ita Salmant. [5] cum Corn. Diana Cano Con. Avil. etc. Regulares autem possunt admittere ad divina officia famulos, procuratores, advocatos, operarios, beatas, tertiarios, si hi non sint specialiter interdicti, nec causam interdicto dederint).

334. » 2. Prohibitio administrationis sacramentorum, excepto baptismo, confirmatione et poenitentia (Ut habetur ex *c. Alma Mater, de sent. exc. in* 6., et baptismus conferri potest etiam solemniter, ut Salmant. [6] cum comm.; atque a ministro interdicto generaliter, non autem specialiter. Salm. [7]. Et idem dicitur *de sacram. poenit. ibid. n.* 38.) quae omnibus permittuntur: iis exceptis, qui interdicto causam dederunt, etiam auxilio, consilio vel favore (Et exceptis personaliter et specialiter interdictis, nisi prius praestent satisfactionem debitam si possint, aut si non possint, cautionem saltem iuratoriam. Salm. [8]. Eucharistia tamen potest dari morituris et deferri cum lumine et campana (An autem clerici, quibus conceditur missam audire, ut supra, possint communicare. Adest duplex sententia; vide Salmant. [9]. Tenent autem Salm.[10] sacramenta ordinis et extremae unctionis non posse recipi ab interdictis, nec tempore interdicti. Sed quoad extremam unctionem contradicit Croix [11] cum Suarez et Dicast.

(1) De cens. c. 6. p. 5. n. 50.
(2) Comm. de cens. c. 6. p. 5. n. 56.
(3) De cens n. 281. (4) T. 4. p. 583.
(5) Ibid. n. 64. (6) De cens. c. 6. p. 4. n. 34.
(7) Ib. n. 35. (8) Ib. n. 37. ex d. c. alma Mater
(9) L. c. n. 41. (10) Ib. n. 45. (11) L. 7. n. 193

Religiosos autem commune est tempore interdicti posse recipere communionem et extremam unctionem. Salm. [1] cum Laym. Pal. Navarr. etc.) Nec improbabile est, interdictis licere contrahere matrimonium, ut Sanch. Con. et Laym. docent; contra Suar. quia hoc sacramentum secundum substantiam non ab ecclesia, sed ab ipsis contrahentibus ministratur (Et meritoharc sententiam probabiliorem putant Salmant. [2] cum Con. Layman Pal. Avila etc. *ex c. Capellanus, de feriis*, ubi dicitur *matrimonium quocumque tempore posse contrahi.* Nota deinde hic cum Salm. [3] quod si interdictum sit latum ex sententia iniusta, quae videbatur iusta secundum probata, in foro externo debet servari, sed non in interno; quare cessante scandalo, possunt audiri sacra, recipi sacramenta. Religiosi tamen, quando interdictum servatur ab ecclesia cathedrali vel matrice, tenentur illud servare, etiamsi illud sit nullum ex quocumque capite, ex Clem. 1. *de sent. exc.* Vide Salm. [4].

335. » 3. Prohibitio sepulturae ecclesiasticae, etiam respectu infantium et amentium. Excipe tamen clericos qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. Laym. [5] (Clerici igitur in interdicto generali locali vel personali possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum missa, sine tamen pompa: in ecclesia vero specialiter interdicta possunt sepeliri, sed sine missa. Salmant. [6] cum Cov. Pal. etc. Laici tamen sepeliendi sunt in loco non sacro, etiam infantes; et si forte ibi sepulti sint, exhumari debeut: cessante autem interdicto, omnes in loco sacro reponendi. Salm. [7] cum communi.).

336. 4. » Clerici violantes interdictum peccant mortaliter (Ita etiam Salmant. [8]. Sed excusat parva materia, nempe si clerici exerceant functiones, quae a laicis fieri possunt, Bon. Pal. etc. cum Salm.[9]. Item si brevi permittant ostium apertum. At clerici exercentes ordinem sacrum, si sint specialiter interdicti, vel in loco specialiter interdicto vel in loco generaliter interdicto, ianuis apertis etc. ut supra, peccant graviter et incurrunt irregularitatem, vide Salm.[10]. Admittentes autem laicos interdictos ad officia divina, interdicuntur ipso facto ab ingressu ecclesiae, id est non ad orandum private in ipsa, sed ad exercendos ibi ordines sacros, ut dicunt Pal. Con. Lay. etc. cum Salm.[11]) sicut etiam religiosi utriusque sexus, qui insuper excommunicantur de facto; laici vero peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant sacramenta; si vero tantum violent locale, v. gr. audiendo divina officia, probabilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint, Layman [12] ex Sylv. Soto, et Avila etc.

(1) Ibid. n. 48. (2) Ibid. n. 47.
(3) L. c. p. 3. n. 50. (4) De cens. c. 6. p. 3. n. 30 et 31 (5) C. 2. n. 3. (6) Ib. p. 6. n. 75.
(7) Ibid. n. 69. (8) Ibid. p. 7. n. 30.

Dubium III. Quis censuram interdicti ferre et quis tollere possit.

337. *Qui possint interdictum ferre. Et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis.*
338. *Qui possint tollere interdicta generalia a iure non reservata.*
339. *Qui personalia particularia.*
340. *De cessatione a divinis.*

337. « Resp. 1. Interdicere possunt iidem qui excommunicare et suspendere (Hodie episcopi sine consensu capituli (nam olim aliter erat) possunt interdicere quoscumque generaliter, aut specialiter, ex consuetudine introducta. Salm.[13] cum Panorm. Suarez Pal. Sayr. etc. Praelati autem regulares possunt interdicere suos subditos, non autem suas ecclesias. Salm.[14] cum eisdem). Et quidem, ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis (Eiusdem personae, ut Salmant.[15]. Interdictum enim personale particulare nequit imponi pro culpa aliena. Interdictum autem ad breve tempus, in ordine ad unum tantum, vel alterum effectum, potest incurri etiam ob peccatum veniale. Salm.[16] cum Pal. Conc.

(9) Ibid. n. 81. (10) Ibid. n. 87. (11) Ib. n. 91.
(12) C. 3. (13) De cens. c. 6. p. 2. n. 19.
(14) Ibid. n. 20. (15) Ibid. n. 21.
(16) Ibid. n. 22.

etc.). ut autem feratur interdictum locale vel generale in communitatem requiritur peccatum valde grave cum contumacia commissum a capite, vel praecipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

338. » Resp. 2. Interdicta localia et personalia generalia, quae iure communi sunt imposita nec reservata, possunt tolli ab episcopo, vel alio habente iurisdictionem in communitatem interdictam, non tamen a religiosis privilegiatis, quia locus et communitas foro poenitentiae non subiiciuntur (Interdicta generalia lata ab homine non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel a papa. Vide Salm. [1]).

339. » Resp. 3. Ab interdicto iuris personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale aut personale communitatis. »

De cessatione a divinis.

340. Cessatio a divinis est: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis et ecclesiastica sepultura.* Putant autem Suar. et Fill. contra alios apud Salm. [2] posse episcopum unum effectum prohibere et non alterum. Haec cessatio distinguitur ab interdicto, et non est censura; imponiturque in signum moeroris, vel ad reparationem gravissimae iniuriae Deo irrogatae; afficitque omnes qui sunt in loco illo ubi imponitur, vide Salm. [3]. Dubitatur autem an, hac cessatione indicta, clerici gaudeant privilegio eis concesso tempore interdicti. Negant communius Salm.[4] cum Pal. Bon. Fill. Sanch. etc. contra aliquos; quia cessatio est novum gravamen ultra interdictum. Potest tamen cessatio suspendi per aliquot dies solemnes. Vide Salm.[5]. Sacramenta vero concessa tempore interdicti, ut supra, conceduntur etiam tempore cessationis. Pal. Bon. Suarez etc. cum Salm. [6]. Cessatio imponitur ab iisdem qui possunt ferre censuras, praecedentibus monitionibus. Vide alia apud Salm.[7]. Demum hic obiter notandum id quod habetur in decr. s. c. caeremoniarum, scilicet: *Non licere cuicumque, etc.* (*personis regalibus tantum exceptis*) *ad ecclesias strata sibi deferri facere, secus immediate cessandum a divinis. Quod nisi servetur, rectores caeterosque ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam habendam esse pro interdicta.* Hoc decr. perscriptum est in bullario Clem. XI. *part.* 3. *decretor. congreg. card.* Ac deinde notatur ibi: *Et facta relatione, sanctitas sua* (id est praefatus Clemens) *decretum approbavit, necnon promulgari atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit.* Die 3. octob. 1701. Ita ap. Ferrar. [8]. Qui praeterea refert ex pluribus decr. s. c. rituum esse vetitum praebere evangelium inter missarum solemnia laicis ad osculandum, sicut etiam praestare ipsis usum throni eosque admittere ad assistendum in presbyteriis.

CAP. V. DE IRREGULARITATE

« Etsi irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen, quam cum ea habet, communiter eidem annectitur: quapropter et hic subiungo.

DUBIUM I. Quid et quotuplex sit irregularitas.

341. *Definitio irregularitatis. An irregularitas sit censura. Dupliciter dividitur irregularitas.*

341. « Resp. 1. Est impedimentum canonicum, susceptionem ordinum sacrorum, et susceptorum usum impediens. Unde sequitur non esse censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim interdum imponatur per modum poenae, proprie tamen poena non est. Layman [9] Bon.[10] ».

Quaer. an irregularitas sit censura.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Sotus[11] et Bann. Led. Gutt. Corn. Cord. etc. apud Salm.[12]. Ratio quia (ut aiunt) definitio censurae, quod sit poena

(1) De cens. c. 6. p. 8. n. 100. (2) Ibid. p. 9. n. 103. (3) Ibid. n. 102. (4) L. c. n. 104. (5) Ib. n. 105. (6) Ib. n. 107. (7) L. c. n. 104. (8) Bibl. v. Ecclesia, n. 28. et 29. (9) L. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. (10) D. 7. q. 1. p. 1. (11) In 4. d. 24. q. 3. art. 1. (12) De cens. c. 1. p. 2. n. 11.

ecclesiastica, aeque convenit etiam irregularitati.

Secunda sententia vero communior et probabilior, quam tenent Suarez [1] Bonac. [2] Pal. [3] et Salm. [4] cum Con. Val. Avila Henr. Cand. Machad. etc. docet irregularitatem non esse censuram, sed potius impedimentum seu inhabilitatem, idque non obscure probatur ex *c. Quaerenti, de verb. sign.*, ubi Innoc. III. interrogatus quid in bullis pontif. intelligeretur nomine *censurae*, respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi.* Cum igitur pontifex hic dogmatice et indefinite locutus fuerit enuntiando poenas quae veniunt nomine censurae, praeter eas, non est irregularitas, neque alia admittenda.

» Resp. 2. Dividitur 1. in eam, quae est *ex delicto*, et quae est *ex defectu*. 2. In *totalem*, seu proprie dictam, quae omni ordine suscipiendo, et suscepti exercitio privat, v. g. homicidium, bigamia, et in *partialem*, quae aliquo tantum ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad ordinem superiorem, v. g. oculis vel palma sacerdos carens inhabilis est ad missam, non tamen ad confessiones audiendas; et diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad sacerdotium, in suo tamen ordine ministrare potest.»

Dubium II. Quinam effectus irregularitatis.

342. *Effectus irregularitatis sunt: 1. Inhabilitare ad ordines suscipiendos. 2. Impedire exercitium ordinum. 3. Invalidare collationem beneficii. An id valeat de beneficio simplici.*

343. *An collatio tunc sit ipso iure irrita.*

342. » Resp. Sunt sequentes: 1. Inhabilitare ad ordines suscipiendos, etiam primam tonsuram (Ut communiter docent Suar. [5] Pal. [6] Bon. [7] et Salmant. [8] cum Avila et Diana). 2. Impedire exercitium ordinum susceptorum (*Ex c. fin. de temp. ord. et c. 11. de accusat.*). Unde sacerdos irregularis, etsi valide, illicite tamen absolvit. Bonac. [9] 3. Quod collatio beneficii, ad cuius functiones inhabilis est, facta irregulari invalida sit, secundum sententiam communiorem et tutiorem; etsi non improbabiliter quidam dicant, eam non ipso facto irritandam esse, sed merito irritandam. Layman [10] Sylv. etc. Bonac. [11]. Secundum quam sententiam probabilem resolves:

» 1. Is, qui beneficium impetravit in irregularitate, potest, obtenta huius dispensatione, illud in foro conscientiae licite retinere, sine nova collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficii. Item, si postea beneficio privetur, non tenetur fructus restituere.

» 2. Graviter peccat qui in irregularitate exercet actum ordinis, aut suscipit, licet ordines ei collati sint validi (Ita etiam Pal. [12] et Salm. [13] cum Corn. Et sic etiam peccat graviter irregularis suscipiens primam tonsuram, sicut episcopus qui eam illi confert, ut Suar. [14] Bon. [15] Pal. [16] et Salm. [17] cum Av. Corn. et Giball. Insuper hic notandum, quod irregularitas nullo modo privet iis actionibus, quae non requirunt exercitium ordinis, et quas etiam laici exercere possunt, recipere sacramenta, et officia canere, sicut et conferre beneficia, quia haec spectant ad exercitium iurisdictionis, non ordinis; item matrimonio assistere vel licentiam assistendi alteri praebere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi confessiones. Ita Pal. [18] Bonac. [19] Layman [20] Renzi [21] cum Fill. et Suar. ac Salm. [22] cum Con. et Corn.).

Quaer. an irregularis ipso facto beneficiis privetur. Quoad beneficia obtenta ante irregularitatem, certum est apud omnes irregularem illis non privari; nec privandum a iudice, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis, ut habetur in *cap. Ex parte, de cleric. aegrot.* Si vero sit de delicto, privari debet per iudicis sententiam;

(1) De cens. d. 1. sect. 3. (2) D. 1. q. 1. p. 1. n. 4. (3) D. 1. p. 1. n. 3. (4) Ibid. n. 12. (5) D. 40. s. 1. n. 11. (6) D. 6. p. 3. n. 2. (7) P. 1. n. 4. (8) De cens. c. 7. p. 2. n. 22. (9) L. c. n. 4. et p. 4. (10) L. c. c. 1. n. 2. et 3. (11) P. 4. (12) D. 6. p. 3. n. 1. (13) L. c. n. 21. (14) D. 40. s. 1. n. 11. (15) D. 7. q. 1. p. 1. n. 4. (16) N. 2. (17) Ibid. n. 22. (18) N. 14. (19) P. 4. n. 17. (20) Tr. 5. c. 1. n. 1. (21) P. 664. q. 3. (22) De cens. c. 7. p. 2. n. 19.

et interim, licet ipse non privetur ipso facto, ut clare infertur ex *cap. Ex litteris, de exces. praelat.*, tenetur tamen petere dispensationem: at si eam non petit, vel non possit obtinere, tenetur statim, nisi magna laboret necessitate, beneficia renuntiare, vel saltem in favorem tertii resignare; quia, cum non possit licite suum implere munus, nequit licite illa retinere; ita communiter Suar. [1] Pal. [2] Bonac. [3] Cont. Tournely [4] ac Salm. [5] et cum Avila Val. Sa Sayr. Gibald. Pell. etc. Si autem huiusmodi beneficiarius iam per alium impleverit munia sui beneficii, non est fructibus privandus, ut Suar. [6] Bon. [7] Pal. [8] Tourn. [9] Holzm. [10] Croix [11] et Salmant. [12] cum Corn. Pelliz. et aliis passim.

An autem irregularis sit privandus pensionibus quas possidet. Regulariter probabilius negant Suar. [13] Bon. [14] Pal. [15] et Salm. [16]. Atque sic declarasse s. c. refert Barb. [17]. Dictum est *regulariter*, nam (ut docent aa. praefati) bene poterit iudex, si crimen fuerit valde grave, eum etiam pensionibus privare.

343. Quoad beneficia vero obtenta tempore irregularitatis iam contractae, dubitatur an collatio sit ipso iure nulla. Si irregularitas sit partialis, nempe si irregularis ob aliquem defectum corporalem non possit fieri sacerdos, tunc communiter dicunt collationem huic factam esse validam et licitam, ita Pal. [18] Cab. [19] Ronc. [20] et Pal. [21] cum Val. Bon. Garcia Sayr. Idemque supponunt etiam ut certum Salmant. [22] Holzm. [23] Suar. [24] si beneficium sit simplex, nec habeat sibi iniunctum officium, sive exercitium ordinis sacri, sed tantum recitationem horarum, aut aliquid aliud quod etiam laici possint exercere, tunc enim aiunt valide suscipi tale beneficium ab irregulari. An autem privetur ipso facto beneficiis requirentibus exercitium ordinis sacri. Adest duplex sententia.

Prima sententia communior affirmat et hanc tenent Suar. [25] (vocans communem) Bonac. [26] Less. [27] Cont. Tourn. [28] Cabass. [29], item Covarr. Avila Henriq. Garcias Sayr. Villal. et Corn. apud Salm. [30] qui etiam dicunt esse communem. Probatur ex *c. 2. de cleric. non ord. ministr.*, *c. 2. de cler. pugn. etc.*, *c. Dudum de elect.*, *et c. Cum bonae, de aetate et qualit. etc.*, et praesertim ex Trid. [31] ubi dicitur; *Ut nullo tempore ad sacros ordines* (irregularis) *promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia... conferre liceat.* Praeterea [32]: *Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis qui iam aetatem et caeteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Ratio quia beneficium datur propter officium; unde qui inhabilis est ad officium, cum non possit ordinem exercere, est etiam inhabilis ad beneficium.

Secunda sententia vero dicit talem collationem non esse irritam, sed tantum a iudice irritandam, ita Innoc. [33] Sylv. [34] Laym. [35] Viva [36] Elb. [37] Ronc. [38] Pal. [39] Diana [40] et Salm. [41] cum Felin. Ancharan. Giball. etc. et probabile censent Suar. [42] Less. [43] et Coninch. Bon. Hurt. etc. apud Dian. [44]. Ratio quia non sunt imponendae poenae, nisi in iure sint expressae, nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem incapacem beneficii; unde irregularis, quamvis graviter peccet (ut advertit Suar.) acceptando et retinendo beneficium sine dispensatione, sicut etiam peccat qui illud ei confert,

(1) D. 40. s. 2. n. 15. et 19. et d. 44. s. 2. n. 2. (2) D. 6. p. 5. n. 9. 11. et 15. (3) D. 7. q. 1. p. 4. n. 8. 9. et 10. (4) Tr. de irreg. part. 1. cap. 5. (5) L. c. n. 25. et 28. (6) D. d. 40. s 2. n. 20. (7) N. 10. (8) N. 15. (9) P. 15. (10) P. 411. n. 221. (11) L. 7. n. 459. (12) Ibid. n. 29. (13) D. 44. s. 4. n. 34 (14) N. 11. (15) N. 12. (16) Ibid. n. 27. (17) In Trid. sess. 14. c. 8. (18) D. 6. p. 5. n. 5. (19) T. I. l. 5. c. 19. n. 2. (20) P. 115. q. 5. r. 1. v. Caeterum. (21) D. 9. p. 6. n. 5.

(22) De cens. c. 7. p. 2. n. 55. (23) P. 411. n. 520. (24) D. 40. sect. 2. n. 31. (25) D. 40. s. 2. n. 56. (26) D. 7. q. 1. p. 4. n. 6. (27) L. 2. c. 34. n. 129. (28) Loc. cit. (29) L. 5. c. 19. n. 2. (30) Ib. n. 50. (31) Sess. 14. de ref. cap. 7. (32) Sess. 22. c. 4. (33) In c. Cum nostris, de concess. praeb. (34) V. Excomm. n. 4. (35) Tr. 5. p. 5. 1. n. 5 (36) Q. 8. art. 1. n. 5. (37) P. 457. n. 158. (38) P. 115. q. 5. r. 1. v. Contra. (39) D. 6. p. 5. n. 7. (40) P. 4. tr. 2. r. 37. (41) Dict. n. 34. (42) N. 35. (43) L. c. (44) L. c.

tamen si suppleat per alium munia beneficii, non tenetur fructus restituere. Canones vero qui opponuntur, teste ipso Suar. (qui oppositam sententiam probabiliorem putat), nihil aliud probant, nisi quod talis collatio sit illicita, non tamen invalida. Nec obstat textus Tridentini, ubi dicitur irrita provisio beneficii, quae fit in personam inhabilem; nam respondetur irregularem non dici inhabilem, ut incapacem beneficii, sed ut illo indignum, nempe inhabilem ad licitam beneficii perceptionem.

Prima sententia videtur probabilior, licet enim iura non expresse declarent hanc collationem invalidam, tamen communior sententia dd., sic illa interpretatur; nam sensus dd., ut fatetur ipse Laym., est optimus legum interpres. Sed hoc non obstante

Secunda sententia videtur satis probabilis. Hic tamen advertendum, quod adhuc stante probabilitate huius sententiae, nequeat irregularis se immittere in possessionem beneficii, quia (ut diximus *l.* 3. *n.* 761. *v. Qu.* 2.) nemo cum opinione probabili potest inchoare possessionem rei alienae.

DUBIUM III. Quomodo incurratur, et tollatur irregularitas.

344. *An in dubio irregularitas incurratur.*
345. *Non incurritur, nisi in iure sit expressa.*
346. *Dub.* 1. *In dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat. Et quid si dubium sit iuris.*
347. *Dub.* 2. *Quid in dubio facti, praeter homicidium. Dub.* 3. *Quid in dubio homicidii commissi. Dub.* 4. *Quid in dubio de animatione foetus, si abortus fuerit patratus.*
348. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis et actus externus ac consummatus.*
349. *Qu.* 1. *Quid si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum.*
350. *Qu.* 2. *An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis.*
351. *Qu.* 3. *An etiam scientia poenae.*
352. *Quot modis tollatur irregularitas.*
353. *Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare. Plura notanda.*
354. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam.*
355. *Praelati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare.*

344. « Resp. 1. cum ab homine non feratur, nulla incurritur, nisi in iure expressa habeatur (*c. Is qui, de sent. excomm. in* 6.). Unde in dubio sive facti sive iuris, tenere potes quod non sis irregularis, quia melior est conditio possidentis. Bon. [1] ex Suarez Fill. etc. Excipe tamen, si dubites de homicidio, saltem iniusto, a te commisso, ut patet ex *c. Significasti et c. Ad audientiam* 2., *de hom.* Vide Bon. [2] »

345. Plura hic notabilia examinanda. Certum est, quod nulla incurritur irregularitas, nisi in iure sit expressa ex *d. c. Is qui, de sent. excomm. in* 6. ubi dicitur : *Cum id non sit in iure expressum etc.* In quo sapienter ait Suarez [3] pontificem ibi nihil novi statuisse, sed principium illud declarasse, quod in dubio iudicandum sit poenam non esse latam, vel non extendendam ultra casus expressos. Huius autem iuris nomine veniunt tantum decreta pontificis, sive concilii a papa approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo, ita Suar. [4] Cont. Tourn. [5] Diana [6] et Salm. [7] cum Pelliz. Gib. et Machado. Hinc infertur ad incurrendam irregularitatem, non valere argumentum a simili, nec a maiori ad minus, ut communiter docent Pal. [8] Laym. [9] et Salm. [10] cum Corn. et Giball. Advertit vero Laym. [11] quod si dubium vertatur circa aliquam irregularitatem, an sit expressa in iure, admittenda est, semper ac communis sensus dd. et consuetudo eam firmaverint, quia haec sunt optimae legum interpretes.

346. Sed dubit. 1. Utrum in dubio an quis irregularitatem contraxerit, debeat ut irregularem se gerere. Intellige de dubio prudenti, nam dubium ex scrupulis, sive levibus rationibus ortum nihili faciendum est. Intellige etiam de dubio negativo seu suspensivo, nam si dubium sit positivum, ante diligentiam ad veritatem inquirendam quisque debet se gerere ut irregularem, prout docent Sanch. [12] Suar. [13] Pal. [14] et Salm. [15] cum Con. ex *c. Illud, de cler.*

(1) Q. 1. p. 5. (2) L. c. (3) D. 40. s. 5. n. 5. (4) D. 40. sect. 4. n. 13. (5) Tr. de irreg. part. 1. cap. 2. v. Hinc. (6) P. 8 tr. 7. r. 23. (7) De cens. c. 7. p. 1. n. 8. (8) D. 6. p. 2. n. 1. (9) T. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 6. (10) De cens. c. 7. p. 1. n. 5. (11) L. c. (12) Dec. l. 1. c. 10. n. 57. (13) D. 40. sect. 5. n. 12. (14) D. 5. p. 3. n. 5. (15) Ibid. p. 5. n. 42.

excom. Nisi gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi ordines, aut beneficium, ut Salmant.[1] cum iisdem. Post vero sufficientem diligentiam is bene potest se habere ut non irregularem, probabili opinioni acquiescens, ut Suar.[2] Pal.[3] Salm.[4] cum Hurt. Corn. Giball. Difficultas igitur est, cum quis dubitat dubio negativo. Resp. Si dubium est iuris, nempe si dubitatur an irregularitas sit a iure assignata, an non, pro aliquo actu, tunc nemo tenetur se gerere, ut irregularem in foro conscientiae, nec in externo ut talis damnandus est, tum quia in dubio nemo suo iure spoliandus est, tum quia, cum dubitatur de lege, lex non obligat, saltem quia tunc non est sufficienter promulgata, ita communiter dd. Sanch. [5] Pal. [6] Suar.[7] Bon. [8] Ronc. [9] Conc.[10] Diana[11] Salm.[12] cum Con. Avila Corn. et Valent. Moya[13] cum Lugo Nav. et Cont. Tourn.[14] cum Covarr. et Habert. Quid si dubium sit facti?

347. Dubit. 2. Utrum incurratur irregularitas in dubio facti, nempe si dubitatur an quis crimen patraverit (praeter homicidium, nam de hoc loquemur in dubio sequenti).

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Concina [15] et Cont. Tourn.[16] cum Sayr. et Habert. ex *c. Ad audientiam, de homic.* ubi dicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit iniungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.* Ergo in omni materia pars securior sequenda est.

Secunda sententia tamen communis et verior negat, eamque tenent Cabas.[17] Suar.[18] Bon.[19] Diana[20] Ronc.[21] Pal.[22] et Salm.[23] cum Con. Avila Machad. Corn. Gib. et Henr. Ratio 1. quia odia sunt restringenda, et nemo in dubio est damnandus, ex *Reg. Favorabiliores* 125. *ff. de reg. iur. et ex c. Cum sunt, eod. tit. in* 6. ubi: *Cum sunt iura partium obscura, reo favendum est potius quam actori.* Et idem in *c. un. Ut eccl. benef. etc.* Non est autem recedendum ab hac regula tam rationi consona, sine textu expresso, qui tantum habetur in dubio homicidii, non vero aliorum criminum. Ratio 2. quia (ut diximus supra *n.* 346.) irregularitas non incurritur nisi in iure exprimatur, in iure autem solus homicida dicitur censendus esse irregularis in dubio homicidii, non alius delinquens. Ratio 3. et potissima est, quia cum hinc dubitetur, an id quod currit in materia homicidii currat etiam in aliis materiis, dubium etiam est iuris, at in dubio iuris etiam adversarii (ut vidimus) concedunt non incurri irregularitatem Nec obstant textus allati, nam respondetur 1. cum Nav. et Suar., quod ibi ratio adducta (nempe quod in dubiis pars tutior eligenda sit) non assignatur ut praeceptum necessario et universe observandum, sed ut rationabile motivum decentiae, ob quod maxime convenit dignitati sacrificii, ut sacerdos in dubio homicidii a celebrando abstineat, ne si forte deinde certo fuisse homicida noscatur, cum scandalo populi inveniatur celebrasse, idque aperte declaratur in *c. Petitio tua, eod. tit. de homicid.* ubi: *Cum sit consultius in huiusmodi dubiis* (scil. homicidii) *abstinere, quam temere celebrare.* Nota illud *sit consultius,* ergo non est praeceptum. Quis autem negat aliquando decere, quod ex rationabili motivo per legem positivam prohibeatur aliqua actio per se non illicita? Sed cum ratio illa indecentiae soli homicidio competat, alios casus non comprehendit. Respondetur 2. quod licet ratio alios etiam casus comprehenderet, in irregularitatibus ex delicto, sicut in omnibus aliis poenis, non est arguendum de uno casu ad alium similem, etiamsi eadem, imo maior ratio currat, nisi uterque casus

(1) Ibid. (2) N. 6. (3) N. 4. (4) Dict. n. 42. (5) Dec. l. 1. c. 10. n. 42. (6) D. 3. p. 3. n. 7. (7) L. c. n. 4. (8) De irreg. q. 1. p. 5. n. 2. (9) P. 115. q. 1. r. 2. (10) T. 10. p. 486. n. 9. (11) P. 4. tr. 2. r. 52. (12) Ib. n. 44.

(13) Tr. 5. q. 6. n. 6. (14) De irreg. part. 1. c. 4. concl. 2. v. Gravis hic. (15) T. 10. p. 486. n. 8. (16) Loc. cit. v. Circa. (17) T. I. c. 20. n. 14. (18) D. 40. s. 6. n. 8. et 13. (19) N. 3. (20) P. 4. tr. 2. r. 25. (21) L. c. (22) D. 6. p. 2 n. 9. (23) De cens. c. 3. p. 3. n. 46.

sit in iure expressus, idque fortius procedit in irregularitatibus circa quas (ut vidimus *n. praeced.*) sancitum est nullas incurri, nisi illas quae in iure expressae sunt.

Dubitatur 3. Utrum censendus irregularis qui dubitat an patraverit homicidium. Adsunt diversae sententiae. Alii dicunt hunc esse irregularem tantum in foro externo, non autem conscientiae, ita Innoc. Salas et Henriq. apud Sanch. [1]. Alii ex opposito dicunt esse irregularem in foro conscientiae, non autem externo, ita Hostiens. Armil. Tabien. etc. apud eumdem Sanchez [2]. Sed verius tenendum cum communi hunc in utroque foro iudicandum esse irregularem, ita Pal. [3] Bon. [4] Ronc. [5] Sanch. [6] cum Navar. Palud. et Led. ac Salm. [7] cum Corneio Avila et Sayro, et probatur ex *c. Significasti*, *c. Ad audientiam*, *et cap. penult. de homic.* ubi ratio quae ibi adducitur, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Sed hic notandum 1. quod hoc procedit casu quo aliquis certus est de homicidio (ut supponitur in praefatis textibus), et solum dubitat an ipse sua actione fuerit causa illius, secus si dubitat de ipso homicidio, an fuerit secutum vel non, ut valde rationabiliter dicunt Pichler [8] Elb. [9] Diana [10] Tamb. [11] et Spor. [12]. Unde dicit Diana [13] cum Nav. Menoch. et Quaranta, quod si medicus aperuerit venam praegnanti ut abortus sequeretur, sed postea non constet de abortu secuto, non est censendus irregularis, neque in foro interno neque externo, quia (ut habetur in *l.* 1. §. *Item illud ff. ad Syllan.*) non proceditur contra aliquem ad poenas, nisi constet de corpore delicti. Secus vero dicendum si media adhibita ad abortum fuerint adeo efficacia, ut ex eis communiter sequatur effectus, quia tunc praesumptio fit ex communiter contingentibus, ut Nav. et Mascard. apud Dian. [14] ex *l. ult. c. De fide instrum.* Notandum 2. quod in praedictis textibus sancitum sit, dubitantem de homicidio iudicandum esse irregularem quoad duos dumtaxat effectus, scilicet *abstinendi a celebratione et quaerendi dispensationem*, ut iura loquuntur. Ex quo infertur 1. hanc sanctionem valere tantum pro clericis, non autem pro laicis, cum homicidium magis dedeceat statum clericorum quam laicorum, ita Salmant. [15] et Ronc. [16]. Infertur 2. valere tantum ad praedictos duos effectus, non autem quoad alios; nempe privationem beneficiorum etc., ut Sanch. [17] Suar. [18] Ronc. et Salm. [19] et Pal. [20] cum Panorm. Mol. Con. Sayr. Hurt. et Salas. Infertur 3. dubitantem de mutilatione non esse habendum ut irregularem, sicut habendus dubitans de homicidio, quia id tantum de homicidio statutum est, ut Sanch. [21] Bon. [22] Ronc. [23] Salmant. [24] et Suar. [25] contra Nav. et Henr.

Dubit. 4. An habendus ut irregularis qui abortum commisit, dubitans an fuerit vel non foetus animatus. De hoc *vide dicta l.* 3. *n.* 396., ubi id negavimus ex sententia veriori cum plurimis aa., quibus adde Delbene [26] et doctum auctorem libelli *Istruz. per li nuovi confes.* [27] qui testatur in praxi prolem foemineam non censeri animatam, nisi octogesimo die, masculinam vero quadragesimo, ut tradunt s. Thom. cum Alberto M. et alii. Idque confirmatur ex dictis *n. praeced.* [28].

348. « Resp. 2. Ut incurratur irregularitas ex delicto requiritur actus externus consummatus et mortalis, ut habet communis contra Caiet. Ratio est quia est gravis poena, et difficulter relaxatur.»

Ideo ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur 1. Peccatum mor-

(1) D. l. 1. c. 10. n. 38. (2) N. 39.
(3) N. 8. (4) N. 3. (5) P. 114. v. Limita.
(6) N. 42. (7) De cens. c. 7. p. 3. n. 45.
(8) L. 5. tit. 12. n. 8. (9) T. 2. p. 467. n. 190.
(10) P. 7. tr. 5. r. 24. (11) De irreg. c. 5. §. un.
(12) Tr. 5. p. 151. (13) P. 7. tr. 5. r. 26.
(14) Loc. cit. (15) De cens. c. 7. p. 3. n. 45.
(16) C. 2. qu. 1. (17) L. 1. c. 10. n. 45.
(18) D. 40. s. 6. n. 6. (19) Locc. cc.
(20) D. 6. p. 3. n. 8. (21) N. 49. (22) P. 5. n. 4.
(23) P. 114. v. Duo. (24) Dict. n. 45.
(25) D. 40. s. 5. n. 14. (26) Cap. 2. d. 4. s. 20. n. 22. (27) P. 2. cap. 18. n. 464. et 165.
(28) Confer notam ad l. 3. n. 394.

tale, ex quo infertur quod si quis excusatur a mortali ex aliqua circumstantia, excusetur etiam ab irregularitate, ut docent Sanch. [1] Suar. [2] Cont. Tourn. [3] Conc. [4] Esc. [5] et Salm. [6] cum Con. Diana et aliis passim ex *c.* 5. *De poenis in* 6., ubi dicitur poena gravissima non esse infligenda pro levi culpa. Infertur praeterea quod praeceptum obligans sub poena irregularitatis intelligitur etiam obligare sub mortali, Suar. Pal. Con. et Salm. [7]. Requiritur 2. Actus exterior. Quando autem in aliqua bulla aut canone conceditur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur revera quando irregularitas est occulta. Pal. Con. Cov. Avila etc. commun. cum Salm. [8], Requir. 3. Actus exterior consummatus, ut Cont. Tourn. [9] et Salmant.[10] cum Soto Pell. Giball. *Vide dicta de censur. c.* 1. *n.* 36.

349. Sed quaer. 1. An incurratur irregularitas ob crimen externum et consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia universe negat, et hanc tenent Rodriquez Mendo Castro Bruno etc. apud Dian.[11] quia (ut aiunt) non datur irregularitas, nisi in iure sit expressa: in iure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum.

Secunda sententia, quam tenent Ledesm. Cordub. Henr. etc. apud Salm.[12] excipit tantum homicidium, quia tantum in crimine homicidii irregularitas inducta est non solum propter scandalum aliorum, sed etiam propter intrinsecam indecentiam, ne sacerdos offerens vice Christi, agni mansueti, post homicidium ministret in altari, item quia, respectu ad homicidium, in Trid.[13] dicitur: *Qui per industriam occiderit proximum suum..., ab altari avelli debet etc.* Ergo quicumque occidit ex industria, etsi occulte, iam fit irregularis.

Tertia sententia verior, quam tenent Pal.[14] Dian.[15] et Salm.[16] cum Cov. Avila Con. et Pelliz., universe affirmat, non solum quoad homicidium, propter rationes mox allatas, sed etiam quoad alia crimina. Ratio quia ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suae iurisdictioni subiaceant, nempe si sint externata, licet nulli alii patefacta, prout imposuit excommunicationem haeresi omnino occultae (ut dictum est *n.* 365.). Quod autem de facto irregularitatem imposuerit delictis quomodocumque occultis, patet ex *c.* 6. *Liceat Trid. sess.* 24. ubi concilium facultatem praebens episcopis absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* haeresim, homicidium et alia crimina; ergo sicut propter haeresim omnino occultam iam incurritur excommunicatio, et propter homicidium omnino occultum irregularitas, ita etiam propter alia crimina occulta irregularitas incurritur. An autem irregularitas proveniens ex homicidio prorsus occulto possit dispensari ab episcopo. *Vide infra n.* 392. ubi id negabimus.

350. Quaer. 2. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis ecclesiae prohibentis.

Prima sententia universe negat, dicens sufficere solam cognitionem peccati commissi; ita Suar.[17] Holzm.[18] et Azor. ac Felin. apud Sanch.[19]. Ratio, tum quia lex humana intendit punire non solum transgressionem sui praecepti, sed etiam legis divinae, tum quia qui vult antecedens, vult etiam consequens: unde qui vult peccatum, vult etiam poenam peccati.

Secunda sententia vero communissima et probabilior affirmat, et hanc tenent s. Anton.[20] Bon.[21] Pal.[22] Nav.[23]

(1) De matr. l. 9. d. 32. n. 9. (2) D. 40 s. 5. n. 17. (3) De irreg. part. 1. cap. 2. r. 2. (4) T. 10. p. 486. n. 8. (5) Lib. 51. n. 6. (6) De cens. c. 7. p. 1. n. 12. (7) Ib. (8) Ibid. n. 15. (9) L. c. (10) Ibid. (11) P. 12. Miscell. in fine libri n. 6. p. 97. v. Secundum dubium. (12) Ibid. n. 16.

(13) Sess. 14. c. 7. (14) D. 6. p. 2. n. 1. (15) L. c. et p. 7. tr. 11. r. 48. (16) De cens. c. 7. p. 1. n. 16. (17) D. 40. s. 5. n. 10. (18) T. 1. p. 409. n. 511. (19) L. 9. d. 32. n. 16. (20) 5. p. tit. 24. c. 55. (21) De cens. d. 1. quaest. 2. p. 1. n. 15. (22) De peccat. tr. 2. d. 1. p. 17. n. 6. (23) C. 23 n. 47. et c. 27. n. 19.

cum Cai. Sylv. et Ang. Sanch. [1] cum Innoc. Abb. Host. Manuel. Vivald. etc. Salm. [2] cum Corneio et Leand. ac Boss. [3] cum Panorm. Henr. Tab. Vill. et Reg. Et probatur 1. ex *cap. Proposuisti, dist.* 82., ubi Innoc. 1. declaravit quosdam clericos incontinentes non esse deponendos iuxta constitut. Siricii papae, eo quod eam ignorabant: et tamen eorum incontinentia erat quidem contra legem naturalem. Probatur 2. a ratione, quia cum lex ecclesiastica imponit poenam super crimine a lege divina vetito novum ius condit; qui autem peccat contra legem divinam, ignorans invincibiliter ecclesiasticam, peccat utique contra illam, non vero contra hanc; ergo incurrere debet quidem poenam divinae legis, non autem humanae, iuxta dicta *l.* 6. *n.* 1072.

Idem dicendum putant Pal. [4] Viva [5] et Salm. [6] cum Corneio Leand. et Machad., de eo qui committit homicidium, ignorando legem ecclesiae illud vetantem, vel in rixa ad legem non advertendo: hunc enim dicunt excusari ab irregularitate, cum eam non incurrat neque ob delictum, neque ob defectum: non ob delictum, quia non peccat contra legem ecclesiae quam ignorat, vel ad quam non advertit, iuxta sententiam mox supra probatam; neque ob defectum, quia irregularitatem ex defectu solum incurrunt ii qui ad occisionem concurrunt ut ministri necessarii ad causae cognitionem, vel executionem poenae, ut probabiliter alibi dicunt Palaus [7] Diana [8] et Salm.[9] cum Vasq. Hurt. Pelliz. et Turrian. Attamen docent incurrere Suar.[10] Bos.[11] et Diana [12] cum Merolla et Mercero; nam ideo imposita est irregularitas homicidio, quia est actio lenitati contraria, quae valde dedecet altaris ministrum; unde talis homicida non proprie ratione delicti aut defectus irregularitatem incurrit, sed ratione indecentiae propter quam ab altari est repellendus, iuxta id quod dicitur in Trid.[13] ubi: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat.* Haec secunda sententia videtur valde probabilis et tenenda; sed primam non audeo reprobare, cum huiusmodi irregularitas in casu praefato non habeatur omnino expressa in iure.

351. Quaer. 3. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia poenae, id est irregularitatis.

Prima sententia negat, et hanc tenent Suar.[14] Laym.[15] Croix [16] Cont. Tourn.[17] Anacl.[18] Elbel [19] Holzm.[20] cum Carden. et Pichler, item Sotus Pontius Mol. Vasq. Azor Salas Reg. Fill. etc. apud Boss.[21]. Ratio quia irregularitas non est poena medicinalis ad cavenda crimina in futurum; sed est inhabilitas, vel poena mere punitiva propter maculam culpae ob quam ecclesia reddit delinquentem inhabilem ad altaris ministerium; unde sufficit quod talis poena sit imposita a lege actui vetito, quem reus iam scienter et culpabiliter committit, licet ignorans poenam. Praeterea, qui vult causam, id est peccatum, debet subiacere etiam effectui, scilicet poenae, quamvis ignoratae. Haec sententia est quidem valde probabilis.

Secunda sententia vero affirmans satis etiam probabilis videtur et hanc tenent Navar.[22] Sylv.[23] Sanch.[24] Pal.[25] Ronc.[26] Tamb. [27] Diana[28] Boss. [29] cum Con. Sayr. Duard. Felin. etc., item Corn. Rodr. Portell. et Leand. apud Salm.[30], qui vocant aeque probabilem ac primam; et etiam probabilem cen-

(1) L. c. n. 9. et 17. (2) De cens. c. 7. p. 3. n. 49. (3) De usu matr. c. 5. n. 158. (4) De cens. d. 6. p. 6. n. 3. (5) Q. 8. a. 2. n. 7. (6) L. c. n. 51. (7) P. 14. §. 3. n. 7. (8) P. 3. tract. 5. r. 80. (9) Tr. cit. c. 9. p. 1. n. 8. (10) T. 3. d. 31. sect. 6. v. Solet autem. (11) L. c. n. 174. (12) P. 4. tr. 2. r. 85. (13) Sess. 44. c. 7. (14) D. 40. sect. 5. n. 9. (15) L. 1. tr. 4. c. 20 n. 6. (16) L. 7. n. 482. (17) De irreg. part 1. cap. 4 consel. 1. (18) De cens. d. 3. q. 1. n. 5. (19) De irreg. n. 161. (20) P. 409. n. 511. (21) De usu matr. c. 5. n. 168. (22) Man. c. 25. n. 47. (23) V. Ignorantia q. 8. d. 1. (24) De matr. l. 9. d. 32. n. 21. (25) Tr. 2. de pecc. d. 1. p. 17. n. 7. et tr. 29. de cens. d. 6. p. 6. n. 3. (26) P. 114. q. 2. (27) De cens. l. 10. tr. 4. c. 4. §. 3. n. 3. (28) P. 4. tr. 2. r. 85. (29 L. c. n. 174. (30) De cens. c. 7. n. 3. n. 53.

sent Suar. [1] et Rénzi [2]. Ratio quia irregularitas ex delicto censetur vera poena imposita in vindictam criminis. Licet autem non requiratur scientia poenae, ut ipsa incurratur quando poena est ordinaria, et talis ut ex natura ipsius criminis aliquo modo praevideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet malum iuxta suam naturam esse puniendum, requiritur tamen scientia poenae, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri; et huiusmodi utique est poena irregularitatis. Nec obstat dicere quod volens peccatum debet sustinere poenam. Nam respondetur cum Navar. [3] quod esto ad poenam incurrendam non requiratur consensus in poenam, tamen requiritur consensus in causam poenae; et ut quis consentiat in causam poenae, docet d. Th. [4], non sufficere consensum in actum peccaminosum, qui iam est causa poenae, sed peccantem debere scire talem actum esse causam poenae.

352. Quatuor autem modis tollitur irregularitas. 1. Per cessationem causae, si irregularitas sit ex defectu (v. g.) aetatis, ignorantiae, paupertatis, etc. Suar.[5] Layman [6] Cont. Tourn. [7] Ronc.[8] et Salm. [9] cum Sayr. etc. Notandum autem quod cum quis est irregularis ob infamiam, si infamia sit *popularis*, tollitur per emendationem, ex *cap.* 3. *et c.* 18. *dist.* 56. Si est infamia *facti*, tollitur per mutationem loci. Cont. Tourn.[10] et Ronc.[11]. Si vero infamia est *iuris*, scil. per sententiam iudicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio. 2. Per baptismum, si irregularitas sit ex delicto; qui enim homicidium patravit ante baptismum, post illum non manet irregularis. Salmant.[12] cum Con. Sayr. etc. 3. Per dispensationem, de qua *n. seq.* 4. Per professionem religiosam, de qua infra *n.* 354. *et* 355.

353. « Resp. 3. Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili forma: *Dispenso tecum in irregularitatem, quam, vel quas, ob hanc vel illam causam incurristi.* Et si quidem dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit: sin minus, eam tantum tollit, quam potest et vult. Etsi vero haec dispensatio ad pontificem spectet, ex iure tamen novo Trid. ubi est receptum, potest episcopus dispensare in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, et non deducto ad forum contentiosum; nisi tamen sit homicidium directe et in se volitum. Bon. [13] ex Trid. [14] Suar. Sanch. Fill. etc. Laym.[15].

Hic notandum 1. quod si dispensaretur a papa super aliqua irregularitate sine iusta causa, dispensatio erit valida (quamvis non licita): si vero dispensaretur ab inferiore, erit et amplius nulla, Salm.[16]. Notandum 2. Si quis plures irregularitates contraxerit eiusdem speciei, puta si pluries ministrarit cum censura, sufficit tunc ad obtinendam dispensationem, si dicat, pluries in illas incidisse; ita Suar.[17] Pal.[18] et Salm.[19] cum Con., imo Sanchez[20] et Navar. Henr. ac Avila apud Salm.[21] docent sufficere, si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. Notandum 3. quod praelatus, si admittat quemdam ad ordinem vel beneficium, quem scit irregularem, censetur cum eo dispensare: Bon.[22] ac Salm.[23] cum Henr. et Avila.

354. « Praeterea irregularitas ex defectu natalium tolli etiam potest per professionem in religione approbata, sed quoad ordines tantum non quoad praelaturas, *c.* 1. *de filiis presbyt.* Bon.[24] Laym.[25] Suar. Sanch. Less. (Ita etiam comm. Sanch.[26] Suar.[27] Holz.[28] et Cont.

(1) L. c. (2) P. 566. q. 7. (3) C. 27. n. 174. (4) 2. 2. q. 65. art. 8. (5) D. 41. sect. 1. n. 6. (6) Tract. 6. p. 5. c. 4. n. 10. (7) De irreg. part. 5. cap. ult. (8) P. 114. q. 5. r. 1. (9) De cens. c. 7. p. 4. n. 55. (10) De irreg. part. 2. cap. 6. (11) P. 114. q. 5. (12) Ibid. n. 57. (13) Q. 5. 1. n. 5. (14) Sess. 24. cap. 6. (15) C. 9

(16) De cens. c. 7. p. 4. n. 60. (17) D. 44. sect. 3. n. 23. (18) D. 6. p. 7. n. 3. (19) Ib. n. 61. (20) De matr. l. 3. d. 24. n. 7. (21) Loc. cit. (22) Dist. 7. qu. 5. p. 1. (23) Ib. (24) P. 2. (25) C. 9. n. 6. (26) De matr. lib. 7. d. 36. n. 4. (27) D. 41. sect. 3. (28) P. 411. n. 525. v. Per professionem.

Tourn. [1] ex concessione Greg. XIV. Clem. VIII. et Pauli V.) contra Villal. qui apud Dian. [2] dicit tolli quoad omnia solita gubernari per fratres illius ordinis, ut prioratus, praeposituras, rectoratus, et caetera munia, circa quae praelatos saltem posse cum iis dispensare, in capitulo tamen generali, vel provinciali, notat Diana [3] ex Barb. (Et ita etiam Pal. [4] et Holz. [5] cum Sayr. Notant autem Bon. [6] et Cont. Tourn. [7] cum Sayro, quod dispensatio ad dignitates non intelligitur ad episcopatum. Quod autem dicit Sotus, scilicet per professionem religiosam tolli omnes irregularitates, id communius negant aa. apud Salm. [8].

Unde resolves:

» 1. Solus papa, et qui ab eo accepit privilegium, potest dispensare in irregularitatibus ex defectu.

» 2. Confessarius in nullis irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale privilegium a papa. »

355. Praelati autem regulares, ut dicunt Salm. [9] cum Bauny Cand. et aliis ac Spor. [10] cum Herin. ex privilegio s. Pii V. (in bulla 23.) relato in extensum a Salm. [11] et ex alio Greg. XIII. [12] possunt dispensare cum suis subditis in omni irregularitate occulta, in qua possunt episcopi cum suis. Et etiamsi irregularitas proveniat ex bigamia, et homicidio adhuc voluntario, modo non sit notorium, ut ait Pal. [13] ex privilegio Martini V. relato apud Rodriq. et Spor. [14] cum Portel. Qui tamen ait cum eodem Rodriq. id intelligi tantum de dispensatione ad ordines, non ad praelaturas. Quomodo regulares possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario. *Vide dicenda dub. seq. in fin. n.* 396. Hoc respectu ad subditos, quod vero ad saeculares, docent Spor. [15] cum Suar. Sanch. Bass. Sayr. etc. ac Salmant. [16] cum Pell. Lez. Rodr. Henr. etc. posse confessarios regulares dispensare in omnibus irregularitatibus in quibus possunt dispensare episcopi cum subditis suis, ex privilegio Sixti IV. in bulla 9. minimis concesso, et confirmato a Iulio II. in sua const. quae incipit, *Dum ad sacrum ordinem* (ut testatur Peyrin. [17] apud Salm. [18], ibi confessariis illorum concessa est facultas *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, et super quacumque irregularitate ordinaria, tam a iure quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi et dispensandi, ac vota quaecumque permutandi, sicut potest dioecesanus.* Huiusmodi privilegium Bauny testatur iam esse in usu, sed Lezana de hoc dubitat; at Salm. [19] dicunt quod usus talis privilegii, cum sit occultus spectando ad forum poenitentiae, nemo testari potest, an sit vel non sit in usu: praeterquam quod addunt privilegia maxime gratiosa non amitti per non usum, ut aiunt probasse [20]. Et etiamsi minimi illo nequirent uti ob non usum, dicunt tamen alios regulares in privilegiis communicantes non interdici ab illis utendis. An vero ex bulla Cruciatae possit confessarius electus dispensare in irregularitatibus ex delicto. Vide Salmant. [21].

DUBIUM IV. Quae sint irregularitates ex delicto.

356. *Irregularitas ex delicto incurritur* 1. *ob* baptismum iteratum.
357. 2. *Ob* violationem censurae.
358. *Plura notanda* (*An autem qui ordinatur ligatus censura incurrat irregularitatem*).
359. 3. *Ob* exercitium actus ordinis sacri, *quem aliquis clericus non habet.*
360. 4. *Ob* malam susceptionem ordinum.
361. *Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem.*
362. 5. *Ob* crimina infamia et notoria.
363. *Requiritur notorietas facti vel iuris. Quae sint crimina et exercitia, quibus annexa est infamia.*
364. *Quomodo tollatur haec irregularitas.*
365. 6. *Ob* homicidium *vel* mutilationem.

(1) De irreg. part. 2. cap. 1. v. Quod dixi. (2) P. 4. tr. 2. res. 65. (3) L. c. (4) D. 6. p. 7. n. 2. (5) L. c. (6) D. 7. q. 2. p. 3. n. 14. (7) Loc. cit. (8) De cens. c. 7. p. 4. n. 58. (9) Eod. tr. c. 8. p. 6. n. 72. (10) Suppl. p. 149. n. 167. (11) Ib. t. 2. p. 6. n. 72. (12) Allato dict. c. 8. p. 6. n. 71. (13) D. 6. p. 7. n. 2. (14) L. c. (15) Suppl. p. 150. n. 170. (16) Tract. 18. de privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 170. et de cens. c. 7. p. 4. n. 65. (17) Ad const. 1. Iulii 2. §. 22. (18) Tr. 18. de privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 171. (19) De privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 171. (20) In eod. tr. c. 2. p. 2. §. 2. n. 13. (21) De cens. c. 7. p. 4. n. 66.

66. *De irregularitate ob homicidium* voluntarium.
67. *Hanc irregularitatem incurrunt* 1. *Qui occidunt vel mutilant.*
368. *Dub.* 1. *Quid, si homicidam poeniteat ante mortem.*
369. *Dub.* 2. *Quid, si unus feriat, sed alii occidant.*
370. 2. *Incurrunt mandantes vel consulentes homicidium vel mutilationem.*
371. *Dub.* 1. *Quid in dubio, an homicidium causatum fuerit ex mandato sive consilio.*
372. *Dub.* 2. *Quid, si homicida iam erat determinatus ad occidendum.*
373. *Dub.* 3. *Quid, si consulens consilium revocet.*
374. 3. *Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe* 1. *Excitantes.* 2. *Praeliantes in bello iniusto.* 3. *Ministrantes auxilium.* 4. *Accusantes etc.* 5. *Associantes.*
375. *Dub.* 1. *An incurrant ratihabentes.*
376. *Dub.* 2. *An non impedientes.*
377. *De irregularitate ob homicidium vel mutilationem* casualem.
378. *De mutilatione membrorum.*
379. *Dub.* 1. *Quid veniat nomine* membri.
380. *Dub.* 2. *An fiat irregularis qui abscindit testiculos.*
381. *Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare episcopi.*
382. *Plura apud Busemb. et praesertim an dans potum infirmo, vel eum admovens incurrat irregularitatem.*
383. *Si quis dat operam rei licite non fit irregularis nisi apponat negligentiam mortaliter culpabilem.*
384. *Hinc excusantur* 1. *Magister et pater verberans, si etc.* 2. *Equitans in equo feroci.* 3. *Alens feram ligatam.* 4. *Reficientes tectum.* 5. *Clericus in sacris aut monachus medens sine incisione vel adustione.*
385. *Quid de clerico beneficiato medente cum incisione.*
386. *Si quis dat operam rei illicitae non fit irregularis, si res non est periculosa.*
387. *Quid, si periculosa.*
388. *Quid, si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis. Et quid, si adulter occidat maritum aggressorem. Remissive ad l.* 3. *n.* 398. *v.* In ordine.
389. *An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum etc.*
390. *Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium.*
391. *An episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario.*
392. *Et quid, si homicidium fuerit omnino occultum.*
393. *Quid, si homicidium fuerit casuale.*
394. *An reputetur casuale homicidium patratum in rixa.*
395. *Et quid, si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen.*
396. *Quomodo praelati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium vel mutilationem cum subditis suis. Et quomodo cum laicis.*

356. « Resp. *Prima* est, ob iteratum baptismum serio et scienter; estque irregularis tam baptizans quam baptizatus, etsi in rebaptizante irregularitas tantum sit causa partialis, ne clericus ad altiorem ordinem possit ascendere, neque incurratur, si rebaptizatio sit occulta. Covar. Tolet. M. Leo [1]. Vide Bon. [2] Laym. [3]. »

Per rebaptizationem occultam non solemnem probabilius non incurritur irregularitas, ut tenent Salm. [4] (licet contrarium teneant Bon. [5] Pal. [6] apud Salm. [7]) cum Sylv. Laym. et Con. ex *cap. Ex litterarum* 2. *de apostat.* ubi, cum de rebaptizato sermo fiat, dicitur: *Ad superiores ordines promoveri (si publicum est quod proponitur) non valebit, nisi ad religionem transire voluerit; si vero occultum est, promoveri poterit.* Hinc nota 1. quod irregularitas adversus eum qui scienter rebaptizatur, habetur ex *c.* 64. *Confirmandum, dist.* 50., adversus autem rebaptizantem habetur tantum ex communi sententia dd. ut testatur Salm. [8]. Et colligitur ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis acolythus assistens rebaptizationi. Rebaptizans vel rebaptizatus ex metu sine intentione vel sub conditione (etsi temere et culpabiliter fiat) probabiliter non fiunt irregulares, ut Pal.[9] Suar.[10] Cont. Tourn.[11] et Salm.[12] cum Navarr. Corn. et Avila. Ignorantia culpabilis tamen hos non excusat, ex *c. Quibus, de consecr. dist.* 4. Secus, si inculpabilis; Palaus[13] Salm.[14] cum Soto Sayr. etc. Nota 2. quod est etiam irregularis qui baptizatur ab haeretico declarato sine ulla necessitate, ut habetur ex *can. Ventum est, caus.* 1. *q.* 1. Insuper qui differt baptizari usque ad mortis periculum, ex *c. Si quis, dist.* 57. Vide Salmant. [15].

357. « *Secunda*, ex violatione censurae, v. g. si ea innodatus, actum a-

(1) P. 3. s. 318. (2) D. 7. q. 3. p. 3.
(3) L. 1. t. 3. c. 2.
(4) De cens. c. 8. p. 5. n. 60.
(5) D. 7. q. 3. n. 1. et 7. (6) D. 6. p. 16. n. 1.
(7) D. n. 60 (8) Ibid. n. 59. (9) L. c.
(10) D. 31. sect. 6. dub. 5. (11) De irreg. part. 3. cap. 2. v. Quaeres 3. (12) Ibid. n. 61.
(13) N. 6. (14) De cens. c. 8. p. 8. n. 62.
(15) Ibid. n. 63

liquem ordinis solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. Layman [1]. »

358. Notandum hic 1. quod qui celebrat innodatus excommunicatione minori non incurrit irregularitatem, ex *c. Si celebrat, de cler. exc. min.* Immo nec irretitus excommunicatione maiori, si exerceat actum ordinum minorum, adhuc solemniter, et ex officio: ita Bonac.[2] Laym.[3] Navar.[4] Anacl.[5] et Avila Fill. Corn. cum Salm.[6]. Nec si exerceat actum ordinum maiorum, sed non solemniter, id est diaconatus sine stola, subdiaconatus sine manipulo; cum tales actus sic exerceri possint etiam a cantoribus: Salm.[7] et Anacl.[8]. Nec qui canit solemniter officium, nisi sit hebdomadarius capituli, solemniter dicendo orationem cum *Dominus vobiscum*, quia tale ministerium ex consuetudine a sacerdotibus aut diaconis exercetur. Nec qui concionem habet, quia hoc munus de licentia episcopi potest exerceri etiam a non constituto in sacris, cum sit actus iurisdictionis, non ordinis; Suar.[9] et Salmant.[10] cum Avila Sylv. Sayr. Henr. etc. Nec qui exercet actum non ordinis, sed iurisdictionis, scil. si episcopus excommunicet, si parochus assistat matrimonio, Anacl.[11] et Diana Avila Sylv. Sayr. Henriq. etc. cum Salm.[12].

Notand. 2. ad incurrendam hanc irregularitatem requiri ut censuratus scienter actum ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus vel alius sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se fit irregularis, ex *c. Illud, de cler. exc. min.* Ab hac autem irregularitate tantum pontifex potest absolvere vel episcopus, si sit occulta; et praelati regulares cum suis religiosis, etiamsi sit publica, ut tenent Bord. Sayr. Corn. Cand. etc. apud Salm.[13]. Immo etiam cum saecularibus, ut Peyr. Fragros. et Ant. a Sp. s.[14] ex privilegiis Mart. v. et Iul. II.

(1) C. 3. (2) Q. 3. p. 5. n. 1. (3) C. 3. n. 4. (4) C. 27. n. 242. et 244. (5) P. 512. n. 13. (6) L. c. p. 6. n. 66. (7) Ib. n. 63. (8) L. c. (9) D. 12. sect. 2. n. 4. (10) Ibid. n. 69.

Notandum 3. cum Cabassut.[15] quod si quis celebret in ecclesia polluta non fit irregularis; fit vero qui celebrat scienter in loco interdicto, quia iam violat censuras per exercitium ordinis, ex *c. Is qui* 18. *de sent. exc. in* 6. Notand. 4. cum Anacl.[16] et Navar.[17], quod qui ordinatur ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, haeretico, schismatico aut simoniaco, fit irregularis: argum. ex *c. Quod quidam, et c. Statuimus, caus.* 1. *q.* 1., item ex *c. Ordinationes q.* 9. *etc.* 1. *et* 7. *de schism.* ubi dicuntur huiusmodi ordinationes indigere dispensatione. An autem incurrat irregularitatem qui ordinatur aliqua irretitus censura. *Vide l.* 6. *n.* 799. *dub.* 3. *vers.* Utrum.

359. » *Tertia*, ob peccatum, quo clericus serio et scienter actum ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet. Bon.[18] Laym.[19]. »

Ex hoc capite igitur (ut dicit Busembaum) fit irregularis clericus ministrans scienter et solemniter in ordine sacro quem non habet, ut ex *c.* 1. *et* 2. *de cler. non ord. min.* Nempe, si non diaconus canat evangelium cum stola etc., vel si non sacerdos absolvat sacramentaliter, solemniter baptizet etc. An autem laicus exercens actum ordinis quem non habet, incurrat irregularitatem. Probabilius negatur iuxta dicta de baptismo *lib.* 6. *n.* 116. *v. Dub.* 3. Qui est ligatus duplici censura et exercet actum ordinis sacri, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici aequivalentem: unde in petitione dispensationis id exprimere debet, Cont. Tourn.[20]. Sacerdos autem simplex excipiendo confessiones non incurrit irregularitatem, quia hic revera exercet actum ordinis quem iam habet, licet careat iurisdictione, ut recte ait idem Cont. Tourn.[21]. Unde peccat, sed non incurrit irregularitatem.

360. « *Quarta*, ob delictum, quo quis

(11) N. 14. (12) Dict. n. 69. (13) De cens. c. 3. p. 6. n. 72. (14) Ib. (15) L. 5. c. 20. n. 13 (16) P. 512. n. 16. (17) Ib. (18) Loc. cit. p. 6 (19) Loc. cit. c. 3. (20) De irreg. part. 3. cap. 4. concl. 2. v. Quaeres 2. (21) Loc. cit.

male suscipit ordines, v. g. in excommunicatione, suspensione, vel ab episcopo non habente iurisdictionem, vel per saltum (licet hunc suspensum tantum esse, quamdiu non ministrat in ordine per saltum suscepto, satis probabiliter doceant Avila Nav. Bon.), vel ante legitimam aetatem vel sine dimissoriis, vel furtive (episcopo nesciente nec approbante) et non examinatus. Vide Bon. [1]. »

361. Ex furtiva ordinum susceptione fit irregularis, 1. Qui ordinem recepit sine approbatione episcopi: nam is prohibetur ad alium ordinem ascendere, ex *c.* 1. *de eo qui furt. etc.* 2. Qui sine dispensatione episcopi eodem die recipit plures ordines, quorum unus sacer est, ex *c.* 2. *et* 3. *eod tit.* 3. Qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit, renitente uxore, ut *Extrav. Antiquo de voto.* Alias vero furtivas receptiones ordinum, quas enumerat hic Busemb., dicunt Suar. [2] Pal. [3] Salm. [4] cum Conin. et Corn., potius inducere suspensionem quam irregularitatem; nihilominus pro absolutione huiusmodi suspensionis semper recurrendum ad papam: *vide dicta n.* 318.

In hac autem irregularitate nequit dispensare episcopus, si crimen est publicum, et ipse ante ordinationem praeceperit sub poena excommunicationis (ut mos est) neminem furtive accedere, ex *c.* 1. *eodem tit. ut supra;* vide Salm. [5]. Qui insuper dicunt cum Fragroso etc. regulares posse dispensare etiam cum saecularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis, ita etiam in hac, ex privilegio Sixti IV. et Iulii II. iuxta dicta *n.* 355. *in fin.*

362. « *Quinta*, propter enormia crimina, si sint notoria et publica, v. g. quae a iure habent annexam infamiam, ut adulterium, raptus, incestus, periurium in iudicio. »

Haec irregularitas ex infamia, ut ait Croix[6], potius reducitur ad irregularitatem ex defectu, quam ex delicto cum infamia non sit aliud quam defectus bonae famae. Omnes infames irregulares fiunt, ex *c. Infames caus.* 6. *qu.* 1. Et hoc intelligitur, sive infamia sit ex iure canonico sive ex civili. Item sive infamia sit iuris sive facti; quamvis Bonac. cum Azor. apud Salm.[7] dicant infamiam facti inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos ordines, sed non ad ministrandum in susceptis; infamiam vero iuris ad utrumque.

363. Ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur ut crimen, cui annexa est infamia, sit notorium notorietate facti vel iuris, *facti* per publicam famam. Requiritur tamen, prout dicunt Viva [8] cum Castro Hurtad. ac Layman Garc. et Pignat. apud Croix [9] (contra Suar. Fill. etc.) ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium; seu ita evidens maiori parti viciniae seu collegii (ubi ad minus sint decem) ut nulla possit tergiversatione celari. Item ait Viva [10] requiri etiam, ut crimen sit qualificatum, ut haeresis, parricidium etc. vel continuatum, ut concubinatus. Infamia autem *iuris* habetur per confessionem rei in iudicio vel per sententiam iudicis, saltem criminis declaratoriam; ita Sanch.[11] Pal.[12] et Salm.[13] cum Con. Bon. Avila Corn. etc. Crimina autem, quibus de iure annexa est infamia, sunt homicidium, periurium factum in iudicio, haeresis, simonia, sodomia, crimen laesae maiestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio cardinalium vel episcoporum. Item raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes etc. Vide Salm.[14]. Item exercitium histrionis cum turpibus repraesentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali: non autem macellatoris, carnificis, lictoris et similis generis, cum haec officia bene exerceri possint sine peccato, ut Pal.[15] et Sal-

(1) D. 7. q. 5. p. 4. (2) D. 42. sect. 3. n. 5. (3) D. 6. p. 17. n. 1. (4) T. 10. c. 3. p. 7. n. 73. (5) Ibid. n. 75. (6) L. 6. n. 512. (7) De cens. c. 8. n. 76. (8) Quaest. 9. art. 3. n. 6.

(9) L. 7. n. 515. (10) Ibid. (11) Dec. l. 2. c. 26. n. 1. (12) P. 20. n. 3. (13) Ibid. n. 82. (14) Ibid. n. 78 (15) L. c. n. 6.

mant. [1] cum Corn. contra alios. Praeterea hic notandum, posse etiam incurri irregularitatem ob infamiam adhuc alienam, prout incurrunt filii eorum qui damnati sunt ob delictum laesae maiestatis; item filii nati ex matre meretrice; item filii haereticorum (licet hoc neget Viva [2] sicut negat etiam de filiis illegitimorum cum Suarez et Pal. contra alios), et etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes; modo tamen sit notorium parentes fuisse haereticos et in haeresi decessisse, ut Sanch.[3] et Suar. [4]. Ut autem omnes hi irregularitatem incurrant opus est ut nati sint post delictum, ut Sanchez[5] Less. [6] Pal. [7] et Salm. [8] cum Bonac. et Henr.

364. Haec infamia atque irregularitas, si sit facti, tollitur vel per baptismum vel per notoriam facti emendationem, sine dispensatione, ut tenent Suar. [9] Pal.[10] et Salmant.[11] cum Henr. Bon. Corn. etc. Et colligitur ex *c. Si duo* 15. *q.* 6., modo emendatio, universim loquendo, ut ait Viva[12] et Croix[13] cum communi, saltem per triennium perseveret. Si vero sit iuris, non tollitur nisi per dispensationem; quamvis Bonac. teneat hanc etiam tolli per baptismum, et Salm.[14] non improbabile putant.

Episcopus non potest dispensare ut infamis infamia facti ad sacros ordines ascendat: potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit poenitentiam. Si vero infamia sit per sententiam iudicis, potest ab illo irregularitas tolli per aliam sententiam, qua reo fama restituatur, Salm.[15] et Cont. Tourn.[16]. Irregularitas ob crimen parentum vel ob officium infame tollitur per ingressum in religionem, ut Salm.[17] cum Corn. Testantur autem [18] Bordon. et Anton. a Sp. s. regulares ex privilegiis Pii IV. et Pii V. posse dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, sive contracta ante ingressum in religionem, sive post: item sive infamia fuerit iuris sive facti, nulla excepta.

365. « *Sexta* oritur ex iniusta mutilatione vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, extenditurque ad omnes qui ad alterutrum, sive in bello iniusto, sive extra illud, iniuste concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hic intelligitur quando a corpore separatur membrum aliquod principale, id est pars corporis, quae officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus, oculus, auris etc. M. Leo[19] ex Covar. Nav.[20]. Vide Bon.[21] (Ita habetur ex *Clem. unic. de homic.* Et hoc verum est, etiamsi quis mutilet seipsum, ut qui se ipsum castraret, *c. Si quis absciderit dist.* 55. Sayr. Corn. cum Salm. [22]. Sicut etiam fieret irregularis qui se ipsum culpabiliter deformaret, aut digitum vel partem digiti sibi abscinderet, ut ex *c. Qui partem, dist.* 55. Dicitur *seipsum*, quia secus esset (ut mox dicemus *n.* 379.) si alter abscinderet tibi digitum). »

366. Haec igitur irregularitas oritur tam ab homicidio voluntario (nimirum cum homicidium sit vel directe volitum in se, vel indirecte in causa, inseparabiliter tamen et proxime cum illo coniuncta, prout est in lethali vulneratione, in porrectione veneni etc.) quam ab homicidio casuali indirecte volito, nempe in causa, praeviso effectu (non ita autem proxime cum causa coniuncto), et neglecta debita diligentia ad illud impediendum. Hinc aliqui adnotabimus 1. De homicidio *voluntario*. 2. De homicidio *casuali*, advertendo, quod illud quod dicitur de irregularitate ob homicidium, dicitur etiam de irregularitate ob mutilationem voluntariam, sive casualem.

367. Quoad homicidium voluntarium pertinet, 1. incurrunt irregularitatem omnes qui propria actione hominem

(1) Ib. n. 34. (2) Art. 4. n. 6.
(3) L. 2. c. 28. n. 7. (4) D. 43. sect. 3. n. 1.
(5) L. 2. c. 27. n. 14. (6) L. 2. c. 34. n. 121.
(7) P. 19. §. 2. n. 2. (8) De cens. c. 8. p. 8. n. 85.
(9) D. 48. sect. 2. n. 6 (10) Loc. cit. n. 14.
(11) Ibid. n. 85. (12) Art. 4. n. 6. (13) N. 517.
(14) L. c. n. 36. (15) Ib. n. 87.
(16) De irreg. part. 2. cap. 6. concl. 5. (17) Ib.
(18) Ibid. (19) In praxi p. 3. s. 347.
(20) De cens. n. 206. (21) P. 8.
(22) De cens. c. 8. p. 2. n. 18.

occidunt, ut patet ex *c. Si quis* 1. *de homic. et ex c.* 7. *Trid. sess.* 14.

368. Sed hic dubitatur 1. an si homicidam poeniteat facti ante mortem, incurrat irregularitatem. Negant Salm.[1] quia (ut aiunt) tunc occisori mors illa non est voluntaria in seipsa, sed tantum in causa, quae cum iam retractata fuerit, ipse non influit amplius moraliter in mortem. Sed verius affirmant Suarez [2] et Viva [3]. Nam in hoc differt causa moralis a physica: qui posuit causam tantum moralem, sufficit ut eam moraliter auferat, ne effectus ei imputetur: hinc mandans homicidium, revocando mandatum ante eius executionem, bene excusatur ab irregularitate, quia iam desinit moraliter influere. Qui vero posuit causam physicam mortis, nempe vulnus aut venenum, non excusatur si poeniteat illum, quia causa necessario pergit influere in mortem. Imo recte docet Suar. [4] nec etiam mandantem excusari ab irregularitate, si revocatio mandati casu non perveniat ad mandatarium. Valde probabiliter tamen (ut diximus *n.* 40. et tenent iidem Salm. [5] cum Suar. Sayr. Avila Corn. etc. ac consentit ipse Viva [6]) excusabitur ab excommunicatione mandans percuti clericum, si ante executionem poeniteat ipsum mandati sive consilii, licet revocatio mandatario non innotuerit, quia cessat contumacia requisita ad censuram incurrendam. Certum autem est quod si quis lethaliter quantumcumque vulneret, si mors non sequitur, irregularitatem non incurrit, quia nulla assignatur in iure propter conatum occisionis, sed tantum propter homicidium aut mutilationem, ita Suar. [7] et Salm. [8] cum Avila et Sayr. ac aliis passim.

369. Dubit. 2. an incurrat irregularitatem, si quis primus lethaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint. Affirmant Fagnan. [9], item Covarr. et Ugol. apud Bon.[10]. Et inferunt ex *dicto cap. Significasti*, ubi pontifex dixit primum vulnerantem non esse irregularem, si constet vulnus ab eo inflictum non fuisse lethale, secus ergo, si lethale fuerit. Negant vero Laym.[11] Bon.[12] cum Avila et Con., item Molina et Henr. apud Esc.[13]. Ego autem censeo cum Escob.[14] revera in *praedicto c. Significasti* nihil definitum fuisse de hoc casu: ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, et sic decesserit, respondit pontifex quod si constiterit, primum non percussisse lethaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset an ex illius percussione, vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum, nempe quod primus vulnus lethale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit, puto a pontifice fuisse praeteritum, saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum si constet primum vulnus non causasse mortem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisset confractum aut cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem.

370. 2. Incurrunt irregularitatem omnes homicidium mandantes, vel consulentes, ut habetur ex *c. Si quis viduam d.* 50., *c. Significasti* 18. *de homic. et c. Sicut* 6. §. *Qui vero, eod. tit.* Hoc tamen non currit, si mandans vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum (ut dicunt Sanch.[15] et Viva [16]) si constet homicidium ex alia causa accidisse, vel si ipsemet hoc asserat sitque fide dignus, nam alias, ut bene advertit Sanchez, non est credendus.

371. Sed dubit. 1. an mandans vel consulens censendus sit irregularis in dubio an mandatum vel consilium fuerit vel non efficax causa homicidii.

Prima sententia communior, quam

(1) L. c. p. 1. n. 4. (2) D. 44. s. 3. n. 7.
(3) De irreg. q. 9. a. 2. n. 4. (4) D. 44. sect. 3. n. 13. (5) De cens. c. 1. p. 12. n. 153.
(6) L. c. (7) D. 44. sect. 2. n. 2.
(8) Tr. cit. c. 8. p. 1. n. 4
(9) In c. Significasti 18. de homic.
(10) D. 7. q. 4. p. 8. n. 32.
(11) L. 3. s. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. (12) L. c.
(13) L. 83. n. 311. (14) N. 312.
(15) Dec. l. 1. c. 10. n. 44. (16) Qu. 9. a. 2. n. 6.

tenet Sanch.[1] cum Salas Palaus [2] cum Nav. et Salm. [3] cum Con. Sayr. Avila et Corn. affirmat, tum quia possidet mandatum sive consilium, usquedum probetur oppositum; unde sicut in foro externo hi damnarentur iam ut irregulares, ita censendum in interno, qui externo conformari debet, semper ac externus non utitur falsa praesumptione, tum quia ratio textus in *c. Ad audientiam*, nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, ut si forte postmodum certe innotescat homicida, evitetur indecentia et scandalum, comprehendit tam homicidam quam mandantem aut consulentem.

Secunda sententia vero, quam tenent ut probabilem Diana [4] Spor. [5] et Tambur. [6] negat, quia (ut aiunt) irregularitas non incurritur nisi expressa sit in iure; iura autem loquuntur de iis qui certe sunt causa homicidii mandando vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt, non autem de iis qui tantum dubie ad illud concurrunt. Unde sicut non incurreret irregularitatem mandans, sive consulens homicidium, nisi hoc in textibus supra allatis esset expressum, ita alii canones qui damnant percutientes, etiam in dubio an ex eorum percussione mors secuta fuerit, non extenduntur ad mandantes et consulentes in dubio concursus. Ad primam autem rationem responderi posset id quod dicitur circa obligationem restitutionis, *vide dicta l.* 3. *n.* 562. ex d. Th. et aliis. Secundae vero rationi respondetur quod in poenis, et praesertim in irregularitatibus (iuxta dicta *n.* 346.), non fiat ob identitatem rationis extensio de casu ad casum. Unde non videtur haec secunda sententia dicenda improbabilis.

372. Dubit. 2. an incurrat irregularitatem qui movet homicidam iam determinatum ad occisionem, ut citius eam exequatur. Negat Hurt. cum aliis apud Vivam [7], quia hic non influeret simpliciter in homicidium. Sed communiter et recte affirmant Bon.[8] Pal.[9] et Salmant.[10] cum Avila et Corn., quia revera iste iam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati.

373. Dubit. 3. an consiliator homicidii excusetur ab irregularitate, si ante executionem consilium revocet. Negant Nav.[11] et Bon.[12] cum Azor. et aliis, quia consilium adhuc revocatum semper influit. Affirmant vero Suar.[13] cum communi, ut asserit, Sylvester[14] Fill.[15], item p. Nav. Avila Sayr. Salas et Ugol. apud Bon.[16], quia, ut consulens excusetur, sufficit ut sicut consulendo moraliter influxum posuit, ita, consilium revocando, influxum moraliter auferat (modo intelligitur revocatio perveniat ad homicidam), tunc enim homicidium potius imputatur malitiae executoris, quam consilio suadentis. Sed iuxta dicta *l.* 3. *n.* 559. dicimus quod si consilium fuerit dumtaxat falsum, vel datum auctoritativo modo, revocans illud non fit irregularis; secus si consulens insinuavit motivum vel modum occidendi, tunc enim probabilius incurrit irregularitatem, quia motivum aut modus semper influere pergunt. Hoc tamen non obstante secundam sententiam non puto improbabilem. *Vide dicta n.* 559.

374. 3. Incurrunt irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius aut securius fiat, ut communiter docent Pal.[17] Bon.[18] Tamb.[19] cum Sayr. Praep. et Ugol. et Salm. [20] cum Corneio et Avila, ex *c. Sicut*, §. *Qui vero*, *et* §. *Clericos de homic.* Hinc fiunt irregulares 1. Omnes qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat. 2. Omnes qui praeliantur in bello iniusto, si aliquis in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant, tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis. 3. Omnes qui mi-

(1) L. 1. c. 10. n. 42. (2) D. 6. p. 3. n. 8. (3) De cens. c. 7. p. 3. n. 43. (4) P. 11. tr. 6. r. 42. (5) T. 2. p. 150. n. 129. (6) L. 10. de cens. tr. 4. c. 5. n. 11. (7) Q. 9. a. 2. n. 7. (8) D. 7. q. 4. p. 8. n. 28. (9) P. 15. §. 2. n 6. (10) De cens. c. 8. p. 1. n. 15. (11) C. 27. n. 355. (12) D. 6. p. 8. n. 20. (13) D. 44. s. 3. n. 15. (14) V. Homicidium, n. 15. (15) Tr. 20. n. 54. (16) L. c. (17) D. 6. p. 15. §. 2. n. 6. (18) D. 7. q. 4. p. 8. n. 28. (19) De cens. c. 15 §. 7. n. 26. (20) De cens. c. 8. p. 1. n. 15.

nistrant arma aut pecunias ad homicidium aut bellum iniustum patrandum. 4. Omnes qui iniuste accusant aut testificantur aut iudicant ut homo occidatur. 5. Omnes qui associantur occisorem, animum augendo, ita communiter Viva [1] Tamb [2] et Salm. [3] cum Bon. Avila Giball. et Corn. Quapropter dicit Tambur. [4] cum Sayr. Praepos. et Ugol., quod si in rixa te ostendas amico rixanti, iam eris irregularis si ille occidat, quia tua praesentia iam animum auges. Additque cum Praepos. non posse approbare opinionem Avilae Henriq. et aliorum dicentium excusari ab irregularitate patrem associantem filium rixantem, ne filius periclitetur, si filius alterum occidat. Subdit Viva [5] cum Avila fieri etiam irregularem qui suadet amico ut inimicum occidat, vel se exponat probabili periculo mortis, si postea ipse amicus occidatur; *vide n.* 387. *ibi infra.*

375. Dubit. 1. an incurrat irregularitatem qui ratihabet homicidium suo nomine patratum. Affirmant Nav. [6] atque Mol. Sylv. etc. apud Salm. [7], quia (ut aiunt) ratihabentes aequiparantur mandantibus, ideo in *c. Cum quis, de sent. excom. in* 6. ratihabentes percussionem clerici suo nomine factam, iam incurrunt excommunicationem. Sed verius et communiter negant Suarez [8] Bon.[9] Salm. [10] cum Corn. Diana Giball. Vill. et Leand. ac Escob. [11] cum Con. Avila Cov. Sayr. et Henr. Ratio quia nullibi habetur in iure ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitio autem aequiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad poenam, nisi in iure sit expressum, prout expressum est de ratihabentibus clerici percussionem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam.

376. Dubit. 2. an incurrat irregularitatem qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit. Si is tantum ex caritate tenetur impedire, certum est apud omnes non incurrere, esto ex odio non impediat; ita communiter Suar.[12] Bon.[13] et Salm.[14] cum Avila Sayr. Fill. Giball. Henr. Cor. etc. Dubium fit an incurrat qui tenetur impedire ex iustitia ratione pacti vel officii, nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus qui tenetur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus, aut maritus qui tenetur uxori alimenta praestare.

Prima sententia negat incurrere, et hanc tenent Ronc.[15] Hurtad.[16] Turr.[17] Diana[18] cum Vasq. et Tamb., item Praep. Leand. et Giball. apud Salm.[19] et probabilem videri aiunt Pal.[20] et Escob.[21]. Ratio quia aliter iudicandus est qui positive influit in homicidium, quam qui homicidium non impedit.

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent Nav.[22] Suar.[23] Pal.[24] Bon.[25] Tol.[26] Cont. Tourn.[27] Esc. [28] cum Man. et Henriq. ac Salm.[29] cum Avila Sayr. et Corn. Ratio quia omittens defendere, cum possit, quem ex iustitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influit in homicidium. Haec sententia est quidem communior et probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur prima; cum enim irregularitas debeat esse in iure expressa, recte dicit Ronc. ex s. canonibus non satis constare huiusmodi non impedientes, moralem tantum causam praebentes, incurrere irregularitatem, sed solos occidentes, mandantes, consulentes, omnesque positive in homicidium influentes. Iidem autem Cont. Tourn. et Escob.[30] excusant ab irregularitate qui omittunt impedire, non iam studiose, ut homo occidatur, sed tantum ex timore vel negligentia; idque recte in-

(1) Q. 9. ar. 2. n. 3. (2) L. c. (3) Ib. n. 14.
(4) L. c. n. 28. (5) Q. 9. ar. 2. n. 8.
(6) Cap. 27. n. 253. (7) De cens. c. 8. p. 1. n. 11.
(8) D. 44. s. 3. n. 24. (9) D. 7. q. 4. p. 8. n. 42.
(10) Ibid. n. 12. (11) L. 55. n. 283. et 289.
(12) D. 45. s. 4. n. 3. (13) D. 8. q. 4. p. 8. n. 57.
(14) L. c. p. 3. n. 39.
(15) Cap. 3. qu. 3. n. 116. v. Non nauci.
(16) D. 2. diff. 9. n. 34.
(17) D. 63. dub. 5. (18) P. 4. tr. 2. c. 7.
(19) ibid. n. 41. (20) D. 6. p. 15. §. 7. n. 2.
(21) Lib. 53. n. 315. (22) C. 27. n. 251.
(23) D. 46. s. 4. n. 5. (24) L. c. n. 2. (25) L. c.
(26) L. 1. c. 85. n. 4. (27) De irreg. part. 3. cap. 1. art. 1. concl. 2. (28) L. c.
(29) De cens. c. 8. p. 3. n. 42. (30) Locc. cc.

ferunt ex *c. Quaesitum, de poen. et rem.*, ubi parentes, ex quorum culpa filii in cunis perierint, censentur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint.

377. Haec quoad homicidium voluntarium; quod vero ad homicidium *casuale* spectat, incurritur irregularitas etiam ab eo qui periculum mortis praevidet ex aliqua sua actione, et negligit culpabiliter illud praecavere; ita Pal. [1] et Salmant. [2] cum Avila Cov. et Henr. ac aliis passim, ut patet ex Clem. *Si furiosus, de homic.* Dicitur *culpabiliter*, nam ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa lata, quae peccatum mortale supponit, ut communiter docent Bon. [3] Pal. [4] Suarez [5] Cont. Tourn. [6] Conc. [7] Salmant.[8] cum Avila Sayr. et Corn. ac Viva[9] cum Caiet. Arm. etc.

378. « 1. Non fit irregularis qui in rixa praescindit alteri digitum, pollicem, unguem, dentes, barbam, capillos, labia, nasum, auriculam (id est, cartilaginem quae tantum deservit ad ornatum et tutelam auris), quia non sunt proprie membra, v. gr. digitus est pars tantum et officium membri, Av. et alii 8. cum Diana [10]. Item M. Leo [11] ex Glossa *c. ult. de homic. in* 6. *et l. Quaeritur* 10., *l. Non sunt* 14. §. *Partus, ff. de statu hom.* »

379. Incurritur igitur irregularitas etiam ob mutilationem membri, ut habetur in *c. Significasti, de hom.* et in Clem. *Si furiosus, eod. tit.* Sed dubitatur 1. quid veniat nomine *membri.*

Prima sententia quam tenent Suar.[12] ac Sotus Caiet. Arrag. etc. apud Salmant. [13] dicit intelligi non solum oculum, manum, etc., sed etiam nasum, digitos et auriculam, quia per horum abscissionem iam aufertur (ut aiunt) corporis integritas. Sed communissime ac probabilius Bonac.[14] Pal.[15] Conc.[16] Habert [17] Cont. Tournely [18] Cab.[19] cum Nav. ac Avila et Salm.[20] cum Val. Cov. Sayr. Diana Hurtad. Gob. etc. dicunt nomine *membri* intelligi tantum partes illas corporis quae proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum etc. Hinc probabilius dicunt Pal. et Cont. Tourn.[21] et Salm.[22] cum Avila Cov. Sayr. Corn. etc., non incurrere irregularitatem qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos, ut Bonac.[23] Pal.[24] et Salm.[25] cum Sayr. Diana et Giball. Et tanto minus qui capillos aut barbam abscinderet. Item nec qui aufert alteri digitum, quisque sit, ut Bon. Pal. Cont. Tourn. et Salm.[26] cum Val. Avila Cov. Sayr. Hurt. Corn. et aliis communissime. Nec obstat textus in *c.* 6. *Qui partem dist.* 55., ubi declaratus fuit irregularis qui sibi ipsi digitum vel partem digiti abscidit; nam respondetur cum Cont. Tourn. et Habert illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quae sibi causa fuit* (ut ibi dicitur) *ferrum iniiciendi.*

380. Dubit. 2. an sit irregularis qui abscindit testiculos alterius. Negant Bon. Hurt. Avila et Corn. apud Salmant.[27], quia (ut dicunt) illi non sunt membrum, sed pars membri. Sed probabilius affirmant Roncaglia[28] Pal.[29] et Salm.[30] et Diana [31] (quamvis alias oppositum dixerit), quia testiculi iam propriam operationem habent, nempe efformandi semen aptum ad generandum (intellige id tamen, si abscissio iniuste fit). Secus vero si unus tantum testiculus auferatur, quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad

(1) D. 6. p. 15. §. 5. art. 3. (2) Ibid. n. 29.
(3) D. 7. q. 4. p. 7. (4) D. 6. p. 15. §. 4.
(5) D. 45. sect. 5. n. 8. (6) Loc. cit. r. 2.
(7) T. 10. p. 199. n. 7. (8) L. c. n. 50.
(9) Qu. 9. ar. 2. n. 10. (10) P. 4. t. 4. r. 26.
(11) L. c. (12) D. 44. sect. 2. n. 7. et 8.
(13) De cens. c. 8. p. 2. n. 21. (14) Q. 4. p. 3. n. 3.
(15) D. 6. n. 15. §. 1. n. 4. (16) C. 10. p. 439. n. 4.
(17) C. 7. q. 566.
(18) De irreg. part. 2. cap. 3. art. 1. v. Ex quibus.
(19) L. 5. c. 20. n. 9.
(20) Ibid. n. 22. (21) Locc. cc. (22) Ib. n. 24.
(23) N. 2. (24) N. 4. (25) Dict. n. 24. (26) Loc. cc.
(27) De cens. c. 8. p. 2. n. 23. (28) C. 3. q. 3.
(29) D. 6. p. 15. §. 1. n. 4. (30) L. c.
(31) P. 9. tr. 7. r. 11

eamdem operationem concurrat. Fieret vero irregularis, ut recte dicunt Pal. [1] Cont. Tourn. Habert Concina et Salm. [2] cum Sayr. et Bon., qui mulieri unam mamillam abscinderet, quia unaquaeque mamilla proprium officium habet. Idem docent Suar. et alii apud Vivam de abscissione dimidiae manus; sed contradicit Cont. Tourn. [3] quia in *c. 2. de cler. aegrot.*, qui duos digitos cum medietate palmae amisit, non dicitur mutilatus, sed debilitatus: communiter autem dicunt Nav. [4] Cabass. [5] cum Suarez Coninch et Avila Salm. [6] cum Soto Bonacina Covar. Sayr. et Avila ac Croix [7] cum Suarez et Sylvio (contra Caiet. etc.), et probabile putat Roncaglia [8] non esse irregularem qui alterius membrum debilitaret, adhuc taliter ut redderet eum ineptum ad officium suum. Imo etiamsi mortuum relinqueret, ut dicunt Pal. [9] et Nav. Covar. etc. apud Salmant.[10]. Sed huic valde probabiliter contradicunt Suar.[11] Cabass.[12] Concina [13] et Salmanticens.[14] cum Corn. etc., quia tale membrum, licet secundum apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum, et continuatum cum aliis membris. Unde probabiliter e converso inferunt Salmant. [15] non esse irregularem qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia talis non esset mutilatio formalis.

381. In hac autem irregularitate propter mutilationem bene possunt dispensare episcopi, si sit occulta, ex facultate Trid.[16] ubi tantum excipitur irregularitas ob homicidium voluntarium, ut communiter docent Suar.[17] Pal.[18] Bonac.[19] et Salm.[20] cum Fill. Avila Corn. Diana Gob. Vill. etc.

382. « 2. Nec fit irregularis qui excaecavit hominem solo visu privando, non autem oculum extrahendo: nec qui debilitat tantum membrum et non abscindit, quia non est mutilatio. Diana[21] ex Megal. etc.

» 3. Quando plures (non ex consilio, sed in rixa) unum percutiunt, et unus lethale vulnus infligit, ex quo moritur, si constet quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docent Sayr. et alii 5. cum Diana[22] contra Avila Suar. etc.

» 4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. gr. cibum vel potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur ex quo mors vel eius acceleratio praeter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata culpa, Av. Fill. et alii 4. cum Diana[23] qui ex Bon. etc. notat sacerdotibus et religiosis circa moribundos licere eadem quae laicis (Ita etiam Cont. Tourn.[24] Concina[25] Elbel [26] cum Fill. et Avila ac Salmant.[27] cum Corn. et Pelliz. Sic etiam non fit irregularis sacerdos iubens fieri abscissionem membri praescriptam a medico, modo ipse non exequatur. Cabass.[28]. Immo multum probabiliter Conc. [29] eximit ab irregularitate qui adiuvaret chirurgum congrue mutilantem aegrotum. An vero fiat irregularis qui facit ista, ut infirmus citius moriatur. Affirmant Cov. Nav. etc. Sed negant Pell. et Con., ac merito probabile putant Salmant.[30], quia licet adsit peccatum grave, deficit tamen actio externa graviter iniusta. Hinc mihi videtur utendum distinctione qua usi sumus in obligatione restitutionis, iuxta dicta *l. 3. n.* 551.; spectandum enim, an apponatur vel non diligentia sufficiens ad mortem infirmi praecavendam. Certe autem fit irregularis qui temere remedium praeberet ex quo mors notabiliter acceleraretur, Salm.[31], semper tamen ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa lata cum peccato mortali, ut Salm. Cont. Tourn. Concina et

(1) D. n. 4. (2) Cit. n. 53. (3) Loc. cit. Resp. Partes. (4) C. 27. n. 223. (5) L. 5. c. 20. n. 9. (6) Ibid. n. 25. (7) L. 7. n. 487. (8) L. c. (9) §. 1. n. 5. (10) L. c. n. 26. (11) D. 44. sect. 2. n. 11. (12) L. c. (13) P. 490. n. 5. (14) Ibid. n. 27. (15) Dict. n. 27. (16) In c. 6. Liceat, sess. 24. (17) D. 44. sect. 2. n. 4. (18) L. c. n. 3. (19) P. ult. n. 11.

(20) De cens. c. 8. p. 2. n. 23.
(21) P. 4. t. 4. r. 26.
(22) P. 2. t. 15. r. 18. (23) P. 5. t. 5 r. 17.
(24) Part. 3. cap. 1. art. 2. concl. 1.
(25) P. 490. n. 7. (26) P. 472. n. 171.
(27) Ibid. p. 3. n. 53. (28) L. 5. c. 19. n 22.
(29) P. 501. n. 20. (30) L. c.
(31) De cens. c. 8. p. 3. n. 53.

alii comm. citati *n.* 348. *et* 377.

» 5. Qui amicum bono animo comitatur ne periclitetur in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. Avila Henr. etc. cum Diana [1]. Limitat autem Praep. nisi sua praesentia animaverit ad occidendum (*Vide n.* 374.).

» 6. In bello iniusto, si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus, Bon. [2].

» 7. Irregularis fit qui procurat abortum foetus animati anima rationali; secus si animatus non sit, *c. Maiores.* 32. *q.* 2. Bon. [3] Con. etc.

» 8. Qui dans operam rei licitae (imo, secundum multos, etiam illicitae) sufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur, et tamen secutum est, non fit irregularis ob defectum voluntarii, secus tamen si dictam diligentiam omisit omissione mortali. Bonac. [4] Less. [5] etc. Alii tamen dicunt quod dans operam rei illicitae, ex quavis culpa, etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem, Panorm. Covar. M. Leo [6]. »

383. Distinguendum igitur, si quis dat operam rei licitae, et debitam adhibet diligentiam, ne homicidium sequatur, non incurrit irregularitatem, si mors accidat; ita comm. Pal. [7] Bonac. [8] Conc. [9] Cont. Tour.[10] Salm.[11] et alii passim cum d. Thom.[12] qui: *Secundum canones imponitur poena his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitae, vel non adhibentes diligentiam debitam.* Et patet ex *c. Hi qui, c. Saepe et c. Si duo fratres, dist.* 50, item ex *c. Ioannes, c. Dilectus et c. ult. de hom.* Secus vero si omitteret sufficientem diligentiam, ut colligitur ex *c. Presbyterum, et c. Ad audientiam de homic.* Quia, cum quis negligenter se habet in praecavendo homicidio quod timet, indirecte iam vult illud in causa. Dicitur, *sufficientem diligentiam*, quia non requiritur diligentia summa, sed satis est illa qua vir prudens uteretur iuxta rei qualitatem, ut recte dicunt Salmant.[13] cum Caiet. et Corn. Et contra, ad irregularitatem incurrendam non sufficit quaevis negligentia, sed requiritur illa quae ad peccatum mortale pertingit, ut communiter docent Suar.[14] Bonac.[15] Pal.[16] Conc.[17] Cabass.[18] Cont. Tour.[19] Sylv.[20] cum Soto et Bann. Salmant.[21] cum Sayr. Corn. et Av. ac Diana [22] cum Con. Fill. cum communi, ad incurrendam enim quamcumque irregularitatem ex delicto omnino requiritur culpa gravis, ut probat Cab.[23] ex *c. Quaesitum de poen. et c. fin. de homic. in* 6. *Vide dicta n.* 348. *et* 377.

384. Hinc non fit irregularis 1. Magister qui discipulum moderate verberat (et idem de patre respectu filii), si casu ex percussione mors discipuli sequatur, ut Conc.[24] et Salm.[25]. Secus si graviter excederet, ut patet ex *c. Presbyter, de homic. et c. ult. eod. tit. in* 6. 2. Qui equitando in equo feroci puerum occiderit, Conc.[26] et Bon.[27] cum Molin. Sayr. et Ug., ex *c. Dilectus* 13. *de homic.* 3. Qui feram sive canem ferocem alit et custodit in occulto, si casu fera ruptis vinculis hominem occidat; secus si teneret in via, ubi fera aliis nocere posset, vel si illa ex eius incuria esset soluta, Salm.[28] cum Cov. et Corn. 4. Qui reficiendo tectum, tegulas et lapides mittit, praemonens transeuntes ut se caveant; secus si non moneat, Salmant.[29]. 5. Medicus, si casu infirmus ex pharmaco praestito decedat sine gravi medici negligentia, ut ex *c. Ad aures, de aetate et qualit. ord.* Et hoc adhuc si sit clericus aut monachus, modo 1. sit peritus; nam alias non effugeret irregularitatem, si temere vel contra praeceptum medici praeberet remedium ex quo mors aut eius notabilis acceleratio eveniret, ut recte di-

(1) P. 4. t. 2. r. 17. (2) Q. 4. p. 9. n. 3.
(3) L. c. p. 8. n. 27. (4) Q. 4. p. 7.
(5) L. 2. c. 9. dub. 15. (6) P. 3. f. 354.
(7) D. 6. p. 14. §. 4. n. 7. (8) D. 7. q. 4. p. 7. n. 8.
(9) T. 10. p. 490. n. 7. (10) De irreg. part. 3. c. 8. art. 2. concl. 1. (11) L. c. n. 30.
(12) 2. 2. q. 64. art. 8. ad 3. (13) De cens. c. 8. p. 3. n. 30. (14) D. 45. sect. 3. n. 8. (15) L. c.
(16) §. 4. (17) L. c. (18) L. 3. c. 20. n. 10.
(19) Loc. cit. r. 2. (20) 2. 2. qu. 64. a. 8. concl. 3.
(21) Dict. n. 30. (22) P. 2. tr. 2. r. 21.
(23) L. c. (24) D. n. 7. (25) Ibid. n. 31.
(26) Ib. (27) N. 25. (28) Cit. n. 31. (29) L. c.

cunt Salm. [1] Cont. Tourn. [2] et Bon. [3] cum Mol. Sayr. Henr. et communi (Secus si bona fide daret aliquid infirmo ad eius remedium vel levamen, ut Bonac. [4] et Salm. [5] cum Corn. et Pelliz. *vide dicta n.* 382. *v.* 4. *Qui infirmo*). Modo 2. clericus medeatur sine incisione vel adustione, alioquin, cum id expresse vetetur clericis in sacris et monachis, sub poena irregularitatis in *c. Sententiam*, *ne clerici vel monachi*, iam fiunt irregulares, si ex tali incisione vel adustione mors sequatur; secus si eveniret aliunde, nempe ex vi ipsius morbi vel ex alia causa, ut dicunt Palaus [6] et Salmant.[7] cum Avila Corn. et Henr. Si tamen alius peritus absit, bene poterit tunc clericus aut monachus sine peccato et consequenter sine periculo irregularitatis incisionem aut adustionem adhibere, ut communiter docent Pal. Cont. Tourn. cum Mol. et Salm. [8] cum Avila Henr. et Corn.

385. An autem clericus beneficiatus medendo cum incisione praeter necessitatem, si aeger ex illa moriatur fiat irregularis. Affirmant Navar. Panorm. etc. apud Cont. Tourn. quia (ut aiunt) id quod prohibetur ordinatis in sacris, interdicitur etiam beneficiatis. Sed verius id negant Bon.[9] cum Mol. et idem Cont. Tourn.[10] cum Pontas et Giball., tum quia regula praefata supponitur ab adversariis, sed nullo iure satis probatur, tum quia in praefato textu, *c. Sententiam*, tantum de constitutis in sacris fit mentio; poenae autem non sunt extendendae de casu ad casum in iure non expressum. Et quamquam de negotiatione et ludo sub nomine *clericorum*, non tantum constitutos in sacris venire, sed etiam beneficiatos diximus *l.* 3. *n.* 831. *et* 895., tamen cum in hoc casu prohibitio facta sit speciatim subdiaconis, diaconis et sacerdotibus, non comprehenduntur minores his, quicumque illi sint.

386. Si quis vero dat operam rei illicitae et ex ea mors alterius sequatur, communis est sententia quod si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandam; puta si quis caederet arborem in solo alieno, et mere fortuito hominem occideret, vel si induceret alium ad furandum sine periculo, et casu ille occidatur ac similia. Ratio quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa; iura enim irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpa; illa autem actio, licet sit mala, non tamen est mala malitia homicidii; nam, ut bene docet d. Thom.[11], ignorantia invincibilis circumstantiae peccati excusat quidem a speciali eius malitia, etiamsi opus ipsum peccatum sit; ita communissime Su.[12] Sot.[13] Nav.[14] Palaus[15] Conc.[16] Cont. Tourn.[17] Escob.[18] cum Cov. Val. et Henr. ac Salm.[19] cum Corn. Avila et Sayr. contra Palud. Gabriel. et alios paucos apud Suar.[20] qui citant pro se d. Thomam *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. sed non bene; nam licet s. doctor ibi dicat dantem operam rei illicitae non evadere homicidii reatum, tamen id aperte intelligit de re illicita ob periculum homicidii, ut patet *in resp. ad* 1. *et* 2. *ib.* Nec obstat quod in *c. Clerico iacente*, *et c. Eos vero*, *dist.* 50., declarantur irregulares casu occidentes vel mutilantes; et tantum in iure excipiuntur qui dant operam rei licitae, ut habetur in *c. Ioannes*, *c. Dilectus*, *et c. ult. de homic.* Ergo qui dat operam rei illicitae ex qua mors sequitur, iam fit irregularis. Nam respondetur quod canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito, ut colligitur ex Cle-

(1) Ibid. n. 33. (2) Part. 2. cap. 8. art. 4. v. Duo 2. clericus. (3) D. 7. q. 4. p. 5. n. 4. (4) P. 7. n. 12. (5) De cens. c. 8. p. 3. n. 33. (6) D. 6. p. 15. §. 4. n. 8. (7) Ibid. n. 32. (8) Loco. cc. (9) P. 3. n. 4 (10) Loc. cit. v. An praedicta. (11) 1. 2. q. 76. art. 3. (12) D. 45 s. 6. n. 9. (13) De iust. l. 5. q. 1. art. 3. (14) C. 27. n. 221. (15) D. 6. p. 15. §. 4. n. 5. (16) P. 491. n. 8. (17) De irreg. part. 3. cap. 1. art. 2. concl 2. v. Prob. 3. (18) L. 35. n. 300. (19) De cens. c. 8. p. 3. n. 34. (20) L c. n. 1.

ment. *unic. de homic.*, ubi ideo excusatur exercens opus licitum, quia homicidium non est ei voluntarium, unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitae ipse navet.

387. Dubium maius est an incurrat irregularitatem qui dat operam rei illicitae quomodocumque periculosae, si ex ea mors sequatur. Adest duplex probabilis sententia.

Prima sententia affirmat, quam tenent Suar. [1] Nav. [2] Tolet.[3] Conc. [4], item Sayr. Avila Mol. et Ugolin. apud Bon. [5] et Sotus Cord. Castro Fernand. etc. apud Dianam [6]. Et probant ex *c. Tua nos*, 19. *de homic.*, ubi quidam monachus incidens apostema cuiusdam mulieris, licet fuisset peritus, et mulier ex sua incuria postea decessisset, tamen fuit declaratus delinquens, dixitque pontifex: *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare.* Quae verba, ut aiunt Fagnanus [7] et Suar. [8], secundum communem intelligentiam significant necessariam fuisse dispensationem. Ex hoc igitur textus generalis fit regula, quod ex actione iniuste periculosa, quoties sequitur homicidium, etsi casuale, inducatur irregularitas.

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Pal.[9] Cont. Tourn.[10] Layman [11] (qui tutam vocat) Spor.[12] Tamburin.[13] Elb.[14] cum Sayr. et Gutt. Bonac. [15] cum Salon. Salm.[16] cum Henr. etc. ac Diana [17] cum Con. Hurt. Praep. Sa et Tann., dicit quod si opus sit ita periculosum ut ex eo frequenter mors sequatur (ut esset admovere ignem bombardae ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello, aut inducere alterum, ut temere se exponat periculo mortis, prout probabilius sentit Bon.[18] cum Suar. etc. ac Viva cum Avila [19], contra aliquos) tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur, quia (ut bene ait Cont. Tour.), cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri. Secus si opus raro sit mortis inductivum, et debita diligentia apponatur ne mors eveniat; quia tunc (ut diximus) homicidium non est voluntarium, neque in se neque in causa; cum enim opus non sit proxime periculosum, posita diligentia, satis excusatur a malitia homicidii.

Ad textum autem oppositum in *d. c. Tua nos*, respondent Sotus[20] et Less.[21] ibi monachum minime fuisse declaratum irregularem; sed haec responsio mihi non satisfacit: nam verba textus supra allata verius significant iam irregularitatem incurrisse, ac facilius cum eo dispensandum, et sic explicat auctor argumenti, dicens ibi: *Sed cum eo misericorditer dispensari potest;* et ita etiam communiter alii, ut testatur Suarez. Melius respondetur cum Pal. Bon. et Salm., casum illum esse particularem in iure (prout etiam est casus de mandante verberationem, si mandatarius casu postea occidat, ex *c. ult. de homic. in* 6.). Praeterquam quod dicimus cum Salm., quod talis monachus iam aliunde esset irregularis, quia exercuerat chirurgiam cum incisione, ut idem Innoc. III. declaraverat in *c. Sententiam, ne cler. vel mon.*, tum propter indecentiam, tum quia talis ars est de se maxime periculosa mortis; unde potius constitutio illa fuit declaratoria, quam novum ius constituens. Neque obstat alius textus in *c. Contineb.* 8. *de homic.*, ubi damnatus fuit ut irregularis quidam diaconus qui ferendo latentem falcem, et cum altero ludendo fuit causa ut hic eum amplexans a falce feriretur et mortem subiret. Nam respondetur cum Glossa *ib. v. Romani*, et Suar.[22] ac Bon.[23], quod hoc

(1) D. 45. sect. 6. n. 9. (2) C. 27. n. 237. (3) L. 1. c. 77. n. 7. et 8. (4) P. 491. n. 8. (5) D. 7. qu. 4. p. 7. n. 9. (6) P. 4. tr. 2. r. 20. (7) In d. c. (8) L. c. (9) D. 6. p. 15. §. 4. n. 5. (10) L. c. v. Dixi. (11) L. 3. tr. 3. n. 3. c. 10. n. 4.

(12) T. 2. p. 155. n. 139. (13) De homic. c. 15. §. 2. n. 12. (14) T. 2. p. 467. n. 189. (15) Loc. cit. (16) De cens. c. 8. p. 3. n. 38. (17) L. c. (18) N. 17. (19) Vide n. 374. (20) De iust. l. 5. q. 1. art. 9. (21) L. 2. c. 9. n. 105. (22) D. 45. sect. 5. n. 3. (23) N. 22.

ita statutum fuit, quia diaconus ille negligenter se habuit in falcem sic ferendo; unde dicunt Suar. et Bonac., quod si talis minime advertisset periculum, in conscientia non teneretur se gerere ut irregularem. Ex hac autem secunda sententia inferunt Pal. [1] Laym. [2] Elb.[3] et Salm. [4] cum aliis, non esse irregularem clericum, si ipso torneamenta vel ferarum venationem exercente, mors alicuius contingeret; quia tales actiones non sunt per se inductivae homicidii, alias nec etiam laicis essent licitae; excipe nisi in his vel similibus gravem negligentiam ille commiserit pertingentem ad mortale, iuxta dicta *n.* 383. *in fin.*

388. « 9. Qui alterum mutilat vel occidit, ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, non incurrit hanc irregularitatem, quia hic nulla est culpa: ergo nec poena, M. Leo [5]. »

Qui alium occidit ob defensionem sui cum moderamine inculpatae tutelae, certum est quod excusatur ab irregularitate, ut patet ex *c. Significasti* 18. §. *fin. de hom.* et ex Clem. *Si furiosus, eod. tit.* ubi dicitur: *Et idem* (id est non incurrere irregularitatem) *de illo censemus, qui, si mortem aliter vitare non valeat, suum occidit vel mutilat invasorem.* Nec obstat Trid. [6] ubi dicit etiam ei qui occidisset *casu vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet ... iure quodammodo dispensatio debeatur;* nam explicant comm. hunc textum dd. intelligi, quando ille moderamen non servasset; ita Roncag. [7] Salm. [8] cum Avila Pal. et Barb. ex communi, ac Cont. Tourn. [9] cum Nav. Sayr. Comit. etc. ex decl. s. c. 1. oct. 1688. Procul autem dubio irregularitatem incurrit qui cum culpa gravi moderamen excedit, ut patet ex *Clem. cit.* ex *c. De his* 6. *dist.* 50., vide Roncag.[10]. Hoc tamen casu homicidium reputatur casuale, et ideo episcopus (si crimen est occultum) bene potest in tali irregularitate dispensare, ut mox infra *n.* 395. Excusatur etiam ab irregularitate qui occidit iniustum invasorem alterius innocentis, ut Suar.[11] Roncaglia[12] cum Barb., item Less. Conin. P. Navar. Bon. Fill. et Cov. apud Cabass.[13] qui eis adhaeret, contra alios, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex *c. Ex litteris primo loco de homic.* Valde autem probabiliter censent Ronc.[14] cum Suar. et Salm.[15] cum aliis, quod si quis alterum provocet verbis aut facto, praevidens se facillime aggrediendum, fit irregularis si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidit, quia tunc dat operam rei illicitae proxime periculosae; secus vero si non praevidet. Quid autem dicendum si quis accedendo ad uxorem alterius maritum aggressorem necet. *Vide dicta l.* 3. *n.* 398. *v. In ordine*, ubi diximus adulterum non excusari ab irregularitate, si praeviderit proximum periculum invasionis, quia tunc adulterium est proxime periculosum homicidii: secus si caute accesserit, ita ut putaverit periculum esse remotum. Quid si vir, cognito adulterio, occiderit uxorem, an adulter fiat irregularis. Eodem modo distinximus, *vide l. c. in fine.*

389. Quaer. an occidens alterum ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiae, vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatae tutelae, fiat irregularis.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Laym.[16] Cont. Tourn.[17] et Spor.[18] cum Nav. Sylv. Arm. Henr. Avil. etc. et probant ex *c. Suscepimus de homic.*, ubi fuit declaratus irregularis quidam religiosus, qui pro conservandis bonis duos latrones occidit. Probant etiam ratione, quia licet in tali homicidio non adsit peccatum, adest tamen defectus lenitatis ob quem semper incurritur irregularitas, praeterquam in casibus iu-

(1) N. 7. (2) N. 5. (3) N. 212.
(4) De cens. c. 8. p. 3. n. 58. (5) P. 3. f. 429.
(6) S. 14. c. 7. (7) De irreg. c. 3. q. 4.
(8) De cens. c. 8. p. 4. n. 58. (9) De
2. cap. 8. art. 2. in init. (10) L. c. p. 116.
(11) D. 46. sect. 3. n. 2. et 3. (12) Ibid.
(13) L. 5. c. 19. n. 24. (14) L. c. (15) Ib. n. 50.
(16) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 3. (17) Loc. cit.
(18) De 5. praec. c. 2. n. 177

re expressis; in iure autem tantum excusatur ab irregularitate qui ob conservationem vitae invasorem occidit, ut habetur in Clement. *Si furiosus de homic.* ut supra.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat et hanc tenent Suarez[1] (qui vocat communem), Lessius[2] Pal.[3] Fill.[4] Bonac.[5] Con.[6] Holzman[7] Elbel[8] Ronc.[9] cum Barb. et Salmant.[10] cum Sayr. Villal. et Diana et Corn. Et probatur ex *c. Quia te, dist.* 50. ubi, cum quidam episcopus captus a saracenis aliquos occiderit, ut suam libertatem defenderet, Urban. II. ita ei respondit: *Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris, canonice nullo modo iudicaris.* Item ex *c. Interfecisti*, ubi excusatur ab irregularitate qui *et se, et sua* defendens, alium occidit, illa autem coniunctio *et* vim habet disiunctionis, id est, si se vel sua defenderet, alias qui se et non sua defenderet, irregularis fieret; item frustra pontifex addidisset illud *sua*, si tantum ob sui defensionem vitaretur irregularitas. Praeterea, id fortius probatur ex *c. Dilecto* 6. *de sent. exc.* ubi, cum quidam dominus temporalis violenter invasisset bona cuiusdam decani, hic supposuit interdicto totam terram illius. Hinc cum dubium factum fuerit an bene egisset, respondit pontifex: *Cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant, licuit utique ipsi decano* (*si praedictus ballivus eum bonis suis mundanis iniuriose expoliare praesumpserit*) *contra illius violentiam se defendere. Et quoniam adversus eius nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio utendo ecclesiastico, defensare.* Luculenter igitur hic pontifex declarat, licite potuisse decanum illum vi temporali sive armis tueri bona sua contra violentiam ballivi, dicendo unicuique permissum esse *vim vi repellere.* Probatur 2. ratione, quia talis irregularitas non incurritur neque ex delicto, neque ex defectu lenitatis; non ex delicto, cum non adsit culpa, ut ipsi adversarii concedunt; neque ex lenitatis defectu, nam, ut dicetur infra *n.* 464. *in fin.*, irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur nisi ob occisionem aut mutilationem, quae fit vel a ministris publicis vel a militibus in bello iusto offensivo, vel a clericis medentibus cum adustione aut incisione, iuxta dicta *n.* 385. E converso communis est sententia dd. ex *c. Is qui, de sent. exc. in* 6. ut vidimus *n.* 345., quod nulla incurritur irregularitas, nisi in iure sit expressa; ergo, cum in iure irregularitas ex defectu lenitatis incurratur tantum in praedictis tribus casibus, non est facienda extensio ad casum de quo loquimur; tanto magis quia in praefatis casibus homicidium sponte committitur, licet sine culpa, sed in nostro casu homicidium non provenit ex spontanea voluntate, sed ex necessitate defendendi sua iura; ideo talis occisio (ut recte ait Suar.) magis habet rationem defensionis quam occisionis. Respondetur autem ad textum oppositum in *d. c. Suscepimus*, monachum excessisse in defensione, cum ipse una cum socio ligaverit fures, quando potuisset eos dimittere vacuos sine periculo rerum et personarum. Praeterea, notat ibi Glossa, quod monachus interfecit fures, nulla stante necessitate; potuisset enim fugere priusquam illi solverentur a vinculis, nam res vel iam reservatae erant, vel secum deferre poterat; ergo defensio illa non fuit moderata.

390. Ultimo hic videndum quomodo tollatur huiusmodi irregularitas propter homicidium contracta. Tollitur 1. per baptismum, ut colligitur ex *c. Si quis, dist.* 50. Vide Salmant.[11] et alios passim. 2. Per dispensationem pontificis, qui potest equidem in omni irregularitate dispensare, etiam ex homicidio voluntario, et contrariam opi-

(1) D. 46. sect. 2. art. 4. (2) L. 2. c. 9. n. 73. (3) D. 6. p. 15. §. 3. n. 7. (4) Tr. 20. c. 1. q. 6. n. 146. (5) D. 7 q 4. p 6. n. 10. (6) D. 18. p. 9. n. 38. (7) T. 1. p. 294. n. 533. (8) P. 459. n. 193. (9) C. 3. q. 4. (10) De cens. c. 8 p. 4. n. 56. (11) De cens. c. 8. p. 1. n. 15.

nionem id negantem *periniquam et temerariam* vocat Barbosa [1]. Nec obstat textus in *c. Minor*, *ead. dist.* 50. ubi videtur asseri, nec etiam papam dispensare *posse* in irregularitate contracta ob homicidium; etenim communiter dicunt dd. (Vide Salm.[2]) illud *non posse*, intelligi pro *non decere*, ut patet ex eodem textu.

391. Episcopi autem, si homicidium fuit voluntarium, nullo modo possunt dispensare in irregularitate, etiamsi illud fuerit occultum, ut habetur in *c. Liceat*, 6. *sess.* 24. Tridentini, ubi episcopi possunt dispensare in omni irregularitate, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario. Excipitur solus casus quo vergeret periculum animae, aut alia gravissima causa urgeret, et non pateret aditus ad papam, ut docent communiter Sylv. [3] et Salmant. [4] cum Machado Avil. Corn. Diana et Henr. etc.

392. Dicunt autem Cov. Abb. Castro Texeda Bann. Donat. Miranda etc. apud Cont. Sporer [5] et probabile putat Diana [6] cum Ang. Vivald. etc. et Viva [7] cum aliis, quod si homicidium sit adeo occultum, ut nullo modo possit probari in iudicio, bene possint episcopi dispensare super irregularitate propter illud contracta. Sed haec opinio mihi nulla valida ratione probatur, unde merito eam reiiciunt Salm. [8] Renzi [9] et Ronc.[10]. Ratio quia episcopi nullam habent facultatem super irregularitatibus, nisi eam quae ipsis conceditur a Trid. in *c. Liceat* 6. *sess.* 24., cum inferior nihil possit in lege superioris, ex *can. Inferior*, *dist.* 21. et Clem. *Ne romani*, *de elect.* A concilio autem conceditur ibi quidem episcopis potestas dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, sed expresse excipitur illa *quae oritur ex homicidio voluntario*. Nec valet dicere, concilium loqui de homicidio illo, quod, licet sit occultum, tamen in iudicio probari possit. Nam primo respondetur quod id gratis supponitur. Secundo respondetur, idem concilium alibi [11] expresse oppositum declarasse dicendo: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit.*

393. Si vero homicidium fuerit casuale, valde probabile est posse episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum, cum concilium in *d. c. Liceat* neget episcopis facultatem dispensandi, tantum si homicidium fuerit voluntarium, ad distinctionem casualis; ita communiter Pal.[12] Bon.[13] Cont. Tourn.[14] Ronc.[15] Diana[16] et Salmant.[17] cum Less. Sayr. Corn. etc. Hinc infertur quod bene possit episcopus dispensare 1. cum eo qui mandavit famulo, ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit, ut Cont. Tourn.[18] et Bon.[19] cum Suar. Mol. Fill. etc.: 2. cum eo qui leviter percutere intendens, ex negligentia casu interficiat, Bon.[20]: 3. cum eo qui percutiendo praegnantem, casu efficit ut eveniat abortus, Cont. Tourn.[21]: 4. cum clerico qui exercendo chirurgiam, ex imperitia vel negligentia aliquem perimit, Diana [22] Less. et Avila. Praeterea communissime docent Nav.[23] Laym.[24] cum Sylvio Sayr. et Henriq. Barb.[25] cum Miranda Campan. Homob. etc. ac Diana[26] cum Less. Avila et aliis, quod possunt dispensare episcopi in irregularitate ex homicidio casuali, etiam notorio, ad suscipiendos ordines minores, et beneficia simplicia, quia id iam poterant episcopi de iure antiquo, ut docent Abbas Hostiens. Io. Andr. et alii apud Layman [27] et Barbosa[28]. Tridentinum autem tantum reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario non vero

(1) Alleg. 39. n. 63. (2) L. c. (3) V. dispensatio n. 11. (4) Ib. n. 16. (5) In suppl. p. 149. n. 166. (6) P. 12. in fine libri n. 6. p. 97. art. 2.
(7) De cens. q. 3. art. 2. n. 7. (8) Dict. n. 16.
(9) De cens. t. 2. q. 10. (10) C. 5. q. 1.
(11) Sess. 14. c. 7. (12) D. 6. p. 15. q. 7. n. 7.
(13) Q. 4. p. ult. n. 5. (14) Part. 3. cap. 1. art. 3. concl. 3. (15) C. 5. q. 3. (16) P. 9. tr. 7. r. 21.
(17) De cens. c. 8. p. 3. n. 43. (18) L. c.
(19) N. 3. (20) N. 7. (21) L. c.
(22) P. 9. t. 7. r. 22. (23) C. 27. n. 240.
(24) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 3. (25) All. 39. n. 62
(26) P. 9 tr 7. r. 22. (27) L. c. (28) N. 39.

casuali publico. An vero possit episcopus dispensare in homicidio casuali ad recipiendum canonicatum. *Vide dicenda in simili casu n.* 429.

394. Sed dubitatur an reputetur casuale homicidium in repentina rixa patratum.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Diana [1] et Salm. [2] cum Machad. Philib. Henr. Rodr. etc. Ratio quia homicidium voluntarium proprie est illud quod per industriam et per insidias committitur, ut habetur in Trid.[3] ubi: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari evelli debeat.*

Secunda sententia vero probabilior negat, et hanc tenent Suarez [4] Navar. [5] Holzman [6] Con. [7] Sporer [8] Tambur. [9] et Diana (se revocans) [10] cum Hurt. etc. Ratio, quia Trid.[11] post verba supra relata, *Cum etiam per industriam, etc.* statim subdit: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit...nullo tempore promoveri possit. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, fuisse commissum narretur...iure quodammodo dispensatio debeatur.* Qui autem in rixa occidit, iam sua voluntate et ex proposito occidit, licet inopinata ira percitus sit, cum iam perpetret homicidium quod intendit. Nec obstant priora illa verba *per industriam et per insidias;* nam Glossa in *c.* 1. *de homic.* illud *per industriam* explicat, id est *non casu;* atque idem concilium declarat intelligi, quando aliquis *sua voluntate* et *ex proposito* occidit, ad differentiam occisionis casu factae, de qua loquitur in secunda parte.

395. Valde tamen probabile est quod si quis incurrat irregularitatem ob homicidium occultum pro defensione propria, possit ab episcopo dispensari, quando excesserit moderamen inculpatae tutelae, quia, cum tale homicidium non fiat ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute voluntarium, ut loquitur Tridentinum; ita communissime Nav. [12] (qui asserit ita sensisse s. poenitentiar.) Suar.[13] Lay.[14] Pal. [15] Cont. Tourn.[16] Diana [17] Croix [18] cum communi, Bon.[19] cum Sayr. Val. Mol. Cor. Henr. et Avila.

396. Praelati autem regulares possunt dispensare cum suis subditis ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto casuali, ut docent Salm.[20] ex privilegio s. Pii v. (relato in extensum ab iisdem Salm.[21]). Imo etiamsi crimen fuerit publicum, ut dicunt Diana Vill. Sayr. etc. apud Salm.[22], et etiamsi fuerit voluntarium, defendunt Salm.[23] cum Peyrin. Portel. Bann. etc. ex concessione Martini v. Pauli III. et Sixti IV. ubi concessum fuit praelatis regularibus dispensare in prima die lunae quadragesimae in irregularitatibus, *quavis occasione et causa contractae sint.* Sed hac concessione non obstante, censeo non posse praelatos regulares dispensare quando homicidium est publicum, aut voluntarium, quia in generali concessione non computantur ea quae verisimiliter superior non esset concessurus, ut tradunt communiter Suar.[24] Bonac.[25] et Salm.[26] cum Ugol. Cand. et aliis passim, et patet ex *cap. In generali, reg.* 81. *de reg. iur. in* 6. Praeterquam quod Bened. XIII. (ut vidimus *n.* 101.) expresse declaravit quod *solus generalis ordinis possit dispensare* (in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario), *dummodo non fuerit appensatum, et intra claustra extiterit consummatum.* Unde, etiamsi concessio illa omnibus praelatis regularibus facta esset vera, videtur a Benedicto omnino revocata vel limitata pro solo generali. Quoad saeculares vero, possunt confessarii regulares eos dispensare in omni irregularitate,

(1) Loc. cit. (2) De cens. c. 8. p. 1. n. 6.
(3) C. 7. sess. 14. (4) D. 44. sect. 1. n. 3.
(5) C. 27. n. 240. (6) P. 444. n. 555.
(7) P. 483. n. 2. (8) T. 2. p. 148. n. 251. et 252.
(9) C. 15. §. 6. n. 5. (10) P. 10. tr. 11. r. 19.
(11) L. c. (12) Cap. 27. n. 239. (13) D. 46. sect. 1. n. 15. (14) L. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2.
(15) D. 6. p. 15. §. 8. n. 10.
(16) Part. 3. cap. 1. art. 3. concl. 3. v. Hinc.
(17) P. 10. tr. 11. r. 19.
(18) L. 7. n. 476. (19) Q. 4. p. ult. n. 9.
(20) De cens. c. 8. p. 3. n. 45. (21) Tract. 6. de poenit. c. 13. p. 3. n. 55. (22) De cens. cit. n. 45.
(23) L. c. p. 1. n. 17. et c. 7. p. 4. n. 59.
(24) D. 21. sect. 3. n. 3. (25) Q. 3. p. 1. n. 12.
(26) Ibid. c. 2. p. 4. n. 41.

in qua possunt episcopi cum subditis suis, ex privilegio Sixti IV. et Iulii II., ut notavimus *n.* 335. Hinc bene possunt dispensare cum laicis in irregularitate contracta ob mutilationem vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt episcopi cum suis, ut vidimus *n.* 381. *et n.* 393.

DUBIUM V. Quae irregularitates ex defectu.

397. Prima *ex defectu* animae. *Hinc sunt irregulares:* 1. Amentes, daemoniaci, epileptici.
398. *Distinctius agitur de amentibus.*
399. *De* epilepticis *et* daemoniacis.
400. *Quis possit dispensare in hac irregularitate. Et an episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu. An saltem in dubio. An praelati regulares.*
401. 2. *Sunt irregulares* illiterati.
402. 3. *Neophyti.*
403. Secunda *ex defectu* corporis; *vel quia defectus impedit exercitium ordinis vel quia affert deformitatem.*
404. *Et primo*, ob impedimentum exercitii *est irregularis*, 1. Caecus.
405. 2. Surdus.
406. 3. Mutus.
407. 4. Claudus.
408. 5. *Qui caret manu aut digitis omnibus aut pollice aut indice.*
409. 6. *Laborans febri, paralysi etc., item abstemius etc.*
410. *Secundo*, ob deformitatem *est irregularis*, 1. *ille cui deest membrum nempe nasus aut oculus. Quid, si desint auriculae.*
411. 2. Leprosus.
412. 3. Monstruosus, *nempe gibbosus, pigmaeus, aethiops.*
413. *Not.* 1. *Quid, si defectus superveniat ordinibus. Not.* 2. *Quid, si antecesserit.*
414. *Quis possit in hac irregularitate dispensare. An papa cum caeco. An praelati regulares.*
415. *Quid, si defectus corporis advenerit ex propria culpa. Et an in eo possit dispensare episcopus.*
416. *Quid de eunucho.*
417. *Quid, si quis causam dederit abscissioni virilium.*
418. *Quid, si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam.*
419. *Et quid, si quis tantum attentet se occidere etc.*
420. Tertia *ex defectu* natalium.
421. *Illegitimi legitimantur.:* 1. *per matrimonium subsequens.*
422. *An sufficiat quod matrimonium fieri potuisset tempore nativitatis.*
423. *Not.* 1. *Quid, si matrimonium fiat postquam filius est ordinatus. Not.* 2. *Quid, si matrimonium non consummetur.*
424. *Not.* 3. *Quid, si matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte.*
425. *Not.* 4. *Quid, si filii nascantur ex matrimonio clandestino ob omissas denuntiationes.*
426. 2. *Legitimantur filii per* professionem religiosam.
427. 3. *Per* dispensationem pontificiam.
428. *Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad ordines minores et ad beneficium simplex.*
429. *Dub.* 1. *An ad recipiendum canonicatum.*
430. *Dub.* 2. *An cum illegitimo occulto.*
431. *Dub.* 3. *An saltem ad ministrandum in sacris ordinibus iam susceptis.*
432. *Dub.* 4. *An filii* expositi *sint irregulares.*
433. *Principes saeculares possunt legitimare tantum ad saecularia. Quid in dubio, an quis sit legitimus.*
434. Quarta *ex defectu* aetatis.
435. Quinta *ex defectu* sacramenti, *id est ob bigamiam.*
436. *Triplex est bigamia*, vera, interpretativa *et* similitudinaria. 1. *Quaenam sit* vera.
437. *Quae* 2. interpretativa. *Haec contingit quatuor modis.* Primus *modus, cum quis ducit viduam.*
438. Secundus *modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio.*
439. *Dub.* 1. *Quid, si credat virginem.*
440. *Dub.* 2. *Quid, si invalide contrahat.*
441. Tertius *modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram.*
442. *Dub.* 1. *Quid, si adulterium fuerit occultum.*
443. *Dub.* 2. *Quid, si cognoscit ignorans adulterium.*
444. Quartus *modus, cum quis contrahit duo matrimonia, unum validum, aliud nullum.*
445. *Dub.* 1. *Quid, si utrumque fuerit nullum.*
446. *Dub.* 2. *Quid, si cum bona fide.*
447. *Dub.* 3. *Quid, si ficte ineatur secundum matrimonium.*
448. 3. *Quidnam sit bigamia* similitudinaria.
449. *An hanc irregularitatem incurrant etiam clerici in sacris.*
450. *Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia. An papa possit in ea dispensare.*
451. *An episcopi.*
452. *An saltem quoad ordines minores et ad beneficia simplicia. An in bigamia similitudinaria.*
453. *An praelati regulares possint dispensare cum suis subditis in omni bigamia.*
454. Sexta *ex defectu* famae.
455. Septima *ex defectu* libertatis. *Hinc sunt irregulares.* 1. *Servi.*
456. 2. *Coniugati.* 3. *Curiales.* 4. *Milites et administratores publici atque exercentes saeva aut turpia.*
457. Octava *ex defectu* lenitatis.
458. *An sit irregularis qui occidit in defensionem honoris* (*Vide etiam dicta n.* 389.).
459. *Fiunt irregulares ex hoc defectu* 1. *Qui occidunt in bello; sed quando.*
460. *An qui hortantur in bello ad occidendum.*
461. 2. *Qui in iudicio concurrunt ad mortem vel mutilationem. Modo ipsi* 1. cooperentur.
462. 2. Active.
463. 3. Efficaciter. *An peccent clerici assistentes supplicio.*
464. 4. Proxime. *An peccet confessarius vel alius consultus a iudice, respondens aliquem in particulari esse plectendum.*
465. *Qui possunt excusari. An omnes qui non concurrunt ut ministri ad causae probationem vel executionem.*
466. 5. Per actionem ex natura sua ad id ordinatam

467. *Quomodo vetitum sit clericis, et monachis se intromittere in causam sanguinis.*
468. *Fiunt autem irregulares.* 1. *Iudices.* 2. *Testes voluntarii.* 3. *Accusatores, etc. Quid, si accuset clericus. Et quid si causa sit propria vel aliena.*
469. *An in hac irregularitate possit dispensare episcopus, si fuerit occulta. An praelati regulares.*
470. *Adnotantur ultimo facultates quas habet s. poenitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis etc.*

397. « Resp. *Prima* oritur ex defectu *animae*, ex quo irregulares sunt: 1. Amentes, phraenetici, arreptitii et epileptici; qui tamen, si ordinati sunt, et intra annum eo morbo non laborarunt, praesumuntur liberati et permittuntur ad ordinum exercitium. Si vero laborent raro, et quidem sine clamore et spuma, permittuntur celebrare cum coadiutore, qui, deficientibus ipsis, suppleat sacrificium. M. Leo [1] *ex c. Illud* 7. *qu.* 1. Glossa *ibid.*

398. Loquendo de *amentibus*, distinguendum, si tali defectu laborans, iam ordinatus est, tunc, omnino cessante defectu per diuturnum tempus ex iudicio episcopi (vel praelati, si est regularis), poterit in ordine suscepto ministrare; ita Nav. [2] Suar. [3] cum Sylv. Gratian. et s. Ant. Bon.[4] Pal.[5] Croix [6] Cont. Tourn. [7] et Salm. [8] cum Avila Pelliz. etc. Si vero non est ordinatus, numquam poterit ordines suscipere, si amentia ortum habuerit ex causa permanente et habituali, fundata (ut ait Suar.) in laesione organorum vel humorum, quia ita laborantes facile relabuntur in eumdem morbum, ut habetur in *c. Maritum* 2. *dist.* 33. ubi dicitur: *Non ordinandum ... qui in furiam aliquando versus insanivit.* Unde sufficit semel insanisse, quia talis raro praesumitur perfecte sanus. Secus tamen si amentia provenerit ex accidente, puta ex vi febris, vulneris, irae, aut alterius passionis transeuntis, et postea vere cesset; ita Suar. [9] Nav.[10] Ronc.[11] Croix[12] et Bon.[13] cum Mol. Fill. Ugol. Avila etc. communiter.

399. Idem quod dictum est de amentibus, dicitur de *epilepticis* (sive lunaticis) et *daemoniacis;* nam si morbus antecedat ordinationem, sunt hi perpetuo irregulares; ita Suar.[14] Bonac.[15] Croix [16] Ronc.[17] et alii passim. Et patet ex tota distinct. 33. et praesertim ex *c. Communiter*, ubi dicitur: *Communiter definimus, ut nullus de iis qui aut in terram arrepti a daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel audeat ministrare vel se ingerat; exceptis qui corporis incommoditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus, in terra probantur elisi:* id est (ut explicat ibi Glossa) *qui raro cadunt.* Dicunt autem Cabass.[18] et Cont. Tourn.[19] quod si quis ante pubertatem hoc morbo affectus fuerit, et postea perfecte liberetur, non censetur irregularis, quia (ut ait Hypocrates) epilepsia saepe in pubertate perfecte curatur. Secus si morbus accidat post pubertatem, et praesertim post 25. annum. Asserit tamen Croix[20], praxim in suis partibus habere, quod qui per biennium liberi fuerint ab hac infirmitate, accedente declaratione episcopi, ordinantur; imo sine declaratione, si quis per septem annos liberatus probetur. Si vero tali morbo laborans iam ordinatus sit, licet non omnino sit liber, si tamen raro (id est semel in mense) cadat, nec spumet, poterit privatim celebrare, adiuncto sacerdote ieiuno, qui missam perficiat adveniente morbo; ita communiter Suar.[21] Croix[22] cum Nav. et Laym., ac Bonac.[23] cum s. Antonin. Sayr. Ugol. etc. Et patet ex *c. Communiter*, ubi: *Qui* (id est epileptici), *et ipsi* (id est obsessi) *tamdiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu daemonis liberati.* Illud autem *anni spatio*, dicit Suar.[24] non esse in usu, sed relinqui prudentis arbitrio. Notat autem Maz-

(1) P. 372. (2) C. 27. n. 205. (3) D. 51. sect. 1. n. 4. et 5. (4) D. 7. q. 1. p. 1. n. 1. (5) D. 6. p. 10. n. 4. (6) L. 7 n 494. (7) Part. 2. cap. 2. n. 4. (8) De cens. c. 9. p. 7. n. 79. (9) L. c. n. 5. (10) C. 27. n. 205. (11) C. ult. q. 7.

(12) L. c. (13) P. 2. n. 25. (14) D. 51. sect. 1. n. 6. (15) D. 7. qu. 2. p. 2. n. 22. (16) L. 7. n. 495. (17) C. ult. qu. 7. (18) T. I. l. 5. c. 19. n. 8. (19) L. c. n. 5. (20) D. n. 495. (21) D. n. 6. (22) L. c. (23) N. 22. (24) N. 5.

zot. [1] cum Sayr. Ugol. et aliis, quod si quis daemoniacum se simulaverit, hic etiam sit irregularis ad ordines suscipiendos, ex conc. Constant. VI. can. 6. Dicit tamen cum eod. Sayr. et Fill., quod episcopus potest promovere daemoniacum ad ordines minores, quia in *cap. Cler.* 4. *dist.* 33., fit sermo tantum de ordine sacro; sed probabilius hoc negant alii communissime; *vide infra n.* 452.

400. In hac autem irregularitate propter defectum animae, durante effectu, nec etiam papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de iure divino inhabiles tam ad suscipiendum, quam ad exercendum ordinem. Cessante vero defectu, si cesset ante ordinationem, non possunt in eo dispensare episcopi, quia nulla episcopis conceditur dispensatio in irregularitatibus ex defectu provenientibus, nisi in duobus casibus, ut notat Cabass. [2] scilicet 1. ut possint dispensare natàlia illegitimorum ad solos ordines minores, et ad simplex beneficium ex *c.* 1. *De fil. presb. in* 6. Et 2. idem posse cum bigamo ex consuetudine docent s. Th. Sylv. Azor. rota rom. et alii apud Cabass. [3] contra Cont. Tourn. [4] cum Pont. etc. Sed *vide n.* 452. Caeterum Fag. in *c. Veniens*, *de fil. presb. n.* 7. *et* 8. et Cont. Tourn. cum Gib. et aliis, dicunt posse episcopos dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis, argum. ex *c. Nuper* 29., ubi dicitur permissum quidquid non est reservatum, cum autem reservatio sit odiosa, non censetur facta, ubi impedimentum sive irregularitas non est certa. Ad tollendam igitur irregularitatem certo contractam ex defectu animae, requiritur dispensatio pontificis, ut docent Bon. [5] Pal. [6] Salm. [7] et Suarez [8] contra Maiol. et Tab. apud Bon. Praelati tamen regulares bene possunt dispensare cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad ordines sacros promoveantur, etiamsi quis passus fuerit permanentem amentiam, si ex iudicio medicorum vere cessaverit illius periculum, quia regularibus ex privilegio concessum est dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus, exceptis aliquibus, ut diximus *n.* 355., inter quas non est haec, Salm. [9] iuxta ab iisdem dicta alibi [10].

401. « 2. Illitterati, qui non habent doctrinam necessariam pro ordinibus (An autem omnino illitterati sint irregulares, tam ad ordines suscipiendos, quam ad exercendos. *Vide dicta l.* 6. *n.* 791. *v. Qu.* 2. Quid vero de regularibus? *Vide ibid. v. Qu.* 3.).

402. » 3. Neophyti, seu recenter conversi, usquedum iudicio episcopi sufficienter instructi sint (Putat autem Tolet. apud Vivam [11] post decennium neophytum non esse amplius irregularem, imo antea, si episcopus iudicet illum bene moribus profecisse).

03. » *Secunda* ex defectu *corporis:* 1. Si propter eum ineptus est ad exercitium ordinis, ut si sit caecus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire ad altare, item si careat manu, pollice, indice, oculo (non tamen si ungula pollicis, vel indicis, vel oculo dextero tantum, si vero sinistro, seu canonico, aut eius vi visiva careat, indiget dispensatione, quod tamen negant Valent. Henr. Sayr., si quidem dextero possit absque deformitate legere canonem). 2. Si ordinem nequit exercere sine horrore, offensione, aut scandalo aliorum, ut si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, paralyticus, si membra habeat superflua cum magna deformitate; in dubio vero an deformitas sit sufficiens, episcopi est iudicare, saltem in clericis, nam in regularibus id spectare ad eorum praelatum, contra Barb. etc. docent Suar. et alii 5. cum Diana [12], licet concedant episcopum posse reiicere arbitrium praelati: hunc autem, si gaudeat auctoritate quasi episcopali, posse in illa irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, ut scandalum generet [13]

(1) T. 4. p. 446. (2) L. 5. c. 19. n. 3.
(3) L. c. (4) De irreg. part. 3. cap. ult.
(5) P. 2. n. 23.
(6 D. 6. p. 10. n. 5.
(7) De cens. c. 9. p. 7. n. 30. (8) D. 51. s. 1. n. 5.
(9) Dict. n. 30. (10) C. 7. p. 4. n. 59.
(11) De cens. q. 9. a. 4. n. 14.
(12) P. 4. t. 2. r. 63. (13) Ibid.

ex Rodr. et aliis 4. Vide Bon. Laym. M. Leo [1].

Unde resolves:

» 1. Non videtur irregularis 1. Qui habet sex digitos, vel aliquos coniunctos, si non sit magna deformitas, et ordinem exercere possit. 2. Qui habet in oculo maculam visum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungula pollicis, si possit hostiam elevare et frangere. 4. Qui per vim aut infirmitatem factus est eunuchus.

» 2. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstruosus, gigas, pigmaeus, aethiops, non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est.»

404. Opus est singula latius discutere. Ex duplici capite incurritur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam aut horrorem, ita communiter dd. cum d. Th. [2]. Hinc primo ob impedimentum exercitii irregularis est, 1. *Caecus*, qui omnino visu caret, ex *c. ult. dist.* 55. Sed notandum 1. quod si quis iam sit sacerdos, et constet non posse errare, poterit a pontifice obtinere dispensationem; *vide dicta l.* 6. *n.* 390. Not. 2. si alicui deest visus oculi dexteri, non est irregularis, ut communiter omnes, secus si sinistri, ut communissime docent Bus. cum aliis supra et Suarez [3] Laym. [4] Ronc. [5] Croix [6] Cont. Tourn.[7] et Salm. [8] cum Nav. Fill. etc. Excipitur, nisi oculus dexter esset aptus ad canonem legendum sine magna deformitate, cui facillime occurri potest per accommodationem missalis, illud in medium afferendo, ut dicunt Layman[9] Tamb.[10] Diana [11] et Croix [12] cum Nav. Mol. Sa Avila Dicast. etc. Idque vocat Suar.[13] practice probabile, etiam ut quis possit ad sacerdotium promoveri. Not. 3. Si quis non sit omnino caecus, sed ita caecutiens, ut non possit legere in missali, hic etiam est irregularis ad ordines suscipiendos. Utrum autem ad eos exercendos. *Vide l.* 6. *n.* 390. Not. 4. non est irregularis qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur (vulgo vocatur *guercio*), ita communiter Holzm.[14] Cont. Tourn.[15] Mazz.[16] et Tamb.[17] cum Sayr. Fill. Menochio et aliis.

405. 2. *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, ut communissime Bon.[18] Cont. Tourn.[19] Ronc.[20] Croix [21] Elb.[22] Mazz.[23] et Tamb.[24] cum Suar. et Turr. et Pal.[25] cum Laym. et Sayr. ex *can.* 77. *Apostolorum*, ubi id definitum habetur, quia talis sacerdos, cum non possit audire vocem ministri, nequit sine indecentia celebrare. Hanc indecentiam negant Henr. Praepos. et Gob. apud Croix [26] quia (ut aiunt) satis est ut sacerdos percipiat ex aliis signis ministrum respondisse, sed communissime (ut diximus) dd. his contradicunt. Concedunt vero Bon.[27] Tamb.[28] Conc.[29] Pal.[30] cum Nav. et Laym. ac Salm. [31] cum Con. et Pelliz. quod si surditas superveniat sacerdotio suscepto, non interdicatur sacerdoti celebratio, facilius enim toleratur defectus superveniens in promoto quam in promovendo, prout de caecutiente dictum est *l.* 6. *n.* 390. Communiter autem docent dd. contra Comitol. ac Croix [32] surdastrum, sive difficulter audientem minime esse irregularem, ita Cont. Tournely[33] Holzm.[34] Tamb.[35] et Croix [36] cum Suar. Bon. Sayr. Regin. Filliuc. Diana Graff. etc.

406. 3. *Mutus*, qui non possit loqui aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare, quin aliquid omittat, ut Contin. Tournely [37] Holzm.[38] Viva [39], vel nisi cum magna difficultate, ut addunt Salm.[40]. Et idem dicit Holzm.[41] de eo qui loquelam pe-

(1) P. 3. f. 570. (2) Suppl. q. 39. n. 6. (3) D. 51. s. 2. n. 15. (4) L. 1. tr. 6. p. 5. c. 7. n. 2. (5) Q. 6. r. 2. (6) L. 7. n. 500. (7) De irreg. part. 2. cap. 3. concl. 3. (8) De cens. c. 9. p. 6. n. 68. (9) L. c. (10) De irr. c. 8. §. 1. n. 2. (11) P. 3. tr. 6. r. 22. (12) L. 7. n. 500. (13) L. c. (14) T. 1. p. 419. n. 364. (15) Loc. cit. (16) T. 4. p. 456. (17) §. 1. n. 3. (18) Qu. 2. p. 2. n. 7. (19) Ibid. (20) Qu. 6. r. 2. (21) L. 7. n. 502. (22) T. 2. p. 477. n. 218. (23) P. 456. (24) C. 3. §. 1. n. 5. (25) D. 6. p. 11. n. 5. (26) L. c. (27) L. c. (28) N. 6. (29) P. 496. n. 5 (30) D. n. 3. (31) C. 9. de cens. n. 67. (32) N. 502. (33) L. c. (34) P. 416. n. 363. (35) L. c. (36) Ibid. (37) Loc. cit. (38) P. 419. n. 363. (39) O. 9. art. 4. n. 15. (40) Cit. n. 67. (41) L. c.

nitus praecipitem habet. Blaesi vero sive balbutientes, aut carentes dentibus non sunt irregulares, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant, ut ait Croix[1], nisi afferant causam risus aut contemptus, Nav.[2] et Tamb.[3] cum Con. Sayr. Fill. Praep. etc.

407. 4. *Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare, ut habetur in *cap. Nullus episcopus* 57. *de consecr. dist.* 1. Hoc tamen intelligitur, ut explicat Glossa *ibid. v. Cum baculo*, id est: *Si sine baculo non possit sustentari in altari*, et idem dicunt Bon.[4] et Palaus[5]. Caeterum, claudus qui non indiget baculo, minime est irregularis, ut dicitur in *c. Si quis* 19. *dist.* 55. Sicut nec etiam qui habet crura distorta, ut Cont. Tourn.[6] Salm.[7] et Croix[8] cum Palao Laym. et Henr., quia talis defectus veste talari facile tegi potest, secus si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, quia habet pedem mutilum vel aridum, hic est irregularis, ita Laym.[9] Nav.[10] Cont. Tourn.[11] Tamb.[12] Bon.[13] cum Mol. Sayr. Ugol. Fill. Reg. etc. eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Dicit tamen Tambur.[14] cum Sylv. Rosel. Maiol. et Gibal., quod si talis defectus sit modicus, et aliquo modo indecentia reparari valeat, permitti posset celebratio. Et in dubio standum iudicio episcopi.

408. 5 Qui caret manu aut digitis omnibus aut pollice, ut habetur in *c. ult. De corpore vitiato.* Idem dicunt cum Bus., ut supra, Renzi[15] Tambur.[16] Fill.[17] Bon.[18] cum Suar. Molin. Sayr. Avila Reg. et aliis, de eo qui caret indice, vel parte pollicis aut indicis, vel qui habet eos ita debiles ut nequeat hostiam elevare aut frangere. Secus si quis careat ungue pollicis vel indicis, ut dicitur in *dicto c. ult.* Si quis autem iam fuerit ordinatus, et habet pollicem impeditum, in casu necessitatis probabiliter posset eucharistiam ministrare posterioribus digitis, ut diximus *l.* 6. *n.* 244. Si quis caret tribus posterioribus digitis etiam est irregularis, Anacl.[19] et Continuator Tournely[20] cum Sayr. et Ugol. Si vero caret uno tantum digito minori, non est irregularis, ut Holzm.[21] et Cont. Tourn.[22] cum Cai. Nav. et Cont., et idem sentit Cont. Tourn. cum alio auctore, si caret duobus. Nec pariter est irregularis qui habet sex digitos, Holzm.[23] Cont. Tourn.[24] Fill.[25] et Bonac.[26] cum Ugol. Henr. Sayr. Reg. etc., modo sextus digitus usum aliorum non impediat. Sextus autem ille digitus bene potest abscindi sine periculo irregularitatis, si possit fieri sine periculo vitae, Bon.[27] cum eisdem. Notat autem Cont. Tourn.[28] quod si quis careat indice, poterit obtinere dispensationem.

409. 6. Laborans febri continua, non autem quartana aut levi, aut qui patitur gravem dolorem capitis, Bonac.[29]. Hoc tamen intelligendum de eo qui non posset celebrare ob talem morbum sine proximo periculo deficiendi vel notabiliter errandi, ut innuit idem Bon.[30], nam optimam in hoc tradit regulam Laym.[31] cum Soto Tol. Avila et aliis, quemcumque morbum non inducere irregularitatem, nisi vel exercitium ordinis impediat, vel notabile scandalum sive indecentiam afferat. Item irregularis est qui laborat paralysi, ut cum Bus. Pal.[32] et Concina[33], qui bene ait id intelligi tantum de eo qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi calicem. Item qui tantum patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda eucharistia, Bon.[34] cum Ugol. Maiol. etc. communiter. Item abstemius, qui vinum nequit sumere nisi cum periculo emovendi, Cont. Tourn.[35] Conc.[36], hic enim esset irregularis de

(1) L. 6. p. 2. n. 2222. (2) C. 27. n. 222. (3) §. 1. n. 10. (4) Qu. 2. p. 2. n. 15. (5) D. 6. p. 11. n. 3. (6) De irreg. part. 2. cap. 3. concl. 3. (7) De cens. c. 9. p. 6. n. 68. (8) N. 504. (9) C. 7. n. 4. (10) C. 27. n. 199. (11) Loc. cit. (12) §. 1. n. 13. (13) N. 15. (14) L. c. (15) T. 2. p. 571. qu. 3. (16) §. 1. n. 12. (17) C. 6. n. 132. (18) P. 2. n. 15. (19) P. 515. n. 13. (20) P. 59. (21) P. 420. n. 564. (22) P. 59. (23) L. c. (24) Loc. cit. (25) N. 175. (26) N. 11 (27) L. c. (28) Loc. cit. (29) D. 7. q. 2. p. 1. n. 17 (30) N. 18. (31) C. 7. n. 6. (32) N. 5. (33) P. 496. n. 4. (34) P. 1. n 21. (35) Locc. cit. etc. (36) L. c

iure divino, nec enim papa dispensare potest ut sacrum celebretur in una sola specie, ut diximus *l.* 6. *n.* 196.

410. Secundo incurritur irregularitas ex defectu corporis, quando corporis vitium magnam affert deformitatem sive horrorem, ut habetur ex c. *Presbyterum*, *de cler. aegr.* et alias *de corp. vit.* Hinc ratione deformationis sunt irregulares, 1. Ii quibus deest aliquod membrum, nempe qui carent naso, ut in *c. penult. de corp. vit.* vel habent nimis deformem, nempe valde distortum aut valde demissum aut promissum, ut Tamb. [1] Bon. [2] et Viva [3]. Item si alicui est erutus oculus, sive dexter sive sinister, ut in *c. ult. dist.* 55. Probabiliter vero dicunt Sylv. ap. Croix [4] Cont. Tourn. [5] cum Pontas Roncag. [6] cum Tamb. et aliis, hunc non esse irregularem, si deformitas illa reparari possit per oculum vitreum. Sic pariter etiam est irregularis qui caret auriculis, nisi talis defectus capillis aut aliter tegatur, ut dicunt cum Bus. Salm.[7] Tamb. [8] Renzi [9] Diana [10] Pal. [11] cum Laym. et Bonac. ac Cont. Tourn. cum Con. Avila et Pontas.

411. 2. Leprosi, ut habetur in *c. Tua nos, de cler. aegrot.* ubi interdicitur leproso celebrare *pro scandalo et abominatione populi;* unde si abesset scandalum, ut in loco privato, bene hic posset celebrare; ita Pal.[12] Salm.[13] et Bon. [14] cum Mol. Ugol. et Maiol. Sic pariter sunt irregulares qui habent labia corrosa, vel abscissa ad instar leporis, Tamb. [15] Cont. Tourn. Viva [16]. Idem dicunt Cont. Tourn.[17] et Holzm.[18] de eo qui laborat morbo gallico, qui foris appareat: aut qui habet faciem ex alio morbo valde maculatam, ut Laym.[19].

412. 3. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem, nimirum (ut docent Anacl. [20] Renzi [21] et Bon.[22] cum Avil. Mol. Ugol. Reg. et aliis) si gibbositas vel sit coniuncta cum nimia deformitate vel debilitate, prout si nequeat recto capite stare. Item pigmaei, sive nani, nempe ita breves statura ut ad risum moveant, praesertim si habeant caput valde ingens, ut Tamb.[23] Cont. Tourn.[24] et Renzi [25] cum Sayr. Maiol. Henr. et aliis, vel (ut ait Lay.[26]) illi qui ita statura parvi sunt, ut brachia extendere non possint, quatenus necesse est ad altaris ministerium. Item aethiopes, qui apud nos risum afferrent, ut Cont. Tourn.[27] et Ugol.[28]. Quamvis hoc negent Maiol. et Gavant. apud Tamb.[29]. Color autem subfuscus sive rubens non nocet altari, ut idem Ugol. Fill.[30] et Tamb. [31] cum Maiol. Item hermaphroditi, etiamsi in eis praevaleat sexus virilis, ut Suar.[32] Lay.[33] Nav.[34] Bon. [35]. Dicunt tamen Tol.[36] et Escob.[37] cum Corn. contra Conc.[38] quod hic defectus tunc pariat irregularitatem quando est notus, non vero quando est occultus.

413. Super his notandum 1. quod si aliquis ex praefatis defectibus corporis superveniat ordinibus iam susceptis, sacerdos non impeditur ab actibus illius ordinis, quos potest exercere sine incongruitate et indecentia, ita ut sacerdos caecus aut claudus bene possit excipere confessiones, canere evangelium, etc. ex *cap.* 7. *de cler. aegrot.* ubi: *Ipsum autem fungi caeteris sacerdotalibus officiis minime prohibemus.* Notand. 2. quod si vero talis defectus ante ordines adveniat, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum ordinem, cuius exercitium impedit, sed ad omnes alios, ut communiter docent Nav.[39] Bon.[40] Esc.[41]

(1) C. 8. §. 1. n. 19. (2) P. 1. n. 2.
(3) Q. 9. art. 4. n. 15. (4) L. 7. n. 500. (5) Ib.
(6) Q. 6. r. 2. (7) De cens. c. 9. p. 6. n. 68.
(8) §. 1. n. 8. (9) T. 2. p. 670. qu. 2.
(10) P. 4. tr. 2. r. 75. (11) D. 6. p. 11. n. 5.
(12) De Euch. p. 15. n. 5. (13) Eod. tit. c. 7. p. 4. n. 56. (14) De irreg. d. 7. q. 2. p. 1. n. 20.
(15) §. 2. n. 11. (16) Qu. 9. art. 4. n. 15.
(17) Part. 2. cap. 3. v. Quod ad morbos.
(18) P. 419. n. 365. (19) C. 7. n. 1. (20) P. 515 n. 32. (21) P. 671. q. 4. (22) P. 1. n. 9.
(23) §. 1. n. 2. (24) L. c. (25) P. 672. q. 5.
(26) In indice v. Irregularis. (27) Loc. cit.
(28) De irr. c. 50. n. 4. (29) §. 1. n. 24.
(30) C. 6. n. 171. (31) N. 22. (32) D. 51. s. 2 n. 2. (33) C. 7. n. 1. (34) C. 27. n. 205.
(35) P. 1. n. 15. (36) L. 1. c. 65. n. 6.
(37) L. 55. n. 200. (38) P. 497. n. 5. (39) C. 27. n. 200. (40) P. 1. n. 58. (41) L. 55. n. 216

Pal. [1] Salm. [2] cum Corn. Pell. ac Cabassut.[3] cum Ang. Ugol. et Avil. contra Palud. et alios. Ratio quia, cum omnes ordines sacerdotium respiciant, exclusus a sacerdotio, censetur etiam ab omnibus ordinibus repulsus.

414. In hac autem irregularitate proveniente ex defectu solus papa potest dispensare, v. g. ut caecus ordinetur: feruntque Fill. Henr. et Maiol. apud Tamb. [4] quemdam papam dispensasse cum caeco ut adhibito adiutore perito celebraret (Caeterum s. c., ut refert p. Zach. Adn. ad Croix[5], censuit bene posse dispensari cum caeco, etiam ex utroque oculo, qui iam sit sacerdos, ut celebret cum assistentia alterius sacerdotis. Secus vero si laicus pro quo dicit non esse consulendum pontificem pro dispensatione ad primam tonsuram, nec etiam ad recipiendum beneficium simplex). Censet pariter Tamb. posse papam dispensare ad sacerdotium cum eo qui caret manibus, ut possit saltem excipere confessiones, conciones habere, etc. Sed verius hoc negat Avil. [6], quia potestas supra corpus mysticum fundatur in potestate supra corpus reale Christi : unde qui ineptus est ad primam, incapax est secundae. Praelati autem regulares bene etiam possunt dispensare in huiusmodi irregularitate, non autem episcopi (ut diximus *n.* 400.) qui tantum in dubio an defectus corporis notabiliter impediat exercitium ordinis, vel an magnam afferat indecentiam, possunt declarare, sive iudicare, ut communiter docent Suar. [7] cum Nav. et Sylv. Laym. [8] Dian. [9] cum Miranda et aliis, ex *c.* 2. *de corp. vit.* An autem praelati regulares possint de hoc iudicare respectu ad suos subditos. Negant Barbos.[10] et Dian.[11] cum Rodr. Henr. et Camp. Sed valde probabiliter affirmant Bus. ut supra *n.* 402. Suar. [12] Laym.[13] Salm.[14] cum Avila et Pell. et probabile putat Diana[15] cum Peyr. Miranda et Avila. Ratio quia praelati regulares respectu ad suos habent iurisdictionem episcopalem, ad quam tale iudicium magis pertinet, quam ad characterem, Recte vero ait Suar. posse episcopum ordinantem admittere vel reiicere talem ordinandum.

415. Quae autem dicta sunt, spectant ad eos qui laborant aliquo corporis defectu sine propria culpa, si vero defectus advenit ex eorum culpa, puta si quis membrum, vel eius partem sibi amputaret ex prava intentione, ipsi fiunt irregulares, etiamsi defectus non impediat exercitium ordinis, nec deformitatem afferat, quia irregularitas haec imposita est in poenam saevitiei in semetipsum, unde in *c. Qui partem* 6. *dist.* 55., ut diximus *n.* 365. *in fin.*, declaratur irregularis, *qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscindit.* Ad hanc tamen irregularitatem incurrendam requiritur culpa gravis, ut bene ait Tamb.,[16] alias tanta poena non haberet debitam cum culpa proportionem. Alii praeterea requirunt, ut tale crimen sit notorium, ut Suar. [17] Bon. [18] et alii apud Tamb.[19]. Sed verius hoc negant Pal.[20] Salm. [21] cum Garc. et Tamb.[22] cum Sayr et Mol., quia talis irregularitas non innititur notorietati culpae, sed crimini saevitiei, quam quis in seipsum exercet. Recte tamen ait Tamb.[23] quod episcopus ex *c. Liceat* 6. Tridentini *sess.* 24. poterit cum illo dispensare, si crimen sit occultum, adhuc si defectus membri sit patens; nam concilium universe concedit episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

416. Quid dicendum de eunucho? Resp. Qui est eunuchus propter abscissionem virilium aut testiculorum, factam a medicis causa morbi, vel ante usum rationis, vel propter iniuriam alterius, hic non est irregularis, ut communiter cum Busemb. dicunt Sal-

(1) P. 10. n. 4. (2) De cens. c. 9. p. 6. n. 72. (3) L. 5. c. 19. n. 15. (4) C. 8. §. 5. n. 2. (5) L. 7. n. 500. (6) De cens. p. 7. d. 3. (7) D. 51. s. 2. n. 16. (8) C. 7. n. 7. (9) P. 4. tr. 2. r. 73. (10) alii. 42. n. ult. (11) P. 2. tr. 6. r. 61. (12) L. c. (13) N. 6. (14) De cens. c. 9. p. 6. n. 68. (15) L. c. r. 73. (16) C. 8. §. 2. n. 3. (17) D. 51. sect. 1. n. 8. (18) Q. 2. p. 2. (19) N. 8. (20) D. 6. p. 12. n. 2. (21) L. c. n. 71. (22) L. c. (23) N. 9.

mant.[1] et Tamb. [2], idemque patet ex *cap. Si quis a medicis* 7. *et cap.* 8. *ac* 9. *dist.* 55. Ridiculus autem (ait Nav.[3] est error illorum qui putant opus esse ut testiculos desiccatos secum gestet is qui vult ordinari aut celebrare. E converso qui ex ira aut zelo indiscreto servandae castitatis abscindit sibi virilia aut testiculos, certe fit irregularis, ut habetur in *c. Si quis* 3. *dist.* 55. ubi dicitur: *Si quis abscindit semetipsum, id est si amputavit sibi virilia, non fiat clericus.* Et in *c. Hi qui* 5. *ead. dist.* ubi: *Hi qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum pervenire non possunt.* Item in *c. Si quis* 7. *ib.* dicitur, *nullum debere promovere de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere.* Et idem communiter docent. dd. de eo qui propter eadem motiva permittit ab alio amputari, ut dicunt Tamb.[4] et Salm.[5], utque infertur ex *c. Si quis* 9. *dist.* 55.

417. Quid vero si quis causam dederit tali abscissioni, sed absque suo consensu, prout cum aliquis, accedendo ad coniugatam, dat causam, ut a marito virilia sibi abscindantur. Suarez [6] et Bon. [7] censent hunc esse irregularem. Sed valde probabiliter negant Tolet. [8] Tamb. [9] Conc. [10] Gibal. [11] Hurt. [12] et Pal. [13] cum Garcia etc. Ratio quia (ut saepe dictum est) irregularitas, ut incurratur, debet esse expressa in iure; nullibi autem habetur quod ille qui abscissioni causam dedit, et sine suo consensu abscissus est, fiat irregularis: verba enim illa textus in *c.* 5. ut supra, *rem hanc affectant*, idem significant (ut cuique patet) ac appetere sive exquirere; qui autem adulterium vult, etiamsi abscissionem praeviderit, eam non appetit nec exquirit.

418. Praeterea, dicit Pal.[14] et probabile putant Tamb. [15] et Pelliz. apud Salm. [16] (qui huic sententiae videntur adhaerere) contra Suar. Mol. et Sayr. apud Dian. [17], quod si quis amputet sibi testiculos, vel amputari sibi faciat ob vocem conservandam, non fit irregularis; cum id non faciat ex indignatione aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam in *d. c. Qui partem* 6. et *c. Si quis* 9. *dist.* 55. Tanto magis quod textus praefati tantum loquantur de amputante sibi virilia, non autem testiculos.

419. Item recte ait Tamb. [18] quod si quis attentet se occidere aut mutilare, non est irregularis; illud enim *affectant* in dicto *can. Hi qui* 5. intelligitur de consensu, effectu secuto attentationis, ut patet ex contextu. Dicit tamen idem Tamb. [19] cum Corneio, quod si quis attentaret publice se occidere, contraheret irregularitatem ob infamiam.

420. « *Tertia*, ex defectu *natalium*, ex quo irregulares sunt omnes illegitimi, eo quod ratione originis reputentur viles (Ita ex *c.* 1. *et fin. de fil. presbyt.* Et hoc etiamsi sint occulti; ut communiter docent Bon. [20] Pal. [21] et Salm. [22] cum Avila Sayr. Pelliz. et Corneio).

421. » Tales autem communi iure legitimantur 1. *Per subsequens matrimonium* inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere (Unde si adulter mortuo coniuge ducat mulierem, ex qua filium habuit, iste manebit illegitimus, ex *c. Tanta, qui filii sint legit.*) »

422. Valde autem probabiliter dicunt Sanch. [23] Pont. [24] Anacl. [25] Bon. [26] et Salmant. [27] cum Sayr. Pell. Diana et Corn. contra Suar. [28] Contin. Tourn. [29] sufficere ad legitimandam prolem et eam reddendam immunem a defectu

(1) De cens. c. 9. n. 70. (2) §. 2. n. 11.
(3) Cap. 27. n. 200. (4) N. 13. (5) Ibid. n. 69.
(6) D. 51. s. 2. n. 8. (7) Q. 2. p. 2. n. 33.
(8) L. 1. c. 32. (9) §. 2. n. 25. (10) D. 13. d. 15. n. 103. (11) C. 3. q. 1. 12) Dist. 14. n. 32
(13) P. 12. n. 3. (14) D. p. 12. n 14.
(15) §. 2. n. 16. (16) De cens c. 9
(17) P. 10. tr. 13. r. 11. (18) D. §. 2. n. 18. et 19
(19) N. 20. (20) D. 7. qu. 2. p. 3.
(21) D. 6. p. 9. n. 2. (22) Ibid. p. 4. n. 13.
(23) De matr. l. 8. d. 7. n. 19. (24) Eod tit. c. 3 n. 2. (25) P. 516. n. 33. (26) P. 3. n. 5.
(27) Ibid. n. 47 (28) D. 50. s. 1. n. 3.
part. 3. cap. 1. concl. 2. not. 2.

natālium, quod matrimonium fieri poterat tempore nativitatis, ut colligitur ex *d. c. Tanta*, *qui filii sint legit.* ubi dicitur quod proles sit illegitima, *si vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit et ex ea prolem susceperit.* Susceptio enim prolis verius non fit per conceptionem, sed per nativitatem: saltem ibi pontifex certe loquitur de filio iam nato, dum ait illum *ab haereditate repellendum:* ergo, cum oppositum saltem sit dubium dubietate iuris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quae (ut saepe repetitum est) non incurritur nisi in iure sit expressa. Et novissime Bened. XIV. hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolae in *bullar. suo* responsivae ad archiep. s. Dominici in insula hispaniola illustravit, et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperuit: *In qua controversia satis ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si a nobis iudicium interponendum foret, non aliter id a nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.* In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: *Sed cum certum est matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus quo filius conceptus et in lucem editus fuit, filium hunc legitimum censeremus, cum iudex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.* His positis, sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur si in dubio iudex in bonum prolis iudicare debet, ubi talis casus nulla tribunalium sententia decisus reperitur, cum simus in dubio ob textuum et doctorum discrepantiam, potius proles iudicanda est legitima quam illegitima, si quidem etiam in hoc casu certum est eam in matrimonii constantia editam fuisse, et incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an vero ortus.

423. Praeterea hic notandum 1. cum Salm. [1] quod si filius naturalis ante parentum matrimonium esset ordinibus sacris initiatus, illo secuto, licite potest in eis ministrare et ad alios ascendere sine dispensatione: quia, licet peccaverit ordines suscipiendo, tamen nullam noxam ob hoc crimen contraxit irregularitatis: antiqua autem irregularitas iam ablata est per subsequens matrimonium. Notandum 2. quod talis legitimatio fit per subsequens matrimonium etiam non consummatum, puta si in articulo mortis contrahitur, quia ex dicto *c. Tanta*, virtus legitimandi tribuitur cuicumque valido matrimonio.

424. Notandum 3. quod filii nati ex matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, tamen putato valido, saltem ex uno sponsorum, censentur legitimi; ita communiter Suarez [2] Bon. [3] Conc. [4] et Cont. Tourn. [5] cum Pontas, et patet ex *c. Cum inter* 2. *qui filii sint legit.* ubi: *Cum parentes eorum publice et sine contradictione ecclesiae inter se contraxisse noscantur ... sancimus ut filii eorum habeantur legitimi.* Et idem confirmatur in *c. Ex tenore eod. tit.* Secus vero, si ambo parentes tempore matrimonii fuerint in mala fide, ut habetur in *cap. Cum inhibitio* 3. §. *Si quis, de cland. desp.* ibi: *Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, praeter omne interdictum etiam in conspectu ecclesiae contrahere praesumpserint.* Et sic pariter docet Suar.[6] illegitimos esse filios natos ante matrimonium invalide contractum, licet ambo parentes putaverint validum, quia pro his nullus habetur textus eos ut legitimos approbans.

425. Notandum 4. quod filii nati ex matrimonio clandestino, id est sine denuntiationibus ac sine licentia episcopi inito, etsi coram parocho et testibus, reputantur illegitimi, etiamsi parentes in bona fide propter ignorantiam contraxerint ex eod. §. *Si quis*, ut supra in dicto *c.* 3. ubi dicitur: *Si quis vero huiusmodi clandestina vel interdicta* (scil. absque proclamationibus, ut

(1) De cens. c. 9. p. 4. n. 49. (2) D. 50. s. 1. n. 6.
(3) Q. 2. p. 3. n. 3. (4) P. 497. n. 6.
(5) Loc. cit. n. 3. (6) L. c. n. 11.

prius in textu explicatur) *coniugia inire praesumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.* Id tamen limitat Suar.[1] pro fòro conscientiae, si parentes adhibuerint debitam diligentiam; sed merito Bossius [2] hanc limitationem non admittit, quia legitimatio filiorum ex matrimonio nullo est beneficium indultum a lege, sed lex denegat illud filiis parentum qui contra interdictum ecclesiae contraxerunt, ut dicitur in praefato textu, et confirmatur in *cap. Cum inter*, mox supra relato verbis illis, *publice et sine contradictione ecclesiae*

426. « 2. Legitimantur filii per *professionem religiosam*, quamvis ad dignitates etiam in religione, v. g. abbatiam, prioratum, etc. promoveri non possint sine dispensatione. *Vide supra d.* 3. (Ita ex bulla Greg. XIII. ac Salmant. [3]. Quamvis aliunde praelati regulares ex aliis privilegiis bene possunt dispensare in irregularitate cum suis subditis illegitimis, ut probant Salm.[4]. *Vide etiam dicta n.* 355.).

427. » 3. Per *dispensationem pontificiam.* »

Papa non solum potest illegitimis dispensationem concedere, sed etiam ipsam legitimationem quae irregularitatem aufert quoad omnes effectus. Ita comm. Sanch. [5] Pal. [6] et Salm. [7] cum Azor. Suar. et Corn.

428. Episcopus vero potest cum illegitimo dispensare tantum ad ordines minores et ad beneficium simplex, ex *c.* 1. *et* 2. *de fil. presbyt. in* 6. Ac etiam ad canonicatus in collegiatis vel ad portiones non integras in cathedralibus vel ad alia beneficia, quibus non est annexus ordo sacer. Non vero ad beneficium curatum, ut habetur in *c. Is qui de fil. presbyt. in* 6. hoc certum est apud omnes.

429. Sed dubit. 1. An episcopus possit dispensare ad recipiendum canonicatum in cathedralibus Affirmant Pontas [8] et Cont. Tour. [9] Gibert. Oltrado etc. quia (ut aiunt) omnis canonicatus per se est beneficium simplex, et licet Trid.[10] prò canonicatibus in cathedralibus requirat ordinem sacrum, tamen non requirit hic et nunc, cum clericus possit canonicatum recipere in minoribus, et deinde obtinere dispensationem irregularitatis infra annum quem concedit concilium ad sacrum ordinem suscipiendum. Probabilius vero negant Palaus[11]Less.[12] Barb.[13] Conc.[14] et Salmant. [15] cum Corn. Henriq. Avila et Philib. Ratio quia, esto canonicatus sit per se beneficium simplex, attamen ex praescripto concilii est annexus ordini sacro: unde per se statim sacrum ordinem requirit; quod autem infra annum possit provisus illum suscipere, est beneficium a Tridentino indultum, sed hoc naturam rei minime immutat.

430. Dubit. 2. An episcopus possit dispensare in hac irregularitate cum illegitimo occulto. Affirmant Diana[16] et Avila Barbosa Pellez Reg. Peyrin. etc. apud Salmant.[17] qui probabile vocant; quia (ut aiunt) Tridentinum concessit episcopis dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto (praeter homicidium) provenientibus, non distinguendo an delictum fuerit proprium aut alienum. Sed verius negant Lay.[18] Suar.[19] Bon.[20] Cont. Tourn. [21] Diana (se revocans)[22] Pal.[23]cum Hurt. et Salm.[24] cum Con. Corn. et Philib. Ratio quia haec irregularitas proprie non est ex delicto, sed ex defectu; et verius illud *ex delicto* intelligitur de delicto proprio, non alieno.

431. Dubit. 3. An episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto quoad ministrandum in ordinibus maioribus susceptis.

(1) D. 50. s. 1. n. 1. (2) De contr. matr. c. 8. n. 52. (3) De cens. c. 9. p. 4. n. 55.
(4) Ibid. n. 56. 57. et 58. (5) De matr. l. 8. d. 1. n. 28. (6) P. 9. n. 6. (7) Ibid. n. 50.
(8) Verb. dispensare irreg. caus. 28.
(9) L. c. n. 5. (10) sess. 24. c. 12.
(11) D. 6. q. 9. n. 8. (12) L. 2. c. 34. n. 66.
(13) All. 45. n. 24. (14) T. 10. p. 497. n. 7.
(15) De cens. c. 9. p. 4. n. 51. et 52.
(16) P. 1. tr. 15. r. 21. (17) Dict. n. 52.
(18) L. 2. tr. 5. p. 3. n. 2. (19) D. 50. s. 5. n. 5
(20) Q. 2. p. 3. (21) L. c. n. 2.
(22) P. 4. tr. 2. r. 64. (23) P. 9. n. 10.
(24) Ibid. n. 53

Prima sententia, quam tenent Layman [1] Pal. [2] et Diana [3] affirmat absolute, si initiatus bona fide ordinem susceperit, quia is iam acquisivit ius ad ministrandum: imo, etiamsi mala fide, adhuc probabile putant posse episcopum cum eo dispensare, et argum. in *c. Nisi cumpridem*, *de renuntiat.*, ubi dicitur posse dispensari cum eo qui culpabiliter suscepit ordinem cum irregularitate occulta.

Secunda sententia verior universe negat, eamque tenent Suarez [4] Fill. [5] et Salm. [6] cum Corneio. Et probatur ex *c. 1. de fil. presbyt. in* 6., ubi absolute dicitur quod episcopi nequeunt dispensare in irregularitate ex defectu natalium, nisi tantum ad ordines minores, unde cum illegitimus sit incapax ad ordinem maiorem exercendum, non potest ad eum ius ullum acquirere. Illud autem quod dicitur in textu citato, nempe quod etiam cum eo qui culpabiliter processerit poterit dispensari, certum est, sed ibi non dicitur ab episcopo; ergo intelligendum ab habente potestatem, scil. pontifice.

432. Dubit. 4. An filii expositi, quorum parentes ignorantur, censendi sint illegitimi et irregulares.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Cont. Tourn. [7] Fill. [8] et Bonac. [9] cum Avila Ugol. Reg. Reb. Garc. etc., quia pro his vehementes adsunt coniecturae esse illegitimos, cum legitimi non soleant exponi.

Secunda sententia vero probabilior negat et hanc tenent Palaus[10] Pont.[11] et Salmant. [12] cum Con. Giball. Diana et Pelliz., ac probabilem censet Suarez [13]. Ratio quia ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur ut quis sit certus de sua illegitimitate; sed expositi sunt dubie illegitimi, cum multoties parentes etiam coniugati propter inopiam filios exponant. Huic sententiae magnum pondus tribuit declar. Gregorii XIV. expedita anno 1591., quam aa. praefati referunt, ubi pontifex declarat in gratiam confraternitatis pro expositis, eos non reputari illegitimos nisi tales probentur. Giballinus apud Cont. Tourn.[14], licet sit pro hac sententia, dicit tamen hanc declarationem parum probare, quia fuit facta in gratiam confraternitatis; sed mihi videtur nimis probare: nam illa potius fuit edita in gratiam expositorum quam confraternitatis. Saltem dicendum quod huiusmodi irregularitas in exposito non sit sufficienter expressa in iure.

433. « Principes vero saeculares non possunt legitimare, nisi tantum in ordine ad officia saecularia et haereditates. Porro cum dubium est an quis sit legitimus, non censeri irregularem contra Vasq. et alios 5. vult Diana[15] ex Avila, eo quod quilibet praesumatur legitimus donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere ipsimet matri, etiam in fine vitae, nisi rationibus convincat vel pater etiam asserat[16] ex communi (*Vide dicta l.* 3. *n.* 654.).

434. « *Quarta* est defectu aetatis, de quo vide in sacramento ordinis. (*Vide dicta l.* 6. *n.* 783. *et n.* 799.).

435. » *Quinta* ex defectu sacramenti, sive significationis matrimonii, ratione bigamiae, eo quod bigamus non perfecte repraesentet unionem Christi cum ecclesia, quippe qui carnem suam divisit in plures uxores. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia cum pluribus, etiam secuta copula, nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus: sed matrimonium verum vel praesumptum cum duabus, et consummatum (Ut habetur ex *cap. Debitum* 5. *de bigam.* 7.). Dixi *vel praesumptum;* quia, licet quandoque secundum matrimonium sit nullum, iuris tamen fictione et interpretatione praesumitur bigamia, licet improprie dicta.

Unde sequitur irregulares fieri sequentibus casibus:

» 1. Qui vivente vel mortua prima uxore cognita, secundam cognoscit, et-

(1) L. 1. tr. 5. p. 5. n. 2. (2) P. 9. n. 10. (3) P. 4. tr. 2. r. 64. (4) D. 5. s. 5. n. 4. (5) Tr. 19. c. 5. n. 135. (6) De cens. c. 9. p. 4. n. 54. (7) De irreg. part. 2. Quaeres 5. (8) Tr. 19. n. 141. (9) Q. 2. p. 3. n. 10. (10) P. 9. n. 2. (11) De matr. l. 2. c. 6. n. 4. (12) Ibid. n. 44. (13) D. 30. sect. 4. n. 5 (14) L. c. (15) P. 4. t. 2. r. 59. (16) Ib.

si matrimonium sit invalidum.

» 2. Qui viduam non virginem ducit et cognoscit.

» 3. Qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, et cognoscit, non tamen si ipse eam ante corrupit, quia tunc non est divisio carnis in plures.

» 4. Qui propriam uxorem cognoscit, postquam ab alio per adulterium cognita fuerit, quia ipsa iam divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuerit, vel vir corruptam aut viduam esse ignoraverit, quia haec irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis sacramenti.

» 5. Qui post solemne votum castitatis de facto matrimonium contrahit et consummat, etiam cum virgine: quia interpretatione iuris censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert quod invalide contrahat; quia, quantum est in ipso, effectus a parte rei ponitur. »

436. Quinta igitur irregularitas oritur ex defectu sacramenti, nempe ex bigamia, ut patet ex toto titulo *de bigamis*. Idque illatum est ex illo apostoli [1]: *Oportet episcopum unius uxoris esse virum*. Dicitur *ex defectu sacramenti*, quia is qui duas duxit uxores non potest apte significare unionem Christi cum ecclesia unica eius sponsa. Bigamia autem triplex est, *vera*, *interpretativa*, et *similitudinaria*. Et 1. *vera* est, quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium, ut ex *c. Praecipimus* 10. *dist.* 54. *et c. Debitum*, *de bigam.* Debet tamen utrumque matrimonium esse consummatum (et consummatum iuxta dicta *de matr. n.* 1075. neque probat Sanch. [2] cum aliis ex *c. Debitum*, *de bigam.* ubi expresse petitur ad bigamiam coniugium commixtione corporum consummatum), quia alias coniux non dicitur cum pluribus carnem suam dividere, nisi per copulam consummatam, cum de duabus una fiat caro; ita communiter Sanchez [3] Bonac. [4] Pal. [5] Salm. [6] et alii passim.

437. 2. Bigamia *interpretativa* contrahitur ab eo qui iuris interpretatione, sive fictione quadam, censetur duas habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Haec bigamia quadrupliciter contingit, ut docet d. Thom. [7]. *Primus* modus, quando quis ducit viduam iam cognitam, etiamsi ducat invalide, ut patet ex *c. A nobis*, *ult. de bigam.* Dicitur *cognitam*, nam secus esset si primus vir eam non cognoverit, ex *c. Debitum*, *eod. tit.*

438. *Secundus* modus, quando quis ducit mulierem corruptam ab alio, ita communiter cum d. Thom. [8] Sanchez [9] Pal.[10] Salm.[11] et aliis. Et patet *c. ult. dist.* 51. ubi declarantur irregulares *mariti corruptarum*, et ex *c. Curandum*, *dist.* 34. ubi Hilarius papa dixit: *Ne ad sacros ordines quisquam*, *qui uxorem non virginem duxit*, *aspiret*. Secus si quis duceret mulierem a se prius corruptam, ut communiter d. Th.[12] et Salmant.[13] cum Sanch. Palao Tolet. etc.

439. Sed hic dubitatur 1. An fiat irregularis qui ducit corruptam, credens bona fide virginem. Negant Sa Ledesma et alii apud Sanch.[14], quia haec irregularitas contrahitur ex proprio facto: ergo ad eam requiritur actio advertenter et voluntarie exercita. Affirmant tamen communiter et verius d. Thomas [15] Sanch.[16] Suarez[17] Layman[18] Cont. Tourn.[19] Concina[20] Barb.[21] Pal.[22] cum Nav. Abb. Avila et Garcia ac Salmant.[23] cum Soto Sayr. Henr. et Corn. Ratio quia irregularitas haec non est ex delicto, sed ex defectu significationis; unde bona fides non impedit ut caro viri dividatur cum corrupta, licet virgo credatur.

440. Dubit. 2. An sit irregularis qui

(1) 1. ad Tim. 3. (2) L. 7. d. 95. n. 6.
(3) De matr. lib. 7. d. 85. n. 4. (4) D. 7. qu. 2. p. 5. n. 2. (5) D. 6. p. 8. n. 2. (6) De cens. c. 9. p. 3. n. 25. (7) Suppl. q. 66. art. 1. (8) L. c.
(9) L. 7. d. 54. n. 7. (10) P. 8. n. 4.
11) De cens. c. 9. p. 3.

(12) L. c. art. 3. ad. 2.
(13) Ibid. n. 52. (14) De matr. l. 7. d. 84. n. 15
(15) Suppl. quaest. 66. art. 3. ad 3.
(16) N. 3. (17) D. 45. sect. 3. n. 15.
(18) C. 6. n. 3 (19) Part. 2. cap. 7.
(20) T. 10. p. 498. a. 11. (21) All. 49. n. 9.
(22) P. 8. n. 6. (23) Ibid. n. 30.

cum corrupta invalide contrahit ob aliquod impedimentum dirimens.

Prima sententia, quam sequimur, affirmat et hanc tenent Suar.[1] cum Rich. et communi, ut asserit, item Contin. Tourn.[2] et Covar. ac Corn. apud Salmant.[3]. Et probant ex *cap. A nobis ult. de bigam.*, ubi dicitur irregularis quidam diaconus qui viduam duxit, etiamsi nullum fuerit coniugium cum corrupta initum.

Secunda sententia vero negat et hanc tenent Sanch.[4] Pal.[5] Nav.[6] et Salm.[7] cum Valent. Corn. Henr. Diana et Pelliz.; ibi testatur Farin. ita a s. c. decisum. Ratio (ut aiunt) quia in praefato textu mentio fit de duobus coniugiis contractis, uno spirituali, nempe sacrae ordinationis, qua diaconus desponsatur cum ecclesia: altero carnali, licet invalido, et ideo diaconus ille declaratur irregularis, non quia cum vidua contraxit, sed propter bigamiam similitudinariam, ut explicabitur *num.* 448. Sed respondetur quod in textu citato non appelletur ille irregularis, quia duo matrimonia contraxit: revera enim non fuit maritus viduae, cum invalidum fuerit coniugium, sed quia *cum eo* (ait pontifex) *tamquam cum marito viduae dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere secuto.* Ergo non consideravit papa (in quantum ad rationem irregularitatis) coniugium spirituale in sacra ordinatione ab eo contractum, nam haec irregularitas inducitur, etiamsi quis constitutus in sacris virginem ducat, prout ostendemus *d. n.* 448. Sed eum declaravit irregularem, *tamquam maritum viduae, propter affectum intentionis;* ergo non obstat quod matrimonium sit nullum.

441. *Tertius* modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est quando quis cognoscit uxorem, postquam illa adulterium commiserit, ex *c. Si cuius* 11. *et c. Si laici* 12. *dist.* 34., et ita communiter Sanch.[8] Suar.[9] Pal.[10] Salm.[11] et Barb.[12] et alii omnes. Ratio quia vir cognoscens uxorem ab alio cognitam censetur ac si corruptam duxisset.

442. Sed dubit. 1. An talis vir fiat irregularis, si adulterium fuerit occultum. Negant Herincx et alii ap. Elbel[13] quia (ut aiunt) in *dict. can. Si cuius* dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum* (uxorem) *adulterium commisisse.* Affirmant vero Cont. Tourn.[14] Elbel[15] cum comm., ut asserit, et Bon.[16] cum Suarez Ugol. et Fill. Idque tenent, etiamsi mulier fuerit vi oppressa. Ratio quia haec irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis: et licet ista adultera non sit vera adultera, tamen vere carnem suam cum alio divisit, si seminationem habuit, ut requiritur. Verum Elbel[17] primam sententiam probabilem vocat, quia verba supra relata, *si evidenter fuerit comprobatum adulterium*, satis videntur excludere adulterium occultum; sed hoc non obstante, prima sententia mihi magis arridet.

443. Dubit. 2. An fiat irregularis qui ignorans adulterium uxoris illam cognoscit. Negant Glossa in *c.* 2. *de bigam. v. In bigamis*, ac Reb. Lop. Sa Ledes. etc. apud Sanch.[18]. Quia (ut aiunt) cognoscens uxorem, quam ignorat ab alio cognitam, non cognoscit modo rationali, unde non dicitur cognoscere adulteram. Sed communiter et verius affirmant Pal.[19] Bon.[20] Busemb. sup. et Sanch.[21] cum Nav. Soto Tol. Bellarm. Palud. Covar. et innumeris aliis. Ratio quia (ut diximus) haec irregularitas ratione bigamiae non est ex delicto, sed ex sacramenti defectu, qui culpam non requirit.

444. *Quartus* modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est, quando quis duo contrahit et consummat matrimonia, unum validum, alterum invalidum. Pro hac irregularitate non habetur textus expres-

(1) D. 49. sect. 3. n. 3. (2) L. c.
(3) C. 9. n. 31. (4) De matr. l. 7. d. 34. n. 11.
(5) P. 8. n. 4. (6) C. 27. n. 195. (7) L. c. n. 31.
(8) L. 7. d. 34. n. 15 (9) D. 49. s. 3. n. 16.
(10) P. 8. n. 6. (11) De cens. c. 9. p. 3. n. 33.
(12) All. 49. n. 8. (13) De irreg. p. 485. n. 268
(14) Loc. cit. (15) L. c. (16) Q. 2. p. 5. n. 3.
(17) L. c. (18) D. 34. n. 15. (19) P. 7. n. 6
(20) P. 5. n. 5. (21) L. c

sus, sed communiter dd. eam deducunt ex *c. Nuper*, *de bigamis*, ubi sermo fit de clerico qui ante sacrum ordinem matrimonium contraxit, deinde iam ordinatus aliud inivit, ibique dicitur tamquam bigamus reputandus, non propter sacramenti defectum, cum secundum matrimonium irritum fuerit, sed ob intentionis affectum ad duo matrimonia cum copula secuta; ita d. Th. [1] Tolet. [2] Salm. [3] cum Corn. et Led. ac Sanch. [4] cum Soto s. Antonino Palud. Bellarm. Valent.

445. Sed dubitatur 1. An fiat irregularis qui duo matrimonia contraxit, ambo invalida. Negant Diana [5], item Avila Con. et Henriq. apud Salm. [6] qui probabile vocant. Ratio quia (ut aiunt) hic casus non est expressus in iure. Sed probabilius affirmant s. Th. [7] Suarez [8] Bon.[9] Pal.[10] Cont. Tourn.[11] Concina [12] Salm. [13] cum Suar. Corn. et Sayr. ac Sanch.[14] cum s. Ant. Palud. Soto Tol. Bellarm. Sa Valent. Led. Lop. et aliis communissime. Et probatur ex *c. A nobis*, *de bigam.* citato *n.* 440. ubi (ut vidimus) ille diaconus qui viduam duxit, *tamquam maritus viduae*, fuit declaratus irregularis, *non propter sacramenti defectum*, *sed propter affectum intentionis*. Ergo solus affectus irregularitatem inducit.

446. Dubit. 2. An si quis contraxit duo matrimonia nulla in bona fide, incurrat irregularitatem. Negat Sanch.[15] cum Archid. Astens. et Bellamera, quia is potius censetur irregularis ex delicto quam ex defectu, cum in *c. Nuper*, *de bigam.* ille qui antea uxorem duxerat, et postea constitutus in sacris aliud coniugium contraxerat, dictus fuit irregularis, non propter defectum sacramenti, sed ob affectum intentionis, ergo ob crimen affectus punitus fuit; quando igitur non adest crimen, non incurritur irregularitas. Sed communius et probabilius affirmant Sylv. [16] Angel.[17], item Io. Andr. Anchar. Abb. Henr. etc. apud Sanch.[18]. Ratio quia in praefato textu non consideratur crimen affectus, sed affectus ad secundum matrimonium. Idque expresse confirmatur ex *c. A nobis*, *de bigam.* ut vidimus *n.* 440.

447. Dubit. 3. An incurrat irregularitatem qui ficte contrahit secundum matrimonium tantum ad copulam extorquendam. Negant Pal.[19] Diana[20], item Avila et Hurt. apud Salm.[21], quia tunc deficit affectus maritalis, qui requiritur in dicto *c. Nuper*, verbis tò *Propter affectum intentionis*. Sed probabilius affirmant Suar.[22] Tourn.[23] et Salmant.[24] cum Corn. Ratio quia ad irregularitatem non requiritur affectus ille ad duo matrimonia vere contrahenda, sed sufficit affectus ad duo matrimonia exterius ineunda.

Idem videtur procedere respectu viri qui contraxit cum violata, credens illam virginem, de quo dictum est *n.* 439. Et idem respectu viri ignoranter reddentis debitum adulterae, quae sit occulta, vel quae violenter fuerit oppressa, iuxta dicta *n.* 442. *et* 443.

448. 3. Demum bigamia *similitudinaria* est illa quae contrahitur ex attentatione matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta vel virgine, post votum solemne emissum in religione approbata, vel post susceptionem sacri ordinis. Huiusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes attentant matrimonium contrahere, ita communiter dd. Suarez[25] Anacl.[26] Sanch.[27] Salm.[28] et alii passim ex *c. Quotquot* 23. *et c. Monacho* 32. 27. *q.* 1. Dummodo tale matrimonium sit consummatum, ut adhuc communiter dd. docent, utque habetur ex

(1) Suppl. qu. 66. art. 2. (2) L. 1. c. 26. n. 4.
(3) De cens. c. 9. p. 3. n. 26. (4) D. 34. n. 3.
(5) P. 4. tr. 2. r. 33. (6) Ibid. n. 23.
(7) Suppl. qu. 66. art. 2. (8) D. 49. s. 2. n. 11.
(9) P. 5. n. 2. (10) P. 3. n. 10.
(11) L. c. v. Quaeres 3. (12) P. 493. n. 11.
(13) Dict. n. 23 (14) L. 7. d. 34. n. 3.
(15) D. dist. 34. n. 6. (16) Verb. Bigamia qu. 7.
(17) Eod. verb. n. 9. (18) L. c.
(19) P. 3. n. 7. (20) P. 4. tr. 2. r. 33.
(21) De cens. c. 9. p. 3. n. 27. (22) D. 49. s. 2. n. 10. (23) P. 61. q. 3. (24) L. c.
(25) D. 49. s. 3. n. 2. et 6. (26) P. 517. n. 42.
(27) L. 7. d. 35. n. 3. (28) De cens. c. 9. p. 3. n. 36

dicto c. Monacho, ubi: *Si postea uxori fuerit sociatus.*

449. Minime autem sunt audiendi Hurt. et Tann. apud Salm.[1], item Abb. Hostiens. et Archid. apud Suar.[2] (qui improbabiliter id probabile putat) dicentes hanc irregularitatem incurri tantum a monachis professis. Nam communissime docent aa. eam incurri etiam a clericis constitutis in sacris, ita idem Suar.[3] Salm.[4] Anacl.[5] Nav.[6] Tol.[7] et Sanch.[8] cum Sa Valent. Graff. Led. Gabr. Philiarch. et aliis pluribus. Idque clare probatur ex *c.* 1. *Qui clerici vel mon. etc.*, ubi dicitur posse episcopus post peractam poenitentiam dispensare cum diacono qui uxorem duxerit ad ordinem ministrandum; ergo diaconus ille iam habetur ut irregularis. Item in *c.* 2. *eod. tit.* dicitur quod episcopus non permittat subdiacono qui matrimonium contraxit ministrare. Quamvis igitur (ait Sanchez) talis clericus non esset irregularis ex defectu ob bigamiam similitudinariam, saltem tamen incurrit irregularitatem ob delictum. Recte autem reiicit Sanchez[9] opinionem illorum qui dicunt fieri irregularem qui matrimonium contrahit post simplex votum castitatis, cum hoc in nullo iure sit expressum. Sic pariter ex eadem ratione nec est irregularis laicus qui ducit monialem professam, quia iura loquuntur tantum de contrahente post proprium votum, Sanchez[10] et Salm.[11] cum Sayr. Corn. et Henr.

450. Quaeres hic quomodo tollatur haec irregularitas. Dico 1. quod haec irregularitas non tollitur per baptismum, ut docent communiter s. Th.[12] Suar.[13] Sanch.[14] et Salm.[15] cum Corn. Pelliz. etc. et videtur expressum in *c. Si quis viduam* 15. *dist.* 34. Dico 2. quod papa bene possit in illa dispensare, et licet in canonibus de bigamis dicatur: *Cum bigamis non licet dispensare*, tamen hoc intelligendum sine gravi causa, ut docent Sanch.[16] Conc.[17] Salm.[18] cum Sayr. et Corn., item Cont. Tournely[19] cum communi, qui ita fert dispensasse Lucium III. ex Glossa in *c. Lector* 18. *dist.* 34. Nec obstat dicere hanc irregularitatem institutam fuisse a d. Paulo, iuxta dicta *n.* 436. Nam respondetur quod constitutiones apostolorum, praecise ut tales, non transcendant ius humanum, in quo utique papa omnem potestatem habet.

451. Episcopus autem, si bigamia fuerit vera aut interpretativa, minime potest in ea dispensare, neque ad ordines sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in susceptis, neque ad beneficia ipsis annexa recipienda, ut communiter docent d. Th.[20] et Salm.[21] cum aliis passim, et patet ex *c. Super eo, de bigam.* Nec obstat textus in *cit. c. Lector*, ubi dicitur Martinus papa declarasse, quod episcopus possit dispensare cum bigamo ut fiat subdiaconus. Nam respondent Suar.[22] et Cont. Tournely[23] errasse Gratianum asserendo praedictum canonem esse Martini papae, cum plures aa. probent fuisse Martini Bracharensis collectoris multorum canonum ex diversis conciliis particularibus. Sed dato quod fuisset Martini papae, tamen, cum in toto titulo de bigamis prohibeantur episcopi a dispensando in bigamia, videtur certum praedicto canoni fuisse derogatum. Praeterquam quod dicunt Salm.[24] quod tempore Martini papae subdiaconatus non adhuc erat ordo sacer.

452. Sed rogatur an possit episcopus dispensare cum bigamo quoad ordines minores et beneficia simplicia suscipienda. Affirmant d. Thom.[25] Navar.[26] Sanchez[27] Conc.[28], item Palud. Azor Avil. Comit. et alii apud Pal.[29] et probabile putat Suarez[30]. Ratio quia per

(1) L. c. (2) D. 49. s. 5. n. 4. (3) N. 8. (4) Dict. n. 36. (5) D. n. 42. (6) C. 27. n. 195. (7) Lib. 1. c. 26. n. 7. (8) D. 85. n. 5. (9) N. 11. et 17. (10) N. 12. (11) De cens. c. 9. p. 3. n. 36. (12) D. q. 66. q. 4. (13) D. 49. s. 5. n. 10. (14) L. 7. d. 83. n. 9. (15) Ibid. n. 37. (16) L. 7. d. 86. n. 6. (17) P. 499. n. 14. (18) L. c. n. 38. (19) Part. 2. c. 7. v. Quaeritur 1 (20) Suppl. q. 66. art. 5. (21) Ibid. n. 39. (22) D. 46. sect. 6. n. 5. (23) L. c. v. Quaeritur (24) Dict. n. 39. (25) In 4. d. 27. q. 3. art. 3. (26) Cap. 27. n. 197. (27) L. 7. d. 86. n. 11. (28) P. 599. n. 14. (29) D. 6. p. 8. n. 17. (30) D. 49. sect. 6 n. 5.

susceptionem minorum ordinum initiati non mancipantur irrevocabiliter cultui divino, et ideo episcopis concedi aiunt huiusmodi dispensationem. Sed verius negant Suarez [1] Cont. Tourn.[2] Laym. [3] Barb. [4] Bon.[5] et Palaus [6] cum Garcia ex declar. s. c. Et probatur ex Trident. [7], ubi vetatur assumere bigamos ad ministeria ordinum minorum, et ex *c. un. De bigam. in* 6., ubi bigami expoliantur omni privilegio clericali: sed clarius probatur ex declarat. Sixti v. apud Fagn. [8], qua declaravit pontifex suspensum quemdam episcopum, eo quod contulit bigamo beneficium simplex, et ordinatum incidisse dixit in poenas male promoti. Adversarii contra minime probant unde episcopi talem facultatem habeant. In bigamia autem similitudinaria bene possunt episcopi dispensare, etiam ad ordines sacros suscipiendos et ministrandos, ut docent Tolet. [9] Salm.[10] Suar.[11] Sanch.[12] Cont. Tourn.[13] et Pal.[14] cum Garcia et aliis pluribus, idque probatur ex *c. 4. De cleric. cong. et c. 1. Qui cler. vel vov.* Et hoc currit (ut notant Salm.[15] cum Corn. et Henr.) etiamsi crimen fuerit publicum, cum haec irregularitas proveniat ex defectu non ex delicto. Recte vero excipit Contin. Tourn. cum communi, si talis clericus duxerit viduam vel corruptam, aut si ante ordinationem fuerit cum aliqua muliere coniugatus.

453. Praelati autem regulares ex privilegio Sixti IV. possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia, praeter privilegium Pauli III. (relatum a Salm.[16]) in quo conceditur ipsis facultas dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate, bigamia non excepta, ita Pal.[17] et Salm.[18] cum Pelliz. Henr. Machad. Leand. etc.

454. « *Sexta* oritur ex infamia, sive iuris (quae vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione personae nascitur), sive facti, modo crimen publicum sit, ex occulto enim non oritur, si homicidium et censurae violationem excipias, ut docent Nav. Con. Laym contra Sylv. et Suar. qui ex occulto etiam oriri putant, modo infamiam ipso iure connexam habeat. Porro infamia ob crimen notorium vel per sententiam iudicis contracta non tollitur, nisi per dispensationem principis, cuius auctoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine, et digna depositione, tollitur per publicam et constantem vitae emendationem (*Vide dicta n.* 362. *v. Haec.* Irregularitas enim ob infamiam ex defectu et ex delicto in idem coincidunt).

455. » *Septima* oritur ex defectu libertatis. Unde irregulares sunt 1. Omnes servi proprie dicti (et secundum Laym.[19] etiam originarii), donec consequantur plenam libertatem. »

Servus, qui sciente et non contradicente domino ordinatur, etiam ad primam tonsuram, eo ipso liber manet, *cap. Si servus et cap. Nulli, dist.* 54. Poterit tamen dominus eum manumittere cum conditione ut serviat in iis quae statui clericali non repugnant, ex *cap. Nullus, de servis non ordin.* Si vero servus ordinetur, ignorante domino, remanet servus, nisi constituatur in sacris, et nisi insuper domino reddatur duplum ab episcopo, vel ab aliis cooperantibus, vel ab ipso servo, qui quando impotens est satisfaciendi remanet servus, si est diaconus, si vero sit sacerdos debet domino inservire in omnibus quae statum non dedecent, et missas pro domino offerre, nisi dominus per annum sciens illum esse ordinatum dissimulet, eumque non revocet. Ita Salm.[20] ex canonibus ibi allatis.

456. « 2. Sunt irregulares coniugati, nisi uxores consentiant et castitatem voveant (*De hoc vide dicta de sacram. ord. l.* 6. *n.* 812.). 3. Curiales, id est curiae saeculari obligati, facto iuramento vel stipendio, ut iudices, advo-

(1) L. c. (2) L. c. v. Dico 2. (3) C. 6.
(4) Aff. 48. n. 25. (5) D. 7. p. 5. n. 15.
(6) N. 18. (7) Sess. 23. c. 17. (8) Lib. 1. in c. super eo de bigam. (9) Lib. 1. c. 26. concl. 6.
(10) De cens. c. 9 p. 3. n. 41. (11) N. 18.
(12) N. 20. (13) L. c. v. Dico 3. (14) N. 19.
(15) Dict. n. 41. (16) Eod. tr. c. 7. p. 4. n. 39.
(17) P. 8. n. 21. (18) De cens. c. 9. p. 5. n. 42
(19) L. 2. t. 1. c. 3. (20) L. c. n. 5. n. 60. et 61

cati etc., quamdiu talia officia habent (Ut habetur in *c.* 1. 2. *et* 3. *dist.* 51. *et c. un. de oblig. ad ratioc.* Excipiuntur tamen ex tacita concessione pontificis vel ex consuetudine consiliarii regis constituti pro casibus civilibus, ut docent Laym. Pal. Suar. Corn. cum Salm. [1]). Excipe tamen, nisi habeant specialem dispensationem papae pro illis officiis, uti quidam clerici in aulis principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus occupati, vel nisi consuetudo sciente papa id permittat. 4. Milites, saltem quamdiu iuramento tenentur, item thesaurarii et depositarii publici, et qui remp. administrant (*Vide dicta lib.* 3. *n.* 838.). Item apparitores et similes, qui saeva aut turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. M. Leo [2].

457. » *Octava* ex defectu lenitatis, scilicet ex licita mutilatione, vel homicidio in bello iusto vel iudicio. Quod ideo statuit ecclesia, quia sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus neminem unquam laesit. Ad hanc autem requiritur ut occisio aut mutilatio de facto sequatur. Unde non sufficit voluntas, nec vulneratio gravis. Bon. [3] Tan. [4].

Unde resolves:

458. » 1. Non fit irregularis qui mutilat vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitae, castitatis etc., vel etiam proximi, quia in iure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello iusto vel iudicio. Tann.[5] (*Vide dicta n.* 389.).

459. » 2. Irregularis fit in bello, qui mutilat vel occidit propria manu, non autem clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello iusto (secus tamen si ad occidendum hunc vel illum in particulari), idem est de duce exercitus, tubicine etc. Bon. [6] (Clericus si est in sacris, vel beneficiatus, et militat in bello, fit irregularis, si aliquando sclopum adhibuerit in aliquo conflictu, etiamsi iuramentum praestaret nullum laesisse; vide card. Lamb. [7]).»

In bello igitur iusto defensivo utique non fit irregularis qui occidit, ita Salm. [8] Holzm. [9] et alii communiter, id patet ex *c.* 2. *de immunit. eccl. et Clem. un. de homic.* In bello autem iusto offensivo qui occidit est irregularis, non vero si alii occidant, Holzm.[10] et Bened. XIV. [11] ex *c. Petitio tua*, *c. Dilectus*, *c. Significasti*, *et c. De homic.* In bello vero iniusto si unus moriatur, omnes sunt irregulares, ut certum est apud omnes cum d. Th.[12]. Hic notandum clericum (modo fuerit in sacris, aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi iuret se ne unum quidem laesisse, ut legere est ap. Lamb.[13].

460. Qui hortatur ad occidendum in genere, etiamsi bellum sit offensivum, modo iustum, non est irregularis, ita communiter cum Busemb. Bon.[14] Cont. Tourn.[15] Conc.[16] et Salm.[17] ac alii passim, ex dicto *c. Petitio tua*, ubi declaratur irregularis tantum is qui occidit. Quid si quis in bello iusto hortetur ad occidendum in particulari? Bus. ut supra et Bon. hunc non eximunt ab irregularitate. Sed probabiliter contradicunt Salmant.[18], quia tam in praefato textu quam in aliis sermo fit tantum de occidente sive de mutilante, non de exhortante.

461. « 3. In iudicio iusto irregulares fiunt qui ad mortem vel mutilationem cooperantur active et efficaciter et proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam (Ita *ex Clem. un. Si furiosus*, *de hom. et c. clericis*, *cap. Sententiam, ne cler. vel mon.*, item *cap. Ex litteris, de excess. praelat. etc.*). Dicitur 1. *Cooperantur*, ut iudex ferens sententiam, notarius eam scribens, ministri exequentes, testes etc. (Transcribens vero sententiam non incurrit, ut communiter Bonac.[19] cum Suarez Fill. Ugol. Reg. etc. Imo Natalis ab Alexand.

(1) De cens. c. 9. p. 5. n. 64. (2) P. 5. f. 369. (3) D. 7. qu. 4. (4) D. 6. qu. 10. d. 11. (5) Loc. cit. (6) P. 4. (7) Notif. 101. n. 19. infra. (8) De cens. c. 9. p. 2. n. 20. (9) N. 585. (10) Loc. cit. (11) Not. [illegible]

(12) 2. 2. quaest. 64. a. 8. (13) Notif. 101. n. 19. (14) D. 7. qu. 4. p. 4. n. 7. (15) De irreg. part. 2. cap. 8. art. 4. v. Quaeres 2. (16) P. 501. n. 18. (17) 2. 9. n. 19. (18) Dict. n. 19. (19) D. 7. q. 4. p. 1. n. 5.

et Cabassut. apud Cont. Tourn.[1], idem tenent etiam de scribente).

462. » Dicitur 2. *Active*, idest ex parte occidentium, quia non fit irregularis qui se tantum habet passive et ex parte eius qui occiditur, ut confessarius hortans ad fatendum veritatem vel ad acquiescendum sententiae iustae, quam non potest differre, nisi appellatione iniusta. Corn. et Diana[2] (Ita etiam Holzman [3] Cont. Tourn. [4]).

463. » Dicitur 3. *Efficaciter*, (quia adiuvans, v. gr. ferens ligna, ut comburatur ante iam suffocatus non fit irregularis, nec assistens supplicio, si sua praesentia in illud non influat. Ita Suar. [5] Pal. [6] Bon. [7] et Salmant. [8] cum Avila Diana et Giball. communissime contra Sayrum. Nec obstat textus in *cap. Sententiam*, *ne cler. vel mon.* ubi vetatur clericis interesse huiusmodi suppliciis, quia hic canon vel est abrogatus vel tantum venialiter obligat, ut docent Bon.[9] Salm.[10], ac Cont. Tournely[11] testatur esse communem sententiam cum Avila et Cabass. id non excedere venialem culpam; imo ibi Nav. et Avila censent minime in hoc peccare clericos in minoribus).

464. » Dicitur 4. *Proxime*, quia qui remote tantum cooperantur non fiunt irregulares, ut qui gladios faciunt aut vendunt, item legislator leges capitales condens (Ex *c. Delatori*, *caus.* 5. *qu.* 6., aut suadens regi legem ferre, Salm.[12]). Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores (Ut Salm.[13] cum communi). Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, iudicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere, quia hi omnes sunt tantum causa remota (Hoc etiam est commune apud omnes: vide Salm. [14]). Essent autem proxima, ideoque irregulares, si quid facerent aut dicerent in particulari, ex quo mors alicuius sequeretur aut etiam accelaretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum ut scalam ascenderet vel ad hoc illum iuvaret, vel si iudici in particulari responderet, hunc esse plectendum (Sentiunt itaque cum Busemb. Bonac. [15] ac Avila Sayr. Henr. etc. apud Salm. [16] fieri irregularem confessarium sive alium qui consultus a iudice in particulari de reo aliquo, respondet ei esse occidendum. Sed probabilius id negant Holzm. [17] cum Mol. et Laym. Pal. [18] et Salm. [19] cum Vasq. Pelliz. Hurtad. Turrian. etc. Ratio quia irregularitas haec ex defectu lenitatis inflicta est tantum concurrentibus ad occisionem aut mutilationem ut ministris necessariis, non vero aliis et praesertim iuste concurrentibus. Addunt probabiliter Cont. Tourn.[20] Busemb. et alii infra *n.* 466. nec fieri irregularem confessarium, si moneat carnificem ut suo munere iam fungatur).

465. » Possunt tamen subinde etiam proxime cooperantes excusari ab irregularitate, v. g. 1. Si fiat ex indeliberatione aut cum semiplena tantum advertentia, v. gr. si dicat confessarius, *properemus* aut instiget iumentum quo reus vehitur. 2. Si cooperatio sit valde exigua, ut si iubeat reum adhuc unum gradum ascendere, quia minimum reputatur pro nihilo, Avila et Henr. apud Bon. [21]. Item Suarez Regin. Laym. etc. (contra Vasq. Turr. Hurt. Bann. etc.) qui censent ex homicidio neminem fieri irregularem, nisi concurrat ut publicus minister iustitiae sive ad causae probationem sive executionem, vel ut privatus iniuste et cum peccato. Quam sententiam probabilem censet Diana[22] (Et revera valde probabilis est iuxta annotationem mox supra appositam). Hinc negant fieri irregularem 1. confessarium vel alium quemcumque qui furem hortatur ut scalam ascendat, caput supponat ad ictum excipiendum. 2. Eum qui carnifici dicit

(1) L. c. arv. 3. v. Dico 3. (2) P. 4. t. 2. r. 99. (3) N. 537. (4) L. c. v. Dico 7. (5) D 47. sect. 4. n. 10. (6) P. 23. §. 4. n. 2. (7) P. 1. n. 18. (8) De cens. c. 9. p. 1. n. 2. (9) P. 1. n. 16. (10) L. c (11) L. c. Dico 5. v Quale. (12) Ibid. n. 7 (13) L. c. (14) Dict. n. 7. (15) P. 1. n. 6. (16) De cens. c. 9. p. 1. n. 8. (17) N. 537. (18) §. 3. n. 7. et 8. (19) Loc. cit. (20) L. c. v. Dico 7. (21) Q. 4. part. 1. n. 9. (22) P. 3. t. 4. r. 79. et in addit. r. 15. et p. 8 tom. 7. r. 61.

ut aliquid aptet quo citius extinguatur reus. 3. Qui dum reus ad supplicium ducitur, suggerit viam breviorem. 4. Qui vendit vel commodat scalam, funes et caetera instrumenta, etiam qui furcam fecit. 5. Qui interrogatus a iudice an teneatur reum condemnare, respondit teneri. 6. Eum qui carnifici putanti suspensum iam esse mortuum, significavit adhuc vivere, ex quo calcans iterum pede occidit (Ita etiam Salmant.[1] cum Pal. Pelliz. Hurt. Turrian. Diana Machad. etc.).

466. » Dicitur 5. *Per actionem ex natura sua*, etc. id est quae per se sit causa talis effectus: quia effectus per accidens non imputatur danti operam rei licitae. Hinc non fit irregularis dicens carnifici: *Nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci* (Ita probabiliter etiam dicunt Cont. Tourn. [2] et Salm.[3] cum Avila et Henr.). Nec iudices ecclesiastici degradatum tradentes brachio saeculari, nec clerici accusantes aliquem in causa criminali; modo expresse protestentur se non intendere ut puniatur poena sanguinis, sed tantum ut sibi vel suis satisfiat, vel impediantur mala sibi aut aliis imminentia. Vide Bon. [4] Tann. [5] etc.

467. Ex *c. Sententiam sanguinis, ne cler. vel mon.* vetitum est clericis in sacris constitutis vel beneficiariis, et omnibus regularibus se intromittere in causam sanguinis (intelligitur, unde mors aut mutilatio sequatur) iudicando vel testificando, exequendo, etc. Et ideo peccant mortaliter, si quomodolibet ad illam adiuvant.

468. Fiunt autem irregulares omnes qui ad sententiam sanguinis concurrunt, et 1. *Iudices*, eorumque assessores, non vero domini temporales, etiam ecclesiastici, committentes aliis huiusmodi causas, ex *c. ult. Ne cler. vel mon.* 6., nisi ipsi iubeant ut iudex aliquem in particulari suspendere, vel sententiam statim exequi faciat, Pal. [6] et Salm. [7] cum Henr. Corn. 2. Testes voluntarii qui libere se offerunt ad testificandum contra reum, etiamsi protestentur non intendere sententiam sanguinis; nam si coacti sint ad testimonium faciendum sane excusantur, ut recte docent Suarez [8] Bonac.[9] Pal. [10] et Salm.[11] cum Con. et communi. Et idem dicendum de advocatis et procuratoribus accusatoris coactis ad eum tuendum, Salm.[12] cum iisdem. 3. Accusatores vel denuntiatores (sive formales sive materiales, nempe si tantum exhibeant querelas, ut ait Tambur.[13]), qui coram iudice saeculari accusant reum de crimine digno sententia sanguinis, criminalem petentes vindictam. Et tunc tam clericus quam laicus accusans fiunt irregulares, ut communiter Bon. Pell. Pal.[14]. Cum hac autem differentia quod clericus praeter irregularitatem quam incurrit, peccet mortaliter, si est in sacris vel beneficiatus, et accuset sine iusta causa; vel si adsit causa, et accuset sine protestatione, ut Salmant.[15]. Minime tamen irregularitatem incurrit accusator (sive laicus sive clericus) qui accusat reum tantum ut proprium damnum praecaveat, vel sibi resarciatur, facta protestatione se non velle poenam sanguinis, ut habetur ex *c. Praelatis, de homic.* in 6. Et hoc currit etiamsi talis protestatio ficte ponatur, ut Suar.[16] Bon.[17] Pal.[18] et Salm.[19] cum Avila Con. Fill. Pelliz. Corn. Henr. etc. Nec non etiamsi fiat protestatio post accusationem, dummodo ante sententiam, Bon.[20] Sayr. Pell. et Salm.[21]. Advertendum vero quod protestatio solum suffragatur in causa propria, non autem in causa aliorum, nisi hi sint cognati usque ad quartum gradum, ut Pal.[22] Conc.[23] et Salm.[24] cum Bonacina Corn. Pell. Henr. etc., vel nisi causa sit propriae ecclesiae, ut Suar.[25] et Bon.[26] cum Mol. Sayr. Avila Fill. Ugol. Rodr.

(1) De cens. c. 9. p. 1. n. 9. ad 11.
(2) L. c. v. Dico 7. (3) Ibid. n. 10.
(4) Qu. 4. (5) L. c. (6) §. 1. n. 6.
(7) De cens. c. 9. p. 1. n. 5.
(8) D. 47. sect. 3. n. 4. (9) P. 3. n. 8.
(10) §. 3. n. 3. (11) Ibid. n. 12. (12) Ibid.
(13) §. 11. n. 3. p. 293. (14) C. 9. n. 18.
(15) L. c. n. 2. (16) D. 47. s. 2. n. 3.
(17) P. 2. n. 11. (18) §. 3. n. 2.
(19) Ibid. n. 13. (20) N. 8. (21) Ibid.
(22) §. 2. n. 6. (23) P. 300. n. 19.
(24) Ibid. n. 17. (25) N. 20. (26) N. 5.

Henr. etc.; idem ait Conc. si causa sit domesticorum. Item si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut non possint alia via reparari, bene potes et quandoque debes clericum reum accusare post protestationem, imo etiam protestatione omissa, ut aiunt Salm. [1] quia talis accusatio est mera defensio innocentis.

469. Quaeritur an episcopi possint dispensare in hac irregularitate, si fuerit occulta. Affirmant Diana Sa Barb. etc. apud Salm.[2], quia Trident. concedit eis dispensare in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. Sed verius Bonac. [3] Pal. [4] et Salmant. [5] cum Bon. Ban. Hurt. Pal. etc. omnino dicunt esse negandum, quia concilium clare ibi loquitur tantum de irregularitatibus provenientibus ex delicto. Praelati autem regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregularitate, sive occulta sive publica, quia regulares concessionem universe habent dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, iuxta limitationem datam *n.* 396. Ita Diana [6] et Salmant. [7] cum Lez. Bord. Diana Cand. Villal. etc.

FACULTATES S. POENITENTIARIAE

470. Hic ultimo operae pretium est adnotare in quibus casibus aut censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, aut aliis poenis recurri possit ad s. poenitentiariam pro absolutione, dispensatione aut relaxatione. In bulla quae incipit *Pastor bonus*, edita a n. ss. p. Bened. XIV. die 13. apr. 1744., habetur posse s. poen. 1. absolvere a quibuscumque casibus et censuris, etiam bullae Coenae, regulares pro utroque foro; saeculares vero tam ecclesiasticos quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a iure, et etiam ab homine, si expirata sit iurisdictio iudicis, vel si lator censuras illas reservavit sedi apostolicae, modo iudici et parti satisfecerint. Quod si pars iniuste refutet satisfactionem oblatam, potest poenitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. 2. Posse absolvere haereticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut haereticos; item publicos haereticos, casu quo non est opus complices denuntiare. Posse etiam absolvere principes, administratores rerum publicarum, et episcopos ac alios praelatos a casibus publicis bullae Coenae. 3. Posse dispensare in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus et irregularitatibus propter haeresim, modo fuerint penitus occultae. 4. Posse dispensare cum homicidis et aliis, ut valeant profiteri in religione approbata, et fieri deinde etiam sacerdotes. 5. Cum male promotis, ut omissos ordines possint clam suscipere, non servatis insterstitiis et temporibus, non autem sacros una die. 6. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. 7. Posse convalidare titulos beneficiatorum cum occulta inhabilitate obtentorum. 8. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. 9. Posse cum gallis, belgis, polonis, et ulterioribus remittere fructus male perceptos; componere vero cum italis, hispanis etc. et cum pauperibus etiam remittere. 10. Posse remittere partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus, et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. 11. Posse absolvere qui munera acceperint a regularibus, modo non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel praestita obligatione satisfaciendi. 12. Cum puellis quae virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae, vel cum virginibus, ut intrent monasterium mulierum poe-

(1) De cens. c. 9. p. 1. n. 17.
(2) P. 2. ibid. n. 25
(3) P. 2. n. 13.
(4) §. 5. n. 7.
(5) L. c.
(6) P. 2. tr. 4. r. 69.
(7) Ibid. n. 24.

nitentium. 13. Posse relaxare iuramenta, quae non sunt in favorem alterius. 14. Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. 15. Dispensare commutando in alias preces vel alia pia opera super recitationem divini officii. 16. Dispensare in occultis cum regularibus quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus et poenis, non autem in publico defectu natalium quoad generalatum, in publicis vero nonnisi auditis superioribus. 17. Posse absolvere apostatas a censuris cum reincidentia, si non redeant intra praefinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint, usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere ut ipsi transeant ad alium ordinem. 18. Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia, non tamen ad ordinem s. Benedicti antiquioris observantiae, neque ad consimiles congregationes cuiuscumque ordinis. Idem quoad moniales ultra montes. 19. Posse absolvere et dispensare super defectibus et censuris, etiam ob clausurae violationem. 20. Item concedere confessarium monialibus (*Vide dicta de hoc l.* 6. *n.* 576.). 21. Vacante sede apostolica, habere facultatem in foro conscientiae etiam in casibus, a quibus vivente pontifice non poterat, tamen cum reincidentia, si ad novum pontificem petentes non se praesentent, hancque facultatem post cardinalis poenitentiarii ingressum in conclavem transire ad signaturam. Alia quae pertinent ad matrimonii materiam *vide l.* 6. *n.* 1144. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata bulla *Pastor bonus*.

Demum hic nota quod, cum litterae s. poenitentiariae committuntur magistro theologiae vel decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii societatis Iesu designati a generali vel provinciali de eius licentia, ut concessit Greg. XIII. 3. april. 1582. Et idem possunt lectores iubilati ordinis minorum ex concessione Innocentii XI. 27. nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes regulares in privilegiis eorum communicantes, ita refert Elbel [1].

(1) T. 3. conf. 20. p. 506. n. 513.

LAUS

IESU NOSTRO REDEMPTORI ET MARIAE IMMACULATAE

NOSTRAE REGINAE ET MATRI

ELENCHUS QUAESTIONUM

Quas Auctor, post primam Neapolitanam Operis editionem, rebus ad seduliorem trutinam revocatis, reformavit. In qualibet autem harum Quaestionum prius annotatur locus libri primae editionis, postmodum locus secundae, ubi facta est correctio.

Quaestio 1. An legatarius possit sibi compensare legatum relictum in testamento non solemni. In priori libro (*col.* 13. *vers.* 3. *Probabile etiam*) relata est opinio Les. Mol. Gran Salm. etc. qui id probabile dixerunt. Sed in hoc praesenti libro id reprobatum est. Vide *l.* 1. *n.* 35. *vers. Attamen.*

» 2. An debitor donans aliquid suo creditori immemor debiti, excusetur a restitutione? In primo libro (*col.* 13. *v. Hinc* 1.) relata est opinio Rebelli, Card. et Dianae, qui probabilem putarunt opinionem affirmativam. Sed vide limitationem in hoc *lib.* 1. *n.* 34. *et l.* 3. *n.* 700. *v. qu.* 2. (*Limitatio, quam s. Auctor hic indicat, ex edit. rom.* 1757. *haec est*: dummodo debitor memor tunc debiti non donasset).

» 3. An fur mittens domino rem furatam per virum fidelem teneatur ad iterum restituendum, si ille non reddat. In primo libro (*col.* 14. *v.* 6. *Similiter*) Pal. Sot. Ledes. et Gabriel adducuntur qui id negaverunt. Sed in hoc absolute affirmandum probatur. Vide *l.* 1. *n.* 39.

» 4. An sit obligatio ex superfluis statui elargiendi eleemosynam pauperibus laborantibus paupertate communi. In primo libro (*col.* 80. *lit. A.*) relata est opinio *Sot.* Nav. s. Antonini. Vasq. etc. qui id negarunt. Sed in hoc melior visa est sententia opposita. Vide *l.* 2. *n.* 32. *v. Quaeritur.*

» 5. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia in legem humanam. In primo libro (*col.* 83. *lit. A. v. quaer. hic*) visa est probabilior opinio negativa. Sed in hoc affirmativa probabilior visa est. Vide *l.* 2. *n.* 36.

» 6. An qui inducit, sive directe sive indirecte proximum ad peccandum, semper peccet peccato scandali. In primo libro (*col.* 85. *lit. A.*) dictum est cum Pal. Sanch. Bonac. Azor. etc. probabile esse quod is non peccet contra caritatem, nisi expresse intendat ruinam spiritualem alterius. Sed in hoc visa est vera sententia affirmativa. Vide *l.* 2. *n.* 45.

» 7. An semper in confessione sit explicanda circumstantia inductionis ad peccandum. In primo libro (*col.* 86. *v. Nota*) reprobata est sententia negativa. Sed in hoc vide *dicta l.* 2. *n.* 46.

» 8. An sit peccatum mortale petere ab aliquo quidquam quod ille non praestabit sine mortali, si iam sit paratus ad peccandum. In primo libro (*col.* 86. *v. Quaer.* 2.) relata est opinio Sot. Suar. et Azor. qui id negarunt. Sed in hoc dictum est sequendum esse oppositum. Vide *l.* 2. *n.* 47.

» 9. An peccent graviter mulieres ad sui ornatum partem pectoris ostendentes. In primo libro (*col.* 89. *lit. C. et col.* 250. *in fine*) actum est de hoc puncto sequendo doctrinam Laymanni Caiet. Navarr. Salmant. etc. Sed vide quomodo limitetur in hoc. Vide *l.* 2. *n.* 55. *v. quaer.*

» 10. An liceat famulo comitari herum ad lupanar, vel eum ducere curru vel sella. In primo libro (*col.* 94. *lit. B.*) relata est opinio Busembai Nav. Manuel. etc. dicentium licere sola ratione famulatus. Sed in hoc requiritur saltem causa gravis damni subeundi. Vide *l.* 2. *n.* 64.

» 11. An liceat famulo ratione famulatus deferre munera meretrici domini. In primo libro (*col.* 94 *in fine qu.* 2.) relata est opinio Busembai et Sanch. id permittentium, si sit de esculentis et poculentis. Sed in hoc negatur. Vide *l.* 2. *n.* 65.

» 12. An liceat famulo ob metum mortis subiicere humeros, vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, aut vi aperire ianuam. In primo libro (*col.* 95. *qu.* 4.) id omnino negatum est. Sed in hoc vide *dicta l.* 2. *n.* 66. *v. Q.* 4.

» 13. An liceat vendere vinum ei qui vendet mixtum aqua. In primo libro (*col.* 69. *lit. C v. Pariter*) adducta est opinio affirmativa Palai Sanch. et Tamb. si aeque commode aliis vendi non possit. Sed in hoc id non admittitur, nisi ob metum mortis, vel infamiae. Vide *l.* 2. *n.* 69. *v. Qu.* 7.

» 14. An liceat vendere ornatus puellae abusurae. In primo libro (*col.* 96. *lit. D. v. Eodem.*) relata est opinio La Croix citantis Nav. Azor. Sanch. Bonac. etc. qui dicunt licere, si illa aeque hos emeret al-

aliis. Sed in hoc id non admittitur, nisi venditor notabile patiatur incommodum. Vide *l.* 2. *n.* 71. *v. Eodem.*

» 15. An liceat aurigis et nautis, ob solum lucrum mercedis, vehere meretricem ad amasium. In primo libro (*col.* 98. *v.* 8. *Licet*) dictum est licere cum Salm. Sanch. Azor. Navar. etc. Sed in hoc id non admittitur nisi ob metum gravis damni. Vide *l.* 2. *n.* 75. *v. An autem.*

» 16. An sit peccatum mortale sine gravi causa petere mutuum ab usurario parato, vel sacramentum a sacerdote peccatore parato ad ministrandum. In primo libro (*col.* 97. *n.* 4. *v. Utrum autem, et n.* 7. *v. Sed quaestio.*) relata est opinio Lugonis Soti Sanch. Caiet. Led. Man. etc. qui id negarunt. Sed in hoc dictum est id esse mortale tam contra caritatem, quam contra iustitiam, nisi gravis causa necessitatis vel utilitatis interveniat. Vide *l.* 2. *n.* 47. *et* 77. *v.* 4. *Licitum*, loquendo de usurario; et *n.* 79. de sacerdote peccatore.

» 17. An volenti frangere ieiunium liceat sine gravis incommodi causa cibos praebere. In primo libro (*col.* 97. *n.* 7. *v. Volenti*) adducta est opinio Less. Caiet. Nav. et Vasq. id affirmantium. Sed in hoc reprobatum est. Vide *l.* 2. *n.* 80.

» 18. An in materia simoniae, et usurae, possit deduci in pactum obligatio antidoralis. In primo libro (*col.* 118. *lit. A. v. Quaer. in fin.*) dictum est cum Salmant. Val. Caiet. Pal. Less. etc. id licere si pactum sit remunerandi in genere, nulla addita nova obligatione. Sed id omnino reprobatur. Vide *l.* 3. *n.* 53. *et n.* 764.

» 19. An iuramentum execratorium sit verum iuramentum. In primo libro (*col.* 146. *lit. A. v. Notandum*) dictum est cum Salm. Bus. Sanch. Pal. etc. id communiter negari. Sed in hoc affirmatur, si in iuramento expresse nominetur Deus. Vide *l.* 3. *n.* 143.

» 20. An in iuramento assertorio sit mortale iurare cum defectu iustitiae. In primo libro (*col.* 148. *lit. A*) dictum est probabilius esse tantum veniale. Sed in hoc additur esse mortale, si iuratur ad firmandam detractionem. Vide *l.* 3. *n.* 146.

» 21. An peregrinus possit dispensari in votis, iuramentis, et legibus ab episcopo loci, ubi reperitur. In primo libro (*col.* 758. *lit. E. v. Nota hic*) id omnino negatum est. Sed *vide hic l.* 1. *n.* 158.

» 22. An maritus possit occidere eum qui vult cum sua uxore adulterari. In primo libro (*col.* 239. *v. Dicendum* 2.) id absolute negatum est. Sed in hoc id non reprobatur, si vir ante factum occidat, ne adulterium eveniat. Vide *l.* 3. *n.* 391. *v. Quando.*

» 23. An peccent graviter spectatores qui ad comoediam turpem concurrunt pecunia, vel plausu. In primo libro (*col.* 251. *v. Quaer.* 2.) dictum est probabile esse non peccare spectatores secundos, nempe sine quibus etiam comoedia repraesentaretur. Sed in hoc visum est oppositum. Vide *l.* 3. *n.* 427. *v. Num autem.*

» 24. An beneficiarius expendens fructus beneficii superfluos ad suam sustentationem in usus profanos teneatur ad restitutionem. In primo libro (*col.* 270. *v. Utrum autem*) probabilior cum s. Thom. Sot. Lugo, Pal. Less. etc. visa est opinio negativa. Sed in hoc probabiliorem diximus oppositam, per se loquendo. Vide *l.* 3. *n.* 492. (1).

» 25. An fur teneatur restituere cum damno graviore, nempe si res non posset mitti ad dominum, nisi expensis maioribus quam sit valor rei. In primo libro (*col.* 295. *lit. B.*) adducta est opinio Salm. Sot. Less. Pal. Con. et Bus. id negantium. Sed in hoc oppositum tenetur, nisi expensae sint longe maiores. Vide *l.* 3. *n.* 598. 697. *et* 753.

» 26. An accipiens rem a fure, qui rem furatam cum suis permiscuit, teneatur ad restitutionem. In primo libro (*col.* 299. *lit. B.*) adducta est opinio negativa Tamb. cum Sanch. et aliis. Sed in hoc omnino reprobatur. Vide *l.* 3. *n.* 612.

» 27. An beneficiarius omittens officium uno die possit excusari a restitutione, si suppleat in alio. In primo libro (*col.* 310. *in fine Qu.* 5.) relata est opinio affirmativa Salm. Molfes. Palud. Bonac. etc. Sed in hoc tenetur negativa. Vide *l.* 3. *n.* 667.

» 28. An beneficiarius omittens partem officii minorem quam integrae horae, teneatur ad restitutionem. In primo libro (*col.* 311. *Qu.* 5.) relata est opinio negativa Nav. Tol. et Viva. Sed in hoc verior visa est opposita. Vide *l.* 3. *n.* 668.

» 29. An beneficiarius simplex omittens officium teneatur restituere omnes fructus beneficii. In primo libro (*col.* 312. *Qu.* 10. *v. Quid etc.*) adducta est opinio Henrici Metini et Manuelis, qui dicunt teneri ad restitutionem tantum tertiae partis fructuum. Sed in hoc illa reprobatur. Vide *l.* 3. *n.* 673. *v. Quid.*

» 30. An licitum sit donum accipere a donante debitis gravato. In primo libro (*col.* 327. *lit. B*) relata est opinio affirmativa Less. Mol. Nav. Laym. etc. Sed in hoc refutatur. Vide *l.* 3. *n* 722.

(1) Confer modo infra ex recentioribus retractationibus Quaer. X. ubi s. auctor hanc ipsam quaestionem aliquatenus reformat.

» 31. An sit necessarium in matuo ad exigendum interesse, ut moneatur mutuatarius de iusto titulo, qui iam adest. In primo libro (*col.* 343. *lit. E v. Sed dubitatur*) delatum est opinioni negativae Less. Lug. Bon. Trull. etc. Sed in hoc verior visa est affirmativa Vide *l.* 3. *n.* 769. *v. Sed dubitatur.*

» 32. An mutuator possit retinere lucrum exactum, si aderat iustus titulus, sed non monuit de eo mutuatarium, et contraxit bona fide. In primo libro (*col.* 394. *Qu.* 3.) adducta est opinio affirmativa (licet tanquam minus probabilis) Lug. Dian. Sa et Tanneri. Sed in hoe refutata est. Vide *l.* 3. *n.* 773.

» 33. An liceat res pretiosas quamplurimi vendere. In primo libro (*col.* 355. *lit. D.*) relata est opinio affirmativa Sot. Tol. Dian. Tan. Val. Reg. etc. Sed in hoc probabilior visa est contraria. Vide *l.* 3. *n.* 808.

» 34. An, facto monopolio iniusto a mercatoribus, liceat aliis eodem pretio merces vendere. In primo libro (*col.* 357. *lit. G v. Sed hinc*) relata est opinio affirmativa Salm. Bon. Trull. Reg. Med. etc. Sed in hoc omnino melior visa est negativa. Vide *l.* 3. *n.* 817. *v. Sed hic.*

» 35. An liceat rem infimo pretio emere ab aliquo nesciente eius valorem. In primo libro(*col.* 357. *lit. H. v. Idem.*) amplexata est opinio negativa. Sed in hoc defenditur opposita. Vide *l.* 3. *n.* 819. *v. Item.*

» 36. An liceat clerico conducere praedia aliena ad saginanda propria animalia; ut postea vendat. In primo libro (*col.* 361. *v. Quaeres*) dictum est licere, si conductio non afferat magnam distractionem a ministerio sacro. Sed in hoc id non admittitur, quia non caret cupiditate turpis lucri. Vide *l.* 3. *n.* 835. *v. An vero.*

» 37. An perente re censita, pereat census de iure naturali. In primo libro (*col.* 366. *v. Qu.* 3.) dicta est probabilis sententia negativa cum Soto Pal. Salm. Cov. etc. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam. Vide *l.* 3. *n.* 847. *v. Dub.* 3.

» 38. An cogens cum iniuria alterum ad ludendum possit retinere lucratum. In primo libro (*col.* 375. *lit. D.*) adducta est opinio negativa. Sed in hoc probabilior visa est sententia affirmativa, modo ille qui cogit, non superet coactum in peritia ludendi. Vide *l.* 3. *n.* 880.

» 39. An sit gravis obligatio relinquendi sua bona suis fratribus et sororibus. In primo libro (*col.* 398. *lit. A.*) relata est opinio Salm. Nav. etc., dicentium non esse, nisi illi extreme indigeant. Sed in hoc diximus omnino tenendum peccare graviter relinquentem bona extraneis, si fratres graviter indigeant. Vide *l.* 3. *n.* 946.

» 40. An liceat revelare crimen alterius ad vitandum damnum proprium, si notitia criminis vi aut dolo excipiatur. In primo libro (*col.* 407. *lit. A. v. Sed hic*) dicta est probabilis opinio affirmativa cum Salm. Lessio et P. Nav. Sed in hoc melior visa est opposita Vide *l.* 3. *n.* 969. *v. Sed hic magna.*

» 41. An qui alteri occultam contumeliam irrogavit teneatur ad satisfactionem. In primo libro (*col.* 410. *v. Sed Quaer.* 1.) relata est opinio negativa Laym. et Molinae. Sed in hoc diximus omnino sequendam affirmativam. Vide *l.* 3. *n.* 985.

» 42. An laedant ieiunium electuaria sumpta in modica quantitate ad delectationem. In primo libro (*col.* 419 *lit. F.*) adducta est opinio negativa cum Salm. Sylv. etc. Abb. Sed in hoc dictum est contrariam omnino tenendam. Vide *l.* 3. *n.* 1019. *Quaer* 2.

» 43. An potio chocolatis possit sumi toties quoties in die. In primo libro (*col.* 425. *v. Orandum*) dicta est probabilis opinio affirmativa patris Viva, si sumatur ut potus usualis. Sed in hoc talis potio non admittitur, nisi pro uno tantum cyatu in die, ratione consuetudinis. Vide *l.* 3. *n.* 1023. *v. Secunda in fine.*

» 44. An religiosus expendens cum licentia generali praelati ad usus illicitos, peccet contra paupertatem, et teneatur ad restitutionem. In primo libro (*col.* 450. *lit. E. v.* 2. *Quaestio*) vocata est non improbabilis sententia negativa cum de Alex. Suar. Bann. Lugo etc. Sed in hoc affirmativa amplexata est. Vide *l.* 4. *n.* 31. et *l.* 3. *n.* 873.

» 45. An patronus debeat praesentare digniores ad beneficium curatum. In primo libro (*col.* 469 *lit. A. Qu.* 2.) dicta est probabilis opinio negativa cum Palao Garcia P. Navar. Rodr. etc. Sed in hoc dictum est, omnino tenendam affirmativam. Vide *l.* 4. *n.* 97.

» 46. An episcopus conferens beneficium simplex minus digno peccet mortaliter. In primo libro (*col.* 291. *Quaer.* 2.) delatum est sententiae negativae cum Nav. Sa Soto Dicast. Gutt. Diana etc. Sed in hoc probabilior dicta affirmativa. Vide *l.* 4. *n.* 93

» 47. An episcopus conferens beneficium curatum minus digno, teneatur ad restitutionem. In primo libro (*col.* 292. *v. Magis*) probabilis visa est opinio negativa Navar. Henr. Led. etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *l.* 4. *n.* 109.

» 48. An graviter peccet, et teneatur ad

restitutionem, qui recipit beneficium curatum cum animo dubio, vel conditionato suscipiendi sacerdotium infra annum. In primo libro (*col.* 471. *lit. A.*) adducta est opinio negativa Nav. Barb. Garcia etc. Item opinio Salm. qui eam admittunt tantum, si animus est conditionatus. Sed in hoc melior visa est opposita, sive animus sit dubius, sive conditionatus. Vide *l.* 4. *n.* 114.

» 49. An pluralitas beneficiorum sit vetita non solum de iure canonico, sed etiam naturali. In primo libro (*col.* 473. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio negativa cum Lugo Innoc. Fill. Valent. etc. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam, nisi accedat dispensatio pontificia, et iusta causa. Vide *l.* 4. *n.* 117.

» 50. An possit sine peccato gravi permutari officium divinum in aliud notabiliter brevius. In primo libro (*col.* 494. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio affirmativa, excepto officio Palmarum cum officio Paschae, vel Pentecostes, ut tenent Sylvest. Salm. Vill. Diana etc. Sed in hoc non est admissa ut probabilis. Vide *l.* 4. *n.* 161. *v. Quaer.* 3.

» 51. An matutinum possit recitari duabus horis post meridiem. In primo libro (*col.* 496. *lit. D.*) probabilis dicta est opinio affirmativa cum Salm. Sanch. Tamb. Molfes. Led. etc. Sed in hoc dictum est tenendam esse oppositam. Vide *l.* 4. *n.* 174.

» 52. An peccata multiplicentur ex diversitate obiectorum totalium, nempe si quis uno ictu occidit quatuor homines. In primo libro (*col.* 564. *v. An autem*) dicta est probabilis opinio negativa cum Suar. Lugo Bus. Viva etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *l.* 5. *n.* 45.

» 53. An confessarius in mortali successive absolvens plures poenitentes unum peccatum committat. In primo libro (*col.* 563. *v.* 2. *Quoad actus*) visa est probabilis opinio affirmativa cum Salm. Lug. Viva Spor. etc. Sed in hoc reprobata est. Vide *l.* 5. *n.* 50. *v. Qu.* 6.

» 54. An citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicuius, narrando eius defectus naturales, ut ipse succedat loco expulsi. In primo libro (*col.* 576. *lit. A.*) relata est opinio affirmativa Salmant. Sot. Bonac. Arag. Prado etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *l.* 5. *n.* 72. *v. An citra.*

» 55. An liceat se inebriare ex consilio medicorum, si inebriatio aestimatur necessaria ad morbum expellendum. In primo libro (*col.* 577. *v.* 2. *Non est*) adducta est opinio affimativa Busemb. Sylv. Cai. Less. Salm. etc. Sed vide quomodo in hoc limitata sit. *L.* 5. *n.* 76. *Qu.* 1.

» 56. An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur. In primo libro (*col.* 578 *lit. C.*) dicta est probabilis opinio affirmativa Less. Laym. Bonac. Bus. etc. Sed in hoc amplexata est negativa. Vide *l.* 5. *n.* 76. *Qu.* 2.

» 57. An satisfaciat, qui se confitetur tempore missae. In primo libro (*col.* 210. *Quaer.* 2.) adducta est opinio affirmativa Palai Hurtadi La Croix Pichler. Gobat etc. modo aliquo modo attendat simul ad missam. Sed vide *l.* 3 *n* 314.

» 58. An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri si monasterium sit opulentum. In primo libro (*col* 130. *v. Sed quaeritur*) relata est opinio affirmativa Salm. Nav. Tol. Pal. Sanch. Bon. Sot. etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide *l.* 3. *n.* 92. *v. Secunda.*

» 59. An in sacramento baptismi aqua sit infundenda, dum actu dicitur: *Te baptizo.* In primo libro (*col.* 585. *lit. A.*) affirmatum est. Sed in hoc probatum est sufficere quod forma proferatur, antequam materia desistatur applicari. Vide *l.* 6. *n.* 9. *v. Qu.*

» 60. An omnes materiae, et formae sacramentorum sint a Christo determinatae in specie. Negatum est in priori libro (*col.* 804. *Qu.* 2.) Sed in hoc secundo oppositum probabilius visum est. *L.* 6. *n.* 12.

» 61. An peccet graviter minister conferens sacramenta in mortali, etiamsi ad illud non sit specialiter ordinatus, vel si solemniter non ministret. Negatum est in priori libro (*col.* 594. *et* 595.). Sed hic affirmatur *l.* 6. *n.* 32.

» 62. An peccet graviter sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali. In priori libro (*col.* 665. *v. An autem*) probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus. *L.* 6. *n.* 35.

» 63. An minister possit dare sacramentum indigno ob metum mortis. In priori libro (*col.* 595. *Dub.* 5.) probabilis visa est sententia affirmativa. Sed hic negativam tenemus. *L.* 6. *n.* 49.

» 64. An clericus habituatus in vitio turpi vel alio, volens ascendere ad ordinem sacrum, possit absolvi ex simplicibus signis extraordinariis, tantum sufficientibus ad sacramentum poenitentiae suscipiendum. In priori libro affirmatum est (*col.* 598. *Quaere hic* 3.). Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, quae probitatem positivam ordinandi ostendant. Vide *l.* 6. *in dissert. n.* 63.

» 65. An sacerdotes ordinentur per solam manuum impositionem. In priori libro (*col.* 806. *lit. F.*) negavimus. Sed hic affirmativam sententiam probabiliorem censemus. *L.* 6. *n.* 749.

» 66. An moribundus qui mane communicavit, possit eadem die sumere Viaticum adveniente morbo. In priori libro (*col.* 668. *lit. A.)* probabilem diximus sententiam tam affirmativam, quam negativam. Sed hic distinguimus, si morbus sit naturalis, aut violentus. *L.* 6. *n.* 285. *Dub.* 3.

» 67. An sacerdos negligens dicere Sacrum promissum, parvo stipendio accepto, graviter peccet. In priori libro (*col.* 676. *lit. C.*) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic affirmativam tutamur. *L.* 6. *n.* 317. *v. Qu.* 3.

» 68. An episcopus possit moderari numerum missarum a testatore praescriptarum. In priori libro dictum est posse, si fructus congruentes non percipiantur (*col.* 680. *lit. F.*). Sed hic negatur. *L.* 6. *n.* 331. *Dub.* 1.

» 69. An liceat privatim celebrare in die Coenae Domini. In priori libro adhaesimus sententiae affirmativae (*col.* 687. *lit. E.*) Sed hic dicimus omnino tenendam negativam. *L.* 6. *n.* 350.

» 70. An altare amittat consecrationem, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulcrum cum reliquiis. In primo libro probabile dictum est non amittere (*col.* 693. *lit. C.*) Sed hic *l.* 6. *n.* 369. *ad* 3. *Dub.* 2. oppositum tenendum probamus.

» 71. An sufficiant duae mappae in altari, vel una duplicata. In priori libro affirmavimus (*col.* 697. *lit. C.*). Sed hic contrarium tenendum dicimus. *L.* 6. *n.* 375.

» 72. An aqua lotionis corporalium possit proiici alio quam in sacrarium. In priori libro dictum est sufficere, si proiiciatur in decentem locum (*col.* 699. *lit. E.*). Sed hic contrarium probamus. *L.* 6. *n.* 387.

» 73. An abbates possint consecrare calices pro ecclesiis alienis. In priori libro relata est sententia affirmativa (*col.* 699. *lit. B. in fine*). Sed hic oppositam tenendam dicimus. *L.* 6. *n.* 381.

» 74. An pyxis debeat benedici. In priori libro retulimus sententiam negativam (*col.* 698. *lit. H.*). Sed hic oppositam probamus. *L.* 6. *n.* 385.

» 75. Si post sumptionem sacerdos prudenter dubitat an vinum fuerit acetum, an rursus consecrare debeat utramque materiam sub conditione. Hic affirmandum probamus *l.* 6. *n.* 206. *v. Quoad.* Quidquid dictum sit in priori libro.

» 76. A quo episcopo debeant approbari confessarii. In priori libro (*col.* 247. *lit. E.*) dictum est probabiliter posse approbari etiam ab episcopo confessarii, aut poenitentis. Sed hic *l.* 6. *n.* 548. dicimus omnino approbandos ab episcopo loci.

» 77. Doctor consultus a confessario an teneatur ad sigillum. In priori libro (*col.* 776. *lit. G.*) diximus probabiliter non teneri. Sed hic oppositum tuemur *lib.* 6. *n* 648.

» 78. An mutus teneatur confiteri scripto. In priori libro probabilis visa est sententia negativa (*col.* 726. *lit. B.*). Sed hic dicimus teneri, si commode potest *l.* 6. *n.* 479. *v. Quaeritur.*

» 79. An in iubilaeo confessio debeat fieri in eadem hebdomada in qua perficiuntur opera, ut possit poenitens absolvi a reservatis. In priori libro adhaesimus opinioni negativae (*col.* 743. *lit. A. n.* 2.). Sed hic oppositam tenemus *l.* 6. *n.* 537.

» 80. An qui in iubilaeo confessus est invalide, possit deinde a quolibet absolvi. In priori libro relata est opinio affirmativa (*col.* 743. *n.* 1.). Sed hic negativam sustinemus *l.* 6. *n.* 537. *v. Qu.* 2.

» 81. An parochus in aliena dioecesi possit excipere confessiones alienorum ex licentia illorum parochi. In priori libro affirmavimus (*col.* 746. *lit. B.*). Sed hic negamus *l.* 6. *n.* 544.

» 82. An simplex sacerdos possit absolvere moribundum, praesente confessario approbato. In priori libro (*col.* 752. *lit. D.*) relata est sententia affirmans, quam hic reiicimus *l.* 6. *n.* 562.

» 83. An ignorans reservationem casus episcopalis eam incurrat. In priori libro diximus probabilem sententiam negativam (*col.* 757. *lit. A.*). Sed hic eam reprobamus *l.* 6. *n.* 581.

» 84. An absoluti indirecte a peccato reservato in casu necessitatis a non habente facultatem, teneantur postmodum Episcopo se praesentare. In priori libro negavimus (*col.* 936. *v. An autem*). Sed hic observa distinctionem allatam *l.* 7. *n.* 91.

» 85. An confessarius errans culpabiliter circa valorem sacramenti teneatur monere poenitentem de errore, etiam cum gravi suo incommodo. In priori libro probabilem diximus sententiam negativam (*col.* 766. *lit. I.*). Sed hic affirmativam tenemus *l.* 6. *n.* 619.

» 86. An possit absolvi a simplici confessario peregrinus habens casum reservatum in loco confessionis tantum, et non in patria. In libro priori relata est opinio affirmativa (*col.* 758. *in fin. v. Quaeritur an*). Sed hic eam refutamus *l.* 6. *n.* 588.

» 87. An qui confessus est superiori, et oblitus fuerit reservati, remaneat ab illo directe absolutus. Hic probabilius negatur *l.* 6. *n.* 597. quidquid in priori libro dictum sit (1).

(1) Confer modo infra ex quaestionibus recentius reformatis Quaer. XX.

» 88. An incurrat suspensionem qui ordinatus cum patrimonio donato, sed data antapoca, vel fide de reddendo illo donanti. In priori libro dicta est probabilis opinio negativa (*col.* 829 2.) Sed hic *l* 6. *n.* 822. observa distinctionem tenendam, nempe si donans habuerit veram, vel ne, voluntatem donandi.

» 89. Si quis post contracta sponsalia cum una ducat aliam, an hac defuncta teneatur ducere primam. In priori libro dictum est probabiliter non teneri (*col.* 145. *lit. I.*). Sed hic contrarium sustinetur *l.* 6. *n.* 875. *v. Quaeritur.*

» 90. An si quis ficte contraxit matrimonium, ad illud revalidandum sufficiat, ut ipse solus apponat consensum. Hic *l.* 6. *n.* 1114. sententia affirmativa verior dicitur; quamvis in priori libro (*col.* 899. *v. Hinc infertur*) non fuerit admissa.

» 91. An sit nulla dispensatio super impedimento inter propinquos, si tacetur copula inter ipsos praehabita. In priori libro opinio negativa probabilior visa est (*col.* 904. *v. Quaer.* 3.). Sed hic *l.* 6. *n.* 1134. omnino reiicitur, etiamsi copula non fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem.

» 92. An simplex sacerdos possit absolvere a venialibus, et ab excommunicatione minori. In priori libro (*col.* 746. *lit. A. et col.* 928. *v. Certum*) opinio affirmativa, licet non fuerit admissa, non tamen omnino reiecta est. Sed hic *l.* 7. n. 71. omnino reiicitur ob decretum Innoc. XI.

» 93. An absolutus ab episcopo in necessitate a casu papali propter impedimentum temporale, excusetur ab adeundo Romam, si parti iam satisfecerit. In priori libro dictum est probabiliter excusari (*col.* 933. *Quaer.* 3. *in fin.*). Sed hic omnino teneri dicimus *l* 7. *n* 87.

» 94. An habens casum papalem publicum, si punitus fuerit ab aliquo episcopo, possit absolvi ab alio. In priori libro opinio affirmativa probabilis visa est (*col.* 930. *v. Hinc, infra dub.* 1.). Sed hic contrariam veriorem dicimus *l.* 7. *n.* 77.

» 95. An episcopi possint absolvere a papalibus occultis extra confessionem. In priori libro relata est opinio affirmativa (*col.* 942. *ad n.* 8.). Sed hic *l.* 6. *n.* 593. *v. Hic autem*, illam refutamus ex declarat. Gregorii III.

» 96. An liceat rescribere ad excommunicatum. In priori libro dictum est probabiliter licere (*col.* 964. *lit. F.*). Sed hic negamus *l.* 7. *n.* 193. An autem liceat excommunicatum resalutare. In priori libro (*col.* 963. *Dub.* 2.) opinionem affirmativam diximus absolute probabilem. Sed hic *d. n.* 193. oppositam censemus probabiliorem, licet primam non damnemus.

» 97. An duellum possit acceptari, ne incurratur magna et certa iactura bonorum Quidquid dictum sit cum Salm. in priori libro (*col.* 970. *lit. A. Not.* 1.) hodie haec opinio damnata est a Bened. XIV. Vide *l.* 3. *n.* 400. prop. 4.

» 98. An parentes possint cogere puellam ad ingressum in monasterium causa educationis. In priori libro (*col.* 983. *in princ.*) probabilis dicta est opinio affirmativa. Sed hic *l.* 7. *n.* 212. *v. Quoad*, opposita absolute probabilior visa est, nisi puella sit in periculo incontinentiae.

» 99. An incurrat irregularitatem ratione bigamiae, qui contrahit duo matrimonia nulla, vel qui ficte secundum matrimonium init ad copulam extorquendam. Hic dicimus affirmandum *l.* 7. *n.* 446. *et* 447. quidquid in priori libro dictum fuerit.

Adduntur aliae recentes retractationes opinionum, quae in praecedente editione recensentur.

Qu. 1. Si quis probabiliter iudicet se implevisse votum, horas canonicas, sive poeniteniam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse. Negant plures auctores *l.* 1. *n.* 76. Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio iam contracta, donec certe non fuerit impleta.

» 2. An declarationes s. c. cardinalium vim legis habeant. Plures aa. negant, nisi editae sint, non solum consulto pontifice sed etiam mandante, ut ipsae solemniter per totam ecclesiam promulgentur, *l.* 1. *n.* 106. *vers. Qu.* 2. Addendum tamen est, quod huiusmodi declarationes, quae iam in ecclesia universaliter divulgatae, et facto sic promulgatae fuerint usu plurium, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hae satis omnes fideles obstringunt.

» 3. An episcopus dispensare possit in statutis canonicis, in quibus dispensatio reservata non sit. Visa fuit prius satis probabilis sententia affirmativa cum Soto Covarr. Castrop. Bonac. et s. Antonin. Sed re melius perpensa, videtur negativa omnino tenenda ex Clement 2. *de elect.* ubi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Cui congruit *c. Dilectus de temp. ordin. Vide l.* 1. *n.* 191.

» 4. An delegatus *principis*, vel delegatus *ad universitatem causarum*, possit subdelegare. Affirmatur *l.* 1. *n.* 193. Sed hoc est limitandum iuxta id, quod dicitur *lib.* 6. *n.* 566., nempe hoc intelligi, cum delegatio facta est tamquam per of-

ficium, aut cum delegatur alicui iurisdictio, ut privilegium perpetuo suo officio, sive dignitati annexum.

» 5. An cesset lex, cessante fine legis in particulari. Allata est sententia, quae id probabile vocat hancque tenent Salmant. et Viva cum Caiet. Sylvest. Panorm. Valent. Sa Carden. Nav. Abbate Comit. et aliis, *l. 1. n.* 199. Sed hic advertendum, quod haec opinio vix unquam in praxi probabilis erit, quia vix unquam eveniet, quod in particulari omne hallucinationis periculum cesset.

» 6. Si quis ex intentione furandi centum aureos surripiat eos centenis vicibus moraliter interruptis, an tunc centum peccata perpetret. *L.* 5. *n.* 44. dictum fuit probabile esse unum furtum, sive peccatum committi. Sed melius re perpensa, dicendum huiusmodi furta esse centum distincta peccata mortalia, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se contineat.

» 7. Actus caritatis erga Deum eliciendus est saltem semel in mense, ut dicitur *l.* 2. *n.* 8. Addendum est quod eodem modo, nempe semel saltem in mense, teneamur pariter elicere actum caritatis erga proximum, alioquin difficulter hoc praeceptum caritatis erga proximum observare valebimus.

» 8. Dictum est *l.* 3. *n.* 244. non videri improbabile cum Less. Salm. Bon. etc., quod ab ipso vovente possit commutari votum in aequale. Sed dicendum cum s. Th. Cai. Suar. et aliis, esse multum probabilius, quod non possit; quia Deus potius vult rem promissam, quam aliam.

» 9. Dicunt plures dd. apud Bus. *l.* 3. *n.* 381., licere viro honorato occidere aggressorem conantem alapam ei impingere. Sed ibi addendum id, quod sapienter docet Sylvius: *Etiamsi honor sit bonum praestantius, quam divitiae, aut nullum aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere. In* 2. 2. *q.* 64. *ar.* 7. *q.* 9.

» 10. An beneficiarii expendentes reditus beneficii superfluos in usus profanos, teneantur ad restitutionem. *L.* 3. *n.* 492. exposita fuit sententia affirmativa tamquam valde probabilior; sed peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem d. Th. *in* 2. 2. *qu.* 185. *ar.* 7. *Vide cit. n.* 492.

» 11. Si quis furatus sit rem, cuius dominus est incertus, cui restituere debet. *Lib.* 3. *n.* 589. dictum est, restitutionem faciendam esse pauperibus, aut locis piis cuiuscumque loci. Sed huic plures addendae sunt limitationes, quas loco citato, vel paulo post invenies.

» 12. Utrum si crimen aliquod est publicum in quodam loco, possit sine culpa, saltem gravi, manifestari in alio, ubi illud est adhuc occultum. Dictum fuit *l.* 1. *n.* 86. cum Lugo Caiet. Navar. Salm. etc. communissime, contra alios, sententiam affirmativam esse valde probabilem. Sed vide *l.* 3. *n.* 974. ubi nunc sententia limitatur tantum pro delictis illis, quae delinquentem aliis perniciosum efficiunt.

» 13. An in die ieiunii notabiliter antevertens sine iusta causa horam meridianam, graviter peccet. *L.* 3. *n.* 1016., dictum fuit cum Lessio Tol. Bonac. Laym. Salm. Castrop. etc., probabiliorem esse negativam sententiam. Sed re melius ad trutinam revocata, dicimus cum Azor Sanchez Nav. Sylvest., affirmativam omnino tenendam.

» 14. An episcopus possit licite transigere super bona ecclesiae vertentes. *L.* 4. *n.* 187. *vers. Circa, etc.* dictum est non posse. Sed hoc intelligendum tantum, quando ecclesia ob transactionem deberet aliquid de rebus possessis cedere: secus si nihil cederet de possessis.

» 15. Si votum sit certe emissum, sed tantum probabiliter impletum, utrum vovens teneatur omnino votum implere. Negant plures aa., nempe Lug. Ronc. Salm. cum Laym. etc. Sed censeo cum Conc. Antoine etc., votum implendum esse, cum enim votum est certum, possidet obligatio implendi votum. *Vide l.* 1. *n.* 29.

» 16. An teneatur poenitens confiteri mortale peccatum certe commissum, si tantum probabiliter reputet se illud confessum fuisse. Negant Suar. Lug. Salm. et alii. Sed dico cum Concina et aliis eum teneri peccatum illud clavibus subiicere, cum dubia sit confessio, et certa sit confessionis obligatio. Sed vide quod dicitur *lib.* 6. *de poenit. n.* 477. (1).

» 17. An liceat conferre sacramentum sub conditione, absque eo quod conditio ore exprimatur. *Lib.* 6. *n.* 29. *in fin.* affirmatum est cum Cont. Tourn. Ronc. Castrop. et aliis communissime. Sed quia non desunt auctores aliqui, ut Gonet Lucnin Contens. Serry etc. qui tenent (licet parum probabiliter) valorem sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

» 18. An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, si poste-

(1) Idem repetitur hic Quaer. 18.

sit in dubio, an illud fuerit vel ne confessus. *L.* 7. *n.* 477. dictum fuit non teneri, si credat se probabiliter peccatum confessario iam exposuisse. Sed nunc teneri dicimus, quia sicut certa fuit obligatio confitendi, ita certa debet esse confessio, vide tamen *cit. n.* 477.

» 19. An sacerdos ab ecclesia abscissus, uti si esset haereticus, schismaticus, aut excommunicatus vitandus, possit absolvere eos, qui sunt in periculo mortis, si alius desit. *L.* 6. *n.* 560. *Quaer.* 1., probata fuit senteutia negativa. Sed nunc probamus contrariam cum Sylvio Collet Sylvestro Cano etc.

» 20. An si poenitens confessus sit superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet confessario de illo absolvi. *L.* 6. *n.* 597., probavimus sententiam negativam; sed nunc ex auctoritate Pontas Collet et signanter Sylvii, qui affirmativam cum Sylvest. Nav. Adrian. Angel. Cov., et pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.

» 21. An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrunt confessarii sollicitantes, incurratur ante sententiam. *L.* 6. *n.* 705. affirmatur. Sed nunc vide id, quod dicitur in hac editione *num. citato.*

» 22. An episcopi possint absolvere ab excommunicatione eos, qui tentaverunt extrahere delinquentes ab ecclesia. *Append. De privilegiis n.* 28. affirmatum est. Sed nunc oppositum tenendum cum Fagnano, qui id probat; vide *l. c.*

» 23. In praxi confessariorum dicitur *cap. ult. n.* 287. episcopis, eorumque delegatis concessa esse facultas impertiendi indulgentiam plenariam infirmis eam petentibus in articulo mortis: addendum ad hoc requiri, ut episcopi hanc facultatem a summo pontifice expostulent, et obtineant.

» 24. In examine ordinandorum *n.* 98. dicitur ex rubrica illicitum esse in missa adhibere vinum quod *incipit acescere.* Adverte ibi quod additum est.

» 25. In eodem exam. *num.* 122 dicitur, dubium esse an sit probabilis opinio, quod celebrare sine cruce non sit mortale. Sed re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter doctores sit communis, nec certum habetur fundamentum in oppositum.

» 26 An calix si denuo inauretur, denuo sit consecrandus. *L.* 6. *n.* 370. *dub.* 2. probabilius censui negandum cum Laym. Lugo etc. Sed re melius perpensa, nunc puto cum Ferrari Suar. etc., probabilius iterum calicem esse consecrandum: vide adnotationem ultimo loco adiunctam in loco citato.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. *die* 24. *septembris* 1665.

In congregatione generali sanctae Romanae et universalis inquisitionis, coram ss. d. n. Alexandro papa VII. mature discussis infrascriptis propositionibus.

1. Homo nullo unquam vitae suo tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. iulii in concistorio sacr. congr. eminentiss. card. visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti

stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.

17. Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere, minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ipsi religioso, vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudices, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio v. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.

21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subiicere praecepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a sede apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Deinde feria 5 *die* 18 *martii* 1666.

Propos. 29. In die ieiunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31. Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae regularibus, et revocatae a Paulo v. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae

taedio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Idem sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, praedictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis), ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, uisi a pro tempore existente romano pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

PROPOSITIONES

DAMNATAE A SS. D. INNOCENTIO PAPA XI. (1)

Feria 5 *die* 2 *martii* 1679.

1. Non est licitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris

(1) Summus Pontifex statuit et decrevit sequentes propositiones et unamquamque ipsarum, sicut iacent, ut minimum tamquam scandalosas et in praxi perniciosas esse damnandas et prohibendas, sicuti eas damnat et prohibet.

23. Fides late dicta testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.

27. Causa iusta utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur nunc expediens et studiosa.

28. Qui, mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et ius habenti in cathedram, vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias promovent: concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores* ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam,

et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto ecclesiae de audiendo sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihilum tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam corporis Domini man ducationem.

56. Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis, aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse (1).

PROPOSITIONES

DAMNATAE AB ALEXANDRO VIII.

Decretum

Cum feria 5 die 24 augusti 1690. in congregatione generali s. rom. et univ. inquisitionis fuissent in examen adductae duae sequentes propositiones, videlicet:

1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi. Theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

(1) *Summus Pontifex decretum concludit his verbis:* quicumque autem cuiusvis conditionis, status et dignitatis illas vel illarum aliquam coniunctim vel divisim defenderit vel elideret vel de eis disputative et publice aut privatim tractaverit vel praedicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latae sententiae, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente romano pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis dignitatis et status, etiam speciali et specialissima nota dignis ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab iniuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque in posterum se abstineant, ut paci et caritati consulatur, idem sanctissimus in virtute sanctae obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac praedicationibus caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a sancta Sede recognitae sint, et super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

Ss. Pontifex primam propositionem declaravit haereticam; secundam temerariam, scandalosam, etc.

Decretum alterum

Feria 5 die 7 Decembris 1690., idem ss. Alexander Papa VIII. damnavit sequentes 31 propositiones:

1. In statu naturae lapsae ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium et liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino a Iesu Christo accipiunt influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet bealitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque, vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc. praetermissis illis, ego te baptizo.

28. Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit ecclesia.

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam.

31. Bulla Urbani octavi, *In Eminenti*, est subreptitia.

DECRETA
ROMANORUM PONTIFICUM
MORUM MATERIAM RESPICIENTIA

ENCYCLICAE ET DECRETA BENED. XIV.

EPISTOLA ENCYCLICA I.
SUPER IEIUNIO.

Venerabiles Fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Non ambigimus, venerabiles fratres, quin universis catholicae religionis cultoribus notum sit, a tota per christianum orbem ecclesia inter praecipua orthodoxae disciplinae capita perpetuo annumeratum retineri quadragesimale ieiunium, quod olim in lege et prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Iesu Christi exemplo veluti consecratum, ab apostolis traditum, a sacris canonibus ubique praescriptum, et ab universali ecclesia, ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere patres, nobis quotidie peccantibus communis poenitentiae constituto remedio, per consortium crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos praestitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora redemptionis nostrae mysteria, quae per dominicae Passionis, ac Resurrectionis memoriam, quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis ieiunio corporibus, et animis dignius paramur. Hoc veluti nostrae militiae tessera ab inimicis crucis Christi secernimur, flagella divinae ultionis avertimus, et coelesti praesidio in dies adversus principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinae gloriae detrimentum, non leve catholicae religioni dedecus, nec dubium animabus Christi fidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inhaerentique in omnium catholicorum hominum animis de sacratissima quadragesima, aliisque diebus ieiunio consecratis persuasione, et reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna ieiunantium consuetudo, quantum ab ipsa ieiuniorum institutione, et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplina quam longissime distet, vos, venerabiles fratres, qui populorum curae vestrae commissorum mores et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra prae ceteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi apostolicae procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam quadragesimalis ieiunii observantiam ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse, ita ut orthodoxae quidem religionis cultores merito querantur, haeresum vero sectatores illudant et exultent. *Perniciosae huic corruptelae plurimorum insuper licentiam adiunctam esse graviter dolemus; quae usque adeo invaluit, ut nulla apostolici instituti sacratissimique praecepti habita ratione, ieiuniorum tempore palam et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur.*

Eapropter quemadmodum, quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum fraternitatibus vestris communicamus, ita facere non possumus, quin pro iniuncto nobis supremo sacrosancti apostolatus officio, et ardentissimum fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes huiusmodi abusibus penitus extirpandis leges praescribendas meditemur. Interea, venerabiles fratres, gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curae nostrae commissis utilius, quam ut verbo, et exemplo praeeuntes, Christi fideles ad tam salutarem christianae poenitentiae et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, et constantissime retinendam, et ea, qua instituta fuit disciplina, peragendam vehementius inflammemus, omni opera atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem ieiuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso paschali festo dignum est inveniri.

Debitum igitur paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis et caritatis of-

ficium iure postulat, ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra canonum statuta praescriptis, cum debita apostolicae huius sanctae sedis reverentia a quadragesimali ieiunio toties dispensationem, quoties opus fuerit, et concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est cur vobis explicemus; nolumus tamen vos ignorare, cum huiusmodi necessitate servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romae, ac nos ipsi hoc anno, urgentibus causis dispensantes, expresse praescripsimus, et licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de eiusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, nos persuasum habemus, districtam supremo divino iudici redditum iri rationem; ita conscientiam uniuscuiusque vestrum onerandam esse ducimus. Insimul fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhortantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christi fidelium poenitentiam ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta ieiunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynae munera redimant. Interim solatium et levamen non leve moerori nostro a pastorali vigilantia et caritate vestra praestolantes, ac certo nobis pollicentes, apostolicam benedictionem cum uberi coelestium charismatum copia coniunctam in eosdem populos vestros redundaturam, vobis, venerabiles fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die trigesima mensis maii anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

EPISTOLA ENCYCLICA II.

SUPER EODEM IEIUNIO

In suprema universalis ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, ut orthodoxae fidei assertores, sic etiam ecclesiasticae disciplinae custodes ac vindices constituti, quadragesimale praesertim ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita semper et ubique ab ipso ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur, ab hodierna ieiunantium corruptela vindicare, et in pristinam quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma brevis litteras ad fraternitates vestras die 30. proxime elapsi mensis maii currentis anni datas eximium fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte et optatum apostolicae nostrae sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae sacratissimi ieiunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae pontificiae charitatis quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a ieiunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex apostolica benignitate censuimus; ita inter caetera praescripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas.

Hinc factum esse accipimus, quod non defuerint, qui per humanas, et hominibus a christiana poenitentia abhorrentibus dumtaxat dignas, illationes sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere, cum multitudine quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in quadragesimae, aliisque anni tempo-

ribus et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus, et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma brevis litteras singulis utriusque sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima quadragesima aliisque ieiunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes unicuique expresse praescribimus atque praecipimus. Eapropter fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi ieiunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam, de observando sustinendoque ieiunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum, quibus assequendis non sunt condignae passiones huius temporis, imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum, magnum gloriae pondus operatur in coelis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos christianae militiae milites refugientes a consortio crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare praecipit incorruptam; ad cuius auspicium, et pignus fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem ut praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda mensis augusti anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA ENCYCLICA III.

SUPER EODEM IEIUNIO

Libentissime quidem amplectimur, quae nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticae disciplinae reparandae sedulam curam conferatis. Etenim summi pontificatus dignitati, ad quam nos, licet immerentes, evecti fuimus, coniunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum ecclesiarum, nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque praesentium litterarum argumentum totum sit de ieiunio, quod tempore quadragesimae veteri ecclesiae instituto ac lege fidelibus indicitur, supervacaneum ducimus longam orationem conficere de quadragesimae institutione, et patrum, et conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem nobis parum videretur, sed potius alienum, et nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinae laude, canonum, et sacrae historiae cognitione praestantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Trid. Syn., quae sess. 25. de ref. praecipit episcopis omne studium impendere, ut fideles ipsorum curae traditi magna religione perficiant ea quae a sacris canonibus praescribuntur: *Ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, et ieiunia.*

Ubi primum bononiensem ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab sede anconitana translati fuimus), mandatum evulgavimus (quod libro primo institutionum nostrarum pro viris ecclesiasticis decimoquinto loco continetur). In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos a ieiunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, quadragesimae abstinentiam non observarent, minime, inquam, solvendos a ieiunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita refectione, quae permitti ieiunantibus consuevit. Tandem in hac pontificia sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, et praestantissimis quoque viris demandavimus ipsam diligenter accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones nobis exponere. His peractis, huiusmodi controversiae finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua civitate, vel oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore ieiunii, vel quadragesimae, nisi conditio serbandi ieiunii, sive unius comestionis interponatur; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quaestioni

bus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem indicere illis etiam, qui carnibus uti, cum ieiunium indicitur, rite obtinuerunt; et pravam illam consuetudinem, quae apud multos iam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiae praecepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Haec apertissime constant ex nostris apostolicis litteris, quas in forma brevis dedimus ad omnes episcopos orbis catholici anno 1741., quarum primae incipiunt: *Non ambigimus*; alterae vero, *In suprema.* Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus quadragesimae, sive aliud ieiunium praecipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter laetitiam percepimus, cum redditae nobis fuerunt plures epistolae, ac mandata vestra, litteris nostris apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subiectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem apostolicis litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatae sunt a nonnullis, uti nos antea facili coniectura suspicati fuimus. Plures etiam quaestiones propositae nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum nos opinamur; cum illae vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen sacro tribunali nostrae poenitentiariae rerum huiusmodi conscio, ac peritissimo, easdem quaestiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellae in Hispaniarum regnis primus inquisitor, nuperrime vita functus, longam ad nos dedit epistolam, qua plures recensebat difficultates, quae litteris nostris apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quaestionibus, quibus litterae nostrae apostolicae causam et occasionem praebebant; ac proinde de illis iudicium nostrum exquirebat. Equidem archiepiscopi litterae nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quaestiones in ipsis expositas percurrimus, visum nobis est non quidem expeti, ut iis quaestionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum sive obstaculum nostris litteris apostolicis superesset, sed potius ut obiectis cavillationibus ad optatum finem ipsae minime adducerentur. Accedit etiam, quod epistola archiepiscopi multis argumentationibus, et obscuris vocibus redundaret: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum archiepiscopo responsum redderemus, illi tamen satisfecimus, res praecipuas ex eius litteris delibantes, et quaestiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus: eius studium commendavimus, et etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc sanctam sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quaestionibus satisfacere non praetermisimus, illum tamen monentes de instituto summorum pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas obiiciunt, ut quae constituta sunt, perturbent ac evertant.

Vix redditis litteris, archiepiscopus paulo post vitae cursum absolvit, itaque non immerito suspicamur, responsa nostra, quae litteris continebantur, haud cognita fuisse, et perspecta illis, qui quaestiones excitaverant. Post haec alii pariter ex hispanis episcopis nonnullas ex iisdem quaestionibus nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quae tradita prius archiepiscopo Compostellae a nobis fuerant. Non defuerunt etiam praestantes inter italos theologi, qui litteras nostras apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: idem contigit responso, quod fecimus archiepiscopo Compostellae die 8. iulii anno 1744. quod sane integrum suis libris praefigendum curaverunt. At quoniam libri eiusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his litteris encyclicis adiungimus illas pariter, quas (ut dictum saepius est) ad archiepiscopum Compostellae iam pridem scripsimus, ut quae disciplina vestris in dioecesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quae a captiosis hominibus concitentur.

Ven. fratri archiepiscopo Compostellae

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Si fraternitas tua secum reputabit, quot gravissimis et maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc praesertim difficillimo tempore, prorsus nos teneat imposita tenuitati nostrae sollicitudo omnium ecclesiarum, non sane mi-

rabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas litteras, quibus apostolica auctoritate dissolvendas rogavit obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris epistolis ad omnes episcopos superioris anni 1741. 30. maii, et 22. augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem ecclesiastici ieiunii relaxationem. Potius ei in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam hispanam ecclesiam amore, unde nos, immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram praesto habet. Quamquam igitur dum praenuntiatas constitutiones edidimus, non aliud propositum nobis fuerit, ac refraenare paucorum nimis ingenio fidentium theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a nobis ieiunandi regula: tamen eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos romanae sedis hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adiecerimus animum, et nos ipsi quaestiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent:

1. *Utrum, quae in antedictis nostris litteris in forma brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur.*

Respondemus: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

2. *An hi quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci quae ieiunantibus permittitur.*

Respondemus: *Non licere, sed opus habere, eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.*

3. *An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comessatione uti debent, horam ieiunantibus praescriptam servare opus habeant.*

Edicimus, *observandam iis esse.*

4. *Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi.*

Respondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.*

5. *An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur.* Affirmatur *complecti.*

6. *Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex bulla Cruciatae edere possunt ova et lacticinia.*

Rescribimus: *Nihil in praenuntiatis nostris apostolicis litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatae diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.*

7. *Utrum memorata duo praecepta urgeant extra quadragesimam.*

Respondetur: *Urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum: illud scilicet unicae comestionis cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis: et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.*

Habes, venerabilis frater, penitus explicatum quidquid apud vos ex nostris saepius nuncupatis apostolicis litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandae supremae romanae sedis, ut libero, et non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere pastores queant: in istoque tuo suscepto consilio agnovimus hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi e divi Petri cathedra acceptum reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, et incorruptae fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris archiepiscopi, et inquisitoris geris praecipuum munus) ne in expendendis apostolicae sedis constitutionibus prae nimia exhauriendi argumenti sollicitudine nullus fiat disserendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quae facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi; praesertim cum constitutiones ipsae apostolicae scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, et illuc prompte dirigi possit quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de praesenti

negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim, nihil aliud nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum theologorum ingenia, qui nimium sacri ieiunii fines praetergressi, et non parum obliti illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus insensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quaestionibus constituendum esset, nec tibi molestiam exhibuissent, nec nobis, quos gravissimae undique circumstant curae, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; in posterum simul praecaventes, quomodo in huiusmodi quaestionibus firmare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, venerabilis frater, ut tibi, quod facimus ex animo, praecipuae benevolentiae nostrae pignus apostolicam benedictionem peramanter impertiamur. Datum etc. 8. iulii 1744.

Cum haec ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum ieiunium tempore quadragesimae, vel extra quadragesimam fidelibus praescribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul, et carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quae remedium a nobis deposcunt.

Siquidem advertimus, iam multis abhinc annis non solum plures in qualibet Italiae urbe vestra auctoritate dissolvi a quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio vos contendere, ut universam civitatem, totamque dioecesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam civitatibus ac dioecesibus iam per multos annos fideles universi absque ullo discrimine carnibus per quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehenderimus certis testimoniis, in quibusdam regionibus septentrionis toto quadragesimae cursu lactis et ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eamdem facultatem petierint, et a sede apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad pontificem confugiendum pro huiusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per quadragesimam comprobetur. Praeterea maximi facienda esse ducimus ea verba Trid. conc. sess. 25. c. 18. de reform: *Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat, sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.*

In litteris nostris apostolicis, quas anno 1741. ad omnes catholicos episcopos dedimus, huic corruptelae viam praecludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quae rursum hic subiicimus: *Debitum igitur paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis et caritatis officium iure postulat, ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio, multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra canonum statuta praescriptis, cum debita apostolicae huius sanctae sedis reverentia a quadragesimali ieiunio dispensationem, toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

Porro nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti populum, aut civitatem integram quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci episcopus id postulare a nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permissae fuerunt, si lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito episcopi testimonio id omnino necessarium iudicaretur, nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum et lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia quadragesimae nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies praescripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem cinerum, dies quatuor temporum, vigilias praecepto obeundas, dies maioris hebdomadae a dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam cinerum: aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis ac sabbatis, etiamsi facultas a nobis tradita lactis et ovorum usum solum complecteretur. Postremo eam conditionem semper addidimus, ne ieiunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Dum rationem huius consilii nostri serio perpendimus, haud plane acquiesci-

mus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, ne causa ab episcopo loci prolata, quam nos legitimam credidimus ad solvendam quadragesimae abstinentiam, eius naturae fortasse non sit, quae veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto ac temere faciamus. Haerent pariter animo defixa sancti Bernardi verba ad pontificem Eugenium libro 3. de consideratione c. 4.: *Facitis hoc, quia potestis: sed utrum debeatis, quaestio est, et quando:* attamen fidem praestitimus iis, quibus praestanda fuerat, episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium ecclesiarum ac dioecesium, nisi fides habeatur episcopis, a quibus illae administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quae subiicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. praedecessore nostro cap. *Consilium, de observatione ieiuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus ieiunii tempore, recenseri veram et existentem reipsa aegritudinem: *Praeterea, de illis, qui in quadragesima, vel in aliis ieiuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus, quod, cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut maius periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium III. patres octavi concilii Toletani can. 9. quod anno 653 celebratum fuit: *Quisque absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam aetatis impossibilitate, diebus quadragesimae esum carnium praesumpserit attentare, non solum erit reus resurrectionis dominicae, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione... Illi vero, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam a sacerdote permissum accipiant.*

Nemo est, qui non intelligat, huiusmodi causas satis esse, ut aliqui a ieiunii legibus et abstinentia immunes existimentur, non autem, ut populus vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, cives universos alicuius urbis vel dioecesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam aegritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus. Quis credat umquam populum universum alicuius dioecesis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua civitas vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives, ita etiam opulentos, a quibus etiam alii vitae sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli theologi haud severioris disciplinae, quorum sententiam recensuimus capite nono libri tertii nostrarum institutionum, quas Bononiae typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia quadragesimae civitates vel dioeceses, ubi exercitus versantur, eo quod milites in iis locis permanentes abstinentiae leges minime observent. Id potius animos civium inflammare deberet ad ieiunium rite religioseque suscipiendum, ut nempe milites tanta virtute temperantiae permoti ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum atque olei, licet quadragesimae ieiunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quae paulo ante diximus, cum pisces et ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendae abstinentiae non adducantur, nisi forte civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem; neque in posterum herbarum, olei, piscium et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas vel dioecesis ab instituto quadragesimae ieiunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras ac legitimas a nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expeditis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex iure canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

Innocentius III. quem superius nominavimus, eodem c. *Consilium, de observatione ieiuniorum*, archiepiscopo bracarensi postulanti, qua poena plectendos iudicaret illos qui tempore quadragesimae a

carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quaesieris, quae sit illis poenitentia iniungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tantae famis inedia ingruebat, ut magna pars populi propter inopiam annonae periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus, quod in tali articulo illos non credamus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, et cum illis effundes, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore episcopus adductus exemplo bracarensis antistitis idem consilium peteret a sede apostolica, tamquam ineptus, ac simplex haberetur, sed illo ecclesiae felicissimo saeculo maximi pendebatur, uti aequum est, quadragesimae praeceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem praecepto viderentur: nec ulla ratio habebatur virorum principum, licet ipsorum incolumitas cum reipublicae felicitate coniuncta putaretur; uti nos fuse ostendimus in decima quinta nostrarum institutionum libri primi: *Sed iis omissis, et aliis bene multis, quae in hanc rem congeri a nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii* III. *tunc quadragesimae abstinentia solvi posse integram civitatem vel dioecesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus praeceptum quadragesimae observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum neque pisces comparari possint, tunc incolis eiusdem loci permitti fas est ut lacte et ovis utantur: si haec autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendae facultas concedetur, interposita semper ieiunii servandi conditione.*

Insula sancti Dominici in America meridionali in temporalibus paret carissimo in Christo filio nostro Ludovico Galliarum regi christianissimo, nec ei ullus praeest episcopus Praefectus patrum societatis Iesu anno 1742. a nobis quaesivit, an ex concessione sibi facta a sede apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et quadragesimae, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus incolas, quando coram Deo id expedire iudicasset: habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes, pisces deferebant aut foetentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quae oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum et leguminum, quae in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram nobis in congregatione generali sanctae romanae et universalis inquisitionis die 12. aprilis anno 1742., habita ratione regionis nimis remotae, a qua quolibet anno impossibilis erat ad sedem apostolicam recursus, indulgentes necessitati fidelium degentium in insulis ditionis gallicae in America, facultatem concessimus praefectis missionum illarum partium, ut in casu verae et ineluctabilis necessitatis, et tantum de anno in annum, praefataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo, uti possent, et valerent cum fidelibus populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticiniorum, et etiam carnium tempore quadragesimali, indicta simul cum huiusmodi dispensatione observantia ieiunii per unicam comestionem, oneratque praedictorum praefectorum conscientia, si adamussim iuxta praescriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed iam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una civitate in aliam, et ex una provincia in aliam haec funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus eiusmodi, qui universos hominum ordines atque aetates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura iam aetate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimae ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat iuniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Alios quoque morbos huius generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, aegros in discrimen vitae adduxisse medici scriptores luculenti testantur.

Itaque, si medicinae professores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiae versaremur) morbum es-

se talis naturae, qualem superius commemoravimus, ita ut nulla aetas libera et incolumis esse queat, et affirment illis ipsis, qui inter cives salvi et integri numerantur, eamdem perniciem imminere; id praeterea conferre plurimum ad eiusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum aegrotantes, tum sani a piscibus et oleo, et quandoque pariter a lacte et ovis abstineant; si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens iudicanda est, quae experientiae innititur, et quae semper probata, et in posterum probanda videtur, ut nempe populus, seu civitas integra a carnibus abstinendi praecepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere vos debet a consulendis medicis, qui praestantiores habeantur. *Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non praetermittant; quae conditio si desit in posterum, nulla umquam facultas civitati aut dioecesi carnibus, aut lacticiniis vescendi tempore quadragesimae tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur.* Accedit etiam, quod medici, facilitate quadam incredibili peculiares quidem cives a quadragesimae praecepto liberos et immunes decernere soleant (de qua re gravissime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent); cum vero pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios ac sollicitos praestare nos ipsi experti sumus. Postremo si velint percurrere ea, quae in Italia et extra ipsam praeclarissimi auctores medici typis evulgarunt, facile deprehendent abstinentiam ciborumque parcimoniam ab illis magnopere commendari, discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri ut iusculum et carnes loco piscium, olei et herbarum substituantur; in aliis vero iuvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur ieiunium, oleo vel lacte aegrotantes utantur: demum advertent, quam diligenter, accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

Haec vobis indicanda putavimus. Reliquum est ut vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendae facultatis utendi carnibus et lacticiniis tempore quadragesimae pro universa civitate vel dioecesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam iam per tot annos in quibusdam locis hae facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam quadragesimae nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter aegrotos vel mortuos recenseri. Hanc rationem et institutum nos ipsi secuti sumus Romae ac Bononiae (cuius sedem adhuc retinemus), cum nuper quadragesimae tempus ageretur. Si vos id quoque praestabitis, neque facile a nobis pro universa civitate, vel dioecesi facultatem solvendi quadragesimae abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis praemissis conditionibus, dispensationis instantia ad nos deferetur, non solum ii fructus provenient, quos iam indicavimus, sed etiam repulsae pudorem evitabitis, nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et apostolicam benedictionem vobis, populisque vestris impertimur. Datum ex arce Castri Gandulphi die 10. iunii 1745. pontificatus nostri anno quinto (1).

(1) Hic refert quaedam subiicere sanctae apostolicae sedis responsa recentiora circa ieiunium. Ea excerpta sunt e perutili opusculo, cui titulus: *Del digiuno e della quaresima, lettere due di Giuseppe Righetti sacerdote romano etc.* Romae iterum typis edito ann. 1834.

1. Ad quaesitum: Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam 10. et 11. matutinam, prandium vero differendo ad 4. vel 5. horam vespertinam.

Sacra poenitentiaria die 10. ian. 1834. respondendum censuit, *si supradictae inversionis rationabilis aliqua extet causa, poenitentes qui hoc more utuntur non esse inquietandos.*

2. Ad quaesitum: *Se i padri di famiglia allorchè vi è nella famiglia medesima qualche persona dispensata ad usar cibi di grasso, possono estender la dispensa indistintamente a tutti gli individui della stessa famiglia.*

Sacra poenitentiaria die.... respondendum censuit *infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam sive generatim expensarum compendium eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.*

3. Ad quaesitum: *Se nella quaresima, essendo il capo di famiglia dispensato a mangiar carne, ed il medesimo non potendo o non volendo far due pranzi, uno di grasso e l'altro di magro, i figli di famiglia e le persone addette al suo servizio possano mangiar carne.*

Sacra poenitentiaria die 16 ian. 1834. respondendum censuit, *posse personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis: adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die iis qui ieiunare tenentur.*

4. Ad quaesitum: *Se colero, i quali sono dispen*

EPISTOLA ENCYCLICA IV.

SUPER MISSARUM STIPENDIO

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium non solum omni religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti sacrificii dignitate cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex catholicae fidei cultoribus, qui ignoret. *Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum sive ecclesiasticorum, sive laicorum virorum avaritia, quae est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter missarum celebrationem iuxta locorum consuetudines, vel dioecesanarum synodorum sanctiones in subsidium alimentorum uniuscuiusque sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus praescripta, colligant; missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae seu stipendia vel consuetudine, vel synodali lege pro singulis missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium volantate, omnes plane intelligunt, nec aliter existimandum est; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.* Execrabilem huiusmodi abusum

sati dalla osservanza del digiuno per causa di esercitare arti faticose, possano nella quaresima, allorchè è concesso l'indulto di cibarsi di carne e di latticinii (pro unica comestione) far uso delle carni e dei latticinii tutte le volte che nel corso della giornata hanno bisogno di mangiare, siccome nei giorni di domenica della stessa quaresima nei quali non obbliga il digiuno.

Sacra poenitentiaria die 16. ian. 1834. de mandato felicis recordationis Pii papae VII. respondet, *fideles, qui ratione artis vel laboris ieiunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt.*

5. Ad quaesitum: Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, subiiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur.

Sacra poenitentiaria die 13. febr. 1834. respondit: *consulat probatos auctores.*

6. Ad quaesitum: *Un confessore domanda alla S. V. se ai dispensati ad esum carnium nei giorni di venerdì e sabbato fra l'anno, nei quali non è l'obligo del digiuno, sia permessa la promiscuità dei cibi, non ostante la risposta data da Benedetto XIV. all'arcivescovo di Saragozza per organo della segreteria dei memoriali li 5. gennaio 1755.*

Sacra poenitentiaria die 15. febr. 1834. proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione sanctissimo domino Gregorio XVI., de ipsius sanctitatis suae mandato respondet, *permitti.*

7. Ad quaesitum: Utrum in diebus ieiunii tempore adventus a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, ei propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium.

Sacra poenitentiaria die 3. ian. 1834. respondit: *Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuita-*

3. Ad quaesitum: Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati, vulgo *salumi*, id est *alici*, *mosciame*, *caviale*, *aringa*, *tarantella* aliaque his similia, an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi.

Sacra poenitentiaria die 16. ian. 1834. respondit: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

9. Ad quaesitum: Utrum tempore ieiunii cui licitus est usus carnium liceat miscere testacea marina, quae improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est *ostriche*, *telline*, *patelle*, *canolicchi*, *cappe*, *granchi* etc.

Sacra poenitentiaria die 16. ian. 1834. respondit: *Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

10. Ad quaesitum: *Se quelli che sono dispensati dalla qualità dei cibi, possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla loro salute, e nel resto far uso di cibi esuriali per conservar quanto si può l'osservanza della legge dei cibi.*

Sacra poenitentiaria die 3. febr. 1823. *attente consideratis expositis, respondet affirmative.*

11. Ad quaesitum: Utrum, quum sive per bullam Cruciatae sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo *strutto*) solo titulo condimenti, ii qui ad ieiunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione.

Sacra poenitentiaria die 16. ian. 1834. respondet: *Quod ii qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis; quia illa, vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.*

alicubi sensim irrepentem detestantes romani pontifices praedecessores nostri, de consilio tum congregationis s. r. e. cardinalium universalis inquisitionis contra haereticam pravitatem, tum congregationis cardinal. conc. Trid. interpretum, *decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione missae a quocumque accepta non posse alteri sacerdoti missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset.* Eapropter vos, venerabiles fratres, in apostolici ministerii et sollicitudinis nostrae partem adscitos rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, eritamim ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inserverunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire mammonae docens, efficit ut avari haereditatem non habeant in regno Christi et Dei. Quod si haec in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam praecipiti animo rapiantur? Contendite igitur, venerabiles fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad coeleste ovile currere doceatis. *Quoniam autem ita comparatum est, ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris dioecesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu romanum pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.* Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae, posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem in populos etiam curae vestrae commissos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die trigesima mensis iunii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA ENCYCLICA V.

SUPER MISSA PAROCHIALI ET CONVENTUALI ITEM DE DIVINAE PSALMODIAE CANTU

Cum semper oblatas nobis occasiones apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sincere nostrae erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero maiori animi alacritate idipsum praestamus, quum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso, praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati nostrae omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam religiosae vigilantium pastorum curae, identidem inculcando, commendemus.

Huius porro epistolae ad vos scribendae occasionem nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso: tum et

iam applicatio missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in huius almae Urbis nostrae congregationibus et potissimum in congregatione venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium concilii Tridentini interpretum, cuius secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam pontificiam praedecessorum nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius apostolicae sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat, et fraternitatibus vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, iuxta quam synodales, aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, iuxta ea quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad huius nostrae curiae tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse praecipimus ac iubemus: quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, iudicia exigi et conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enuntiavimus, sacrosanctum missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id veluti ex divino praecepto descendens, a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur sess. 23. cap. 1. de reformat. per haec notabilia verba: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes huiusmodi obligationem a sancta synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint, quum tamen relata concilii verba satis clara et perspicua sint, *quumque praedicta congregatio eiusdem concilii interpretationi privative praeposita constanter edixerit; eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum haec intelligentia a praedecessoribus nostris romanis pontificibus approbata fuerit, et confirmata: nihil iam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.*

Neque nos tamen qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus secretarii praedictae congregationis concilii Tridentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in anconitanae cathedralis, partim in metropolitanae bononiensis, patriae nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus; non, inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a nobis est occurrendum.

Quum enim sacrum Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est sess. 6. c. 2. sess. 7. c. 5. et 7. sess. 21. c. 6. sess. 25. c. 16.; non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda huiusmodi ecclesiae onera, usque ad novi rectoris electionem, ab episcopo deputari debeat, eodem concilio Tridentino id iubente sess. 24. c. 28. de reformat.; nonnulli ex huiusmodi vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles: vel ad breve tempus hu-

iusmodi curae sint addicti; ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a praedicta applicatione missae pro populo nonnumquam alienos se ostendunt. *Itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.*

Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam in usu fuisse. *Nos autem ad praecedentes praedictae congregationis concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod, licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes missae sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina synodus sess. 23. c. 14. praecipit episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant missas celebrent:* in pluribus autem synodalibus episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debent. At vero nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; *et quamvis compertum habeamus id, quod alias a congregatione concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere, eum vero, qui uberioribus huiusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri:* quum tamen pariter nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint: quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus huiusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae nobis innotescant: *Idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto;* quum praedicti dominici, aliique festi dies ii sint, in quibus iuxta praeceptum concilii Tridentini sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta synodus statuit ut *moneat episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*, et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debent, iuxta id quod a praedicto concilio in cit. c. 4. episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri* curent.

Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto, de apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christi fideles et missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missae sacrificium, nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in huiusmodi diebus festis penitus eliminentur, *statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur*

Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus, aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub vicarii, seu oeconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant, quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti, proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missae recipere: *Idcirco nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis huiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.*

Quod autem spectat ad vicarios, sive oeconomos ecclesiarum vacantium, quum a sacro Tridentino concilio cit. sess. 24. c. 18. cuilibet episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi, *cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione;* vestrum erit, ven. fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, *ut egenti vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum camerae nostrae apostolicae exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigemus, quae is denuntiare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus, cum quibus episcopi ecclesiasticae nostrae ditionis, caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.*

Ac demum, quoad illos, qui tamquam *vicarii*, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicuius ecclesiae parochialis, ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitae; quamvis a recol. mem. praedecessore nostro s. Pio papa v. praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione quae incipit, *Ad exequendum*, data kalendis novembris anni 1567. distincte statuitur; *nihilominus ubi praescripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis de praecepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit episcopis synodus Trid.* sess. 7. c. 7. *dum illorum arbitrio permisit, iuxta temporum, atque iniunctorum onerum rationem, congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare;* quam ob causam nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

Haec igitur circa missam parochialem statuenda, et fraternitatibus vestris denuntianda iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quae pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam *missa conventualis* celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio, eaque de re perspicuae pariter, et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac congregatione vener. fratrum nostrorum concilii Triden-

tini interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes, *ut scilicet missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur;* eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto applicare debere superius declaravimus. *Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis eiusmodi sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missae conventualis. Etenim huiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*

Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit; nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

Profecto non solum prioribus ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis (quod vos ex historia ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missae sacrificium offerretur, quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit, licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione sa bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esseduxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione iacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco fas est deserere usum et disciplinam orandi pro iis, et sacrificium missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit

Quemadmodum vero, loquendo de missa parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto, ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores, provide e medio sublatae fuerunt per opportunas congregationis concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

Nonnulli siquidem obtentu *contrariae consuetudinis*, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. *Verum iam pluries responsum fuit huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.* Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare: ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, mandando *singulis praedictis, ut missam conventualem quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam huiusmodi celebret applicetque.*

Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis, aut dignitatibus celebretur, sed aliquando

etiam a beneficiatis, aut mansionariis, quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redactae, vix foret, ut ab aliquo curarentur cum magno detrimento servitii ecclesiae praestandi. Tridentina quidem synodus sess. 24. c. 15. opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad congregationem concilii recursum habere: cuius erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus nostris eidem impertita, et a nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae, atque etiam aliquando tres missae conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a nobis dictum fuerit, primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earumdem ecclesiarum capitula iurisdictioni vestrae respective subiecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

Huiusmodi quaestio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae congregationi venerabilium fratrum nostrorum concilii Tridentini interpretum proposita est. Iamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam et tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum manere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque huiusce dubii solutionem eadem congregatio nuper iudicio nostro remittendam esse censuerit; *Nos ita iudicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam, aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae, tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.*

Huic demum epistolae nostrae finem imponentes, fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris, praeter devotam celebrationem debitamque applicationem missae conventualis, horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur. Equidem scimus in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis, aut mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. At quum synodus Tridentina sess. 24. c. 12. loquens de dignitatibus et canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat: *In choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare;* quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a canonicis choro assistitur, ideoque receptae in universa ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa numquam in congregatione concilii Tridentini interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata; quamvis praesumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium huius nostrae urbis super hoc instantibus: quum denique idem iudicium prolatum reperiatur a pluribus conciliis provincialibus

ab hac etiam apostolica sede approbatis et confirmatis: nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. *Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius, vel alterius ecclesiae canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinae psalmodiae cantu. Verum nisi illis praesto sit apostolicum non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, iure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur.* Quapropter vestrum erit, venerabiles fratres, haec omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum iudicem fraudi sit, si in huiusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die 19. augusti 1744. pontificatus nostri anno quinto.

EPISTOLA ENCYCLICA VI.

SUPER USURA

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus iudicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quae sanae doctrinae haud consentaneae viderentur; cum statim nostri apostolici muneris partem esse duximus opportunum afferre remedium, ne malum eiusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret, aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiae civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo sedes apostolica semper uti consuevit, quippe rem totam explicavimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae cardinalibus, qui sacrae theologiae scientia, et canonicae disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur: accivimus etiam plures regulares in utraque facultate praestantes, quorum aliquos ex monachis, alios ex ordine mendicantium, alios denique ex clericis regularibus selegimus. Praesulem quoque iuris utriusque laurea praeditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus iulii, qui nuper praeteriit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post haec praecepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat, cum plura documenta non suppeterent, quae necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quae nuper in vulgus spargi coeperunt. Iussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18. iulii, altera vero die prima augusti, qui menses nuper elapsi sunt, ac demum easdem sententias congregationis secretario scriptas tradiderunt.

Porro haec unanimi consensu probaverunt:

1. *Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.*

2. *Neque vero ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale iam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex eius obligatione iustitiae, quam commutativam appellant, et cuius est in*

humanis contractibus aequalitatem, cuiusque propriam, et sancte servare, et non servatam exacte reparare.

3. *Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos forte concurrere; ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.*

4. *Quemadmodum vero in tot eiusmodi diversis contractuum generibus, si sua cuiusque non servatur aequalitas, quidquid plus iusto recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) at certe ad aliam veram iniustitiam restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est: ita si rite omnia peragantur, et ad iustitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat humana commercia, et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi ac frequentandi. Absit enim a christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas iniurias florere posse lucrosa commercia existiment: cum contra ex ipso oraculo divino discamus, quod iustitia elevet gentem, miseros autem faciat populos peccatum.*

5. *Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum, vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, et catholicae ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem etiam id saltem latere potest, quod multis in casibus teneatur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente: « Volenti mutuo a te, ne avertaris » et quod similiter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene cum mutuo iustus alius titulus, verene iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur.*

His verbis complectuntur, et explicant sententias suas cardinales ac theologi et viri canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non praetermisimus antequam congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam praestantium virorum suffragia, quae modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. *Cum haec ita sint, approbamus et confirmamus quaecumque in sententiis superius expositis continentur;* cum scriptores plane omnes theologiae et canonum professores, plura sacrarum litterarum testimonia, pontificum decessorum nostrorum decreta, conciliorum et patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores, quibus contrariae sententiae referri debent, et eos pariter qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam seu occasionem praebere videntur. Neque ignoramus quanta sapientia et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimi illis regionibus, ubi controversiae eiusmodi principium habuerunt. Quare has litteras encyclicas dedimus universis Italiae archiepiscopis, episcopis et ordinariis, ut haec tibi, venerabilis frater, et caeteris omnibus innotescerent; et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris dioecesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere: si quis autem parere detrectaveverit, illum obnoxium et subiectum declaramus poenis per sacros canones in eos propositis, qui mandata apostolica contempserint ac violaverint.

De contractu autem qui novas has controversias excitavit, nihil in praesentiarum statuimus, nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus

theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias. Attamen pietatis vestrae studium ac religionem inflammandam existimamus, ut haec quae subiicimus executioni demandetis.

Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usurae labem ac vitium a divinis litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem et gratiam rursus in extremam ruinam praecipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis ac sapientiae ita confidunt, ut responsum ferre de iis quaestionibus non dubitent (quae tamen haud exiguam sacrae theologiae et canonum scientiam requirunt), ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant; etenim aliqui tanta severitate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tamquam illicitam, et cum usura coniunctam, contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione et praestantium virorum testimoniis minime careat: siquidem convicia atque iniuriae vinculum christianae caritatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum prae se ferunt.

Tertio loco, qui ab omni usurae labe se immunes et integros praestare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Haec magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt disputationibus, quae non semel concitandae sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quae rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus qui dictitant de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit et a veritate alienum plane deprehendimus, si perpendamus naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et seiunctam esse, et ea pariter discrepare magnopere inter se quae a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri; ac fructum qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque iudicio restituendus decernitur. Constat igitur, haud inanem de usuris quaestionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia quae alteri tribuitur fructus aliquis excipiatur.

Haec potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore ut mandetis executioni quaecumque per has litteras a nobis praescribuntur; opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in dioecesi vestra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandum sanae doctrinae candorem et puritatem inducantur; postremo vobis et gregi curae vestrae concredito apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die prima novembris 1745. pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLA ENCYCLICA VII.

SUPER MATRIMONIIS SECRETIS

Satis vobis compertum esse non dubitamus, *venerabiles fratres*, eam semper fuisse piae matris ecclesiae vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, *magnum* ab apostolo nuncupatum, publice et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius quam antea factum fuerat in posterum ab omnibus observaretur, sancta tridentina synodus lateranensis concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo, praecepit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium,

parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur: deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie ecclesiae coram parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus praesentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta synodus apud parochum diligenter librum custodiri, in quo coniugum et testium nomina, diesque et locus matrimonii describantur.

Providae tamen huiusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo iaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denuntiationibus, coram solo parocho, vel alio sacerdote de eius licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi saepe extra ecclesiam, quandoque etiam inter illam, ianuis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cuiusvis praesentia, scientia initi matrimonii praeter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec matrimonia, *conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque coniicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini iudicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excaecant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris coniugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere ut in huius magni sacramenti contemptum, post primas secreto initas, et alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque matrimonii suspicionem summovendam virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una.* Sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus et a matre praesertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunae casibus obiectam relinqui; nisi etiam parentes ipsi contra naturae leges, ausu nefario illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat, alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum, et bonorum iactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament iura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum matrimonia et ademptam legitimitatis, et filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris iuste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac apostolicae sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin vos ipsos, ven. fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re episcopos versari, non obscura vobis a concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem san-

cta synodus) probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho, et duobus testibus praesentibus matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facultas, non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne post remissas denuntiationes celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho, vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriatur. Id enim ut ad praescriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro nostrae poenitentiariae tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et foemina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent; facile enim quisque coniiciet, quam absonum esset, eos a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat, sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

Hunc porro in scopum vos hortamur, et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio: an scilicet eius qualitatis gradus et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui, vel alieni iuris; an filiifamilias, quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim, quod geritis, munere, nimium esset alienum facilem praeberi filio inobedientiae occasionem: an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones, et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, ut contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamiae periculum.

Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen vobis occurrent circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna caritate coniuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro, ac Christo iudici districtam reddituros esse rationem nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus, a maioribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, ut ad perennem gestae rei memoriam praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more annotantur. Huiusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus, et eo tantum casu resignari et aperiri vestra accedente licentia eum patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet iustitiae administrandae necessitas, vel demum, quo aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes, ut, re absoluta, denuo claudatur, et sigillis, ut antea obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, ex-

arandae, vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout iacent de verbo ad verbum a persona a vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero et attestationes ipsae in secretiori loco sartae tectaeque a vobis serventur.

Quod si ex occulto huiusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri, volumus ac expresse mandamus, ut a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre suscepta proles vobis denuntietur, dictaque denuntiatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum, baptizata est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant, debita poenarum districtione pro modo culpae a vobis puniantur. Quinimmo cum satis nobis experientia compertum sit, in huiusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes ob humanos respectus, tardiores effici, et a recta agendi semita revocari; mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari et nota fieri, si certo vobis constiterit ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus intra triginta dies a nativitate numerandos.

Ne autem contumaces et inobedientes, violatae fidei proditique secreti pastores suos insimulent, sedulo a vobis curandum est, ut a parocho, vel alio sacerdote pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputando, coniuges clare et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuntietur episcopo cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est: alioquin matrimonium licet contractum data per episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratia filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam iacturam. Volumus denique ac mandamus fidem, seu attestationes matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatae, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud vos caute custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis, et matrimonii vindicare consueverunt.

Haec a vobis, ven. fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus ad communem animarum salutem, et ad praesidium ecclesiasticae disciplinae propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis vel reformidantis. Caeterum nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo, in diem ingruenti, consona dignoscet prudentia vestra ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternae caritatis et benevolentiae testem apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 17. novembris 1741. pontificatus nostri anno secundo.

DECRETUM I.

Contra sollicitantes et complices peccati turpis.

Sacramentum poenitentiae, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti patres apte nuncuparunt, nos licet immerentes ad universi dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem atque interitum vertatur.

Dudum quidem a fel. rec. Gregorio papa xv. praedecessore nostro per suas litteras in forma brevium sub datum Romae apud s. Mariam Maiorem die 30. augusti 1622. pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos ad turpia et inhonesta sollicitantes: et deinceps successivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde a congregatione vener. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sub die 11. mensis februarii anno Domini 1661. prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro pp. vii. pariter praedecessore nostro in congregatione generali die 24. septembr. 1665. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et sanctorum patrum doctrina alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandae, damnatae et prohibitae fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem s. ecclesiae Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes poenitentiae sacramento nefarie abutentes poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino praesides et iudices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum sacramentum administrent: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra praefatas litteras huiusmodi, ac omnia et singula decreta praedicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus locorum ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani in suis respective dioecesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac sedi apostolicae immediate subiectos, quorumcumque ordinum, institutorum, societatum, et congregationum, et cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos, *qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint:* et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas iuxta memoratam Gregorii praedecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et ecclesiae Dei iniuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, iam alias in praefata constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

« Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere iuxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi locorum ordinariis praedictis, personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

» Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu ma-

Enitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, ipse absolutionis obtinendae, quam nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat. »

Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum, et ecclesiae iniuriam longe summovere et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam daemonis potius, quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, « maiori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus episcopis per synodales suas constitutiones iam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate apostolica, et nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipsi quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus: et nihilominus si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam, a quo absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscumque iubilaei, aut etiam bullae, quae appellatur Cruciatae sanctae, aut alterius cuiuslibet indulti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati et poenitentis genere, iurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim, quae nuncupantur Cruciatae sanctae, vel iubilaei universalis et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. »

Volumus demum, ac praecipimus, ut omnes locorum ordinarii, tam praesentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione confessariorum, tam praedictam constitutionem Gregorii praedecessoris nostri, quam praesentem hanc nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi, et accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exibeantque semetipsos ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Memores praeterea sint, se locum tenere, ac vices obire summi, atque aeterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpa coelum claudatur, ne deperditae oves ad ovile dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur, ne prodigi filii egentes et saucii, ad coe

lestem patrem revertentes, nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiae lateranensis, et basilicae principis apostolorum, nec non cancellariae apostolicae, curiaeque generalis in monte citatorio, ac in acie campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, kal. iunii, pontificatus nostri anno primo.

DECRETUM II.

Contra eosdem complices etc.

Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et iusta, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus. Sane cum nos alias per quamdam nostram constitutionem, cuius initium est, *Sacramentum poenitentiae*, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo kal. iunii pontificatus nostri anno primo editam, omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus interdixerimus et prohibuerimus, *ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit,* confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset, tamquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione et facultate, ad valide absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore eiusdem constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et insertó haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos subinde super ea dictae constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cuiusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis coniecturis et opinionibus iactata in sensus a mente nostra alienos forsitan distrahatur, eiusque vigor paulatim langueat atque enervetur: hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine memoratam constitutionem nostram cum omnibus et singulis in ea contentis tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus et omnino, atque ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Praeterea habita super his cum venerabili fratre nostro Vincentio episcopo praenestino sanctae romanae ecclesiae cardinali Petra nuncupato, poenitentiario nostro maiori, ac dilectis filiis officii poenitentiariae apostolicae ministris, qui rem iussu nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, edicimus ac declaramus eadem « Constitutione singulis, ut supra, sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab huiusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdici reipsa et prohiberi praedicto modo

tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertiri. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi, censeriique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et praecipimus. Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit, quamvis huiusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad sacramenti poenitentiae valorem requisitae non defuerint (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat): nihilominus sacerdos ipse violatae ausu eiusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta constitutione maiorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, nobis, et huic sanctae sedi reservatam incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praefata nostra constitutione voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. » Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die octava februarii anno millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus nostri anno quinto.

DECRETUM III.

Contra sollicitantes, et sacrificio missae abutentes.

In generali congregatione sanctae romanae et universalis inquisitionis habita in palatio apostolico quirinali coram sanctissimo domino nostro domino Benedicto divina providentia papa XIV. et eminentiss. ac reverendiss. dd. s. r. e. cardinalibus adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a sancta sede apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus dominus noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto missae sacrificio, ac salutaris poenitentiae sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit « quod in posterum sacerdotes tam saeculares quam regulares cuiuscumque ordinis, instituti, congregationis, et societatis etiam de necessitate exprimendae, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut praetextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missae abutentes ad sortilegia, praeter poenas iure et apostolicis constitutionibus, et signanter san. mem. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem »; quodque eiusmodi decretum significetur singulis cuiuscumque ordinis superioribus, ac praepositis, ad hoc, ut de illo, sicuti et de praedictis, aliisque summorum pontificum constitutionibus iuxta praescriptum in generali decreto supremae inquisitionis die 15. decembris 1633. semel saltem in anno, id est feria sexta post octa-

vam Assumptionis beatae Mariae Virginis in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque generali vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu suos subditos ac religiosos commonendos curent, eiusdemque commonitionis coram suprema congregatione iuratum testimonium exhibeant.

DECRETUM IV.

Contra confessarios exquirentes nomen complicis

Ubi primum de perversa quadam et absurda praxi in sacramento poenitentiae administrando apud nonnullos confessarios in Portugalliae et Algarbiorum regnis introduci coepta, non sine animi nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate tum magnitudine facerent, praetermittere non potuimus, quin continuo datis ad venerabiles fratres eorumdem regnorum ac ditionum archiepiscopos et episcopos apostolicis nostris litteris, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero litterarum die septima mensis iulii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas praesenti huic nostrae constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

« Suprema omnium ecclesiarum sollicitudo et divina Iesu Christi omnium pastorum principis, cuius vices plane immerentes gerimus, caritas assidue urget nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostrae universi dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes christiani orbis populos ac nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus, atque iis praecipue regnis et locis peculiari quodam apostolicae nostrae caritatis studio, auctoritatisque providentia consulamus, in quibus cum fides, religio, pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens, qua ex arte non minora saepe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta esse proventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliae et Algarbiorum regnis et ditionibus, quibus vos antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestrae commendatione praesidetis, et quibus pro singulari erga catholicam ecclesiam, atque apostolicam hanc sanctam sedem observantia meritae debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus ». Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quandam, et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo poenitentiae sacramento administrando invehere atque introducere coepisse, ut videlicet si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iis poenitentibus socii huiusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conaretur; sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque nisi revelarent absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent: imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. « Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones huiusmodi vel falsas et erroneas sequendo, vel veras et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam poenitentium animabus consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno iudice constituerent. Et vero iam secuta fuisse multa eiusmodi damna infelici experientia compertum est; nec fieri potuit, quin ea de causa, et oblocutiones, et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia nos haec nuntia cum accepimus, simul audivimus contra exitialem huiusmodi abusum protinus iusta indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos filios nostros s. r. e. cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis generalem inquisitorem, et Thomam de Almeyda patriarcham lisbonensem, atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo, atque etiam eradicando allaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud

vos obscuram et ambiguam esse sinamus »; notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a nobis per praesentes nostras in forma brevis litteras reprobari atque damnari, tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem poenitentiae sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu fideles abalienantem. « Eapropter, venerabiles fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus: supremi tamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostrae aperta significatione, et apostolicis insuper hortationibus nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus et efficacioribus quibusque iuris remediis quoad opus fuerit, contra delinquentes ministros adhibitis, noxiam huiusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinae misericordiae fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in sangutne suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro ac prudentia luculentiora nobis certo pollicemur vestrae pietatis et observantiae argumenta, apostolicam benedictionem cum uberrima coelestium charismatum copia coniunctam vobis, venerabiles fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 7. mensis iulii 1745. pontificatus nostri anno quinto. Caietanus Amatus. »

Has porro nos litteras in forma brevis tunc datas iterum praesentibus nostris confirmamus et roboramus, easque ab omnibus et singulis fideliter exacteque observari iniungimus atque praecipimus.

« Statuentes insuper ac decernentes, ut quicumque cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali et individua, ad effectum ut hisce nostris praesentibus comprehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse huiusmodi praxim, prout ea in relato nostro brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem; vel ea quae in dicto brevi contra eamdem praxim decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a nobis vel a pro tempore existente romano pontifice absolvi. »

Et quia non modo cavendum est, ut quae sunt a nobis in praeinsertis litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione pravaque interpretatione salva sint, et immunia, verum etiam, ne quis in sacramenti poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus et singulis confessariis utriusque cleri tam saecularis quam regularis, quantumvis exempti, et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione iudicii atque in virtute sanctae obedientiae prohibemus, « ne conformiter ad praedictam reprobatam praxim poenitentes qui peccatum, seu crimen aliquod, cuius socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis huiusmodi adiunctis, sive circumstantiis, expressionem, magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subiiciendos. »

Praeterea quoniam contra damnatum huiusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum ac formam etiam in foro externo procedendi, et ultrices adversus reos poenas imponendi, statuere, atque ordinare, omnesque super hoc exorituras, vel etiam iam exortas dissensiones componere, et penitus amputare, volumus, decernimus, ac declaramus, « quod docentes ut supra licitam esse praxim a nobis iam reprobatam, vel in eiusdem praxis defensionem scribentes aut loquentes, vel eiusdem reprobationem in memorato nostro brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes, in officio san

ctae inquisitionis praedictorum regnorum atque ditionum severe puniantur, et contra eos, et eorum quemlibet in eodem officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi solet qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a sede apostolica reiectas et condemnatas.

« Similiter in eodem officio procedendum erit et procedi volumus ac statuimus contra confessarios quoque, ut supra delinquentes, ac de nomine complicis poenitentem interrogantes, eidemque poenitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes. Dummodo tamen huiusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis coniunctus sit ac convestitus, quae sic agentem confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

Itaque contra praedictos omnes et singulos delinquentes tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac sedi apostolicae immediate subiectorum ordinum, institutorum, societatum, et congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, et quorum specialis et nominatim mentio facienda sit praedictorum regnorum, ac ditionum inquisitores, potestate a nobis tradita, et quatenus opus sit, praesentium tenore de novo concessa, prout in causis fidei, iuxta sacrorum canonum formam, nec non sancti officii inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines et decreta diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo ex huiusmodi excessibus culpabiles repererint in eos pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione ordinum, privationis beneficiorum, dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae ac passivae si regulares fuerint, aliasque poenas decernant, omnes etiam vel earum tantum aliquas in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

« Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum, in edictis sancti officii eiusmodi inquisitionis praefigi solitum, eidem sancto officio denuntiare teneantur; alioquin poenas non denuntiantibus per eadem edicta infligi consuetas incurrant. Verumtamen ab huiusmodi onere denuntiandi iustis de causis eximi volumus et eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quod suum peccatum confitens a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim poenitentem huiusmodi ab obligatione eumdem confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit confessarium aliquo ex superius enumeratis, et sancto officio denuntiandis modis deliquisse, tunc eum et ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

» Quod si confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat eiusmodi esse, ut, quamvis imprudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto nostro brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum neque denuntiationis oneri, neque sancti officii praedicti cognitioni subiectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum ordinarios in sua cuiusque dioecesi omnino spectabit. »

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra eiusmodi delinquentes procedendi, ut praefertur, constitutis, ac suis unicuique iudici ecclesiastico iuribus assignatis et distributis; hanc nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit, quae tamen haud umquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper praeclara inclytae Lusitanae nationis uversae erga sedem apostolicam observantia et obedientia, nec non eximia tum istius sanctae inquisitionis officii, tum cuiusque loci ordinariorum numquam defutura vigilantia. Quapropter quaecumque aliter, quam praesentibus nostris decrevimus et constituimus, sive in edictis praefati officii inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis ordinariorum mandatis, aut pastoralibus litteris vel decretis antehac statuta prodierunt, ea nos, quoniam post apostolicam hanc a nobis propositam agendi seu iudicandi normam, minus necessaria fore censemus desinere iam et cessare, ac, veluti numquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine declaramus.

statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem praeinsertas, nec non praesentes nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu alias speciali et individua mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas tum praeinsertae, tum praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, praetextu et capite de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse, sed ipsas praesentes, easdemque praefatas in forma brevis litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis praemissis ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte et inviolabiliter observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam s. r. e. cardinales, et contra haereticam pravitatem generales inquisitores, Legatos quoque de latere, et apostolicae sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, et praeeminentia fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in universalibus, sive provincialibus, aut synodalibus conciliis editis generalibus, sive specialibus constitutionibus, et ordinationibus, edictis quoque praedicti inquisitionis officii, et quorumcumque ordinariorum, etiam episcoporum et metropolitanorum mandatis, litteris pastoralibus, sive decretis, nec non eiusdem officii, et quarumcumque ecclesiarum etiam episcopalium et metropolitanarum, et quorumcumque ordinum, congregationum, religionum, et institutorum, etiam societatis Iesu, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis eidem inquisitionis officio, illiusque inquisitoribus, commissariis, aliisque officialibus, tum etiam ecclesiis, eorumque praelatis, ordinibus, congregationibus, institutis, societatibus, illorumque superioribus, et personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam efficacissimis et insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam motu, et apostolicae potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam regia, aliave qualibet mundana vel ecclesiastastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis.

Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores praedictos pro sufficienter et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque huiusmodi pro plene et exacte observatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etc. Datum in arce Gandulfi Albanensis dioecesis anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto nonas iunii, pontificatus nostri anno sexto.

DECRETUM V.

Super oratoriis privatis.

Cum duo nobiles coniuges dioecesis marsicensis obtinuissent a sede apostolica indultum pro celebratione missae in privato suo domus oratorio sic conceptum: «Dilecte fili, et dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestrae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque spiritualibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas foro censentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, qui (ut asseritis) locorum Gallichii, et Messanelli Marsicen., seu alterius dioecesis iurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercentes, baro, et baronissa respective existitis, ut in privatis domorum vestrae

habitationis in civitate, et dioecesi Marsicens. existen. oratoriis ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, per ordinarium loci prius visitandis et approbandis, ac de ipsius ordinarii licentia eius arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac paschatis resurrectionis, pentecostes, et nativitatis Domini nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in vestra, ac natorum, consanguineorum, et affinium in eadem domo vobiscum insimul habitantium, familiaeque et quaod oratoria ruri existentia, etiam in hospitum nobilium, vestrorumque praesentia celebrari facere, libere et licite possitis et valeatis, ac vestrum quilibet possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod familiares servitiis vestris tempore dictae missae actu non necessarii ibidem missae huiusmodi interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 12 februarii 1739. » Cumque exorta esset dubitatio, an ex vi huiusmodi indulti liceret missam celebrare in privato oratorio, etiam sine praesentia alterutrius ex dictis coniugibus, in quos indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum doctorum pro affirmativa et negativa respective sententia inter se certantium, sacra cong. concilii, ad quam huius quaestionis resolutio delata fuit, die tertia dec. 1740, censuit, *Non licere*; deinde vero sanctissimus Dominus noster reprobata contraria doctorum sententia, praedictam sacrae congregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam praesenti decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missae actu non interest aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est; indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus breve dirigitur, nimirum personis illis, quae a tergo eiusdem brevis proprio nomine nuncupantur adeo ut sine praesentia alicuius ex dictis personis minime liceat missae sacrificium peragi, etiamsi praesens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per eiusmodi brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares, iuxta clausulam iisdem brevibus insertam, non sit ex illis actu necessariis) assistens missae, quae celebratur in oratorio privato in praesentia alicuius ex personis a tergo brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi missam diebus festis de praecepto. Sublata igitur et proscripta quacumque minus germana interpretatione eiusmodi brevium, et indultorum in contrarium hactenus facta, sanctitas sua ita declaravit, et servari omnino mandavit, districte praecipiens, ut omnes episcopi, aliique locorum ordinarii, etiam tamquam a sede apostolica delegati executioni et observantiae huius decreti diligenter incumbant per canonicas poenas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

DECRETUM VI.

Super clausura monialium.

Salutare in catholica ecclesia institutum ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacrae virgines, quarum, quo sublimior gloria est, maior et cura est, intra monasteriorum septa et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post Tridentinae synodi decreta romani pontifices praedecessores nostri tot sanctissimis legibus, et initis apostolicae providentiae caritatisque consiliis communire et confirmare studuerunt; ut, quae se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno praemio destinatum.

Quoniam autem, etsi providas huiusmodi sanctiones constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinae observantia custodirentur, satis esse scimus, ut virgines ea quae coelestis earumdem sponsi Iesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctae et corpore, et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis venerabilium fratrum aliarum ecclesiarum antistitum querelis admoniti,

supremas apostolicae auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut « abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut praetendentium, aut obtendentium, facultatem alias sibi quomodolibet sive a iure, sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii ingredi clausuram monialium, aut ipse moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, et extra clausuram huiusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim invectis opportune occurratur: hinc est, quod nos pro suprema omnium Christi fidelium procuratione imbecillitati nostrae in universalis orthodoxae ecclesiae regimine divinitus imposita, opportunum abusibus huiusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium omnes et singulas constitutiones a romanis pontificibus praedecessoribus nostris tam ante, quam post concilii Tridentini decreta super clausura monialium editas renovamus, et confirmamus, nec non imposterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit sub iisdem poenis in constitutionibus eorumdem praedecessorum nostrorum romanorum pontificum, et decretis concilii Tridentini praefati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus atque mandamus. »

Praeterea motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine earumdem praesentium tenore omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus et singulis *quibuscumque ecclesiasticis* personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac iurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem cardinalium congregationibus, etiam de latere legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad carissimos in Christo filios nostros romanorum regem in imperatorem pro tempore eligendum vel electum, reges et reginas illustres, aliasque summas potestates prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum antistites, tamen tamquam apostolicae huius s. sedis legati de latere alias nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi, et esse praetendunt, et in posterum habendi sunt; sive ordinarii, sive extraordinarii nostri et eiusdem apostolicae sedis ubicumque, etiam apud ipsos imperatorem et reges ac summas potestates nuntii, sive internuntii resident (exceptis duntaxat locorum ordinariis, iisque omnibus superioribus, quibus tamquam ordinariis et ordinaria iurisdictione utentibus, monialium monasteria subiecta et addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de iure servandis, et non aliter omnino) ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis romanis pontificibus, praedecessoribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu per quascumque apostolicas sive in simili forma brevis, sive sub plumbo expeditas litteras, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas super huiusmodi ingressu *revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus;* nec non a datarum earumdem praesentium die revocata, aboleta, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari; ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate huiusmodi sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione poenas et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus, praeterquam a nobis et pro tempore existente romano pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse; licentiamque huiusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse statuimus, decernimus ac declaramus. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissas interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in con-

pore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae romanae ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sedis praedictae nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus apostolicis: necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praedictis, aliisque quibuslivet personis etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis et etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac concistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausuras generales idem importantes mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis etc. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 3. ianuarii anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno secundo.

DECRETUM VII.

Super clausura religiosorum.

Regularis disciplinae observantiam, ante etiam quam et generalium ac particularium alicuius nationis, aut provinciae conciliorum decretis confirmaretur, et romanorum pontificum praedecessorum nostrorum legibus sanctionibusque praescriberetur, quoad vetitum mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum, tam integerrime custoditam fuisse constat, ut, nedum foeminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad monasteriorum claustra seu septa, quam ad ipsa eorumdem monasteriorum oratoria, et ecclesias nullus patuerit aditus et accessus; quin imo sub gravissimis poenis fuerit interdictus; ne scilicet, ut inquit s. Gregorius pp. I. praedecessor noster, in servorum Dei secessibus occasio praebeatur popularibus conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

Huiusmodi autem regularis disciplinae observantia, etsi pro temporum varietate ac necessitate tot tantasque subiit vices, ut iidem praedecessores nostri aditum et accessum ad publicas monasteriorum ecclesias dumtaxat sive masculis, sive foeminis sacrosanctum missae sacrificium audiendi, praedicationibus verbi Dei interessendi et sacramentum sanctissimae eucharistiae sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen parocherum praeiudicio, interdum concesserint; vicissim tamen praedecessores nostri tam ante concilii Tridentini decreta, quam post eorum

dem decretorum promulgationem denuntiationemque, providis saluberrimisque constitutionibus ordinationibusque sub poena etiam excommunicationis latae sententiae foeminis quibuscumque aditum ingressumque huiusmodi intra monasteriorum clausuram interdixerunt. « Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem apostolicas leges ac praecepta huiusmodi vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, foeminis quibuscumque aditum ingressumque tam manifeste ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii vero privilegia, indulta, praerogativas, facultates, licentias et alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a iure, sive ab homine factas et impertitas, seu facta et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac praeeminentiarum ratione debitas seu debita arrogantes, praetendentes, obtendentesque, foeminas quaslibet intra monasteriorum claustra, septa, coenacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti ac recipi sinunt, mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis ac religionis praetextu, cum supplicationes sive cum sanctissimo eucharistiae sacramento, sive cum sanctorum sanctarumque reliquiis, statuis et imaginibus per claustra, septa et alia monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos et foeminas supplicationes huiusmodi per eadem loca sequi et comitari licitum, quin imo, ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt. » Hinc est, quod nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos huiusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi sacrosancti apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum ecclesiarum antistitum documentis, quam iustis etiam superiorum, aliorumque virorum ex religiosis ordinibus Dei honorem, et instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus; auctoritate apostolica, tenore praesentium primum quidem omnes et singulas *constitutiones* sanctionesque a romanis pontificibus praedecessoribus nostris tam ante, quam post concilii Tridentini decreta super clausura monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas *renovamus et confirmamus*, nec non in posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in constitutionibus sanctionibusque eorumdem praedecessorum nostrorum romanorum pontificum, et decretis eiusdem concilii Tridentini contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus, atque mandamus. Deinde motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, earumdem praesentium tenore, *omnia et singula indulta*, privilegia, praerogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac iurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem cardinalium congregationibus, etiam de latere legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad carissimos in Christo filios nostros romanorum regum in imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, reges et reginas illustres, aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit, sive, qui licet aliarum insignium ecclesiarum antistites, tamen tamquam apostolicae huius s. sedis legati de latere alias nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse praetendunt, et in posterum habendi sunt: sive ordinarii, sive extraordinarii nostri, et eiusdem apostolicae sedis ubicumque, etiam ad ipsos imperatorem et reges, ac summas potestates nuntii, sive internuntii resident, ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis romanis pontificibus praedecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu, per quascumque apostolicas, sive in simili forma brevis, sive sub plumbo expeditas litteras, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas, super huiusmodi accessu et ingressu *revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus*, nec non a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus et declaramus. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus et declaramus quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate huiusmodi temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione poenas et ecclesiastica

censuras, a quibus, praeterquam a nobis et pro tempore existente romano pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse, licentiamque huiusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti perinde, ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quamtumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac s. r. e. cardinales, etiam de latere legatos, et sedis praedictae nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praedictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac concistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. « Caeterum per praesentes non intendimus derogatum esse iis concessionibus, quae ad favorem quarumcumque nobilium foeminarum ex eo, quod sive earumdem maiores, ac pro tempore existentes de familia, fuerint et habeantur fundatores vel insignes benefactores illius monasterii, intra cuius claustra vel septa foeminas etiam de familia ingredi vel concessum vel cautum esse sibi voluerunt, et de concessione huiusmodi confirmationem ab apostolica hac sancta sede obtinuerunt; sive foeminae huiusmodi sint consanguineae et affines eorum, qui sunt domini in temporibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, et quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa et occasione ingressu huiusmodi de praesenti gaudent, factae et impertitae fuerunt; dummodo concessiones huiusmodi

per apostolicas in simili forma brevis, vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat, et non aliter omnino factas et impertitas fuisse prius ordinariis locorum, antistitibus, vel praesulibus per legitima et authentica documenta constare fecerint; et dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi coenandique, nec per ambulacra, cubicula, coenacula, aliaque loca et officinas discurrendi causa, sed ad ecclesias accedendi, sacrosanctum missae sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de earum adventu et ingressu interdiu et opportune faciendo, superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc, ut absque fratrum incommodo et offensione, recto tramite ad ecclesiam pergatur, et alia de iure servanda serventur. » Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die tertia ianuarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno secundo.

DECRETUM VIII.

Super matrimoniis haereticorum in Hollandia et Belgio.

Matrimonia quae in locis foederatorum ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent, sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum, et catholicam foeminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a sacro Tridentino concilio praescripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis; id quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim episcopi, parochi, atque illarum regionum missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta sancta sede auderent statuere ac declarare. Cum autem, proxime evolutis annis, in tam ancipiti gravique causa apostolicae sedis iudicium vehementius exposceretur, urgeretque id inprimis vigilantissimus iprensis episcopus, dum pro debito officii sui, et sua erga beati Petri cathedram observantia, de ecclesiae sibi concreditae statu ad romanum pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis romanus pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, aestimaret, sacrae congregationi eminentiss. cardinalium concilii Trid. interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem sacra congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii episcoporum relationibus atque sententiis quas desuper explorari sategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot huius almae urbis theologos, quibus iniunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione, propter viduitatem quae intercidit romanae ecclesiae, donec ad summum pontificatum feliciter evectus sanctissimus d. n. Benedictus XIV. inter primas regiminis sui curas, causae huius cognitionem repeti iussit a memorata sacra congregatione concilii quam voluit coram se haberi, ut, auditis eminentissimorum patrum sententiis, ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronuntiaret oraculo. Cum igitur congregatio praefata sub die 13. maii currentis anni 1741., coram sanctitate sua fuerit habita, idem sanctissimus d. n. spatio aliquo temporis, ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper declarationem et instructionem exarari praecepit, qua veluti certa regula ac norma, omnes Belgii antistites, parochi, earumque regionum missionarii et vicarii apostolici deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

Primo scilicet, quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis foederatorum ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, sacram congregationem concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab apostolica sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit, declarare, negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescri-

pta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque coniugem ad catholicae ecclesiae sinum se recipere, eodem quo antea coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus sive masculus, sive foemina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod vero spectat ad ea coniugia, quae pariter in iisdem foederatis Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam foeminam in matrimonium ducat, sive catholica foemina haeretico viro nubat, dolens inprimis quam maxime sanctitas sua eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae s. mater ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant, episcopos omnes, vicarios apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et ecclesiae fideles ministros in his partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At, si forte aliquod huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum iam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat sanctitas sua, matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum matrimonium inire; id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem catholicum sive virum sive foeminam, ut pro gravissimo scelere quod admisit poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicae ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de caetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad haec declarat sanctitas sua, ut quid quid hactenus sancitum dictumque est de matrimoniis sive ab haereticis inter se, sive inter catholicos et haereticos initis in locis foederatorum ordinum dominio in Belgio subiectis sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem foederatorum ordinum contractis ab iis qui addicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera;* ita quidem, ut matrimonia ibi praeter Tridentini formam, sive inter haereticos utrinque, sive inter catholicos et haereticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a republica foederatorum ordinum, quamvis non iure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa coniugia quae contrahuntur, vel in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent, vel in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum principum, nihil sanctitas sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens ut de iis, iuxta canonica iuris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a sacra congregatione concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit statuitque, ac ab omnibus imposterum servari praecepit. Die 4. novembris 1741.

DECRETUM IX.

Super dispensationibus in matrimoniis.

Ad apostolicae servitutis nostrae ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis seu consanguinitatis, intra quos matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis a sacris canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini ac decori romanae ecclesiae, cui, licet immerito, divina benignitate praesidemus.

Sane quidem ad dispensationes obtinendas ab iis qui eas postulant, in supplici libello causae pro illis consequendis ex-

primi solent, quae si eiusmodi fuerint, ut iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, eiusque executio ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirendi, an causae expositae veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus vero si causae nullatenus veritati consentaneae sint. Si autem contingat ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur, qui eam impetrarunt, apud negotiorum gestores, seu litterarum apostolicarum expeditores conqueruntur, a quibus nonnumquam responderi solet, executionem perperam, et iniuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quaedam, et forensis styli consuetudo : quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem ac modum bene ac prudenter constitutum subvertit: *cum expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit , nullamque executionem mereatur.*

Id autem ut plurimum evenit in dispensationibus , in quibus apponi solet clausula: *Et oratoribus vitae periculum immineret*, quae cum saepe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis sine ulla ratione, causa et veritate expressa reperiatur, ordinarii locorum qui cautius et accuratius se gerunt, nisi vitae periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii vero, fortasse falso rumore inducti, quod huiusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius quam necesse est procedentes, periculo vitae neque argumentis probabilibus verificato, eoque oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam dispensationis exequuntur.

S. m. praedecessor noster Pius pp. v. in sua constitutione per viam motus proprii expedita et publicata sub die 5. decemb. ann. 1566., cuius initium est: *Sicut accepimus:* « decrevit, omnes et singulos procuratores tam officii sacrae poenitentiariae seu contradictarum, quam alios quoscumque sollicitatores et scriptores, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessario exprimendas diversam faciunt, seu quoquo modo intervertunt aut immutant aut deoravant et per subreptionem et obreptionem gratias a romanis pontificibus extorquent, poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere. »

Huiusmodi autem constitutio, quamquam videatur pertinere dumtaxat ad procuratores , sollicitatores et scriptores officii sacrae poenitentiariae, ubi per id temporis matrimoniales dispensationes etiam in forò externo concedi solebant, nihilominus pro pastorali nostra et paterna ex alto nobis commissa cura hortamur, monemus ac praecipimus omnibus et singulis negotiorum gestoribus, procuratoribus et expeditoribus « Litterarum apostolicarum, etiam datariae nostrae , ut cum supplices preces quo aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis oratoribus, an hae et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu, deinde in supplici libello facti speciem nitide ac sincere exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum ad gratiam dispensationis facilius obtinendam in precibus obtrudant; » demum prae oculis habentes, se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alma urbe exhibere, ubi cathedra veritatis est, ipsam solam ament et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui cum animae suae detrimento possint, falso et perperam asserentes causas, earumque verificationes ex provida nostrorum praedecessorum dispositione in huiusmodi gratiis ad ecclesiasticae disciplinae vigorem et canonicarum legum , et apostolicarum constitutionum voluntatem servandam apponi, et respective demandari solitas, vanas et superfluas esse, et tamquam inanes curiae formalitates parvi aut nihili esse faciendas.

Praeterea huiusmodi graves abusus, quibus honor et decus huius almae urbis dehonestatur, et sedis apostolicae splendori ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes, motu proprio, ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine praefatam « Constitutionem san. m. Pii v. praedecessoris nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes praedictos negotiorum gestores, procura-

tores et expeditores litterarum apostolicarum cuiuscumque status, gradus et conditionis, et quocumque indulto, privilegio et dignitate munitos, et quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus et innovamus, volentes ac decernentes ut in omnibus superius expressis casibus poena falsi contra delinquentes locum habeat, sine tamen praeiudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam eiusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.»

Denique omnes et singulos venerabiles fratres archiepiscopos, episcopos, et locorum ordinarios, caeterosque « Executores litterarum apostolicarum, quibus huiusmodi dispensationem executio committi solet, enixe rogamus et obsecramus, ut sedulo ac diligenter attendant priusquam dispensationis gratiam exequantur, an causae in apostolicis litteris expressae, et quarum verificatio eorum curae et vigilantiae a sede apostolica commissa est, veraene, an secus existant, an potius sedi apostolicae falsum expositum et veritas reticita fuerit: qua super re eorum conscientiam oneramus. » Et quoniam in iisdem apostolicis litteris super dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque praefatis impedimentis nonnulla observata sunt, quae negotium executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, apostolicae nostrae sollicitudinis erit ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum litteris apostolicis exponere ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram executore huiusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, apostolicae litterae matrimonialium dispensationum sine ulla haesitatione ad debitam executionem deduci possint.

Mandamus quoque, et iniungimus dilecto filio nostro Pompeio tituli sancti Eusebii s. romanae ecclesiae presbytero cardinali Aldovrando nuncupato prodatario nostro, eiusque successoribus datariae apostolicae prodatariis, seu datariis pro tempore existentibus, ut in praemissis reos, et culpabiles repertos poena falsi, ut praefertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi, et faciendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, et consuetudinibus et quibusvis indultis et privilegiis quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, etc. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem quinto kal. martias anno incarnationis dominicae 1742. pontificatus nostri anno secundo.

Hic iuvat addere ss. d. n. Clementis XIII. *constitutionem de ieiunio, quae est ut sequitur.*

Venerabilibus fratribus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres, salutem, et apostolicam benedictionem

Appetente sacro quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam paschae celebritatem praecedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, venerabiles fratres, ut sacratissimum ieiunium sancte religioseque a fidelibus observetur, quod legis et prophetarum testimoniis commendatum, a Christo Domino consecratum, ab apostolis traditum, ecclesia catholica perpetuo retinuit, ut per macerationem carnis, et animae humiliationem ad dominicae passionis, paschaliumque sacramentorum mysteria paratiores accedamus, et in eius resurrectione resurgamus, in cuius passione, deposito veteri homine, sumus commortui. Cuius tam sanctae tamque salubris institutionis retinendae studio fel. record. praedecessor noster Bened. XIV. etsi binis ad vos litteris in forma brevis eximium fraternitatum vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis ieiunii disciplina ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis ieiuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multae et assiduae sint gregi dominico insidiae, verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata ieiunii severitas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur, necessarium existimavimus vobis has litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticae in hac re disciplinae inferatur, fraternitatibus vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti praedecessoris nostri litteras fortasse reliquum fuerit, sive pro infringendis ieiunii legibus vel opi

nionum commenta, vel a vera ieiunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissime sint invectae, ea omnia, quantum iuvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit; cum nonnulli, quibus ob iustas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quam praedecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere.

Verum neque commodius, nec maiori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam ieiunii legem observandam, quam si illud populos doceatis: christiani hominis poenitentiam, praeter cessationem a peccatis et male anteactae vitae detestationem, eorumdemque peccatorum sacramentalem confessionem, illud etiam postulare, ut per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia spiritualis vitae opera divinae iustitiae satisfaciamus: omnem enim iniquitatem, parva, magnave sit, aut ab ipso poenitente, aut a Deo vindicante puniri oportere; nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quam si ipsi nos puniamus. Quae quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, et a fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit, ne qui profligatos mores abiecerint, ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint, atterenda carnis concupiscentia, per ieiunium expiare. Praeterea, quibus persuasum fuerit, se peccatorum minus dubie poenitere, cum se impunitos esse non sinant ii profecto poenitentiae amore capti, laetabuntur quadragesimali tempore caeterisque certis diebus, cum s. mater ecclesia edicit fidelibus ieiunandum, oblatam sibi esse occasionem, qua dignos poenitentiae fructus faciant: cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim: Post concupiscentias non eas, et a voluntate tua avertere: facile animum inducant, sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare ieiunio: ut anima cognitione sui recepta intelligat, qua compunctione parare se debeat ad sanctissima passionis, mortis, et resurrectionis Iesu Christi recolenda mysteria Itaque poenitentiae stimulis tacti, minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupediarum delicias, quae quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas qui mensae apponat suae, illum non immerito dixeris, non tam usitatas abiecisse delicias, quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minus denique, aut, quibus se subducant a ieiunio, quaerant effugia, aut argutis studeant ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, venerabiles fratres, exemplo aeque ac verbo populis praeeuntes, tantum in eorum animos poenitentiae studium et amorem iniicere, ut alacriter ieiunium aggressi, et illud ad praescriptas a catholica ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam, atque oratione sanctificent: et id, quod maxime spectat ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati et Christo consepulti, ad novam in paschali solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum vobis omnibus, quibus apostolicam benedictionem benevolentiae in vos et caritatis nostrae pignus, amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 20. decembris anno 1759. pontificatus nostri anno secundo.

Leonis XII. *constitutio* 13. *mart.* 1825. *qua sectae occultae et clandestinae damnantur: insertis etiam constitutionibus hac de re Clementis* XII. *Benedicti* XIV. *et Pii* VII.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Quo graviora mala Christi Dei et servatoris nostri gregi imminent, eo maiorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent romani pontifices, quibus in beato Petro apostolorum principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias quas christiani nominis hostes moliuntur ad Christi ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam easque tum fidelibus indicare et aperire ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes romani pontifices praedecessores nostri, vigilias boni pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis, sectas extremum ecclesiae exitium minitantes prohibendas et penitus delendas cu-

rarunt. Nec ex annalium ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest pontificiae huius sollicitudinis memoria. Quae nostra et patrum nostrorum aetate gesta sunt a romanis pontificibus ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis sere obiicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. praedecessor noster vidit in dies invalescere novamque firmitatem acquirere sectam *de' liberi muratori*, sive *des francs-maçons*, sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino catholicae ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta constitutione, cui initium *In eminenti*, edita quarto kalendas maias anno 1738. cuius tenor is est qui subiicitur:

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei universis Christi fidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

In eminenti apostolatus specula meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, iuxta creditum nobis pastoralis providentiae debitum, iugi (quantum ex alto conceditur) sollicitudinis studio iis intendimus, per quae, erroribus vitiisque aditu intercluso, orthodoxae religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo catholico orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane vel ipso rumore publico nuntiante nobis innotuit, longe lateque progredi atque in dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula vulgo *de' liberi muratori*, seu *des francs-maçons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque religionis et sectae homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere secundum leges et statuta sibi condita invicem consociantur: quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad sacra biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hinc societates seu conventicula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere: nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor ea usque percrebuit, ut plurimis regionibus memoratae societates per saeculi potestates tamquam regnorum securitati adversantes proscriptae ac provide eliminatae iampridem extiterint.

Nos itaque animo volventes gravissima damna quae ut plurimum ex huiusmodi societatibus seu conventiculis nedum temporalis reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus tum canonicis minime cohaerere sanctionibus; cum divino eloquio doceamur, diu noctuque (more servi fidelis et prudentis, dominicae familiae praepositi) vigilandum esse, ne huiusmodi hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de iustis ac rationabilibus causis nobis notis easdem societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula *de' liberi muratori*, seu *des frans-maçons*, aut alio quocumque nomine appellatas, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex apostolicae potestatis plenitudine, damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Quo circa omnibus et singulis Christi fidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates *de' liberi muratori*, seu *des francs-maçons*, aut alias nuncupatas inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus vel domibus seu alibi receptare, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe vel indirecte per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere ut huiusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus coetibus, conventibus, collectionibus

aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu romanum pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper et mandamus ut tam episcopi et praelati superiores aliique locorum ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores adversus transgressores, cuiuscumque sint gradus, status, conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque tamquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coerceant: iis enim et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo trigesimo octavo, quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno octavo.

Haec tamen recolendae memoriae Benedicto XIV. itidem praedecessori nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui litteris excommunicationis poenam iam evanuisse, quod Benedictus eas litteras diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum, contendere superiorum pontificum leges obsolescere, nisi a successoribus expresse approbentur: et praeterea manifeste patebat, a Benedicto, saepius Clementis constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus, edita nova constitutione, cuius initium *Providas*, decimoquinto kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, qua Clementis constitutionem totidem verbis relatam in forma (ut aiunt) specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti constitutio:

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Providas romanorum pontificum praedecessorum nostrorum leges atque sanctiones, non solum eas quarum vigorem vel temporum lapsu vel hominum neglectu labefactari aut extingui posse veremur, sed eas etiam quae recentem vim, plenumque obtinent robur, iustis gravibusque id exigentibus causis, novo auctoritatis nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Sane felicis recordationis praedecessor noster Clemens papa XII. per suas apostolicas litteras anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo trigesimo octavo, quarto calendas maias, pontificatus sui anno octavo datas, et universis Christi fidelibus inscriptas, quarum initium est *In eminenti*, nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, conventicula, seu aggregationes vulgo *de' liberi muratori*, seu *des francs-maçons*, vel aliter nuncupatas in quibusdam regionibus tunc late diffusas atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium quam per romanum pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumeret huiusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, aut alias, prout in iisdem litteris latius et uberius continetur, quarum tenor talis est, videlicet etc. etc.

Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere ac vulgo iactare non dubitaverint, dictam excommunicationis poenam a praedecessore nostro (ut praefertur) impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta constitutio a nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro apostolicarum constitutionum a praedecessore editarum subsistentia pontificis successoris expressa confirmatio requiratur.

Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus viris nobis insinuatum fuerit, ad omnia calumniantium subterfugia tol-

lenda declarandamque animi nostri cum eiusdem praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens fore ut eiusdem praedecessoris constitutioni novum confirmationis nostrae suffragium adiungeremus.

Nos licet hucusque, dum pluribus Christi fidelibus de violatis eiusdem constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus, seque a damnatis huiusmodi societatibus seu conventiculis omnino recessuros et nunquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa excommunicatione tum antea saepe, tum maxime elapso iubilaei anno benigne concessimus, seu dum facultatem poenitentiariis a nobis deputatis communicavimus ut huiusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem nostro nomine et auctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiae studio instare non praetermisimus ut a competentibus iudicibus et tribunalibus adversus eiusdem constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit, non quidem probabilia dumtaxat sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi nostri sensus ac firma et deliberata voluntas quoad censurae per dictum Clementem praedecessorem (ut praefertur) impositae vigorem et subsistentiam satis aperte inferri debuerant; si qua autem contraria de nobis opinio circumferretur, nos eam securi contemnere possemus, causamque nostram iusto Dei omnipotentis iudicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras actiones recitata fuisse constat: *Praesta quaesumus, Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium: sed, eadem pravitate calcata, exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris iniustis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare quod praecipis:* ut habet antiquum missale, quod sancto Gelasio praedecessori nostro tribuitur, et a venerabili servo Dei Iosepho Maria cardinali Thomasio editum fuit, in missa quae inscribitur *contra obloquentes.*

Ne tamen aliquid per nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere atque os obstruere, audito prius non nullorum venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium consilio, eamdem praedecessoris nostri constitutionem praesentibus ut supra de verbo ad verbum insertam in forma specifica (quae omnium amplissima et efficacissima habetur) confirmare decrevimus: prout eam ex certa scientia et apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine earumdem praesentium litterarum tenore in omnibus et per omnia (perinde ac si nostris motu proprio, auctoritate, ac nomine primum editae fuissent) confirmamus, roboramus et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis causas in praeinserta constitutione enuntiatas una est, quod in huiusmodi societatibus et conventiculis cuiuscumque religionis ac sectae homines invicem consociantur: qua ex re satis patet, quam magna pernicies catholicae religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea quae in huiusmodi conventiculis fiunt: quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem (in causa nimirum diversa) protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.* Tertia est iusiurandum quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt: quasi liceat alicui cuiuslibet promissionis aut iuramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur quaecumque exquiruntur ad dignoscendum an aliquid in huiusmodi conventibus fiat quod sit contra religionis aut reipublicae statum et leges. Quarta est, quod huiusmodi societates non minus civilibus quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur: quum scilicet iure civili omnia collegia et sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in pandectarum libro 47. tit. 22. *de collegiis ac corporibus illicitis* et in celebri epistola C. Plinii Caecilii Secundi, quae est 97. lib. 10. in qua ait, edicto suo secundum imperatoris mandata vetitum fuisse hetaeriae ne essent, id est, ne societates et conventus sine principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est, quod iam in pluribus regionibus memoratae societates et aggregationes saecularium principum legibus proscriptae atque eliminatae fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem societates et aggregationes male audirent, eorumque iudicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Denique idem praedecessor in praeinserta constitutione episcopos et superiores praelatos aliosque locorum ordinarios excitat, ut pro illius executione (si opus fuerit) brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Quae omnia et singula non solum a nobis approbantur et confirmantur, eisdemque ecclesiasticis superioribus respective commendantur et iniunguntur, verum etiam nos ipsi pro apostolicae sollicitudinis officio praesentibus nostris litteris catholicorum principum omniumque saecularium potestatum opem et auxilium quoad praemissorum effectum invocamus et enixo studio requirimus: quum ipsi supremi principes et potestates electi sint a Deo defensores fidei, ecclesiaeque protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere ut apostolicis constitutionibus debitum obsequium et omnimoda observantia praestetur, quod iis in memoriam revocarunt Tridentinae synodi patres sess. 25. cap. 20. multoque antea egregie declaraverat imperator Carolus Magnus suorum capitularium titulo 1. cap. 2. ubi, post demandatam omnibus sibi subditis ecclesiasticarum sanctionum observantiam, haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles et suis sacerdotibus inobedientes apparuerint.*

Quapropter, cunctis ditionum suarum praesidibus et ministris iniungens ut omnes et singulos ad debitam obedientiam ecclesiae legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes eisve inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, decimo quinto kalendas aprilis pontificatus nostri anno undecimo.

Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti haec decreta fecissent, quanti tum ecclesiae, tum reipublicae salus postulabat! Utinam sibi persuasissent, in romanis pontificibus beati Petri successoribus non modo ecclesiae universae pastores et magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores et diligentissimos periculorum quae imminent indices suscipere se debere! Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a sede apostolica fuerant patefacta! Iam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam iudicaverint, ex veteribus illis massonicis sectis, quae nunquam friguerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est *Carbonariorum* secta, quae caeterarum princeps in Italia aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos, acerrime catholicam religionem, et supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam aliasque regiones imo et ipsam pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper pontificio regimine, illa irrepserat una cum exteris hominibus eius invasoribus) liberaret, felicis recordationis Pius VII. cui nos suffecti sumus, *Carbonariorum* sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit, edita idibus septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo constitutione, cuius initium *Ecclesiam a Iesu Christo.* Huius etiam exemplum nostris hisce litteris inserendum esse censuimus, quod est eiusmodi:

PIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiam a Iesu Christo servatore nostro supra firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit numquam portas inferi praevalituras, tot saepe ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut, nisi divina illa et quae transire non potest promissio intercessisset, metuendum videretur, ne ipsa illorum aut vi aut artibus aut calliditate circumventa penitus interiret. Quod vero superioribus evenit, id etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae

novissimum illud tempus esse videtur tanto ab apostolis praenuntiatum, quo venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Nec enim quemquam latet, quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerint in unum adversus Dominum et adversus Christum eius, qui id praecipue curant, ut, deceptis per philosophiam et inanem fallaciam fidelibus et ab ecclesiae doctrina avulsis, ipsam ecclesiam (irrito licet conatu) labefactent et evertant. Quod ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos coetus clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant, ut plurimos in suae coniurationis et sceleris societatem liberius pertraherent.

Iampridem sancta haec sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit et consilia, quae clam ab iis essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem patefecit. Iampridem omnium excitavit diligentiam, ut caverent, ne his sectis id coronari liceret quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est, his sedis apostolicae studiis non eum exitum respondisse quem ipsa expectabat, et scelestos homines nunquam a suscepto consilio destitisse: unde consecuta tandem ea mala sunt, quae nosmetipsi perspeximus: imo homines, quorum superbia ascendit semper, novas etiam secretas societates inire ausi sunt.

Commemorari hoc loco debet societas nuper orta, et longe lateque in Italia aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen, sententiarum et facinorum communione, et foedere quodam inito una est, et *Carbonariorum* plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam et mirificum quoddam studium in catholicam religionem et Iesu Christi servatoris nostri personam et doctrinam, quem etiam societatis suae rectorem et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt quam iacula ad tutius vulnerandos minus cautos, a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sane severissimum illud iusiurandum, quo veteres priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur, se nullo unquam tempore nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertineat superiores; clandestina illa praeterea et illegitima conventicula, quae more a pluribus haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cuiuscumque religionis et sectae in suam societatem; etsi caetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Verum coniecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis iudicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum catechismi et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui, cum eam societatem deseruissent cui antea adhaeserant, eius errores et fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, *Carbonarios* id praecipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent, religionem (quam colat) proprio ingenio et suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius; ut Iesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant; ut ecclesiae sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur) et ipsa religionis catholicae mysteria contemnant; utque sedem hanc apostolicam evertant, in quam, quoniam in ea apostolicae cathedrae semper viguit principatus, singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quaeque ac perniciosa moliuntur.

Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt quae *Carbonariorum* societas tradit de moribus praecepta: quamvis confidenter iactet, se a suis sectatoribus exigere, ut caritatem ac omne virtutum genus excolant et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet: docet licere eos interficere, qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint, et licet apostolorum princeps Petrus praecipiat ut christiani omni humanae creaturae propter Deum subiecti sint, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis, etc.; iubeatque Paulus apostolus, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; ea tamen societas docet integrum esse, seditionibus excitatis, reges caeterosque imperantes, quos per summam iniuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Haec aliaque huius societatis dogmata et praecepta sunt, ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a *Carbonariis* commissa, quae adeo gravem honestis piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores domus Israel (quae est sancta ecclesia) constituti sumus, et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus ne dominicus grex nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimabamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII. et Benedicti XIV. praedecessorum nostrorum, quorum alter quarto kalendas maias anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi constitutione *In eminenti*, alter decimo quinto kalendas aprilis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi constitutione *Providas*, damnarunt et prohibuerunt societates *de' liberi muratori*, seu *des francs-maçons*, aut alio quocumque nomine pro regionum et idiomatum varietate appellatas, quarum societatum fortasse propago vel certe imitatio haec *carbonariorum* societas existimanda est. Et quamvis iam duobus edictis per nostram status secretariam propositis hanc societatem graviter nos prohibuerimus, memoratos tamen praedecessores nostros sequentes graves poenas in hanc societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus: praesertim cum *carbonarii* passim contendant, se duabus illis Clementis XII. et Benedicti XIV. constitutionibus non comprehendi, nec sententiis et poenis in illis latis subiici.

Audita igitur selecta congregatione venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, et de eius consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam societatem *carbonariorum*, aut alio quocumque nomine appellatam, eius coetus, conventus, collectiones, aggregationes, conventicula damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christi fidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive laicis sive clericis tam saecularibus quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictam societatem *carbonariorum*, aut alias nuncupatam inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illi et cuicumque eius gradui adscribi, aggregari, aut interesse vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare ac suadere, ut huiusmodi societati aut cuicumque eiusdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab eadem societate eiusque coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu romanum pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutos, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena, nobis et romanis pontificibus successoribus nostris reservata, ut teneantur denuntiare episcopis, vel caeteris ad quos spectat eos omnes quos noverint huic societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus quae commemorata sunt se inquinasse.

Postremo, ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes *carbonariorum*, ut aiunt, catechismos et libros, quibus a *carbonariis* describuntur quae in eorum conventibus geri solent, eorum etiam statuta, codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos sive manuscriptos, et quibuscumque fidelibus sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere aut retinere, ac mandamus ut illos vel locorum ordinariis vel aliis ad quos eosdem recipiendi ius pertinet, omnino tradant.

Volumus autem, etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem, an incarn. dom. 1821 idibus sept., pontificatus nostri anno 22.

Non multo post editam hanc a Pio VII. constitutionem, ad supremam beati Petri cathedram nullis nostris meritis evecti nos fuimus: et continuo omnem nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquiren-

les, facile intellexímus, crevisse illarum insolentiam; praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam: ex quibus ea praesertim memoranda est, quae *universitaria* dicitur; quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus iuvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere sed pervertere student, eiusdem mysteriis (quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent) initiantur, et ad omne scelus informantur.

Inde vero existit, quod tantó etiam post tempore quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii eorum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata et praecepta: eius dignitas extenuatur: et pax illa et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur. Nec putandum est omnia haec mala, aliaque quae praetermissa a nobis sunt, clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de religione et republica scribere non dubitarunt qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum vel stultitiam dictitant, imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent; codices et statuta, quibus sua consilia et instituta explicant, aperte declarant, cuncta quae iam memoravimus, et quae ad legitimos principatus labefactandos et ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum exploratumque habendum est, has sectas, licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas.

Quae cum ita sint, nos muneris nostri esse censemus, iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem, ut nulla ex iis iactare possit, se apostolica sententia nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducere.

Itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, et etiam motu proprio, et certa scientia ac matura deliberatione nostra, societates occultas omnes, tam quae nunc sunt, quam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis quae continentur praedecessorum nostrorum litteris in hac nostra constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus.

Quocirca omnibus et singulis Christi fidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeeminentiae, sive laicis, sive clericis tam saecularibus quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates, quocumque nomine appellentur inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illis et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere ut huiusmodi societatibus aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, earum coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu romanum pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus, sub eadem excommunicationis poena, nobis et romanis pontificibus successoribus nostris reservata ut teneantur denuntiare episcopis, vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae mo

do commemorata sunt se inquinasse.

Praecipue vero iusiurandum illud impium plane ac scelestum, quo se obstringunt qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales qui ea superioribus sive ecclesiasticis sive laicis patefaciunt, omnino damnamus plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est, iusiurandum, quod *in iustitia* pronuntiandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad iniustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel ecclesiam vel legitimam civilem societatem moderentur, ius habent ea cognoscendi quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum et indignissimum est, Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare? Rectissime patres concilii lateranensis III. inquiunt can. 3.: *Non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quae contra utilitatem ecclesiasticam et sanctissimorum patrum veniunt instituta.* Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam et in publicis scriptis dicant *non est Deus*, audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus quos suas in sectas deligunt.

Haec a nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram, venerabiles fratres, catholici patriarchae, primates, archiepiscopi, et episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam vos. Illud tenete, a vobis maxima ex parte pendere hominum vobis commissorum in religione et recte factis constantiam: quamvis enim iis vivamus diebus *qui mali sunt*, eoque tempore quo plures *non sustinent sanam doctrinam:* perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos iure suscipiunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum eius. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quanta diligentia eos eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, vobis auctoribus et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostrae mysteria et purissima Christi praecepta vrident omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac, ut vos verbis alloquamur praedecessoris nostri Clementis XIII. in sua epistola encyclica ad patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos universos ecclesiae catholicae, diei 14. septembris 1758. *Repleti simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, iudicio, et virtute, ne, tamquam canes muti non valentes latrare, greges nostros patiamur fieri in rapinam, et oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de episcopatus vigore, et de ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.*

Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium, clarissimi in Christo filii nostri catholici principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus (cuius in dignitate successores, et nominis licet indigni haeredes sumus) ad Leonem imperatorem scribens usus est: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas.* Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut, non modo ad catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram et populorum vestro imperio subiectorum incolumitatem, sectae illae a vobis coercendae sint. Religionis enim causa, hoc praesertim tempore, cum societatis salute ita coniuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam qui sectas illas sequuntur, non minus religionis quam vestrae potestatis sunt hostes, utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent aut religionem aut regiam ullam potestatem superesse.

Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut, cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum eius eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta, ut suadeant, nostram et episcoporum potestatem ab iis qui regum potiuntur imminuendam et debilitan

dam esse, et ad eos plura transferenda iura tum ex iis quae propria sunt apostolicae huius cathedrae et *ecclesiae principalis*, tum ex iis quae ad episcopos pertinent qui nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes quae vestro imperio subiiciuntur, si forte perspicient everti terminos quos de rebus sacris Christus et ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam regiminis formam immutandam et destruendam.

Vos etiam omnes, o dilecti filii, qui catholicam religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex coniunctione cum hominibus, qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumcumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios conventus bellum illis afferre conantur, quique, etsi in foro ubique clament se publici ecclesiae et societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis iam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum *ave* iubet Ioannes secunda sua epistola, cap. 10., et quos primogenitos diaboli appellare maiores nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete, neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit: eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil praedicari vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptationi iurari debet, satis per se est, ut intelligatis, nefas etiam esse leviorибus illis gradibus adscribi atque in iis versari. Deinde, quamvis quae graviora et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assecuti non sunt; perspicue tamen patet, perniciosissimarum harum societatum vim et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. cap. 1.: *Qui talia agunt digni sunt morte: et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Postremo, eos, qui cum iam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad nos vocamus. Eius enim vice fungentes, qui professus est non venisse se vocare iustos sed peccatores, et se pastori aequiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit quam perdidit; eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei et Iesu Christi filii eius misericordia et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Iesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo, ad instar amantissimi patris qui filios prodigos iamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero, ut quantum in nobis est, eos excitemus et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium, post publicatas nostras has apostolicas litteras in regione in qua morantur tum obligationem denuntiandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denuntiatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum in quibus degunt ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit (quod Deus misericordiarum pater avertat), ut committat, illud temporis spatium quod designavimus labi, quin sectas illas deserat et vere resipiscat; eo lapso, continuo et obligatio denuntiandi complices et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denuntiatis antea complicibus, vel saltem iuramento emisso de iis quamprimum; nec ab alio poterit iis censuris solvi quam a nobis, vel a nostris successoribus, aut ab iis qui a sede apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Volumus autem, etc.

Dat. Romae, ap. s. Petrum, an. incarn. dom. 1825. 3 id. mart. pont. nostri anno 3

INDEX RERUM (*)

QUAE IN TOTO OPERE CONTINENTUR

Numerus romanus denotat librum, arabicus denotat numerum marginalem, v. versiculum numeri

A

Abbas Abbatissa. An possit abbatissa obligare sub culpa gravi I. 104. An possit praecipere in virtute obedientiae obligando in conscientia IV. 52. An possit dispensare in regulis aut votis 53. An irritare votum monialis emissum cum suo consensu 54. An vota novitiarum 55. Plura notanda de electione abbatissae 59. An abbatissa possit dispensare in ieiuniis, officio etc. 61. An possit libere bona monasterii administrare. An instituere beneficia et ea auferre; an conferre capellanias etc. 56. An liceat colloqui cum abbatissa sine licentia VII. 238. An abbas possit consecrare calices pro ecclesiis alienis VI. 381. An absolvere a reservatis. V. *Reservatio.* Quoad sacramentum ordinis V. *Ordo* etc. et sic deinceps.

Ablutio. An possit omitti vinum in secunda ablutione VI. 408.

Abominatio. An aliquando liceat II. 50.

Abortus. An aliquando liceat procurare abortum. Quando censeatur proles anima informata III. 394. Quibus poenis subiiciantur procurantes abortum 395. VII. 213. An procuratores abortus in dubio de animatione foetus incurrant irregularitatem III. 396. Quis possit relaxare poenas pro abortu inflictas 397. Procurantes abortum foetus animati possunt absolvi ab episcopis VII. 213. Et a regularibus 99. Propter abortum, in dubio de animatione foetus, an quis censeri debeat irregularis 347. Foetus abortivi an sint baptizandi VI. 124.

Absens etc. V. *Peregrinus.* Absentia permissa episcopis etc. V. *Residentia.* De absente quoad leges patriae V. *Lex:* quoad donationem V. *Donatio:* quoad absolutionem a censuris V. *Censura* etc. et sic deinceps.

Absolutio etc. Quis valide absolvat VI. 541. V. *Iurisdictio.* Confessarius plures absolvens in mortali V. 50. *Qu.* 6. et VI. 36. An peccet plures absolvens sub una forma 29. V. *Confessarius.* Absolutio sub conditione 431. Quae certitudo dispositionis poenitentis sufficiat ad eum absolvendum 461. An liceat differre absolutionem poenitenti disposito sine eius consensu. 462. An expediat saepius differre absolutionem 463. An in periculo contagii confessarius possit absolvere, audito uno peccato 485. An tempore conflictus vel naufragii 486. An absolvendus moribundus qui dat signa doloris sacerdoti praesenti, quin possit ullum peccatum explicare 480. An absolvendus infirmus sensibus destitutus qui ostendit desiderium absolutionis. An tunc danda absolutio absolute vel conditionate 481. Quid si nullum dederit signum poenitentiae 482. Quid, si fuerit destitutus in actu peccati 483. An clericus vel laicus in articulo mortis possit absolvere a censuris 540. An absolutus in morte a reservatis teneatur postea se sistere superiori 567. V. *Reservatio.* A quo possint absolvi peregrini, scholares, milites, etc. 569. An confessarius non parochus teneatur absolvere moribundum cum periculo vitae 624. De forma absolutionis, et quae praesentia poenitentis requiratur 428. et seq. De absolutione sub conditione danda pueris, amentibus etc. aut illis qui afferunt tantum imperfectiones 432. Quoad censuras V. *Censura.* V. *Occasio, Recidivus, Concubina* etc.

Abstemius. An sit irregularis VII. 409. An in purificatione possit uti sola aqua. VI. 408.

Abstinentia a carnibus V. *Ieiunium.* A laticiniis V. *Lacticinia.*

Acceptare etc. V. *Lex, Donatio.*

Accessio. Acquiritur dominium accessione III. 497.

(*) *Chi avrà avuto occasione di servirsi del presente indice quale trovavasi nelle precedenti edizioni ben saprà per esperienza quanto fosse scorretto, essendovi almeno un terzo delle citazioni sbagliate. Si spera perciò che il lettore saprà buon grado della cura con cui venne interamente verificato e riordinato. Si procurò di riunire le materie sotto i titoli principali, ed in compenso delle infinite duplicazioni inutili, che vennero tolte, si aggiunsero i numerosi quesiti che mancavano (Vedi p. e.* Usura Mutuum).

Accusare etc. Quae sint cavenda ad servandam iustitiam accusatoris IV. 234. Requisita ad legitimam accusationem 235. An et quis teneatur alterum accusare 236. 237. An obstricti ex officio ad denuntiandum teneantur ad restitutionem si non denuntient 237. Qui prohibeantur accusare 238. Quando illicitum est accusare 239. An correctio fraterna debeat praecedere accusationem 240. Quando liceat accusare sine praevia monitione 241. Quid notandum circa denuntiationem evangelicam 242. An liceat deferre praelato ut patri crimen occultum omissa correctione 243. Quid si reus sit emendatus 244. Quid in dubio an correctio melius fiat per praelatum. An liceat renuntiare iuri fraternae correctionis 245. De denunciatione iudiciali 246. An possint cogi a praelato denuntiatores evangelici ad faciendam denuntiationem iudicialem 247. Si per edictum praecipiatur omnibus aliqua delicta denuntiare, an teneamur 248. An sit obligatio denuntiandi haereticos cum periculo gravis damni 249. An haereticos nobis coniunctos 250. Quae crimina denuntianda tamquam de haeresi suspecta 251. Quae suspicio de haeresi requiratur ut obligemur denuntiare. Quas poenas incurrant non denuntiantes. An denuntiandi negligentes denuntiare 254. Accusator in causa sanguinis an fiat irregularis. Quae protestatio praemittenda. VII. 468. Quid de clericis accusantibus 467. 468.

Acedia. Quid sit. Eius filiae V. 84.

Actiones praescribuntur per 30 annos III. 507.

Actus humani. Quae sit regula remota, et quae proxima actuum humanorum I. I. De actibus obscoenis V. *Luxuria.* Quid sit actus humanus et quotuplex V. I. ad III. Quid actus elicitus et imperatus IV. Quid sit voluntarium et quotuplex VI. ad XI. Quid involuntarium et quotuplex XII. et seq. De violentia XV. et seq. De metu XX. ad XXII. An concupiscentia tollat vel augeat voluntarium XXIII. ad XXV. Quae ignorantia causet involuntarium XXVI. ad XXIX. De libertate actuum humanorum XXX. et seq. In quo consistat malitia vel bonitas moralis XXXIV. et seq. Principia moralitatis XXXVI. et seq. An detur actus indifferens XLI. Quomodo interrumpantur actus circa peccata V. 37. et seq. Actus coniugalis V. *Debitum.* Actus fidei V. *Fides* etc. V. *Peccatum*, *Lex.*

Adiuratio. Quid sit et quando licita, et praesertim de adiuratione daemonis. Vide *Append. de adiuratione lib.* III. *post n.* 195.

Advena. V. *Peregrinus.*

Adulterium etc. Quid sit adulterium. III. 445. Ad quid teneantur adulteri 651. 652. An manifestare prolem non esse legitimam 653. An tunc spurius teneatur credere matri 654. Ad quid tenetur insuper adulter 655. An adulteri teneantur reddere expensas hospitalibus pro exposita prole 656. Ad quid tenetur adulter in dubio an proles sit mariti 657. Quid si dubium sit inter duos adulteros 658. Quid si adulter non fuerit causa suppositionis 659. An vir teneatur alimenta praestare uxori adulterae VI. 959. An ad adulterium requiratur ut ambo seminent 1036 Adultera negans crimen III. 162. An adulter occidens virum adulterae fiat irregularis. Si vir, cognito adulterio, uxorem occidat, an adulter sit irregularis 398. An vir cognoscens uxorem adulteram fiat irregularis. VII. 441. ad 443. Parato adulterari an possit suaderi ut fornicetur II. 57. V. *Occidere*, *Divortium*, *Impedimentum etc.*

Advocatus. Quae requirantur in advocato IV. 218. Quibus prohibeatur exercere officium advocati 219. Quid liceat advocato 220. Quos pauperes teneatur advocatus tueri 221. An possit tueri causam minus probabilem 222. Quando teneatur ad restitutionem 223. An possit absolvi advocatus paratus quasvis causas defendere 223. *v.* 7. An ei liceat convenire de pretio incoepta lite 224. Notanda circa advocati salarium 225. Quando peccet advocatus 226.

Aedificatione acquiritur dominium III. 500.

Aequivocatio V. *Iuramentum.*

Aetas. An episcopi possint dispensare in aetate VI. 800. V. *Ordinandus.*

Affinitas V. *Impedimentum.*

Aggressor V. *Occidere.*

Agitationes taurorum III. 365.

Alluvio. Acquiritur dominium alluvione III. 495.

Altare. De altari privilegiato. De clausulis etc. VI. 339. De execratione altaris V. *Execratio.* Altare portatile 424. 360.

Ambitio. Quid sit V. 66.

Amphibologia V. *Iuramentum.*

Animae defectus in irregularitate VII. *ex n.* 397.

Animus. Laedens alterum in re parva, animo graviter nocendi III. 551. Contrahens sine animo contrahendi etc. V. *Contractus.* Quoad beneficia V. *Beneficium.*

Anniversaria. An episcopus possit moderari officia, preces etc. anniversariis annexas VI. 531. An dici possint in die duplici maiori. An anticipari vel postponi 421.

Antichryseos contractus III. 776. 916.

Antidoralis obligatio an possit deduci in pactum III. 53.

Apostasia a fide II. 17.

Appellatio. An liceat IV. 285.

Applicatio. An liceat accipere stipendium pro applicatione fructus specialissimi VI. 318. De obligatione beneficiatorum et parochorum applicandi missas 323. Sancita a Bened. XIV. 325. Cui debeant applicare missas qui tenentur celebrare sine expressa obligatione applicandi, 324. A quo applicandus fructus missae. An religiosus valide missam applicet contra voluntatem praelati 334. Applicatio facienda ante celebrationem. An sufficiat applicatio habitualis. Applicans pro pluribus in confuso a quibus accepit stipendium 335. Quid si applicatio fiat

nulli vel incapaci 536. An valeat applicatio conditionata. An pro primo offerente 537. De applicatione in die mortuorum 538. Quibus applicanda missa conventualis etc. 526. De altari privilegiato 539. Tres missae iniunctae ab episcopo in ordinatione an possint applicari pro aliis 829.

Approbatio ad excipiendas confessiones quid sit VI. 542. An liceat sacerdoti simplici excipere confessionem venialium 543. An sufficiat approbatio sine examine et sine iudicio interno 545. An approbatio petita et negata 546. A quo episcopo habenda approbatio 547. Resolvitur quaestio ex bulla Innoc. XII. 548. Alia de approbatione 550. De iniusta revocatione approbationis 551. An episcopus ex iusta causa possit approbatos iterum examinare, aut approbationem revocare vel restringere 552. An omnes sacerdotes ab episcopo approbati possint confessiones audire sine licentia parochi 564.

Arbor Consanguinitatis VI. 1030.

Argentarius. Quando peccet IV. 292.

Ars notoria III. 14. An possit absolvi, qui causa exercendae artis est in occasione peccati 138. VI. 452.

Artifex. Ad quid teneantur artifices quibus res traditur, ut sartores etc. III. 750. 752. Quando peccent IV. 292. Quoad ieiunium V. *Ieiunium.*

Aruspicium. Quid sit.

Aspectus turpes V. *Luxuria.*

Assassinium V. *Occidere.*

Assecuratio. Quid sit III. 911. De assecuratione in tribus contractibus 908.

Astrologia. Quae licita, quae illicita III. 10.

Attritio V. *Contritio.*

Avaritia. Quid sit V. 68. Eius filiae 69.

Audire. Audiens laudem alterius de re mala V. 67. V. *Detractio, Missa etc.*

Augurium. Quid sit III. 6.

Auricula carens an sit irregularis VII. 410.

Auriga. An liceat aurigis vehere meretricem ad amasium V. *Cooperatio.*

Aurora. Quomodo computanda VI. 541. V. *Celebrare.*

Auspicium. Quid sit III. 6.

B

Balbutiens. An sit irregularis VII. 406.

Baptismus. Quomodo distinguatur baptismus VI. 95. De baptismo flaminis 96. De baptismo sanguinis 97. Plures baptizans sub una forma 29. Baptizans in mortali 32. Quae sit materia *remota* baptismi 102. ad 104. Quae sit materia *proxima* 105. An valeat baptismus si quis proiiciat puerum in flumen etc. 106. An infans possit baptizari in utero matris. An requiratur trina ablutio. Alia 107. Quae sint formae validae baptismi, quae invalidae, quae dubiae 108. ad 112. Quis sit minister validi baptismi, quis liciti 113. Nemo sine commissione potest baptizare extra suam dioecesim 114. A quo baptizandi peregrini, vel casu nati 115. Quando diaconus possit baptizare. Solemniter baptizans sine commissione an fiat irregularis 116. Ordo servandus inter ministros baptismi in necessitate conferendi. An peccent facientes baptizare a praedicante 117. An quis possit baptizare seipsum. Quae dilatio in baptismo sit mortalis. Qui infantes prohibeantur domi baptizari 118. Quis sit capax baptismi 121. De rebaptizantibus 122. An baptizandi foetus abortivi 123. An monstra 124. An et quando sint baptizandi filii infidelium 126. ad 133. An et quando possit repeti baptismus sub conditione 134. De infantibus expositis 135. De baptizatis ab obstetricibus et a laicis 136. De baptizatis ab haereticis etc. Dubitans de suo baptismo 137. De effectibus baptismi 138. De dispositione requisita in adultis baptizandis. Quid si recipiatur per vim aut metum 139. De caeremoniis baptismi 140. An sit mortale baptizare sine unctione chrismatis aut cum veteri, et sine aqua consecrata 141. De baptismo extra ecclesiam 142. An omittendae caeremoniae in baptismo privato et an patrinus 143. An collato baptismo privato, caeremoniae sint supplendae 144. An parentes baptizantes filios contrahant cognationem 150. Notanda circa nomen imponendum, et librum baptismi 145. Quando peccet parochus in materia baptismi 159. Quae debeat monere parochus post datum baptismum 160. Per baptismum iteratum incurritur irregularitas VII. 356. An sit irregularis qui baptizatur ab haeretico *ibid.* V. *Sacramentum.*

Bellum. Quando liceat bellum III. 402. Quid debeat facere princeps ut licite bellum inferat 403. An possit inferri cum sola opinione probabili 404. Ad quid teneatur princeps inferens bellum 405. An liceat principi in auxilium vocare haereticos et infideles aut eis auxilium ferre 406. Ad quid teneantur duces 407. An absolvendus miles paratus bellare in quovis bello 407. Quid agere debeat, praesertim in dubio de iustitia belli 408. Quid in bello iusto liceat. De stratagematibus, repressaliis etc. 409. 410. Ad quem pertineant bona hostibus erepta 411. Praeliantes in bello aut hortantes an incurrant irregularitatem VII. 459. 460. An servi capti in bello possint fugere ad suos III. 550.

Benedicere. Episcopus aut sacerdos benedicens in mortali vestes etc. VI. 40. An praelati regulares possint sacras vestes benedicere. An episcopi possint aliis delegare facultatem benedicendi vestes 378. An abbates possint benedicere calices, paramenta etc. pro ecclesiis alienis 381.

Beneficium. Dubitans de aetate requisita ad beneficium I. 32. An beneficiarius teneatur erogare superflua in usus pios III. 491. An beneficiarii male expendentes reditus teneantur ad restitutionem. An peccent qui dono accipiunt superflua a beneficiario 492. Suadens episcopo ut conferat beneficium minus digno an peccet, et

teneatur ad restitutionem. Quid, si beneficium debebatur alicui ratione concursus 585. Quibus modis acquirantur beneficia IV. 85. Qui sint proprii collatores beneficiorum 86. Quid et quotuplex sit ius patronatus 87. Quando patronus teneatur praesentare 88. An pendente lite currat tempus praesentationis 89. Quid si multi praesententur 90. An sit obligatio eligendi digniores ad beneficia. De cardinalatu et episcopatu. 91. De parochia 92. An etiam ad beneficia simplicia 93. ad 96. An patroni non praesentantes digniores peccent graviter 97. An idem sit de resignantibus 98. 99. An electio digni omisso digniori sit valida 102. 103. An eligentes minus dignum teneantur ad restitutionem 106. 107. An teneantur id suadentes. An impedientes vi vel fraude a consecutione beneficii 108. An in beneficio per concursum omittens digniorem teneatur ad restitutionem 109. Dignus se opponens per concursum digniori an peccet et teneatur ad restitutionem 110. An examinatores teneantur denuntiare digniores 111. Qualitates requisitae in eo cui confertur beneficium 112. An requiratur voluntas clericandi. Recipiens beneficium cum animo ducendi postea uxorem 113. De recipiente beneficium curatum cum animo dubio suscipiendi sacerdotium intra annum 114. An liceat habere plura beneficia 115. Quotuplicia sint beneficia. Quae sint incompatibilia. An obtento secundo incompatibili, vacet primum 116. An pluralitas beneficiorum sit vetita de iure divino vel positivo 117. Causae cohonestantes pluralitatem beneficiorum 118. De obligatione residentiae V. *Residentia.* Quibus modis amittantur beneficia 133. Quid et quotuplex sit resignatio III. 81. IV. 134. 135. De permutatione beneficiorum 136. An beneficiarii sint domini fructuum quoad necessaria et non necessaria sustentationi 180. 181. Notanda circa sustentationem beneficiarii 182. An beneficiatus possit mederi cum incisione et adustione VII. 385. An excommunicatus teneatur restituere fructus beneficii III. 670. 671. Irregularis accipiens beneficium VII. 342. 343. An lis super beneficium possit componi III. 77. 78. De excommunicato quoad beneficium V. *Excommunicatio.* Quoad missam V. *Celebrare.* —V. *Horae*, *Simonia*, *Clericus etc.*

Bestialitas. Quid de peccato bestialitatis III. 474. 475. De clerico exercente bestialitatem 475. An ob bestialitatem coniugis liceat facere divortium VI. 962.

Bibliopola. Quando peccet IV. 292.

Bigamia V. *Irregularitas* post medium.

Blaesus. An sit irregularis VII. 406.

Blasphemia etc. Quid sit blasphemia III. 121. Quotupliciter blasphematur contra Deum, et quando fiat blasphemia haereticalis 122. Quando denuncianda blasphemia haereticalis 123. Quae dicteria sint vel non blasphemia 124. et seq. An explicandum si quis directe intendat Deum inhonorare. 126. Ad quid teneatur consuetudinarius 127. An sit blasphemia maledicere creaturis et diebus. An maledicere toti mundo, diabolo 129. An maledicere mortuis, fidei 130 132 An imprecari aliis vel sibi daemonem 131. An differant specie blasphemiae contra Deum et sanctos 132. Blasphemans 12. apostolos. V. 47. Quid requiratur ut maledictio contra homines sit mortale 83. Blasphemi an denunciandi IV. 252.

Bona. De alienatione bonorum ecclesiasticorum. Quid veniat hoc nomine. De poenis in alienantes. Quid si sit data facultas a donante. Quid si alienatio fuit vetita. Causae alienandi. Solemnitates requisitae. Quae bona possint alienari sine solemnitatibus. De locatione bonorum ecclesiasticorum IV. 187. An sit sacrilegium laedere bona ecclesiastica III. 42. De bonis clericorum V. *Clericus*, Filiorum V. *Filius* etc.

Breviarium V. *Horae.*

C

Caelibatus. V. *Ordinandus.*

Caecus. An sit irregularis VII. 404. Quis possit dispensare in hac irregularitate 414.

Caemeterium. Quando polluatur VI. 364.

Calix. De benedictione calicis VI. 379. et seq. De eius execratione V. *Execratio.*

Cambium. Quid sit et quotuplex III. 850. De cambio minuto 851. De cambio per litteras 852. De cambio reali 853. De cambio ficto seu sicco. An liceat cambium cum recambio. De cambio francofurtense 854.

Cancellaria. An regulae cancellariae romanae obligent I. 106. *v. An vero.*

Canonicus etc. Canonicus irregularis an amittat distributiones etc. IV. 130. Canonici debent canere sive psallere in choro VI. 326. An episcopus possit dispensare cum illegitimo ad canonicatum VII. 429. Vide *Horae*, *Residentia.*

Capellania etc. De dispensatione capellani ut celebrare valeat in alia ecclesia. *Vide append. de privilegiis post lib. I. n.* 60. An incurrat poenas simoniae vendens capellaniam amovibilem III. 105. An capellanus episcopi possit dicere officium iuxta eius ritum IV. 161. *v. Iuxta.* An teneatur celebrare deficiente reditu VI. 324. Capellanus monialium an possit dicere missas sanctorum de quibus ipsae dicunt officium etc. 390. Capellanus confraternitatis 324. An capellani exercitus possint absolvere milites in praesidiis 377. V. *Celebrare.*

Capitulum. An possit ferre leges I. 104. An possint canonici capitulum facere tempore officii IV. 131. De capitulo sede vacante VI. 788.

Captivus. An possint captivi christiani apud infideles remigare contra christianos II. 73. An dives teneatur redimere captivos. An possint captivi surripere bona turcarum III. 520. V. *Bellum.*

Caput salvum. Contractus sic dictus an liceat III. 909.

Carcer V. *Reus* etc.

Cardinalis etc. Declarationes cardinalium an obligent I. 106. An cardinales possint eligere sibi et suis confessarium VI. 565. An peccent praesentantes minus dignos ad cardinalatum IV. 91.

Carnes V. *Ieiunium.*

Carthusianus. An possit abstinere a carnibus etiam in extrema necessitate III. 370.

Castitas. An possit occidi invasor castitatis III. 391. V. *Votum* etc.

Castrare se aut pueros an liceat III. 373. 374.

Casus V. *Reservatio.*

Cathedralis. In cathedralibus, collegiatis et conventualibus quotidie dicenda est missa cantata VI. 314. Quibus applicanda 326. An possit esse votiva 419.

Caupo. V. *Cooperatio.*

Celebrare. De obligatione celebrandi missas votivas sub stipendio VI. 327. De obligatione beneficiarii celebrandi loco et tempore designato a fundatore 328. 329. De obligatione celebrandi missas praescriptas et an per seipsum 321. 330. An possit aliquando celebrare pro alio vel omittere missam pro reverentia 332. An aegrotans teneatur celebrare per alium 333. Quid si reditus deficiant 324. Si minister abscedat an possit pergi sacrificium. Celebrans uno praesente 391. An possit dici missa ante auroram vel post meridiem 340. *et seq.* An in nocte nativitatis omnes 3. missae dici possint ante auroram 343. Quomodo computanda aurora et meridies 341. An liceat anticipare missam vel postponere causa festivitatis, itineris, vel ex dispensatione episcopi 344. An peccet graviter celebrans ante auroram vel post meridiem 345. 346. An peccet celebrando ante matutinum 347. 348. An liceat celebrare in quolibet anni die 349. 350. An et quando liceat pluries in die 351. An aliquando liceat interrumpere missam vel de novo incipere 352. *et seq.* Quomodo missa interrupta supplenda ab alio 353. An liceat sacerdotibus saecularibus celebrare in ecclesiis regularium contra prohibitionem episcopi 371. in fine. — Quo loco, altare, etc. sit celebrandum. An in cecessitate liceat celebrare extra ecclesiam. An in mari 356. Quoad oratoria privata V. *Oratorium.* An religiosi possint ex privilegio celebrare in quocumque altari portatili 360. An semper peccent celebrantes in ecclesia violata. Et an poenam incurrant 361. De execratione ecclesiae V. *Ecclesia.* Vestium, Calicis, etc. V. *Execratio.* Vide *Missa*, *Eucharistia.*

Censura. Quid sit VII. 1. An privet bonis internis 2. An degradatio vel depositio sit censura 3. An cessatio a divinis 4. An irregularitas 5. Quotupliciter dividantur censurae, et an latae ab episc. in synodo sint perpetuae et tamquam latae a iure 6. Quando censurae reputentur latae a iure 7. Quando ferendae 8. Qui possint ferre censuram ex potestate ordinaria 9. 10. ex delegata 11. Conditiones ut quis possit ferre censuram 12. Ut quis possit censura ligari 13. ad 15. 18. An reges 16. An peregrini 17. An excommunicatio in civitatem sit valida et licita. An papa possit incurrere censuram 19. Praelati regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes 20. An episcopus existens extra dioecesim possit ferre censuras in subditos 21. An existens in dioecesi possit ferre contra subditum extra 22. An subditus delinquens extra dioecesim incurrat censuram latam in futuros delinquentes 23. An monasteria regularium sint loca exempta 24. Quid si agatur de damno resarciendo 25. An episcopus possit ferre censuram in subditum alienum delinquentem in sua dioecesi 26. An censura lata generaliter, liget alienigenas 27. Quomodo quis ligari possit pluribus censuris 28. Ob quale peccatum incurrantur censurae 29. 30. 31. An in dubio de gravitate materiae incurratur censura 32. An praeceptum sub censura obliget sub gravi 33. An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus 34. An possit imponi censura contra officium recitantes distracte 35. An actus debeat esse consummatus. An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante etc. 36. An censura contra mandantem etc. vel ferentes suffragium pro indigno incurratur, effectu non secuto 37. 38. Utrum in dubio an mandatum etc. influxerit 39. Quid si dans consilium pro occisione illud revocet 40. An ad incurrendam censuram requiratur culpa propria 41. Quid excuset a censura 42. An ad incurrendam censuram requiratur scire crimen esse vetitum etiam ab ecclesia 43. 44. An detur ignorantia excusans a censura quin excuset a mortali 45. An excuset a censura metus gravis 46. An excuset ignorantia 47. 48. Ad incurrendam censuram pro foro interno et externo quae contumacia requiratur 48. An incurratur censura ob peccatum praeteritum. An episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris 49. Quando censura sit invalida 50. 51. 66. De monitione requisita in censuris 52. 53. ad 58. Quando censura sit nulla ob peccatum praeteritum 54. De sententia censurae 59. ad 61. An incurratur censura lata sub distinctione, v. g. sit excommunicatus vel suspensus 62. An possit ferri censura sub conditione 63. Notanda circa ordinem ferendi censuras 65. Quid agendum in dubio an incurreris censuram 67. In dubio an censura iudicanda sit iusta 68. Quid si iudex praecipiat aliquid sub censura, v. g. solutionem pecuniae et reus habeat pro se opinionem probabilem 68.

De absolutione a censuris. Distinctiones inter censuras 69. Quis possit absolvere a censuris latis a iure 70. 71. Quis possit absolvere a latis ab homine 72. 73. Quae censurae reservatae possint absolvi ab episcopo per cap. *Liceat* 74. 75. An possit dispensare in irregularitate propter haeresim. Quando crimen dicatur occultum vel deductum ad forum 76. An possit absolvi ab epi-

scopo qui fuerit punitus in foro alterius episcopi 77. An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab episcopo in alio ubi est occultum 78. Qui veniant nomine episcoporum. Episcopi possunt absolvere a casibus papalibus occultis reservatis etiam post Trid. 79. An episcopi gaudeant hac facultate ubi Trid. non est receptum 80. An episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus cum suo subdito in aliena dioecesi morante 81. An facultas concessa in cap. *Liceat* fuerit revocata per bullam Coenae 82. 83. An episcopus possit absolvere a censuris bullae Coenae impeditos adire Romam 84. Quinam dicantur impediti 85. Quid si impedimentum sit ad breve tempus, et quid si ad longum 86. An teneatur reus absolutus deinde se praesentare pontifici 87. Quid si impedimentum sit perpetuum 88. An impediti teneantur adire Romam per epistolam etc. 89. An episcopus possit absolvere haereticum impeditum etiam per alium 90. An absolutus ab inferiore teneatur se praesentare superiori 91. An impediti adire episcopum possint a quocumque absolvi 92. An possint episcopi delegare aliis facultatem eis concessam in cap. *Liceat* 93. De facultate mendicantium absolvendi reservata 94. Quas censuras possint regulares absolvere quoad saeculares 95. An possint eos absolvere a papalibus occultis 96. An pro foro externo 97. An a casibus ab episcopo sibi reservatis 98. An a censuris episcopis reservatis a iure vel consuetudine 99. An a casibus Clementis occultis 100. An regulares possint absolvere subditos ab omnibus casibus papalibus extra bullam Coenae 101. An etiam novitios 102. 103. An praelati regulares possint absolvere subditos a casibus bullae Coenae 104. ad 106. An subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici saecularis 107. A quibus censuris possint absolvi recipientes bullam Cruciatae 108. Regulae pro absolvendis censuris 109. ad 112. De facultate concessa absolvendi in iubilaeis 111. 115. Quomodo absolvendae censurae in foro externo et quomodo in interno 116. An possit absolvi absens 117. De absoluto in iubilaeo 118. De absolutione vi aut metu extorta 119. An valeat absolutio non satisfacta parte 120. Quid si cum hac conditione sit concessa facultas 121. An secuta satisfactione de se auferatur censura 122. Absolutio sub conditione 123. Absolutio ad reincidentiam 124. An ad reincidendum requiratur nova culpa 125. An censura possit absolvi extra confessionem 126. Solemnitates requisitae a iure ut absolutio debite impendatur 127. 129. ad 131. In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem 128. Plura notanda 131. An valeat absolutio si reus falsum exponat 132. An clericus vel laicus in articulo mortis possit absolvere a censuris VI. 340.

Census. Quid sit et quando licitus III. 839. De censu reali et personali etc. 840. An perente re, pereat census 841. An liceat in censu pactum assecurationis 842. De censu redimibili et irredimibili 843. De censu vitalitio 844. Conditiones requisitae in bulla Nicolai v. 845. Conditiones requisitae in bulla s. Pii v. 846. 847. Plura dubia circa census 847. An bulla s. Pii obliget in conscientia 848. An etiam ubi non est recepta 849.

Cessatio a divinis. Quid sit VII. 340.

Cessio bonorum an excuset a restitutione III. 699.

Charitas. Quoties teneamur elicere actus charitatis II. 8. De charitate Dei. Quid sit et quomodo obliget hoc praeceptum 22. 23. 24. De praeceptis charitatis erga proximum 24. *in fin.* An liceat se privare bonis spiritualibus ob charitatem 26. Quando teneamur succurrere proximo 27. De necessitate spirituali proximi. Ordo servandus in dilectione proximi 25. 27. An in attritione requiratur caritas VI. 440.

V. *Odium*, *Eleemosyna*, *Correctio Scandalum* etc.

Chiragra laborans an possit celebrare et ministrare eucharistiam VI. 244.

Chirographa seu credita alterius vilius emere an liceat III. 829.

Chiromantia quid sit III. 9.

Chirurgus praevidens pollutionem an peccet medendo III. 483. Quid de clericis vel monachis medentibus VII. 384.

Chorea. An liceat choreas ducere III. 429.

Chorus V. *Horae.*

Chrisma. Episcopus conficiens chrisma in peccato VI. 39. V. *Confirmatio.*

Ciborium V. *Pyxis.*

Cingulum. Quando execretur VI. 371. Debet esse potius lineum quam sericum 424. *v.* 12.

Circumcisio. An fuerit sacramentum. Quomodo tollebat originale VI. 4.

Circumstantia. Quando res levis fiat gravis ob circumstantiam I. 142. An explicanda media posita ad peccandum V. 42. An circumstantia inductionis ad peccatum sit explicanda in confessione II. 46. An explicandae circumstantiae quae speciem mutant VI. 467. An circumstantiae aggravantes 468. An minuentes 471. Quoad furtum V. *Furtum.* Etc.

Clandestinitas. An matrimonium clandestinum valeat pro sponsalibus VI. 841. V. *Impedimentum.*

Claudus. An sit irregularis VII. 407.

Clausula codicillaris V. *Codicillus.* Quae sint clausulae derogatoriae VI. 594. De clausulis appositis in dispensationibus I. 204. De clausulis in revalidando matrimonio VI. 1110. 1111.

Clausura. V. *Religiosus*, *Monialis.* De excommunicatione in violantes clausuram, vide *Excommunicatio.* De privilegiis episcoporum quoad clausuram monialium, vide *Privilegium.*

Clericus. Qui veniant nomine clericorum VII. 270. An liceat clericis damnare reos poena

mortis III. 378. Quot sint bona clericorum 490. 491. An teneatur ex superfluis pauperibus succurrere. Qui veniant nomine pauperum. An praeferendi pauperes loci. An consanguinei indigentes. An clericus habens sua possit vivere ex fructibus beneficii 491. An clericis negotiatio liceat 831. Quid si fiat alieno nomine 832. Quid si negotietur per alium. Si adsit necessitas familiae 833. 837. An liceat clerico aut religioso emere animalia ad ea vendenda saginata in pascuis suis. An conducere agros ad vendendos fructus 834. An liceat emere pecora ad ea saginanda ex pascuis alienis 835. An liceat emere agrum cum fructibus. An vendere carius ut ematur vilius. An emere lanas ad vendendum pannum etc. 836. An liceat clericis gerere negotia, seu procurationes saecularium 838. An episcopus possit impedire clericos a religione IV. 75. Notanda circa congruam sustentationem clerici 182. Quae quantitas in vanis expensis censeatur gravis 183. Quae teneatur clericus erogare in usus pios 184. Quid intelligatur nomine usus pii 185. Clericus expendens superflua in usus profanos. Accipiens dono a clerico ex superfluis 186. An possit clericus testari de fructibus beneficii 187. Quinam clerici teneantur ferre habitum et tonsuram 188. Quaenam artes prohibeantur clericis IV. 189. Quaeofficia 190. Quae actiones 191. Quando liceat clerico exercere officium advocati 219. Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, an possit absolvi, volens ordinari in sacris VI. 63. ad 77. De obligatione deferendi habitum et tonsuram 825. et seq. Poenae inflictae clericis concubinariis III. 442. Quae venatio vetita clericis et religiosis 606. Quando amittat privilegia VI. 827. Ad quid teneatur vi obedientiae in ordinatione promissae episcopo. An possit fieri religiosus episcopo contradicente 828. Quid agere debeant clerici, si excommunicatus nolit recedere VII. 176. Clericus in sacris an possit mederi cum incisione aut adustione 584. An beneficiatus 585. An peccent clerici assistentes supplicio 463. Se intromittentes in causam sanguinis 467. 468. V. *Ordinandus*, *Privilegium*. Quoad ludum V. *Ludus*. De excommunicatione ob percussionem clerici V. *Excommunicatio*.

Codicillus. De requisitis ad codicillum, et quid importet clausula codicillaris III. 919.

Coena Domini. An in ea possit privatim celebrari VI. 550.

Cogitationes turpes habitae in ecclesia an sint sacrilegia III. 462. V. *Delectatio*.

Cognatio. Qualis actus requiratur in patrinis ut contrahant cognationem VI. 148. An contrahat suscipiens vel baptizans in baptismo privato 149. An parentes suscipientes vel baptizantes filios contrahant cognationem 150. An contrahat suscipiens in baptismo sub conditione 151. An suscipiens unum pro alio 152. Quis contrahat si quis suscipiat nomine alterius 153. An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati 154. An patrinus non confirmatus, in sacramento confirmationis, contrahat cognationem 186. V. *Impedimentum*

Cohabitatio V. *Coniux*.

Collatio inter fratres V. *Frater*. V. *Beneficium*, *Sacramentum* etc.

Collatiuncula V. *Ieiunium*.

Collecta. Quando possit in missa addi una collecta VI. 411.

Comedere V. *Ieiunium*.

Commissarius. Quid possint accipere commissarii sive executores IV. 217.

Commixtio. Quomodo acquiratur dominium commixtione III. 498. V. *Fur*.

Commodatum. Quid sit III. 744. Casus de commodatario 747. 752.

Communicatio. Quae sit vetita cum iudaeis II. 18. V. *Excommunicatus*.

Communio etc. Simulans communicare VI. 61. An liceat communionem ministrare quolibet anni die 549. An possit dari communio ante poenitentiam impletam 527. Dubitans de mortali an possit communicare 473. Dubitans de ieiunio I. 58. 59. An liceat dare communionem peccatori occulto II. 62. et VI. 658. V. *Eucharistia Missa Celebrare*.

Communitas. De excommunicatione lata in communitatem VII. 19. De suspensione 317. Quamdiu possint differri missae celebrandae traditae communitati VI. 317. *v. Advertit*.

Commutatio poenitentiae V. *Satisfactio*. — Votorum, V. *Votum*, Ultimarum voluntatum, V. *Testamentum*.

Comoedia. An peccent comoedias turpes audientes, repraesentantes etc. III. 427. 428. et II. 56.

Compensatio. Quando liceat et quae certitudo requiratur III. 521. An possit fieri in alia specie. De compensatione famae cum pecunia, infamiae cum infamia *ibid*. An peti debeat per iudicium. In quibus casibus possit fieri cum credito tantum probabili *ibid*. De compensationibus famulorum 348. 349. 521. ad 524. V. *Detractio*, *Filius* etc.

Complex. Quid si peccatum non possit confiteri sine infamatione complicis VI. 489. Ex quibus causis liceat manifestare complicem confessario qui eum noscit 490. Bulla Bened. XIV. prohibens exquirere a poenitente nomen complicis 491. Sententia auctoris quod hoc nullo casu sit licitum 492. Sancita a Bened. XIV. circa confessionem complicis de peccato turpi 553. Quid veniat nomine peccati turpis. An peccata interna. An dubia 554. An absolutio complicis sit invalida quoad omnia peccata 555. An incurrat censuram qui confessionem complicis tantum audit et non absolvit. An episcopus vel delegatus possit absolvere confessarium qui complicem in peccato turpi absolverit 556. An peccata complicis cadant sub sigillo 640. An liceat confessario

monere complicem 641. aut interrogare 631.

Conceptio B. M. V. Bullae super hac materia VII. 244. Censurae in contradictores piae sententiae 245. ad 247. In eius fautores 248. Probatur pia sententia 249. ad 262. An liceat emittere votum profundendi sanguinem ob defensionem praeservationis B. V. a labe originali 263.

Concio etc. An concionans in mortali peccet VI. 40. 41. An sit obligatio audiendi conciones III. 269. 308. An concionatores excusentur a recitatione officii IV. 156. Vide *Parochus*, *Ieiunium* etc.

Concordatum Regni Neapolitani circa ordinationem clericorum VI. 850.

Concubina etc. Quid sit concubinatus. An absolvendus qui sine infamia nequit eiicere concubinam III. 433. An promittens eiicere 436. An absolvenda concubina ob necessitatem non discedens 437. An tollenda occasio peccandi cum concubina etiam cum gravi damno 441. Poenae pro concubinatu praesertim pro clericis 442. De iuramento facto concubinae non cognoscendi aliam 184. An possit absolvi famula peccans cum domino 439. An qui est in occasione etc. 438.

Concupiscentia etc. An tollat voluntarium *in princ. lib.* V. XXIII. ad XXV.

Conditio. Quoad matrimonium V. *Matrimonium.* Sacramenta sub conditione V. *Sacramentum.* Etc.

Conductio etc. V. *Locatio.*

Conferentia Casuum conscientiae quoad regulares VI. 628.

Confessarius. An praestet sequi opiniones benignas, aut rigidas I. 89. VI. 464. 605. An minori scrupulo debeat esse confessario indispositos absolvere, quam dispositos dimittere 464. *in fine.* Audiens confessiones in mortali 56. 617. Quid si urgeat necessitas 53. An committat plura peccata plures successive absolvens in mortali V. 50. Quando dicatur deesse copia confessarii. Quid si non adsit nisi sacerdos simplex, excommunicatus etc. VI. 264. Confessarius absolvens praetextu privilegiorum est excommunicatus 602. *in fine.* De officio et obligatione confessarii 603. An teneatur absolvere adhaerentem opinioni probabili. Quid si adhaereat falsae 604. Quos confessarius possit vel nequeat absolvere 606. Quomodo teneatur rudiores interrogare 607. De prudentia circa interrogationes, et de obligatione interrogandi circa peccata omissa 629. Quid si ei constet peccatum quod poenitens negat 630. 631. V. *Complex.* De interrogationibus in materia castitatis 632. An teneatur instruere et disponere 608. 610. An monere eos qui sunt in malo statu. Quoad principes, praelatos etc. 609. Quid si praevideat monitionem non profuturam 610. An debeat semper monere de restitutione. Quid si timeantur rixae, scandala etc. 614. 615. Quid in dubio an monitio sit profutura 616. Confessarius debet esse in gratia 617. Quomodo teneatur reparare defectus a se commissos 618. et seq. De obligatione audiendi poenitentes 623. et seq. An possit dare poenitenti non absoluto schedulam confessionis factae 639. Quid si advertat poenitentem esse surdum 644. An possit iurare se nescire peccatum confessum III. 153. Confessarius praevidens pollutionem 483. De copula confessarii cum poenitente 451. Qui et quomodo possint eligere sibi confessarium. Quomodo episcopi et alii praelati. Quomodo cardinales, et an parochi VI. 565. Quem debeant eligere 545. Quoad poenitentiam V. *Satisfactio.* Quoad sigillum V. *Sigillum.* An teneatur audire moribundum cum periculo vitae 624. Tenetur rite intelligere peccata, antequam absolvat 626. Debet esse praeditus scientia necessaria 627. Quando excusetur minus idoneus confessarius 628. V. *Absolutio.* Confessarii sollicitantes V. *Sollicitatio.* Quoad censuras, excommunicationes V. *Censura*, *Excommunicatio.* Monitum ad confessarios 608. De iurisdictione. V. *Iurisdictio.* Quomodo se gerere debeat cum magis, maleficis, divinatoribus etc. III. 28. Quomodo gerere se debeat cum reis IV. 286. V. *Approbatio.* Quoad restitutionem V. *Restitutio.* De confessariis monialium V. *Monialis.* Etc.

Confessio etc. De praecepto confitendi *proprio sacerdoti.* Quis veniat hoc nomine VI. 564. VII. 70. 92. De distinctione peccatorum etc. V. *Peccatum.* An poenitens interrogatus a confessario de peccato confesso possit negare III. 157. An in confessione in missa possit addi nomen sancti VI. 411. An praemittenda confessio mortalium in administratione omnium sacramentorum 30. et seq. Vide *Eucharistia.* Simulans se confiteri 60. Quae sit integritas materialis requisita in confessione 465. De numero peccatorum. Quantum extendatur numerus dicendo *plus*, *minus* 466. V. *Circumstantia.* Plura notanda circa examen conscientiae et integritatem confessionis. 471. An mortalia dubia necessario sint confitenda 472. ad 475. Quid suadendum in praxi. De scrupulosis et timoratae conscientiae 476. De peccatis certe commissis et dubie confessis 477. An qui confessus est mortale uti dubium teneatur repetere quando certum agnoscit. Quid si post confessionem sciat materiam sui peccati fuisse gravem 478. De integritate formali confessionis. Quis censeatur physice impotens ad integritatem materialem 479. et seq. De confessione moribundi *ibid.* Quando sufficiat integritas formalis ob periculum mortis 484. et seq. Quis censeatur moraliter impotens ad integritatem confessionis. Quinam alii excusentur at integritate materiali 488. An sit obligatio confitendi peccatum si non possit dici sine infamatione complicis 489. et seq. Confessio debet esse vocalis. Quando liceat aut sit obligatio confitendi scripto 493. Debet esse secreta 494. Debet esse vera 495. Quando mendacium in confessione sit veniale 496. Quando mortale 497. Quando con-

fessio sit invalida ex parte confessarii 498. 499. De iudicio peccatorum efformando a confessario 500. V. *Peccatum*. Quando sit invalida ex parte poenitentis 501. Quomodo et quando iteranda confessio 499. 502. 503. An ob magnum concursum possit confessio dimidiari 503. 595. De confessionibus rusticorum, qui nunquam explicarunt species neque numerum 504. Non est obligatio repetendi confessiones nisi constet de ipsarum nullitate 505. Quos et quando obliget praeceptum confessionis 662. An obliget extra periculum mortis 663. Qui teneantur ad praeceptum confessionis 665. 666. An obligetur ad confessionem annualem habens sola venialia 667. Qui non satisfecit praecepto an teneatur quamprimum 668. An per confessionem quae fit anno sequenti satisfiat praecepto antecedentis 669. An in paschate sit obligatio confitendi parocho 574. 670. An teneatur ante finem anni qui timet ne peccatum obliviscatur 671. An satisfiat praecepto per confessionem invalidam 672. Qui ab hoc praecepto excusentur 673. Poenae in transgredientes hoc praeceptum 674. Quando simplex sacerdos teneatur se habilitare ad excipiendas confessiones 625. De confessione pro lucrando iubilaeo 536. Bona fide confessi non nimis rogandi de confessionibus praeteritis 471. An in casu necessitatis sit obligatio confitendi laico vel clerico 540. V. *Confessarius*, *Absolutio*, *Poenitentia*, *etc.*

Confirmatio etc. Qua ratione confirmatio est sacramentum VI. 161. Quae sit *materia remota* huius sacramenti. An sit materia necessaria oleum olivarum et balsamum 162. An sit necessaria benedictio chrismatis, et an haec possit committi simplici sacerdoti. An sit obligatio uti chrismate novo 163. Quae sit *materia proxima*. Dissertatio de materia et forma huius sacramenti 164. An unctio possit fieri alio digito quam pollice manus dexterae 165. An medio instrumento 166. De forma in ecclesia latina 167. Quae mutationes circa formam invalident sacramentum. De forma graecorum 168. 169. De effectibus huius sacramenti 169. An soli episcopi sint ministri confirmationis 170. An peccet graviter episcopus confirmans non suos 171. 172. Et quam poenam incurrat 172. An possit praesumere consensum aliorum episcoporum 173. An confirmans et confirmandus debeant esse ieiuni. An debeat confirmatio conferri in ecclesia. An quocumque die et hora 174. 184. Quando teneatur episcopus confirmare 175. Qui valide confirmentur 176. An infantes 177. An sit illicitum eos confirmare sine causa 178. Dispositio requisita ad confirmationem 179. An licite confirmentur amentes 180. An adsit gravis obligatio suscipiendi confirmationem 181. 182. An possit a graecis suscipi confirmatio 182. An sit obligatio suscipiendi confirmationem ante primam tonsuram 183. An episcopus possit confirmare alienum accedentem cum dimissoriis pro prima tonsura 788. *not.* 10. Caeremoniae servandae. Notanda quoad vestes episcopi. Quoad locum 184. Dubitans an sit confirmatus, an possit confirmari sub conditione 178. An sit obliganda fascia frons confirmandi. An sit necessaria ultima benedictio episcopi 188. De patrino V. *Patrinus*. Vide *Sacramentum*.

Confusio. Quomodo acquiratur dominium confusione III. 498.

Coniunctus V. *Propinquus*.

Coniux. Ad quid teneatur uxor erga virum: vir erga uxorem. Quando peccent coniuges. Quando peccet uxor III. 551. An uxor nobilis teneatur officia vilia praestare 552. An teneat pactum pro uxore non mutandi domicilium. An uxor teneatur sequi virum 553. 551. An mortuo viro uxor teneatur solvere debita contracta ad alendam familiam 554. Quid teneatur uxor restituere filiis primi matrimonii 555. 960. Quomodo peccet vir in uxorem 556. An liceant tactus etc. inter coniuges 431. An absolvenda uxor peccans cum viro 440. Quot sint bona uxorum 489. An sit adulterium copula sodomitica inter coniuges 446. An uxor possit dare eleemosynas et munera 540. An possit expendere etc. aut aliquid surripere etc. 541. An subvenire parentibus 542. An uxor possit accipere alimenta a debitis gravato 695. De obligatione erga filios coniugum transeuntium ad secundas nuptias 960. An coniuges suscipientes, vel baptizantes filios contrahant impedimentum VI. 150. An coniux reddens debitum teneatur ea die abstinere a communione 274. De tactibus, aspectibus, et verbis turpibus inter coniuges 932. An sint mortales, secluso periculo pollutionis 933. 934. De tactibus enormiter turpibus 935. De coniuge turpiter seipsum tangente, altero absente 936. Quomodo teneantur ad cohabitationem 939. An vir possit expellere uxorem non soluta dote, et an teneatur eam alere 939. An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem 977. Maritus dans uxori causam adulterandi II. 58. An uxor excusetur a missa ob indignationem viri III. 527. An a ieiunio 1054. Quomodo coniugatus constante matrimonio possit in sacris ordinari VI. 812. Uxor ordinati in sacris an teneatur profiteri religionem *ibid.* An post mortem viri possit nubere *ibid. dub.* 2. Promittens alteri matrimonium, vivente coniuge 1045. — Vide *Debitum coniugale*. Quoad furta V. *Fur*. Quoad vota V. *Votum*. Etc.

Consanguineus. V. *Incestus*, *Stuprum*.

Consanguinitas Lineae consanguinitatis VI. 1029. 1030. V. *Cognatio*.

Conscientia. Duplex est regula actuum humanorum I. 1. De conscientia et synderesi 2. De conscientia recta et erronea 3. De eo qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam 4. De eo qui sequitur invincibiliter erroneam 5. 6. 7. An detur conscientia invincibiliter erronea circa praecepta naturalia 8. et 170. et seq. De eo qui putat desiderium malum non esse peccatum 9.

De conscientia perplexa 10. De conscientia scrupulosa 11. V. *Scrupulus*. De conscientia dubia. Quodnam sit dubium positivum et negativum 20. Dubium speculativum et practicum 21. Non licet operari cum conscientia practice dubia 22. Qui scit esse malum, sed dubitat an sit grave aut leve 23. Quid debeat agere practice dubius 24. An liceat operari cum conscientia speculative dubia. 25. Principii ex quibus formari potest conscientia practice certa 26. De conscientia probabili 40. ad 43. Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis 55. *et seq.*

Consecratio V. *Eucharistia*. Consecratio calicis et patenae VI. 379. An remaneant consecrata si quis in eis celebret 380. An abbates possint consecrare calices etc. pro ecclesiis alienis 381. An pyxis debeat consecrari aut benedici 384. 385.

Consensus. V. *Peccatum*, *Matrimonium etc.*

Consuetudinarius V. *Recidivus*.

Consuetudo. Quae conditiones ad eam requirantur I. 107. De effectu consuetudinis *ib.* Quid si a lege reprobetur 108. An possit consuetudo legem dubiam interpretari. An possit consuetudo per contrariam legem a superiore revocari 109. An dictum unius sufficiat ad notitiam consuetudinis I. 107. *v. An vero*, et III. 290. V. *Festum* etc.

Contractus. Quid sit contractus et quotuplex III. 707. Quotupliciter contractus perficiatur 708. Ubi facienda sit solutio ex contractu 678. Quid si quis contrahat sine animo contrahendi 709. Quid si sine animo se obligandi 710. An contractus sine solemnitatibus obliget in conscientia 711. et I. 151. Quid si alter non acceptavit. Si contrahentes sint inhabiles vel ius resistat III. 711. Si materia sit illicita vel illegitima. An oriatur obligatio ex contractu de re turpi. Cui tunc restituendum acceptum 712. Quando actio est debita, sed non ex iustitia an sit restituendum pretium pro illa acceptum 713. De dolo vel errore irritante contractum 713. 714. 715. De metu 715. ad 718. De metu reverentiali, precibus importunis 717. An metum passus possit rem repetere a tertio possessore, et an hic teneatur restituere. Qui nequeant contrahere 719. De contractu *gentilitio* 812. Quid de contractu *mohatra* 813. De contractu *societatis* 904. De conditionibus requisitis 905. Quid veniat nomine damnorum et expensarum 905. 906. Quomodo dividendum capitale, lucrum aut damnum 907. De societate inter fratres *ib. Qu.* 5. Quibus modis finiatur societas *ib. Qu.* 6. De societate in *tribus contractibus* 908. De societate animalium. De contractu ad *caput salvum* 909. De contractu *assecurationis* et quando liceat 911. De contractu *fideiussionis* 912. De contractu *pignoris* 913. 914. Quae liceant pignorari 915. De contractu *antichriseos* 916. An ad restitutionem in contractibus requiratur culpa theologica 554. De poena conventionali in contractibus I. 150. V. *Locatio*, *Emphyteusis* etc.

Contritio. Plura de dolore et proposito requisito in sacramento poenitentiae VI. 433. An contritio consistat in dolore vel in detestatione 435. Ex quo motivo elicienda contritio 436. Quando obliget praeceptum contritionis. De periculo mortis. De eius dilatione. An obliget in diebus festis etc. 437. An requirantur singulae contritiones 438. An ad consequendam gratiam requirantur explicite actus fidei et spei 439. An sufficiat attritio sine amore praedominante 440. An quaelibet contritio deleat peccatum extra sacramentum 441. An peccatum possit consistere cum charitate praedominante. Amor inchoatus concluditur in attritione 442. An sufficiat attritio ex metu poenarum 442. 443. An dolor debeat praecedere confessionem 445. Per quantum temporis actus doloris moraliter perseveret 446. An eliciendus ex intentione confessionis 447. Confitens peccatum oblitum statim post absolutionem an teneatur elicere novum dolorem 448. Quomodo eliciendus dolor in confessione venialium, et an peccet graviter confitens ea sine dolore 449. An possit de his haberi dolor partialis. An sufficiat dolor de multitudine *ibid.* An sufficiat propositum virtuale sive implicitum 450. Conditiones requisitae ad verum propositum. Quid si quis certo sciat se relapsurum 451. Signa extraordinaria doloris 460.

Contumelia. Quid sit III. 966. V. 82. Afficiens aliquem diversis contumeliis V. 48. Coram pluribus 49. De restitutione ob contumeliam V. *Detractio*.

Conventualis missa quotidie canenda VI. 314. 326. 424. Celebrans missam conventualem, non potest illam prosequi tempore quo a choro cantatur symbolum 424. ad 3. An possit cani ante matutinum 348.

Cooperatio etc. Quando liceat materialiter cooperari peccato proximi II. 59. An liceat nubere cum sponso in mortali vel habente votum castitatis 60. An ei reddere debitum 61. An dare communionem peccatori occulto 62. VI. 658. Quid liceat famulis. Quae sit cooperatio *materialis*, quae *formalis* II. 63. An comitari herum ad lupanar, concubinam ad herum etc. 64. An deferre munera meretrici 65. An eidem aperire ostium. An deferre scalam domino ascendenti ad mulierem 66. An scribere litteras amatorias vel deferre 67. An ministrare carnes in die vetito 68. An liceat cauponibus dare vinum ebriosis vel carnes in die vetito. Alia 69. III. 1050 An liceat locare domum meretrici et usurariis II. 70. An vendere aleas, gladios, venena etc. Vendere ornatus puellae abusurae 71. An agnum iudaeo etc. 72. An captivis remigare contra christianos etc. 73. An adiuvare tyrannum 74. An vehere annonam ad haereticos. An aurigis et nautis vehere meretricem ad amasium 75. An liceat accipere munera ab amasio. An reddere gladium occisuro 76. An petere iuramentum a peieraturo, mutuum ab usurario 77. An adiu-

vare usurarium, dare mutuum abusuro 78. An petere sacramenta ab excommunicato vel a peccatore et an a parato 79. VII. 139. An dare cibos vetitos II. 80. Vide etiam lib. III. 371. Qui ob metum cooperatur damno alterius *ibid.* V. *Restitutio.* V. *Scandalum*, *Foemina.*

Copula V. *Luxuria*, *Debitum coniugale*, *Stuprum* etc.

Coquus. An in die vetito possit gustare ius carnium III. 1029.

Corporale. Quando execratur VI. 371. An debeat esse ex lino 375. An benedictum 386. An remaneat benedictum si cum eo celebretur 379. 380. Quibus liceat lavare corporalia, et an aqua lotionis mittenda in sacrarium 387. Quibus liceat tangere 382. Quid si sit notabiliter immundum 376. 386. Celebrans sine corporali, aut cum eo non benedicto 387.

Correptio. Ob quale peccatum proximi teneamur ad correptionem II. 34. An ob leve 35. An ob peccatum ex ignorantia 36. Quid si omittatur correptio ob timorem 37. An in dubio teneamur corripere 38. An quando abest periculum relapsus, vel adest alius idoneus, vel non sit spes fructus, vel si expectetur occasio 39. Quis teneatur corripere 40. Ordo servandus in correptione 41. Praelati et magistratus aliquando tenentur inquirere et corripere. Episcopi, praelati etc. quoque tenentur. Alii casus. Correptio est adhibenda non statim, sed cum speratur maior fructus 42. An praelati teneantur sub gravi corrigere leves defectus IV. 13. Quomodo teneantur parochi et episcopi III. 560. An possit superior dissimulare peccata subditi II. 52. *in fine* V. *Accusare.*

Crapula. Quando sit mortalis V. 73.

Creditor etc. An creditor cui inter plures facta est solutio possit retinere III. 693. An liceat vilius emere credita alterius 829. An transacto termino prorogato a creditore, si debitor non solvat, censura incurratur VII. 64. V. *Restitutio.*

Crimen. Quando dicatur occultum VII. 76. VI. 593. v. *Hic.* 1111. Quando publicum III. 973. VII. 76. De criminibus impedientibus matrimonium, V. *Impedimentum.* An liceat revelare crimen etc. Vide *Detractio etc.*

Crucifixus requisitus in missa debet prominere inter candelabra. Si in altare est statua crucifixi, an requiratur alia crux VI. 593

Crux. An sit mortale celebrare sine cruce VI. 593. Crux et imagines in altari an debeant esse benedictae *ibid. in fine.*

Culpa. V. *Peccatum.* Quae sit culpa iuridica, quae levis, quae levissima III. 749. Ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis V. *Restitutio.* Ob quam culpam incurratur censura V. *Censura.*

Curator V. *Tutor.*

Curiales sunt irregulares VII. 456.

Custos. An custodes gabellarum, sylvarum, ex officio teneantur ad restitutionem si non denunciant IV. 237.

D

Daemon. An sit peccatum maledicere daemoni III. 129. Imprecari sibi vel aliis daemonem 131. Copula cum daemone 473.

Daemoniacus V. *Obsessus.*

Damnatus V. *Reus.*

Damnum. Quoad damnum in contractibus V. *Contractus.* V. *Restitutio*, *Detractio*, etc.

Dataria V. *Dispensatio.*

Debitor. An satisfaciat donans immemor debiti III. 700. An transacto termino incurratur censura si creditor proroget VII. 64. Debitor dubitans de debito aut de solutione I. 34. 35. An committat usuram a debitore accipiens, concessa dilatione III. 830. V. *Restitutio* etc.

Debitum coniugale. Actus coniugalis an sit licitus, si matrimonium est nullum aut dubium VI. 900. An copula coniugalis impediat a communione 271. 273. An in dubio de valore matrimonii liceat petere aut reddere I. 33. VI. 905. An uxor non certa de morte primi viri, teneatur reddere secundo 903. An superveniente dubio liceat petere 904. *et seq.* Illicita est copula si fiat cum periculo sanitatis. An liceat petere si alteruter coniugum laboret lepra, morbo gallico et simili 909. An petere post balnea aut sectionem venae, vel cum febri, vel post prandium 910. An tempore lactationis 911. An ob voluptatem 912. Quid si fiat mente adultera. Quid si coniux ad se excitandum delectetur de pulchritudine alterius personae 913. Quid si delectetur de copula aliena 914. Actus coniugalis est illicitus si fiat modo indebito 915. ad 919. Si fiat loco indebito 920. Si fiat tempore indebito 921. An liceat die communionis 922. An in diebus festis 923. An tempore praegnationis 924. An tempore menstrui 925. An tempore purgationis post partum 926. Licitus est actus coniugalis propter prolem, ad vitandam incontinentiam, propter alios fines honestos 927. An aliquando vir teneatur petere 928. An aliquando uxor 929. An coniux prohibitus petere ob votum vel affinitatem, possit petere aliquando 930. An liceat petere excommunicato et an ab excommunicato 931. An liceat coniugi morose delectari de copula habita vel habenda 937. V. 23. 24. Quid si alter sit absens 25. Coniuges per se tenentur reddere et quandoque etiam petere 938. Ideoque tenentur ad cohabitationem 939. De obligatione reddendi debitum. An sit mortale negare semel vel bis. Quid si alter remisse petat vel precibus cedat. Quid si immoderate petat. Quid si alter differat reddere ad breve tempus 940. An multiplicitas filiorum sit iusta causa negandi 941. An peccet coniux se reddens impotentem 942. An coniux teneatur reddere illicite petenti 943. Quid si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis etc. 944. II. 61. Quid si petens sit incestuosus VI 945. An coniux teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali 946. An li

ceat reddere vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incoeptam 947. An coniux teneatur et possit reddere, si mutuo ambo voverint castitatem. Quid si alter sit amens aut ebrius 948. Incestuosus et vovens castitatem non potest petere, sed tenetur reddere 949. An coniux teneatur reddere cum damno suo vel prolis 950. 951. An uxor laborans febri vel tempore menstrui etc. teneatur reddere. An teneatur reddere petenti modo innaturali 952. Quid si uxor experta sit in pariendo periculum mortis, vel filios parere mortuos 953. An aliquando liceat impedire prolis generationem. An interrumpere copulam. An uxori alio animum distrahere ne natura excitetur. An statim post copulam surgere, mingere etc. An liceat copulari senibus vel infirmis plerumque non valentibus seminare intra vas 954. An possit pollui, viro se retrahente 919. An sit adulterium copula sodomitica inter coniuges III. 446. V. *Coniux*, *Impedimentum*.

Decisiones Rotae romanae quomodo obligent I. 106.

Declarationes S. C. quomodo obligent I. 106.

Decreta S. C. Rituum quomodo obligent VI. 401.

Decretales et *Decreta* Gratiani I. 105.

Defectus. De irregularitate ex defectu V. *Irregularitas*. Quomodo supplendi defectus in ordinatione V. *Ordo*. An possint manifestari defectus proximi V. *Detractio*. Etc.

Deflorator V. *Stuprum*.

Deformitas filiae an excuset matrem optantem ei mortem V. 22. II. 30.

Defunctus excommunicatus quomodo possit absolvi a censura VII. 116. Quoad missas defunctorum V. *Missa*.

Degradatio. An sit censura VII. 323. Quid sit degradatio 324. An degradatus teneatur ad castitatem et ad horas *ibid.* A quo possint clerici degradari 326. Quando possit fieri 327. Quis possit dispensare cum degradato *ibid.*

Delectatio venerea et sensitiva III. 413. Delectatio de obiecto malo cum consensu conditionali, an liceat V. 14. In quo differant desiderium, gaudium et delectatio. Quid si quis delectatur de nupta, sed non qua nupta 15. Quando delectatio sit peccatum 16. In quo differat delectatio de re mala et delectatio de cogitatione rei malae 17. De delectatione circa modum male operandi 18. An liceat delectari de effectu bono ex opere malo 19. 20. An delectari de malo proximi ad bonum finem 21. An liceat coniugibus sponsis et viduis delectari de actu coniugii 23. 24. An liceat delectatio de re solo iure positivo prohibita 27. Quid explicandum in delectatione 28. An peccet exercens actionem ex qua intelligit delectationem carnalem orituram 29. V. *Desiderium*.

Delegatio. Possunt delegari ab episcopis omnia quae eis competunt iure ordinario VII. 93. Quoad reliqua V. *Votum*, *Iurisdiciio*, *Censura* etc

Denuntiatio etc. De omissione denuntiationum seu proclamationum VI. 989. An peccet graviter parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum. Quid si una tantum omittatur 990. An denuntiationes faciendae in ecclesia et in missa. In qua parochia debeant fieri 991. In quibus diebus festivis. Et an possint fieri in ferialibus 992. Quando sint repetendae 993. Quis possit dispensare in denuntiationibus 1003. An episcopus et ob quam causam 1004. Causae ob quas tenetur dispensare 1005. Causae ob quas non tenetur, sed potest 1006. An possit dispensare vicarius generalis. An aliquando parochus possit dispensare, aut saltem declarare 1007. De obligatione denuntiandi impedimenta V. *Impedimentum*. Vide *Accusare*, *Sollicitatio*.

Depositio. Quid sit et quotuplex VII. 323. 325. A quo possint clerici deponi 326. Quod crimen requiratur ut quis possit deponi 327. Quis possit dispensare *ibid.*

Depositum etc. Quid sit depositum III. 746. De repetitione ante tempus definitum 747. Quibus casibus depositarius possit rem denegare 753. An possit uti re deposita 748. Quid si res pereat ob suam negligentiam 749. Quid in dubio 751. An teneatur aliquando rem depositam prae sua servare. Alia 752.

Desiderium etc. An sufficiat confiteri malum desideratum proximo quin explicentur species II. 30. De eo qui putat desiderium malum non esse peccatum I. 9. An desiderium malum sumat speciem ab actu exteriori V. 12. Desiderium obiecti mali cum consensu conditionali 13. Desiderans se non fuisse natum, aut brutum animal factum etc. 72. An liceat sibi aut alteri optare mortem ad vitandam vitam duram etc. An matri optare mortem filiae quia nequit nubere etc. 22. et II. 30. An mortem filii si timeat ex eius flagitiis dehonestandam familiam V. 21. An liceat desiderare et delectari de malo alicuius ob bonum commune, item de supplicio malefactoris etc. *ibid.* et II. 30. Prop. damnatae V. 21. Vide *Odium*, *Delectatio*.

Desperatio de consequendo Deo, aut de salute etc. II. 20.

Detestatio V. *Contritio*.

Detractio. Quid sit III. 966. An liceat narrare defectus leves aut naturales alicuius etc. 967. Quando liceat crimina prodere 968. An id liceat ad vitandum damnum 969. Quando secretum sit servandum 970. Quando possit manifestari. Legentes litteras alienas 971. An liceat famam suam tueri alterum infamando 972. An infamare apud amicum sine animo detrahendi. Revelare crimen ad consilium vel solatium 973. Revelare uni, vel alteri viro probo *ibid.* Propalare crimen publicum in uno loco, in alio ubi est secretum 974. Quando crimen possit dici publicum 975. An infamatus de uno crimine possit infamari de alio 976. Detrahens ex loquacitate. Referens audita 977 Infamare mortuum, indeterminatum,

monasterium etc. Quid explicandum in confessione 978. Audiens detractionem 979. Quid si sit superior 980. Si sit particularis 981. An ad tormenta vitanda etc. V. *Reus*. De restitutione pro detractione aut contumelia 984. 985. 986. 988. An sufficiat petitio veniae 987. Quibus casibus confessarius debeat omittere monitionem de satisfactione 988. Si offensus iam se vindicavit 989. Si offensor puniatur a iudice 990. Detrahens coram pluribus, aut in pluribus materiis V. 48. 49. An interrogatus de re quae alteri esset infamiae possit respondere se nescire III. 155. Quomodo restituenda fama. Et an etiam apud auditores mediatos 991. Quid si verum crimen propalaveris 992. Quid si bona fide infamaveris 995. An tunc tenearis ad damnum, si advertens famam non restituas. An diffamans iniuste de crimine vero teneatur restituere damnum 994. De infamante libello famoso 995. An tenearis ad damnum ortum ex infamatione 996. Quae excusent a restitutione famae 997. 998. Quando restitutio famae possit compensari, si alter nolit restituere 999. An tenearis infamiam pecuniis compensare 660. 627. 1000. An infamatus possit pecuniis sibi famam compensare 1001. An excuset a restitutione periculum vitae, vel propriae infamiae 1002. Quid si infamatus remittat restitutionem et an possit remitti 1003. Confessarii et concionatores debent monere de restitutione et fuga vitii tam communis 992. An quis possit dissolvere amicitiam alicuius narrando defectus etc. V. 72. V. *Contumelia*, *Compensatio*.

Diaconatus. An sit sacramentum VI. 737. Eius materia et forma 748. Diaconus ministrans in peccato V. *Sacramentum*, *Baptismus* etc.

Digitus. Amputans digitum, vel carens digitis an sit irregularis V. *Irregularitas*. Etc.

Dignus V. *Beneficium* etc.

Dilatio V. *Restitutio* etc.

Dilectio V. *Odium*.

Dimissoriae requiruntur etiam pro prima tonsura VI. 783. 787. An dimissoriae expirent per mortem episcopi *ib. v. not.* 2. Episcopus nondum consecratus, sed iam confirmatus potest dimissorias concedere *ib. not.* 3. Etiam morans extra dioecesim *ib. not.* 4. An vicarius generalis possit concedere dimissorias *ib. not.* 5. An possit Capitulum 788. An possit dare licentiam alieno episcopo ordinandi in dioecesi *ibid. v. quamvis*. An episcopus possit confirmare alienum venientem cum dimissoriis *ibid. not.* 10. An episcopus cui diriguntur dimissoriae possit dispensare cum ordinando in irregularitate etc. 789. *dub.* 2. A quibus debeant habere dimissorias regulares 788. *not.* 8. Dimissoriae an dirigendae certo ordinario *ib. not.* 11. Ut quis ordinetur ab alieno episcopo an requiratur licentia in scriptis *ib. not.* 12. Dante papa alicui facultatem suscipiendi ordines *a suo ordinario tantum*, an possit cum dimissoriis ordinari ab alio *ib. not.* 9.

Discipulus V. *Praeceptor*.

Dispensatio etc. An a transgressione praecepti excuset dispensatio facta ex iusta causa. Quid si sine iusta causa I. 178. An existente causa teneatur superior dispensare 179. An valeat dispensatio inferioris 180. An existente iusta causa valeat dispensatio facta mala fide superioris 181. An in dubio dispensatio censeatur valida 182. An quis possit dispensare cum seipso 183. An valeat dispensatio extorta per vim aut metum 184. Quid si causa exposita fuerit falsa 185. An dispensatio cesset, cessante causa 186. An dispensatio stricte accipienda. An detur dispensatio tacita 187. De iis qui possunt dispensare potestate ordinaria 188. Num papa 189. Num episcopi 190. An inferior dispenset in legibus superioris ubi dispensatio non est reservata 191. In dubio an casus egeat dispensatione 192. De potestate delegata 193. Quando dispensatio expiret morte concedentis *ibid.* Quando praelati regulares possint dispensare 194. Quot modis cesset dispensatio 195. ad 198. De dispensationibus s. poenitentiariae V. *Append. de his dispensationibus* I. 202. VII. 470. In quibus materiis hae dispensationes concedi soleant I. 203. Quae clausulae soleant apponi 204. De praxi, sive executione harum dispensationum 205. et seq. An dispensatio expiret morte poenitentiarii concedentis aut pontificis 208.

De dispensatione in impedimentis matrimonii. A quo et ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonii. In quibus possit dispensare papa VI. 1118. An possit in iis quae sunt de iure divino 1119. I. 189. An in impedimentis de iure naturae VI. 1120. An possit episcopus in impedimentis dirimentibus 1121. An ante matrimonium contractum. An aliquando parochus, aut saltem declarare 613. 1122. An post 1123. Quid si sit mala fide initum 1124. An episcopus possit hanc facultatem delegare 1125. An possit dispensare in omnibus impedimentis quae impediunt de iure humano, vel quae matrimonio superveniunt 1126. An possint regulares 1127. An possint in voto castitatis ad contrahendum matrimonium 1128. Causae dispensandi in impedimentis dirimentibus 1129. 1130. An sufficiat subministratio maioris pecuniae 1130. Quid explicandum ut dispensatio non sit subreptitia 1131. An cessante causa cesset dispensatio 1132. 1133. An exprimendum sit copulam incestuosam habitam fuisse cum intentione facilius obtinendi dispensationem 1134. Quid si non fuerit ex tali intentione praehabita 1135. An possit manifestari gradus remotior, tacito propinquiori 1136. An petens secundam dispensationem debeat exprimere primam 1137. An habens plura impedimenta eiusdem speciei debeat omnia exprimere 1138. An possint seorsim impetrari dispensationes plurium impedimentorum 1139. An qui rursus cognoverit consanguineam sponsae indigeat nova dispensatione 1140. An interve-

biente copula incestuosa inter sponsos, antequam dispensatio executioni mandetur, nova dispensatio requiratur 1141. Et an incestum committant III. 452. Quid si contrahentes sint diversae dioecesis VI. 1142. Quae sint clausulae in dispensationibus s. poenitentiariae 1143. In quibus impedimentis s. poenitentiaria possit dispensare 1144. Ad dispensationis valorem non requiritur consensus eius cui prodest 1145. Quid exprimendum quando dispensatio petitur a dataria, et quid quando a s. poenitentiaria 1146. Formula supplicationis pro impetranda dispensatione impedimenti, vel voti castitatis, ad celebrandum vel revalidandum matrimonium 1147. Formula exequendi dispensationem 1148. An possit aliquid accipi pro danda dispensatione III. 96. An episcopus possit dispensare in impedimentis dubiis VI. 902. V. *Matrimonium*, *Impedimentum*. Quoad irregularitatem V. *Irregularitas*. Quoad vota V. *Votum*. Etc.

Dispensatus ad carnes etc. V. *Iciunium*.

Dispositio. Quae dispositio requiratur ad eucharistiam V. *Eucharistia*. Ad sacramenta V. *Sacramentum*. Etc.

Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis, seu morale systema pro delectu opinionum quas licite sectari possumus I. 55. ad 89. Dissertatio de potestate pontificis 110. ad 135. Dissertatio de confessariis sollicitantibus VI. 675. Dissertatio de prohibitione librorum Vide *Append. 3. in fine libri* I. Dissertatio de ministro et forma matrimonii VI. 897. Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, an possit absolvi, volens ordinari in sacris 63. ad 77. Dissertatio de materia et forma confirmationis 164. Dissertatio circa conceptionem B. M. V. VII. 244.

Distillatio. Quid sit, et an voluntaria sit mortalis III. 477.

Distractio. Distractus in celebratione an debeat repetere VI. 25. *v.* 5. Quodnam peccatum sit distractio voluntaria in celebratione 410. *dub.* 5. Distractio in officio V. *Horae*.

Divinatio. Quid sit et quotuplex III. 5. 6. An sit semper mortale 7. Resolutio casuum. De virga divinatoria 8. An liceat divinare per somnia etc. 9. De astrologia. An liceat adhibere sortem divinatoriam 10. 11.

Divortium. Quando possit fieri divortium quoad *vinculum* VI. 955. et seq. De indissolubilitate matrimonii 956. An si infidelis nolit converti, liceat fideli transire ad alias nuptias 957. Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam 958. An solvatur etiam per dispensationem papae 959. Divortium quoad *torum* permittitur ob adulterium coniugis 960. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio 961. An liceat facere divortium ob sodomiam vel bestialitatem commissam a coniuge. An ob copulam sine seminatione 962. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere 963. An uxor teneatur divertere a viro adultero 964. An coniux innocens teneatur recipere adulterum emendatum 965. Nequit fieri divortium, si uterque sit reus adulterii; si coniux consentiat in adulterium alterius; si adulterium accidat sine culpa; si iniuria remittatur 966. An facto divortio, possit innocens adulterum ad se revocare. Quid si, facto divortio, innocens etiam adulteretur 967. An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate 968. Facto divortio vir potest ingredi religionem, aut fieri sacerdos, invita adultera; adultera non potest nisi de licentia viri 969. Permittitur divortium ob *saevitiam* alterius 970. An ob hanc causam possit coniux recedere propria auctoritate. An possit fieri religiosus altero invito. Qualis timor sufficiat ad divortium ob saevitiam 971. An sola verbera 972. Permittitur divortium coniugi si alter trahat eum in *peccatum* 973. Permittitur, imo aliquando praecipitur divortium ob *haeresim* alterius 974. Permittitur ob *mutuum consensum* 975. Facto divortio apud quem sint filii educandi, et cuius coniugis expensis 976. An teneatur uxor divortium facere a viro qui eam contra naturam cognoscit, vel prostituit III. 440.

Dolor V. *Contritio*.

Dolus V. *Contractus*.

Domicilium. In quo differat a quasi domicilio I. 156. An sufficiat quasi domicilium ad consti tuendum aliquem parochianum illius loci VI 115. An studiosi contrahant domicilium 777 An barones eorumque filii gaudeant domicilio feudorum. An officiales domicilio loci ubi degunt 779. V. *Coniux* etc.

Dominica. V. *Festum*, *Iciunium*.

Dominium. Quotuplici modo acquiratur dominium III. 493. De occupatione *ib.* De nativitate 494. De alluvione 495. De specificatione 496. De accessione 497. De confusione vel commixtione 498. 499. De aedificatione 500. De plantatione 501. De perceptione fructuum 502. De traditione 503. De praescriptione seu usucapione 504. et seq. Ad acquirendum dominium in venditione etc. V. *Vendere*. Etc.

Dominus. Quid teneatur dominus praestare subditis III. 542. De iuramento dominorum puniendi famulos 186. Dominus defendens sua per famulos armis 585. An absolvenda famula peccans cum domino 459. V. *Famulus*.

Donatio etc. Qui sint inhabiles ad donandum III. 721. An debitis gravati 722. De donatione inter coniuges 723. Inter patrem et filium 724. An obliget donatio ante acceptationem 725. De donatione ad pias causas 726. An donatio firmata iuramento possit revocari ante acceptationem 727. Quando obliget donatio facta absenti 728. An possit acceptari donatio post mortem donantis 729. De donatione mandata fieri a nuntio 730. An mortuo donatario ante acceptationem possit haeres acceptare 731. An requiratur traditio ad acquirendum dominium rei donatae 732. An donatio ultra summam 500. solidorum teneat 733. An sit obligatio implendi modum sive

nem donantis 734. Foemina accipiens donum post illicitam petitionem etc. *ibid.* Donans foeminae aut promittens prodige, ad extorquendam copulam 712. 735. Quid si donatio fiat ad alliciendum 736. Quid si ob falsam causam, et quid si causa sit secundaria 737. De donis amatoriis 426. Quando possit revocari donatio. An si donatarius sit ingratus. De donationibus remuneratoriis vel factis ecclesiae 738. Quid si donanti nascatur proles post donationem 739. Quid si donatio fuerit inofficiosa 740. Quando donatio causa mortis censeatur revocata 741. An valeat haec donatio in absentem 742. Qui possint donare causa mortis 743.

Dotare. Quoad stupratorem V. *Stuprum.* Etc.

Dubium. Quid sit etc. V. *Conscientia.* Pro delicto dubio non est imponendum onus certum VI. 474. Reliqua suo loco invenies, v. g.: In dubio an lex praecipiat etc. V. *Lex.* De voto dubie emisso etc. V. *Votum.* De possessore dubitante V. *Possessor.* Etc.

Duellum. Quid sit et an liceat III. 399. Quando liceat duellum acceptare. An liceat illud indicere contra falsum accusatorem 400. Poenae duello impositae 401. An moriens ex vulnere in duello accepto sit privandus ecclesiastica sepultura 375. An provocans ad duellum, si occidat, teneatur ad restitutionem 638. Domini concedentes in terris suis locum pro duello excommunicantur VII. 212.

Dux V. *Bellum.*

E

Ebrietas etc. In quo consistat, et quando sit mortale V. 75. An liceat ex praescripto medici aut metu mortis 76. An sit mortale alium inebriare 77. Quando ebrietas excusetur a mortali. De malis commissis in ebrietate 78. An ebrio teneatur coniux reddere VI. 948. An obligetur legibus V. *Lex.* Etc.

Ecclesia. A quibus debeat reconciliari ecclesia violata VI. 363. An polluantur oratoria non benedicta, et an sacristiae cryptae etc. 362. Quomodo debeat esse notorium crimen per quod polluitur ecclesia vel coemeterium. Quando polluatur per homicidium 364. Quando polluatur per effusionem sanguinis aut seminis 365. Quando per sepulturam excommunicati etc. 366. et VII. 186. Quid si sit haereticus non denuntiatus 187. Quando per destructionem ecclesiae VI. 367. Quomodo fiat execratio ecclesiae 368. et seq. De lignis et lapidibus ecclesiae dirutae 371. In ecclesia vetantur mercatus, parlamenta, convivia etc. III. 37. An furtum in ecclesia sit sacrilegium 39. Si ecclesia est interdicta vel polluta an canonici excusentur a choro IV. 130. *v. Quando.* Sciens ex confessione ecclesiam esse pollutam an possit in ea celebrare VI. 660. An incurrat irregularitatem celebrans in ecclesia polluta vel interdicta VII. 338. VI. 361. Ecclesia supplet iurisdictionem quando a est opinio probabilis 373. I. 30. In qua ecclesia audienda si missa V. *Missa.* Etc.

Effectus missae V. *Missa.* Ordinis V. *Ordo.* Etc

Electio simoniaca ad praelaturas regularium III. 112. *qu.* 1. Ad beneficia *ib. q.* 2. *et* 3. Ad patrum *ib. q.* 4. V. *Beneficium.*

Eleemosyna. An teneamur dare eleemosynam ex bonis necessariis II. 31. An in necessitatibus communibus 32. An possimus dare de bonis alienis 33. An satisfaciat dives suae obligationi si det mutuo pauperi III. 320. *qu.* 3. An dives non subveniens pauperi in necessitate teneatur ad restitutionem *ib. qu.* 6. Eleemosyna pro missa V. *Stipendium.* De obligatione clericorum dandi eleemosynam V. *Clericus, Beneficium.*

Emphyteusis etc. Quid sit III. 865. An emphyteuta debeat pensionem in gravi iactura fructuum 866.

Emere etc. V. *Vendere.*

Ensalmi an liceant III. 21.

Epikeia legis quid sit I. 201.

Epileptici an sint irregulares VII. 397. et seq. Quis possit cum eis dispensare 400.

Episcopus etc. Qui veniant nomine episcoporum VII. 79. Ad episcopatum eligendi sunt digniores IV. 91. De obligatione episcopi concionandi III. 269. IV. 127. *v. Hinc.* An et quando episcopus possit permutare aut renuntiare ecclesiae aut ad religionem transire 76. De episcopis eligentibus minus dignos ad parochias 92. An episcopi digniores sint transferendi ad maiores ecclesias. An translatio vetetur iure divino 104. Quid si adsit iusta causa 105. An episcopatus sit ordo distinctus a sacerdotio VI. 738. An sit licitum desiderium episcopatus 804. Quae vocatio requiratur *ibid.* Episcopus in mortali conficiens chrisma aut oleum sanctum 39. Consecrans templa, benedicens vestes etc. 40. Exercens pontificalia a quibus sit suspensus VII. 314. Quid si solemniter celebret *ibid.* Quando teneatur celebrare VI. 313. An possit minuere missas et moderari officia et eleemosynas anniversariis annexas etc. 331. An possit dispensare ut celebretur alibi 329. An ut celebretur post meridiem 344. An possit delegare facultatem benedicendi paramenta 378. *dub.* 4. Episcopus solus potest habere fenestram in ecclesia 424. *v.* 7. An episcopus possit eligere sibi in confessarium quemcumque sacerdotem 365. Tenetur dare extraordinarium monialibus bis vel ter 376. Etiam exemptis si praelati earum id negligant *ib.* Quoad privilegia V. *Privilegium,* quoad oratoria, *Oratorium.* An possit delegare quae ipsi competunt iure ordinario VII. 93. Novus episcopus potest examinare parochos etiam regulares et confessarios VI. 792. Circa dimissorias V. *Dimissoriae.* Episcopus colloquens cum monialibus alienae dioecesis VII. 243. An teneatur non deserere oves etiam cum periculo mortis. Tenetur rationem exigere a vicario capitulari et quamprimum dioecesim visitare III. 360. *v. Dub.* 3. De obli-

satione episcopi visitandi monasteria monialium etc. IV. 56. An possit retinere parochum ut sit suus vicarius, visitator, etc. 125. Episcopus debet personaliter invigilare, bono exemplo instruere, pauperibus subvenire 127. *v. Hinc.* Quoad ordinem V. *Ordo*, *Ordinandus*, quoad impedimenta, *Impedimentum*, quoad censuras *Censura*, *Reservatio.* Etc.

Epistolae pontificiae quando et quomodo obligent I. 106. III. 1027.

Eremitae an veniant nomine monachorum VII. 271.

Error in contractu V. *Contractus*, in matrimonio V. *Impedimentum.* Etc.

Eucharistia. In quo consistat essentia eucharistiae VI. 189. 190. De ratione specifica et numerica eucharistiae 190. An tota ratio specifica eucharistiae salvetur in alterutra specie. Unde sumatur unitas numerica huius sacramenti 191. An eucharistia sit necessaria ad salutem necessitate medii 192. An sit necessaria adultis ad vitam spiritualem conservandam 193. Quae sit materia proxima eucharistiae 194. De obligatione consecrandi sub utraque specie 195. An haec obligatio sit de iure divino. An papa possit in ea dispensare. An sit valida consecratio unius speciei sine alia 196. An aliquando possit una species sine alia consecrari 197. An solus panis triticeus sit materia apta 198. Quae res non sint materia apta 199. Quae sint materia dubia 200. Quinam panis est materia valida sed illicita. 201. An latini valide consecrent in fermentato, graeci in azymo 202. Quid si latinus transeat per Graeciam, vel contra 203. De hostia fracta vel maculata 204. De figura hostiae. De hostia minori 205. Quale vinum non sit materia apta. Quid agendum si post consecrationem dubites vinum fuisse acetum 206. Quale sit materia valida sed illicita 207. An ex gravi praecepto aqua miscenda sit vino 208. An aqua mixta vino convertatur in sanguinem 209. Quae quantitas aquae immiscenda. Quid si sanguis cadat super altare, lintea etc. 210. Ad validam consecrationem requiritur ut materia sit moraliter et sensibiliter praesens 211. Valide consecrantur hostiae clausae vel in tenebris etc. 212. Invalide consecratur materia post tergum aut parietem, materia remota aut valde modica 213. Requiritur ut materia sit certa et determinata 214. An consecretur hostia inscio sacerdote. An guttae vini separatae 215. Valida est consecratio: si sacerdos determinet: si putet hostias pauciores: si earum obliviscatur 216. Quid si ciborium relinquatur extra corporale: si hostiae deferantur post oblationem 217. Quae requirantur ad licitam consecrationem 218. Quibus casibus peccet celebrans in consecrando 219. Quae verba sint de essentia in consecratione panis et vini, et quomodo proferenda 220. Quae forma sit illicita, quae invalida, quae dubia 221. ad 223. Plura circa variationem verborum. Quid si sacerdos se distrahat in consecrando 224. Infra quantum tempus species eucharistiae consummentur 225. Quando recipiatur gratia 226. Quid si sacerdos se disponeret inter sumptionem 227. An recipiat plus gratiae sumens utramque speciem, vel maiorem materiam 228. Quid si vinum consecratum in aliud vinum inficiatur 229. An solis sacerdotibus liceat eucharistiam ministrare 230. An ipsi soli valide consecrent 231. Quid notandum de sacerdotibus consecrantibus simul unam hostiam sive cum episcopo 232. An parochus tempore pestis teneatur ministrare eucharistiam 233. An inferior sacerdote ministrando incurrat irregularitatem. De ministrante sine iurisdictione 234. An sufficiat consensus pastoris 235. Quid si ministrandum sit viaticum 236. Quando liceat diaconis ministrare. An liceat in necessitate sumere eucharistiam per seipsum. An liceat laico in necessitate viaticum ministrare 237. 84. An sacerdos possit seipsum communicare 238. An alii praeter pastores possint ministrare eucharistiam in articulo mortis et in paschate 239. Quibus casibus liceat regularibus tunc ministrare 240. Requisita in ministro ad licitam administrationem eucharistiae. Quomodo deferenda ad infirmum 241. 242. 243. An possit deferri ad aegrum venerationis tantum causa 243. An liceat dispensare posterioribus digitis. An medio instrumento tempore pestis 244. Quando peccet dispensans ob defectum ritus ecclesiae. Debet negari indispositis animo vel corpore 245. Pastor tenetur ministrare quoties ab ovibus rationabiliter petitur *ibid.* et 253. Quibus non liceat porrigere eucharistiam 246. An porrigenda reis capite damnatis. An semifatuis et obsessis 247. Quomodo debeat asservari et deferri. An peccet parochus si lumen ante eam non ardeat 248. An ministranda communio in missa *de requiem.* An intra missam etc. 249. Quid si hostia decidat in terram 250. Quid faciendum de fragmentis. Quid de particulis inventis in dubio an sint consecratae 251. Qua hora et die danda communio 252. De communione quotidiana 254.

— De praecepto praemittendi confessionem ad communionem 255. An illud sit divinum vel ecclesiasticum 256. An qui post confessionem recordatur mortalis teneatur confiteri 257. Qui dubitat an peccarit mortaliter vel an sit rite confessus 258. An excuset a confessione celebritas, devotio aut paupertas 259. An periculum mortis, necessitas ministrandi viaticum, scandalum etc. 260. Quid si populus aut sacerdos deberet carere missa aut communione paschali 261. Quid si sacerdos inter celebrandum peccet vel recordetur peccati 262. Quid si laicus recordetur peccati in scamno communicantium 263. Quid si quis habeat reservatum aut excommunicationem etc. et non adsit confessarius habens facultatem 265. Quomodo intelligendum praeceptum confitendi quamprimum impositum iis qui in necessitate suscipiunt eucharistiam in peccato. An

ad illud teneatur sacerdos celebrans sacrilege 266. An celebrans confessus et oblitus peccati. An non confessus qui meminit peccati post consecrationem 267. An praeceptum confitendi quamprimum obliget etiam laicos 268. Quando dicatur deesse copia confessarii. Quid si adsit solum sacerdos simplex vel excommunicatus etc. 264.

— Qui sint effectus eucharistiae 269. Accedens cum veniali 270. An fructum amittat *ibid.*

— Quae requiratur dispositio corporis. An pollutio et actus coniugalis impediant a communione 271. ad 274. An macula, ut lepra, etc.; an menstrua, an latio armorum 275. An sacerdos communicans extra missam debeat esse stola indutus 276. De ieiunio praerequisito 277. An sit de praecepto divino. An detur parvitas materiae etc. 278. Quid requiratur ad solvendum ieiunium 278. ad 281. An liceat sequi ultimum inter horologia. Quid in dubio soluti ieiunii 282. An sit peccatum sumere cibum etc. post communionem 283. In quibus casibus possit communicare non ieiunus 284. An liceat iterum dare viaticum infirmo non ieiuno. An qui communicaverit paucis ante diebus teneatur iterum adveniente periculo mortis 285. Quando infirmus teneatur expectare seq. die *ib. v. Hic.* An possint omitti verba *Accipe viaticum ib. dub.* 4. An sacerdos possit celebrare non ieiunus ad dandum alteri vel sibi viaticum 84. 286. An liceat communicare post cibum ne eucharistia pereat aut male tractetur. An ad vitandum scandalum 287. An ad perficiendum sacrificium vet communionem 288. An ad vitandam mortem. An liceat communicare ante somnum vel digestionem 289.

— De obligatione sumendi eucharistiam. An communio sit necessaria necessitate medii 290. An et quando quisque in periculo vitae teneatur communicare 291. Quid agendum in periculo vomitus vel delirii 292. An ministrandum viaticum pueris. Qui post sumptum peccavit an teneatur denuo 293. De obligatione communicandi 294. Duplex adest de hoc praeceptum. Quando obliget divinum, quando ecclesiasticum. Poenae in transgredientes praeceptum communionis paschalis 295. Quomodo computandus annus obligationis 296. Qui omisit in paschate an teneatur quamprimum 297. An hoc praeceptum impleatur per communionem sacrilegam 294. Qui praevidens impedimentum, anticipavit 297. An sit obligatio anticipandi 298. An teneamur tollere impedimentum ad satisfaciendum communioni paschali 299. De obligatione communicandi in parochia. An eximantur sacerdotes, peregrini, famuli monasteriorum, an alii ex consensu pastoris 300. De obligatione puerorum communicandi in paschate. Qua aetate teneantur. An danda communio infantibus in articulo mortis 301. An danda amentibus 302. An semifatuis, mutis, surdis, obsessis 303. Ubi debeant peregrini, vagi etc. recipere communionem in paschate 240. *v.* 9. Quibus in ecclesiis possit asservari Ss. Sacramentum Eucharistiae 424. De eius expositione V. *Expositio.* Gestans eucharistiam in mortali III. 463. Ministrans, tangens aut elevans de terra in peccato VI. 30. 33. 237. Porrigens indigno hostiam non consecratam 42. An possit ministrari peccatori 47. 50. An sumat cum fructu hostiam qui nescit esse consecratam 83. An hoc sacramentum possit ministrari in oratoriis privatis VI. 339. V. *Sacramentum, Missa, Celebrare* etc.

Evictio. Quando debeatur III. 800.

Eunuchus. An sit irregularis VII. 416. et seq

Examen requisitum ad confessionem VI. 471. Potest suppleri a confessario *ib. v.* 2. An sit obligatio scribendi peccata *ib. v.* 3. Examen est necessarium ad ordines 783. V. *Ordinandus.* Etc.

Excommunicatio, Excommunicatus. Quid et quotuplex sit excommunicatio. Qui sint vitandi VII. 133. 134. Quid requiratur ut quis sit vitandus 135. ad 137. An liceat toleratis cum aliis communicare. An liceat communicare cum tolerato 138. Inducens toleratum ad communicandum in divinis 139. Quando percussor clerici sit vitandus 141. ad 145. Quando possit credi vitandus absolutus 146. An excommunicatio in communitatem sit valida et licita 19. Ob quam causam incurratur excommunicatio minor 147. 151. Effectus directus excommunicationis minoris 148. 149. Effectus indirectus 150. An omnes confessarii possint absolvere ab ea. An simplex sacerdos 71. An sit mortale recipere aut ministrare sacramenta cum excommunicatione minori 152. An incurratur cum solo veniali 153. An hoc veniale possit omitti in confessione 154. Quis possit ab ea absolvere. An etiam qui potest absolvere venialia 155. Quis incurrat 156. Effectus excommunicationis maioris. Effectus mediati sunt 1. *Irregularitas ob exercitium ordinis.* 2. *Suspicio de haeresi* 157. Effectus immediati sunt: 1. *Privatio sacramentorum* licite, et etiam valide quoad poenitentiam 158. 159. De conferente sacramentum excommunicato. De excommunicato recipiente. An ei ministranda eucharistia in articulo mortis. Quid in dubio an sit absolutus an non ab excommunicatione 160. An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda praecepta 161.—2. *Privatio communium suffragiorum etc.* 162. An possint offerri sacrificia etc. pro vitando 163. An pro tolerato 164. — 3. *Privatio administrationis sacramentorum.* An peccent recipientes sacramenta ab excommunicato 165. An excommunicatus valide ministret sacramenta 166. 167. 168. Quid in articulo mortis 168. An licite ministret 169. 170. Quam poenam incurrat illicite ministrans 171. Quam incurrat recipiens 172. — 4. *Privatio divinorum officiorum.* Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando. An liceat recitare cum ipso officium 173. An vitando liceat usus sacramentalium etc. 174. Quid si vellet interesse missae 175. Ad quid teneantur clerici si

nolit recedere. An alii assistentes peccent tunc mortaliter etc. 176. Quae veniant nomine divinorum officiorum. Quomodo debet expelli, alias missa interrumpi etc. 177. An excommunicatus teneatur ad horas 178.— 5. *Nullitas beneficii, dignitatis, praesentationis etc.* 179. Plura notanda. An peccent conferentes etc. Quid si ante excommunicationem fuisset praesentatus. Et an beneficiatus faciat fructus suos 180. 183. III. 670. An toleratus sit inhabilis ad officia, beneficia etc. VII. 181. An valeat collatio beneficii nescienti se esse excommunicatum 182. — 6. *Privatio communicationis forensis* 184. — 7. *Privatio usus iurisdictionis* 185. — 8. *Privatio ecclesiasticae sepulturae.* Plura notanda de pollutione ecclesiae vel coemeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus etc. 186. Quid si sit haereticus non denuntiatus 187.— 9. *Privatio communicationis civilis* 188. *Os* 189. *Orare* 190. *Vale* 191 An liceant signa urbanitatis sine verbis, rescribere etc. 192. 193. *Communio* id est contrahere, cubare etc. 194. *Mensa* 195. Quale peccatum sit communicare cum vitando. Communicare in divinis aut in eodem crimine 196. ad 198. In quibus casibus communicans incurrat excommunicationem maiorem 199. In quibus casibus liceat communicare 200. ad 207.

—Ob quas causas incurratur excommunicatio maior. Excommunicationes non reservatae. Contra omnes 209. Contra clericos 210. Contra religiosos 211. Excommunicationes adiectae a Trident. 212. An incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi monasteria, tantum ut educentur *ibid. Dub.* 1. An cogentes ad suscipiendum habitum religiosum ex metu reverentiali *Dub.* 2. An cogentes mares. An impedientes ingressum puellae *Dub.* 3. Excommunicationes reservatae episcopis. In percutientem clericum. In eos qui absolvuntur in articulo mortis, et postea se non praesentant superiori. In fratres minores etc. In procurantes abortum foetus animati effectu non secuto. In communicantes in eodem crimine. Excommunicationes quas episcopi sibi reservant 213. De excommunicatione imposita ex monitorio 214. Obligatus revelare damnum, si non revelet 215. An sit obligatio revelare crimen emendatum 216. Qui, facto monitorio excusentur a revelando 217.

— Excommunicationes papae reservatae extra bullam Coenae. Contra omnes 218. Contra clericos et religiosos 219. De excommunicatione contra duellantes et cooperantes 220. Contra violantes clausuram monialium 221. An incurrant ingredientes sine licentia. An introducentes 222. An licentia debeat esse in scriptis. An debeat esse specialis 223. A quo debeat concedi 224. Quae causa requiratur ad concedendam 225. De ingressu medicorum, etc. 226. Confessariorum 227. An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi 228. De excommunicatione reservata in moniales violantes clausuram et in cooperantes 229. Contra mulieres violantes clausuram religiosorum 230. Quae foeminae excipiantur. Quae domus veniant nomine conventuum 231. De prohibitione colloquendi cum monialibus. Quid circa regulares 232. An vetetur solus accessus sine collocutione 233. An loquentes per nutus incurrant casum reservatum 234. An peccet graviter semel colloquens cum monialibus 235. An detur parvitas materiae. An detur in regularibus 236. An liceat colloqui cum moniali ob utilitatem 237. An cum abbatissa 238. Qui eximantur ab hac prohibitione. Consanguinei in 1. et 2. gradu. Metu coacti. Pauperes et quaestuantes 239. An impuberes 240. An regulares incurrant excommunicationem latam ab episcopo 241. An peregrini 242. An episcopi colloquentes cum monialibus in aliena dioecesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci 243. Dissertatio super censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Vide *Conceptio*. De excommunicatione ob percussionem clericorum. Verba canonis 264. Quid intelligatur per verba *Si quis* 265. Quomodo comprehendantur mandantes etc. 266. Ratihabentes 267. Non impedientes 268. An solum qui tenentur impedire ex caritate 269. Quid intelligatur per clericum 270. Per monachum 271. Quid per verba *manus iniecerit* 272. Quae percussio requiratur 273. 274. Quis non incurrat 275. Quando episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione 276. Quae percussio dicatur *levis*, quae *gravis*, quae *enormis* 277. Quot modis levis possit fieri gravis 278. Qui possint absolvere a levi, qui a gravi 279. In dubio an iudicanda levis aut gravis. An incurrat excommunicationem qui venenum dat clerico 280. An incurrat occidens unum clericum pro alio III. 628.

— Excommunicationes reservatae papae per bullam Coenae. De excommunicatione in retinentes, legentes etc. libros haereticorum VII. 281. Ad incurrendam quid requiratur 282. ad 285. Quando non incurratur 286. An legi possint libri infidelium vel hebraeorum 282. An prohibeantur libri philosophici vel qui incidenter haeresim continent 287. Quinam libri prohibeantur in indice 288. Quot classes librorum index constituat 289. Ad quem spectet libros prohibere 290. An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros haereticos. An legere libros prohibitos ei qui est certus lectionem non esse sibi obfuturam 291. An incurrat excommunicationem qui legit prooemium etc. An qui audit legere. Qui inducit ad legendum 292. An qui legit scripturam brevem 293. Qui legit parum 294. Qui retinet parvo tempore 295. An excuset ignorantia crassa. Quid si quis scit ex viro probo esse librum prohibitum 296. An incurrat qui impedit ne comburatur aut laudat etc. 297. An qui deponit apud alium 298. An qui comburit. A quo impetranda licentia legendi 299. Ad incurrendam excommunicationem ob haere-

sim quid requiratur 300. 303. 304. An incurrat errans ex ignorantia crassa aut affectata 301. An qui dubitat circa res fidei 302. Alia advertenda 305. Incurrunt etiam *credentes*, *fautores*, *receptatores*, *defensores* 306. An qui favet haeretico ob amicitiam etc. 307. An qui recipit ne capiatur 308. Incurrunt surripientes bona naufragantium 309. Domini imponentes tributa 310. Quinam alii incurrant excommunicationem bullae 311. V. *Censura*, *Reservatio*, *Sollicitatio* etc.

Execratio. Quomodo fiat execratio rei consecratae, nempe ecclesiae, altaris, calicis et vestium VI. 368. V. *Ecclesia*. De execratione altaris. Quid si lapis removeatur, aut frangatur. Si spolietur sepulcrum. An reliquiae sint necessariae. Quid si frangatur sigillum, vel removeatur sepulcrum 369. Quid si sub altari sint humata cadavera *ib. in fine*. Quando execretur calix. Quid si pereat inauratio. An de novo inauratus indigeat nova consecratione. An liceat celebrare in calice numquam deaurato 370. Quando execrentur vestes 371. De partibus avulsis a re consecrata. De calice fracto. De paramentis laceris etc. *ibid*. De execratione coemeterii 364. VII. 186.

Executor. Qui possint esse executores testamenti III. 936. Qui sint de iure. An possint fungi officio per alios *ibid*.

Exemptio etc. An nomine locorum exemtorum veniant monasteria VII. 24.

Exornare se nimium an sit peccatum V. 67.

Expositio eucharistiae VI. 424. v. *Refert*. An in ea possit dici oratio de sacramento in missa *ib. v.* 10. et 411. *v. Probabiliter*. In missa solemni 40. horarum vel pro re gravi dicitur Gloria et Credo *ibid*. Ex qua causa possit fieri expositio 424. Prohibentur apponi tunc in altari statuae, reliquiae etc. *ib*.

Extrema unctio. Quid sit hoc sacramentum, et an a Christo institutum VI. 706. An per quamlibet unctionem partialis gratia conferatur. An conferatur gratia, recedente obice 707. De *materia remota* huius sacramenti. De praecepto renovandi oleum. An possit addi aliud 708. An oleum debeat esse olivarum, et an benedictum, et a quo. An sufficiat ungere una gutta 709. De *materia proxima*. De unctionibus. Quae spectent ad essentiam huius sacramenti 710. De forma 711. Quibus et quando ministranda extrema unctio 712. ad 714. Quando possit iterari in eadem infirmitate 715. Quae dispositio requiratur. An danda post viaticum 716. An ministranda pueris 717. 719. 720. An infantibus 718. An adulto infirmo statim post baptismum 721. De *ministro*. An quivis sacerdos possit illam dare ex consensu parochi praesumpto. Quid sancitum sit de regularibus 722. Quid si pastor absit vel nolit dare. Quid si sit excommunicatus aut suspensus 723. An liceat dare sine ministro. An possit unus unam alius aliam partem inungere. An solus sacerdos possit ministrare. Quid si minister inter unctiones deficiat 724. An sacerdos incurrat irregularitatem si aegrotus decedat dum eum revolvit etc. 725. De *administratione*. An liceat ministrare sine vestibus sacris 726. An sit peccatum omittere orationes etc. 727. An deferre oleum sine lumine. An omittere signum crucis. An liceat deferre oleum una cum viatico 728. An teneatur pastor dare petentibus, et an cum periculo vitae. An teneantur dare alii sacerdotes 729. An liceat parocho oleum retinere domi 730. De effectibus. An per extremam unctionem remittantur mortalia per se. An principalis effectus sit remissio peccatorum vel reliquiarum peccati 731. De *subiecto*. An sint capaces amentes, ebrii, impoenitentes, excommunicati, vulnerati in rixa, phraenesi laborantes, muti, surdi, caeci 732. An peccet graviter qui negligit suscipere 733. V. *Sacramentum*.

F

Factor. An officium factoris vetetur clericis III. 858.

Factum praesumitur rite factum I. 26.

Facultas V. *Poenitentiaria*, *Iurisdictio* etc. De facultatibus in iubilaeo V. *Iubilaeum*. Etc.

Falcidia. Quid sit III. 961.

Fama V. *Detractio*.

Familiares episcopi quando possunt ab ipso ordinari VI. 770.

Famulus. An peccent famuli cooperantes dominis usurariis III. 789. An peccent dando eleemosynas de rebus domini 319. De praescriptione stipendii 316. Famuli monasteriorum ubi communicare debent in paschate VI. 240. *v.* 10. 300. *v.* 3. Famuli famulorum episcopi an possint ab eo ordinari 780. Ad quid teneantur famuli erga dominos III. 343. An non impedientes furta rerum domini teneantur ad restitutionem 344. An conductus ad annum possit petere stipendium si discedat prius 345. An aegrotans teneatur supplere 346. An ei debeantur expensae curationis et salarium 864. An elapso triennio possit salarium exigere vel occulte sibi compensare 347. Nulla statuta mercede an possit petere iustum stipendium vel occulte surripere 348. An absolvenda famula peccans cum domino 439. An famuli possint accipere salarium a debitis gravato 694. An liceat famulo lucrari commutando pecuniam domini 856. An possit famulus iussu domini negare eum esse domi 165. V. *Cooperatio*. Quoad vota V. *Votum*. Etc.

Fascinatio naturalis III. 22.

Febris. An laborans febri continua sit irregularis VII. 409. An tertiana vel quartana excuset a recitatione officii IV. 155.

Festum. An tertium praeceptum decalogi sit naturale vel caeremoniale III. 263. An praecipiatur cultus interior. An hoc praeceptum sit affirmativum 264. An observantia dominicae sit de iure divino 265. An episcopi possint festa indicere 266. A quo tempore incipiat obligatio festi 267. Ad quid obliget hoc praeceptum. Quibus

festis permittantur opera servilia in regnis Siciliae 268. 332. An sit obligatio audiendi concionem 269. 308. Quis teneatur observare festa. Quando teneantur pueri 270. An liceat in festis iniungere opera servilia infidelibus et amentibus 271. Quae sint opera servilia 272. 273. An sit duplex peccatum peccare in die festo 273. Quae opera non sint servilia 274. An liceat itinerari, uti lectica 275. An ducere ex consuetudine iumenta, currus, navigium 276. An molere 277. An docere, scribere, canere etc. ob lucrum 278. An transcribere 279. An pingere 280. 281. An sculpere 281. An liceat typographis componere. An distillare 282. An venari, militare, gladiare, piscari, acu pingere 283. Quae sint opera forensia vetita in festis 284. An liceat emere, vendere, negotiari, inire contractus 285. An liceant nundinae et mercatus 286. An liceat excommunicare, advocatum consulere etc. 287. Quis possit dispensationem dare ad laborandum 288. Quinam laborantes excusentur ex consuetudine 289. 290. Quomodo excuset pietas 291. An liceat in festis coquere hostias, ornare altaria etc. 292. An liceat laborare ad subveniendum pauperibus etc. 293. Quomodo excuset charitas 294. Quomodo necessitas 295. De famulis coactis ad laborandum 296. An eis liceat reficere suas vestes. An pauperibus liceat laborare 297. An liceat in festo coquere cibos, colligere fructus etc. 298. An conficere panem 299. An mederi, conflare ferros, coquere calcem, vitrum etc., ferrare equos 300. An liceat laborare pro magno lucro 301. An ad vitandum otium 302. An excusentur instauratores pontium, viarum etc., sartores perficientes vestes, sutores, agricolae, mercatores etc. 303. An excuset utilitas ad publicam laetitiam 304. An parvitas materiae, et quae sit 305. V. 37. Mandans sex famulis laborare per horam III. 306. Unde sumatur gravitas materiae in forensibus 307. An sit sacrilegium peccare die festo 46. 463. Quoad missam V. *Missa*. Etc.

Feudum. Quid sit III. 867. V. *Domicilium*.

Fideiussio. Quid sit III. 912.

Fides. Quae mysteria credenda necessitate medii II. 1. Definitio fidei. An mysteria Trinitatis et Incarnationis sint credenda explicite 2. Quae scienda ex praecepto, et an memoriter 3. Quale sit obiectum fidei materiale, et quale formale 4. Quos et quando obliget praeceptum fidei 5. Propositiones damnatae 6. Quoties eliciendi actus fidei 7. Quando haereticus teneatur credere 9. Quae opinio sequenda in materia fidei I. 43. II. 10. Quando teneamur fidem exterius confiteri. Qui teneantur iure ecclesiastico ad externam professionem fidei 11. An liceat unquam positive fidem negare 12. An uti verbis ambiguis, an tacere 13. An fugere. Alia 14. An uti vestibus vel signis infidelium 15. An audire conciones haereticorum etc. Quot peccata committat negans plures articulos fidei V 50. De possessore bonae aut malae fidei V. *Restitutio Possessor*.

Filius. Quae teneantur filii praestare parentibus circa amorem III. 333. Circa reverentiam 334. Circa obedientiam et alimenta 335. Quae teneantur praestare parentes filiis quoad alimenta et educationem 336. An teneatur pater dotare filiam nuptam contra eius consensum 337. Sanctio neapolitana circa alimenta filiorum 338. Ad quid aliud teneantur parentes 339. An possint parentes exhaeredare filios 341. 948. 949. Quot sint peculia filiorumfamilias. De peculio *castrense*, *quasi castrense*, *profectitio*. An sit profectitium lucratum a filio ex bonis paternis. An filius possit exigere stipendium pro labore in beneficium patris. Quando acquirat usumfructum peculii adventitii 488. An possit filius a patre mercatore surripere mercedem pro opera sua 544. An filius possit accipere alimenta a debitis gravato 695. De filio negotiante cum patre 910. Quid possint petere filii spurii a patre et matre 951. Si pater relinquat bona alteri ut reddat filio spurio 952. De iuramento parentum puniendi filios 186. An pater teneatur assignare patrimonium filio volenti ordinari VI. 819. De filiis nuptias contrahentibus, insciis parentibus 849. An teneatur filius obedire patri praecipienti matrimonium 850. An peccent avertentes filios a religione V. *Religiosus*. Quoad ludum V. *Ludus*. Etc.

Fiscus. Impediens ne fisco applicetur poena III. 583. IV. 237. V. *Gabella*.

Foemina utens veste virili, faciem fucans, detegens ubera III. 425. II. 52. 53. Quid si putet aliquos scandalizandos 53. An ei liceat se ornare 54. V. *Exornare*. An teneatur fugere virum concupiturum 53. III. 331. Mulier permittens se tangi. An vi oppressa teneatur potius pati mortem 368. 430. 433. An virgo ad servandam castitatem possit se iniicere in certum periculum vitae 366. 367. An vi oppressa possit statim expellere semen VI. 954. III. 394. *v. Dicunt*. Foemina accipiens donum post illicitam petitionem 734. 736. V. *Donatio*. An excusetur a censura foemina percutiens clericum sollicitantem VII. 275. *in fin*. Quando excusetur a ieiunio V. *Ieiunium*. Quando a missa V. *Missa*. Etc.

Foetus V. *Abortus*.

Forma quando dicatur mutari essentialiter VI. 11. *v.* 3. Quando accidentaliter *ib. v.* 4. V. *Sacramentum*. De forma baptismi V. *Baptismus*. Etc.

Fornicatio. Quid sit et an vetita de iure naturae III. 432. Quid si quis ab initio voluerit tangere et postea fornicetur V. 43. Fornicatio sponsi an differat specie V. *Sponsus*. V. *Concubina*, *Stuprum*. Etc.

Frater. Ad quid invicem teneantur fratres et sorores. An fratres teneantur dotare sorores III. 340. An sit gravis obligatio relinquendi bona fratribus 946. Quomodo facienda collatio inter fratres 954. An debeant conferri sumptus pro

studio, doctoratu etc. 955. An patrimonium datum ad suscipiendos ordines 956. An bona paterna expensa in ludis etc. 957. An expensae factae in nuptiis 958. An vestes et similia data a parentibus 959. Quando inter fratres censeatur facta societas et quid in ea servandum 907. *qu.* 5.

Fructus V. *Restitutio.* Quoad non recitantes officium V. *Horae.* Etc.

Fur etc. Quid prohibeatur per septimum praeceptum III. post *n.* 485. Quid sit furtum 518. Non auferens occasionem furandi filiis aut famulis II. 58. An liceat auferre alienum ioco aut ob bonum finem III. 519. Quoad compensationes famulorum V. *Compensatio.* An liceat furari ob necessitatem sui vel proximi. In qua necessitate id liceat. Plures casus. An captivi apud turcas possint alienum surripere ad se liberandum 520. 525. An pauper extreme indigens possit accipere antequam petat, et an possit accipere rem magni valoris *ib. q.* 2. 3. An fur consumens rem ablatam in necessitate teneatur ad restitutionem, *qu.* 4. An surripiens in necessitate teneatur ad restitutionem si fiat dives *qu.* 5. An quilibet possit surripere bona turcarum 525. Quae sit quantitas gravis in furto secundum personas et circumstantias 526. 527. 528. De furtis fructuum et lignorum, et de restitutione 529. De furtis minutis interpolatim factis uno vel pluribus 530. V. 44. Quid si sit animus brevi restituendi totum, vel partem complentem materiam gravem III. 531. An sit mortale furari parum reliquiae sacrae 45. 532. Furans habens aut non habens animum ditescendi 533. An furtula facta diversis coalescant. An restitutio possit fieri pauperibus 534. Si plures simul furentur pauca alicui 535. 536. 537. An sit mortale furari aliquid leve post completam materiam gravem 538. De furtis uxorum, maritorum, amicorum etc. 539. et seq. Quale furtum filiorum sit grave 543. De furtis famulorum in esculentis etc. 545. De restitutione facienda ab uxore et filiis 546. Cui crescat pretium rei furatae 649. An liceat accipere rem alienam ex praesumpto consensu domini 700. An furtum in ecclesia vel sacristia sit sacrilegium 39. Quae circumstantiae explicandae in furto VI. 468. Furans clam a clerico an incurrat excommunicationem VII. 275. V. *Restitutio.*

G

Gabella. Quis possit tributa imponere. Quae requirantur ad iusti tributi impositionem III. 615. An fraudantes gabellas peccent et teneantur ad restitutionem. An teneantur solvere deferentes ad usum proprium. An pauperes 616. An populi in dubio de iustitia tributi teneantur ad eius solutionem. An creditor regis possit fraudare gabellam alteri locatam aut venditam. An emens mercem a defraudante gabellam teneatur ad ipsam 617. An gabella pro venditione sit solvenda ei qui tempore contractus an ei qui tempore traditionis extiterit 796.

Generationem an liceat aliquando impedire VI. 954.

Gentilitius contractus III. 812.

Gladium an liceat reddere occisuro V. *Cooperatio.*

Gradus. Regulae pro distinguendis gradibus consanguinitatis VI. 1029.

Gratia V. *Sacramentum.*

Gula. Quid sit, quomodo committatur peccatum gulae, et an sit grave. An liceat uti delectatione ciborum V. 73. Se cibo et potu implere usque ad vomitum *ibid.* Filiae gulae 74.

H

Habitus. Inducens in civitatem novos habitus V. 67. V. *Ordinandus.*

Haeres etc. Quando valeat renuntiatio haereditatis III. 932. An stricte interpretanda. Plures casus 933. An sint irrita pacta de haereditate viventium 934. Qui possint institui haeredes 943. 944. Quae sit divisio haeredum 945. An sit gravis obligatio relinquendi bona propinquis indigentibus 946. Quantum debeatur haeredibus necessariis 947. Qui haeredes succedant ab intestato 953. De falcidia et trebellianica debita haeredibus 961. Quomodo haeres debeat exequi voluntatem testatoris 941. V. *Testamentum.* De haeredibus usurarii V. *Usura.*

Haereticus etc. Quid sit haeresis. Quis dicatur haereticus II. 19. Quid explicandum in confessione *ibid.* Quando teneatur haereticus suam sectam eiicere 9. An liceat audire conciones haereticorum etc. 16. An liceat optare mortem haeresiarchae ob bonum commune 30. An vehere annonam ad haereticos 75. An liceat petere a Deo vel offerre miraculum ad conversionem haereticorum III. 30. An haeretici et excommunicati valide absolvant in articulo mortis VI. 560. De obligatione denuntiandi haereticos V. *Accusare.* V. *Censura*, *Excommunicatio.*

Hasta. Venditio sub hasta variat pretium III. 808.

Hermaphroditus. An sit irregularis VII. 405.

Homicidium V. *Occidere.* Per quale homicidium polluatur ecclesia VI. 564. De irregularitate ob homicidium V. *Irregularitas.* Etc.

Honor laesus etc. V. *Detractio.*

Horae canonicae. De institutione divini officii IV. 141. *v. Hic.* Qui non potest legere omnes horas tenetur ad eas quas potest I. 177. IV. 158. De restitutione ob omissionem officii III. 665. IV. 151. Quid si fructus non percipiantur III. 664. Omittens sine culpa an teneatur ad restitutionem 665. An teneatur omittens officium intra primos sex menses 666. An omittens uno die possit supplere alio 667. Omittens partem minorem quam integrae horae 668. Quibus applicanda restitutio 672. IV. 152. Quando excuset a restitutione titulum pecuniae expensae 155. An omnes fructus restituendi, iuxta officia omissa III. 673. An teneatur ad officium habens tenue

beneficium 674. An canonici non assistentes, vel non psallentes in choro teneantur ad restitutionem 675. Quinam clerici teneantur ad officium, et qualem partem teneatur recitare subdiaconus in die ordinationis IV. 140. An teneantur ad horas omnes religiosi et moniales 141. 142. An religiosi non constituti in sacris et moniales teneantur recitare saltem privatim. An teneantur religiosi eiecti, profugi, ad triremes damnati, degentes extra claustra 142. An et quando religiosi et moniales teneantur recitare in choro. Praelati negligentes recitari horas in choro 143. An teneantur episcopi recitare in choro. An supplere qui non percipiunt, choro inservientes. An ad peccandum sufficiat minor omissio in choro, quam privatim. An satisfaciant musici et pulsantes organum 143. Quis teneatur aut excusetur ab horis etc. An ordinatus per metum teneatur 144. Quot peccata committat beneficiatus officium omittens. An graviter peccet si velit fructus restituere 145. Quae culpa sit omittere officium vel eius partem 146. 147. An omissio sit unum vel plura peccata 148. Quot peccata committat, qui officium proiiciens in mare, redditur impotens ad recitandum 149. Dubitans de omissione an teneatur recitare 150. Quomodo excuset *infirmitas* a recitatione. An excuset gravis molestia. An convalescentia. Quid in dubio an infirmitas excuset. In dubio an possis recitare partem 154. 155. Quomodo *iustum impedimentum* 156. Quomodo caecitas et *carentia breviarii* 157. 158. An tenearis recitare cum socio, si nequis solus, et an illum conducere 158. Quomodo excuset dispensatio. Quis possit dispensare, et causae dispensandi 159.

—Quomodo recitandae horae. 1. Iuxta *Breviarium romanum* 160. An sit obligatio recitandi litanias, officium defunctorum. An liceat officium in brevius permutare, et se cum altero conformare. An se conformare cum clerico privilegiato. An errans teneatur repetere 161. De *pronuntiatione vocali* 162. Se non audiens. Submisse recitans in choro. An tenearis repetere quae non percipis. De surdo recitante in choro 163. De *pronuntiatione integra* 164. Mutilans verba. De socio mutilante 165. De *pronuntiatione continuata* 166. An matutinum possit separari a laudibus. An nocturni possint invicem separari 167. An repetenda hora si fiat interruptio. Causae interrumpendi 168. De *ordine* 169. Causae invertendi ordinem 170. An in choro sit gravis obligatio recitandi horas ordine debito et statis horis 171. De *tempore* quo dicendae sunt horae. Causae anticipandi vel postponendi 172. 173. Quando possit dici matutinum 174. VI. 547. 548. An matut. defunct. possit pridie recitari. An in vespera diei antecedentis possint recitari litaniae IV. 174. De *attentione* et *devotione*. Quae distractio sit culpabilis etc. Dormitans etc. 175. 176. 177. 169. Regulae ad scrupulos abiiciendos circa recitationem officii. Remedia contra distractiones 177. Recitans in mortali 178. Recitans in locis immundis. An peccet non recitans stando, genuflectendo etc. iuxta rubricam 179. An incurrat censuram recitans distracte VII. 35. An canonicus excommunicatus absens a choro amittat distributiones. Causae excusantes canonicos ab assistentia chori IV. 130. Quid de canonico poenitentiario, de theologo, de examinatoribus, visitatoribus etc. 131. Quid de canonicis docentibus, de praebendatis studentibus, de canonicis studentibus etc. 132. An liceat officium privatim dicere cum excommunicato vitando VII. 173. An excommunicatus teneatur recitare 178. An peccet dicendo *Dominus vobiscum*, aut privatim cum alio recitando *ibid.* De privilegiis religiosorum et monialium circa horas canonicas IV. 63. 64. Quid si obligatio horarum probabiliter sit impleta 150. III. 700. *v. Limitant.*

Horologium. An liceat sequi ultimum. An terminet hora in primo ictu VI. 282.

Hostia V. *Eucharistia.*

Hypotheca III. 913. An praeferendi creditores hypothecarii 690.

I

Iactantia. De peccato commisso, quot peccata contineat, et quid explicandum in confessione V. 26.

Idioma. Ignarus idiomatis an excusetur ab integritate confessionis. An teneatur uti interprete VI. 479.

Idololatria. Quid sit et quotuplex III. 12. 13. Adulterari in scripturis pluries significat idololatriam committere 162.

Ieiunium etc. Quid in dubio an coeperit, vel transierit hora ieiunii aut abstinentiae a carnibus I. 52. An teneatur ad ieiunium dubitans an expleverit annum vigesimumprimum aut sexagesimum *ibid.* De unica comestione III. 1004. De abstinentia a carnibus, ovis, et lacticiniis 1005. An abstinentia ab ovis et lacticiniis obliget sub gravi 1006. An etiam in dominicis quadragesimae 1007. Quinam dispensentur in quadragesima ad edendas carnes aut lacticinia 1008. An in ieiunio extra quadragesimam sit abstinendum a lacticiniis de iure communi. An ubi viget consuetudo abstinendi. An liceat edere biscoctos ovis confectos 1009. Quae sit parva materia in esu carnium et in ieiunio. Quid explicandum in confessione III. 1029. An teneatur abstinere a carnibus qui nequit ieiunare I. 177. Dispensatus in esu carnium, an possit vesci omnino convalescens 186. An liceat edere laridum cui permittuntur lacticinia III. 1010. Quorum animalium carnes vetentur in ieiuniis 1011. Quibus pueris possint ministrari carnes 1012. An dispensati ad carnes teneantur ad unicam comestionem, et abstinentiam a piscibus 1013. 1014. Sancita circa hoc a Bened. XIV. 1015. De hora refectionis 1016. De divisione prandii 1017. An liceat quoties libuerit sumere parum cibi ante potum, ne potus

noceat 1018. An electuaria frangant ieiunium 1019. De interruptione et protractione prandii 1020. De lacte, iusculo, et similibus 1021. De potione vini, cerevisiae, et limoniadis *(sorbetto)* 1022. De potione chocolatae 1023. De collatiuncula vespertina 1024. Quae quantitas permittatur, et quae in vigilia Nativitatis, Paschatis, Pentecostes 1025. Quae qualitas permittatur 1026. An liceant ova aut parum casei 1027. An pisces 1028. An panis coctus cum aqua et oleo. An iusculum ex herbis. An legumina etc. 1029. An vetitum pluries quid parum edere 1030. V. 57. An bis comedens teneatur ad ieiunium. An liceat cauponibus ministrare carnes in die ieiunii III. 1030. Causae excusantes a ieiunio. 1. *Dispensatio.* 2. *Impotentia.* 3. *Labor.* 4. *Pietas* 1031. In ieiunio possunt dispensare papa, episcopi, parochi, praelati. Quid si dispensent sine iusta causa 1032. Qui excusentur ob impotentiam *physicam.* An infirmi, pauperes 1033. Qui ob impotentiam *moralem.* An qui laborant dolore capitis, qui nequeunt dormire, an milites, an uxores timentes indignationem, an viri non potentes reddere debitum etc. 1034. An adolescentes 1035. An sexagenarii robusti 1036. An foeminae quinquagenariae 1037. An senes habentes votum ieiunandi 1038. An religiosi sexagenarii teneantur ad ieiunia regulae 1039. An ieiunium subrogatum voto castitatis obliget sexagenarios 1040. Qui labor et quae artes excusent a ieiunio 1041. An excusentur artifices divites 1042. An artifices qui possunt ieiunare sine gravi incommodo 1043. An in diebus quibus non laborant 1044. An excusetur qui assumit laborem in fraudem ieiunii 1045. An qui laborant sine iusta causa. An qui ob rarum lucrum 1046. De itinerantibus 1031. 1047. Excusat pietas. An opera pietatis possint sponte suscipi 1048. Quando excusentur servientes infirmis, quando peregrinantes, concionatores, cantores, lectores, advocati, iudices, medici, et alii professores, confessarii 1049. An peregrini teneantur ad ieiunium in patria praeceptum, et an ad ieiunium loci ubi sunt 1050. I. 136. De ieiunio quoad eucharistiam V. *Eucharistia.* Etc.

Ignorantia. Quae ignorantia causet involuntarium I. 26. ad 29. Ignorans an instruendus et monendus a confessario VI. 609. et seq. Ignorantia crassa an excuset percutientem clericum VII. 275. An excuset a censura V. *Censura.* Etc. — V. *Lex.*

Illegitimus. De illegitimis naturalibus et de spuriis. Quid possint petere a patre et matre III. 951. An possint succedere parentibus *ibid.* An spurius teneatur credere matri adulterae 654. Principes saeculares possunt legitimare tantum ad saecularia VII. 435. In dubio de illegitimitate, an quis sit irregularis *ibid.* V. *Irregularitas.*

Illitterati. Quando sint irregulares VII. 401.

Imago. An imagines in altari debeant benedici VI. 395. *in fine.* V. *Pictura*

Immunitas piorum locorum V. *Privilegium.*

Impedimentum. Ad quid teneatur parochus circa impedimenta VI. 54. De impedimentis matrimonii 978. An ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia 979. Quis possit constituere. An episcopi 980. An impedimenta dirimentia apposita obligent infideles 981. De impedimentis impedientibus. Quae reddant matrimonium illicitum. *Ecclesiae vetitum*, scil. prohibitio episcopi etc. 982. *Tempus feriarum*, quo prohibentur solemnitates, benedictio etc. 983. An liceat consummare tempore feriarum 984. *Catechismus*, *Crimen*, *Sponsalia* 985. *Votum* castitatis aut religionis 986. An possit episcopus dispensare in voto castitatis emisso post matrimonium *ibid.* An episcopi ad debitum petendum possint dispensare in voto castitatis emisso ante matrimonium. An mendicantes. An ad matrimonium contrahendum 987. Impedit etiam matrimonium *Clandestinitas*, *Omissio benedictionis* 988. *Omissio denuntiationum* 989. De obligatione denuntiandi impedimenta 994. An teneatur denuntiare qui probare nequit 995. An unus testis de impedimento impediat matrimonium 996. 997. 998. An fama impediat matrimonium. Quid si iudex privatam habuerit notitiam famae aut ipsius impedimenti 999. An contrahens teneatur fateri impedimentum 1000. Quid agere debeat parochus cognito impedimento 1001. Quid si ipse solus noverit 1002. Quid si ordinarius solus sit conscius impedimenti 1002. 54. *in fine.* De impedimentis dirimentibus. Praeter defectum consensus sunt quindecim sequentia. 1. Error *personae* 1009. De errore circa personam 1010. De errore circa qualitates 1011. An irritet matrimonium error circa qualitatem si dederit causam contractui 1012. Regulae ad dignoscendum quando error qualitatis redundet in substantiam 1013. ad 1016. — 2. *Conditio* servilis. Plura notanda 1017. ad 1023. — 3. *Votum solemne* scilicet castitatis per susceptionem ordinis vel professionem in religione 1024. An hoc dirimat matrimonium iure divino vel ecclesiastico. An papa possit dispensare in voto solemni 1026. — 4. *Cognatio.* De cognatione legali. 1027. De cognatione spirituali 1028. De cognatione carnali, et de regulis pro distinguendis gradibus 1029. Arbor consanguinitatis 1030. — 5. *Crimen.* Homicidium, adulterium 1031. Raptus 1032. Regula: *Utroque patrante;* scil. si adsit solum homicidium 1033. 1034. *Uno patrante:* scil. si adsit homicidium cum adulterio 1035. 1036. *Neutro patrante:* scil. si adsit adulterium sine homicidio 1037. An taciturnitas adulterae sufficiat pro consensu 1038. An promissio ficta cum adulterio inducat impedimentum 1039. An promissio conditionata 1040. An ad incurrendum impedimentum promissio debeat esse mutua 1041. Oritur etiam impedimentum ex adulterio cum matrimonio attentato vivente coniuge 1042. An incurrat qui vivente coniuge promittit alteri ma-

trimonium 1043. — 6. *Disparitas cultus.* Quid de matrimonio cum haereticis 1044. 1105. — 7. *Vis*, sive metus gravis incussus ad extorquendum matrimonium 1045. In quo vis differat a metu. Quid sit metus ab intrinseco et ab extrinseco 1046. Quae requirantur ad metum gravem 1047. Quae mala constituant metum gravem 1048. Quae requirantur ut metus irritet matrimonium 1049. Quid si iudex promittat liberationem si ducas filiam 1050. 1051. 1052. Quid si medicus neget mederi, nisi ducas filiam 1053. An metus irritet matrimonium de iure naturae aut ecclesiastico 1054. An irritet metus levis 1055. An metus reverentialis 1056. An possit resilire qui metum incussit 1057.—8. *Ordo* 1058. 1059.— 9. *Ligamen* 1060. — 10. *Honestas.* Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis aut conditionatis 1061. An oriatur ex matrimonio nullo 1062. An ex sponsalibus iuste dissolutis 1063. An ex matrimonio clandestino 1064. — 11. *Aetas* 1065. Plura de impuberibus 1066. 1067. Quid de matrimonio senum 1067. — 12. *Affinis* 1068. De impedimento affinitatis ante matrimonium contractum 1069. De impedimento non petendi 1070. An uxor cognita per metum a consanguineo viri privetur iure petendi 1071. An ignorantia excuset ab hoc impedimento contrahendo 1072. 1073. 1074. An ad contrahendam affinitatem requiratur ut copula ex utraque parte sit consummata 1075. Quis possit dispensare in hoc 1076. Poena contrahentium cum impedimento affinitatis 1077.—13. *Clandestinitas* 1078. Quid si alicubi non possit haberi parochus 1079. An peregrini valide contrahant sine parocho 1080. Quis veniat nomine parochi 1081. An parochus excommunicatus aut irregularis etc. 1082. An excommunicatus assistens peccet graviter 1083. An talis parochus possit alteri dare licentiam 1084. Quales testes sufficiant 1085. Quid si sint duo parochi, vel si sponsi habeant duo domicilia 1086. An sufficiat parochus alterutrius sponsi 1087. Sufficit licentia praesumpta de praesenti et oretenus 1088. De vagabundis 1089. De militibus 1090. De peregrinis, carcere detentis, aegris, puellis in conservatoriis etc. 1091. An valide nubant sponsi coram parocho nolente 1092. An licite 1093. — 14. *Impotentia.* Qualis impotentia dirimat matrimonium 1095. De impotentia ex maleficio, frigiditate, improportione 1096. An valeat matrimonium si foemina possit incidi 1097. An soluto matrimonio propter arctitudinem foeminae, si postea per copulam cum secundo viro fiat apta primo, teneatur ad primum redire 1098. An foemina teneatur pati incisionem 1099. 1100. Quid agendum si impotentia est certa 1101. Quid si dubia 1102. 1103. Quid in dubio an matrimonium sit consummatum et in dubio an impotentia praecesserit vel secuta fuerit matrimonium 1104. — 15. *Raptus* 1106. Quae requirantur ad incurrendum impedimentum raptus 1107. Quid si vir rapiat eam quacum sponsalia contraxerat 1108. V. *Matrimonium Dispensatio, Sponsalia, Debitum.*

Impedire. Non impedientes percussionem clerici an incurrant excommunicationem V. *Excommunicatio.* Impediens aliquem a consecutione boni V. *Restitutio.* Impediti a quo possint absolvi a censuris V. *Censura.* Etc.

Imperfectiones dubiae de veniali an aliquando possint esse materia confessionis VI. 432. *in fine.*

Impotentia ad servanda praecepta V. *Lex.* De impotentia ad coitum dirimente matrimonium V. *Impedimentum.* Quoad ieiunium V. *Ieiunium.* Etc.

Imprecari. Quando imprecatio contra homines sit mortale V. 83. Imprecari sibi vel aliis daemonem III. 131.

Impubes. Quando teneatur ad leges ecclesiasticas III. 1012. I. 155. Quando teneatur ad communionem VI. 301. Ad confessionem 665. 666. An possit absolvi in dubio de usu rationis 666. 432. De matrimonio impuberum 1065. 1066. Impubes percutiens clericum VII. 265. Quoad sponsalia V. *Sponsalia.* Quoad confirmationem V. *Confirmatio.* Etc.

Incestus. Quid sit. An omnes sint eiusdem speciei III. 448. An incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affine. 449. De incestu inter cognatos spirituales 450. An sit incestus copula cum filia spirituali 451. An sodomia inter consanguineos addat speciem incestus 469. An soli tactus incestum constituant 453. An in incestu cum consanguineis explicandi gradus consanguinitatis VI. 469. 470. V. *Dispensatio.*

Indicia ad inquirendum V. *Iudex, Testis.*

Inductio ad peccandum an confitenda II. 46.

Indulgentia. Quid sit VI. 531. Quid requiratur ad lucrandam indulgentiam 532. 533. Plura de indulgentiis 534. Quotuplex sit indulgentia 535. V. *Iubilaeum.*

Infamare etc. V. *Detractio.*

Infans V. *Impubes.*

Infidelis etc. Quid et quotuplex sit infidelitas II. 17. An infideles teneantur ad leges ecclesiae I. 153. An impedimenta obligent infideles V. *Impedimentum.* Etc.

Infirmus. An movens infirmum aut ei dans aliquid, an fiat irregularis si ob id moriatur VII. 582. V. *Moribundus, Extrema unctio* etc.

Ingressus in monasteria V. *Monialis.*

Iniuria. De iniuria illata proximo et de restitutione V. *Restitutio.* Quoad contumeliam Vide *Contumelia.*

Inimicus V. *Odium.*

Inquisitio V. *Iudex.*

Intentio in adimplendis praeceptis V. *Lex.* In sacramentis V. *Sacramentum.*

Interdictum. Quid sit et quotuplex VII. 328. 329. An interdicta civitate interdicantur suburbia et ecclesiae regularium 330. Qui eximantur ab interdicto generali personali, et an interdicto clero, interdicantur religiosi vel clerici non ha-

bentes beneficium aut officium 531. Quid si interdicantur cives aut civitas 532. Effectus interdicti sunt: Prohibitio divinorum officiorum 533. Prohibitio sacramentorum excepto baptismo etc. 534. Prohibitio sepulturae 535. Peccatum mortale quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas quae incurritur a clericis, et excommunicatio a religiosis 536. Qui possint ferre interdictum et an ad incurrendum requiratur culpa gravis 50. 537. An requiratur scire crimen esse vetitum etiam ab ecclesia 44. Qui possint tollere interdicta generalia a iure non reservata 538. Qui personalia particularia 539. Cessatio a divinis quomodo differat ab interdicto 540. An regulares possint divina peragere tempore interdicti IV. 61.

Interrumpere officium V. *Horae.* Missam Vide *Missa* etc.

Invasor V. *Occidere.*

Invidia et eius filiae etc. V. 72. Vide *Detractio.*

Ira. Quid sit, et quando sit peccatum V. 79. De peccatis quae oriuntur ab ira 80.

Irregularitas. Quid sit irregularitas. An sit censura. Quomodo dividatur VII. 341. An episcopus possit dispensare in irregularitate propter haeresim 76. An episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus cum suo subdito alibi morante. 81. An haec facultas concessa in cap. *Liceat* fuerit revocata per bullam Coenae 82. 83. Effectus irregularitatis 342. 343. An in dubio irregularitas incurratur 344. Non incurritur nisi sit expressa in iure 345. In dubio de irregularitate quid agendum. Quid si dubium sit iuris 346. Quid in dubio facti. In dubio homicidii. In dubio de animatione foetus in abortu 347. V. *Abortus.* Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem ex delicto 348. 349. An ad incurrendam requiratur scientia legis 350. An etiam poenae 351. Quot modis tollatur irregularitas 352. 353. Quis possit dispensare. Notanda 353. Quomodo irregularitas ex defectu natalium tollatur per professionem religiosam 355. Praelati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare *ibid.*

—Irregularitas ex delicto incurritur 1. *ob baptismum iteratum* 356.—2. *ob violationem censurae* 357. Notanda. An qui ordinatur ligatus censura incurrat irregularitatem 358.—3. *ob exercitium actus ordinis sacri* quem clericus non habet 359.—4. *ob malam susceptionem ordinum* 360. Quotupliciter incurratur ob furtivam susceptionem 361.—5. *ob crimina infamia et notoria* 362. Requiritur notorietas facti vel iuris. Quibus criminibus etc. sit annexa infamia 363. Quomodo tollatur haec irregularitas 364. —6. *Ob homicidium vel mutilationem* 365. De irregularitate ob homicidium voluntarium 366. Hanc incurrunt qui occidunt vel mutilant 367. Quid si homicidam poeniteat ante mortem 368. Si unus feriat alii occidant 369. Incurrunt mandantes etc. 370. Quid in dubio an homicidium fuerit causatum ex mandato sive consilio 371. Si homicida iam erat determinatus ad occidendum 372. Si consulens consilium revocet 373. Incurrunt omnes cooperantes etc. ad homicidium et praeliantes in bello iniusto 374. An incurrant ratihabentes 375. An non impedientes 376. De irregularitate ob homicidium vel mutilationem casualem 377. Qui praescindit digitum etc. 378. Quid veniat nomine membri 379. An fiat irregularis qui abscindit testiculos 380. An ab hac irregularitate possint dispensare episcopi 381. Privans solo visu. Infligens vulnus in rixa. Operans aliquid circa infirmum ex quo moriatur 382. Qui dat operam rei licitae non fit irregularis nisi apponat negligentiam mortaliter culpabilem 383. Excusantur: Magister et pater verberans si etc. Equitans in equo. Alens feram. Reficientes tectum. Clericus in sacris aut monachus medens sine incisione aut adustione 384 Quid de clerico beneficiato medente cum incisione 385. Dans operam rei illicitae an incurrat 386. 387. An qui occidit ad defensionem. An adulter occidens maritum aggressorem 388. An occidens ob defensionem libertatis, honoris etc. 389. Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium 390. An possint episcopi in hac dispensare 391. Quid si homicidium fuerit occultum 392. Si fuerit casuale 393. An reputetur casuale patratum in rixa 394. Quid si fuerit per defensionem excedendo moderamen 395. Quomodo praelati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium vel mutilationem cum subditis suis et cum laicis 396.

—Irregularitates ex defectu sunt: Prima *Ex defectu animae.* Hinc sunt irregulares amentes, daemoniaci, epileptici 397. ad 399. Quis possit dispensare in hac irregularitate. An episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu. An praelati regulares 400. Sunt irregulares illitterati 401. Neophyti 402. Secunda *Ex defectu corporis* 403. Sunt irregulares: Caecus 404. Surdus 405. Mutus: an etiam habens loquelam praecipitem aut balbutiens 406. Claudus 407. Qui caret manu aut digitis etc. 408. Laborans febri etc. abstemius etc. 409. Ille cui deest membrum etc. 410. Leprosus 411. Monstruosus 412. Quid si defectus superveniat ordinibus; quid si antecesserit 413. Quis possit in hac irregularitate dispensare 414. Quid si defectus sit ex propria culpa. An in eo possit dispensare episcopus 415. Quid de eunucho 416. ad 418. Quid si quis attentet se occidere 419. Tertia *ex defectu natalium* 420. Illegitimi legitimantur per matrimonium subsequens 421. 422. Quid si matrimonium fiat postquam filius est ordinatus. Quid si matrimonium non consummetur 423. Quid si sit nullum 424. Quid si filii nascantur a matrimonio clandestino ob omissas denuntiationes 425. Legitimantur filii per professionem religiosam 426 Per dispensationem pontificiam 427. Quando e

Piscopus possit dispensare cum illegitimo ad ordines minores, et beneficium simplex et ad canonicatum 428. 429. 430. An ad ministrandum in ordinibus maloribus susceptis 431. An filii expositi sint irregulares 432. Principes saeculares possunt legitimare tantum ad saecularia. Quid in dubio an quis sit legitimus 433. Quarta *ex defectu aetatis* 434. Quinta *ex defectu sacramenti*, id est ob bigamiam 435. Triplex est bigamia. Vera, interpretativa, similitudinaria. Quae sit vera 436. Interpretativa 437. ad 447. Similitudinaria 448. An hanc irregularitatem incurrant clerici in sacris 449. Quomodo tollatur haec irregularitas. Quis possit in ea dispensare 450. ad 453. Sexta *Ex defectu famae* 454. Septima *ex defectu libertatis*. Sunt irregulares servi 455. Coniugati, curiales, milites, administratores publici, exercentes saeva aut turpia 456. Octava *ex defectu lenitatis* 457. An fiat irregularis occidens in defensionem honoris vel proximi 458. An qui occidunt in bello 458. 459. 460. Qui in iudicio concurrunt ad mortem vel mutilationem. Quae cooperatio requiratur 461. ad 466. Quomodo vetitum sit clericis et monachis se intromittere in causam sanguinis 467. Fiunt irregulares: iudices, testes voluntarii, accusatores etc. Quid si accuset clericus; et quid si causa sit propria vel aliena 468. Quis possit in hac irregularitate dispensare 469. Facultates s. poenitentiariae super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis etc. 470. V. *Censura*, etc.

Iubilaeum. Plura de iubilaeo VI. 535. Adnotantur sancita a Bened. XIV. circa iubilaeum 536. An ad lucrandum iubilaeum omnia opera debeant perfici in una hebdomada 537. *Qu.* 1. An per confessionem invalidam auferatur reservatio etc. *Qu.* 2. An peccet graviter qui absolutus a reservatis postea alia opera non impleat *Qu.* 3. An oblitus reservati possit deinde ab alio absolvi, et an obtinere commutationem votorum. *Qu.* 4. An confessus animo lucrandi iubilaeum maneat absolutus a reservatis oblitis si postea non lucretur *Qu.* 5. Committens reservatum in confidentiam iubilaei *Qu.* 6. An possit dari absolutio ante satisfactionem partis *Qu.* 7. Qui casus et censurae possint absolvi. An publice excommunicati. An possit dispensari in irregularitate *Qu.* 8. Qui veniant nomine infirmorum et itinerantium, quibus vi iubilaei possunt commutari opera iniuncta 538. *Qu.* 9. An sufficiat ad lucrandum iubilaeum oratio mentalis aut modica vocalis *Qu.* 10. An modica eleemosyna. An pauperes, religiosi, uxores, filii etc. teneantur ad eleemosynam in iubilaeo etc. *Qu.* 11. An satisfaciat pro ieiuniis iniunctis implens ieiunia debita *Qu.* 12. Commutatio votorum in iubilaeo 536. An tempore iubilaei vel indulgentiae possit omitti impositio poenitentiae 519.

Iudaeus. Communicatio cum iudaeis II. 18. Vendens agnum iudaeo 72.

Iudex etc. Quam opinionem debeat sequi I. 47. An teneatur concedere tempus reo pro sumptione sacramenti poenitentiae et eucharistiae III. 379. VI. 293. An possit iudicare contra possessorem etc. III. 711. IV. 210. Quae requirantur ad legitimum iudicium 192. 193. 194. Quid requiratur in iudice. Si male iudicet. Si agnoscat errorem commissum. Carens debita scientia etc. 195. Ad quid teneatur 196. In quibus iudex possit instituere inquisitionem generalem 198. Quando possit procedere sine accusatore 199. Quando possit inquirere in particulari 200. Notanda de iudice procedente per inquisitionem 201. Quid requiratur ut iudex possit procedere ad torquendum reum 202. Usquequo possit torquere 203. An possit iterum torquere 204. Quando iudex inferior possit poenam minuere. Quid si iudex sit supremus 205. An possit iudicare in causa ubi fuit advocatus 206. An possit damnare nocentem qui iuridice est innocens 207. An innocentem, iuridice probatus nocens 208. Quid faciendum iudici, si utrinque sententiae sint probabiles 209. Plura de hac materia 210. An liceat iudici accipere munera a litigantibus 211. An peccent munera dantes iudici aut eius ministris 212. De poenis iudicis ob munera iniquam ferentis sententiam 213. 216. Ad quid tunc teneatur 214. An sententia iniusta obliget in conscientia 215. Quid liceat iudici circa munera 216. Iudex in causa sanguinis fit irregularis VII. 468. Vide *Reus*, *Testis*.

Iudicium. De iudicio temerario et quando sit mortale III. 962. De suspicione et dubitatione temeraria 963. 964. Quomodo discernatur iudicium a suspicione 965. V. *Iudex*. Qui in iudicio concurrunt etc. fiunt irregulares V. *Irregularitas*.

Iuramentum. Quid sit III. 133. Quae sint vera iuramenta 134. ad 138. 143. Quotupliciter dividatur iuramentum 139. ad 141. An omnia iuramenta sint eiusdem speciei 142. An liceat iurare 144. Quid de *iudicio* requisito 145. Quid de *iustitia*. Ex ira proferens verba. Iurans facere rem venialiter malam, aut contra consilia evangelica 146. Quid de *veritate* 147. Quae certitudo requiratur 148. An liceat petere iuramentum a peieraturo II. 47. 77. III. 149. V. *Cooperatio*. An excusentur a mortali rustici peierantes. Quomodo admonendi 150. An liceat iurare cum amphybologia 151. An cum restrictione mentali. Prop. damnatae 152. Confessarius iurans se nescire peccatum confessum 153. De reo vel teste a iudice non legitime interrogato 154. Quid si legitime interrogetur et aequivoce iuret 155. An reus capitalis legitime interrogatus possit negare crimen cum iuramento 156. De poenitente interrogato de peccato confesso 157. De indigente re aliena. De haerede 158. De debitore. Exempla restrictionis mentalis 159. Rogatus a iudice an sit locutus cum reo etc. 160. Creditor iurans nihil sibi solutum 161. Adultera negans crimen 162. Requisitus ad mutuandum, an possit iurare

se non habere pecuniam 163. De mercatoribus 164. De famulo asserente herum abesse 165. De assumendis ad doctoratum 166. De asserente acceptionem pecuniae quam non recipit 167. De iurante falsum addendo submisse aliquid verum 168. Non rogatus aequivoce iurans 169. Alii casus 170. Iurans sine animo iurandi 171. Quotuplex veritas affirmanda sit in iuramento promissorio 172. An peccet graviter non implens promissum in re parva 173. An obliget iuramentum metu extortum 174. An extortum errore vel dolo 175. De iuramento de re mala aut vana 176. In favorem tertii. Quid si promissio irrita sit a iure. Quid si iurasti contra consilia evangelica etc. 177. De iuramento non ludendi 178. Iuramentum factum contra prius 179. An iuramentum sequi debeat conditionem promissionis. Casus 180. De iuramento servandi statuta alicuius collegii 181. De iuramento medicorum non visitandi etc. 182. De iuramento servandi secretum, dicendi veritatem, solvendi debitum 183. Iuramentum factum concubinae non cognoscendi aliam 184. An promissio prodiga cum iuramento obliget 185. 755. VI. 851. *v. Cum autem.* De iuramento redeundi ad carcerem. De iuramento parentum ac dominorum, puniendi filios ac famulos III. 186. An mutatio circumstantiarum excuset ab impletione iuramenti 187. An excuset cessatio causae finalis 188. Quis possit irritare iuramenta, et quis dispensare 189. 190. De commutatione et relaxatione iuramenti 191. Quid si factum sit in favorem tertii 192. An possit remitti ab ipso tertio 193 An iuramentum castitatis aut religionis sit reservatum sicut votum 259. Facultates s. poenitentiariae circa iuramenta VII. 470. n. XIII.

Iurisdictio. Quid sit iurisdictio confessarii, et quis habeat ordinariam VI. 557. An vicarius generalis contradicente episcopo, et an possit eam delegare 558. Quae sit iurisdictio delegata, *ib. v. Delegata.* An delegatio expiret morte delegantis 559. An haeretici et excommunicati vitandi valide absolvant in articulo mortis 560. An omnes sacerdotes 561. An simplex sacerdos possit absolvere praesente approbato 562. 563. An quivis confessarius possit absolvere moribundum a reservatis praesente superiore. An in morte ad absolvenda reservata adeundus sit episcopus 563. An teneatur moribundus petere absolutionem a superiore per litteras aut nuntium 563. *dub.* 3. et VII. 92. An excommunicatus toleratus possit absolvere a venialibus. An regulares possint absolvere sine approbatione episcoporum. An sacerdotes approbati possint confessiones audire sine licentia parochi VI. 564. Quando habens potestatem delegatam possit subdelegare. De delegato ad universitatem causarum 566. An sufficiat facultas praesumpta excipiendi confessiones 570. Quando liceat absolvere cum iurisdictione dubia vel probabili 571. An error communis det iurisdictionem 572. An liceat ministrare sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili. An consuetudo praebeat iurisdictionem 573. I. 50. Quis possit absolvere scholares, milites, peregrinos etc. VI. 569. 577. An sit obligatio confitendi parocho 514. An regulares itinerantes possint cuicumque confiteri 575. De monialibus 576. 577.

Ius. Quid sit ius in re, et ius ad rem III. 486. 487. Ius idem currit ubi eadem est ratio VII. 184.

Iuspatronatus V. *Beneficium.*

Iustitia. Qualiter dividatur III. 486.

L

Labor excusans a ieiunio V. *Ieiunium*, quoad festa V. *Festum.*

Lacticinium V. *Ieiunium.*

Laicus. An liceat laicis tangere res sacras III. 48. An possit testificari contra clericos etc. Vide *Testis*, an ministrare etc. eucharistiam V. *Eucharistia.* Etc.

Laridum V. *Ieiunium.*

Legatum. An legatarius possit sibi compensare legatum ex testamento nullo III. 928. An legata pia in testamento nullo solvenda 922. 923. 925. 927. An legatum relictum puellae ut nubat, possit dari si fiat religiosa 930. Relictum civibus an possit dari extraneis *ibid. dub.* 2. Relictum orphanis an possit dari eis qui habent parentes inutiles *ib. dub.* 3. Relictum puellis ut nubant an possit dari nuptis sine dote *ib. dub.* 4. Relictum puellis nupturis an possit dari viduis ut nubant *ib. dub.* 5. Relictum virginibus nubendis an possit dari corruptis *ib. dub.* 6. Relictum puellae ut maneat virgo an debeatur si nubat *ib. dub.* 7. VI. 853. *qu.* 5. Relictum puellae ut nubat, an debeat dari haeredibus si moriatur ante nuptias III. 930. *dub.* 8. Relictum fabricae ecclesiae an possit expendi in alia *ibid. dub.* 9. Quomodo distribuendum legatum relictum pauperibus *ib. dub.* 10. An religiosus executor possit applicare suo monasterio legatum relictum ad pias causas 937. Quomodo mandanda executioni relicta incerta 938. An possint commutari legata ad pias causas 939. 940. Legatum relictum puellae ut nubat cum uno, et illa nubat cum alio VI. 853. *qu.* 4. De legato relicto religioso IV. 15. *v. Infertur* 3. An sit sacrilegium detinere legata pia III. 42.

Legens obscoena III. 426.

Legitima. An pater possit per vota legitimam filiorum laedere III. 215. Quae sit legitima haeredibus necessariis debita 947.

Legitimatio V. *Irregularitas.*

Lenitas. De irregularitate ex defectu lenitatis VII. ex *n.* 457.

Leprosus. An possit celebrare et communicare VI. 275. An sit irregularis VII. 411.

Lex. Quid sit lex aut praeceptum I. 90. Quis ad eam teneatur 91. An lex iniqua obliget etc 92. 99. An leges tyrannorum obligent 94. An obliget lex non promulgata etc. 95 96. 61. et

seq. Quid circa legem dubiam. In dubio an sit recepta, sit promulgata, an causa sufficiat ad te excusandum a lege etc. 97. 69. et seq. Quid in dubio an lex sit iusta 93. 99. In dubio an lex praecipiat, an impleveris 99. An lex humana possit praecipere actus internos et an prohibere externos occultos. De lege fundata in falsa praesumptione 100. Dividitur praeceptum in affirmativum et negativum 101. In naturale et positivum 102. Positivum dividitur in divinum et humanum 103. Qui possint ferre leges 104. Quid comprehendat lex canonica et civilis 105. An declarationes S. C. et decreta Rotae habeant vim legis. An leges civiles obligent in conscientia 106. An declarationes pontificiae etc. et interpretationes legum indigeant promulgatione *ibid.* et III. 1027. De consuetudine quae dicitur lex non scripta V. *Consuetudo*. An obliget lex non acceptata I. 136. Quid si a maiore parte non accipiatur? Quanto tempore praescribantur leges 137. An peccent non acceptantes. An lex pendeat ab acceptatione. Quid circa leges pontificias et civiles 138. Si lex sit ardua vel abrogata etc. 139. An legislatores humani possint praecipere. Quot conditiones requirantur ut lex obliget 140. An possit praecipi res levis sub culpa gravi 141. An res levis fiat gravis per circumstantias 142. An res gravis possit praecipi sub levi 143. Quando praesumatur lex obligare sub gravi 144. An lex poenalis obliget ad culpam 145. Quid de lege sub poena suspensionis etc. 146. Si lex assignet poenam, et praecipiat 147. An incurratur poena ante sententiam 148. 149. 150. Quoad peregrinos V. *Peregrinus*. De lege irritante actum carentem solemnitatibus 151. III. 711. An teneamur tollere impedimentum obstans impletioni legis I. 152. et III. 1045. An ad leges teneantur ebrii, infideles, ignorantes etc. I. 153. An teneatur legislator 154. Quando obligentur pueri ad leges ecclesiasticas 155. An praecepta debeant impleri ex charitate 162. An requiratur intentio satisfaciendi 163. An satisfaciat qui intendit non satisfacere 164. An ad satisfaciendum requiratur intentio faciendi id quod est praeceptum 165. IV. 176. An duplici praecepto uno actu vel pluribus eodem tempore possit satisfieri I. 166. An qui uno actu violat plura praecepta committat plura peccata 167. An ignorantia excuset a transgressione 168. An a poena legi annexa 169. An detur ignorantia invincibilis etiam circa praecepta iuris naturae 170. ad 174. An excuset metus 175. An impotentia 176. An dispensatio 178. V. *Dispensatio*. An per legem generalem abrogetur particularis. An cesset lex cessante fine legis 199. De interpretatione legis 200. De epikeia legis 201. Dispositio legis est eadem ubi eadem currit ratio VII. 84. Lex posterior quando deroget privilegiis VI. 556. Lex perniciosa an obliget 615.

Libellaticus contractus III. 868.

Libellus famosus III. 995.

Liber. Dissertatio de prohibitione librorum *Vide Append.* III. *in fine libri* I. Imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine superiorum licentia etc. excommunicantur VII. 209. ad 10. et 212. De indice librorum prohibitorum, de excommunicatione in legentes etc. De legentibus libros haereticorum etc. V. *Excommunicatio*.

Licentia iniuste negata VI. 576. Quoad religiosos V. *Religiosus*. Quoad reservata V. *Reservatio*.

Limina Apostolorum. An canonicus missus ad *limina* excusetur a residentia IV. 130. *v. Item*.

Linea V. *Consanguinitas*.

Litaniae V. *Horae*.

Litera. Quando peccent aperientes aut legentes scripta et literas alienas V. 70. An liceat dilaceratas colligere et legere *ibid*. De scribentibus literas amatorias III. 426. An liceat famulis scribere aut deferre literas etc. V. *Cooperatio*. Literae dimissoriales V. *Dimissoriae*.

Locatio. Quid sit. Si res locata pereat. Si usus vel fructus rei cesset. De expensis in rem conductam. De incendio. De conductore volente emigrare ante tempus III. 857. Quando et quis possit expellere conductorem ante tempus 858. 859. An ob sterilitatem debeatur conductori remissio pensionis 860. An liceat pauperi elocare ius mendicandi 861. An conductor obligatus ad melioriationes debeat facere suis expensis 863. An liceat locare domum meretrici etc. V. *Cooperatio* 70. An liceat locare decimas etc. V. *Simonia*.

Locus. Qualis dicatur sacer III. 460. In quo loco dicenda missa, aut audienda V. *Missa*. Etc.

Lucrum. Quomodo dividendum inter socios III. 907. An excuset a missa V. *Missa*. Etc. De lucro circa mutuum V. *Mutuum*.

Ludus. Quid sit ludus et quando licitus III. 871. An sit restituendum lucratum a filiofamilias aut religioso 872. Religiosus ludens illicite per licentiam generalem 873. An religiosus possit plus lucrari, quam perdere 874. An si exponat plus quam possit teneatur restituere lucratum 875. Quantum possit filiusfamilias aut religiosus exponere ludo 876. 901. De ludente cum deceptione 877. An cogens ad ludendum possit retinere lucratum 880. An possit praesciens se victurum 881. An qui utitur astutis licitis. Quid si illicitis. Ludens sine animo solvendi. Totos se tradentes lusibus. Ludere precibus sacris 882. De ludo vetito 883. De legibus hunc ludum prohibentibus 884. An peccent laici hoc lusu ludentes 885. De ludente ob lucrum 886. De victore ludo vetito 887. Quid si impediat iudicem ne ipsum condemnet. Et an teneatur fateri veritatem 888. An possit retinere lucratum ludens animo repetendi 889. An victus ludo vetito teneatur solvere 890. Quid si uterque renuntiaverit legi 891. An victus possit petere relaxationem iuramenti 892. An sibi compensare solutum 893. An possit transigere si

ficte minitetur repetere in iudicio 894. Quoad clericos circa ludum alearum, quosnam comprehendant canones 895. Clerici frequenter ludentes aut in magna quantitate 896. ad 898. Quando non peccent 899. An clericis vetentur omnes ludi chartarum 900. Quomodo peccent religiosi aleis etc. ludentes 901. Quomodo episcopi 902. An peccent graviter clerici et religiosi his lusibus assistentes 903. De voto non ludendi 223. De iuramento non ludendi 178. An superior religiosus possit dare licentiam aliquid ludo exponendi IV. 32. Omittens missam causa lusus. Paratus amore lusus committere quodcumque peccatum V. 60. Quoad sponsionem V. *Sponsio.*

Lunatici V. *Epileptici.*

Luxuria. Luxuria et eius filiae V. 71. Eius actus III. 412. Quae sit delectatio venerea, quae sensitiva 413. Quomodo sit malus omnis actus venereus 414. An detur parvitas materiae 415. 416. An oscula, amplexus aliquando liceant 415. 417. 418. De tactu et aspectu turpi proprii corporis, aut commixtionis brutorum 419. De tactu et aspectu turpi corporis alieni, ac genitalium brutorum 420. 423. An sit semper peccatum aspicere pudenda sexus diversi. Et an aspectus isti induant speciem obiecti 421. An liceat aspicere partes honestas diversi sexus 422. An aspicere pectus, crura etc. mulieris 423. An aspicere picturas obscoenas 424. De verbis turpibus et lectionibus obscoenis 426. Quae sint species luxuriae consummatae naturales 432. An peccet graviter qui negative se habet quoad motus carnales V. 7. V. *Peccatum*, *Cooperatio.* De congressu innaturali III. 464. Coiens inter crura etc. mulieris. Cum mortua 466. Quid explicandum in confessione. Confessarius intelligens mulierem esse cognitam extra vas etc. *ibid.* V. *Pollutio*, *Sodomia*, *Sacrilegium.* Etc.

M

Maceratio. An liceat macerationibus vitam sibi minuere III. 371.

Magia. Quid sit III. 14.

Magister V. *Praeceptor.*

Maledictio V. *Blasphemia.*

Maleficium. Quid sit et quotuplex III. 23. Quae eius remedia liceat adhibere 24. An liceat petere a malefico solutionem maleficii 25. Quam excommunicationem incurrant malefici 27. Quomodo confessarius debeat se gerere cum magis et maleficis 28. Maleficium inducens impotentiam usus matrimonii VI. 1096. V. *Daemon.*

Malum. An liceat suadere aut permittere minus malum II. 57. 58.

Mandans circa restitutionem V. *Restitutio.* Mandans homicidium V. *Occidere.* Etc.

Manus. Manuum iniectio quid intelligatur VII. 272. Carens manu an sit irregularis 408.

Mappa triplex requisita ad missam vel una cum altera duplicata VI. 374. 375. An debeat esse benedicta 375. *dub.* 2. An ex lino *dub.* 3.

Maria Virgo V. *Conceptio.*

Maritus V. *Coniux.*

Martyrium. An sit sacramentum VI. 5. An ut martyrium remittat culpam requiratur in peccatore contritio vel charitas 98. Quando martyrium gratiam conferat 99. An sint martyres qui moriuntur in servitio peste infectorum 100. An liceat se offerre ad martyrium vel prodere se catholicum per abstinentiam a carnibus 101.

Materiae parvitas. In quibus non detur V. 56. An detur in re venerea III. 415. An detur in delectatione sensitiva 417. An in simonia V. *Simonia.* An in laborando die festo V. *Festum.* Etc.

Matrimonium. An liceat uti opinione probabili quoad contrahendum matrimonium I. 50. Matrimonium contractum sine parocho et testibus III. 711. An in matrimonio sufficiat intentio ministri coacta, vel cum errore circa personam suscipientis VI. 19. An parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris. Parochus tenetur inquirere an subsit impedimentum et quid agendum in dubio 54. An possit licite iniri matrimonium cum excommunicato, vel publico peccatore, vel habente votum castitatis 55. II. 60. An liceat matrimonium contrahere cum haereticis VI. 56. 1044. 1105. II. 19. Simulans celebrationem matrimonii VI. 62. An iudex possit cogere nolentes ad matrimonium 846. An aliquando quis teneatur nubere 75. 850. Quoad sponsalia V. *Sponsalia.*

—Quid sit matrimonium. In quo consistat eius essentia VI. 879. De materia, forma et ministro huius sacramenti 880. Ob quem finem liceat nubere 881. 882. 883. An peccent ministrantes et contrahentes in mortali 32. 884. De matrimonio per procuratorem 885. 886. 899. Qualis consensus sufficiat ad contrahendum. Ficte contrahens. An verba sint necessaria 887. 888. An sufficiat ad contrahendum donatio anuli, vel traductio sponsae 889. An sufficiat consensus conditionatus 890. Quid si conditio sit necessaria, aut turpis etc. 891. De conditione *si pater consenserit* etc. 892. 893. 894. An impleta conditione requiratur novus consensus 893. In quo differat conditio a demonstratione, causa, modo, die 896. Dissertatio de ministro et forma matrimonii 897. An matrimonia infidelium sint dissolubilia 897. 957. Solvuntur obiectiones 898. An possit separari ratio contractus a ratione sacramenti 899. Sacerdos aut parochus assistens in mortali 40. 899. Matrimonium coram parocho reluctante etc. 899. An verba *Ego vos coniungo* requirantur sub gravi 897. 899. An liceat contrahere cum dubio de impedimento 901. An cum opinione probabili de eius insussistentia etc. 902. An in dubio iudicandum sit in favorem matrimonii contracti 907. Tres regulae ad dignoscendum quomodo quis possit esse certus aut dubitare de

nullitate matrimonii. An coniux teneatur credere alteri asserenti se ficte consensisse. Quid si audiat impedimentum a fide indigno, aut digno 908. De indissolubilitate matrimonii 956. An si coniux infidelis nolit converti, liceat fideli transire ad alias nuptias 956. 957. Inter fideles matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam 958. An solvatur etiam per dispensationem papae 959. Quid censendum de matrimoniis in partibus haereticorum 1105.

— De revalidatione matrimonii. Quomodo revalidandum si fuit nullum ob consensum fictum, vel metu extortum. Quomodo si ob impedimentum occultum 1109. An in matrimonio nullo ob impedimentum occultum revalidando, iterum requiratur assistentia parochi et testium 899. 1110. Quomodo et quando impedimentum censeatur occultum 1111. An sit revalidandum matrimonium coram parocho et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti erant conscii impedimenti 1112. An qui ficte contraxit teneatur illud revalidare 1113. An qui ficte, vel metu contraxit debeat alterum certiorare de matrimonii nullitate 1114. An si matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum oporteat ututerque fiat conscius de nullitate. An papa possit dispensare a novo consensu praestando 1115. Quid in casu urgentis necessitatis 1116. Quotuplici modo possit renovari sive exigi consensus a parte inscia impedimenti 1117. Quomodo peccet parochus non interrogans de consensu vel non dicens: *Ego vos coniungo, etc.* 1094. De clausulis s. poenitentiariae in revalidando matrimonio 1110. 1111. In matrimonio rato an possit papa dispensare 897. 959. Quid agendum confessario aut parocho, si advertat poenitentem invalide contraxisse matrimonium cum bona fide 611. Quid si matrimonium sit contrahendum 612. Quid si accedant sponsi et omnia sint parata 613. An possit contrahi matrimonium sine parocho, et quoad impedimenta V. *Impedimentum.* Quomodo possit solvi vinculum matrimonii V. *Divortium.* Circa denuntiationes V. *Denuntiatio.* Vide *Sacramentum.*

Matutinum. Dum cantatur matutinum nequit dici missa in altari maiori VI. 424. *v.* 9. V. Horae.

Medicus, etc. Quamnam opinionem sequi debeat medicus I. 44. An possit uti remedio minus tuto, quando non apparet medicamentum certum 45. Quid si desperetur de salute infirmi 46. Medicus praevidens pollutionem III. 483. Tangens aut aspiciens pudenda diversi sexus 420. Obligationes medicorum IV. 291. Tenetur monere infirmos de confessione III. 182. VI. 664. An liceat respuere medicinas III. 52. An ad servandam vitam teneamur uti medicina extraordinaria aut nimis dura 372. An clerici et monachi possint mederi VII. 584.

Membrum. Quid veniat nomine membri VII. 379. An sit irregularis mutilans membrum, aut eo carens V. *Irregularitas.*

Mendacium in confessione VI. 496. 497.

Mendicantes. V. *Religiosus.*

Mercator. De obligationibus mercatorum IV. 292. Mercator iurans mercem carius constare etc. III. 164. V. *Vendere.*

Mercatus an liceat die festo V. *Festum.* Prohibetur in ecclesia III. 57.

Meretrices an possint permitti III. 454. An sit peccatum scandali petere fornicationem a meretrice II. 47. V. *Cooperatio.*

Merx. V. *Vendere.*

Metus. An excusēt a transgressione praecepti V. *Lex.* De metu impediente matrimonium V. *Impedimentum.* De metu irritante contractum V. *Contractus.* De metu in voto V. *Votum.* Etc.

Miles. An sit irregularis VII. 459. A quo absolvendi milites VI. 569. De confessariis militum in praesidiis 577. V. *Bellum.*

Minister. V. *Sacramentum.* De ministro baptismi V. *Baptismus.* Confirmationis V. *Confirmatio.* Etc.

Minor. V. *Tutor.*

Miraculum an liceat a Deo petere III. 30.

Missa. Quomodo praecipiatur in festis auditio missae. In die nativitatis Christi an sit obligatio audiendi tres missas III. 308. An satisfaciat recitans officium sub missa, inserviens missae 309. Quae omissio sit gravis in audienda missa 310. An liceat audire successive duas missas dimidias. An inverso ordine 311. An satisfaciat dormiens, docens etc. A quo loco possit audiri missa 312. Quae attentio requiratur 312. 313. An satisfaciat confitens tempore missae 309. 314. Extasim patiens 315. Dormitans 316. Confabulans, se vestiens, colligens eleemosynas, canens etc. 317. In qua ecclesia audienda sit missa 318. Quinam satisfaciant audiendo missam in oratoriis privatis. An satisfaciant audientes in litore aut castris 319. An sit obligatio audiendi missam in parochia dominicis et festis maioribus 320. ad 323. Quae excusent ab auditione missae 324. Quomodo excusentur navigantes, carcerati, infirmi, excommunicati 325. An excusentur custodientes domus, greges, etc., timentes carcerari, assistentes infirmis 326. An uxores, filii, famuli, timentes offensionem dominorum 327. An viatores 328. Quae distantia ab ecclesia excuset 329. An excusentur foeminae ratione luctus, partus, vel non habentes vestes convenientes. An puellae praegnantes, vel quando faciendae sunt proclamationes pro ipsis 330. An puella sciens ab aliquo turpiter concupisci 331. An amissio magni lucri excuset. An aliud bonum spirituale maius. An peregrini ad breve tempus commorantes teneantur ad missam ubi est de praecepto 332. Quot sacrilegia committat celebrans 3. missas in mortali in die Nativitatis V. 44. Celebrans in mortali VI. 35. Simulans missam, non audens indigne celebrare 42. An liceat celebrare posterioribus digitis 244. Vide *Communio Eucharistia.* De sacrificio missae 304 'n

quo consistat essentia sacrificii missae 305. 306. Quinam sint offerentes 307. Pro quibus possit offerri 308. 309. 310. Effectus sacrificii missae 311. De valore et fructu missae 312. De obligatione celebrandi sacerdotum, parochorum, episcoporum 313. De missa conventuali 314. 326. 348. De reductione missarum 331. De 30. missis gregorianis 333. De applicatione missae V. *Applicatio*. De stipendio V. *Stipendium*. Quando et quoties liceat celebrare. Quo loco et quando sit celebrandum etc. V. *Celebrare*. Praescripta in rubrica quoad missam 372. Quae sint requisita ad missam. De altari 373. De altari portatili 424. De mappa 374. 375. De vestibus 376. ad 378. De calice et patena 379. et seq. Quibus liceat tangere vasa sacra, corporalia et vestes 382. De pyxide 383. ad 385. De corporali 386. 387. De palla 388. De purificatorio 389. De missali 390. De ministro. Celebrans respondente muliere. An quis possit sibi respondere. Celebrans sine ministro 391. 392. De crucifixo 393. De candelis 394. De antipendio, pulvillo, bursa, velo et manutergio 395. De capitis nudatione 396. ad 398. Celebrans cum caesarie ficta 398. An rubricae missalis sint directivae vel praeceptivae 399. An sit mortale omittere caeremonias leviores. Quantum temporis insumendum in celebratione. Monitum 400. An decreta S. C. rituum rigorose obligent 401. An liceat celebrare nudis pedibus, aut cum baculo etc. 402. An pede ligneo VII. 407. De omissione partium missae VI. 403. ad 406. 409. De mutilatione verborum 407. De purificatione calicis 408. Quomodo peccent regulares nominantes in canone nomen generalis, vice episcopi. Quinam episcopus nominandus. An peccet omittens orationes ante vel post missam, aut orationes ad vestes. An peccet sacerdos non recitans in missa solemni quae cantantur a choro. Quomodo peccet celebrans distractus 403. 410. An possit addi aliquid in missa. An collecta, an nominari unus vel plures sancti in oratione *a cunctis* etc. 411. De iis quae voce alta vel submissa dicenda sunt 413. ad 416. An et quomodo liceat mutare missam 417. Quibus diebus prohibeantur vel permittantur missae votivae, vel *de requiem* 418. ad 421. An obligatus dicere missam votivam vel *de requiem* satisfaciat si dicat diei propriam 422. Ob quas causas possit dici votiva in diebus vetitis 421. Advertenda circa modum dicendi missas votivas et *de requiem* 425. Decreta notabilia circa missarum celebrationem 424. De sacerdote abutente missa ad sortilegium 705. Quando missa interrumpenda ob praesentiam excommunicati etc. V. *Excommunicatio*.

Mohatra contractus III. 813.

Mollities V. *Pollutio*.

Monachus V. *Religiosus*.

Monasterium V. *Monialis*, *Clausura*, *Religiosus*.

Moneta adulterina an possit expendi III. 833.

Monialis. De aetate et exploratione puellarum suscipientium habitum religiosum IV. 5. Moniales quibus superioribus teneantur obedire 51. 52. Plura notanda circa obedientiam monialium debitam episcopo 56. An moniales in actu visitationis teneantur revelare transgressiones aliarum 57. De privilegiis monialium V. *Privilegium*. An moniales petentes extraordinarium et non obtinentes possint cuique confiteri VI. 376. Plura notanda de confessariis monialium 377. Ubi collocandum confessionale *ib. not. 4*. An moniales subiaceant reservationi factae ab episcopo. An exemptae. An episcopus quoad clausuram possit casus monialium reservare 602. An monialis frangens occulte clausuram possit absolvi ab episcopo 594. De violatione clausurae et collocutione cum monialibus etc. V. *Excommunicatio*. Quomodo danda benedictio in communione ministranda monialibus etc. 424. *in fine*. An possint respondere celebranti 392. Moniales tenentur singulis mensibus confiteri et communicare 313. V. *Abbatissa*, *Clausura*. Quoad officium V. *Horae*. Etc.

Monitorium IV. 248. De excommunicatione ex vi monitorii VII. 214. ad 217.

Monopolium V. *Vendere*.

Monstrum an baptizandum VI. 125. Monstruosus est irregularis VII. 412.

Montes pietatis. III. 765. Qui eos impugnant excommunicantur VII. 210.

Moribundus. Quae poenitentia imponenda moribundo VI. 507. De indulgentiis pro moribundis 534. An danda eucharistia pueris et amentibus moribundis 246. 301. *dub*. 2. An in moribundo sufficiat attritio et an requiratur etiam contritio 437. *dub*. 2. Quis censeatur in periculo mortis 561. V. *Absolutio*, *Iurisdictio*, etc.

Mors. Quis censeatur in periculo mortis VI. 561. Desiderans sibi mortem etc. V. *Desiderium*.

Mortale V. *Peccatum*.

Motus inordinati etc. V. *Peccatum*.

Mulcta. Impediens mulctam applicari fisco vel dominis III. 583. IV. 257. Mulcta debetur post sententiam I. 148.

Mulier V. *Foemina*.

Munus a manu, etc. V. *Simonia*. An peccet puella accipiens munera etc. V. *Cooperatio*. De iudice accipiente munera V. *Iudex*.

Mutatio circumstantiae in voto V. *Votum*. Mutatio in sacramentis, quae invalidet V. *Sacramentum*. Etc.

Mutilare etc. An aliquando liceat se mutilare III. 373. Ad quid teneatur mutilator 626. De irregularitate ob mutilationem V. *Irregularitas*. De mutilatione in missa V. *Missa*. Etc.

Mutus. An excusetur ab integritate confessionis. An teneatur confiteri per signa aut scripturam VI. 479.

Mutuum. Quomodo distinguatur a permutatione, pignore etc. Obligationes mutuantis III 734. Quando debeat restitui 755. An possit re-

peti mutuum datum ecclesiae, universitati, vel minori 756. Quid si detur filiofamilias 757. An mutuans possit aliquid exigere si obligetur expectare solutionem per longum tempus 760. Utrum mutuans possit retinere id de quo dubitat an gratis sit datum 761. An liceat dare mutuum ob spem lucri 762. An mutuans possit retinere quod mutuatarius dedit ex timore ne alia mutuatio ei negetur 763. 764. An obligatio antidoralis possit deduci in pactum 764. Dare mutuum ob amicitiam, officium, beneficium habendum, aut ad recuperanda sua 764. An possit exigi aliquid ob periculum *sortis* 765. An liceat pactum poenae conventionalis 766. An dicta poena debeatur ante sententiam 767. An et quando possit aliquid exigi ob *damnum emergens*, aut *lucrum cessans* 768. Quot conditiones requirantur ad hoc interesse exigendum. An possit exigi si mutuans se offerat ad mutuandum 769. An liceat pacisci de certa pecunia solvenda pro damno vel lucro incerto 770. An possis exigere lucrum cessans si aliam substituas pecuniam ad negotium non destinatam 771. Quid si dicas: Negotiarer nisi essent mutuum petentes 772. Mutuans iniens bona fide contractum usurarium 773. Quae pacta liceant in mutuatione 774. An liceat pactum *legis commissoriae* 775. An fructus pignoris debeant restitui 776. An teneat pactum ut reddatur aliquid debitum sed non ex iustitia. An ut desistatur ab iniuria 777. An pactum ut iniuria condonetur 778. An pactum ut conferatur officium 779. An pactum ut praestentur debita ex gratitudine 780. An pactum remutuandi 781. An ut res in eadem specie reddatur 782. An liceat petere mutuum ab usurario II. 47. 49. 58. An liceat dare mutuum abusuro V. *Cooperatio*. Rogatus ad mutuandum an possit negare se habere pecuniam 163. Mutuatarius consumens rem mutuatam in extrema necessitate 624. An possit dari mutuum ob beneficium etc. Vide *Simonia*, *Usura*.

Mysteria V. *Fides*.

N

Natalia de irregularitate ex defectu natalium V. *Irregularitas*.

Nativitate acquiritur dominium III. 494.

Necessitas proximi V. *Charitas*, *Eleemosyna*. An liceat ingredi religionem relinquendo parentes in necessitate V. *Religiosus*. In necessitate an liceat furari etc. V. *Fur*.

Necromantia. Quid sit III. 6.

Negotiatio vetita clericis etc. V. *Clericus*. Etc. V. *Vendere*.

Neophytus nequit ordinari VI. 784.

Nobilis vir quando dicatur esse in extrema necessitate III. 520.

Nominatio ad beneficium V. *Beneficium*.

Notarius. Quando peccet notarius IV. 230. Plura notanda circa notarios 231.

Novitius V. *Religiosus*.

Nundinae in festis an liceant III. 286.

Nuntius accipiens mercedem a duobus III. 862.

O

Obedire etc. An subditus teneatur obedire superiori in re dubie mala I. 31. In dubio an sit licita 100. Quoad religiosos V. *Religiosus*. Quoad moniales V. *Monialis*. Etc.

Oblivio aequiparatur ignorantiae invincibili I. 174.

Obreptio et Subreptio in dispensatione I. 185.

Observantia vana, quid et quotuplex III. 14. An sit culpa gravis 15. Quomodo cognosci possit 16. Exempla vanae observantiae 17. An detur et sit licita virtus in iis qui vocantur *Salvatores* 18. De facientibus mira supernaturalia 19. 20. An liceant ensalmi 21. An detur fascinatio naturalis. An vetanda oscilla, seu turpicula 22.

Obsessus. An sit irregularis VII. 397. 399.

Obstetrix. An examinanda a parocho VI. 117. De baptizatis ab obstetricibus 156.

Occasio. An absolvendus qui est in proxima occasione causa exercendae artis III. 458. VI. 456. Se exponens occasioni V. 65. Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in occasione. Quotuplex sit occasio. Quae voluntaria, quae necessaria. Periculum aliud est materiale, aliud formale. Qui dicantur esse in occasione proxima. An se invisentes animo matrimonii VI. 452. An possit absolvi qui non vult amovere occasionem 453. An qui est in occasione proxima voluntaria possit semel vel iterum absolvi 454. An possit absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria 455. Sententia tenenda circa absolutionem his differendam 456. An possit absolvi, qui, in occasione necessaria, remediis adhibitis, fuerit relapsus 457. Doctrina s. Caroli Borromaei 458. Quare rigidius agendum cum occasionario, quam cum recidivo 463. 464. An absolvendi occasionarii si habeant signa extraordinaria doloris 464.

Occidere. Poenae mandantium homicidia III. 363. An easdem incurrant ipsi assassini 364. An liceat reddere gladium occisuro II. 76. An liceat directe occidere seipsum et an indirecte. Plures casus III. 366. An liceat se occidere ad vitandam mortem duriorem. An navim incendere cum periculo mortis 367. An virgo teneatur potius pati se occidi, quam violari 367. 368. An reo liceat non fugere, se sistere iudici, ex praecepto iudicis se occidere 369. An qui se occidit possit sepeliri in loco sacro 375. An ad tuendam vitam liceat occidere invasorem. An veletur reis et bannitis se defendere, occidere ministros iustitiae etc. An possint satellites reum fugientem etc. occidere 380. An liceat occidere proscriptos 376. 380. An liceat marito uxorem, patri filiam occidere in adulterio deprehensas 376. An liceat occidere reos non prius sententia damnatos 377. An liceat viro honorato occidere invasorem sui honoris. An id liceat plebeio vo

ecclesiastico si possit fugere 381. Quando liceat occidere furem, aut auferentem honorem, et quando non liceat etc. 382. An liceat occidere furem rei magni momenti. Prop. damnatae 383. An id liceat clericis et religiosis 384. An liceat cuique per famulos armis sua defendere 385. An liceat occidere invasorem pudicitiae 386. An liceat praevenire aggressorem 387. An liceat occidere falsum accusatorem 388. Quando quis habet ius alium occidendi an id possit alius pro eo praestare 389. An liceat defendere vitam proximi cum occisione iniusti invasoris. An tenearis tueri vitam innocentis 390. An liceat occidere invasorem pudicitiae vel honoris proximi 391. An possimus et teneamur tueri bona proximi cum occisione furis 392. An liceat occidere innocentem 393. Quando imputetur ad peccatum homicidium casuale. An adulter occidens adulterae maritum incurrat irregularitatem. Et an incurrat, si, ipso praevidente, adultera occidatur 398. Ad quid teneatur occisor 626. 627. 631. Occidens ebrius alium 627. Ad quid teneatur occidens Caium putans occidere Titium et an incurrat excommunicationem aut irregularitatem 628. An valeat remissio patris occisi in praeiudicium filiorum 630. Quibus haeredibus occisor teneatur restituere 631. An restituenda bona quae occisus aliis dedisset 632. 633. Ad quid teneatur occisor creditoribus occisi. Eis quos occisus alebat ex liberalitate etc. 634. Quid si homicidium imputetur alteri 634. 635. 636. Ad quid teneatur invasus excedens moderamen inculpatae tutelae 637. Provocans occidens alium pugnam acceptantem 638. An in restitutione detrahendum pretium laboris quem occisus sustinuisset pro lucro amisso 639. Parato occidere an possit suaderi ut manum tantum amputet II. 57. De irregularitate ob homicidium V. *Irregularitas*. An incurrant censuram mandantes etc. homicidium V. *Censura*.

Oculo carens an sit irregularis VII. 410.

Occupatio. Dominium acquiritur occupatione III. 493. Quid de thesauris et aliis inventis 602. 603.

Odium. An teneamur exhibere inimico signa dilectionis II. 28. An iniuriam remittere. An etiam remittenda vindicta publica 29. An abominatio sit licita. An in confessione explicanda species mali voliti. Quando liceat velle malum. De eo qui aversus ab aliquo, fugit illum 30. Tristari de vita alicuius, de eius morte gaudere, aut cupere etc. *ibid. in fin.* An liceat excludere inimicum a communibus orationibus 28. Optans diversa mala inimico V. 30. V. *Desiderium*.

Officium. Quid veniat nomine divinorum officiorum VII. 177. V. *Horae*, etc.

Omen. Quid sit III. 6.

Omissio V. *Peccatum*. Omissio in missa Vide *Missa*. Etc.

Onuromantia. Quid sit III. 6.

Operarius V. *Artifex*.

Opinio V. *Probabilitas*.

Opus. Quae sint opera servilia V. *Festum*

Oraculum. Quid sit III. 6.

Oratio. An sit de necessitate medii III. *in initio*

Oratorium. Perpenduntur clausulae brevis, quibus solet concedi. Quot missae in eo possint celebrari, qui satisfaciant audiendo etc. III. 349. Quomodo construendum oratorium et altare *ib. v. not.* 1. VI. 424. *v.* 13. An vetetur missa in oratoriis ante parochialem *ib. v.* 14. In quibus oratoriis possit celebrari ex licentia episcopi 337. An episcopi possint celebrare vel celebrari facere in domibus privatis 338. An dispensare ut in illis celebretur etc. Plura notanda 339. De regularibus circa oratoria *ibid. et* 360. Oratoria an violentur 362. Vide etiam *append. de privilegiis* post lib. I. *n.* 62. *ad* 64.

Ordinandus etc. Quae requirantur in ordinando. Quinam valide aut invalide ordinentur VI. 781. An valide ordinentur infantes 782. Quae requirantur ut quis licite ordinetur 783. Requiritur 1. ut sit viator, non neophytus, non infamis, hermaphroditus, irregularis etc. An remaneant ordinati irregulares etc., quos episcopus protestatur se non intendere ordinare 784. Requir. 2. animus clericandi. Qui suscipit ordinem nolens ascendere ad superiorem. Clericus uxorem ducens. Suscipiens tonsuram ad effugiendum forum laicale 785. Requir. 3. Ut sit confirmatus 786. Requir. 4. Ut habeat litteras dimissorias proprii episcopi. Notanda: episcopus regulariter tenetur ordinare et examinare per seipsum 787. V. *Dimissoriae*. An possit ordinare alienum sub spe ratihabitionis. An ordinans possit dispensare cum alieno super irregularitate etc. Ordinandus debet habere testimoniales ab episcopo originis 789. Requiritur 5. examen de scientia iuxta ordinem suscipiendum 790. Quae debeat scire sacerdos praesertim circa sacramentum poenitentiae. An illiterati sint irregulares. An in regularibus minor scientia requiratur 791. Potest episcopus requirere scientiam non communem in suis. Quid ultra notandum circa examen. An possit ordinare regulares sine examine 792. Requir. 6. Titulus sustentationis. Poena in contravenientes 813. De titulo *paupertatis* 814. De titulo *beneficii* 815. 816. An sufficiat titulus servitii, mensae etc. 774. 775. De titulo *patrimonii* 817. An quis possit ordinari ad titulum suae industriae 818. An pater teneatur assignare patrimonium filio volenti ordinari 819. An incurrat suspensionem qui ordinatur sine titulo 820. An qui cum patrimonio ficto 821. An qui ordinatur data fide de reddendo illud donanti 822. An qui post diaconatum illud donanti renuntiat 823. An ordinatus possit patrimonium renuntiare si habeat aliunde sustentationem 824. Requir. 7. ut ordines gradatim suscipiantur 795. Requir. 8. ut suscipiantur tempore debito. Utrum liceat ordinare in festis 794. Requir. 9. Ut serventur inter-

stitia. An episcopus possit dispensare 775. 793. An incurrat suspensionem etc. qui eadem die suscipit duos ordines. Quid si suscipit unum in sabbato, alium in dominica. An incurrat qui suscipit duos ordines non servatis insterstitiis 796. An liceat eadem die suscipere 4. ordines minores cum subdiaconatu. An regulares possint ordinari extra tempora. Quid de initiandis in tribus diebus festivis. Alia plura 797. Requir. 10. Ut servetur locus debitus et existentia episcopi in propria dioecesi. De episcopo ordinante extra dioecesim 798. Requir. 11. Aetas debita, alias incurritur suspensio. An incurrat qui ordinatur ante aetatem ex ignorantia crassa. An mala fide ordinatus ante aetatem possit, ea completa, ordinem exercere. An incurrat irregularitatem suscipiens sacerdotium ante aetatem. An incurrat qui ordinatur irretitus censura 799. Quomodo computanda aetas 800. Dubitans de aetate I. 52. Requiritur 12. Exercitium ordinis suscepti. Requir. 13. Sumptio eucharistiae. Requir. 14. Probitas vitae VI. 801. Requir. 15. Vocatio divina. Quae sint eius signa 802. An peccet graviter qui sine vocatione ordinatur. An peccet episcopus hunc ordinans 803. Haec vocatio tanto magis requiritur ad episcopatum et parochiam suscipiendam 804. Quae sint officia ordinatorum 805. Eorum obligationes *ibid. in fine.* De obligatione caelibatus. Quomodo haec obligatio probetur 806. An sit de iure divino 807. An sit ex praecepto ecclesiae vel ex voto 808. An ignorans tale votum teneatur ad castitatem. An qui expresse nollet castitatem vovere 809. Quid si quis sit ordinatus ante usum rationis, aut pubertatem 810. Quid si ordinetur ob metum 811. Quomodo coniugatus constante matrimonio possit in sacris ordinari. An istius uxor teneatur religionem profiteri. An possit nubere etc. 812. De obligatione deferendi habitum et tonsuram. An peccent graviter clerici non deferentes 825. 826. IV. 188. Quando ob habitum et tonsuram timissam amittant privilegium fori et canonis. Quando quis dicatur sumere habitum clericalem per fraudem VI. 827. Ad quid teneantur ordinati vi obedientiae quam promittunt episcopo. An possint ingredi religionem episcopo contradicente 828. Quae obligatio sit de missis et precibus quae ab episcopo imponuntur ordinatis 829. Statuta in concordato regni neapolitani circa ordinationem promovendorum 830. Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi cupienti statim initiari sacris 63. Episcopus ob peccata occulta etiam extraiudicialiter cognita potest prohibere initiandos quominus ordinentur 69. *in fine.* Episcopus ordinans potest repellere aliquem ex defectu corporis VII. 414. Ordinatio simoniaca V. *Simonia.* V. *Ordo*, *Clericus.* Etc.

Ordo. Quid sit sacramentum ordinis, et quot sint ordines. An prima tonsura sit ordo VI. 734. Quid sit ordinatio et quid ordo. Effectus ordinis. Definitio cuiusvis ordinis 735. An singuli septem ordines sint sacramenta 736. 737. An episcopatus sit ordo distinctus a sacerdotio 738. Quae sit materia *remota* et quae *proxima* huius sacramenti 739. An materia et forma ordinis sint a Christo in specie determinatae 740. An valide ordinetur latinus per materiam graecis assignatam 741. An requiratur contactus instrumentorum 742. 743. An ab eodem episcopo debeat dici forma, et tradi materia. An ab eodem qui confert ordines debeat missa celebrari 744. De materia cuiusque ordinis 745. Quae sit materia, forma et munus subdiaconatus 746. 747. Quae sit materia et forma diaconatus 748. Quae sit materia et forma presbyteratus 749. ad 753. Exercens munus ordinis maioris quem non habet incurrit irregularitatem 754. De ordinatione episcoporum 755. An episcopus possit conferre primam tonsuram extra suam dioecesim 756. Quid agendum in dubio an ordo sit collatus 757. Quomodo supplendi defectus in ordinatione commissi 758. An supplendi tempore statuto ad ordinationes 759. Quosnam episcopus possit ordinare 760. Quis sit minister ordinis 761. An possit esse quivis sacerdos ex concessione papae. An subdiaconatus fuerit semper sacer 762. An abbates possint conferre tonsuram etc. subditis non religiosis 763. An possint ordines conferre suis novitiis 764. An novitii debeant ordinari ab episcopo loci novitiatus etc. 765. Abbates ordinantes non subditos 766. Conferens ordines minores in mortali 767. A quo episcopo ordinandi regulares. Poenae in transgredientes 768. A quo saeculares. Poenae etc. 769. Plura notanda ex bulla *Speculatores* 770. Quid si quis habeat in una dioecesi originem, in alia domicilium, in alia beneficium 771. Quid si quis casu alicubi nascatur 772. Quid si habeat diversa domicilia 773. An possit quis ordinari ab episcopo beneficii 774. An licite episcopus ordinet eum cui confert beneficium ut possit eum ordinare 776. Habens in diversis dioecesibus beneficia. An studiosi contrahant domicilium 777. Quid requiratur ut quis ordinetur ratione domicilii 778. An barones eorumque filii gaudeant domicilio feudorum: de officialibus etc. 779. Quomodo quis possit ordinari ratione *familiaritatis.* Et an hoc titulo possint ordinari famuli famulorum 780. An episcopus possit negare sacramentum ordinis peccatori publice petenti 52. Male aut furtive suscipiens ordines fit irregularis VII. 360. 361. Irregularis nequit ordines suscipere, neque exercere 342. V. *Irregularitas*, *Ordinandus*, *Sacramentum.*

Ornatus V. *Foemina.*

Oscilla contra fascinationem III. 22.

Oscula etc. V. *Luxuria.*

P

Pactum de haereditate viventis an liceat III. 954. Qui pactus liceant in mutuo V. *Mutuum.* In venditione V. *Vendere.* Etc

Palla an debeat esse ex lino. Quid si omittatur. An benedicenda. An liceat uti duabus pallis VI. 388.

Palpo an teneatur ad restitutionem III. 567.

Papa. Dissertatio de potestate pontificis. De eius infallibilitate I. 110. ad 120. De eius auctoritate supra concilium 121. ad 134. An possit dispensare in iis quae sunt de iure divino VI. 196. 1149. Reliqua suo loco invenies v. gr. An possit dispensare in votis V. *Votum.* An ad consecrandam unam tantum speciem V. *Eucharistia.* Quoad irregularitates V. *Irregularitas*, Excommunicationes, *Excommunicatio.* Etc.

Papales casus V. *Reservatio*, *Censura.* Etc.

Paralysi laborans an sit irregularis VII. 409.

Paramenta V. *Vestis.*

Parens V. *Filius.*

Parochus. Qui veniant nomine parochi VI. 1081. Ad parochias an eligendi digniores IV. 92. De obligatione parochorum concionandi III. 269. 360. Circa sacramenta ministranda VI. 58. III. 358. Quid tempore pestis 358. VI. 233. Quoties teneatur ministrare communionem 253. 253. An teneatur orare et celebrare pro populo III. 359. An populum instruere etc. Quomodo teneantur corrigere subditos. An ad id teneantur ex charitate vel ex iustitia. An teneantur inquirere mores subditorum. An non deserere oves etiam cum periculo mortis 360. II. 3. Parochus peccans cum poenitente III. 451. Praevidens pollutionem 483. An parochi possint religionem ingredi, episcopo contradicente IV. 74. VI. 828. Parochus inutiliter residens. Per duos menses sacramenta per se ipsum non ministrans IV. 127. V. *Residentia.* De obligatione parochorum celebrandi missam VI. 313. Quae vocatio requiratur ad parochiam suscipiendam 804. An parochus possit eligere sibi confessarium 365. *in fine.* Parochus tenetur examinare obstetrices 117. Quoties teneatur celebrare et applicare missam pro populo 324. Quid si non habeat congruam 325. An infirmus teneatur supplere per alium 326. *v. Postquam.* Ex licentia parochi loci an possit audire confessiones. An liceat advocare alium parochum ad audiendas confessiones. Quos cooperatores parochus possit adsciscere 344. An invito parocho possint subditi apud alios se confiteri 364. An parochi possint id prohibere saltem in paschate 374. An parochus possit eligi in confessarium monialium 377. Quando teneatur excipere confessionem subditi 623. V. *Matrimonium*, *Impedimentum.* Etc.

Paschalis communio V. *Communio.* — V. *Confessio.*

Pastor V. *Episcopus*, *Parochus.*

Pater V. *Filius.*

Patrinus. Ad quid teneantur patrini baptismi, et quae requirantur ut quis valide sit patrinus VI. 146. Quando teneatur instruere susceptum, et an possit omitti in baptismo privato 147. Quoad cognationem V. *Cognatio.* An possint esse patrini eiusdem duo mares vel duae foeminae 155. Quid requiratur ut quis licite sit patrinus 156. ad 158. Ad confirmationem requiritur etiam patrinus. Debet esse unus et confirmatus 185. An peccet graviter tenens non confirmatus 186. Debet esse diversus a patrino baptismi. An religiosi possint esse patrini confirmationis 187.

Patronus V. *Beneficium.*

Pauper V. *Necessitas*, *Eleemosyna.* Se fingens pauperem III. 622. An liceat in festo laborare pro pauperibus etc. V. *Festum.* De voto paupertatis religiosorum V. *Religiosus.* Etc.

Peccator petens sacramenta V. *Sacramentum.* An liceat cooperari peccatori V. *Cooperari.*

Peccatum. Quid sit V. 1. Conditiones requisitae 2. De *advertentia* 3. An ad mortale requiratur advertentia formalis, aut virtualis. Quando ignorantia fiat voluntaria 4. De consensu 5. An peccatum veniale sit contra legem divinam. De peccato philosophico 11. An peccet graviter negative se habens quoad motus inordinatos 6. Quid si sint motus carnales 7. Remedia quoad ipsos 8. An teneamur resistere si adsit causa non resistendi 9. A quo tempore imputentur peccata omissionis 10. An et quomodo desideria et delectationes sint peccata 12. et seq. Quomodo peccata differant specie quoad materiale et formale 30. Ex quotuplici radice desumatur diversitas specierum 31. An peccata specie distinguantur ex oppositione ad virtutes vel ex diversitate obiectorum 32. An ex praeceptis diversis peccata specie distinguantur 33. An peccatum ex obiecto levius possit excedere gravitatem peccati superioris speciei 34. Quomodo peccata distinguantur numero 35. Ex quibus radicibus desumatur distinctio numerica. De prima radice quae est *multiplicitas actuum moraliter interruptorum* 36. ad 44. An explicanda omnia media apposita ad peccandum 42. De secunda radice quae est *Diversitas obiectorum totalium* 45. ad 50. Quid sit peccatum mortale, et quid veniale 51. Quotuplici modo peccatum possit esse mortale. Advertenda pro iis qui de facili damnant de mortali 52. Quae requirantur ad peccatum mortale 53. Ex quibus causis mortale possit fieri veniale 54. ad 56. Plures casus 57. Quomodo veniale fit mortale 59. ad 63. An sit in mortali proponens committere omnia venialia 64. IV. 12. Inductio ad peccandum II. 46. 47. De poenitente interrogato de peccato confesso III. 157. Qui potest impedire peccatum proximi, an peccet non impediendo II. 42. Quid veniat nomine peccati turpis VI. 334. Peccatorum reliquiae quomodo tollantur 70. Se iactans de peccato V. 26. V. *Cooperatio*, *Conscientia.* Etc.

Peculium V. *Filius.*

Pensio. Quid sit et quotuplex IV. 137. A quo et quanta possit pensio designari 138. An pensionarius possit de illa libere disponere 139. An teneatur erogare superflua in usus pios III. 491. V. *Beneficium*, *Simonia*

Perceptio. Quomodo acquiratur dominium perceptione fructuum III. 502.

Percussio. De excommunicatione ob percussionem clerici V. *Excommunicatio.*

Peregrinus. An teneatur ad leges loci ubi est I. 156. 159. An ad leges patriae. Plures casus 157. An peregrini possint dispensari ab episcopo loci in legibus et votis 158. et III. 262. An teneantur praeceptis iuris communis si non sunt in usu ubi morantur I. 161. A quo possint absolvi V. *Reservatio*, *Absolvere.* An excusentur a ieiunio etc. V. *Ieiunium.* Etc.

Perfectio V. *Religiosus.*

Periculum mortis. Quis in eo censeatur VI. 561. Qui possit absolvere in periculo mortis V. *Absolutio.* An in periculo mortis possit celebrari non ieiunus aut sine vestibus etc. V. *Celebrare.* Etc.

Perplexus V. *Conscientia.*

Personatus quid sit IV. 116.

Pharmacopola ad quid teneatur IV. 291.

Physiognomia quid sit III. 9.

Pictura. Aspicere picturas turpes III. 424. Pingentes turpia II. 56.

Pignus. De contractu pignoris V. *Contractus.* Fructus pignoris in mutuo debent restitui III. 776.

Pileolo an liceat uti in missa VI. 396. 397.

Plantatio. Acquiritur dominium plantatione III. 501.

Podagra laborans an possit celebrare VI. 244.

Poena in excommunicatos ministrantes sacramenta VII. 171. In suscipientes 172. V. *Lex.* Poenae sodomitarum V. *Sodomia.* Etc.

Poenitens. An teneatur sequi opinionem confessarii V. *Probabilitas.*

Poenitentia. De materia et forma huius sacramenti VI. 425. Monitum ad confessarios 426. De materia remota 427. De forma. Quae praesentia poenitentis requiratur 428. 429. Quae sit forma proferenda, et in quibus verbis consistat eius essentia 430. Quoad dolorem, propositum, contritionem, attritionem V. *Contritio.* De absolutione sub conditione 431. 432. Quid sit poenitentia ut virtus, et quid ut sacramentum 434. An sacramentum poenitentiae possit esse aliquando validum et informe 444. Quoad confessionem V. *Confessio*, *Confessarius*, *Absolutio.* Quoad satisfactionem V. *Satisfactio.* De ministro sacram. poenitentiae 539. An in casu necessitatis sit obligatio se confitendi laico vel clerico 540. Quis valide absolvat 541. An hoc sacramentum possit ministrari domi, vel in oratoriis privatis 559. Quoad approbationem ad excipiendas confessiones V. *Approbatio.* De iurisdictione confessarii V. *Iurisdictio.* Quoad sigillum V. *Sigillum.* — V. *Sacramentum.*

Poenitentiarii cathedralium an possint absolvere a reservatis VI. 599.

Poenula s. Pauli quid erat VI. 576. *in fine.*

Pollex. V. *Index.*

Pollutio. Quid sit III. 465. Pollutio in ore 466. Pollutio habita tangendo puerum aut mulierem, aut tactibus alienis 467. An sit vetita de iure naturae. Alia plura 476. De distillatione 477. An liceat expellere semen corruptum 478. De pollutione sponte sua eveniente 479. An liceat ob finem honestum pollutionem optare, aut de ea gaudere 480. De pollutione praevisa 481. 482. 483. An sit mortalis pollutio ex causa leviter influente 484. De pollutione in somno. An mutua pollutio habeat diversam malitiam 485. An pollutio impediat a communione VI. 271. De pollutione ecclesiae V. *Ecclesia.*

Pontifex V. *Papa.*

Pontificia responsa seu declarationes aut epistolae quando et quomodo obligent I. 106. III. 1027.

Pontificalia. An capitulum, sede vacante, possit dare licentiam alieno episcopo exercendi pontificalia VI. 788. *v. Quamvis.*

Possessio continuata requiritur ad praescribendum III. 506.

Possessor. An iudex possit iudicare contra possessorem etc. III. 711. De possessore dubitante I. 55. 56. Negligens inquirere dominum 57. An confessarius teneatur absolvere possessorem cum iure probabili III. 669. In dubio melior est conditio possidentis. In pari causa potior haberi debet possessor I. 55. Regula cognoscendi quis sit possessor *ibid.* De possessore bonae aut malae fidei etc. V. *Restitutio.*

Praeceptor. Quae sint obligationes praeceptorum III. 562. Quando peccent discipuli 561.

Praeceptum. Praeceptis contrariis quid agendum etc. V. *Lex*, *Conscientia.* An praeceptum servandi festa sit naturale V. *Festum.* Etc.

Praelati. Ad quid teneantur erga subditos III. 542. Praelati regulares habent iurisdictionem quasi episcopalem erga suos: quid erga subditos saeculares VI. 595. V. *Religiosus.* An praelati teneantur corrigere etc. V. *Correptio.* Praelatus negligens recitari officium in choro V. *Horae.* Etc.

Praescriptio. Acquiritur dominium praescriptione, modo adsint sequentes conditiones: *Bona fides* III. 504. *Titulus* 505. 509. *Continuata possessio.* De tempore requisito ad praescribendum 506. 508. Debita ex mobilibus et beneficia 507. De praescriptione bonorum ecclesiae 510. Quando interrumpatur praescriptio 511. An haeres possessoris malae fidei possit praescribere 512. An possit praescribi libertas a solvendo debito vel mulcta 513. Quibus detur restitutio in integrum circa bona praescripta 514. *Ut res sit apta praescribi* 515. Decisio quatuor aularum Neapoli circa praescriptiones 516. An in conscientia possit retineri res praescripta ubi haec lex non viget 517. An possit dari praescriptio circa onera missarum, et conditiones in fundatione appositas VI. 524.

Praesentatio. Beneficia acquiruntur per prae

sentationem IV. 85. V. *Beneficium.*

Praestimonium quid sit IV. 116. An habens praestimonium teneatur ad horas 144. *v.* 8.

Praesumptio quid sit V. 66. Praesumptio de divina misericordia II. 20. *v.* 5.

Precarium quid sit et quando cesset III. 745. 752.

Preces importunae an constituant metum gravem III. 587.

Pretium V. *Vendere.*

Princeps an teneatur eligere digniores ad officia III. 342. V. *Bellum.*

Privilegium. De privilegiis *in communi.* Differentia inter privilegium, dispensationem, et licentiam. *In fine libri* I. *Appendix de privilegiis n.* 1. Quando privilegium deroget iuri communi 2. Quando privilegiatus tenetur uti privilegio 3. Utrum extra sacramentum censurae etc. 4. De clausulis privilegiorum 5. De eorum interpretatione 6. 7. 8. De communicatione 9. 10. 11. De privilegiis *regularium revocatis* 12. De rescriptis gratiae et iustitiae 13. Quot modis cesset privilegium 14. ad 17. De privilegiis *ecclesiasticorum.* Quibus in rebus ecclesiastici sint exempti a potestate laicali 18. De privilegiis canonis et fori 19. ad 24. De immunitate piorum locorum 25. ad 28. De privilegiis *episcoporum.* De facultate cap. *Liceat* 29. ad 43. De sex casibus episcopalibus 46. ad 48. De dispensatione cum illegitimis 49. Cum bigamis 50. Circa irregularitates ob delictum occultum 51. 52. Circa inhabilitates 53. Circa matrimonia 54. ad 58. Circa interstitia 59. De dispensatione capellani ut celebrare valeat in alia ecclesia 60. De celebratione post meridiem 61. De oratoriis 62. ad 64. (et III. 519.). Circa electionem proprii confessarii 65. Circa clausuram monialium 66. Circa commutationem ultimarum voluntatum 68. De compositione in restitutionibus incertis 69. De reductione missarum 70. Quoad iuramenta et vota etc. 71. De privilegiis *regularium in communi.* De exemptione a iurisdictione episcoporum 72. ad 83. De obligatione decimarum 84. ad 87. Circa fundationes 88. 89. De iudice conservatore. De sepultura 91. 92. De portione canonica etc. 93. 94. De privilegiis *regularium in particulari.* De facultate absolvendi a casibus reservatis et censuris 95. ad 103. Circa dispensationem in irregularitatibus 104. 105. De dispensatione in praeceptis ecclesiasticis etc. 106. Circa officium divinum 107. Circa dispensationem votorum et iuramentorum 108. De privilegio confitendi cuicumque sacerdoti etc. 110. ad 112. Circa ordinum receptionem et collationem 113. ad 120. Circa celebrationem missarum 121. 122. Circa communionem 123. Circa concionandum 124. ad 128. De privilegiis *regularium et monialium* IV. 60. An moniales gaudeant privilegiis religiosorum *ibid.* V. *Abbatissa.* An moniales possint absolvi ab episcopo. An regulares possint divina peragere tempore interdicti 61. An laici possint sepeliri in ecclesiis monialium 62. De privilegiis regularium et monialium circa divinum officium 63. 64. An praelatus possit privilegia limitare 64. Privilegia regularium circa missam an sint derogata VI. 342.

Probabilitas. Quot sint probabilitatum species I. 40. Quae sit probabilitas facti, quae iuris 41. An liceat uti probabilitate facti cum periculo alterius 42. 52. An opinione probabili probabilitate iuris. De opinione tenuiter probabili 53. De probabilissima 54. An aliquando sit obligatio sequendi probabilem, relicta probabiliore. Casus primus est quando superior praecipit cum probabili IV. 47. Casus secundus quando poenitens vult sequi opinionem probabilem VI. 604. Quid si confessarius eam putet falsam *ibid.* Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis etc. I. 55. ad 89. Quoad sacramenta V. *Sacramentum.* De conscientia dubia, probabili etc. V. *Conscientia.*

Processus quomodo formandus IV. 201.

Proclamatio V. *Denuntiatio.*

Procurator. Quando peccent procuratores IV. 232. Plura notanda de eorum stipendio 233.

Prodigalitas quid sit V. 68.

Promissio. An simplex promissio obliget sub gravi. Quid si reddatur nociva, vel accidat mutatio III. 720. V. *Donatio.* An promissio prodiga sit valida. Promittens foeminae ob copulam, an teneatur dare 735. 736. De promissione sponsalitia V. *Sponsalia.* Stuprator promittens matrimonium V. *Stuprum.* An promissio ficta adulterae inducat impedimentum V. *Impedimentum.* Etc.

Propinquus. An sit obligatio relinquendi bona propinquis III. 946.

Propositum differt a voto III. 199. An malum propositum interrumpatur per tempus diuturnum V. 39. V. *Contritio.*

Proscriptus V. *Occidere.*

Proxeneta III. 808.

Proximus. An teneamur defendere vitam etc. proximi V. *Occidere.* V. *Charitas, Odium, Eleemosyna, Cooperatio.* Etc.

Puella V. *Foemina.*

Puer V. *Impubes.*

Pulvis sympaticus III. 20.

Pulvillus an requiratur in altari VI. 395.

Pupillus V. *Tutor.*

Purificatorium debet esse ex lino et an benedictum VI. 389.

Pusillanimitas quid sit V. 67.

Pyromantia quid sit III. 6.

Pyxis an debeat benedici vel consecrari VI. 383. ad 385. Quomodo pyxis exponenda, et an possit extrahi e tabernaculo 424. *v. Hic.*

Q

Quadragesima V. *Ieiunium.*

R

Raptus quid sit, et ad quid teneatur raptor III. 444 Raptus quomodo dirimat matrimonium

V. *Impedimentum*. Raptores mulierum excommunicantur VII. 212.

Recidivus. Quomodo debeat se gerere confessarius cum consuetudinariis et recidivis. An recidivus possit pluries absolvi sine signis extraordinariis VI. 459. Quae sint signa extraordinaria 460. Cur potius differenda absolutio iis qui sunt in occasione extrinseca, et non recidivis ex fragilitate intrinseca 464. An praestet semper differre absolutionem recidivis *ibid*. Quomodo exquirendus numerus in consuetudinario 466. De repetitione confessionum recidivorum 505. V. *Occasio*.

Referentes ad quid teneantur, et quando peccent IV. 227. 228.

Regulares an teneantur ad conferentias casuum conscientiae VI. 628. An approbati in una dioecesi possint in alia confessiones excipere 549. 564. V. *Iurisdictio*. An possint impediri a parocho 574. An possint confiteri aliis quam sui ordinis confessariis 574. 575. An regulares possint absolvere a reservatis ab episcopis 599. *v. Mendicantes* et VII. 98. An a papalibus 96. An a casibus reservatis episcopis a iure vel a consuetudine 99. Quid possint erga suos subditos 101. V. *Reservatio*. Possunt dare viaticum suis familiaribus VI. 722. Item eucharistiam et extremam unctionem suis poenitentibus deficiente parocho *ibid*. A quo episcopo regulares debeant ordinari et examinari 768. Quas poenas alias incurrant *ib*. Debent habere dimissorias suorum praelatorum 788. *v. not.* 8. An possint ordinari extra tempora etc. 797. An possint dispensare in voto castitatis emisso ante matrimonium ad petendum debitum 987. An in impedimento ex incestu 1076. Quid possint circa censuras Vide *Censura*, *Excommunicatio*, *Irregularitas* etc. V. *Religiosus*.

Religiosus. Quid sit status religionis, et qui sint religiosi IV. 1. Qui veniant nomine monachorum VII. 271. Suadens testatori ut relinquat bona suo monasterio etc. an peccet et teneatur ad restitutionem III. 588. Ad quid teneatur abducens aliquem a sua religione 662. An religiosus promotus ad cardinalatum vel episcopatum maneat obstrictus votis IV. 2. An teneatur ad observantiam suae regulae 3. An promotus ad parochiam teneatur ad habitum et regulam 4. Conditiones requisitae ad professionem religiosam 5. 6. 7. Quando professus possit reclamare de nullitate suae professionis 8. De obligatione religiosi tendendi ad perfectionem 9. Quando religiosus peccet graviter contra hanc obligationem 10. Quid si intendat servare sola mandata obligantia sub gravi 11. An praelatus peccet graviter negligendo corrigere leves defectus 13. Ad quid obligetur religiosus ex voto paupertatis. An manuscripta, reliquiae, picturae sint propriae religiosorum 14. An possint religiosi habere peculium 15. Quae non repugnent voto paupertatis 16. An peccet religiosus accipiens vel absumens sine consensu superioris 17. An excuset a mortali licentia praesumpta 18. An peccet contra paupertatem religiosus amittens aut absumens bona in alium usum, quam ei sunt data 19. An possit religiosus donare, remittere debita, renuntiare legata etc. 20. An facere donationes remuneratorias 21. An testari 22. An possit donare quae sibi subtraxit 23. Quae quantitas sit gravis 24. Pauca accipiens usque ad magnam quantitatem 25. An impotens restituere teneatur sibi subtrahere ex datis ad usum 26. Religiosus mutuans res ad usum concessas 27. Abscondens res ne praelatus de iis disponat 28. Quid si praelatus det licentiam ad expendendum ad usus turpes aut vanos 29. 30. Si religiosus, obtenta licentia expendendi aliquam summam, expendat in usibus illicitis III. 873. IV. 31. An superior possit dare licentiam aliquid ludo exponendi 32. An licentia petita et iniuste negata excuset a transgressione voti paupertatis 33. An accipiens aliquid a religioso sine licentia, possit retinere 34. III. 873. An votum paupertatis possit per consuetudinem abrogari IV. 35. De voto castitatis et de clausura 37. De voto obedientiae. An teneatur sub gravi si praelatus non iubet sub obedientia 38. An teneatur ad ea quae indirecte pertinent ad regulam 39. An ad ea quae sunt supra vel contra regulam. An assistere infectis morbo contagioso 40. De transgressione regulae 41. 42. An teneatur religiosus ad nova statuta capitulorum 43. An teneatur obedire praelatis regulam reformantibus 44. An praelati possint praecipere sub peccato actus internos 45. An religiosus non obediendo dupliciter peccet 46. Quid in dubio an res sit licita. Quid si habeat opinionem probabilem quod non teneatur 47. I. 31. 100. An religiosus valide voveat sine licentia praelati IV. 48. An teneatur obedire praelato praecipienti revelare secretum commissum 49. An teneatur ad vota in professione emissa, si superveniat circumstantia non praevisa. An valeat licentia impetrata a praelato inferiori, si a maiori fuerat negata 50. Quibus non liceat religionem ingredi 65. In qua necessitate parentum prohibeatur filiis fieri religiosos 66. Quando filius professus teneatur egredi ad subveniendum parentibus 67. An peccent filii ingredientes religionem, invitis aut insciis parentibus 68. Quando prohibeatur parentibus religionem ingredi ob necessitatem filiorum 69. An liceat relinquere fratres aut sorores in necessitate 70. An debitis gravati possint religionem ingredi. Quid si iam sint professi 71. Voventes religionem quando teneantur aut excusentur ingredi, aut possint egredi. Voventes laxiorem aut strictiorem etc. 72. Quando liceat ad aliam religionem laxiorem aut strictiorem transire 73. An parochi et clerici possint fieri religiosi contradicente episcopo 74. 75. An peccent parentes avertendo filios a religione 77. De vocato ad religionem negligente suam vocationem 78. An eligendi digniores ad praelaturas re-

gulares 100. 101. An religiosi possint ex privilegio celebrare in quocumque altari portatili VI. 560. An regulares possint celebrare in domibus privatis praeter missam in indulto concessam 559. An extra claustra degentes sint subiecti ordinario IV. 67. Ob quas causas possint religiosi expelli 79. Quae possint acquirere eiecti, quae apostatae 80. Ad quid teneantur eiecti 81. Ad quid teneantur praelati erga apostatas vel eiectos 82. Religiosi tenentur singulis mensibus confiteri et communicare VI. 515. *v. Dicunt.* Religiosus laedens castitatem III. 455. De constitutione Tridentini circa renunciationes novitiorum 955. An regulares facti episcopi possint disponere de bonis etc. 492. *in fine.* V. *Regularis.* Negotiatio vetita religiosis V. *Clericus.* Quoad ludum Vide *Ludus.* De simonia pro ingressu ad religionem V. *Simonia.* Quoad privilegia V. *Privilegium.*

Reliquiae. Gestans reliquias et peccans contra castitatem. Eas dans titulo donationis aut pretii meretrici III. 465. An sit mortale furari reliquias 45. 552. Reliquiae si removeantur ab altari VI. 569.

Reservatio. Quid sit reservatio casuum VI. 578. An sit valida facta sine causa 579. An ignorantes reservationem ab ea excusentur 580. 581. An possint reservari venialia. An peccata mere interna. Quid si peccatum fuerit externe leve et interne grave 582. An regulares possint reservare casus et quos. An religiosi exemti, eorum novitii et familiares subiaceant reservationi episcopi 583. Quid si commiserint reservatum ante ingressum *ibid.* Quid agendum confessario quando quis confitetur reservatum 584. Quando simplex confessarius possit absolvere etc. De eo qui habet impedimentum etc. 585. Quid si superior neget facultatem absolvendi 586. A quo possint absolvi peregrini 587. ad 589. Quid si quis discedat a patria in fraudem. Et quomodo intelligendum tò *in fraudem* 589. An quis possit extra dioecesim absolvi a censura ibi non reservata 590. An peccans in aliena dioecesi ubi casus est reservatus incurrat reservationem et excommunicationem 591. An peccans in monasterio exempto vel in aliena dioecesi possit absolvi in patria a simplici sacerdote 592. An episcopi possint absolvere peregrinos a casibus papalibus occultis, et cum eis dispensare in irregularitatibus. An eandem facultatem habeant vicarii capitulares, abbates et alii praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem. An episcopi possint tollere reservationem extra sacramentum. Quid si episcopus inciderit in crimen reservatum 593. An facultas in cap. *Liceat* sit tantum pro casibus ante concilium reservatis. An episcopi possint absolvere a reservatis ab aliis episcopis. An episcopi possint hanc facultatem committere etc. 594. An superior possit absolvere a reservatis et pro aliis mittere ad inferiorem 595. An absolutus ab habente potestatem aut oblitus reservati possit a quocumque absolvi de reservatis 596. 597. An per confessionem inculpabiliter invalidam tollatur reservatio. Quid si fuerit sacrilega 598. Qui possint absolvere a reservatis. An mendicantes possint absolvere a casibus episcopis vel ab episcopis reservatis 599. Utrum in dubio an poenitens incurrerit reservatum possit a quocumque absolvi. Si postea cognoscat peccatum ut certum an sit liber a reservatione 600. An qui peccavit in confidentiam licentiae. An licentia valeat pro peccatis etiam post illam commissis 601. Absolvens a casibus reservatis papae vel episcopis praetextu alicuius privilegii est excommunicatus 602. Absolutus in morte a reservatis an teneatur postea adire superiorem 567. Casus et censurae quae absolvuntur in iubilaeo 537. Quid si sacerdos in necessitate communicandi habeat reservatum et desit habens facultatem. Quid si habeat excommunicationem reservatam 265. Vide *Iubilaeum*, *Censura*, *Absolutio.* Etc.

Residentia. Quinam beneficiarii ad eam teneantur et quomodo IV. 119. Plura de residentia 120. Pastores an teneantur de iure divino 121. De residentia episcoporum. De absentia eis permissa etc. 122. 127. Residentia parochorum 125. III. 557. An parochi et episcopi teneantur residere et ministrare sacramenta 558. 560. VI. 235. Locus residentiae pontificis, cardinalium, episcoporum, parochorum IV. 124. Causae excusantes a residentia 125. An excusentur a residentia parochi docentes aut studentes 152. Non residentes quando teneantur restituere fructus 126. 127. Quid si resideant inutiliter 127. *dub.* 3. Quibus restituendi fructus. An beneficiarius pauper possit sibi applicare restitutionem 128. De residentia canonicorum 129. An non residentes amittant distributiones et praebendas *ibid.*

Restitutio. Quid sit restitutio et an debeatur tantum ex laesione iustitiae commutativae III. 547. Radices restitutionis 548. Quae sit culpa theologica, quae iuridica, ex qua oriatur obligatio restitutionis 549. 550. Quid si quis leviter laedat animo graviter nocendi 551. An ex levi furto oriatur aliquando gravis obligatio restituendi 553. An ad restitutionem in contractibus requiratur culpa theologica 554. V. *Contractus.* An in officiis 555. An teneatur ad restitutionem inferens iniuriam damnosam 556. An cooperans 557. An mandans 558. An consulens, praebens consilium et postea revocans 559. Executo consilio, quis primo teneatur 560. Quid si damnum etiam sine consilio evenisset 561. In dubio an consilium fuerit causa damni 562. Quid si tantum suadeas modum 563. Suadens damnum ex ignorantia 564. An possit suaderi minus damnum 565. De dante iniquum suffragium. In dubio an influxerit 566. De palpo 567. De praebente recursum 568. De emptore rei furtivae 569. 570. De emptore malae fidei 570. An teneatur ad restitutionem participans. Quid si ob metum 571. Impediens alium ne reparet damnum alterius 572. Quomodo teneantur causae privativae 573. Alii casus 574. ad 578. Qui teneantur restituere

in solidum. Rudes raro obligandi ad restituendum in solidum 579. Mandans tenetur primo restituere 580. Qui teneantur deinde *ib.* Si damnificatus condonet restitutionem 581. Impediens aliquem a consecutione boni sine vi vel fraude an teneatur restituere 582. Impediens mendaciis ne fisco applicentur bona propter gabellam non solutam an teneatur ad restitutionem 583. IV. 237. An impediens ex odio a consecutione boni III. 584. An impediens vi, fraude etc. aut precibus aut metu 587. Cui restituendum si creditor sit incertus 589. An tradita re pauperibus sit restituenda domino comparenti 590. De compositione in debitis incertis 591. ad 594. De restitutione ob furta minuta 595. An bona certa sint restituenda domino vel possessori 596. An fur teneatur rem mittere domino cum magno damno 597. 598. An fur mittens restitutionem per virum fidelem teneatur rursus restituere si hic non reddat 704. Quid si acceperis a possessore bonae fidei rem non suam 599. An revendens rem emptam bona fide teneatur pretium restituere emtori 601. Cui restituendi thesauri et alia derelicta 602. 603. Ad quid teneatur possessor bonae fidei 607. Quid si accepit a fure qui potens sit ad restituendum 608. Alii casus 609. Quos fructus tenetur restituere possessor bonae fidei 610. Quid si acceperit rem commixtam cum bonis furis 611. 612. Si quis proiiciat in mare gemmam quam putabat valere decem aureis, si illa valebat centum 613. Ad quid teneatur possessor malae fidei 614. V. *Gabella.* An dominus possit sibi retinere expensas utiles factas a fure. An fur teneatur ad omnia damna saltem confuse praevisa 618. Quid si apud furem pereat res quae aeque periisset apud dominum 620. Quid si quis occidat agnum alterius qui postea pluris valuisset. Et quid si consumat tempore maioris pretii agnum quem dominus tempore vilioris erat consumpturus 621. Fingens se pauperem an teneatur ad restitutionem 622. An teneatur qui consumit rem alienam commodatam etc. in extrema necessitate 623. 624. Ad quid teneatur emens rem alienam cum dubio an sit venditoris 625. An impotens restituere in uno genere teneatur in alio 627. 660. Quid si quis incenderit domum Titii putans esse Caii. Idem de fure 629. De restitutione pro vita, membro, etc. pro expensis funeris etc. et quibus facienda. Alii casus 631. Ad quid teneatur qui alium induxit ad peccandum 661. An absolvendus qui non vult restituere secundum opinionem probabilem confessarii 669. Quando et ubi facienda restitutio 676. An sumtibus furis 677. De differente restitutionem 679. Ad quid tenetur debitor si ex dilatione creditor patitur damnum 680. An absolvendus qui vult differre restitutionem 681. An absolvi possit debitor antequam restituat. An confessarius debeat monere de restitutione poenitentem in bona fide 682. Quot peccata committat negligens restituere 683. Cui facienda restitutio si res extet 684. An pretium rei venditae possit solvi creditori venditoris 685. An pecunia furtiva immixta propriae sit restituenda ante alia debita 686. An prius restituenda debita certa quam incerta 687. An prius debita ex delicto quam ex contractu 688. Quae alia debita prius solvenda 689. An creditores hypothecarii. An creditores personales anteriores 690. An praeferri possit creditor personalis pauperior 691. An prius exigens 692. Quae excusent a restitutione a parte debitoris 696. ad 699. Quae excusent a parte creditoris. An debitor donans immemor debiti excusetur a restitutione 700. Quid si debitor deberet restituendo se coniicere in necessitatem extremam aut gravem 701. 702. Quid si creditor sit in eadem necessitate 703. An differens restitutionem ex iusta causa teneatur reddere interesse quod patitur creditor 704. An haeres rei capite damnati teneatur ad damna 705. An possessor bonae fidei in dubio an factus sit ditior teneatur restituere 706. Quando depositarius teneatur ad restitutionem 748. 749. 751. Quando is cui res est commodata, locata, pignorata 749. 751. Dubitans de debito aut de solutione I. 54. 55. De compositione in restitutionibus incertis. *Vide append. de privilegiis post lib.* I. n. 69. Ad quid teneatur confessarius si deobligavit a restitutione VI. 621. In furtis incertis s. poenitentiaria potest remittere partem VII. 470. V. *Stuprum*, *Adulterium*, *Fur* etc. Quid restituendum pro officio aut beneficio Vide *Horae*, *Beneficium*. Pro fama V. *Detractio*. Etc.

Reus. Quibus modis procedi possit contra reos IV. 197. Quid respondere possit reus non legitime interrogatus 272. Quando non teneatur crimen fateri 273. An teneatur fateri cum timore magnae poenae 274. III. 156. An peccet graviter reus qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit 983. IV. 275. Quando teneatur suam confessionem revocare 276. An ad se tuendum possit revelare occulta crimina testium aut accusatoris. Quid si eis imponat falsa crimina III. 982. IV. 277. An reus teneatur revelare complices 278. An liceat reo vim vi repellere et positive resistere 279. An possit fugere e carcere 280. An reus damnatus ad mortem teneatur fugere 281. An ei liceat decipere custodes et effringere carcerem 282. An liceat aliis reum ad id adiuvare 283. An damnatus ut fame pereat teneatur sumere cibum oblatum 284. An et quando liceat reo appellare 285. Quomodo confessario agendum cum reo 286. ad 290. An haeres rei capite damnati teneatur ad damna III. 705. V. *Occidere*, *Iuramentum*, *Iudex.*

Rex V. *Bellum.*

Rituale. Quomodo obliget VI. 285. *dub.* 4.

Rubricae V. *Missa.*

Rustici iurantes falsum III. 150. De testamentis rusticorum 925. Rustici omittentes confiteri speciem et numerum VI. 504.

S

Sacerdos. Qui veniat nomine proprii sacerdotis VI. 364. VII. 70. 92. An teneatur se habilem reddere ad confessiones excipiendas VI. 623. Ad quid teneatur vi obedientiae praestitae episcopo. An eo contradicente possit fieri religiosus 828. Gestans aut conficiens eucharistiam in mortali V. *Eucharistia.* An sacerdos dives possit accipere stipendium missae V. *Stipendium.* Etc.

Sacramentum. An in sacramentis conferendis liceat uti opinione probabili VI. 57. I. 48. ad 50. An in necessitate liceat uti opinione tenuiter probabili VI. 103. 482. *circa fin.* An possint suscipi sacramenta cum opinione probabili I. 51. Quomodo definiatur sacramentum. Quae requirantur ad essentiam sacramenti VI. 1. 2. An fuerint vera sacramenta sacrificia, figurae et sacramenta veteris legis 3. 4. Quae alia excludantur a ratione sacramenti 5. Notanda circa sacramenta. Quotupliciter distinguantur 6. Quam gratiam conferant. An physice vel moraliter. Quomodo ex *opere operato*, et ex *opere operantis* 6. 7. Quotupliciter sumatur sacramentum 8. Quae coniunctio requiratur inter materiam et formam sacramentorum 9. 10. Quae mutatio invalidet sacramentum. Plures casus 11. An materiae et formae sacramentorum sint a Christo in specie determinatae 12.

— De ministro sacramentorum. Ad valorem sacramenti requiritur in ministro potestas et intentio 13. Utrum etiam requiratur attentio 14. Quotupliciter possit esse intentio 15. An sufficiat intentio *habitualis* aut *interpretativa* 16. An requiratur *actualis* 17. An sufficiat virtualis 18. An intentio coacta vel cum errore circa personam suscipientis 19. Ad validitatem sacramentorum quae requiratur intentio in ministro 20. ad 24. Plures casus 25. De sacramento collato sub conditione 26. 27. 28. An in extrema necessitate possit ministrari sacramentum quando materia est dubia 29. Quid requiratur in ministro ad licite ministrandum 30. De statu gratiae requisito in ministris sacramentorum ad id ordinatis 31. Quid in aliis ministris ad id non ordinatis 32. Ministrans in mortali in necessitate, aut in nosocomiis, et de obstetricibus, et maxime de parochis etc. ministrantibus in necessitate 33. An conferens sacramenta teneatur praemittere confessionem si sit in mortali 34. De statu gratiae requisito in exercentibus alias functiones sacras 37. De diacono et subdiacono ministrante altari in mortali 38. Quid aliud requiratur in ministro. De ministro utente materia vel forma dubia, corruptam proferente formam, omittente caeremonias 42. An sacramenta sint deneganda indignis. An sit sacrilegium iis ministrare 43. An neganda peccatori publico 44. Quid si peccatum sit notum tantum aliquibus 45. Quid si notum sit in alio loco 46. Quid in dubio de crimine aut de poenitentia 48. An ob metum mortis possit dari sacramentum indigno 49. An negandum peccatori occulto publice aut occulte petenti 50. An possit negari sacramentum ob crimen auditum in confessione 51. An et quando ministri teneantur ministrare sacramenta 58. An liceat simulare administrationem sacramenti 59. An liceat simulare susceptionem 60. De dispositione requisita in suscipiente sacramentum. Resolutiones casuum 78. An solus homo viator sit capax sacramentorum. An soli baptizati 79. Quae intentio requiratur in adultis. Quid de dormientibus, ebriis, lapsis in amentiam 81. An sufficiat voluntas interpretativa 82. Nulla requiritur intentio in pueris et perpetuo amentibus quoad baptismum, confirmationem et ordinem 80. Ad suscipiendum licite et cum fructu quid requiratur in suscipiente sacramenta *mortuorum*, quid *vivorum* 83. An magis dispositi maiorem fructum recipiant 85. De suscipiente sacramentum cum peccato 86. An omnia sacramenta causent gratiam remoto peccato 87. An liceat petere sacramenta a ministro indigno 88. VII. 165. V. *Excommunicatio.* An a peccatore VI. 89.

Sacramentalia Quid sint VI. 90. Episcopus aut sacerdos in mortali sacramentalia exercens 30. *v.* 7. An sacramentalia vim habeant ex opere operato 91. Quomodo per ea remittantur peccata 92. Notanda 93. De usu agnorum Dei, aquae benedictae etc. 94.

Sacrificia antiquae legis etc. VI. 3. 4.

Sacrilegium. Quid sit et quotuplex III. 33. Quales species explicandae 34. 48. Quae sint sacrilegia personalia, quae localia 35. 36. An in ecclesia vetentur mercatus etc. 37. An sit sacrilegium extrahere hominem ab ecclesia 38. An omne furtum in ecclesia aut sacristia sit sacrilegium 39. Quae sacrilegia realia 40. An liceat vasa et vestes sacras convertere in usum profanum 41. An sit sacrilegium laedere bona ecclesiasticorum, detinere legata pia, decimas non solvere 42. An mentaliter peccare in ecclesia, omittere sacramenta tempore debito 43. An censurae contra sacrilegos incurrantur ipso facto 44. An sit sacrilegium furari reliquias 45. An peccare die festo 46. An violare vota 47. Alia 48. Quomodo committatur sacrilegium per peccatum turpe 454. An sacerdos simul religiosus laedens castitatem committat duo sacrilegia 455. An copulans cum alia persona sacrata 456. An verba et aspectus lascivi in ecclesia sint sacrilegia 461. An cogitationes turpes 462. Quando committatur sacrilegium circa res sacras 463. An sit sacrilegium peccatum carnale in diebus festis. Gestans eucharistiam etc. et laedens castitatem 463. An habens votum castitatis committat sacrilegium, si inducat alterum ad turpia. Quid si morose delectetur de peccato alterius, vel alium polluat 457. An sit sacrilegium copula occulta vel maritalis in ecclesia 458. An sint sacrilegia tactus impudici in ecclesia 459. Quis locus dicatur sacer 460. An sit sacrilegium mi-

nistrare sacramenta indignis VI. 43. Sacrilegium quando committatur circa confessionem 497. Quot sacrilegia committat celebrans in mortali 33. *v. Hinc.* Quid in die natalis Domini V. 44.

Saga V. *Striges.*

Salvatores vocati III. 18.

Sanguis. An liceat potus sanguinis V. 73. V. *Eucharistia.*

Sartor. De sartoribus vilius pannum ementibus III. 826. Sartor quando peccet IV. 292.

Satisfactio. Quomodo satisfactio in sacramento poenitentiae sit necessaria, et an sit venialis eius omissio in culpis venialibus VI. 506. Quibus casibus possit imponi levis poenitentia. De verbis *Quidquid boni* etc. 507. Quando licite imponatur poenitentia minor iusto. Quanta debeat esse iuxta Trid. 508. ad 510. An possit iniungi ingressus religionis, aut matrimonium 511. De poenitentia publica 512. An possit imponi opus alias debitum. An poenitentia mox ante imposita 513. An opus internum. An opus pro defunctis. An cessatio ab aliquo bono opere. An possit imponi post absolutionem. Quae iniungenda avaris, luxuriosis 514. Sub qua obligatione teneatur poenitens implere et acceptare poenitentiam 515. Quid si sit iusta. Quid si gravior iusto 516. Quid si sit imposita pro venialibus aut mortalibus confessis 517. An pro culpis gravibus possit imponi poenitentia gravis sub obligatione levi 518. An tempore iubilaei vel indulg. plenariae possit omitti impositio poenitentiae 519. Quid si poenitens sit oblitus poenitentiae 520. Implens in mortali. Quae dilatio in implenda sit mortalis 521. An existens in mortali possit satisfacere poenitentiae impositae 522. An peccet 523. Poenitentia sub conditione *Si relabatur* 524. An transacto tempore praescripto desinat obligatio implendi 525. An possit impleri per alium 526. An sit implenda ante communionem 527. De commutatione poenitentiae 528. 529. Principaliores canones poenitentiales 530. De satisfactione per indulgentias V. *Indulgentia*, *Iubilaeum.* De satisfactione pro honore ablato V. *Detractio.* Etc.

Scandalum. Quale activum et passivum etc. II. 43. 44. Quando sit speciale peccatum 45. Inductio ad peccandum an confitenda 46. An sit peccatum scandali petere aliquid ab alio, quod ipse non praestabit sine peccato 47. Quando scandalum passivum permitti possit 48. An teneamur omittere bona spiritualia ad vitandum scandalum 50. An omittere praecepta 51. An dimittere bona temporalia. Alii casus 52. De obscoena componentibus pingentibus etc. 56. Qui suadet minus malum 57. An possit permitti ruina proximi 58. Praebens scandalum ad quid teneatur III. 661. V. *Foemina*, *Cooperatio.*

Scholares a quo absolvendi VI. 569.

Scrupulosus etc. Quid sit scrupulus. Signa conscientiae scrupulosae I. 11. Eius remedia et praesertim obedientiae. Doctrinae valde utiles pro scrupulosis 12. Quomodo agendum confessario. De periculo scrupulosi qui non obedit 13. De regulis generalibus assignandis 14. Quomodo confessarius se gerere debeat cum scrupolosis qui timent assentiri cuilibet pravae cogitationi 15. Quomodo cum iis qui semper dubitant de confessionibus praeteritis 16. Quomodo cum iis qui semper peccare formidant 17. Quid de iis qui operantur cum actuali timore 18. Scrupulosi non peccant scrupulos vincendo quin illos prius deponant 19. Scrupulosus non est permittendus confiteri peccata dubia VI. 476. Quando modica poenitentia ei imponenda 507.

Secretarius quando peccet IV. 229.

Secretum. De violante secretum V. 70. V. *Detractio.* Quoad confessionem V. *Sigillum.*

Semen V. *Debitum*, *Pollutio.* Etc.

Sententia iniusta an obliget in conscientia IV. 215. V. *Iudex.* Quoad censuras V. *Censura.* Etc.

Servilia opera V. *Festum.*

Sigillum confessionis. An in hac materia liceat uti opinione probabili VI. 633. Quomodo servandum sigillum 634. Quid si nequeat explicari peccatum sine violatione sigilli 487. Quot peccata committat violans 635. An sit obligatio ex confessione ficta, aut secreto commisso extra confessionem 636. Quid si poenitens discesserit indispositus. Quid in dubio an dixerit aliquid intra vel in ordine ad confessionem 637. Quid si confessarius sciat peccatum ex confessione complicis aut alterius, et poenitens neget 630. 631. Quando non frangatur sigillum 638. Quae cadant sub sigillo 640. 641. An cadant defectus naturales poenitentis 642. ad 644. Qui teneantur ad sigillum 645. Quomodo debeat confessarius respondere si interrogetur an audierit vel absolverit aliquod peccatum 646. Quinam teneantur ad sigillum 647. De consulto a confessario 648. 649. An audiens confessionem furtive etc. 647. An legens 650. De licentia data ad loquendum 651. An confessarius possit loqui de peccatis cum poenitente statim post absolutionem etc. 652. An intra confessionem, de auditis in alia 653. An frangatur sigillum dicendo se audivisse in aliquo loco tale peccatum. An manifestans peccata alicuius loci. Quid si dicat peccatum religiosi alicuius conventus 654. An liceat uti notitia confessionis ad externam gubernationem etc. Plures casus 655. ad 660. An possit negari sacramentum ob crimen auditum in confessione 51. An possit confessarius loqui cum poenitente de defectu commisso in confessione 622. Confessarius non tenetur cavere quascumque leves suspiciones aliorum 661. V. *Complex.*

Simonia quid sit et quotuplex III. 49. An detur parvitas materiae 50. Quando sit simonia dare temporale pro spirituali 51. Dans beneficium alicui ut se sustentet etc. 52. Deducens in

pactum obligationem antidoralem 53. Dans spirituale principaliter ob temporale 54. Accipiens aliquid pro administratione sacramentorum 55. Quid intelligatur per *munus a manu* 56. Dans mutuum ob spirituale 57. Solvens pensionem ob beneficium 58. Dans aliquid ut alter praestet quid spirituale pro se ipso accipiente 59. Dans beneficium aut resignans etc. cum onere spirituali 60. *Munus ab obsequio* 61. Inserviens ob beneficium 62. *Munus a lingua* 63. Dans aliquid mediatori ut obtineat beneficium 64. 65. Promittens dare eleemosynam monasterio ut obtineat beneficium 66. Simonia *mentalis*, *conventionalis*, *realis* 67. Quae sit iuris divini, quae humani 68. 69. 70. Quonam iure simonia sit vendere beneficia 69. 70. An liceat locare decimas, fructus beneficii, calicem etc. 70. Vendens ius patronatus, ius sepulturae 71. An possint permutari beneficia. An episcopi possint constituere pensiones 72. ad 76. An possit permutari beneficium cum pensione 73. Quomodo in beneficiis liceat transigere 77. ad 80. De renuntiatione beneficiorum 81. ad 84. Simonia confidentialis et eius poenae 85. ad 90. Quomodo fiat simonia pro ingressu ad religionem 91. An liceat aliquid accipere pro sustentatione 92. An pro catechizando etc. 93. An pro instruendo, absolvendo etc. 94. 95. An pro danda dispensatione in matrimonio 96. Dans aliquid ut alter omittat rem spiritualem 97. Dans ad redimendam vexationem 98. ad 102. An possis dare ne alter eligat indignum vel ut eligat dignum 103. An ut non concurrat tecum ad beneficium. Alia 104. Quae simonia inducat poenas. An incurrantur poenae in venditione sacramentorum, capellaniae etc. 105. Quid requiratur ad incurrendas poenas 106. An incurrat obtinens beneficium per fictam promissionem pecuniae 107. An incurrantur poenae per simoniam de iure ecclesiastico. An ob ingressum in religionem 108. Poenae ob simoniacam ordinationem 109. An incurrantur ob collationem primae tonsurae 110. Poenae ob simoniam in beneficiis 111. An incurrantur ob venditionem vicariatus, pensionis etc. 112. An sint nullae electiones simoniacae ad praelaturas regularium. An poenae ob beneficia simoniace accepta incurrantur ab ignorantibus. An beneficiarius simoniacus privetur beneficiis obtentis et fiat inhabilis ad alia obtinenda. An electio pontificis simoniaca sit nulla 112. De restitutione ob simoniace acceptum 113. 114. Cui restituendum 115. 116. Qui possint dispensare in praedictis poenis 117. ad 120.

Simulatio an aliquando sit licita III. 171. Simulare sanctitatem aut improbitatem V. 67.

Societas V. *Contractus.*

Sodomia. De sodomia perfecta et imperfecta III. 466. An in sodomia explicandum si quis fuerit agens an patiens 468. An sodomia inter coniunctos addat speciem incestus. Quid explicandum in confessione circa sodomiam 469. Poenae sodomitarum praesertim pro clericis 470. 471. 472. An sit adulterium copula sodomitica inter coniuges 446.

Solemnitates. Quid si deficiant in contractibus V. *Contractus.* Testamentum sine solemnitatibus V. *Testamentum.* Etc.

Sollicitatio. Bulla contra sollicitantes VI. 675. Perpenduntur clausulae. *In actuali confessione* 676. *Immediate ante vel post* 677. *Occasione vel praetextu confessionis* 678. 679. *In confessionario aut in loco quocumque..... simulantes ibidem confessiones audire.* Quid si non adsit simulatio confessionis 680. An denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti 681. An confessarius qui sollicitatus ad copulam divertit ad tactus 682. An confessarius sollicitans ad actus venialiter inhonestos 683. An sollicitans ad non turpia 684. An denuntiandi episcopi sollicitantes 685. An denuntiandus confessarius sollicitans si sit emendatus 686. An qui de sollicitatione iam convictus est et punitus. An qui consentit mulieri sollicitanti ne ab ea accusetur. An simulans confessionem ex condicto ad tractanda inhonesta 687. An denuntiandus sollicitans in confessione, simulans se confessarium. Quid si sit sacerdos carens iurisdictione 688. An denuntiandus poenitens sollicitans confessarium 689. An denuntiandus interpres sollicitans poenitentem 690. An confessarius sollicitans mulierem ut inducat aliam ad secum peccandum, vel ut ipsa peccet cum alio 691. An confessarius sollicitans, postquam decesserit 692. An possit absolvi mulier sollicitata antequam denuntiet. Et an facta denuntiatione possit quivis confessarius absolvere ab excommunicatione ob denuntiationem neglectam. Accusans iniuste de sollicitatione incurrit casum papalem 693. An confessarius teneatur monere de obligatione denuntiandi 694. An teneatur denuntiare qui nequit probare denuntiationem, et qui aliunde denuntiationem sciunt 695. An sit obligatio denuntiandi sollicitantes si crimen sit occultum 696. An si sollicitatio fuerit habita a longo tempore 697. An teneatur ad denuntiationem qui scit sollicitationem sub secreto 698. An sit obligatio denuntiandi per epistolam etc. An confessarius teneatur aliquando denuntiationem excipere vel deferre 699. An teneatur denuntiare mulier sollicitationi consentiens 700. An sit obligatio denuntiandi si speretur sollicitans per correptionem emendandus 701. An denuntiandus confessarius in dubio an vere sollicitaverit 702. 703. Expenduntur varii casus peculiares 704. De poenis sollicitantium. An episcopi possint dispensare 705.

Sortes divinatoriae an liceant III. 10. 11.

Sortilegium quid sit III. 6. *in fine.*

Species. Radices diversitatis specierum V. *Peccatum.* De specie eucharistiae V. *Eucharistia.* Etc.

Specificatione acquiritur dominium III. 496.

Spes. Quoties teneamur elicere actus spei II

6. Quid intelligatur per spem. De praecepto spei 20. Est mortalis sperare sive amare magis terrena quam coelestia, aut desperare de consequendo Deo, aut praesumere de misericordia Dei *ibid.* Definitio spei. Obiectum materiale et formale spei 21. De eo qui vult perseverare in peccato usque ad mortem, sperans quod eum poenitebit etc. *ibid.*

Sponsalia. Ut promissio sponsalitia sit valida debet esse *voluntaria* et *deliberata* VI. 831. Ficte promittens sponsalia alteri repromittenti 832. 847. Volens promittere, sed non se obligare 833. Quando obligentur pueri 834. Sponsalia per dolum 835. Promissio debet esse *mutua.* An acceptans sponsalia intelligatur repromittere 836. An quis possit se obligare vi gratuitae promissionis 837. Promissio debet esse *expressa signo.* Quid si parentes contrahant pro filiis tacentibus 838. Quid si extranei. An sufficiat si parentes contrahant pro filiis absentibus 839. Sponsalia debent fieri inter habiles. Quid si verba vel signa sint dubia 840. Verba de praesenti apta ad matrimonium inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in matrimonio clandestino 841. An sufficiat ad sponsalia dicere: *Non ducam aliam quam te* 842. An dicere: *Contraham si papa dispensaverit.* An sufficiat subarrhatio annuli et missio munerum. Quid si parentes annulum mittant 843. De sponsalibus contractis per metum 844. An sponsalia obligent sub gravi 845. An iudex possit et debeat cogere nolentes ad matrimonium 846. Qui cum duabus sponsalia contraxit si cum secunda coiverit, quam ducere debeat 848. De filiis nuptias contrahentibus insciis parentibus 849. An notabilis disparitas irritet sponsalia 851. De resilientibus a sponsalibus 852. 853. Quomodo dissolvantur sponsalia *Per matrimonium cum alia. Per mutuum consensum.* Quid si sponsalia sint iurata 855. Quomodo solvantur inter impuberes 856. *Per impedimentum dirimens* 857. 858. An sponsalia cum impedimento contracta sub conditione dispensationis, ea obtenta, valeant 859. *Per crimen alterius.* An per fornicationem 860. 861. Quid si uterque fornicetur 862. *Per mutationem notabilem* 863. An sponsis liceat contrahere cum defectu occulto 864. 865. *Per discessum alterius* 866. *Per lapsum temporis praefixi* 867. 868. *Per susceptionem ordinis sacri et ingressum in religionem* 869. 870. 871. 872. *Per votum castitatis* 869. 873. 874. Rursus agitur de matrimonio cum alia 875. De haereditate superveniente. De coniugio notabiliter meliori 876. De dissensu parentum 877. An ad solvenda sponsalia requiratur auctoritas iudicis. Quae probatio requiratur in foro externo, et in interno 878. V. *Impedimentum.*

Sponsio quid sit, et an liceat III. 869. An liceat spondere circa peccatum 870. Quid si unus spondeat maiorem summam quam alter 878. Si unus rem certo sciat et manifestet 879

Sponsus. An liceant tactus etc. inter sponsos III. 431. VI. 854. An sit adulterium copula cum desponsata III. 447. An fornicatio sponsi vel sponsae differat specie VI. 847. V. *Sponsalia*, *Matrimonium.* Etc. Sponsus se delectans de copula futura V. 23. 24.

Spurius V. *Illegitimus.*

Stipendium. Celebrans missam, administrans sacramenta, concionans etc. pro stipendio III. 55. An peccet graviter celebrans principaliter pro stipendio VI. 317. De obligatione dicendi tempore debito missas pro accepto stipendio 315. De origine stipendii. Missae *bifaciatae et trifaciatae* 316. An sacerdos dives possit accipere stipendium. Omittens missam promissam pro parvo stipendio. De dilatione celebrationis etc. Missae quae traduntur celebrandae communitati quandiu possint differri 317. An liceat accipere stipendium pro applicatione fructus specialissimi. An accipere plura stipendia pro una missa 318. A quo et quomodo taxandum stipendium 319. An regulares teneantur servare taxam episcopi. An episcopus possit prohibere ne accipiatur stipendium maius aut minus taxa. Qui accepit minus an possit minuere missas. An liceat pacisci de stipendio. Quomodo taxandum stipendium missarum quas reliquit testator 320. An liceat celebrare per alium retenta parte stipendii 321. An retinens teneatur ad restitutionem. Quid de executore. De colligente eleemosynas. An possint commutari missae maioris, cum missis minoris stipendii. De administratore ecclesiae 322. An beneficiati etiam curati possint pro missis accipere stipendium 323 et seq. De missis votivis sub stipendio 327. et seq. An in die defunctorum possit accipi stipendium 338. An neo-presbyter possit accipere stipendium pro prima missa 829. Missae sunt celebrandae per sacerdotes ecclesiae cui traditum fuit stipendium 424. *v.* 4. De obligatione beneficiariorum celebrandi V. *Celebrare*, *Applicatio.*

Stola. An requiratur in sacerdote qui communicat more laici VI. 276. An peccet ministrans eucharistiam sine stola 241.

Stratum non permittitur nisi personis regalibus VII. 340.

Striges. Quid de strigibus III. 26.

Stuprum. Quid sit, et an sit speciale peccatum III. 443. Ad quid teneatur stuprator si vi corruperit 640. Si virgo consenserit 641. Ad quid si non promisit matrimonium. Si vi, minis aut fraudibus violet 641. Ad quid si matrimonium vere aut ficte promiserit 642. *v. Quaeritur* 1. et 643. An teneatur ducere cum dedecore familiae, aut si timeantur rixae, scandala, malus exitus etc. 644. Quid si vir extorqueat solos tactus 645. Quid si foemina iam sit corrupta 646. Quid si non stet per virum quominus matrimonium fiat 647 Si virgo violata renuat nubere, an teneatur dotare 648. An habens votum casti-

tatis teneatur ducere violatam 649. Vir violans consanguineam 650. Quid si ficte promisit cum pacto impetrandae dispensationis *ibid.*

Suadere minus malum ad maius vitandum II. 57. Suadens damnum V. *Restitutio.*

Subdiaconatus an sit sacramentum VI. 756. 757. Materia et forma *ibid.* An possit conferri a simplici sacerdote vel abbate. A quo tempore fuit sacer 762. An possit suscipi simul cum minoribus 797. Ad qualem partem officii teneatur subdiaconus in die ordinationis IV. 140.

Subditus. Qui veniant nomine subditorum VII. 79. An vota subditorum valeant V. *Votum.*

Subreptio et obreptio quid sit I. 185.

Superbia et eius filiae V. 65.

Superior. Quid teneatur praestare subditis III. 342. V. *Praelatus.* Audiens detractionem V. *Detractio.* An possit irritare vota V. *Votum.* Etc.

Superstitio. Quid et quotuplex III. 1. 2. De superstitione falsi cultus 3. Cultus superflui 4. An denunciandi superstitiosi IV. 255.

Surdus an sit irregularis VII. 405. An satisfaciat recitando officium in choro V. *Horae.* Etc.

Suspensio. Quid sit, et quis possit suspendi aut suspendere VII. 312. An ob peccatum veniale incurratur levis suspensio 30. An ad incurrendum requiratur scire crimen esse vetitum etiam ab ecclesia 44. An liceat communicare in divinis cum suspenso et interdicto vitando 140. An peccet graviter exercens actum a quo est suspensus 313. An incurrat irregularitatem si suspensio sit facta ad tempus. An episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem pontificalia exercendo. Quid si missam solemniter celebret. An sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat. Quid si sit toleratus vel suspensus tantum ab ordine 314. Quot modis possit ferri suspensio 315. Qualitas suspensionis ex quo colligatur. An suspensus a beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus. An censeatur etiam suspensus a beneficiis quae possidet in aliena dioecesi 316. An suspensa communitate sint singuli suspensi, et an isti incurrant irregularitatem. An suspensio debeat ferri in scriptis 317. Quae sint suspensiones iuris communiores clericorum 318. Quae religiosorum 319. Quae episcoporum 320. An quis possit suspendi ob culpam levem 321. Quis possit absolvere a suspensione 322. Suspensio imposita an inducat mortale I. 146.

Suspicio V. *Iudicium.*

Sutor. Quando peccet IV. 292. *v.* 4.

Symbolum apostolorum sciendum II. 2.

T

Tabacum per nares an impediat a communione VI. 280. An fumus tabaci. Folia tabaci vel aromata dentibus attrita *ibid. dub.* 2. *et* 3.

Tactus impudici an inducant incestum III. 453. Tactus impudici in ecclesia 459. An liceat laicis tangere vasa sacra VI. 382. Tactus inter coniuges V. *Coniux.* V. *Luxuria.* Etc.

Tentatio Dei quid sit III. 29. An detur parvitas materiae. Quae sit tentatio interpretativa. Casus 30. Petens a Deo miraculum 31. Se offerens ad martyrium. Respuens medicinas 32.

Testamentum. Quid sit III. 919. Quotuplex sit testamentum 920. Ex quibus capitibus testamentum sit nullum 921. Quid si desint solemnitates et sit testamentum ad pias causas 922. Quid si sit ad pias causas, et constet haeredi voluntas testatoris 923. Quid si non constet: an teneatur credere uni testi 924. An testamentum nullum valeat quoad legata pia 925. De testamentis rusticorum 925. De testamentis tempore pestis 926. An testamentum sine solemnitatibus obliget in conscientia 927. Alii casus 928. De testamentis clericorum, novitiorum, militum 929. De commutatione ultimarum voluntatum 931. Qui possint testari 942. Quando testamenta infirmentur 950. V. *Haeres*, *Legatum.* De collatione facienda inter fratres V. *Frater.*

Testiculos abscindens an fiat irregularis VII. 380. 417. 418.

Testis etc. Quomodo debeant esse et testificari testes ad probandum IV. 255. 260. Qui testes reiiciantur 256. In quibus casibus sufficiat dictum unius testis 257. Quid si unus testis deponat de una propositione haeretica, et alius de altera 258. An semper sufficiant duo testes 259. An laici repellantur a testificando contra clericos. Quid e converso 261. An testes inepti faciant indicium 262. An religiosi probent in causa sui monasterii 263. An et quando quis testari teneatur 264. An testis teneatur fateri veritatem iudici non legitime interroganti 265. Quando iudex legitime interroget 266. An testis teneatur manifestare crimen, si accusator unicum testem afferat 267. Quando non tenearis manifestare iudici etiam legitime interroganti 268. Ad quid teneatur falsum testatus 269. Quando peccent testes 270. Quomodo facienda depositio testium 271. An peccet et teneatur ad restitutionem testis qui se abscondit ne citetur, aut fugit citatus, aut legitime interrogatus a iudice veritatem occultat 270. Testes voluntarii et accusatores in causa mortis fiunt irregulares VII. 468. V. *Accusare*, *Reus*, *Iudex.*

Thesaurus inventus ad quem spectet III. 602.

Titulus ad praescribendum V. *Praescriptio.* Quoad ordinationem V. *Ordinandus.* Etc.

Tonsura. An praerequirat confirmationem VI. 185. An tonsura sit verus ordo VI. 754. An possit conferri extra dioecesim 756. An possit conferri quolibet die 794. An abbates possint eam conferre subditis non religiosis 765. V. *Ordinandus*, *Clericus.*

Tormenta V. *Reus.*

Tortura V. *Iudex.*

Trebellianica. Quid sit III. 691.

Tributum V. *Gabella.*

Tutor. Ad quid teneatur III. 341. Quibus detur tutor, quibus curator 917. Ad quae tenean-

tur tutores et curatores. An pupilli et minores possint se obligare sine consensu tutorum etc. 918.

U

Usura. Quando committatur usura III. 758. An sit mala de iure naturae 759. De usura mentali. Quando ex ea oriatur obligatio restitutionis 761. An usurarius acquirat dominium lucri usurarii 783. Quid de fructibus acquisitis per usuras 784. Praebens consilium aut pecuniam usurario 785. Deponens pecuniam apud abusurum ad usuras 786. Principes, iudices etc. cooperantes ut solvantur usurae 787. An liceat creditori mutuantis exigere usuras 788. An peccent famuli cooperantes dominis usurariis 789. Quomodo haeredes usurarii teneantur ad restitutionem. An liceat petere mutuum ab usurario 790. Plures casus 791. Quae obligatio et poena usurariorum 792. An committant usuram ministri regum etc. qui ut anticipent solutionem aliquid exigunt. An qui accipit a debitore, concessa dilatione 830. Quid in dubio an contractus sit an non usurarius I. 74. V. *Mutuum. Vide responsa plura s. poenitentiariae pag.* 619. 620. *tomi I.*

Usus matrimonii V. *Debitum coniugale.*

Ususfructus. Quid sit III. 487.

Uxor V. *Coniux.*

V

Vagus V. *Peregrinus.*

Vanagloria. Quid sit V. 66.

Venatio. Quae sit vetita clericis et religiosis III. 606. De restitutione ob res captas in venatione prohibita 604. 605. Venator qui in actu feriendi, dubitat an sit homo, vel animal I. 52. Si unus vulneret feram, aut tendat laqueum, alius capiat III. 604.

Vendere. Quid sit venditio et quando sit iusta III. 793. An requiratur determinatio pretii, et an data arrha liceat in contractu resilire 794. An requiratur scriptura et traditio 795. An solutio pretii, vel fides de illo 685. 796. Ad quem spectent fructus dum completur emptio 797. Ad quem fructus rei venditae, sed non traditae 798. Cuius sit res empta pecunia aliena 799. An valeat contractus si vendatur res aliena 800. An possit emi vilius quam res valeat etc. De concursu emtorum et penuria mercium etc. 801. 802. De merce ultronea. Emens a paupere etc. Ignorans pretium rei etc. Emens multa simul 802. 805. An taxa obliget in conscientia 803. Quotupliciter pretium varietur 804. An deceptio obliget ad restitutionem. De mendaciis vendentium 805. An liceat pluris vendere rem utilem emtori 806. Quid si adsint alii iusti tituli 807. An res extraordinariae possint vendi quanti plurimi. An communis aestimatio variet pretium. De venditione sub hasta aut per venditrices 808. De rebus quae venduntur minutim 809. An possit carius vendi ob dilatam solutionem. An ratione periculi, vel quia res pluris esset valitura 810. An liceat carius vendere ad creditum 811. An liceat vendere cum pacto retrovendendi 812. An liceat pactum reemendi ad arbitrium emptoris 813. De monopoliis 814. Quot modis fiat monopolium 815. An unus vel pauci qui annonam emunt ut carius vendant peccent contra iustitiam 816. An mercatores inter se conspirantes ut vendant pretio summo teneantur ad restitutionem. An facto monopolio liceat aliis mercem eodem pretio vendere 817. An irritet contractum vitium occultum 818. De vitio circa substantiam. Vendens rem vitiosam. Emens gemmam pro vitro. Ob ignorantiam vendens infimo pretio 819. Vendens ut puram rem mixtam perfectam. De vino mixto cum aqua 820. An sit iniustitia vendere quid pro quo 821. De vitio circa quantitatem. Utens mensura diminuta 822. De vitio circa qualitatem 823. Vendens pretio ordinario debitum cuius debitor non est solvendo; vel mercem mox minuendam. Emens pretio currenti, sciens brevi augendum. Emens pecunia brevi prohibenda etc. 824. An tradita tibi re ad vendendum pretio designato, possis retinere superfluum. Quid si res sit a te meliorata etc. An idem dicendum de eo qui emit nomine alieno 825. De sartoribus etc. 826. Si res vendatur duobus, cui acquiratur dominium 827. Si res pereat ante traditionem, cui pereat. Quid si post 828. An liceat vilius emere chirographa seu credita 829. An possint minoris emi credita, stipendia etc. De emente qui ipse est causa difficilis solutionis 830. Ementes res in magna quantitate ut vendant pretio maiori 838. De emente mercem a defraudante gabellam 617. V. *Restitutio. Contractus.* An sit simonia vendere ius sepulturae etc. V. *Simonia.* Negotiatio vetita clericis V. *Clericus.*

Venenum. An liceat haurire venenum ad experiendum antidotum III. 569. Vendere venena V. *Cooperatio.*

Veniale. Votum vitandi etc. venialia V. *Votum.* Qualis dolor requiratur de venialibus V. *Contritio.* Etc. Vide *Peccatum.*

Verba turpia V. *Luxuria.*

Vesperarum hora quando incipiat IV. 174.

Vestis. An possint vestes sacrae converti in usum profanum III. 41. Ministrans eucharistiam sine vestibus VI. 241. Celebrans sine vestibus 376. 377. 289. Quomodo vestes sacrae execrentur 371. Quomodo esse debeant, quis possit eas benedicere 378. et seq. An liceat laicis ea tangere 382. An possit quisque sacerdos ea sumere ex altari 424. *v.* 5. An possint omitti in ministrando extremam unctionem V. *Extrema Unctio.* Foemina utens veste virili V. *Foemina.* Etc.

Viaticum. An ad dandum viaticum liceat consecrare in una specie VI. 196. An in fermentato 203. Quando viaticum possit dari non ieiuno 284. 285. An possit dari una cum ablutione 288. Ad dandum capite damnatis 285. *v. Hic.* Ad dandum viaticum an possit celebrari media nocte 343. *v.* 1. An possit dari post extremam unctionem 716. Quid agendum confessario quando

deferitur viaticum infirmo qui nequit tam cito explere confessionem 260. Vide *Eucharistia.*

Vicarius generalis an possit dare facultatem excipiendi confessiones contradicente episcopo VI. 538. An possit ferre censuras VII. 10. Vicarius capitularis an possit absolvere occulta papalia sicut episcopus VI. 595. *v. Eandem.* An possit dare dimissorias 787. *not.* 5.

Vidua. Extorquens copulam a vidua sub ficta promissione matrimonii III. 646. Vidua se delectans de copula praeterita V. 23. 24. Viduam ducens est irregularis VII. 437.

Vindicta. Vituperans alium ob vindictam non sumptam V. 67. Vindictam publicam an liceat petere II. 29.

Vinum praebere ebriosis an liceat V. *Cooperatio.* Vendere vinum mixtum cum aqua III. 820.

Violatio ecclesiae V. *Ecclesia.* Sigilli V. *Sigillum.*

Vir V. *Coniux.*

Virgo V. *Foemina.*

Vita. An liceat macerationibus sibi vitam minuere III. 571. An ad servandam vitam teneamur uti remediis extraordinariis aut nimis duris 572.

Vitandus. An excommunicatus vitandus possit absolvere moribundum VI. 560. Quis sit vitandus etc. V. *Excommunicatio.*

Vocatio divina ad ordines VI. 73. 802. Ad religionem IV. 78.

Voluntas prava si permaneat in effectu an multiplicentur peccata V. 40.

Vomitus. Se potu et cibo implere usque ad vomitum. An liceat creare vomitum V. 73.

Votum. Quid sit et quotuplex III. 194. 195. An violare vota sit sacrilegium 47. De voto dubie emisso aut dubie impleto I. 28. ad 30. Deliberatio requisita ad votum III. 196. De voto emisso ex metu 197. Ex errore 198. An obliget simplex propositum 199. An ad votum sufficiat promissio implicita 200. Quale propositum voluntatis requiratur. An teneatur ad votum qui noluit se obligare. Qui non habuit animum implendi. Qui dubitat an voluerit se obligare: an noverit obligationem voti: an fuerit propositum aut votum 201. Votum de re impossibili 202. Votum vitandi venialia. Vitandi mortalia et venialia collective 203. Votum de re vana 204. Vovens veniale 205. Votum factum ex malo fine 206. Votum impeditivum maioris boni 207. Votum non petendi dispensationem 208. Votum nubendi 209. Votum non vovendi. Emittens plura vota incompossibilia 210. Votum de re levi an obliget graviter 211. Negligens per annum votum de re levi 212. Alii casus 213. An haeres teneatur ad vota defuncti 214. Pater laedens per vota legitimam filiorum 215. De votis de facto alieno 216. An vota possint impleri per alium 217. Impediens impleri conditionem appositam in suo voto 218. Notanda circa conditiones in votis 219. Transacto die promisso an tenearis 220. Qui vovit sine certo tempore. An votum indeterminatum semper obliget. De dilatione in implendo voto 221. Vovens religionem indeterminatam. Vovens aliquid sine certa quantitate. In dubio de mente voventis 222. Vovens non ludere 223. Notabilia circa vota 224. Quomodo tollatur obligatio voti. Resolutio casuum 225. Quid si superveniat circumstantia non praevisa 187. 226. IV. 50. Quis possit irritare vota III. 227. Irritans sine causa 228. Quae vota filiorum possit irritare pater, avus, tutor etc. 229. Quae mater 230. An vota subditorum valeant donec irritentur 231. Si quis per errorem aestimabatur pater etc. 232. Quis possit irritare vota religiosorum et monialium 233. An vir possit irritare vota uxoris 234. An uxor vota viri 235. Quid si ambo voveant castitatem 236. 239. An superior possit irritare vota facta ante subiectionem. In dubio an sint emissa ante vel post 237. An vota facta tempore subiectionis possint post illud irritari 238. Quid si superior ea ratificaverit 239. Quae vota servorum aut famulorum possint a domino irritari 240. Quis possit vota indirecte irritare 241. 242. Quando possint commutari vota 243. An possit quis commutare sibi votum in opus aequale 244. An valeat commutatio in minus sine iusta causa 245. Alia notanda 246. An habens facultatem possit commutare in aliquantulum minus. An possit opus personale commutari in reale, et e converso perpetuum in temporale 247. An facta commutatione possit vovens implere primum 248. An facta impossibili re commutata teneatur vovens implere primum. An habens facultatem commutandi habeat etiam pro se. An qui immemor voti praestat opus promissum, a voto liberetur 249. 700. *v. Limitant.* Causa requisita ad dispensandum 250. Dispensatio facta bona fide sine causa. In dubio an adfuerit causa 251. Quae causae sufficiant ad dispensandum 252. An imperfecta deliberatio aut libertas 253. Alia notanda 254. An possit dispensari votum factum in beneficium tertii. De voto perseverantiae quod emittitur in quibusdam congregationibus 255. Qui possint dispensare. An papa in votis solemnibus. An episcopi in simplicibus. De delegatione facultatis dispensandi. Habens facultatem an possit cum seipso dispensare 256. An praelati regulares possint dispensare in omnibus votis religiosorum. An novitiorum. An saecularium. De aliis qui possunt dispensare 257. De votis reservatis plura notabilia 258. An commutato voto reservato, materia subrogata sit reservata 260. An sint reservata vota castitatis et religionis conditionalia aut poenalia 261. Violans pluries parvum votum. V. 57. Qui promisit 1000. aureos, et tres non solvit 58. Habens votum castitatis et inducens alium ad turpia III. 457. An liceat votum effundendi vitam ob defensionem praeservationis B. V. a labe originali VII. 265. V. *Religiosus*, *Impedimentum* etc.

INDEX

LIBER QUINTUS

DE RATIONE COGNOSCENDI ET DISCERNENDI PECCATA

TRACTATUS PRAEAMBULUS

De actibus humanis in genere . . . . . pag. 5
Art. I. *De natura, ac multiplici actuum humanorum divisione* . » ib.
» II. *De voluntario et involuntario, eiusque causis* . . . » 6
§. I. *Quid et quotuplex sit voluntarium* . . . . . » ib.
» II. *De violentia et metu* . . . . . » 8
» III. *An concupiscentia tollat, aut magis augeat voluntarium* . » 10
» IV. *Quaenam ignorantia causet involuntarium* . . . » 11
Art. III. *De libero, seu libertate actuum humanorum* . . . » 12
» IV. *De bonitate et malitia morali actuum humanorum, ac de principiis moralitatis* . . . . . » 13
§. I. *In quo posita sit malitia, vel bonitas actus moralis* . . » ib.
» II. *Quot, et quaenam sint principia moralitatis* . . . » 14
Art. V. *An detur actus indifferens in individuo* . . . » 16

TRACTATUS DE PECCATIS

Cap. I. *De peccato in genere* . . . . . » 17
Dubium I. . . . . » ib.
» II. *An et quomodo desideria et delectationes sint peccata* » 27
Art. I. *Quale peccatum sit desiderium malum* . . . » ib.
» II. *An delectatio morosa sit semper peccatum* . . » 29
Dubium III. *De distinctione peccatorum* . . . . . » 34
Art. I. *Quae peccata distinguantur specie* . . . . » ib.
» II. *Quae peccata distinguantur numero* . . . . » 36
Cap. II. *De peccatis in specie, mortali et veniali* . . . » 43
Dubium I. *Quid sit peccatum mortale et veniale* . . . » ib.
» II. *Quibus ex causis peccatum ex genere suo mortale fiat per accidens veniale* . . . . . » 44
Dubium III. *Quibus modis peccatum ex genere suo veniale, aut actus indifferens transeat per accidens in mortale* . . . . » 45
Cap. III. *De peccatis capitalibus in specie* . . . . . » 47
Dubium I. *Quid sit superbia, et quale peccatum* . . . » ib.
» II. *Quid sit avaritia* . . . . . » 49
» III. *Quid sit luxuria* . . . . . » 51
» IV. *Quid sit invidia* . . . . . » ib.
» V. *De gula* . . . . . » 52
Art. I. *Quid sit gula* . . . . . » ib.
» II. *Quid sit ebrietas* . . . . . » 53
Dubium VI. *Quid sit ira* . . . . . » 57
» VII. *Quid sit acedia* . . . . . » 59

LIBER SEXTUS

DE SACRAMENTIS

TRACTATUS PRIMUS DE SACRAMENTIS IN GENERE

Cap. I. *De natura sacramenti novae legis* . . . . . »
Dubium I. *Quid sit sacramentum* . . . . . »

Dubium II. *Quid circa materiam et formam sacramentorum servandum* . . . . . pag. 63
Cap. II. *De ministro sacramentorum* . . . . . » 66
Dubium I. *Quid requiratur ut minister det valide sacramentum* » *ib.*
» II. *Quid requiratur in ministro, ut licite ministret* . » 74
Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari sacris . . . . . » 91
Cap. III. *De suscipiente sacramentum* . . . . . » 101
Dubium I. *Quae dispositio requiratur ad valorem sacramenti in suscipiente* . . . . . » *ib.*
» II. *Quid requiratur, ut licite, et cum fructu suscipiatur* » 104
Cap. IV. *Quid sint sacramentalia, et quid efficiant* . . . . » 108

TRACTATUS SECUNDUS DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

Cap. I. *De baptismo* . . . . . » 110
Dubium I. *Quid sit materia baptismi* . . . . . » 111
» II. *Quaenam sit forma baptismi* . . . . . » 119
» III. *De ministro baptismi* . . . . . » 124
Art. I. *Quis sit minister baptismi* . . . . . » ib.
» II. *An duo possint simul unum baptizare* . . . . » 130
Dubium IV. *Quis sit subiectum baptismi* . . . . . » ib.
» V. *De caeremoniis baptismi* . . . . . » 140
Art. I. *Quae servanda circa caeremonias baptizandi* . . » ib.
» II. *Qui patrini, et quod eorum officium.* . . . . » 142
Cap. II. *De confirmatione* . . . . . » 149
Dubium I. *Quid sit, et quae eius materia et forma* . . » ib.
» II. *Quis sit minister, et quod subiectum* . . . » 163
» III. *Quae confirmationis necessitas, et caeremonia* . » 166

TRACTATUS TERTIUS DE EUCHARISTIA

Cap. I. *De essentia eucharistiae* . . . . . » 173
Dubium I. *Quid sit eucharistia* . . . . . » ib.
» II. *Quae materia eucharistiae* . . . . . » 176
» III. *Qualis debeat esse panis in materia eucharistiae* » 178
» IV. *Quale vinum sit materia eucharistiae* . . . . » 181
» V. *Quae conditiones ad materiam consecrationis requirantur* » 186
» VI. *Quae sit forma consecrationis eucharistiae* . . » 189
» VII. *Quamdiu Christus maneat in eucharistia* . . » 192
Cap. II. *De causis, et subiecto eucharistiae* . . . . . » 194
Dubium I. *De causis* . . . . . » ib.
Art. I. *Ad quem spectet dispensatio eucharistiae* . . . » ib.
» II. *Quid requiratur in ministro ad licitam administrationem eucharistiae* . . . . . » 200
Dubium II. *De subiecto, seu suscipiente eucharistiam* . . » 207
Art. I. *Quae requiratur in eo dispositio animae* . . . » ib.
» II. *Quae requiratur dispositio corporis* . . . . » 218
» III. *Quae, et quanta sit obligatio sumendi eucharistiam* » 235
Cap. III. *De eucharistia ut est sacrificium* . . . . . » 243
Dubium I. *Quid sit missa, et quae obligatio sacerdotum circa illam* » ib.
» II. *Cuius sit applicare fructum sacrificii* . . . . » 270
» III. *Quando et quoties liceat celebrare* . . . . . » 274
» IV. *Quo loco celebrandum sit* . . . . . » 281
» V. *Quae sint requisita ad missam* . . . . . » 297

TRACTATUS QUARTUS DE SACRAMENTO POENITENTIAE

Cap. I. *De essentia huius sacramenti* . . . . . pag. 330
Dubium I. *Quae sit eius materia et forma* . . . . . » *ib.*
» II. *Quae contritio requiratur* . . . . . » 337
§. I. *De quaestionibus ad dolorem pertinentibus* . . . . » 340
» II. *De quaestionibus ad propositum* . . . . . » 357
Dubium III. *Qualis confessio requiratur* . . . . . » 375
Art. I. *An debeat esse integra materialiter* . . . . . » ib.
» II. *Quando sufficiat confessio integra formaliter* . . » 387
» III. *Quae sint reliquae conditiones confessionis* . . » 396
» IV. *Quando confessio sit invalida, et quomodo iteranda* . » 398
Dubium IV. *De satisfactione* . . . . . » 402
Art. I. *Quae eius necessitas, et quantitas* . . . . . » ib.
» II. *De satisfactione per indulgentias* . . . . . » 420
§. I. *Quid sit indulgentia, et quid ad eam requiratur* . . » ib.
» II. *Quotuplex indulgentia, et quomodo differat a iubilaeo* . » 423
Cap. II. *De ministro sacramenti poenitentiae* . . . . . » 433
Dubium I. *Quis sit minister* . . . . . » ib.
» II. *Quid sit approbatio et a quo petenda* . . . . » 434
» III. *Quid et quotuplex sit iurisdictio confessarii et unde eam habeat* . . . . . » 440
» IV. *Quid sit reservatio casuum et quis habeat potestatem reservandi et absolvendi ab iis* . . . . . » 456
» V. *Quid sit officium et obligatio confessarii* . . . » 476
» VI. *Quae scientia et prudentia requiratur in confessario* » 496
Cap. III. *De adiunctis poenitentiae* . . . . . » 499
Dubium I. *Quid sit sigillum confessionis et qui ad illud teneatur* » ib.
» II. *Quale sit praeceptum et quae obligatio confessionis* . » 518
Dissertatio de confessariis sollicitantibus . . . . » 522
§. I. *Perpenduntur clausulae in bulla Gregorii* XV. *appositae* . » 523
» II. *Quinam sollicitantes debeant denunciari* . . . . . » 527
» III. *Quinam teneantur denunciare* . . . . . » 533
» IV. *De sollicitationibus dubiis* . . . . . » 537

TRACTATUS QUINTUS DE EXTREMA-UNCTIONE ET ORDINE

Cap. I. *Quid sit extrema-unctio et quae circa eam observanda* . » 539
» II. *De sacramento ordinis* . . . . . » 556
Dubium I. *Quid sit ordo, quotuplex et quae eius materia* . » ib.
» II. *Quae requirantur in ordinando* . . . . . » 576
§. I. *De obligatione coelibatus* . . . . . » 597
» II. *De obligatione habendi titulum* . . . . . » 600
» III. *De obligatione deferendi habitum et tonsuram* . . . » 607

TRACTATUS SEXTUS DE MATRIMONIO

Cap. I. *De sponsalibus* . . . . . » 611
Dubium I. *Quid sint sponsalia* . . . . . » ib.
» II. *Quae et quanta sit obligatio sponsalium* . . . » 618
» III. *Quomodo dissolvantur sponsalia* . . . . . » 632
Cap. II. *De matrimonio secundum se* . . . . . » 647
Dubium I. *Quid sit, quae eius materia, forma et minister* . » ib.
Dissertatio de ministro et forma sacramenti matrimonii . » 657
Dubium II. *De usu matrimonii* . . . . . » 662
Art. I. *An usus matrimonii, sive actus coniugalis, sit licitus* » ib.
» II. *An actus coniugalis sit praeceptus et debitus* . . » 686
Dubium III. *An, et quibus ex causis possit fieri divortium* . » 697

Cap. II. *De impedimentis matrimonii* . . . . . » 709
Dubium I. *Quae sint impedimenta impedientia tantum* . . » 710
» II. *Quae sint impedimenta dirimentia matrimonium* . » 722
Schema consanguinitatis . . . . . » 729
» III. *Quando matrimonium invalidum sit revalidandum* . pag. 761
» IV. *A quo, et ob quam causam possit dispensari in impedimentis matrimonii* . . . . . » 769

LIBER SEPTIMUS

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET IRREGULARITATIBUS

Cap. I. *De censuris in genere* . . . . . » 781
Dubium I. *Quid sit censura ecclesiastica* . . . . . » *ib.*
» II. *Quotuplex sit censura* . . . . . » 782
» III. *Qui possint ferre censuram et in quos* . . . . » 783
» IV. *Ob quam causam possit ferri censura* . . . . » 790
» V. *Qui possint absolvere a censuris* . . . . . » 802
» VI. *Quomodo danda sit absolutio a censura* . . . . » 820
Cap. II. *De excommunicatione* . . . . . » 824
Dubium I. *Quid sit et quotuplex* . . . . . » *ib.*
» II. *Ob quam causam incurratur et quem effectum habeat excommunicatio minor* . . . . . » 829
» III. *Quot effectus habeat excommunicatio maior* . . » 830
» IV. *Ob quas causas incurratur excommunicatio maior* . » 847
Art. I. *Quae sint excommunicationes non reservatae* . . » *ib.*
» II. *Quae sint excommunicationes reservatae episcopis* . » 850
» III. *Quae sint papae reservatae extra bullam Coenae* . » 852
Dissertatio super censuris circa immaculatam B. V. Mariae conceptionem . . . . . » 870
» IV. *Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris clericorum* . . . . . » 878
» V. *Quae sint excommunicationes papae reservatae per bullam Coenae* . . . . . » 886
Cap. III. *De suspensione et degradatione* . . . . . » 894
Dubium I. *Quid sit suspensio, quotuplex, et unde dignoscatur qualis et quanta sit* . . . . . » *ib.*
» II. *Quae sint suspensiones in particulari et quis ab eis possit absolvere* . . . . . » 899
» III. *Quid sit depositio et degradatio et a quo et ob quam causam ferri possit* . . . . . » 900
Cap. IV. *De interdicto* . . . . . » 901
Dubium I. *Quid sit et quotuplex* . . . . . » *ib.*
» II. *Qui sint effectus interdicti* . . . . . » 902
» III. *Quis censuram interdicti ferre et quis tollere possit* » 903
Cap. V. *De irregularitate* . . . . . » 904
Dubium I. *Quid et quotuplex sit irregularitas* . . . . » *ib.*
» II. *Quinam effectus irregularitatis* . . . . . » 905
» III. *Quomodo incurratur et tollatur irregularitas* . . » 907
» IV. *Quae sint irregularitates ex delicto* . . . . » 913
» V. *Quae irregularitates ex defectu* . . . . . » 930
Facultates s. poenitentiariae . . . . . » 949
Elenchus quaestionum reformatarum ab auctore . . . . » 951
Propositiones damnatae . . . . . » 958

DECRETA ROM. PONTIFICUM

MORUM MATERIAM RESPICIENTIA

Encyclica I. *Bened.* XIV. *Super ieiunio* . . . . . pag. 964
» II. *Super eodem ieiunio* . . . . . » 965
» III. *Super eodem ieiunio* . . . . . » 966
(*Responsa recentiora s. poenitentiariae circa ieiunium*) » 972
» IV. *Super missarum stipendio* . . . . . » 973
» V. *Super missa parochiali et conventuali, item de divinae psalmodiae cantu* . . . . . » 974
» VI. *Super usura* . . . . . » 980
(*Responsa s. poenitentiariae circa usuram*) *Vol. I.* » 619
» VII. *Super matrimoniis secretis* . . . . . » 982
Decretum I. *Eiusdem Bened.* XIV. *contra sollicitantes et complices peccati turpis* . . . . . » 985
» II. *Contra eosdem complices etc.* . . . . . » 988
» III. *Contra sollicitantes, et sacrificio missae abutentes* » 989
» IV. *Contra confessarios exquirentes nomen complicis* . » 990
» V. *Super oratoriis privatis* . . . . . » 993
» VI. *Super clausura monialium* . . . . . » 994
» VII. *Super clausura religiosorum* . . . . . » 996
» VIII. *Super matrimoniis haereticorum* . . . . . » 999
» IX. *Super dispensationibus in matrimoniis* . . . . » 1000
Constitutio *Clementis* XIII *de ieiunio* . . . . . » 1002
» *Leonis* XII. *qua sectae occultae et clandestinae damnantur, insertis etiam constitutionibus hac de re Clementis* XII., *Bened.* XIV. *et Pii* VII. . . . . » 1003

HABITA FACULTATE

DATE DUE

AP 24 '96			

3

DEMCO 38-297

DATE DUE

BX1757
L6
1879x
Vol. 2

STACKS BX1757.L6 1879x vol. 2
Liguori, Alfonso Maria de',
Theologia Moralis
3 5282 00175 0952